ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM. AUCTORE CAROLO LE...


Charles Le_Cointe, Josè Maria Fonseca de Evora, ...

Digitized by Google

XIX. 16. 48. 12.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — F
39

N. 13.



Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Ex Li[redacted] Ex dono [redacted]

ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM,

Auctore Carolo le Cointe Trecenſi, Congreg. Oratorij D. N. Iesu Christi Presbytero.

TOMUS QUARTUS.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXX.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTIANISSIMO

LUDOVICO XIV.

FRANCORUM

NAVARRÆQUE

REGI.

IN *conſpectum Majeſtatis Tuæ*, REX CHRISTIANISSIME, *prodit denuò Theodoricus Tertius; patrem comitantur, Clodoveus, Childebertus, Clotarius; avum. Dagobertus; patruum Chil-*

Digitized by Google

pericus; proavum Theodoricus Quartus. E tot Regibus duo pubertatem vix attigerant, cùm adeundi Regni jus adepti ſunt; infantiam ceteri vel pueritiam nondum expleverant, cùm ſuis orbati ſunt parentibus. Plerique infra annum ætatis viceſimum, aut paulò pòſt, immaturâ morte ſunt ſublati. Quatuor ſolio tantùm oſtenſi, breviſsimis gaviſi ſunt Principatibus, annuo, bienni, quadrienni, quinquenni. Omnes tamen inſigni laude conſpicuos miratus eſt Orbis; alios illuſtriſſimis affecit cognominibus; alios in ipſo adoleſcentiæ flore atque in medio victoriarum curſu Francis ereptos deflevit; quoſdam, ne bellis intereſſent, vel tenerâ ætate vel le-

Digitized by Google

thali morbo præpeditos doluit; duos, qui poſt nobiliſſimas victorias infelicem quandoque ſortem experti ſunt, in vtraque fortuna ſuſpexit; neutrum proſperis ſucceſſibus elatum, neutrum adverſis rebus perturbatum, vtrumque pari ſemper animi magnitudine paríque conſtantiâ præſtantem vidit.

Tantorum Regum inclytæ famæ qui detraherent, à multis ſeculis reperti ſunt Auctores cùm domeſtici tum exteri magno ſanè numero; hi, dum gloriam Francorum minuere ſtudent, invidiâ ſe malitiâque provocatos oſtendunt; illi, dum fabulas calumniáſque ſectantur, non oſcitantiæ modò, ſed & in-

ſcitiæ reos ſe produnt. Vtrorumque crimen, quod hactenus maximo Francicæ laudis diſpendio celatum eſt, in hac quarta lucubrationum mearum parte palàm aperio, & pro rei gravitate ſententiam damnationis in eos à Te, REGUM ÆQUISSIME, *poſtulo; imò, ſi dicere audeam, poſtulant Anteceſſores Tui, quorum cauſam agere mihi glorioſiſſimum.*

Præcellentiſſimis Regibus ignavia, ſocordia, dementia, per calumniam attribuuntur. Mira commentorum congeries! Ignaviæ vertitur Fortitudo, Solertia ſocordiæ, dementiæ Prudentia; quin & novo mendaciſſimæ Græciæ fig-

Digitized by Google

mento humana forma in belluinam penè tranſmutatur. Vt creduli facilius decipi poſſint, fraudes excogitantur haud minùs ſtupendæ. Sculpuntur imagines nativis vultibus diſſimillimæ, Genealogia Domûs Regiæ pervertitur, ordo Chronologiæ perturbatur, Geographia locis imaginariis adaugetur, exquiſitiſſimo ſtudio conglobantur vndique condenſantúrque tenebræ, ne veritatis Hiſtoricæ vel tenuiſſimus ſplendor affulgeat. His artibus vmbratiles ac ſcenici finguntur Reges, qui precario vitæ ſtipendio contenti nihil omnino poſſident præter vnam perexigui reditûs Villam; in qua, crine pro-

Digitized by Google

fuſo; barbâ promiſſâ, cum paucis famulis otioſi deliteſcunt; atque inde ſemel in anno, ut Legatos undequaque venientes audiant, Kalendis Maiis ad publicum procedunt Conventum, vecti carpento, quod, agente bubulco, more ruſticorum, à bobus trahitur.

At quis hæc oculis aſpexiſſe dicitur, aut à ſe conſpecta ſcribit? Firmantur cum exteris Gentibus amicitiæ, cum Friſiis à Dagoberto & Chilperico, ab eodem Chilperico cum Saxonibus: neuter ad colloquium cum Oratoribus habendum ducitur à bubulco, neuter in villa procul à negotiis degit: uterque prælia committit atrociſſima;

nec

Digitized by Google

nec aliter de Theodorico Tertio ſentiendum. Hic nobiliſſimum de Auſtraſiis triumphum agit cæſo eorum Rege: Dagobertus eoſdem Auſtraſios profligat adhuc adoleſcens; ſuæque victoriæ vix ſuperſtes, cùm grandiora molitur, morbo conſumptus interit: Chilpericus intra quinquennium, quo Principatum gerit, adversùs Auſtraſios adhuc rebelles ter bellum redintegrat, térque pugnam conſerit; nec Fortitudinem tantùm ac Solertiam, ſed & Prudentiam teſtatur ſociali fœdere cum Friſiis & Saxonibus inito. Childebertum coævi Scriptores ILLUSTREM & IUSTUM *cognominant. Hi Ti-*

tuli ab ignavia, à ſocordia, ab amentia longiſſimè abſunt. Promiſſa barba nec Clodoveo *convenit, qui mortuus eſt anno ætatis decimo-nono, nec* Dagoberto, *qui vixit annos circiter viginti, nec* Theodorico Quarto, *qui vitæ ſuæ terminos ultra tertium annum ſupra viceſimum haud prorogavit. Villam, in qua prænominatos Reges torpuiſſe plerique comminiſcuntur,* Mamaccas *nonnulli vocant, nemo de illius ſitu reditúve loquitur. Feliciſſimè mihi contigit,* REX CHRISTIANISSIME, *ut cùm veteres Eccleſiarum Chartas revolverem, in illas inciderim, quæ calumniam omnem*

Digitized by Google

abundantiſſimè refellunt; eóque ſiunt acceptiores, quòd è variis Provinciis à Te ſubactis, ex Alſatia, ex Comitatu Burgundico & ex Belgio pleræque ſunt ſuppeditatæ.

Cœnobia Theodoricus Tertius in Diœceſi Rotomagenſi & intra muros Taruannenſes erexit; alia locupletavit, Orbacenſe, Vedaſtinum & Broilenſe, in Epiſcopatibus Sueſſionico, Atrebatenſi & Taruannenſi; Mareolum Eccleſiæ Atrebatenſi, Baſilicæ Sancti Martini res proprietatis ſuæ ex Alamannia & ex pago Briſigangenſi contradidit. Condateſcenſe Monaſterium in hodierno Bur-

Digitized by Google

gundiæ Comitatu, & Cœnobium Metenſe Sanctorum Apoſtolorum, munificentiam Clodovei latè prædicant. Childebertus Caſtrum de Bubulis Cœnobio Sancti Luciani prope Bellovacum, Fontanellenſi Villam Adpiecum & Bannagam Inſulam, San-Dionyſiano Solemium Villam in hodierna Hannonia largitus eſt. Patris ac patrui ductus exemplo Dagobertus Aſceterio Fontanellenſi quartam partem Arlaunenſis ſylvæ, multa bona Metenſi Baſilicæ Sanctorum Apoſtolorum tribuit. Illud Metenſe Monaſterium Villâ Marte, variis poſſeſſionibus alia non pauca, Corbeienſe, Glanna-

Digitized by Google

ſolienſe, Fontanellenſe ac San-Dionyſianum auxit, & Sancti Luciani Baſilicam ad Bellovacum auguſtiorem reddidit Chilpericus. An iſtarum Donationum authores ad eas rerum anguſtias redacti videntur, ut nihil proprij præter unam eámque perparvi reditûs Villam poſsiderent?

Si nomina locorum conſuluntur, ubi talium Donationum Regiarúmque Præceptionum Chartæ pro diverſis Eccleſiis datæ ſunt, corruit etiam fabula de otioſa Regum per totos annos apud Villam Mamaccas deſidia. Theodoricus Tertius annis Regni ſui, decimo, duodecimo & decimo-ter-

Digitized by Google

tio, apud Compendium Chartas emiſit pro Monaſterio Sitivenſi, pro Aigliberto Cenomanenſium Epiſcopo, & pro Monialibus Cenomanenſibus; anno decimo-quarto Teſtamentum Amalfridi confirmavit apud Cariſiacum in procinctu pugnæ Textricianæ, cui præſens interfuit. Claudius Condateſcenſis Abbas de rebus ſui Monaſterij Pariſiis apud Clodoveum Regem ibi commorantem egit. Childebertus Corſintiſcæ Regium edidit Diploma, quo Solemium, Villam in hodierna Hannonia ſitam, Monaſterio San-Dionyſiano agri Pariſienſis tradidit. Chilpericus, anno ſuæ Domina-

Digitized by Google

tionis primo, Compendij Præcepta dedit pro Cœnobiis San-Dionyſiano & Corbeienſi; anno ſecundo, item Compendij pro Monaſterio San-Dionyſiano, Pariſiis pro Glannafolienſi, rurſum Compendij pro Metenſi; anno quarto Valentianis pro civitate Cenomanenſi. Theodoricus Quartus, anno ſui Principatûs primo, duo reſcripſit Diplomata pro Monachis Sitivenſibus, vnum Sueſsione, alterum Confluentibus; item tertium Metis anno quinto pro Cella Leobardina; necnon quartum longè ſeriùs apud Gundulfi Villam pro Cœnobio Murbachienſi. An totam vitam in Villa duxe-

Digitized by Google

runt otioſi, qui Pariſiis, Compendij, Sueſsione, Cariſiaci, Corſintiſcæ, Valentianis, Confluentibus, Metis, & apud Gundulfi Villam degiſſe comprobantur?

Sæpè miratus ſum, REX INVICTISSIME, *neminem hactenus è noſtratibus repertum eſſe, qui datâ operâ Hiſtoriam ſuæ Gentis à tam ignominioſa purgaret labe, Majores Tuos à tam turpi calumnia vindicaret. Singulari verò providentiæ nunc acceptum refero, quòd opus adeò memorabile & ad hanc vſque diem intentatum, Te regnante, ſuſceperim. Ætas enim minorennis, ex qua malevoli vel ignari Scriptores an-*

ſam Tuos Anteceſſores calumniandi ſumpſerunt, ſupra omnem admirationem in Te fuit. Rex eſſe cœpiſti nondum quinquennis, eodémque fermè die, quo Patri Tuo Glorioſiſſimæ Memoriæ ſucceſſiſti, hoſtem potentiſſimum Tuáque Regna ſpe jam devorantem debellaſti. Victoriarum hoc fuit præludium. Univerſam mox Europam famâ Tui Nominis implevisti. Duces Tuorum Exercituum in Belgio, in Germania, in Italia, in Hiſpania ſæpè triumpharunt; iter Tuis Legionibus in Fœderatum Belgium per ditiones Hiſpano-Belgicas aperuerunt; Danubium, Lycum & Iſaram tranſgreſſi pene-

Digitized by Google

trarunt ad Oenum; ciuitates in Hetruria viciniſque Inſulis expugnarunt; vlteriorem Hiſpaniam traiecto Ibero perterruerunt. Iiſdem temporibus, directis in disjunctiſsimas remotiſsimáſque Regiones Legationibus, bella compeſcuiſti. Motus Italiæ compoſuiſti, concordiâ inter Summum Pontificem, Rempublicam Venetam Sociόſque renovatâ; nec minùs feliciter amicitiam Danos inter ac Suecos in extremis Orbis Arctoi partibus redintegraſti. Tuis Oratoribus aſſenſum ſoli denegarunt Britanni, quanto ſuæ gloriæ detrimento, probavit eventus; inteſtinis enim tumultibus, quos ſedare cupiebas,

Digitized by Google

diutiſſimè vexati ſunt, ſuáſque manus, poſt multa ſcelera, polluerunt flagitio, quod, vt omnibus retrò ſeculis inauditum fuit, ita nec futuris nominandum. Tu verò pacem, quam vbique terrarum florere ſummoperè deſiderabas, in primaria Vveſtphalorum ciuitate cum Cæſare ſic pactus es, vt Germaniæ Sueciæque tranquillitatem pepereris, ampliſſimos Principatus Auitóſque Titulos Sociis Tuis reſtituendos curaris, Tuiſque Ditionibus multas Vrbes ac Prouincias cis & vltra Rhenum adjunxeris.

Poſt tot egregia facinora, quorum recordatio neminem in admirationem Tuæ Majeſtatis non ra-

pit, civiles diſcordias, ut olim Majores Tui, per univerſam penè Franciam expertus es, viìx tum decennis. Audaciam factioni fecit ætas adhuc tenera. Perduellibus aut veniâ donatis, aut ſolum vertere vi coactis, Tua pacaſti Regna. Votorum autem ſuorum ne compotes fierent Anteceſſores Tui, quos ſuprà commemoravi, brevior vita breviórque Principatus prohibuerunt. At nec quia longam non duxerunt vitam, nec quia diuturno non potiti ſunt Regno, ignavi, ſocordes, aut amentes continuò ſunt habendi.

Tam abſurdam diutiùs diſſimulare non potui calumniam; &

Digitized by Google

quamvis in ea diluenda, ne trans operis mei metas divagari viderer, ſolis vſus ſim monumentis, quæ ſpectant ad Annales Eccleſiaſticos Francorum, aliáque longè plura reliquerim in eandem ſententiam ab Auctoribus congerenda, qui deinceps in civili politicâque Francicæ Gentis Hiſtoria verſabuntur, rem Tibi, REX AUGUSTISSIME, *gratiſſimam hac præluſione me feciſſe confido*

CHRISTIANISS. MAJESTATI TVÆ

Devotiſſimus ac fideliſſimus Cliens & Subditus
CAROLVS LE COINTE, Congregationis Oratorij D. N. JESV CHRISTI Preſbyter.

Lutetiæ Pariſiorum,
anno 1670.

Digitized by Google

REGES FRANCORUM.

TABVLA PRIMA,

A Priamo vſque ad obitum Clotarij I.

PRIAMVS Rex Francorum, anno 382.

MARCHOMIRES Rex Francorum, anno 389.

FARAMVNDVS Filius Marchomiris, Nepos Priami, regnare cœpit anno 417. obiit anno 426.

CLODIO poſt patrem regnauit anno 426. obiit an. 446.

MEROVEVS patri ſucceſſit anno 446. obiit anno 456.

CHILDERICVS regnum ſuſcepit anno 456. obiit an. 481.

CLODOVEVS regnum iniit anno 481. factus eſt Chriſtianus anno 496. obiit anno 511. Reliquit quatuor filios, qui paternam hæreditatem in quatuor partes diuiſerunt.

THEODORICVS Rex anno 511. obiit anno 534.

THEODOBERTVS R. an. 534. obiit an. 548.

THEODOBALDVS II. R. an. 548. ob. an. 555.

CLODOMERES Rex anno 511. vitam clauſit anno 524.

CHILDEBERTVS Rex anno 511. obiit anno 558.

CLOTARIVS Rex anno 511. totius Franciæ Monarchiam obtinuit anno 558. obiit anno 561.

THEODOBALDVS I. Rex anno 524. deſiit viuere an. 526.

GVNTHARIVS Rex anno 524. deſiit viuere an. 526.

CLODOALDVS R. anno 524. regnum amiſit anno 526.

Digitized by Google

TABVLA SECVNDA,

Ab obitu Clotarij I. vſque ad annum Chriſti DCXXXII.

CLOTARIVS I. obiit anno 561.

- CHARIBERTVS R. an. 561. obiit anno 567.
- GVNTCHRAMNVS R. an. 561. obiit anno 593.
- CHILPERICVS Rex anno 561. obiit an. 584.
  - CLOTARIVS II. Rex anno 584. totius Franciæ Monarchiam obtinuit anno 613. Dagobertum filium Regem Auſtraſiæ præfecit anno 622. obiit an. 628.
    - DAGOBERTVS Rex Auſtraſiæ anno 622. Monarchiam Francorum obtinuit anno 628. partem Aquitaniæ Chariberto fratri dedit anno 629. iterum Monarcha factus eſt anno 630.
    - CHARIBERTVS II. R. a. 629. ob. an. 630.
      - CHILPERICVS II. Rex anno 630. obiit eodem anno.
- SIGIBERTVS Rex anno 561. obiit anno 575.
  - CHILDEBERTVS II. R. anno 575. Guntchramno patruo ſucceſſit anno 593. obiit anno 596.
    - THEODOBERTVS II. R. an. 596. obiit an. 612.
    - THEODORICVS II. Rex anno 596. fratri Theodoberto ſucceſſit an. 612 obiit anno 613.
      - SIGIBERTVS II. filius Theodorici II. natu maximus, Rex anno 613. extinctus eſt eodem anno.

TABVLA TERTIA,

Ab anno Chriſti DCXXXII. vſque ad annum DCLXXX.

DAGOBERTVS Francorum Monarcha Sigibertum filium Regem Auſtraſiæ præfecit anno 633. obiit anno 638.

- SIGIBERTVS III. à patre conſtitutus eſt R. Auſtraſiæ anno 633. obiit anno 654.
  - DAGOBERTVS II. in Hiberniam ablegatus eſt an. 654. regnum Auſtraſiæ recuperauit an. 673. obiit an. 680.
- CLODOVEVS II. R. an. 638. Monarchiam Francorum obtinuit an. 654. obiit an. 655.
  - CLOTARIVS III. Monarcha anno 655. Childerico fratri ceſſit Auſtraſiam anno 660. obiit an. 669.
  - CHILDERICVS II. Rex anno 660. Monarchiam Francorum obtinuit anno 669. obiit anno 673.
  - THEODORICVS III. Rex anno 673. extincto Dagoberto II. Monarchiam Franc. obtinuit anno 680.

Digitized by Google

TABVLA QVARTA,

Ab anno Chriſti DCLXXX. vſque ad annum DCCXXXVII.

In qua Clodoueus II. eiúſque filius Childericus II. licèt ad tertiam Tabulam & ad tertium Volumen noſtrorum Annalium toti pertineant, denuò repetuntur, vt Chilperici Tertij genus innoteſcat.

CLODOVEVS II. de quo ſuprà, Tabulâ III.

CHILDERICVS II. de quo ſuprà, Tabulâ III.

CHILPERICVS III. poſt Dagobertum III. patruelis ſui Childeberti III. filium regnare cœpit an. 715. obiit an. 721.

THEODORICVS Monarchiam Francorum adeptus eſt anno 680. obiit anno 692.

CLODOVEVS III. Theodorico III. patri ſucceſſit anno 692. obiit anno 694.

CHILDEBERTVS III. Clodoueo III. fratri ſucceſſit anno 694. obiit anno 711.

DAGOBERTVS III. Childeberto III. patri ſucceſſit anno 711. obiit anno 715.

THEODORICVS IV. poſt Chilpericum III. patruelem aui ſui Childeberti III. regnare cœpit anno 721. obiit anno 737.

CLOTARIVS III. in Auſtraſia contra Chilpericum III. patruelem regnare cœpit anno 718. obiit anno 719.

ANNALES

Digitized by Google

ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORVM.

SANCTVS ELIGIVS tricesimo ante Clodouei Secundi Regis obitum die, cùm multa de familia Regia prædiceret, Clodoueum per Solem, Baldechildem Reginam per Lunam, tres eorum filios, Clotarium, Childericum, & Theodoricum per totidem Stellas deſignauit. Harum deinde poſtremam, quæ, poſtquàm Sol, Luna, duæque Stellæ priores diſparuerant, ſola ſupererat, & Theodoricum filium natu minimum repræſentabat, ob luminis ſplendorem Soli non æquiparauit modò ſed etiam prætulit. *Vna*, inquit, *tantummodò remanſit in palàm, quæ ſola recto tramite Solis curſum imitans, magno demùm fulgore rutilabat, quantóque ampliùs ad Occidentem declinabat, tantò vberiùs claritas eius latè propagabatur. At vbi ad vltimum Occidui locum peruenit, tantam claritatem ſuarum lampadarum profudit, vt potiſſimam Solis claritatem ſuperare videretur.* Clodoueo Regi, cùm beatus Eligius viſionem ſuam per partes explicuit, vniuerſa parebat Francia. Theodoricus eâdem Francorum Monarchiâ, ſeu tribus Regnis, Auſtriæ videlicet, Neuſtriæ, Burgundiæque, potitus eſt. Vnde mox Sanctus Eligius hæc de illo ſubiunxit. *Tertius*, id eſt, Theodoricus, qui Clodouei Regis, & Baldechildis Reginæ tertius filius fuit, *ſolus Monarchiam Regni indeptus dilatabitur ſuper omnes affines ſuos, atque magnificabitur, & obtinebit ſub ditione ſua tria hæc Regna.* Scribebat iſta Sanc- I.

tus Audoenus [a] Rotomagenſis Epiſcopus, vir indubitatæ fidei, cùm Clodoueus è viuis iam abiiſſet, Baldechildis omni ſe abdicaſſet adminiſtratione, Clotarius hominem exuiſſet, Childericus autem & Theodoricus adhuc ſuperſtites eſſent. Quapropter quæ regnante Clodoueo Sanctus Eligius prædixerat, aliqua iam ex parte completa dixit, cetera, quæ nondum impleta eſſent, paulò pòſt implenda ſic pronuntiauit. *Nos minimè diffidere conuenit, quia verba eius conſequantur effectum, præſertim cùm hæc iam aliqua ex parte completa cernamus, cetera verò, quæ nondum impleta ſunt, ex conſideratione præcedentium impleri ex proximo non dubitamus.* Obiit paulò pòſt Childericus. Abhinc Theodoricus in Neuſtria & Burgundia regnauit, ſolúſque Monarchiam Francorum tunc adeptus eſſet, niſi Dagóbertus Sigiberti quondam Regis filius ex Hibernia in Auſtraſiam ab Auſtraſiorum parte reuocatus quamprimùm aduolaſſet. Inde orta inter vtrumque bella. Victoria penes Theodoricum ſtetit. Hic extincto Dagoberto Monarchiam Francorum obtinuit. Dagoberti clade ſuperiorem Tomum clauſimus. Quem igitur Theodoricum Neuſtriæ tantùm, ac Burgundiæ Regem hactenus intuiti ſumus, deinceps vniuerſæ Franciæ dominantem contemplabimur, & quæcumque à Sancto Eligio de futura tanti Regis gloria prænuntiata ſunt, ex rerum geſtarum contextu feliciter impleta deprehendemus.

[a] In vita Sancti Eligij.

II. Annus poſt Chriſtum natum octogeſimus ſupra ſexcenteſimum numerabatur, cùm Theodoricus Neuſtraſiæ ac Burgundiæ, quas ab annis ſeptem iam poſſidebat, Auſtraſiam adiecit; annis poſteà duodecim ſolus Francis imperauit. Idcircò duplicem notam, vt præcedentibus Tomis in ſimili caſu ſemper præſtitimus, ſingulis illorum annorum præfigemus; prior Character Principatum in Neuſtraſia & Burgundia, poſterior Principatum in Auſtraſia ſignificabit.

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEO-DOR. III. R. 8.

ANNVS
CHRISTI 681.
THEODORICI III. R. 8. 1.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, ſiue anno poſt Sancti Leodegarij Martyrium tertio, vt Vrſinus & Anonymus in vita eiuſdem Sancti Leodegarij teſtantur, Ebroinus Maiordomûs vitam clauſit. Quo exitu, ſic enarrat idem Anonymus. *Cùm mens errabunda tyranni nutaret, & nullatenus ad emendationem vel humilitatem ſui conuerteret, etiam vltra ſolitum in faſtu ſuperbiæ ceruicem eius contrà diabolus diriguiſſet, tum impletum fuit in eum illud Salomonis prouerbium. Priuſquàm humilietur cor hominis eleuatur, & ante ruinam exaltatur ſpiritus. Et ne tanti piaculi factum impunitum euaderet,* (necem Sancto Leodegario illatam intelligit) *ipſe ſibi velut freneticus articulum mortis inquirit. Nam cuidam Optimati, qui tunc functionem fiſcalem miniſtrauit, inuentâ occaſione eò vſque intulit ſpolium, donec penè auferret omne eius prædium, inſuper minabatur ei mortis periculum. Cernens autem vir ille iam poſt expolium mortem ſibi inſuper imminere & exilium, obfirmat animum, atque matutino ad eius oſtium ante lucem obſeruat egreſſum. Dies agebatur Dominica, ideò proceſſurus erat ad Matutinarum ſolemnia. Cùm autem ille pedem foras miſiſſet de limine, ecce iſte inſperatè proſiliens, gladio eius percuſſit caput. Ob cuius ictum duplicem decidit in mortem, & ita eſt ablatum de regno eius iniquum dominium, ſicut quondam Dauid à filiis Iſraël abſtulit opprobrium, proſtrato Goliath allophylo.* In Geſtis [a] Regum Francorum, in Hiſtoria [b] iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta & in Annalibus [c] Metenſibus, is qui Ebroinum interemit Ermenfridus vocatur, dicitúrque fugâ in Auſtraſiam ſibi conſuluiſſe ad Pippinum, qui Francos alios pleroſque ſeu Neuſtraſios ab Ebroino territos inſigni humanitate iam ſuſceperat.

I. EBROINVS MAIORDOMVS

OCCIDITVR

[a] Cap. 47.
[b] Cap. 98.
[c] ad ann. 688.

AB ERMENFRIDO.

II. Ebroini mortem ineunte anno contigiſſe patet ex vita Sancti Leodegarij, cuius corpus Sarcinij * duobus annis ac dimidio tumulatum manſit, atque inde in Pictauenſem Diœceſim poſt mortem Ebroini tranſlatum fuit *medio Martio menſe*, vt Anonymus loquitur, à quo ſeriem totius Tranſlationis accipe. *Poſtquàm infelix Ebroinus vita finem dedit, quòd inuidiâ ductus de Dei ſeruo* Leodegario *abſconderat, magnis laudibus longè latéque percrebuit. Poſtquàm namque Serenitati Regis eiúſque Palatio de virtutibus Sancti Martyris veraciter fuit percognitum, quòd Chriſtus Dominus ad titulum ſuæ laudis ſic eum clarificaſſe dignatus eſt ſignis virtutum, cum admiratione Rex credidit factum, & cœpit venerari Martyrem, quem per accuſationem tyranni crediderat priùs fuiſſe culpabilem. Tunc etiam perlatum cum laude in Palatium, quod multis diebus ab æmulo latuit abſconſum. Erat enim multitudo ibi magnorum ac maximorum, Epiſcoporum ſcilicet ac Procerum, qui dum collationem de Sancto Martyre inter ſe haberent, & admirarentur quæ de eo audiebantur, tunc vir vitæ ſanctiſſimæ Anſoaldus vrbis Pictauenſis Antiſtes verbum intulit dicens. Vtinam daretur mihi optio, quia notum eſt meum eſſe parentem, & ex parrochia mihi commiſſa ad honoris proceſſit gratiam, vel eius corpuſculum habere meruiſſem mecum. Ibi autem aderat Ermenarius Pontifex, qui ei ſucceſſerat in Epiſcopatu Auguſtidunenſe, qui & ipſe ait. Iure mihi datur huius viri corpus, quoniam iuſtum eſt ibi eum requieſcere, vbi Epiſcopus fuit. Tunc etiam & Vendicianus Præſul Atrabatenſis, in cuius fuerat Diœceſi interfectus, dicitur reſpondiſſe. Nequaquam ita fiet, vt vos ſancti Pontifices locuti eſtis, ſed mihi donetur facultas huius beati viri corpus habere, quoniam huic loco datus eſt, in quo dignatur quieſcere. Adſtante verò cunctorum turbâ Præſulum, decreuerunt vt ieiunia & orationes in hoc conflictu fierent, vt per hoc dignaretur Dominus oſtendere, in*

* *Sercin.*

S. LEODEGARII TRANSLATIO,

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

cuius Diœceſi iure deberet requieſcere. Hæc audientes adquieuerunt decreto, & factâ oratione cum ieiunio, & tribus paruis epiſtolis definitione ſcriptâ ſuper altare poſitis, vt tranſactâ oratione per eas Dominus declararet, in cuius ſorte hoc ſanctum beati Martyris corpuſculum perueniret. In craſtina verò die oratione completâ, ac Miſſarum ſollemniis conſummatis, vnus ex Miniſtris iuſſus à Pontificibus manum incognitam ſubter palam poſuit, & cognitio veritatis in manu ſua venit. Videntes cuncti, qui huic ſpectaculo erant cognoſcentes, acclamauerunt Anſoaldi Pontificis eſſe iuſtitiam, quoniam huius rei veritatem declarabat epiſtola, quæ veraciter teneretur. Iam tunc ſine ambiguitate confirmato conſilio, cuidam viro Dei Abbati ſuo nomine Audulfo ab eodem beato Martyre olim enutrito, iiſdem Pontifex Anſoaldus iuſſit, vt feſtinus propter hoc ſacrum corpus pergeret, & cum reuerentia ipſum vſque ſolum Pictauenſe deferret, & vbi priùs incœperat cultum Dei exercere, ibi eius lucerna omni tempore ſui luminis emicaret. Tunc vir Dei ſancti ſui Pontificis iuſſis obtemperans, gaudens cum feſtinatione perrexit, ac peruenit ad locum, vbi requieuerat corpuſculum. Quod audientes qui habitabant in circuitu loci, multitudo Monachorum, ceterorúmque virorum ac mulierum, deuotione magnâ compuncti, feſtinantes concurrebant ad locum. Vbi cùm ſanarentur multi à languoribus diuerſis exultabant, ac læti cum magnis laudibus, & turba multorum canentium ſimul & flentium, ipſius ſancti Martyris, ſicut iuſſum fuerat à glorioſo domno Rege, promouerunt hoc ſanctum corpus. Ergo cùm iter agerent, diuulgatum eſt per itineris loca, & cœperunt vndique ſponte dextrâ leuâque concurrere & Monaſteriis, ac viculis & villis, turba Monachorum ac Clericorum, & populi cum crucibus, cereis, magíſque ſuauitate odoris obuiam procedentes. Tanta autem multitudo erat, vt vix quiſquam accedere poſſet ad feretrum, vt acceptis cornibus eius deferri poſſet ſcapulis. Nam quacumque aliquis detineretur infirmitate, etiamſi feretro accedens tangere non potuiſſet manu, ſtatim ad priſtinam reuertebatur ſanitatem. Nulli etenim negabatur ſanitas, ſi ex fide tangeret fimbriam opertorij, quo feretrum tegebatur. In pago autem Caturcino quibuſdam fidelibus poſcentibus, & præcipuè petitionibus Ermenanæ Abbatiſſæ, quæ ad hoc opuſculum impatienter præter ceteros nos compulit ad ſcribendum, de Sanctis quæ comitabantur virtutibus relationem veram miſit memoratus Audulfus, vbi inſeruit quod non voluit perſtringere ſcripturâ & numero multitudinem miraculorum quæ viderat coruſcare, ſolummodò dum beatus Martyr de loco prioris ſepulturæ ad locum, quo nunc honorificè quieſcit, deferretur. Adſerebat enim ſi ea, quæ viderat quiſquam, paginæ inſerere voluiſſet, Pſalterij volumen excedere quantitatem libri, in quo forent deſcripta beati viri miracula. Nos verò, quæ per eandem relationem cognouimus, audire breuiter volentibus intimamus.

III. MIRACVLA. *In quadam villa, cuius eſt vocabulum Gaudiacus* (Carnotenſis parochiæ, vt obſeruat Vrſinus) *erat puella quædam nomine Radigna, quæ ab annis ſeptem in parentum domo iacebat, cæca, muta, & paralytica. Sed cùm allata à parentibus ad feretrum beati Martyris fuiſſet, eâdem nocte ſopore detenta viſum vidiſſe dicitur, duos viros ſplendidos cum reliquiis antè eam aſtitiſſe. Sed cùm euigilaſſet, & ſecum viſionem miraretur, oculi eius receperunt viſum, & pedes greſſum, & lingua locutionis officium, itaut ipſa exclamaret dicens. Gratias tibi ago, Omnipotens Deus, quia per Sanctum Martyrem Leodegarium ad integram ſanitatem reſtituta ſum. In hac laude erecta, & omnibus membris ſana, cum parentibus perrexit ad propria, longo tempore poſtmodum victura. Deinde cùm in territorio Turonicæ ciuitatis perueniſſent, in viculo vocabulo Solnaco*, ſeu Salnaco, *erat mulier à dæmonio vexata. Quod audientes parentes eius, trahentes eam per brachia, cœpit vocibus clamare, quia nolebat ad ſancti viri feretrum accedere. Sed inuita tandem pertracta ad eius peruenit feretrum. Quæ cùm tetigiſſet paululùm huius feretri veſtimentum, mundata eſt protinus à dæmonio, & reuerſa ad ſenſum proprium, magis circa feretrum adhuc volebat aſſiſtere, quia ab aduerſariis ſe iterum metuebat arripi, ex quo iam liberam factam ſe cernebat. His itaque geſtis peruentum eſt ad Turonis vrbem. Quod audiens Pontifex huius ciuitatis, qui tunc aderat, vir Dei Bertus proceſſit obuiam cum choris pſallentium, cum lampadibus, vel cum omni Clero, & accepto*

Digitized by Google

eum ſuis feretro cùm per medium tranſiret ciuitatis, quædam mulier accuſata pro AN. CH.
morte viri ſui, collo ac manibus teneretur catenata, cùm traheretur à cuſtodibus, ex- 681.
clamauit dicens. Subueni mihi, beate Leodegari, quia innocens pereo falſis accuſa- THEO-
toribus alligata. Cùm hoc dixiſſet, illicò confracta catena ex collo cecidit, & mani- DOR. III.
bus, eandem ſuper feretrum proiecit, & apparuit idonea quæ fuerat abſque noxa pu- R. 8.
nita penè. Cùm verò idem Pontifex cum magnis laudibus per ſuam parochiam hoc ſanctum corpus deduxiſſet, & introiſſet intra Pictauenſe ſolum, ad quod erat deſtinatum, requieuit paululùm in quodam viculo vocato Igorande. Vbi obuiam occurrens quidam claudus, ſed cùm ſe in orationibus ad ſancti viri corpus in terra proieciſſet, ſtatim ſanus factus & ſuper pedes erectus ad propria eſt incolumis reuerſus. Tunc audiens quædam mulier, à cuius manibus ablata fuerat ſpecies propria (nam digiti eius curui facti erant, itaut in medio abſconſæ eſſent palmæ, in tantum vt vngues in carne eſſent infixi, à ſe propriam amiſerant virtutem) ipſa tamen cùm adpropinquaſſet ad feretrum, inuocato Dei nomine & Sancti Martyris, directa ad priſtinam ſanitatem, magnas agens gratias Deo, reuerſa eſt ad propriam domum. Sed & hoc non eſt ſilendum, quia vir Dei Anſoaldus Pontifex audiens ſanctum appropinquaſſe iam corpus, velocem direxit nuntium, qui ex Interamnis villa ſua daret abundantiam vini, vnde pauperes & reliquum vulgus, qui comitabantur ſanctum corpus, habere potuiſſent ad refocillationem refectionis. Sed cùm hoc fuiſſet actum, non multum poſt ſpatium nunciatum eſt, quòd omnia vaſa quæ intra apothecam erant, vnde ipſum vinum exierat, penè vacua remanſerant, nunc tam plena erant, vt etiam ſuperfluentia vina in pauimento deciderent, ipſa tamen vaſcula plena remanſiſſent. Poſt hæc cùm ad Vigennam fluuium in vico Sanoreæ, ſiue in vico Sannone perueniſſent, erat ventus contrarius ſupereminens ipſum flumen tumidum. Vnde metuentes nautæ cœperunt prohibere introire nauigantes, ne periclitarentur in flumine. Tunc Dei Abbas iam dictus, cuius curæ erat deferre Sancti corpus, confidens Sancti Martyris de meritis, compulit eos dicens. Mittite in nauim, & tranſite ſecuri, quia Dominus potens eſt in huius Sancti meritis has vndas conquieſcere. Cùm autem poſitum eſſet in naui, & nauigare cœpiſſent nautæ, ſtatim vndæ quieuerunt, & proſperè illud flumen illæſi tranſierunt. Sed cùm ibi noctu in Eccleſia requieuiſſent, & quædam peregrina mulier cum infantulo cæco paruulo aduenîſſet, totâ illâ nocte in oratione peruigilans, diluculo infans lumen quod amiſerat recepit. Deinde recto itinere pergentes, peruentum eſt ad quandam villam Gelnacum, ad quam vir Dei Anſoaldus Antiſtes acceſſit cum ſuis, ſcilicet cum multitudine Clericorum populorúmque promiſcui ſexûs, & ætatis, & pauperum cum thuribulis ac incenſi fragrantia, cum crucibus & cereis accenſis, agminibúſque multis canentium, hoc ſanctum corpus ſuſcipiens pergere cœpit ad vrbem. Tunc ibi quædam aderat fœmina multis iam annis intantùm curua, vt etiam caput inflexum penè adhæreret genibus, cùm paululùm oculos erexiſſet ad Sanctum Martyrem & ad feretrum, reuerſum eſt ad priſtinum vigorem eius corpuſculum. Mirans hoc Pontifex, & omnes illic aſtantes, virtutem Dei ac beatiſſimi Martyris, hinc cum Canticis & magnis laudibus peruentum eſt ad vrbem. In ſuburbana Baſilica, in qua beata Radegundis requieſcit, introiuit beatus Pontifex cum ſancto corpore Martyris, ibíque aderat quidam paralyticus, & in eius aduentu protinus ſanus effectus eſt, & in aliquo itineris ſpatio ſecutus eſt feretrum, & remanſit ſanus. Sed cùm ad Baſilicam Sancti Hilarÿ delatum fuiſſet beatum corpus; alius paralyticus iacens in via, huius tangens feretrum, ſanus protinus factus eſt. Paulò pòſt quædam puella cæca Sanctum Dei inuocans, lumen amiſſum recepit, quæ ſecuta vſque ad eius tumulum perueniens, vſque adhuc deuota reſidet ac deſeruit.

Igitur cùm ipſum ſanctum corpus amotum fuiſſet ab vrbe, & ab ipſius ciuitatis Præſule cum ſuis Sacerdotibus & Miniſtris humeris propriis fuiſſet quibuſdam ſpatiis deportatum, & vſque Zezinoyalo, ſiue Zezolliolo quodam viculo cum magno triumpho fuiſſet delatum, cum magna turba Monachorum de Sancti Maxentÿ Cœnobio, in quo priùs fuerat Abbas conſtitutus, gaudentes obuiam proceſſerunt, ſuúmque Paſtorem cum magno fauore ſuſcepturi, deuotione magnâ cum pſalmodiis in eadem Ec- IV.

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

clesia pernoctantes. Diluculo verò quædam mulier accedens, deferens femininum infantulum in brachiis, penè annorum trium, qui priusquam ad ſanctum corpus accederet amiſiſſe fertur ſpiritum. Quæ deportans, peraccedens poſuit ſub feretro, & cum fletu inuocauit Sanctum virum, dicens: Domine mi, redde filium meum. Et cùm ferè per horarum trium ſpatium hoc deprecando clamaret, quaſi de graui ſomno euigilans infans, voce quâ valebat matrem requirens, ait. Mater, vbi es? Ipſa gaudens recepit filium rediuiuum, quem amiſerat defunctum. Hoc magnum & mirabile fuit miraculum, ex quo magna fides proceſſit in populo de tam perfecto viro, cuius iuſtitia manet in cœlo. Deinde verò ſublatum eſt corpus beatiſſimi Martyris, & quemadmodum decebat talem virum, deferre cœperunt. Deinde ad Monaſterium beati Maxentij, in quo priùs pater fuerat effectus Monachorum, ire cœperunt. Et quia inibi priùs cœperat mentes hominum peruerſorum mutare ad cultum diuinum, iuſto iudicio Dei ac prouidentiâ cenſetur, vt virtutibus fulgendo ſummis operibus plurimos adnecteret diuino ſeruitio. Cùm autem deferretur, occurrerunt ei in via duo pauperes, vir ſcilicet cum vxore. Vir enim vnum oculum ablatum perdiderat, vxor verò duos. Vterque accedens ad feretrum, mulier fide lumen oculorum recepit, vir eius dubitans receſſit cum vno oculo cæcus. Priuſquàm enim accederent, vir trahebat funiculo cæcam. Redeuntes verò, vxor recepto lumine vicem reddebat, virum trahens poſtmodum cæcum. Nam cùm priùs Monachi ex ipſo Cœnobio in eius properaſſent occurſum, quædam puella, quæ iacebat in atrio Sancti Maxentij paralytica, atque omnium membrorum amiſiſſe notum erat officium. Quæ cùm nomen audiſſet beati Leodegarij, manus vna ei reſtituta eſt ſanitati. Cùm verò die tertiâ beati Martyris corpus in ipſo peruentum fuiſſet atrio, omnia membra eius diſſoluta, omníque infirmitate amiſſa, in priſtinis reuerſa eſt officiis, ac tota eſt incolumis reducta. Hoc videntes, qui ibidem aderant, miraculum, tanta vndique adgreſſa fuit multitudo populi, vt vix Eccleſia ſeu atria caperent multitudinem aduenientium, & populorum cateruam. Intereà mulier alia ex longinquo veniens, lumen oculorum perditum, cùm ad Sancti Martyris acceſſiſſet tumulum, recepit quod amiſerat priſtinum. Quidam adoleſcens ſimul & puella dæmoniis vexati, cùm tremefacti acceſſiſſent ad locum, vomitu ſanguinis euulſis dæmonibus ad ſanitatem peruenerunt ſuam. Multæ & innumerabiles virtutes illis diebus per eundem Dei Martyrem operatæ ſunt. Nam quicumque veniſſent multorum languentium, cæcorum, ſurdorum, mutorum, aridorum, claudorum, atque à dæmonibus vexatorum, redditi ſunt incolumitati & ſanitati. Nam dum in itinere deferrentur, penè ſine numero fuit multitudo portantium. Matronæ verò nobiles veſtimentorum ornamenta geſtantes, oblatis palleis velamen ex auro & ſerico & ornamentis offerentes ſuper feretrum Martyris, intantùm vt is melior in meritis eſſe gauderet, qui in honorem Martyris prior votum ſuum Domino obtuliſſet. In ipſius beatiſſimi Martyris honore, iuſſu Pontificis domni Anſoaldi, opere huius Audulfi Patris Monaſterij, miræ magnitudinis fabricata eſt domus, cuius fabricæ ædificatio eſt diſſimilis omnium Baſilicarum conſtructio. Quo chariſmate ſupradictus Pontifex votum, quod vouit, perficere volens huic loco acceſſit cum omnibus ſuæ Eccleſiæ Sacerdotibus ac turba magnificorum cateruâque populi & plebe magnâ. Et quidem cum magnis laudibus ſanctum ſepelierunt corpus beati Martyris.

V. RELIQVIÆ IN VARIIS LOCIS.

In nonnullis Martyrologiis ſolemnitas illius Tranſlationis decimo-ſeptimo Kalendas Aprilis annotatur, vt Godefridus Henſchenius [a] in Diatriba de tribus Dagobertis obſeruauit. In eiuſdem Tranſlationis enarratione, quam proximè deſcripſimus, caput à reliquo Sancti Leodegarij corpore ſeparatum non legitur. Inter Reliquias tamen, quas Atrebatenſes in celeberrimo Sancti Vedaſti Monaſterio cuſtodiunt, ab Arnoldo Rayſſio in Hierogazophylacio Belgico recenſetur *caput Sancti Leodegarij Augustodunenſis Epiſcopi & Martyris, capſellâ ex argento deaurato elaboratâ ditatum.* Et apud Andream Sauſſaium in Martyrologio Gallicano [b] Vindicianus Atrebatenſis Epiſcopus ac Monaſterij Vedaſtini præcipuus conditor idem Sancti Leodegarij caput ſibi vendicaſſe ſic dicitur. *Caput huius ſancti Martyris nihilominùs Sanctus Vindicianus in pignus & monimentum pietatis ſibi vendicauit, quod hodiè*

[a] Lib. 2. c. 16.
[b] D 2. Octob.

Digitized by Google

que Atrebati ſeruatur in ſcrinio argenteo antiqui operis, in Monaſterio Sancti Vedaſti. Vindicianus è tribus quidem Epiſcopis fuit, qui de Sancti Leodegarij corpore contenderunt, ſed illud corpus ex Atrebatenſi Diœceſi, vbi ſepultum primò fuit, in Pictauienſem delatum eſt integrum, vt ex ſupradictis conſtat. Verùm poſt aliquot annos, Monaſterium Vedaſtinum, cùm à Vindiciano Epiſcopo plurimùm auctum fuiſſet, ampliſſimas quoque poſſeſſiones ex munificentia Theodorici Regis accepit. Tunc autem Vindicianus Epiſcopus & Theodoricus Rex in votis forſitan habuerunt, vt è S. Maxentij Monaſterio in Vedaſtinum, ſiue ex Epiſcopatu Pictauienſi in Atrebatenſem, vbi beatus Athleta Martyrium conſummarat, pars Reliquiarum reueheretur. Id admodum probabile putamus. Supereſt difficultas, quoniam in tractatu Bernardi Guidonis de Sanctis qui Lemouicenſem Diœceſim exornant, caput & manus beati Leodegarij dicuntur apud Maymacum * in Monaſterio piâ deuotione cuſtodiri. Dirimetur hæc controuerſia, ſi Monachis Vedaſtinis pars tantùm capitis, altera pars Aſcetis Maymacenſibus tribuatur.

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

* *l'Abbaye de Maymac.*

VI.

Haud aliter componi poteſt inter Monachos Sam-Maxentianos, Bronienſes, Ebrolienſes, & Siluiniacenſes, mota de Sancti Leodegarij corpore contentio. Vt enim in Vedaſtinum, ſic & in Bronienſe, Ebrolienſe, ac Siluiniacenſe variæ portiones reliquiarum è Monaſterio Sam-Maxentiano transferri potuerunt. Tertio milliari à Namurco *, conſpicitur Bronienſe Monaſterium, quod decimo ſeculo conſtructum fuit, & Sancti Gerardi * conditoris ac primi Abbatis nomen etiam gerit. In illo Cœnobio Rayſſius ait aſſeruari *corpus Sancti Leodegarij Auguſtodunenſis Epiſcopi & Martyris.* Deinde mentem ſuam ſic exponit. *Dixi eos,* nempe Monachos Bronienſes, *corpus habere, id eſt, maximam corporis partem, excepto etiam ſacro eius capite.* Rectiùs Molanus [a] non maximam ſed aliquam corporis portionem in Bronienſe Monaſterium delatam ſic aſſerit. *Sanctum corpus ad Sancti Maxentij Monaſterium eſt euectum. Poſtmodum tamen inde portionem aliquam corporis accepit Bronium Namurcenſe Sancti Gerardi Monaſterium die vndecimo Aprilis.* Poſteà Martyrologium citat, cuius hæc ad illum diem ſunt verba. *In Bronio Monaſterio, aduentus Sancti Leodegarij Epiſcopi & Martyris. Natalis eſt menſe Octobri, die ſecundâ.* Gonthero, qui quartum inter Bronienſes Abbates locum obtinet, vitámque anno Chriſti ſexageſimo ſecundo [b] ſupra milleſimum clauſit, inſcripta reperitur [c] Sancti Gerardi vita. Teſtatur Auctor curam octodecim Monaſteriorum, vt ibi collapſa Monaſtici ſtatûs diſciplina reſtitueretur, Gerardo commiſſam fuiſſe, teſtatur & ex Cœnobiis conquiſitas ab eodem Gerardo Reliquias, quibus Bronium ditaretur, nullam verò beati Leodegarij mentionem facit. Altum quoque de Sancto Leodegario ſilentium apud Molanum ceteróſque Neotericos, qui laudes Sancti Gerardi texuerunt. Sacras igitur Leodegarij Martyris exuuias ſeriùs ſuſceperunt Aſcetæ Bronienſes, ſed vnde & quando, penitus ignoratur, deſunt enim monumenta, quibus iſta demonſtrari poſſint. Apud Sauſſaium III. Idus Aprilis, *in Bronio Monaſterio celebratur aduentus Sancti Leodegarij Epiſcopi Æduenſis & Martyris, cuius ſacrum corpus deinde in Galliam relatum, ad Siluiniacenſe Cœnobium Ordinis Cluniacenſis in Aruernia peruectum, ſummóque, quo decuit honore, in ſacrario collocatum eſt.* Hæc opinio non placet, exiſtimamus enim corpus Sancti Leodegarij nunquam integrum apud Bronium vel apud Siluiniacum * fuiſſe, portiones autem eiuſdem corporis vtrobique etiamnum cuſtodiri. Sebaſtianus *Marcaille* libro ſexto Antiquitatum Siluiniacenſium addit Ebrolium * S. Leodegarij Reliquiis etiam illuſtrari. Ebrolium Monaſterium eſt Ordinis Benedictini, pertinétque ad Diœceſim Claromontanam, in qua ſitum quoque Siluiniacum. Monachi Cluniacenſes, vt corpus Sancti Leodegarij, ſeu partem corporis, vt Auctor Antiquitatum Siluiniacenſium interpretatur, in Eccleſia Prioratûs de Siluiniaco eſſe confirment, allegant Bul-

* *Namur.*
* *S. Girard de Broigne.*
[a] D. 2. Octob.
[b] Fiſenus d. 3. Octobr.
[c] Apud Sur. d. 3. Octobr.
* *Souuigny.*
* *Eſbreule.*

Digitized by Google

AN.CH. 681. THEODOR. III. R. 8. lam Clementis Sexti Papæ, datam *apud Villam-nouam Niuernenſis Diœceſis, 2. Nonas Octobris, Pontificatûs anno ſecundo*, quam in iiſdem Antiquitatibus [a] integram legere poteris. Non dubitamus, quin & parte quadam tanti theſauri ditatæ ſint pleræque aliæ Galliarum Eccleſiæ. In Abbatia Sancti Victoris prope muros Pariſienſes oculus & annulus beati Martyris aſſeruantur. Agemus fuſiùs de Tranſlationibus illarum Reliquiarum cùm ad ea tempora peruenerimus, quibus condita ſunt Monaſteria ſuprà nominata.

[a] Lib. 6.

VII. In Heduenſium ſiue Auguſtodunenſium Epiſcoporum Catalogo, quem Nicolaus *Imblot* Heduenſis Eccleſiæ Præfectus Demochari [b] ſuppeditauit, Sancti Leodegarij ſucceſſores in Auguſtodunenſi Cathedra recenſentur *Preiectus, Erminarius, Aubertus*. A Democharis opinione non recedunt Chenutius & Robertus. Apud Chenutium proximi ſucceſſores Sancti Leodegarij ſic enumerantur. *Sanctus Proiectus, Ermenarius, Aubertus*. Apud Robertum ſic. *Proiectus vel Praiectus, Herminarius vel Ermentarius, Amalbertus vel Aubertus*. Hæc Epiſcoporum ſeries Seuertio non placet, qui Erminarium ſiue Ermenarium Preiecto ſeu Proiecto præponit, deinde Aubertum eidem Preiecto ſeu Proiecto ſubrogat. Omnium optimè Sammarthani mendum aiunt in Catalogos irrepſiſſe, qui Proiectum Sancto Leodegario ſubſtituunt, cùm ex eiuſdem Sancti Leodegarij vita conſtet Ermenarium illi proximè ſucceſſiſſe. Totius erroris cauſa videtur ex eo profecta, quòd Leodegario Epiſcopo & Hectore Comite fugâ dilapſis Praiectus Aruernorum Epiſcopus in ſolemnitate Paſchali rogatus eſt, vt pro ſtatu Regis & Eccleſiæ pace Miſſam Auguſtoduni celebraret. *Cùm iam meridianam plagam Sol luſtraſſet, & ad occaſum adpropinquaret, & hora, quod eſt conſuetudinis, iam in promptu cernerentur, vt ſollemnes vigilias Paſcha celebrari licitum eſſet, ex Regali permiſſo vel maiorum natu, Pontifices vel Sacerdotes, qui in Eduorum vrbe ob Regiam poteſtatem conglobati fuerant, beatum virum Praiectum*, vt Auctor vitæ teſtatur, *ſupplici voce enixiùs poſcunt, imò precantur, vt eâdem ſacra noctis vigiliâ ipſe pro ſtatu Regis vel pace Eccleſiæ, ſacrificium Deo immolaret*. Lege quæ illa de re ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium [c] Tomo ſuperiore dicta ſunt. Epiſcopatum igitur Auguſtodunenſem poſt Leodegarium tenuit Ermenarius, tum Aubertus ſiue Anſbertus vel Amalbertus, cuius ſucceſſores Vaſconus & Amator ſolis noti ſunt nominibus. Anonymus Ermenario librum inſcripſit de Vita, Martyrio ac Tranſlatione Sancti Leodegarij, & in illa lucubratione Pontificem, qui Diœceſim Turonenſem regebat, cùm Reliquiæ beatiſſimi Præſulis è Martyrij loco in Monaſterium Sancti Maxentij tranſlatæ ſunt, Bertum vocauit. *Peruentum eſt*, inquit, *ad Turonis vrbem. Quod audiens Pontifex huius ciuitatis, qui tunc aderat, vir Dei Bertus, proceſſit obuiam*. Vrſinus, qui verſatus eſt in eadem materia, ſuámque lucubrationem *ſummoperè vrgente Audolpho Patre Monaſterij beati Maxentij* aggreſſus eſt, & *Pictauorum Pontifici Anſoaldo* inſcripſit, Auctor æquè coætaneus haberi debet, Audolphus enim ſiue Audulfus Abbas Sam-Maxentianus Reliquias Sancti Leodegarij ex Epiſcopatu Atrebatenſi in Pictauienſem delatas ſuſcepit, & Anſoaldus Epiſcopus Eccleſiæ Pictauienſi tunc præerat. Apud illum autem Auctorem Antiſtes, qui Turonenſem Eccleſiam per idem tempus adminiſtrabat, non Bertus ſed Ruotbertus appellatur. Inde dubium oboritur, vtrùm Bertus, qui teſte prælaudato Anonymo Reliquiis Sancti Leodegarij cum choris pſallentium obuiam proceſſit, in Catalogis Epiſcoporum Turonenſium diſtinguendus ſit à Chrotberto, cuius mentionem Tomo ſuperiori ſæpè fecimus. Nam ſi Bertus idem eſt ac Ruotbertus, videtur & idem eſſe ac Rotbertus & Chrotbertus, quia *Rotbertus* in *Ruotbertus* facilè abiit, & vt plerumque *Ludouicus* pro *Chlodouecus*, *Lotharius* pro *Chlotharius*, *Ilpericus* pro *Chilpericus*, *Ildebertus* pro *Childebertus* legitur, ita *Rotbertus* pro *Chrotbertus* ab Vrſino ſcribi potuit,

[b] De diu. Miſſ. Sacrif. c. 28.

[c] Nu. 4. 5.

EPISCOPI AVGVSTODVN.

CHROTBERTVS EPISC. TVRON.

IDEM CVM BERTO.

Digitized by Google

tuit, vnde apud Ioannem *Maan*, in Hiſtoria Sanctæ & Metropolitanæ Eccleſiæ Turonenſis, promiſcuè *Chrotbertus* & *Robertus* vſurpatur.

VIII. Chrotbertus, qui ſecundùm noſtram computationem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto ſedere cœpit, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo-primo, cùm Reliquiæ Sancti Leodegarij per agrum Turonenſem in Pictauienſem delatæ ſunt, in viuis ſuperſtes fuit. Pontificatum enim tenuit *an.* 25. *menſ.* 11. vt Chenutius obſeruat, vel *annis ferè* 26. vt Seuertius tradit, aut etiam diutiùs, id eſt, annis triginta, vt infrà dicturi ſumus. Idem eſt igitur ac Bertus, de quo coætaneus Anonymus mentionem in vita Sancti Leodegarij fecit.

IX. Apud Anonymum Maioretanum ſeu Maioris Monaſterij Monachum, quem Laurentius Bochellus Hiſtoriæ Gregorij Turonenſis ſubiecit, in Appendice de Geſtis Epiſcoporum Turonenſium & Abbatum Maioris Monaſterij, poſt prædictum Gregorium in Turonenſi Cathedra ſedent, *Pelagius*, *Leupacharius*, *Agiricus*, *Walarns*, *Sigiliacus*, *Lerbaldus*, *Medegiſilus*, *Latinus*, *Chariſigilus*, *Rigobertus*, *Papolenus*, *Childebertus*, *Bertus*. Altum ibi ſilentium de Chrotberto, quem alij Nomenclatores aut Childeberti loco reponunt [a], aut binominem conſtituunt [b], ac promiſcuè Childebertum & Chrotbertum vocant, ſeruato nihilominùs Berti nomine, quem Childeberto ſeu Chrotberto proximè ſufficiunt. At qui ceteris Chrotbertus, Monacho Maioretano perperam eſt Childebertus, nec ille, ſeu Chrotbertus ſeu Childebertus appelletur, à Berto diſtingui debet.

[a] Chenut. Seuert. Sammarth. Maan.
[b] Robert.

X. Gregorius Turonenſis Epiſcopus decimo-quinto Kalendas Decembris anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quinto feliciter ad Deum migrauit. Id ſuo loco præualidè probauimus. De Gregorij ſucceſſoribus ad Pontificatum vſque Chrotberti conſtant hæ quatuor epochæ. Pelagius, qui Gregorium in Catalogo Turonenſium Antiſtitum proximè ſequitur, literas à Gregorio Papa menſe Iulio, Indictione decimâ-quartâ [c], datas accepit. Leuparius, qui Pelagio immediatè ſucceſſit, Sanctum Columbanum è Burgundia pulſum conuiuio excepit, vt Ionas in eiuſdem Sancti Columbani vita ſcribit. Modegiſilus teſte Flodoardo [d] Concilium Remenſe cum Sonnatio aliiſque Pontificibus celebrauit. Latinus regnante Clodouco Bettonem Abbatem ad Synodum Cabilonenſem direxit, vt ex ſubſcriptionibus eiuſdem Concilij liquet. Indictio decima-quarta, quâ Gregorius Magnus epiſtolam Pelagio Turonenſium Epiſcopo Româ tranſmiſit, per menſem Iulium cum anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto coincidit. Sanctus Columbanus cum Leupario Turonis epulatus eſt anno Chriſti decimo ſupra ſexcenteſimum. Synodi Remenſis & Cabilonenſis ſecundùm noſtram ſupputationem habitæ ſunt, illa anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto, hæc anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto. Vnamquamque illarum epocharum pluribus argumentis confirmauimus. Tali autem computo ſi benè non illigatur, vitioſa eſt quæcumque circumfertur Antiſtitum Turonenſium Chronologia.

CHRONOLOGIA TVRONENS. EPISCOP. EXAMINATVR.

[c] L. 5. Ep. 52.
[d] Lib. 2. c 5.

XI. Ioannes *Maan* Doctor Theologus in Facultate Pariſienſi, & Turonenſis Eccleſiæ Canonicus ac Præcentor, cùm ſuperiorem Tomum noſtrorum Annalium edebamus, Hiſtoriam Sanctæ & Metropolitanæ Eccleſiæ Turonenſis in lucem emiſit. A nobis vt & à ceteris, qui Gregorianum calculum aſſequi pro viribus conati ſunt, haud parum receſſit, nam Gregorij Turonenſis obitum anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſexto collocauit. Deinde ad Chrotberti ſeu Roberti Pontificatum annos numerauit ſeptuaginta-quinque, nos ſeptuaginta tantùm computauimus, itaut quem ille primum annum Chrotberti Turonenſis Epiſcopi cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo compoſuit, nos cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto duxerimus comparandum. Hæc controuerſia, quia non leuis eſt momenti, ſtudioſiùs videtur examinanda.

Digitized by Google

AN. CH. THEODOR. III. R. 8.

XII. Chronologiæ Gregorianæ ratio præcipua, cui prædictus Auctor potiſſimùm innititur, vt Gregorij Turonenſis obitum anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſexto conſignet, petitur à vulgata eiuſdem Gregorij Hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua hæc leguntur vltimo capite libri quarti, *à Paſſione Domini vſque ad tranſitum Sancti Martini, anni* CCCCXII. necnon iſta poſtremo capite libri decimi, vel potiùs in operum Gregorianorum epilogo, *à Reſurrectione Dominica vſque ad tranſitum Sancti Martini, anni* CCCCXII.

XIII. Auctor, in quem inquirimus, ſeu Menander eius amicus, à quo Tabulas Chronologicas accepit deſcripſítque, præcitatos Gregorij textus illigauit computo Antiocheno, qui, ſi fides eſt eidem Chronologo, Dominicam Incarnationem quindecim annis anteuertit. *Ex numeris*, inquit, *Gregorianis à Reſurrectione Domini inueniuntur numeri æræ vulgaris, ſublatis quindecim, quod alibi demonſtratur. Exemplo eſto. In anno* 509. (corruptè 590.) *Gregoriano, quo notat Chlodoueum ſacro baptiſmate regeneratum, hinc aufer* 15, *habes* 494 *æræ vulgaris, quæ methodus eſt perpetua.* Hæc iſte in Appendice, numero quarto. In totius autem operis proœmio, fuſiùs de illa methodo ſic diſſerit. *Æra Chriſti* 251, *quæ Decij Conſulatus fuit, erat Gregorio Turonenſi, qui vetus computum Antiochenſis Eccleſiæ ſequebatur poſt Euagrium, annus* 266. *quod cùm vulgarem æram anteuertat annis* 45. *vti ſcitè aduertit doctiſſimus Menander Turonenſis in Generali Chronologia Martyrologij Romani, & Gregorij ipſius, tollendus ex* 266. *numerus* 45. *quia computum Antiochenum tanto ſuperat Romanum, & ſic illud quadrabit cum vulgari Romano. Rurſum Gregorius annos Chriſti putat non à Natiuitate Chriſti, quæ iam vulgaris eſt nobis annos computandi ratio, ſed à Paſſione Domini. Chriſtum autem vixiſſe conſtat, antequàm pateretur, annos* 32. *cum tribus menſibus, ideóque in qualibet Gregorij computatione annorum à Chriſto, omiſſis annis* 32 *vitæ Chriſti, quos ipſe numero non complectitur, tollendi ſunt tantummodò ex* 45, *quibus computum eius Antiochenſe abundat, anni* 15. *ſícque Gregoriana Æra Chriſti cum Romana vulgari omninò conuenit, & demptis* 15, *quæ Sancti Gatiani Epocha eſt ſub Decio apud Gregorium, coincidet cum vulgari eiuſdem Epocha, ſícque certiſſimè colligemus etiam ex Gregorio Epocham Decij Imperatoris eſſe iuxta morem noſtrum computandi à Chriſto nato* 251. Rectiùs ſcriberet annum 252. quo Decius Auguſtus ſecundum Conſulatum cum Grato geſſit, vt in Apparatu Chronologico probauimus.

XIV. In præcitato textu aſſeruntur tria: Primum, quòd computus Antiochenus Paſſionem ac Reſurrectionem Domini quadraginta quinque annis antecedat. Secundum, quòd annus primus à Chriſto nato cum anno computi Antiocheni decimo-ſexto componatur. Tertium, quòd Gregorius Turonenſis, cùm annos à Domini Paſſione vel Reſurrectione numerat, illos nihilominùs computet ab eius Natiuitate, ſequatúrque computum Antiochenum, qui Natiuitatem Domini quindecim annis, Paſſionem ac Reſurrectionem annis quadraginta quinque anteuertit. Vtrùm autem hæc vera ſint, manet inueſtigandum.

XV. Computus Antiochenus, quem Χρηματισμὸν τῆς Ἀντιοχείας appellant, ab Euſebio, ab Euagrio, & ab Auctore Chronici Alexandrini celebratur. De anno quo cœpit diſputant Arnaldus Pontacus in Notis ad Chronicon Euſebianum, Ioſephus Scaliger in Animaduerſionibus ad idem Chronicon, & libro tertio [a] Canonum Iſagogicorum, Dionyſius Petauius libro decimo [b] de Doctrina Temporum & parte ſecunda [c] Rationarij. Tres hi Scriptores in eam rem conueniunt, quòd computus Antiochenus annis octo & quadraginta Chriſtianum antecedat.

[a] Part. 2. [b] Cap. 62. [c] L. 3. c. 14.

XVI. Marcellinus in ſuo Chronico ad Indictionem vndecimam ſub Magni Conſulatu, id eſt, ad annum Chriſti quingenteſimum duodeuiceſimum, de Anaſtaſio Auguſto ſic ſcribit. *Anaſtaſius Imperator ſubitâ morte præuentus maior octogenario periit.* Annum autem illum, quo Iuſtinus poſt Anaſtaſium imperare cœpit, Euagrius annum Antiochenorum quingenteſimum ſexageſimum-ſextum ἕκτον καὶ ἑξηκοστὸν καὶ πεντακοσιοστὸν ἔτος, appellat. Ab Imperio

Digitized by Google

enim Iuſtini, qui menſe Iulio, anno χρηματιζούσης τῆς Ἀντιοχείας quingenteſimo ſexageſimo-ſexto purpuram induit, quartum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ librum ſic auſpicatur. Ἀναστασίου, ὥς μοι λέλεκται, πρὸς τὴν ἀμείνω μεταχωρήσαντος λῆξιν, Ἰουστῖνος Θρᾲξ γένος τῇ ἁλουργεῖ ἀμπεχόνῃ χρῆται, ἐνάτην ἄγοντος τοῦ Πανέμου μηνός, ὃς Ἰούλιος πρὸς Ῥωμαίων ὠνόμασται, χρηματιζούσης τῆς Ἀντιόχου ἕκτον καὶ ἑξηκοστὸν καὶ πεντακοσιοστὸν ἔτος, ὑπὸ τῶν βασιλικῶν σωματοφυλάκων ἀναρρηθεὶς ὧνπερ καὶ ἦρχεν, ἡγεμὼν τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων καταστάς. Iam verò ſi quingentos octodecim annos è ſumma quingentorum ſexaginta-ſex annorum ſuſtuleris, remanebunt anni duodequinquaginta. AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

XVII. Similiter ad Mabortij ſeu Mauortij Conſulatum, qui & anno Chriſti quingenteſimo viceſimo-ſeptimo, & Indictioni quintæ per menſem Aprilem illigatur, Marcellinus de Iuſtino & Iuſtiniano Auguſtis hæc habet. *Indictione* V. *Mabortio ſolo Cos. anno Regiæ vrbis conditæ* CXCVIII. *Iuſtinus Imperator Iuſtinianum ex ſorore ſua nepotem, iamdudum à ſe nobiliſſimum deſignatum, participem quoque Regni ſui ſucceſſorémque creauit Cal. Aprilis, ipſe verò quarto ab hoc menſe vitâ deceſſit.* Id autem anno χρηματισμοῦ Antiocheni quingenteſimo ſeptuageſimo-quinto ἀνὰ τὸ πέμπτον καὶ ἑβδομηκοστὸν καὶ πεντακοσιοστὸν ἔτος contigiſſe ſic affirmat Euagrius capite nono libri proximè citati. Τούτῳ τῷ Ἰουστίνῳ ὄγδοον ἔτος τῆς βασιλείας ἄγοντι ἐννέα τε μῆνας πρὸς τρισὶν ἡμέραις Ἰουστινιανὸς ἀδελφιδοῦς αὐτοῦ συμβασιλεύει, ἀναρρηθεὶς, τῇ πρώτῃ τοῦ Ξανθικοῦ ἤγουν Ἀπριλλίου μηνός, ἀνὰ τὸ πέμπτον καὶ ἑβδομηκοστὸν καὶ πεντακοσιοστὸν ἔτος τοῦ χρηματισμοῦ τῆς Ἀντιοχείας· καὶ τούτων οὕτω προελθόντων, Ἰουστῖνος μεθίσταται τῆς ἐντεῦθεν βασιλείας, ὑπελθὼν τὴν τελείαν ἡμέραν, ἀνὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τοῦ Λώου, τοῦ καὶ Αὐγούστου μηνός, συμβασιλεύσας μὲν Ἰουστινιανῷ μῆνας τέτταρας. Deme annos quingentos viginti-ſeptem ab annis quingentis ſeptuaginta-quinque, reſiduos, vt ſuprà, nanciſceris annos octo & quadraginta.

XVIII. Ceteris exemplis, quæ peti poſſunt ab eodem Euagrio, ſponte ſuperſedemus. Hæc abundè probant inter epochas Antiochenſem & Chriſtianam apud illum Auctorem diſcrepantiam annorum octo & quadraginta intercedere. Non adeò conſtanter ex Chronicis Euſebiano & Alexandrino ratiocinari licet.

XIX. *In Alexandrino Chronicô*, inquit Petauius, *eadem æra*, nempe Antiochena, *ſparſim adhibetur, ſed aliàs rectè, aliàs non ſine mendo.* Multa iſtius Chronici loca, quæ næuo non carent, egregius hic cenſor, quem conſulere poteris, congeſſit expendítque libro decimo de Doctrina Temporum, capite ſexageſimo-ſecundo.

XX. Tutiorem in hac parte auctoritatem haud ſuppeditat Euſebius, pleraque enim exemplaria nullam χρηματισμοῦ Antiocheni mentionem faciunt, alia in annorum numeris inter ſe differunt.

XXI. In Euſebij Chronico ad annum primum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ-tertiæ hæc hodie leguntur, *ab hoc loco Antiocheni ſua tempora computant*, ſed ab Euſebio ſcripta quis audeat aſſerere? Pontacus ad hæc eadem verba ſic ſcribit. *Hæc nos adiicienda cenſuimus propter auctoritatem Codicum, P. A. Fux. Peta. & trium MS. Fab.* id eſt, Codicum, Puteani, Aurelianenſis, Fuxenſis, Petauij, & trium Fabritianorum ſeu Nicolai Fabri. Dum autem *hac adiicienda propter auctoritatem* ſuprà memoratorum *Codicum* cenſet, innuit hæc ab aliis abeſſe Codicibus, quos numero longè maiori conſuluit, vt ipſemet teſtatur in Apparatu, quem ſuis notis præfixit. In antiqua Editione,

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

quæ penes nos eſt, verba, de quibus inquirimus, ponuntur tantùm in margine, abſunt à Codice San-Victorino.

XXII. In Euſebii Chronico ad annum ſecundum Probi Auguſti hæc habentur. *Secundo anno Probi iuxta Antiochenos* 325 *annus fuit, iuxta Tyrios* 402. *vel* 303 *ſecundùm quoſdam, iuxta Laodicenos* 324. *iuxta Edeſſenos* 389. *iuxta Aſcalonitas* 380. At *hæc omnia*, inquit Pontacus, *deſiderantur in L. M. Pi.* id eſt, in Codicibus, Lemouicenſi, Meldenſi & Pithœano.

XXIII. Denique in Euſebij Chronico ad annum decimum-nonum Diocletiani Imperatoris hæc occurrunt. *Secundùm Antiochenos an.* 351. Verùm *hæc*, vt idem Pontacus obſeruat, *deſiderantur in L. O. Vi. Pi. Lo. V. Fa.* ſiue in Codicibus, Lemouicenſi, Oiſellino, Victorino, Pithœano, Lodonenſi, Vaticano, & Fabritiano; deinde *in A. & P.* id eſt, in Aurelianenſi & Puteano, *minuſculis literis ſcribuntur, vt adiecta videantur à Scriba, ſicut etiam in Peta. & Fux.* id eſt, in Petauino & Fuxenſi, *ad oram.* Et teſte Scaligero in Animaduerſionibus ad eundem locum, *hæc verba non in contextu, ſed è regione ſcripta leguntur in veteribus libris.*

XXIV. Ex tribus igitur antiquiſſimis Chronologis, qui χρηματισμὸν Antiochenum ſcriptis ſuis commendarunt, auctoritate præſtantiſſimus eſt Euagrius, apud quem Antiochenſis Epocha multis in locis à Chriſtiana differt annis octo & quadraginta. Qua tamen de diſcrepantia conuenire non poſſumus. Vt enim Euſebium, de cuius Chronologia in Apparatu Chronologico fusè diſputatum eſt, ſic & Euagrium ceteróſque, qui numeros Euſebiani Chronici ſequuntur, triennio abundare credimus.

XXV. Antiochia poſt Pompeij cladem Iulio Cæſari ſe ſummiſit. Hoc initium fuit, χρηματισμοῦ Antiochenſis, de quo ſic Chronicon Alexandrinum. Πρὸ δʹ εἰδῶν Μαΐων τῆς πρώτης ἐπινεμήσεως· καὶ προετέθη ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ ἐλευθερία αὐτῆς, ὅτε καὶ ὑπὸ Ῥωμαίους ἐγένετο· τῇ κʹ τοῦ Ἀρτεμισίου μηνὸς, πεμφθεῖσα παρὰ τοῦ αὐτοῦ Ἰουλίου Καίσαρος· καὶ ἐκλήθη ὁ αὐτὸς Καῖσαρ Ἰούλιος Δικτάτωρ ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ, γʹ καὶ κʹ τοῦ Ἀρτεμισίου μηνός· χρηματίζει οὖν τῆς μεγάλης Ἀντιοχείας εἰς τιμὴν αὐτῆς ἔτος αʹ. καὶ πρῶτον ἔτος τῆς πεντεκαιδεκαετηρίδος, ἀπὸ πρώτου ἔτους Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος. *A. D. IV. Id. Maias primæ Indictionis. Et propoſita in vrbe magna Antiochiæ libertas ipſius, quando & Romanis ſubiecta eſt, viceſimo die Maij ab eodem Iulio Cæſare miſſa. Et appellatus eſt idem Iulius Cæſar Dictator in vrbe magna Antiochiæ, viceſimâ tertiâ die Maij. Nominatur itaque magnæ Antiochiæ in ipſius honorem annus primus, idémque primus Pentecædecaeteridos, àb anno primo Caij Iulij Cæſaris.* Petauius libro decimo [a] de Doctrina Temporum, duo reprehendit in illo Chronico, quæ ſpectant ad initium Eræ Antiochenæ, nempe quòd *à primo anno C. Cæſaris & Coſſ. Lepido atque Planco, Antiochenos dicit tempora ſua computare à* XII. *die Maij.* Multis enim argumentis, quorum pleraque ab Euagrio deſumuntur, aduerſus prædictum Chronicon egregiè probat χρηματισμὸν Antiochenſem non à menſe Maij ſed ab Autumno cœptum eſſe, deletíſque Lepido ac Planco Conſules reponit Iulium ipſum Cæſarem & Publium Seruilium, quorum Conſulatus Conſulatum Lepidi ac Planci ſex annis anteuertit. Pompeij clades Iulio Cæſare & Publio Seruilio Conſulibus à Velleio [b] aliíſque veteribus rerum Romanarum Scriptoribus conſignatur. Illum autem Iulij Cæſaris ac Publij Seruilij Conſulatum anno ante Chriſtum natum quadrageſimo-ſexto illigauimus, cùm de Boiorum ſedibus diſputationem ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum [c] iniremus. Eram igitur Chriſtianam, cuius principium petitur à Kalendis Ianuarij, quibus Conſulatum Auguſtus decimum-tertium & Plautius Silanus ſeu Siluanus inierunt, Antiochenſis antecedit annis tantùm quinque & quadraginta,

[a] Cap. 62.

[b] Lib. 2.

[c] Num. 33.

Digitized by Google

tribúſque menſibus, itaut nouem priores menſes anni poſt Chriſtum natum primi poſterioribus nouem menſibus anni ſecudùm Antiochenos quadrageſimi-ſexti reſpondeant. AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

XXVI. Rectè Pontacus in notis ad annum primum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ-tertiæ redarguit eos, qui computum Antiochenum, & annum Iulianum quem à quarto anno Iulij Cæſaris iuxta Cenſorinum incipiunt, ab eodem initio progredi putant, necnon Cedrenum & Nicephorum Conſtantinopolitanum, quorum ille à Chriſto nato, hic ab Octauio Auguſto χρηματισμὸν Antiochenſem orditur. Rectè & Maanum damnamus, qui diſcrepantiam quindecim duntaxat annorum inter Epochas Antiochenam & Chriſtianam collocat. Quo loco nec ſibi ſatis conſtat, cùm ex annis quadraginta quinque, quibus Era Antiochena Chriſtianam, vt ait, in Menandri opinione antecedit, tollendos arbitratur annos tantùm quindecim, quia Chriſtus, antequàm pateretur, *annos 32. cum tribus menſibus* vixit, quos Gregorius Turonenſis omittit. Etenim ſi duos ac triginta demas ex quadraginta quinque, remanebunt anni duntaxat tredecim. Verùm ſi Gregorius annos duos & triginta, qui Paſſionem Domini præceſſerunt, haud complectitur, ij non ſunt reſcindendi ex annis quadraginta quinque, quibus Antiochenſis Era Chriſtianam ſuperat, imò addendi ſunt annis illis quadraginta quinque, ſicque computus Antiochenſis in opinione Gregorij, ſi tamen in illius mentem vnquam venit, Chriſtianum annis ſeptuaginta ſeptem anteuertit, quod aſſeri nullomodò poteſt.

XXVII. Vulgati textus Gregorij, quos examinamus, à Paſſione ſeu Reſurrectione Domini vſque ad tranſitum Sancti Martini numerant annos duodecim ſupra quadringentos. Hanc annorum collectionem ſi verè ducis à Paſſione aut Reſurrectione Domini, vixit beatus Martinus ad annum vſque Chriſti quadringenteſimum quadrageſimum-ſextum. Si Paſſionis ac Reſurrectionis loco Natiuitatem Domini reponis, obiit Sanctus Martinus anno Chriſti quadringenteſimo duodecimo. Si per Domini Paſſionem aut Reſurrectionem initium χρηματισμοῦ Antiocheni deſignas, beatus Martinus ex hac vita diſceſſit anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo-quarto. Nemo quampiam illorum opinionum hactenus ſequi voluit, reperti tamen plerique, qui de anno, quo beatus Martinus ad Deum tranſiit, variè diſputarunt. Non capimus quomodo quis ſibi perſuadeat Eram Dominicæ Paſſionis à Gregorio cum Antiochena confundi, Erámque Chriſtianam, quæ petitur à Chriſto nato, quindecim duntaxat annis anteuerti à computo Antiocheno, cuius mentionem facit Euagrius locis ſuprà citatis. Gregorianos textus, quos Menander laudauit, aut deprauatos aut commentitios arbitrare. Corruptos exiſtimauit Scaliger, ſuppoſititios remur. Ille, quia beatum Martinum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo-quinto rebus humanis ereptum putauit, ad emendandum Gregorium ſatis eſſe duxit, ſi Characterem C in L commutaret, & annos legeret non CCCCXII. ſed CCCLXII, nam ſi triginta tribus annis, quos Chriſtus ante Paſſionem vixit, ſuperaddantur anni trecenti ſexaginta duo, conſurgent anni trecenti nonaginta quinque. Nos verò prædictos textus abiudicamus Gregorio, quia cum eodem Gregorio non benè conueniunt, & ad calcem libri decimi Gregoriani quidquam tale nec inuenitur in Codice Sancti Michaelis, vt ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-quintum [a] obſeruauimus, nec occurrit in Codice Cluniacenſi, quem Antonius *Faure* Doctor Sorbonicus ſingulari prorſus beneuolentiâ nobis nuperrimè communicauit.

[a] Num. 32.

XXVIII. Vt beatum Martinum in cælum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo tranſiiſſe fateamur, non opus eſt ratiocinatione Chronologicâ, quæ reſcindat annos quindecim ex CCCCXII, quos vulgatus Gregorius à *Paſſione Domini* & *à Reſurrectione Dominica*, ſiue vt Maanus interpretatur, ab initio

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

Antiochenſis Eræ numerat. Occurrunt apud Gregorium multis in locis varij Characteres, qui Sanctum Martinum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo rebus humanis exemptum conſtantiſſimè docent, vt Tomo primo datâ occaſione ad annum Chriſti duodequingenteſimum [b] probauimus.

[a] N.7 & ſeqq.

XXIX. Sanctus Martinus ex hac vita menſe Nouembri diſceſſit, ineunte anno Antiochenorum iuxta noſtram computationem quadringenteſimo quadrageſimo-tertio, iuxta Euagrij ſententiam quadringenteſimo quadrageſimo-ſexto. Triennalis huiuſce diſſidij cauſam ſuprà indicauimus, quæ pleroſque latuit, impulitque, vt de numeris Eræ Antiochenæ, quos Euſebianum Chronicon habet, varia ſcriberent.

XXX. A Iulij Cæſaris & Publij Seruilij Conſulatu, qui principium χρηματισμῷ Antiocheno per Autumnum fecit, vſque ad Lentuli & Meſſalæ Conſulatum, cuius vltimo menſe iam ad finem vergente Natiuitas Redemptoris Noſtri conſignatur, effluxerunt anni quadraginta quinque cum tribus circiter menſibus. Vnde fit, vt annus Chriſti ducenteſimus octogeſimus cum anno Antiochenorum trecenteſimo viceſimo-quinto, & annus Chriſti trecenteſimus ſextus cum anno Antiochenorum trecenteſimo quinquageſimo-primo conueniant.

XXXI. In Editione Pontacena Chronicon Euſebianum confert annum à Chriſto nato primum cum anno tertio Olympiadis centeſimæ nonageſimæ-quartæ & anno quadrageſimo-ſecundo Octauiani Auguſti, deinde anno Chriſti trecenteſimo ſexto annum Antiochenum trecenteſimum quinquageſimum-primum ſic illigat. 306. *ſecundùm Antiochenos an.* 351. Atque inde duo colligimus plurimùm obſeruanda.

XXXII. Primò, in eadem Editione annus poſt Chriſtum natum ducenteſimus octogeſimus-primus cum anno ſecundo Probi Imperatoris & anno Antiochenorum trecenteſimo viceſimo-quinto perperam ſic comparatur, 281. *ſecundo anno Probi iuxta Antiochenos* 325 *annus fuit*. Ab anno enim Chriſti ducenteſimo octogeſimo-primo ad annum vſque Chriſti trecenteſimum ſextum, quocum annus Antiochenorum trecenteſimus quinquageſimus-primus conuenit, numerantur anni tantùm viginti quinque; ab anno autem Antiochenorum trecenteſimo viceſimo-quinto, quem textus proximè citatus cum anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo-primo confert, ad annum vſque eorumdem Antiochenorum trecenteſimum quinquageſimum-primum numerantur anni ſex & viginti. Quapropter ſi annus Antiochenorum trecenteſimus viceſimus-quintus cum anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo-primo rectè componitur, annus Antinchenorum trecenteſimus quinquageſimus-primus cum anno Chriſti trecenteſimo ſeptimo coincidit; ſimiliter ſi annus ſecundùm Antiochenos trecenteſimus quinquageſimus-primus cum anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo ſexto conuenit, annus ſecundùm Antiochenos trecenteſimus viceſimus-quintus anno poſt Chriſtum natum ducenteſimo octogeſimo illigari debet. Vitium autem non in annum Chriſti trecenteſimum ſextum, quocum annus Antiochenorum trecenteſimus quinquageſimus-primus comparetur, ſed in annum Chriſti ducenteſimum octogeſimum-primum, quocum annus Antiochenorum trecenteſimus viceſimus-quintus componatur, irrepſiſſe vel ex eo patet euidentiſſimè, quòd, vt ſuprà demonſtratum eſt, priores nouem menſes anni poſt Chriſtum natum primi cum poſterioribus nouem menſibus anni ſecundùm Antiochenos quadrageſimi-ſexti conueniunt, inde enim ſequitur annos Antiochenorum trecenteſimum viceſimum-quintum & trecenteſimum quinquageſimum-primum cum annis Chriſti ducenteſimo octogeſimo & trecenteſimo-ſexto maxima ex parte comparandos eſſe.

XXXIII. Secundò, Pontacus pugnantia loquitur, cùm in ſuis ad Euſebium notis inter Eras Antiochenſem & Chriſtianam ex Euagrij ſententia diſcrepan-

Digitized by Google

tiam annorum duodequinquaginta collocat, & in textu Euſebiano è regione anni ſecundùm Antiochenos trecenteſimi quinquageſimi-primi ponit annum à Chriſto nato trecenteſimum ſextum, nam ſi quadraginta & octo annos ex annis trecentis quinquaginta & vno detraxeris, reſidui duntaxat erunt anni tres ſupra trecentos. AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

Eodem telo cum Pontaco ceteri confodiuntur, qui diſſident à noſtra computatione, nec iis patet ſubterfugium ad Eram vulgarem Chriſtianam, quam quidam vno anno, alij duobus, multi tribus, nonnulli pluribus tardiorem arbitrantur, à Conſulatu enim Iulij Cæſaris & Publij Seruilij ſiue ab initio χρηματισμοῦ Antiocheni, vſque ad Lentuli & Meſſalæ Conſulatum ſiue vſque ad Chriſti Natiuitatem, in Faſtis occurrunt tantùm quadraginta quinque paria Conſulum, nec ampliori annorum numero prædictus χρηματισμὸς in Euſebij Chronico differt à computo Chriſtiano, cuius primus annus cum anno Octauiani Auguſti quadrageſimo-ſecundo, χρηματισμοῦ Antiocheni quadrageſimo-ſexto, & annus trecenteſimus ſextus cum anno eiuſdem χρηματισμοῦ trecenteſimo quinquageſimo-primo coincidunt. XXXIV.

Probi Imperatoris annum ſecundum, quem Chronicon Euſebianum anno trecenteſimo viceſimo-quinto χρηματισμοῦ Antiochenſis illigauit, cum anno poſt Chriſtum natum ducenteſimo octogeſimo, vt rectè Chronologiæ ratio poſcebat, in Apparatu Chronologico comparauimus. Euſebij ſiue Interpolatoris mentem fuiſſe, vt ſecundus annus Probi Auguſti cum anno ſecundùm Antiochenos trecenteſimo viceſimo-quinto componeretur, textus ipſe ſatis indicat, *ſecundo anno Probi, iuxta Antiochenos 325 annus fuit.* Cùm autem annus Antiochenorum trecenteſimus viceſimus-quintus anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo reſpondeat, ad illum annum vno iam anno abundat Euſebius Pontacenus, annum enim Chriſti ducenteſimum octogeſimum-primum ponit è regione anni, qui fuit ſecundus Probi Auguſti & trecenteſimus viceſimus-quintus Eræ Antiochenæ. Annuum illud diſſidium, quod inter nos & Chronicon Euſebianum in numero Eræ Chriſtianæ ad annum ſecundum Probi Imperatoris intercedit, ex eo proficiſcitur, quòd iſtud Chronicon annos Imperij ſeptem Philippo, Decio vnum, nos verò quinque tribuimus Philippo, duos Decio; eàque ratione ambos Principatus, quos prædictum Chronicon ad annos octo prorogat, intra ſpatium ſeptem annorum claudimus. Opinionem noſtram auctoritate vtriuſque Victoris & Eutropii confirmamus. Tres hi Scriptores Philippum annis quinque imperaſſe teſtantur, quos integros intellige, ſic vt ſextum Imperij annum inchoarit, nam Tribunitiam poteſtatem ſextam cum Conſulatu tertio nummi veteres addicunt. Deinde Decium, cuius mortem ſub finem anni poſt Chriſtum natum ducenteſimi quinquageſimi-tertij conſignamus, Victor de Cæſaribus & Eutropius aſſerunt periiſſe *exacto Regni biennio*, & alter Victor in ſua epitome tradit imperaſſe *menſes triginta*, quibus nummi veteréſque conſentiunt inſcriptiones, in quibus Tribunitia poteſtas tertiò habetur repetita cum tertio Conſulatu. XXXV.

Maior difficultas, quantum ad Chronologiam Imperatorum attinet, in his verbis occurrit, *ſecundùm Antiochenos an. 351.* quamuis è regione in Editione Pontacena Euſebij legatur qui procul dubio legi debet annus poſt Chriſtum natum trecenteſimus ſextus. A reliqua enim periodo ſeparantur, itaut de illis id vnum affirmari poſſit, quòd ad annum Chriſti trecenteſimum-ſextum pertineant, quicumque ſit in Imperatorum Chronologia. Pontacus annum Antiochenorum trecenteſimum quinquageſimum-primum cum anno decimo-nono Diocletiani & Maximiani Auguſtorum componit, illum autem annum Diocletiani & Maximiani decimum-nonum cum anno Chriſti trecenteſimo quarto in Apparatu Chronologico comparauimus. Quod igitur annuum inter nos & Chronicon Euſebianum ad annum ſe- XXXVI.

Digitized by Google

cundum Probi Imperatoris intercedebat, in annis Diocletiani numerandis bienne diſſidium oſtenditur. Ratio petitur è Principatu Probi, cui prædictum Chronicon ſex annos Imperij, nos quinque tantùm attribuimus Auctore Vopiſco, apud quem in ipſius Probi vita hæc habentur. *Probus quum bellum Perſicum parans per Illyricum iter faceret, à militibus per inſidias interemptus eſt anno Imperij ſui quinto.*

XXXVII. Poſt Diocletianum & Maximianum, qui Kalendis Aprilibus, anno Imperij ſui viceſimo, id eſt, anno Chriſti iuxta Chronicon Euſebianum trecenteſimo ſeptimo, iuxta noſtram computationem trecenteſimo quinto, purpuram depoſuerunt, Imperij regimen ſuſceperunt è Cæſaribus Auguſti facti Maximianus Galerius & Conſtantius Chlorus. Hic in Euſebiano Chronico duos annos imperat, vnum duntaxat in Victoris libro de Cæſaribus, quem lubentiſſimè ſecuti ſumus, Eutropio, Idatio, & Socrate in eandem euntibus opinionem. Hinc noſtrum cum Euſebiano Chronico diſſidium; quod bienne priùs erat, ad triennium excreuit. In illo Chronico, è regione anni, quo Conſtantius obiit, annus poſt Chriſti Natiuitatem nonus ſupra trecenteſimum occurrit. In Apparatu autem Chronologico mortem eiuſdem Conſtantii ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſextum retulimus. Vſi ſumus variis auctoritatibus. Teſtes produximus Idatium, Socratem, & Eutropium. Conſtantius apud Idatium ex hac vita diſcedit *Era* 344. apud Socratem [a] anno primo ducenteſimæ ſeptuageſimæ-primæ Olympiadis, die viceſimo-quinto menſis Iulii, *τῷ πρώτῳ ἐνιαυτῷ τῆς διακοσιοστῆς ἑβδομηκοστῆς πρώτης ὀλυμπιάδος, τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ Ἰουλίου μηνός.* Annus Olympiadicus initium habet ab æſtiuali ſolſtitio, menſis igitur Iulius anni primi Olympiadis ducenteſimæ ſeptuageſimæ-primæ cum Era trecenteſima quadrageſima-quarta & anno Chriſti trecenteſimo ſexto conuenit: Eandem quoque ſententiam confirmat Eutropius [b], cùm tradit Conſtantium deceſſiſſe *Principatûs anno* 13. Conſtantius enim, qui dictus eſt Cæſar, Kalendis Martiis, Diocletiano Auguſto quartùm & Maximiano Auguſto tertiùm Conſulibus, id eſt, anno Chriſti iuxta ſupputationem noſtram ducenteſimo nonageſimo-quarto, regnauit ab illo die annos duntaxat duodecim, menſes quatuor, dies viginti quinque, vt R. P. Ioannes Morinus noſtræ Congregationis Presbyter in ſuo Conſtantino iam obſeruauit [c].

XXXVIII. Conſtantio ſucceſſit Conſtantinus, in cuius anno viceſimo Chronicon Euſebianum deſinit, & è regione legitur annus Chriſti trecenteſimus viceſimus-nonus, quocum annus ſecundùm Antiochenos trecenteſimus ſeptuageſimus-quartus iuxta Euſebii ſiue Interpolatoris mentem ſuperiùs expoſitam comparatur. Ab illo autem anno viceſimo Conſtantini vſque ad Magni Conſulatum ſiue vſque ad annum quo Iuſtinus in Imperium Anaſtaſio ſucceſſit, abſque vlla controuerſia per Indictiones & Conſules anni numerantur centum nonaginta duo, quos ſi trecentis ſeptuaginta quatuor adiunxeris, ex vtraque ſumma fient anni ſex & ſexaginta ſupra quingentos, confirmabitúrque computus Euagrij [d], qui annum, quo Iuſtinus Imperium ſuſcepit, quingenteſimum ſexageſimum ſextum *χρηματισμοῦ* Antiochenſis appellauit, *ἕκτον καὶ ἑξηκοστὸν καὶ πεντακοσιοστὸν ἔτος.* Iam verò, cùm ex Magni Conſulatu & ex Indictione vndecima conſtet Iuſtinum ad Imperatoriam dignitatem euectum fuiſſe anno Chriſti quingenteſimo duodeviceſimo, ſi quingentos & octodecim annos è quingentis ſexaginta ſex ſuſtuleris, reſidui erunt octo & quadraginta, quibus *χρηματισμὸς* Antiochenſis Eram Chriſtianam apud Euagrium multis in locis anteuertit. Porrò, ſi Chronico Euſebiano, quod, vt ſuperiùs demonſtratum eſt, abundat triennio, ſui adimantur næui, annúſque Conſtantini Magni viceſimus, quo Chronicon illud abſoluitur, illigetur anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo viceſimo-ſexto, poſt Iulii Cæſaris & Publii Seruilii Conſulatum vnde principium Eræ Antio-

[a] L. 1. c. 1.

[b] Lib. 10.

[c] Part. 2. c. 5. n. 17.

[d] L. 4. c. 1.

Digitized by Google

Antiochenæ petitur trecenteſimo ſeptuageſimo-primo, certè Conſulatus AN.CH.
Magni ſiue annus à Conſtantini viceſimo centeſimus nonageſimus-ſecun- 681.
dus, quo Iuſtinus imperare cœpit, incidet quidem in annum Chriſti quin- THEO-
genteſimum decimum-octauum, ſed anno ſecundùm Antiochenos quin- DOR. III.
genteſimo ſexageſimo-tertio, nequaquam quingenteſimo ſexageſimo ſexto R. 8.
illigabitur. Atque inde liquet Eram Chriſtianam ab Antiochenſi annis tantùm quadraginta quinque anteuerti, Euagriúmque cum ceteris quibuſcumque, qui ſecus ſentiunt, corrigendum eſſe.

XXXIX. Hæc de computo Antiocheno ſufficiant, quem nec habuit in mente Gregorius Turonenſis, cùm Hiſtoriam Eccleſiaſticam Francorum ſcripſit, nec benè aſſecutus eſt Ioannes Maanus, cùm eiuſdem Gregorij textus interpretari Chronologiámque enodare voluit, cum illo tamen conuenimus ſuper anno quo beatus Martinus ex hac vita diſceſſit, licèt in multis, quæ ad Chronologiam cùm Regum Francorum tum Turonenſium Epiſcoporum pertinent, ab eodem diſſideamus.

XL. A morte Sancti Martini ad obitum vſque Gregorij Turonenſis numeramus annos centum nonaginta octo, Maanus pauciores putat effluxiſſe, quia Chlodouei Magni mortem anno poſt Sancti Martini tranſitum centeſimo duodecimo, deinde Gregorij Turonenſis obitum anno poſt eandem Clodouei Regis mortem ſeptuageſimo-ſeptimo conſignat. Vitioſus vterque computus.

XLI. Obiit Clodoueus Magnus anno Chriſti vndecimo ſupra quingenteſimum. Id aliàs pluribus argumentis probauimus, quàm vt neceſſe ſit in ea materia rurſum morari. Annus autem poſt Chriſtum natum quingenteſimus vndecimus anno poſt beati Martini tranſitum centeſimo decimo-quarto, χρηματισμοῦ Antiocheni quingenteſimo quinquageſimo-ſexto illigatur. Spurij ſunt & inſititij tres Characteres, quos Menander & ex eo Maanus Gregorio Turonenſi perperam attribuit, vt Clodoueum anno Chriſti quingenteſimo nono mortuum fingat, annus à Reſurrectione Dominica ſiue à pſeudo-computo Antiocheno quingenteſimus viceſimus-quartus, annus à B. Martini tranſitu quingenteſimus duodecimus, annus Licinij Metropolitæ Turonenſis vndecimus. Aduersùs primum Characterem, qui ſumitur à Paſſione Dominica, nuperrimè tam copioſè diſputauimus, vt nihil addendum videatur. Duos alios vulgatus hic Gregorij [a] Turonenſis textus ſuppeditauit. *A tranſitu Sancti Martini vſque ad tranſitum Chlodouei Regis, qui fuit vndecimus annus Epiſcopatûs Licinij Turonici Sacerdotis, ſupputantur anni* CXII. At textum illum ad annum Chriſti quingenteſimum vndecimum [b] iam exploſimus. Ab anno enim Chriſti trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo, ſiue ab Attici & Cæſaris Conſulatu, quo Sancti Martini tranſitus ab ipſomet Gregorio [c] conſignatur, ad annum Chriſti quingenteſimum vndecimum, quo mors Chlodouei contigit, anni centum & quatuordecim numerantur. Nec annus Chriſti quingenteſimus vndecimus cum anno vndecimo Licinij Turonenſis Epiſcopi conuenit, quia Verus ipſius Licinij deceſſor in viuis ſuperſtes erat anno Chriſti quingenteſimo ſexto, quo Meſſala Conſulatum geſſit, vt patet ex ſubſcriptionibus Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi & Leonis Diaconi Turonenſis, qui Synodo Agathenſi, illo anno, Alarici Wiſigothorum Regis viceſimo-ſecundo, celebratæ inerfuerunt. Tempus enim, quo Concilium habitum eſt, Cæſarius in ſua ſubſcriptione ſic connotat. *Ego Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus Arelatenſis, iuxta id quod vniuerſis ſanctis Coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, ſtatuta Patrum ſecutus, his definitionibus ſubſcripſi. Not. ſub die* III. *Idus Septembris, Meſſalâ V. C. Conſule, anno* XXII. *Regni Domni noſtri Alarici Regis.* Et Leo Verum Turonenſem Epiſcopum, à quo miſſus eſt ad Synodum, in viuis ſupereſſe ſic teſtatur in ſua ſubſcriptione. *Leo Diaconus à Domino meo Vero Epiſcopo Turonicæ ciuitatis ſubſcripſi.*

[a] L. 4. c. 45.
[b] Num. 55.
[c] L. 1. Hiſt. c. 43. & l. 1. de mir. S. Martini c. 1.

XLII. De numero annorum, quos in Epiſcopatu Turonenſi poſt Sanctum Mar-

AN. CH. 681. THEODOR. III. R 8. — [a] Num. 6.

tinum Sancti Brictius Euſtochius & Perpetuus tranſegerunt, cum Menandro & Maano Gregorium Turonenſem ſecutis conuenimus. Lege quæ de Chronologia Turonenſium Epiſcoporum ad annum Chriſti duodequingenteſimum [a] Tomo primo dicta ſunt. Obiit Sanctus Perpetuus ſexto Idus Aprilis, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-primo, ſiue, vt Menander in ſuis Tabulis habet, anno poſt Sancti Martini tranſitum nonageſimo-quarto, ac pſeudo-computi Antiocheni, qui Chriſtianam Eram quindecim duntaxat annis anteuertit, anno quingenteſimo ſexto.

XLIII. De Sancti Perpetui ſucceſſoribus, Voluſiano, Vero & Licinio, non ita conſentimus. Menander Voluſianum anno Pontificatûs ſeptimo, poſt Sancti Martini tranſitum centeſimo primo, pſeudo-computi Antiocheni quingenteſimo decimo-tertio, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-octauo, exulaſſe ſcribit, eique in exilium acto ſubrogat eodem anno Verum, cui poſt aliquot menſes ſucceſſerit Licinius, cuius annus primus cum anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-nono, pſeudo-computi Antiocheni quingenteſimo decimo-quarto, poſt Sancti Martini tranſitum centeſimo ſecundo; annus vndecimus cum anno Chriſti quingenteſimo-nono, pſeudo-computi Antiocheni quingenteſimo viceſimo-quarto, poſt beati Martini tranſitum centeſimo duodecimo coincidat. Sed anno Chriſti quingenteſimo ſexto, vt ex ſubſcriptionibus Agathenſis * Concilij ſuprà recitatis liquet, Verus Turonenſem Eccleſiam regebat.

* *d'Agde.*

XLIV. Maanus hac obſeruatione non parum torquetur, atque in varios inducitur errores, per quos ipſe ſibi fit contrarius. Capite enim ſeptimo [b] ſic de Sancto Voluſiano ſcribit. *Sedit Voluſianus Turonibus annos ſeptem & duos menſes. Sedem autem abdicauit coactus ab Alarico Gothorum Rege anno Chriſti* 498. Deinde capite octauo ſic de Vero *Sedes Veri Turonenſis anno vnico maior non fuiſſe planè inducitur ex Concilio Agathenſi & Aurelianenſi primo ſub Symmacho Papa I. Alarici Gothorum Regis anno 22. & 23. Agathenſi enim Verus ſubſcripſit abſens per Leonem Diaconum ſuum, ſic enim refertur per ſyngraphas Patrum, qui ſederunt in Concilio, apud Binium. Leo Diaconus miſſus à Domino meo Vero. Hic annus eſt Chriſti* 501. *quo Verus certiſſimè Sedem ſuam adiit poſt Voluſianum exulantem. Aurelianenſi autem primo Licinius cùm Vero quoque exulanti ſucceſſiſſet eodem anno, ſubſcripſit ipſe præſens inter Epiſcopos hac formâ. Licinius Turonenſis Metropolis. Non igitur extendendus vltra annum Veri Pontificatus, cùm anno vno non extiterint duo ſimul Epiſcopi Eccleſiæ Turonenſis. At quo anno diſceſſerit exul Antiſtes nobis non conſtat. Eccleſiam autem ſuam deſeruit inuitus anno* 498. Et capite nono ſic de Licinio. *Clodoueus anno Licinij Epiſcopi* 11. id eſt, vndecimo (vitio Librariorum malè 2) *Lutetiæ deceſſit. Ipſe verò Licinius anno inſequente* 510. *vitam cum morte commutauit. Sedit autem annos duodecim, menſes duos & dies viginti quinque.*

[b] Num. 7.

XLV. Quomodo ſimul hæc ſtabunt? Si celebratæ ſunt anno Chriſti quingenteſimo primo duæ Synodi, Agathenſis cùm Verus in Turonenſi Cathedra ſederet, & Aurelianenſis prima cùm Vero Licinius in Epiſcopatum iam ſucceſſiſſet, an *Verus Eccleſiam ſuam deſeruit inuitus anno* 498? an pugna Vocladienſis *in annum Chriſti* 504. *Licinij Turonenſis Epiſcopi ſeptimum* incidit? an *ipſe Licinius anno* 510 *vitam cum morte commutauit*, poſtquàm ſediſſet *annos duodecim, menſes duos & dies viginti quinque*? In dubium tamen vocari non poteſt, quin Auctor Synodum Agathenſem anno Chriſti quingenteſimo primo celebratam credat. Nam poſtquàm aſſeruit [c] Sanctum Voluſianum, vt Sedem abdicaret, ab Alarico Wiſigothorum Rege Ariano coactum fuiſſe *anno Chriſti* 498. ſucceſſoris encomium *anno* 500 ad oram notato ſic orditur [d]. *Cùm Voluſianum Antiſtitem Turonenſis Eccleſia exulem iam ferè biennio lugeret Paſtore vacua, Verum Epiſcopum obtinuit virum bonum ac iuſtum & Chriſtianæ pietatis ſtudio comprimis incenſum, qui* &c. Ac paulò pòſt ſubiungit textum ſuprà deſcriptum, quo contendit Verum abſentem anno Chriſti

[c] Cap. 7. n. 7.

[d] Cap. 8.

Digitized by Google

quingenteſimo-primo per Leonem Diaconum Agathenſi Concilio ſubſcripſiſſe. AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

Voluſianum & Verum Epiſcopos in exilium ab Alarico pulſos haud inficiamur. De Sancto Voluſiano Gregorius Turonenſis ita loquitur vltimo capite Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Francorum. *Hic Pontifex ſuſpectus habitus à Gothis, quòd ſe Francorum ditionibus ſubdere vellet, apud vrbem Tholoſam exilio condemnatus, in eo obiit, ſedit autem annos ſeptem, menſes duos.* Et de Vero ſeu Viro ſic. *Ordinatur Epiſcopus Verus, & ipſe pro memorata cauſa zelo ſuſpectus habitus à Gothis, in exilium deductus vitam finiuit. Sedit autem annos vndecim, dies octo.* Annus ſeptimus Voluſiani Epiſcopi cum anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-octauo, ſiue cum anno poſt beati Martini tranſitum, vt ipſemet Menander fatetur, centeſimo primo coincidit, peruenit autem Voluſianus ad annum ſequentem, quia præter annos ſeptem completos ſedit menſes duos, & è viuis exceſſit decimo-quinto Kalendas Februarij, quo die celebrem eius memoriam recolunt Eccleſiaſticæ Tabulæ. Verus Voluſiano ſtatim ſucceſſit. In annos Pontificatûs error apud Gregorium irrepſit, *vbi annos vndecim, dies octo* sediſſe dicitur. Menander & Maanus annorum loco menſes reponunt, legúntque *menſes vndecim, dies octo.* Nec tamen inter ſe conueniunt. Menander enim, vt vndecimum annum Licinij Epiſcopi, ſiue annum pſeudo-computi Antiocheni quingenteſimum viceſimum-quartum, à Sancti Martini tranſitu centeſimum duodecimum cum anno Chriſti quingenteſimo nono comparare poſſit, Verum Voluſiano adhuc ſuperſtiti ſed exulanti vult fuiſſe ſuffectum, eodémque anno pſeudo-computi Antiocheni quingenteſimo decimo-tertio, poſt Sancti Martini tranſitum centeſimo primo, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-octauo, exilium Voluſiani & Pontificatum Veri ſic circumſcribit, vt annum primum Licinij Epiſcopi cum anno pſeudo-computi Antiocheni quingenteſimo decimo-quarto, poſt Sancti Martini tranſitum centeſimo ſecundo, ſiue cum anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-nono componat. Maanus autem, vt ex eius textibus ſuprà demonſtratum eſt, anno Chriſti quingenteſimo Verum, anno Chriſti quingenteſimo-primo Licinium, infulis Turonenſibus donatos arbitratur. At ab vtroque illorum Auctorum longè diſcrepat ſententia Leonis Diaconi, quem Verus Turonenſis Epiſcopus ad Synodum Agathenſem, *Meſſalâ V. C. Conſule, anno* XXII. *Regni Domni Alarici Regis*, ſiue anno Chriſti quingenteſimo ſexto, direxit. XLVI.

Aliam igitur emendationem poſcit apud Gregorium Pontificatus Veri. XLVII. Reſtituimus annos octo, dies vndecim, loco annorum vndecim ac dierum octo. Hæc correctio cum Chronologia rectè quadrat. Verus Epiſcopatum init anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-nono; ſedet annos octo cum diebus vndecim; Leonem Diaconum ad Synodum Agathenſem mittit anno Chriſti quingenteſimo ſexto, vitam claudit anno Chriſti quingenteſimo-ſeptimo quo bellum aduersùs Wiſigothos à Clodoueo Francorum Rege ſuſceptum eſt. Huic quoque calculo conformia ſunt quæ de Licinio Veri ſucceſſore déque ſubſequentibus Turonorum Epiſcopis à Gregorio ſcribuntur, vt ad annum Chriſti quingenteſimum ſeptimum * probauimus. * Num 13.

A Veri Pontificatu ad annum vſque ſeptimum Euphronij Epiſcopi ex computo Gregoriano annos ſex & quinquaginta collegimus, quibus ſi iungas annos ſeptem ac quingentos, fient anni quingenti ſexaginta tres. Annos nec plures nec pauciores ab Epiſcopatu Veri vſque ad annum ſeptimum Euphronij Antiſtitis ſtatuit Menander. Sed vt Veri Pontificatum anno poſt beati Martini tranſitum centeſimo primo, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-octauo, terminauit; ſic & annum Euphronij Epiſcopi ſeptimum cum anno poſt beati Martini tranſitum centeſimo quinquageſimo-ſeptimo, id eſt, cum anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quarto, contulit. In noſtra verò ſententia poſtremus annus Veri Epiſcopi XLVIII.

Digitized by Google

AN. CH. 681.
THEODOR. III. R. 8.

cum anno Chriſti quingenteſimo ſeptimo, poſt beati Martini tranſitum centeſimo decimo, ſeptimus Euphronii cum anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-tertio, poſt beati Martini tranſitum centeſimo ſexageſimo-ſexto comparantur.

XLIX.

Innitimur auctoritate Gregorii Turonenſis, qui ſeptimum annum Euphronii Epiſcopi cum ſecundo anno Sigiberti Regis ſic componit [a]. *Regente Eccleſiam Turonicam S. Euphronio Epiſcopo, anno ſeptimo, ſecundo anno Sigiberti glorioſiſſimi Regis*, &c. Annus autem ſecundus Sigiberti Regis anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-tertio illigatur, quia Sigibertus poſt Clotarium ſeu Chlothacarium patrem regnare cœpit, & teſte Mario Lauſannenſi *P. C. Baſilij anno* XX. *Ind.* IX. id eſt anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo, *Chlothacarius Rex mortuus eſt*. Menander calculis ſuis ſatis conſultum putauit, ſi Gregorio [b] in teſtem producto Euphronium aſſereret *ſediſſe tempore Chlotarÿ & pro Chramno oraſſe*. Sed in noſtra ſententia nihil occurrit narrationi Gregorianæ contrarium. *Euphronius ſedit annos ſeptemdecim*, vt Gregorius eius ſucceſſor ſcribit [c]. Iniit Pontificatum anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-ſexto, clauſitque anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Geſſit igitur Epiſcopatum ſub Clotario Rege per quinquennium, & apud eundem Clotarium pro Chramno precibus agere potuit, quia Clotarius, vt Gregorius Turonenſis affirmat [d], *obiit poſt vnum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus*.

[a] Lib. I. de mir. S. Mart. c. 32.
[b] L. I. de mir. S. Mart. c. 23.
[c] L. 10. c. 31.
[d] L. 4. c. 21.

L.

Euphronius * vitam clauſit pridie Nonas Auguſtas, quo die nomen illius legitur in Tabulis Eccleſiaſticis. *Ceſſauit* [e] *Epiſcopatus dies* XIX. Ergo Gregorius, qui proximè ſucceſſit, Epiſcopatum ſuſcepit menſe Auguſto, anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Sedit annos duos ac viginti cum duobus menſibus ac diebus viginti quinque, vt ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-quintum [f], quo diſceſſit ex hac vita, partim ex ſcriptis ipſius Gregorii, partim ex epiſtolis Gregorii Papæ ſynchroni demonſtrauimus. Maanus [g] Gregorio totidem annos in Pontificatu ſic tribuit. *Cùm annos duos & viginti Metroplitanam Eccleſiam rexiſſet Præſul ſanctitate & doctrinâ notiſſimus, humanis rebus exemptus eſt*. Annum, quo mors illa contigit, numerat ſexcenteſimum primum pſeudo-computi Antiochenſis, & quingenteſimum octogeſimum-ſextum Eræ Chriſtianæ. *Humanis*, inquit, *rebus exemptus eſt, anno ſecundùm Antiochenſem Æram, quam ſequitur ipſe*, 601. *ſecundùm vulgarem autem Rom. Eccleſia* 586: At Menander in ſuis Tabulis annum pſeudo-computi Antiocheni ſexcenteſimum primum cum anno Gregorii Epiſcopi viceſimo-primo, non autem cum viceſimo-ſecundo comparat. Annuum illud diſcrimen ex eo proficiſcitur, quod apud Maanum [h] Euphronius annos ſeptemdecim ſedet, apud Menandrum octodecim; Menandro Maanus hoc loco præſtat, quia Gregorio [i] ſuprà citato nititur.

* *Sainct Eufroy.*
[e] Gregor. Turon. l. 10 c. 31.
[f] Num. 27.
[g] C. 20. n. 5.
[h] C. 19. n. 16.
[i] L. 10. c. 31.

LI.

Menander annum illum pſeudo-computi Antiocheni ſexcenteſimum primum cum anno poſt beati Martini tranſitum centeſimo octogeſimo-nono, poſt Licinii quondam Epiſcopi duodecimum ſeptuageſimo-ſeptimo, Guntchramni Regis viceſimo-primo, Childeberti Regis decimo-ſeptimo, Gregorii Papæ quinto componit, tòtque Characteribus annum à Chriſto nato quingenteſimum octogeſimum-ſextum vult deſignare, ſed in multis fallitur. Annus quidem à beati Martini tranſitu centeſimus vndenonageſimus cum anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſexto conuenit. At annus triceſimus-primus, Guntchramni Regis in annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-ſecundum incidit, idémque ſentiendum de anno decimo-ſeptimo Childeberti Regis, quia Guntchramnus & Sigibertus Childeberti pater anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo poſt Clotarium Primum regnare cœperunt, obiitque Sigibertus, vt Gregorius Turonenſis teſtatur [k], *decimo-quarto Regni ſui anno*, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-quinto. Præterea Gregorius Magnus Romanum Pontificatum ante annum Chriſti

[k] L. 4. c. 46.

Digitized by Google

quingenteſimmum nonageſimum haud obtinuit, vnde concludas annum illius Pontificis quintum cum anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-ſexto nequaquam comparari. De annis Licinij quid cenſeamus, expoſuimus ſuprà. Vero in Epiſcopatum Turonenſem Licinius anno Chriſti quingenteſimo ſeptimo ſucceſſit, annus igitur illius Epiſcopi duodecimus anno Chriſti quingenteſimo decimo-nono illigatur, & annus pòſt ſeptuageſimus-ſeptimus cum anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto componitur. AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

Quomodo autem hi Characteres emendari debeant, vt annum indicent quo Gregorius Turonenſis obiit, paucis accipe. Diœceſim Turonenſem rexit annis duobus ac viginti, vitámque clauſit anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quinto, Gregorij Papæ ſexto, Childeberti Regis viceſimo, poſt beati Martini tranſitum centeſimo nonageſimo-octauo, χρηματισμοῦ Antiocheni ſexcenteſimo quadrageſimo, poſt Guntchramni Regis mortem ſecundo, poſt annum Licinij Epiſcopi duodecimum ſeptuageſimo-ſexto. LII.

Maanus de Gregorij ſucceſſoribus ita loquitur [a]. *Turonicam Sedem habuit Pelagius annos plùs minùs 20. Sedit Leopacharius annis ferè 10. Agiricus ſedit annis tribus & ſex menſibus. Ginaldus Sedem tenuit anno vno & tribus menſibus. Sigilaicus Eccleſiam rexit annis duobus & menſibus nouem. Leobaldus Eccleſiam moderatus eſt annis ſex, & eam fato reliquit anno Chriſti 628. Modegiſilus interfuit Rhemenſi Concilio; ſedit annos vndecim. Latinus, qui Cabilonenſi Synodo Chlodouei Regis II iuſſu congregatæ ſubſcripſit per Bettonem Abbatem, præfuit Eccleſiæ Turonenſi annis tredecim.* Eo calculo Pelagium obiiſſe tradit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexto, Leopacharium ſeu Leoparium anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-ſexto, Agiricum anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-nono, Ginaldum anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo, Sigilaicum anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo, Leobaldum anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-octauo, Modegiſilum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono, Latinum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo. Qua in opinione Pelagius literas à Gregorio Papa menſe Iulio, Indictione decimâ-quartâ, ſiue anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto, datas accipere potuit. Potuit & Leuparius anno Chriſti ſexcenteſimo decimo cum Sancto Columbano Turonis epulari. Sed Modegiſilus Synodo Remenſi non interfuit, quam Sonnatius cum aliis Epiſcopis anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto celebrauit. Latinus ſi per annos tredecim, ab anno videlicet ſexcenteſimo triceſimo-nono ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-ſecundum Eccleſiæ Turonenſi præfuit, Bettonem Abbatem dirigere potuit ad Concilium Cabilonenſe, quod in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum coniecimus. Perperam Auctor, quem impugnamus, prædictas Synodos, Remenſem *anno Chriſti 635 aut 36.* Cabilonenſem *anno 640* conſignat. Malè etiam à Leuparij morte ad obitum vſque Sigilaici ſex duntaxat annos colligit, quia ſi ſederunt, Agiricus *annis tribus & ſex menſibus*, Ginaldus *anno vno & tribus menſibus*, Sigilaicus *annis duobus & menſibus nouem*, tres illi Pontificatus ad annos ſeptem cum dimidio producuntur. LIII.

[a] CC.21. & ſeqq.

Aliam iniuimus Chronologiam, cui nihil refragari videtur. Iuxta probatos Auctores, quos ſecuti ſumus, Eccleſiam Turonenſem rexerunt, Pelagius annis ſeptem, menſe vno; Leuparius annis duodecim, menſibus tribus; Agiricus ſiue Agericus annis tribus; Ginaldus ſeu Giualdus anno vno ac tribus menſibus; Valarius ſeu Gaualarius, à Maano prætermiſſus, anno vno; Sigelaicus ſeu Sigilaicus annis duobus menſibúſque octo; Leobaldus annis duobus; Modegiſilus annis quindecim; Latinus annis tredecim; vitámque cum morte commutarunt, Pelagius anno Chriſti ſexcenteſimo ſecundo, Leuparius anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quartò; Agericus anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-ſeptimo; Ginaldus anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-octauo, Valarius anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-nono; Sigelaicus anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo; Leobaldus anno Chriſti ſex- LIV.

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8. centeſimo viceſimo-quarto; Modegiſilus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono; Latinus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo. In ea ſententia Pelagius literas à Gregorio Papa menſe Iulio, Indictione decimâ-quartâ, ſiue anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto, datas accipit, Leuparius anno Chriſti ſexcenteſimo decimo Columbanum Abbatem Turonis iter habentem conuiuio reficit, Modegiſilus anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto Synodum Remenſem ſuâ ſubſcriptione communit, Latinus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto Bettonem Abbatem ad Concilum Cabilonenſe dirigit. Prætereà ſecundùm Maani opinionem, quod ſummoperè obſeruandum eſt, Agericus ad Epiſcopatum Turonenſem anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-ſexto promouetur. Id autem falſum oſtenditur ex teſtamento quod Bertchramnus Cenomanenſis Epiſcopus ſexto Kalendas Aprilis anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quinto condidit, vt ad illum annum [a] Tomo ſecundo probauimus. In illo enim teſtamento, quod ab Antonio Coruaiſiero publici iuris factum eſt, Bertchramnus Agerici iam Epiſcopi meminit, vbi de Blacciaco villa in territorio Burdigalenſi ſecus caſtrum Blauium * ſita ſermonem habet. *Domnus*, inquit, *Agericus portionem, quæ Sancti Martini fuit, nobis vendidit.* In noſtra verò ſententia Turonenſem Epiſcopatum Agericus anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quarto ſuſcipit, & ſub initium ſui Pontificatûs ex Canonicorum conſenſu Bertchramno Cenomanenſium Antiſtiti prædictam Blacciaci villæ portionem vendit.

[a] Num. 19.

* *Blaye.*

LV. Poſt longum diſſidium, quod ſub exitum quinti ſeculi, cùm Voluſianus Epiſcopus in exilium pulſus eſt, initium cepit, in gratiam cum Maano ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-nonum in obitu Modegiſili rediuimus. Cum illo quoque Scriptore conuenimus de numeris annorum, quibus Epiſcopatum Latinus & Carigiſilus proximi ſucceſſores Modegiſili geſſerunt. Annos in Pontificatu tredecim Latino, Carigiſilo duos attribuimus; aſſeruimúſque Latinum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo, Carigiſilum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto, mortuos eſſe. Mendum autem errore librariorum in Characteres Chronologicos irrepſit, quibus opinionem ſuam prædictus Auctor ſuper annis illorum Pontificatuum indicare voluit. Leguntur enim in exemplaribus hi numeri, 641. 643. cùm ſcribi debeant 652. 654. quia Latinus ab anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum ſecundum per annos tredecim ſedit, Cariſigilus per annos duos ab anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum.

LVI. Maanus de Rigoberto, qui Carigiſilo ſucceſſit, hæc tantùm habet. *Et ipſe annos duos præſedit Turonenſibus*, & ad oram ponit annum 643. Ex ipſius Auctoris opinione reſtituendus, vt ſuprà monuimus, annus 654. quo Rigobertus Pontificatum iniit. Idem Scriptor Papolenum Eccleſiæ Turonenſi præfuiſſe tradit *annis quinque & duobus menſibus*, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-primum, quapropter ad oram capitis triceſimi-primi, quod eſt de Papoleno, delendus annus 648 reponendúſque 656. & ad oram capitis triceſimi-ſecundi, quod eſt de Chrotberto, delendus annus 652 reponendúſque 661. Papolenum annis quinque duobúſque menſibus Epiſcopum fuiſſe non inficiamur, ſed Rigoberti deceſſoris Pontificatum ad annos vſque ſex prorogamus, atque inde diſſidium quatuor annorum, quia Rigobertum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, Papolenum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto, ex hac vita ſublatos affirmamus. Nec nos moratur Auctor quem examinamus, vbi Papolenum ſic laudat. *Adfuit Nannetenſi Concilio anno Chriſti* 648, *quod Vitaliani Papæ iuſſu, & Chlodouei ſiue Ludouici Primi Regis ſtudio celebratum eſt. Flodoardus lib. 2. Hiſt. cap.* 7. Hæc enim Auctoris

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEO-DOR. III. R. 8.

à quo ſcripta ſunt, menti repugnant; inter ſe non benè cohærent; & ex Flodoardo, qui citatur, probari non poſſunt. Auctori conſilium non fuit, vt Papolenum Epiſcopum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-octauo floruiſſe ſcriberet. Anno enim Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono Latinum Modegiſilo ſubrogauit; Latino, vt dictum eſt, annos in Pontificatu tredecim, duos Carigiſilo, totidem Rigoberto tribuit, itaut Papolenum ante annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-ſextum Rigoberto ſucceſſiſſe numquam putarit. Deinde anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-octauo Romanum Pontificatum obtinebat Theodorus, cui ſucceſſerunt Martinus, Eugenius, tum Vitalianus. Si recurras ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-ſextum, quo Papolenus in opinione prædicti Scriptoris ſedere cœpit, aut ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-octauum, quo Vitalianus Eccleſiæ Catholicæ regimen ſuſcepit, priùs è vita diſceſſerat Rex Clodoueus, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quintum incidit. Denique Flodoardus obiter tantùm Namneticæ Synodi meminit in elogio Niuardi Remenſis Epiſcopi, nec Clodoueum Regem, aut Vitalianum Papam eo loci nominat. *Beatus*, inquit, *Niuardus, dum ex communi conſenſu totius Concilij Præſulum Galliæ, Namnetis Romani iuſſione Pontificis exhibiti, Rege fauente, reſtruxiſſet Eccleſiam.* Illo Flodoardi textu permoti Namnetenſe Concilium in Clotarij Tertij Principatum reiecimus [a], cùm Francia penes illum Monarcham erat, & altâ pace fruebatur.

[a] Tom.5. an. 656. nn. 7. 8.

LVII. Quæ de Chrotberto Papoleni ſucceſſore apud Maanum [b] occurrunt, à nobis examinata ſunt Tomo ſuperiori [c], Chronologiæ repugnant apertiſſimè, nec inter ſe quadrant. Ibi Chrotbertus Epiſcopatum init *anno* 652. Priuilegio pro Monaſterio Corbeienſi ſubſcribit *anno* 664. Turonenſi Monaſterio Sancti Martini Priuilegium concedit, quod Adeodatus Papa ſuo mox Diplomate ratum habet & Apoſtolicæ Sedis auctoritate firmat *circa annum* 670. Epiſcopatum gerit *annis quindecim & vndecim menſibus.* Morte ſubmouetur *ipſo anno* 669. *quo & Adeodatus Papa vitâ defunctus eſt & Domnus eius in locum ſuffectus Childerico Francorum Rege.* Chrotbertum, ſi Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo ſuſcepit, vitámque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-nonum produxit, obſeruauimus non annis quindecim ac menſibus vndecim ſed annis ſeptemdecim ſediſſe. Negauimus eundem Chrotbertum Priuilegio Corbeienſi ſubſcripſiſſe, quod legitur *factum ſub die octauo Idus Septembris, anno* VII. *regnante Clotario Rege*, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo. Negauimus & Adeodatum Papam, cui Pontificatus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio delatus eſt, obiiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono, vel Pontificium Diploma, quo Priuilegium Turonenſe Monaſterij Sam-Martiniani confirmaret, ediſiſſe *circa annum* 670. At de Chrotberti Pontificatu, ſi, quæ præcedunt ſubſequntúrque, rectè perpenduntur, hoc Auctoris iudicium fuit. Chrotbertus Papoleno ſucceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, Præſulatum geſſit *annis quindecim & vndecim menſibus*, obiítque anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Quapropter in margine capitis triceſimi-ſecundi, vbi ſcriptus inuenitur annus 652, reponi debet annus 661; & in eiuſdem capitis contextu, vt & in margine ſubſequentis, vbi annus habetur 669, reſtitui debet annus 677. Mentem Auctoris fuiſſe, vt Chrotbertus anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo Pontificatum adeptus cenſeretur, oſtendimus ſuprà. Quid de mortis anno ſenſerit, multæ res euidentiſſimæ declarant. Illius Epiſcopatum *annis quindecim & vndecim menſibus* [d], circumſcripſit; Berto, quem ſucceſſorem conſtituit, annos in Pontificatu triginta [e] tribuit; & è regione Pelagij, quem Berto ſuffecit [f], collocauit annum 707.

[b] Cap. 32.
[c] An. 672. n. 1
[d] Cap. 32.
[e] Cap. 33.
[f] Cap. 34.

LVIII. Idem Auctor [g] Bertum Epiſcopum Rotomagenſi Concilio interfuiſſe,

[g] Cap. 35.

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

Reliquiſſque Sancti Leodegarij Martyris obuiam iuiſſe tradit, ſuámque Chronologiam ſic inſtituit, vt Synodum Rotomagenſem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, Sancti Leodegarij Martyrium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, eiuſdem Martyris Tranſlationem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo illiget. Tomo ſuperiori Martyrium Sancti Leodegarij retulimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum, tertio pòſt anno facta eſt eiuſdem Martyris Tranſlatio vt obſeruatum ſuprà. Synodum Rotomagenſem in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-octauum reiiciemus. Certè Concilium illud anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo non eſt conſignandum. Celebratum fuit enim ab Anſberto Pontifice, qui Sancto Audoeno in Epiſcopatum Rotomagenſem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio ſucceſſit. Licèt autem Synodum Rotomagenſem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo conuocatam cenſeamus, ei Bertum interfuiſſe non inficiamur, Bertus enim nobis eſt idem ac Chrotbertus, qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto, & ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum peruenit, annis triginta in Pontificatu exactis. Hæc ad illuſtrandam Turonenſium Antiſtitum Chronologiam dicta ſunto.

LIX. Inter coætaneos Hiſtoriæ Francorum Scriptores, quos Andreas Ducheſnius Tomo primo ſuæ Collectionis euulgauit, extat Paſſio Sancti Ragneberti Martyris ex manuſcripto Codice Claudij *Doremieux* Atrebatenſis publicata. Floruit Ragnebertus eâdem quâ beatus Leodegarius ætate, ſimiliter in odium Ebroini Maiorisdomûs incurrit. Dies Martyris ſcitur, Idus videlicet Iulij; ignoratur annus. Idcircò quæ de beato illo Martyre dicenda occurrebant, placuit in hunc annum reiicere, quo vitam clauſit Ebroinus & Sancti Leodegarij facta eſt inſignis Tranſlatio.

RAGNEBERTVS.

LX. *Ragnebertus ex præcelſo genere ortus Radeberti Ducis filius extitit, qui inter amnis Sequanæ atque Ligeris confinium telluris prouincias rexit temporibus multis. Hic igitur nutritus aulâ Palatij, fortis corde, promptus ingenio, armis doctus, aſſiduè mundanæ ſapientiæ floribus ornabatur vndique. Sed dum gerebat fortia ſeculi, vt pòſt in fine claruit, diligebat attentiùs corde Deum.* Hi fuerunt Ragneberti natales, hæc primordia. Ceteris omiſſis cauſam mortis audi. Ebroinus Maiordomûs ei ſtuduit imputare, *quòd tale conſilium cum duobus Palatij Proceribus Bodone & Vnniſcando nominibus habuiſſet initum, vt iamdictum Ebroinum abſque decreto Regis conarentur occidere. Sed cùm hoc ipſe nec prodere vellet crimen, nec denegare facinus, intercedente Dei famulo Audoeno Pontifice, Rodomæ vrbis Præſule, cuius fama Sacerdotij illo tempore orbem repleuerat Galliæ, non eſt continuò interfectus, ſed cuidam viro potenti Teudefredo nomine partibus Burgundiæ in*

EXVLAT.

exilio commendatur, eo ſcilicet factionis obtentu, vt dum in exilium truſus crederetur, abſque Francorum improperio latenter morte perimeretur. Sed diſpenſante Deo, in cuius manu corda conſiſtunt, ipſe vir nobilis, cui fuerat ad mortem traditus, miſeratione compunctus eum magis viuum ſeruare ſtuduit, quàm feralia præcepta Ebroini Principis in eius ſanguinem adimplere. Igitur hoc diuinâ clementiâ factum eſt, cuius indicio purgantur cordis occulta, vt dum mors iuſſa ſuſpenditur, famulus Dei per pœnitentiam purgaretur. Dúmque paucorum annorum tempore fuiſſet in relegatione exilij toto corde conuerſus ad Dominum, quod maculauerat ſeculi conuerſatio, lauit lacrymis atque orationibus ſui cordis oraculum. Hæc videntur geſta, cùm Ebroinus in gratiam Theodorici Regis iam rediiſſet, id eſt, eodem, vt arbitramur, tempore, quo pulſus eſt etiam in exilium Sanctus Leodegarius. Hic exulauit quadriennio, & Martyrium ſexto Nonas Octobris anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo conſummauit. De annorum numero, quos Ragnebertus in exilio tranſegit, non ita conſtat. Si tamen in hac cauſa coniecturis agere licet, exulauit Ragnebertus annis quinque. Burgundiam enim ingreſſus ſeptem annorum pœnitentiam à Sacerdote ſibi impoſitam morte præuentus non adimpleuit. Biennium autem peragendæ illi pœnitentiæ

Digitized by Google

AN. CH. 681.
THEODOR. III. R. 8.

tiæ defuiſſe ſuſpicamur, quia poſt beati viri Martyrium, vt Auctor Paſſionis ſubiungit, *bis ſepteno annorum ſpatio* nulla virtus ad eius tumulum effulſit, & annorum, qui peragendæ pœnitentiæ defuerant, vicem videtur ſuppleuiſſe ſeptenarius annorum numerus, donec miracula fierent, toties repetitus.

LXI.

Cùm iam promiſſum tempus propinquaretur, quo beatus vir transferendus de ſeculo, Chriſti præſentaretur obtutibus, iterum beſtia ſerpentino ſibilo miſit mandata, vt abſque dilatione Ragneberto tollerent vitam. Cúmque inuiti ſuſcepiſſent eum, vt implerent mandata tyranni, duxerunt eum per quoddam deſertum in confinium Lugdunenſium Iura vicinum. Deducentes igitur eum ignari, venerunt nocte ad quemdam locum, Bredone vocabulum, vbi quidam Dei ſeruus nomine Domitianus religionis obtentu in honore Sancti Geneſij Martyris, dum in ipſa eremo Sanctorum Patrum Eremitarum viueret exemplo, arctum conſtruxerat Oraculum. Deprecatus eſt igitur Athleta Chriſti ſe ducentibus, vt eum in ipſa Eccleſia orare permitterent. Cúmque hoc illi nullatenus præſtitiſſent, intellexit Dei ſeruus, quòd ſe ad mortem deducerent, atque permittentibus ſibi carnificibus in loco vbi erat orationem compleuit. Quâ conſummatâ gladiatoribus ait. Ecce quod iuſſum eſt adimplete, ſed deprecor per Dominum ne fatigationem faciatis longiùs mihi. [FIT MARTYR.] *Cúmque eum ſuper quemdam lapidem ſedere feciſſent, vnus ex his mucrone lanceæ eius vitam extorſit. Redeuntes ab ſcelere cultoribus dixerunt, Oraculo quodam ſe in vicino inueniſſe corpuſculum, atque hortati ſunt vt mercedis obtentu eum ſtuderent mandare ſepulchro. Sed, iuxta vocem Prædicatoris egregij, incomprehenſibilis eſt altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Sacerdos ille, qui eius confeſſionem ſuſceperat, dum in exilio erat, ſeptem annorum curriculo pœnitentiam agendam indixerat. Et quia antedicto termino mors immatura præuenit, bis ſepteno annorum ſpatio tranſacto tempore, tum primùm ad illius tumulum diuina virtus effulſit.* Hæc Auctor Paſſionis à Ducheſnio publicatus.

LXII.

Leguntur autem in illa lucubratione, ſicut & in aliis pleriſque, non pauca, quæ ſcripta ſunt aduerſùs Ebroinum ſtomacho nimiùm commoto. Nonnulla conſultò prætermiſimus, & ex ſuprà recitatis quædam etiam minimè probamus, vt cùm Ebroinus *beſtia* & *tyrannus* appellatur. Tomo ſuperiore non ſemel Ebroinum à calumnia vindicauimus. Hic in gratiam Theodorici Regis & in Maioratum domûs Regiæ reſtitutus, quos priùs aduerſarios paſſus fuerat, ſibique nunquam ſuffragaturos ſciebat, in exilium protinus ablegauit. In illorum numero fuit Ragnebertus Radeberti Ducis filius, vir in Neuſtria præpotens, nec inſons haberi debet, ſi de nece Ebroino, poſtquàm in amicitia Theodorici Regis fuit, inferenda conſilium cum quopiam habuit, vt hæc indicare videntur præcitata verba, *cùm hoc ipſe nec prodere vellet crimen, nec denegare facinus.* [VINDICATVR A CALVMNIA.] Auctor tanto in Ebroinum odio abripitur, vt ne famæ quidem Ragneberti parcat. Quis læſæ-Maieſtatis reum non eum dicat, qui vitam alteri velit auferre, quem diligi à Rege ac Magiſtratu donatum eſſe nouerit? Ebroinus, cùm è Maioratu Regiæ domûs excidiſſet, nullum lapidem non mouit, vt quam priùs dignitatem amiſerat, regnante Theodorico recuperaret. Eam iterum adeptus; ne rurſum deturbaretur, quoſcumque cœpit vereri, ſeu Clericos, ſeu laicos, ſub cuſtodia detinuit. In illum Ragnebertus haud coniurauit, ſed in coniurationis ſuſpicionem facilè venit. Hæc exilij neciſque poſt aliquot annos ſubſecutæ cauſa. Ceterùm Ebroinus apud poſteros adeò malè audiit, vt eum ad ollam Vulcaniam damnatum Ado in ſuo Chronico ſic affirmet. *Erat tunc temporis vir oculis cæcatus, vnus de illis, quibus Ebroinus effoderat lumina, in Inſula Lugdunenſis prouinciæ, quæ Barbara * dicitur. Qui cùm nocturno tempore ſuper ripam Sicannæ * fluminis orandi gratiâ reſideret, audiuit nauigantium impetum, & magnâ vi brachiorum contra impetum fluminis inſurgentium. Cúmque interrogaret, quò nauigium illud tenderet, vox in auribus eius percrepuit. Ebroinus, eſt quem ad Vulcaniam ollam deferimus, ibi enim facti ſui pœnas luet. Hoc pondus idem vir audiuit ad conſolationem ſui, vt ſciret quam pœnam perſecutores iuſtorum*

* *Liſle-Barbe.*
* *la Saone.*

FABVLÆ DE EBROINO REIICIVNTVR.

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

ſentirent. Non inficiamur ab Ebroino multa ſceleratè commiſſa, ſed abſit vt deſperemus omnino de ſalute viri Catholici & in Catholica communione mortui, cùm mane ad Eccleſiam die Dominico proficiſceretur. Aliam fabellam idem Ado ſcribit. Ebroinum enim, cùm diſceſſit è Monaſterio Luxouienſi, ſeductum ait *ab ſpiritu mendacij, qui dixerat ei, quod duodeuiginti annis viueret.* Occiſus eſt poſt ſuum è Monaſterio Luxouienſi diſceſſum anno iuxta ſupputationem noſtram octauo, ſed ſecundùm Adonem & alios, qui Clotario Tertio quatuor tantùm annos Principatûs attribuunt, addendi ſunt anni decem, eóque calculo fient anni duodeuiginti, quos à dæmone prædictos fabella finxit.

LXIII. Ebroino fuit vxor Leutrudis, pia fœmina, de qua Tomo ſuperiore non ſemel locuti ſumus. Hoc autem loco non debemus omittere, quod idem Ebroinus, priuſquàm Leutrudem duceret, de Ragenufla ſibi ſocianda cogitauit, cuius elogium Molanus [a] ex Officio propriæ Eccleſiæ ſic contexuit. *Temporibus Dagoberti orta eſt in Brumbazia Haſbaniæ villa ex parentibus genere inclytis & religione Chriſtianis. Quorum nomina fuerunt Ajus & Aja, vt nonnullorum fidelium aſſerunt teſtimonia. Vnde Aii-curtis nomen remanet. Porrò filia à tenera ætate ſenilia exequebatur opera. Vigebant enim in ea affabilitas, temperantia, iuſtitia, longanimitas, eleemoſyna, abſtinentia, patientia, humilitas, manſuetudo, pietas. Erat charitate non ficta, fide robuſta, ſtabilis ſpe. Quam cùm Ebroinus adoleſcens ad connubium poſtularet, & parentes nolentem vrgerent, diémque nuptiarum præſcriberent, illa Chriſti ſponſi ſui amore languens, in eodem propoſito prauias cognatas ſuas, Aldegundem & Gertrudem, ſequi voluit. Vnde inſtante die nuptiarum cum vna ancillula ad vicinæ ſyluæ latibula confugit, optimam cum Maria partem eligens. Cæterùm fidele eius propoſitum Deus compendioſo remuneratus eſt fine, nolens eam diu pondus diei & æſtûs tolerare. Paulò enim pòſt, quæ Angelorum ſtuduerat vitam imitari, eorumdem miniſterio ad cæleſtem ſubuecta eſt paradiſum. Mox autem parentes omnibus cognitis, de commiſſa in eam iniuria pœnitentiam egerunt, & membra honeſtè tumularunt, & proceſſu temporis ſuper tumbam eius Eccleſiam ſuis ædificauerunt ſtipendiis. Quo in loco cuius meriti repoſita habeantur lipſana, frequentibus miraculis oſtendit diuinitatis clementia.* In vulgato Sigeberti Gemblacenſis Chronico hæc ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-tertium legi ſolent, *Virgo Chriſti Reginulfa ſanctitate claret in Gallia*, deſiderantur autem in antiquis exemplaribus, vt ex editione Miræi conſtat. Sancta Ragenulfa * ſeu Reginufla colitur pridie Idus Iulij. *Requieſcit virgineum corpuſculum Aij-curiæ * in Gallica Brabantia, ſed Canonicorum Collegium inde tranſlatum eſt Louanium ad Sancti Iacobi Baſilicam anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo-quarto. Habet autem Ragenufla in Aij-curia fontem, vnde hydropici & alij languentes ſæpiùs remedium acceperunt. Pridie porrò annuæ proceſſionis in feſtis Pentecoſtes incolæ feretrum ad fontem dictum deferunt, & aquas illas, vt plùs efficaciæ merito Ragenuflæ habeant, attactu feretri auitâ cerimoniâ ſanctificant.* Hæc Molanus [b].

[a] D. 14. Iulij n. 5.

RAGENVFLA VIRGO.

* Rainoſſe.

* Eincourt.

[b] D. 14. Iul. n. 5

LXIV. Poſt Ebroini cædem Franci ſeu Neuſtraſij Maiorem domûs Regiæ conſtituerunt Warattonem, qui pacem cum Pippino Auſtraſiam fermè omnem adminiſtrante mox pepigit. Hoc negotium in Geſtis Regum Francorum ita deſcribitur. *Franci conſilio accepto, Warattonem virum inluſtrem in loco eius cum iuſſione Regis Maiorem domûs Palatio conſtituunt. Accepit itaque Waratto inter hæc obſides à prædicto Pippino, & pacem cum eo iniit,* Et in Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta, ſic. *Franci accepto conſilio Waradonem illuſtrem virum loco eius in honorem Maioris domûs conſtituerunt. Idcircò præfatus Warado obſides à Pippino Duce accipiens, pacem inuicem patrauerunt.* Alias pacis conditiones fuiſſe non arbitramur, quàm vt Maiores-domûs eſſent, Pippinus in Auſtraſia, Warado in Neuſtraſia & in Burgundia; vterque verò Theodoricum Regem agnoſceret Ad Pippini ſortem facta eſt acceſſio ciuitatum aliquot Auſtraſianarum, quæ vi coactæ partibus Ebroinianis hactenus adhæſerant. Secuta eſt inde maxima rerum mutatio in Diœceſi Traiectenſi. Pip-

WARADO ET PIPPINVS MAIORES-DOMVS.

pinus enim auctus eâ regione, quam Ebroinus Auſtraſiæ pridem eripuerat, AN. CH.
Lambertum Epiſcopum ab exilio ſtatim reuocauit. In ea ſententia verſantur celeberrimi Scriptores, qui poſteris vitam Sancti Lamberti tranſmiſerunt, docent enim euoluto pſeudo-pontificis Pharamundi ſeptennio redditam fuiſſe pacem Eccleſiæ Traiectenſi, quia necatus eſt Ebroinus, eiectus eſt Pharamundus, ſuæque Sedi reſtitutus eſt à Pippino Lambertus. 681. THEODOR. III. R. 8.

LXV. Apud Anonymum, qui Sancto Lamberto coætaneus vixit, hæc leguntur [a]. *Septem annis expletis, depoſitus eſt Faramundus de Sede Pontificale, & eiectus de prouincia Triiectinſe. Tunc agmina Clericorum, & vulgus populorum, vnâ pariter voce vigente, poſtulabant Deum, vt Paſtorem eorum Domnum Landebertum recepturi eſſent. In illo tempore erat Princeps Pipinus ſuper plurimas regiones & ciuitates ſitas Europæ. Audita * opera beatiſſimi viri, ſub vnius diei articulo, iuſſit eum cum magno honore ad propriam Sedem reuocari.* Anonymum illum Godeſchalcus Diaconus [b] ſic expoliuit. *Poſt ſeptem annos expletos Pharamundus de Sede Pontificali & de prouincia Traiectenſi depoſitus atque repulſus eſt. Tunc agmina Clericorum & vulgus promiſcuum populorum & plebium ſummâ voce & deuotis precibus, vt Paſtorem eorum, id eſt, D. Lambertum reciperent, vnanimes Dominum rogabant. In illo tempore Princeps Pipinus in plurimis regionibus & ciuitatibus Europæ regnans, auditis operibus B. viri, ſub vnius diei articulo, iuſſit eum cum magno honore ad propriam Sedem reuocari.* In illis textibus tria ſunt obſeruanda. Lambertus exulat integro ſeptennio, Pharamundus abdicatur Epiſcopatu, Pipinus Lambertum ſuæ Sedi cum honore reſtituit. Lambertum euoluto ſeptennio Eccleſiæ ſuæ redditum confirmant Stephanus [c], Nicolaus [d], Renerus [e], necnon Anſelmus [f] & Ægidius [g]. Pharamundus, ſi Nicolao fides eſt, ſceleris perurgente conſcientiâ, Cathedram Epiſcopalem, quam malè diù occupauerat, peiùs fugiendo dereliquit, ſicut ſcriptum eſt; *fugit impius nemine perſequente.* At exiſtimamus aſſentiendum potiùs Anonymo, necnon Godeſchalco, Stephano & Renero, qui præuium Anonymum ſecuti ſunt, & Pharamundum iuſtâ ſententiâ non tantùm ab Eccleſia Traiectenſi ſed etiam à tota prouincia eiectum tradiderunt. Lambertum Sedi ſuæ redditum à Pipino ſcripſerunt, præter Anonymum, Godeſchalcus, Stephanus, Nicolaus, & Renerus. Eget hìc Anonymus interpretatione. Principem dixit Pipinum, qui ſeriùs Princeps per adulationem dici cœpit. Hinc occaſionem errandi fecit Stephano, Nicolao & Renero, qui Lambertum aſſeruerunt Eccleſiæ ſuæ reſtitutum fuiſſe, cùm Pipinus ſub Theodorico Rege Maioratum totius Franciæ ſolus obtineret. Meliùs in additionibus ad caput octauum Anſelmi, Lambertus interfecto Ebroino ad Epiſcopatum ſtatim reuocatur. *Euoluto ſeptennio,* inquit Ægidius, *poſt horridam tempeſtatem, factâ in Eccleſia Dei tranquillitate, impiiſſimo Ebroino, qui Franciam diù vexauerat, iuſto Dei iudicio, vt diximus, interfecto, deuotio filiorum Traiectenſis Eccleſiæ, amiſſi Paſtoris damnum ſerò reminiſcitur, tandémque detrectans impiiſſimi iugum ſupplantatoris Pharamundi, qui iam per ſeptem annos oues Dominicas indigniſſimè tractauerat, venerabilem virum Lambertum vehementiſſimè reluctantem, maximo conamine de Monaſterio extractum, ad Epiſcopij Sedem reducunt, exceptúmque egregio, hinc Deo ſeruientium, hinc pauperum Chriſti, triumpho, rurſus in Cathedra Pontificali ſublimant.* Famæ Pipini, Waradonis, aliorúmque Maiorum domûs Regiæ parùm conſulunt, qui Lambertum ab exilio reuocatum affirmant, cùm Pipinus Princeps vniuerſam Franciam ſub Theodorico Rege gubernaret. Pipinus enim apud Auctores, à quibus adulatoriè *Princeps Francorum* vocatur, hunc titulum anno Chriſti DCLXXXVII, menſe Iunio conſequitur. Ab Ebroini cæde ſex anni cum aliquot menſibus effluxerant. Si Traiectum poſt Ebroini necem Auſtraſianæ Præfecturæ mox redditum eſt, cur Pipinus, penes quem erat regimen Auſtraſiæ, Lambertum toto illo ſexennio paſſus eſt exulare? Si ſecus, cur in eiuſdem Lamberti cauſa non æquiores fuerunt Warado, Giſlemarus & Bertharius, qui Maioratum Pa-

[a] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

* id eſt, *auditis operibus.*

[b] Cap. 4.

LAMBERTVS AB EXILIO REVOCATVR.

[c] Cap. 7.

[d] Cap. 9.

[e] Cap. 13.

[f] Cap. 8.

[g] In addit. ad Anſelm.

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

latij Neuſtraſiani per illa tempora geſſerunt? Potiorem fidem ſibi conciliat apud probum iudicem noſtra computatio. Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo extinctus eſt Rex Dagobertus Sigiberti quondam Regis filius, cui poſt longum exilium ex Hibernia reuerſo tota paruit Auſtraſia, ſi Traiectum, Remos, aliáſque perpaucas ciuitates excipias. Eodem anno Martinus & Pipinus Auſtraſianæ militiæ Duces à Theodorico Neuſtraſiæ Burgundiæque Rege profligati ſunt, & Martino per Ebroini dolum interfecto ſumma rerum in Auſtria penes vnum Pipinum fuit. Incunte hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, necatus eſt Ebroinus, qui priuſquàm in gratiam Theodorici Regis veniret, fierétque Maiordomûs in Neuſtria & Burgundia, Traiectum cum aliis nonnullis Auſtraſiæ ciuitatibus occuparat, nec reddiderat Præfectis Auſtraſiæ fruſtrà repetentibus. Succeſſit in Maioratum Warado, quocum ſynceram pacem datis mox obſidibus pepigit Pipinus, recuperatóque Traiecto de reuocando Lamberto Pontifice quamprimùm cogitauit. Perplurimas igitur prouincias & ciuitates Europæ, ſuper quas Pipinum fuiſſe ſcripſit Anonymus, vel in quibus Pipinum regnaſſe dixit Godeſchalcus, intellige Auſtraſiam ſeu Franciam Orientalem, quæ plurimas regiones ac ciuitates trans Rhenum in Germania & cis eundem amnem in Gallia complectebatur, vbi Pipinus Regiam ſub Theodorico Rege Præfecturam exercebat. Ex tot autem Auctoribus, qui literis vitam Sancti Lamberti commendarunt, vnus Nicolaus eum aſſeruit Eccleſiæ ſuæ reſtitutum fuiſſe, cùm beatus Remaclus Stabuleti ſuperſtes adhuc in viuis eſſet, ſed loco Remacli qui pridem obierat, Goduinus Abbas reponi debet.

LXVI. GODVINVS ABB. STABVL. ET MALMVND. PRÆCEPTVM OBTINET A THEODORICO R.

Hic Goduinus ſub idem tempus à Theodorico Rege, cùm vniuerſæ Franciæ Regnum obtineret, curauit bona Monaſteriorum, quibus præerat, iterato Diplomate ſtabiliri, quod ex manuſcripto Codice Bambergenſi ſic edidit Henſchenius [a]. *Theudericus Rex Francorum, vir illuſter. Si petitiones Sacerdotum aut Eccleſiarum prolatas, in quo noſtris auribus rectè popoſcerint, perducimus ad effectum, Regiam conſuetudinem exercemus, & in æternum Dominum retributorem ex hoc habere confidimus. Id notum ſit fidelibus noſtris, quia venerabilis vir Godoinus Abba de Monaſterio Stabulau & Malmundario, quæ ſunt in honore Sanctæ Mariæ & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorum à bonæ memoriæ auunculo noſtro Sigeberto quondam Rege, ob amorem Chriſti, de Foreſte fiſcis noſtris ſuper fluuium Amblauam conſtructa, Clementiam noſtram expoſcit, eò quòd ipſe Princeps pro mercedis ſuæ compendio & retributione æterna, villas aliquas de fiſcis, tam vltra Ligera res proprias quas Domnus Remaglus legitimè poſſedit, quàm exteras per Præcepta ſuâ manu roborata ſub integra emunitate abſque introitu Iudicum conceſſit. Vnde & ipſa Præcepta, ſeu & confirmationes decedentium Regum, memoratus Abba ſe præ manibus habere adfirmat, ſed petiit Celſitudinem noſtram, vt tam id, quod ipſe Princeps Domnus Sigebertus de fiſco ſuo, ſeu de reliquis locis ad ipſa Monaſteria à Chriſtianis hominibus inibi videtur fuiſſe conlatum, & præſentis temporis eorum manet poſſeſſio vel dominatio, vt hoc in idipſum pro noſtris oraculis confirmare deberemus. Cuius petitioni pro reuerentia ipſorum Monaſteriorum, ſeu & conſiderantes Sacerdotium ipſius viri Godoini, vel fidei bonæ reſpectum, quo erga regimen noſtrum fideliter videtur famulari, non ſolùm confirmaſſe, ſed etiam pro mercede noſtra à nouo reconceſſiſſe noſtra comperiat Magnitudo. Præcipientes enim, vt, ſicut conſtat à ſupraſcripto Principe Domno Sigeberto, vel germano noſtro Childerico quondam Rege, ſeu ceteris Chriſtianis hominibus ad ipſa Monaſteria tam villabus, domibus, mancipiis, acolabus, vineis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, cum reliquis beneficiis mobilibus & immobilibus rectè fuiſſe conlatum vel condonatum. Et ex hoc præſenti tempore quieto ordine pars ipſorum Monaſteriorum cernitur dominari. Ita deinceps pro noſtra auctoritate pleniùs in Dei nomine confirmamus tam ſupraſcripta loca, quàm circa ſupradictum Godoinum Abbatem & ſucceſſores ſuos, vel Monachos ibidem conſiſtentes, tam noſtris quàm futuris temporibus inſpectas ipſas auctoritates, antelectos Principes,*

[a] De 3. Dagob. l. 2. c. 17.

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

vel reliqua inſtrumenta, quod ibidem fuit firmatum vel condonatum, ſeu & in anteà iuſtè & rationabiliter fuerit conlatum, ſub emunitatis nomen abſque introitu Iudicum ibidem maneat inconuulſum. Quo fiat vt & nobis ad mercedem pertineat, & ipſos ſeruos meliùs delectet, pro Regni noſtri conſtantia attentius Domini miſericordiam deprecari. Et vt hæc Præceptio firmior habeatur, & per tempora conſeruetur, manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus roborari. In Chriſti nomine Theodoricus Rex ſubſcripſit. Qui Præceptum illud ad Theodoricum Quartum referunt, non ſatis aduertunt in eo Childericum à Theodorico fratrem, & Sigebertum Auunculum, id eſt, Patruum appellari. Prætereà Goduinus Abbas, quem ad ſe venientem Dagobertus Rex Sigiberti filius anno ſui Principatûs quarto, ſeu Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo beneuolè ſuſcepit, in adminiſtrationem Monaſteriorum, vt Notgerus in vita Sancti Remacli teſtatur, *ſucceſſit Sigolino annis & morum maturitate grandæuus*. Erat igitur tum ſenior, quàm vt peruenire potuerit ad tempora Theodorici Quarti, qui poſt annos quadraginta quatuor regnare cœpit. Præfuit Stabuleto & Malmundario annos nouem ſub Auſtraſiæ Regibus Dagoberto Secundo eiúſque ſucceſſore Theodorico Tertio. Plures annos Præfecturæ non attribuunt monumenta Stabulenſia teſtibus Fiſeno [a] & Henſchenio [b].

[a] Paralip. p. 2. in Sigolin.
[b] De 3. Dagob. l. 2. c 17

LXVII. AVDOENVS EP. ROTOMAG. INSIGNE PRIVILEGIVM OBTINET A THEODORICO R.

Hoc anno, cùm Warado ſeu Waratto Maioratum Regiæ domûs gerebat, Theodoricus Rex Audoeno Rothomagenſium Epiſcopo conceſſit inſigne Priuilegium, de quo ſic Fridegodus manuſcriptus. *In illo tempore Regiæ dignitatis culmine Theodoricus inſignis habebatur. Qui venerabilem Pontificem Audoenum non minùs anterioribus Regibus diligens inter reliqua beneficia hoc illi conceßit, vt nullus in parrochia eius Epiſcopus vel Abbas ſiue Comes aut quiſlibet alius iudiciariæ poteſtatis conſtitueretur, niſi quem aut ipſe de ſuis eligeret, aut cui conſtituendo pro vitæ meritis aſſenſum daret. Tunc in Palatio ſupradicti Regis maius dogma retinebat vir illuſtris nomine Waratto.* Vulgatus verò ſic. *Iam verò regnante Theodorico, qui beatum virum non minùs, quam Reges ſuperiores, charum habuit, inter reliqua eius beneficia id ab eo præſtitum eſt Sancto Audoeno, vt in eius parœcia nec Epiſcopus, nec Abbas vel Abbatiſſa, neque Comes, neque alius quiſquam iudiciariâ poteſtate præditus, abſque eius conſenſu rectorem vel ſucceſſorem conſtituere auderet, niſi quem vir ſanctus vel de ſuis vel aliunde pro vitæ merito inſtituere vellet. Erat tum in eius, quem diximus, Regis Palatio, primariâ dignitate vir illuſtris Waratto.* Surius, qui Fridegodum publicauit [c], *ſtylum*, vt ipſemet fatetur, *in gratiam Lectoris paßim nonnihil correxit.* Hæc autem correctio non tam emendatio eſt quàm deprauatio, & occaſionem errandi pleriſque ſubminiſtrat. Vulgati Fridegodi ſenſus eſt. In prouincia Lugdunenſi ſecunda, cuius Metropolis eſt Rotomagus, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Comites ac Iudices, Magiſtratum Officiúmve nemini committant præterquàm ei, quem Audoenus tali munere cohoneſtare voluerit aut conſenſerit cohoneſtari. Sed ſi genuinus Fridegodi textus ex Codice manuſcripto citatus attenditur, Rex aliud elargitur beneficium, ídque multò excellentius, vetat enim ne quis Epiſcopus, Abbas, Comes, aut Iudex in eadem prouincia Lugdunenſi ſecunda conſtituatur præter eum, quem Audoenus aut elegerit aut conſenſerit eligi. Parcimus interpretationibus quas excogitarunt Neoterici, plurimùm enim ab Auctoris mente diſcrepant.

[c] D. 24. Aug.

LXVIII. SCRIBIT PHILIBERTO ABBATI.

Sub idem tempus Audoenus, vt ſimul in pacis concordiam redirent, nuncios direxit ad Philibertum Abbatem, de quo plura dicemus anno ſequenti

LXIX. WANINGVS OBIT.

Si Monaſterij Fiſcanenſis initia rectè collocauimus, obiit hoc anno Waningus, qui præter illud Cœnobium alia multa conſtruxit ac locupletauit. Sacris Faſtis habetur adſcriptus quinto Idus Ianuarias apud Molanum, & ſexto eaſdem Idus in Martyrologio Benedictino. Monachus tamen nunquam fuit, totámque vitam degit in habitu laïco. Primordiis Fiſcanenſi-

AN. CH 681. THEODOR. III. R. 8. bus ſuperſtes vixit annos duntaxat viginti. Falluntur plerique, qui mortuum ſcribunt poſt annum Chriſti triceſimum ſupra ſeptingenteſimum.

LXX. CLAVDIVS EX EP. BISVNTINO FIT MONACH.

Claudius Epiſcopus Biſuntinus, cùm omnia prudentiſſimi vigilantiſſimíque Pontificis munera integerrimè obiret, *anno ſeptimo ſui Epiſcopatûs, diuino amore totus accenſus, totis præcordiis delitias pompáſque huius ſeculi funditus volens relinquere, & Domino fonti viuo pleniùs vacare, cunctis ſtrenuè diſpoſitis, ciuitatem ſuam cum dignitate reliquit, & in Monaſterio S. Eugendi (quod eſt iuxta fines dictæ Diœceſis) omni Clero & populo dictæ ciuitatis renitente ac lacrymis ipſum reuocante (ab Angelo vt ferunt Monachis prænunciatus) deuenit, ibíque habitum vitámque Monachalem arripuit. Reſidens verò in dicto Monaſterio, per omnia vt verus Monachus ſe gerebat. Erat enim in diuina contemplatione ſuſpenſus, in orationibus aſſiduus, in ieiuniis continuus, in vigiliis feruidus, in ſanctis lectionibus & meditationibus præclarus, comedebat & dormiebat vt Monachus, in diuinis verò Officiis peragendis primus omnium Eccleſiam intrabat & vltimus recedebat ſuo ſanctiſſimo exemplo omnes ad perfectionem monaſticam promouebat. Per idem tempus Sanctus Iniurioſus Abbas, vir vtique magnæ ſanctitatis & prudentiæ dictum Monaſterium regebat, qui videns beati viri ſanctitatem ei humiliter præſentauit regimen ipſius Monaſterij, ſupplicando quatenus dignaretur ipſum & oues Domini paſcere & regere, quod vir Sanctus cum grandi manſuetudine renuit.* Hæc Auctor vitæ apud Chiffletium in Veſuntione [a]. Succeſſit in Epiſcopatum Biſuntinum Felix, Infulis Pontificalibus ob improbiſſimos mores indigniſſimus.

[a] Part. 1. c. 24.

LXXI. CALMELIVS APVD LERINVM DIVERSATVR.

Per hæc tempora creſcebat in dies fama Monaſterij Lerinenſis ſub Abbate Rigomiro, de quo non ſemel iam locuti ſumus. Ad illud Cœnobium, cùm Romam proficiſceretur, diuerſatus eſt Calminius ſeu Calmelius, qui Dux Aruernorum priùs extiterat. Miratus eſt inſignem pietatem Monachorum Lerinenſium, nonnullos popoſcit ab Abbate, quibuſcum in patriam rediit, perfectâ peregrinatione, votíſque ad Apoſtolorum limina ritè ſolutis. Abbas Lerinenſis, quem Calmelius adiit, in Chronologia Lerinenſi non alius eſt à Sancto Maximo, qui factus eſt Epiſcopus Reienſis ex Abbate Lerinenſi. Menardus in obſeruationibus [b] ad Martyrologium Benedictinum, vt ſuam opinionem tueatur, fragmentum ex vita Sancti Theofredi cum antiquo Breuiario Lerinenſi fruſtrà citat. Nam Sanctus Maximus qui ſecundum locum in Catalogo Lerinenſium Abbatum obtinet, priùs obiit quàm Lerinus in poteſtatem Francorum veniret, Calmelius autem Eudonem, cui curam Monaſterij Calmeliacenſis à ſe pòſt conditi commiſit, ex Inſula Lerinenſi ſecum adduxit, & eiuſdem Eudonis nepos ex fratre proximúſque ſucceſſor, nomine Theofredus, Martyrio coronatus eſt à Saracenis, quos Eudo ſceleſtiſſimus Aquitaniæ Dux aduersùs Carolum Martellum ex Hiſpania & Septimania euocauit. Nihil igitur conuenientius occurrit, quàm vt Calmelius Rigomiro Abbati Lerinenſi coætaneus aſſeratur.

[b] L. 2. D. 20. Nou. in S. Eudone.

LXXII. CONSTRVIT MONAST. CALMELIACENSE.

Calmelius ex Italia reuerſus in memoriam Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Monaſterium in regione Velaunorum ſiue in territorio Anicienſi ad radices præcelſi montis Moſencij, ex quo fluuius Ligeris effunditur, propriis ſumptibus mox ædificauit, quod à conditoris nomine dictum eſt Calminium, Calmelium, Calminiacum, & Calmeliacum. Illius loci primus Abbas conſtitutus eſt Eudo Monachus antè Lerinenſis, quem Calmelius è Cœnobio Lerinenſi ſecum adduxerat. Eudone mortuo, in eius locum ſuffectus eſt Theofredus nepos ex fratre, Abbas ac Martyr inſignis, cuius nomine pòſt aſſumpto, quod antè Calminium, Calmelium, Calminiacum & Calmeliacum nuncupabatur, Monaſterium Sancti Theofredi vocari cœpit atque etiamnum appellatur, vulgò *Sainct Chaffre.* Vtramque nuncupationem attigit Anonymus in vita Sancti Calminij, cuius fragmentum ex Codice Mauziacenſi iam publicatum accipe [c]. *Cùm in Ducatûs officio vir inſignis Calminius honeſtè ſe ageret, & pauperibus erogans, quod ſuum erat, miſericorditer ſe*

[c] Tom. 4. Gall. Chriſt. in Abbat. S. Theofred.

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

haberet, ſubiit diuina cogitatio mentem eius, vt theſauri ſui reſiduum liberaliter expenderet in opere Dei, diſpoſuit ſecum in animo, vt Eccleſias dedicandas ſuo ſumptu conſtrueret, vbi Deo ſeruientibus quotidiani victûs ſtipendia ex propriis redditibus miniſtraret. Animatus diuino ſpiritu beatus Calminius in Epiſcopatu Anicienſi locum, qui dicitur Sancti Theofredi, ædificauit à fundo, & effectu operis mirabiliter conſummans, quem locum rebus & redditibus vir Domino deuotus adornans, Eccleſiam illam & habitationem eius ſufficientibus eorum victui ſtipendiis cumulauit, inſtaurauit locum, redditus ampliauit, & ornamenta Monaſterio congrua verâ liberalitate dilargiens, ſupradictum locum conſummatum reddidit & perfectum. Vt autem hic locus operis ſui memoriam & vocabuli quoque conſortium obtineret, Monaſterium illud Calminiacum vocauit, vt quod fundauerat ſuâ induſtriâ, ſuo labore perfecerat, ſui nominis memoriale poſteritati ſequentium offerret.

LXXIII.

Erecto Calmeliacenſi Monaſterio & Eudone illic primo Abbate conſtituto, Calmelius in Aruerniam interiorem ſe recepit, ibíque nouum extruxit Cœnobium, vt Menardus [a] in Eudonis encomio & Sauſſaius [b] in ipſius Calmelij Natali teſtantur. Recentius hoc Monaſterium non aliud eſt à Mauziaco * prope Ricomagum in Aruerna Diœceſi, quod regnante Theodorico in honorem Sancti Petri & Sancti Capraſij à Calmelio eiúſque vxore conditum eſt, vt indicant literæ Pipini Regis, quas ex Codice autographo Ioannis Sauaronis ediderunt [c] Sammarthani. Fragmentum duntaxat recitabimus, quo ſupradicta comprobari poſſint. *Fideles*, inquit Pipinus, *ſanctæ Matris Eccleſiæ Mauziacenſis noſtri Monaſterij, quod antiquitus nouimus conſtructum à nobiliſſimo Senatore, nomine Calminio, quem prauitas malorum hominum de priſtino honore iam iámque magna ex parte à ſuo deiecerat, & Eccleſias ac villas ampliſſimáque dona, quæ in eodem ſupradictus vir ac eius vxor nomine Namadia dereliquerant, cum authoritate glorioſiſſimi Regis Theoderici, quæ ſub ſigillo eius ſignata inuenimus*, &c. In exemplari Mauziacenſe Monaſterium dicitur *conſtructum à nobiliſſimo Senatore Romanorum, nomine Calminio*, ſuſtulimus vocabulum *Romanorum*, quia in Francia Senatorem Romanorum nemo ſe dicebat. Calminium ſeu Calmelium ex Senatorio apud Aruernos genere oriundum lubenter fatemur, ſed alij erant Romani Senatores, alij Senatores Aruerni, nec Calminius, etſi genus ſuum ab antiquis Senatoribus Romanis fortè repeteret, Senator Romanus appellari debuit regnante in Aruernia Thodorico Francorum Rege. Tres hactenus Theodoricos Francorum Reges diſtinximus. De poſtremo, qui poſt Childericum fratrem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio regnare cœpit, intelligenda eſt charta prælaudata, quæ Clodoueum Regem, huius videlicet nominis Tertium, filium eius ita conſtituit. *Petentes denuò auctoritatem noſtri Præcepti veluti ab anteceſſoribus, Theuderico ſcilicet atque eius filio Clodoueo*, &c. Idem Monaſterium paulò inferiùs in honorem *Sancti Petri Apoſtoli, paritérque Sancti Capraſij Martyris* erectum aſſeritur. Calmelius Principem Apoſtolorum maximâ ſemper veneratione proſecutus eſt, ídque duabus rebus euidentiſſimè ſignificauit, peregrinatione ad limina Apoſtolorum ſuſceptâ, & Calmeliacenſi Monaſterio in memoriam Sanctorum Petri & Pauli conſtructo. Capraſium Martyrem in Gallia non agnouimus præter eum, qui Martyrium Aginni ſub Maximiano conſummauit, vt Eccleſiaſticæ Tabulæ decimo-tertio Kalendas Nouembris affirmant. De Sancto illo Martyre à nobis aliâ occaſione iam actum Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-primum [d]. Floruit alius Capraſius in Lerino Inſula, quem eædem Tabulæ Kalendis Iunij ſic commemorant. *In Monaſterio Lirinenſi, Sancti Capraſij Abbatis.* Porrò cùm Calmelius Mauziacenſis Monaſterij fundamenta non antè poſuerit, quàm ex Inſula Lerinenſi reuerſus ſit, vbi poſterior hic Capraſius diu degit obiítque, ſuſpicamur Cœnobium illud conſtructum fuiſſe in honorem Sancti Capraſij Lerinenſis, & ex Pipini charta vocem *Martyris*, quæ Capraſio Lerinenſi minimè conuenit, expungendam eſſe. Semper habitus eſt ha-

[a] L. 2. Obſeru. d. 20. Nou.
[b] In Martyrol. Gall. d. 22. Nou.
* *Mauzac. lez Riom.*
[c] To. 4. Gall. Chriſt. in Abbat. Mauziac.

ET MAVZIACENSE.

[d] Num. 11.

S. CAPRASIVS NON FVIT ABBAS LERINENSIS.

Digitized by Google

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

betúrque Capraſius Lerinenſis inter tutelares illius Inſulæ Patronos, Sanctum Honoratum erudiuit in Oriente, cum eo venit in Lerinum Inſulam, ibíque mortuus eſt valdè ſenex. Primus Abbas Lerinenſis à multis numeratur, ab aliis rectiùs appellatur Aſceta ſeu Monachus Lerinenſis. In Monaſterio Lerinenſi vixit ſub Sancto Honorato illius loci conditore ac primo Abbate, necnon ſub Sancto Maximo, Sancti Honorati ſucceſſore. Hæc conſtant ex libello, quem beatus Eucherius ad Hilarium tunc Monachum Lerinenſem de laude Eremi ſcripſit, cùm Honoratus ex Abbate Lerinenſi factus eſſet Epiſcopus Arelatenſis, Maximus in adminiſtrationem Cœnobij Lerinenſis eidem Honorato ſucceſſiſſet, & Capraſius Aſceta Lerinenſis in viuis ſuperſtes adhuc exiſteret. *Equidem*, inquit Eucherius, *cunctis Eremi locis, quæ piorum illuminantur ſeceſſu, reuerentiam debeo, præcipuo tamen Lerinam meam honore complector*, &c. *Aquis ſcatens, herbis virens, floribus renitens, viſibus odoribúſque iucunda Paradiſum poſſidentibus ſe exhibet, quam poſſidebunt. Digna quæ cæleſtibus diſciplinis Honorato auctore fundata ſit, quæ tantis inſtitutis tantum nacta ſit Patrem, Apoſtolici ſpiritûs vigore & vultûs honore radiantem. Digna quæ illum ſuſcipiens ita emitteret, digna quæ præſtantiſſimos alat Monachos & ambiendos proferat Sacerdotes. Hæc nunc ſucceſſorem eius tenet Maximum nomine clarum, quia poſt ipſum meruit adſciri. Hæc habuit reuerendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Beniamin lupum retulit. Hæc habuit germanum eius Vincentium, interno gemmam ſplendore perſpicuam. Hæc nunc poſſidet venerabilem grauitate Capraſium veteribus Sanctis parem.*

LXXIV. EVTERIVS PRIMVS ABBAS MAVZIACENSIS.

In Diplomate Pipini iam citato primus Abbas Mauziacenſis vocatur Euterius, & Calminius eiúſque coniux Namadia plurimùm commendantur, quòd *Abbati Euterio totíque Congregationi Sancti Petri pariterque Sancti Capraſij* multa bona *pro remedio animarum ſuarum* conceſſerint. Atque inde colligimus eos hallucinari, qui Calminium priuſquàm Cœnobium Mauziacenſe conſtrueret in Calmeliacenſi Monaſterio Monachum conſtituunt. Calminius, vxore vel annuente vel antè mortuâ, monaſticen amplexus eſt in Cœnobio Mauziacenſi ſub Euterio Abbate. Quot annos ibi vixerit, manet incompertum. Obiit decimo Kalendas Decembris, quo die nomen illius adſcribitur Martyrologio Gallicano cum hoc encomio. *Ipſo die, in Aruernia, Sancti Calmelij Confeſſoris. Qui nobilitate clarus, opibus potens, ac pietate inſignis, cingulo militiæ poſito, ſæculi repudium, & Chriſti cui ſe deuouerat obſequium, à peregrinatione quam fecit ad limina Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli inchoauit. In quorum honorem in regione Vellaunorum ad radices montis Monſencij agri Anicienſis, Monaſterium ædificauit, vbi adiunctis ſibi ſociis aliquot diſtrictam vitæ rationem ſecutus eſt, ſub ductu Sancti Eudonis, quem à Sancto Maximo Lerinenſi petierat atque ſuſceperat ſui & aſſeclarum rectorem, qui Monaſterium ſummâ religione gubernans alumnos ad perfectæ vitæ obſeruantiam perduxit. Ceterùm Calmelius ſanctum vt inſtitutum, quo à tam excellenti pædagogo imbutus erat dilataret, interiori in Aruernia nouum Monaſterium conſtruxit, vbi vitâ ſanctiſſimè peractâ, ſui zeli ac indefeſſi laboris pro Chriſti honore & animarum acquiſitione ſuſcepti, emeritam obtinuit à iuſto Domino mercedem.*

CALMELIVS FIT MONACHVS.

LXXV. Duo ſunt in hoc elogio næui, de quibus iam ſuprà. Calmelius in Calmeliacenſi Monaſterio, quod in Epiſcopatu Anicienſi conſtruxit, Monachum ſub Eudone Abbate non induit, ipſúmque Eudonem non à Sancto Maximo Abbate Lerinenſi ſed à Rigomiro illius loci Abbate multò recentiore poſtulauit obtinuítque. Grauiùs adhuc peccat, nec ſibi conſtare videtur idem Auctor in Appendice ad prædictum Martyrologium ſub litera C; vbi de Sancto Calmelio ſeu Calminio ſic loquitur. *S. Calminius ciuis Aruernenſis fundator Monaſterij Calmelienſis in Vellaunorum finibus, vir præclara ſanctimonia. Cuius ſynonymus & conſanguineus Aruernenſis Senator, ſtudiis ac officiis pietatis eidem æqualis Muſiacenſe Monaſterium Ricomagenſi vrbi penè contiguum primitus inſtituit & condidit, regnantibus filiis Clodouei Magni Galliarum Auguſti.*

Duos

Digitized by Google

Duos ibi diſtinguit Calminios ſeu Calmelios, quorum alterum Monaſterij AN. CH.
Calmelienſis in Epiſcopatu Anicienſi, alterum Cœnobij Muſiacenſis ſeu 681.
Mauziacenſis in Aruerna Diœceſi conditorem agnoſcit, deinde Monaſte- THEO-
rium Mauziacenſe conſtructum affirmat regnantibus in Francia Clodouei
Magni filiis, eóque calculo Theodoricum Tertium, Clodouei Secundi fi- DOR. III.
lium ac Clodouei Tertij patrem, qui poſt obitum Childerici fratris, anno R. 8.
Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, Regnum ſuſcepit, confundit cum
Theodorico Primo, Clodouci Magni filio, qui poſt patrem anno Chriſti
quingenteſimo vndecimo regnare cœpit. At vnus idémque Calminius ſeu
Calmelius ambo Monaſteria, Calmeliacenſe videlicet & Mauziacenſe, con-
ſtruxit, ídque regnante Theodorico Tertio factum liquet ex vitis Sancto-
rum Eudonis & Theofredi Abbatum Calmeliacenſium cum Pipini Diplo-
mate ſuprà citatis, licèt certò deprehendi non poſſint anni, quibus illa Mo-
naſteria vel inchoata ſunt vel confecta. Regnauit Theodoricus Tertius an-
nos vndeuiginti vitámque clauſit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-
ſecundo.

De primo Cœnobij Mauziacenſis Abbate, præter Euterij nomen, quod LXXVI.
in Diplomate Pipini Regis occurrit, nihil legitur. Plura de Eudone Mo-
naſterij Calmeliacenſis primo Abbate referuntur. Eudo fuit ex Colonia
Auroſiorum * oriundus nobilibus parentibus. Incunte adoleſcentiâ Mo- * *Orange.*
naſticen in celebri Monaſterio Lerinenſi profeſſus eſt, inde cum ſociis ali- EVDO PRI-
quot in Diœceſim Anicienſem adductus eſt à Calmelio, Calmeliacenſe Mo- MVS ABB.
naſterium adhibitâ ſummâ curâ gubernauit, illius loci Monachos ad per- CALMELIA-
fectum vitæ genus perduxit, & ſub Regula Lerinenſi quandiu in corpore vixit CENSIS.
æterno Regi viriliter militauit. Fratrem habuit nomine Theofredum, qui
Sancti Theofredi Martyris pater extitit. Colitur duodecimo Kalendas De-
cembris in Martyrologiis Gallicano & Benedictino. Lege ad illum diem
Sauſſaium & Menardum necnon Barralem in Chronologia Lerinenſi, cau-
tè tamen, ne pleraque te fallant menda, quæ in iſtis Auctoribus corrigen-
da eſſe non ſemel monuimus.

Hoc anno, Theodorici Regis octauo, Sanctus Siuiardus migrauit ad LXXVII.
Deum Kalendis Martiis, quo die nomen eius legitur in Martyrologio Ro- SIVIARDVS
mano. Preſbyter erat & Abbas Aniſolenſis, *natus in pago Cenomanico, in pa-* ABB. ANI-
rochia Deablentica, nobilibus ac piis parentibus, patre *Sigiramno*, matre *Addâ*. SOLENSIS
Vitam eius ab Auctore contemporaneo ſcriptam conſule apud Bollandum [a]. MORITVR.
Non deſunt qui mortem Sancti Siuiardi reiiciant in annum octauum Theo- [a] D. 1. Mart.
dorici Kalenſis. At ſequi maluimus Coruaiſierum & Bondonnetum, qui
res Cenomannicas in literas accuratiùs ex profeſſo retulerunt. In eadem ſen-
tentia verſatur Bollandus. De proximis Sancti Siuiardi ſucceſſoribus nihil
occurrit. Eius deceſſor videtur idem fuiſſe qui pater Sigiramnus. Auctor
enim vitæ ſuprà laudatæ de ipſius Siuiardi promotione ad Abbatialem dig-
nitatem ſic loquitur. *Poſt genitoris ſui S. Sigiramni deceſſum, fratres ex Aniſolen-*
ſi Monaſterio elegerunt ſibi praeſſe optimum Paſtorem. Huiuſce Sancti Sigiramni,
ſeu Sigiranni nomen Martyrologio Gallicano adſcriptum reperitur pridie
Nonas Decembris.

Quod autem Coruaiſierus & Bondonnetus Sanctum Siuiardum ſub Ai- LXXVIII.
gliberto Epiſcopo Cenomanenſi ſucceſſore Berarij floruiſſe volunt, id nobis BERARIVS
minùs placet, quia Berarius Sancto Siuiardo ſuperſtes aliquot menſibus vi- EP. CENO-
xit. Sanctus Hadoindus, vt ſuo loco probauimus, obiit decimo-tertio Ka- MAN. OBIT.
lendas Februarias, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto. Suc-
ceſſit Berarius *. At ſuper annorum numero, quos hic in Pontificatu tranſe- * *Berar.*
git, triplex occurrit opinio. Apud Sauſſaium [b] Eccleſiam Cenomanenſem [b] In Martyrol.
omni ſollicitudine ac ſanctimoniâ regit *annis triginta ſeptem*. Apud Coruai- Gallic. d. 17.
ſierum, qui manuſcriptum Codicem citat, annos ſedet triginta quinque, Octobr.
menſes quatuor, & dies aliquot. Apud Bondonnetum, qui libro Pontificali

AN. CH. 681. THEODOR. III. R. 8.

nititur, Epiſcopatum piè gubernat annis duntaxat ſex ac viginti menſibúſque circiter duobus. Vixit igitur Berarius ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum ex Sauſſaij calculo; ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum ex computo Coruaiſieri; ad hunc vſque annum, Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum ex ſupputatione Bondonneti. Poſtremam ſententiam lubenter amplectimur, quam præualidè confirmabunt anni ſubſequentium Pontificatuum. Colitur Sanctus Berarius ſextodecimo Kalendas Octobris, qui dies obitûs fuit, ergo beato Abbati Siuiardo ſuperuixit ſex menſes cum dimidio. *Floruit vltimo tempore Clodouei Regis filij Dagoberti, & tempore Clotarij atque Theodorici filiorum eius qui fuerunt Francorum Reges.* Ita Codex manuſcriptus, quem Coruaiſierus & Bondonnetus legerunt. At Clodoueo, Clotario ac Theodorico ſupradictis adde Childericum Secundum & Theodoricum poſt eiuſdem Childerici mortem Regno
* *S. Martin de Pontlieue.* reſtitutum, vt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum aſſequaris. Obiit Sanctus Berarius in agro Burdigalenſi, in loco cui nomen *Bannech*,
ERECTIS PRIVS MVLTIS MONASTERIIS. tranſlatus eſt in Diœceſim Cenomanenſem ſepultúſque apud Pontileugam* in Eccleſia Sancti Martini, quam inſtaurarat. Munificus fuit erga complures Baſilicas. Præter Monaſterium Sanctæ Scholaſticæ, de quo ſuprà, conſ-
* *Caledon.* truxit alia duo Cœnobia puellaria, Caladunum * & Tuffiacum *. Cala-
* *Tuffé.* dunum partim propriis ſumptibus, partim liberalitate Grodegarij Ducis condidit in *pago Cœnomanico, in condita Diablentica* in honorem beatiſſimæ Virginis ac Principis Apoſtolorum. Primam illic Abbatiſſam præfecit Caligbertam, cui duo quoque vicina ſubiecit Monaſteriola, Buſogilum & Priſcoſiccimum. In Caligbertæ Abbatiſſæ diſciplinam ſe tradidit Chrodieldis prælaudati Grodegarij filia, quæ poſteà Caligbertæ ſucceſſit. Tuffiacum nomen à loco traxit, quem Eccleſiæ Cenomanenſi Loppa prædiues matrona tradidit. Ibi Berarius Eccleſiam ac Monaſterium extruxit, cui Loppam ipſam cum Abbatiſſæ titulo præeſſe voluit; addidit & Cœnobiolum, in quo Preſbyteros collocauit, qui Monialibus Eccleſiæ Sacramenta miniſtrarent; vtrique loco multa dona teſtamento legauit. Quæcumque autem erexit Monaſteria, ſuæ Sedi & matri Eccleſiæ cui præſidebat, vt de Cœnobio
[a] Ad an. 673. n. 19. Sanctæ Scholaſticæ iam obſeruauimus [a], ſubiecta in perpetuum fore cenſuit, & ſuis ſucceſſoribus ac Matris Eccleſiæ Sacerdotibus ceteríſque Canonicis perpetualiter poſſidenda dereliquit.

LXXIX. * *Engilbert.* SVCCEDIT AIGLIBERTVS. Sancto Berario in Epiſcopatum Cenomanenſem ſucceſſit Aiglibertus*, hic in manuſcripto Codice, quem Coruaiſierus ſæpè laudat, vixiſſe dicitur *temporibus Childerici Secundi & Theodorici Primi, Regum Francorum, filiorum Clodouei Secundi, filij Dagoberti circa annum ſexcenteſimum octogeſimum.* At ſedere cœpit anno poſt Childerici Secundi mortem octauo, & Thodorico eiuſdem Childerici fratri ac ſucceſſori multos annos ſuperſtes vixit, ad annum enim ſui Pontificatûs triceſimum-quintum peruenit.

LXXX. EPISCOPI ALETENSES. Obiit hoc anno Guibertus Aletenſis Epiſcopus, cùm duos duntaxat annos ſediſſet. Succeſſit Hamon. Lege Armoricam Sanctam.

LXXXI. TARVANNENSES. Obiit & hoc anno Drancius Taruannenſis Epiſcopus decimo Kalendas Septembris. Succeſſit Bainus de quo plura inferiùs. Lege quæ Tomo ſuperiore poſt obitum Sancti Audomari dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum [b]. Conſule & apud Malbrancum Chronologiam Tomi primi de Morinis.
[b] Num. 7.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 682.
THEODORICI III. R. 9. 2.

ANno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo Philibertus Abbas Gemmeticum rediit, cùm in Diœceſi Pictauienſi per annos octo & ampliùs exulaſſet. *Ingreſſus eſt namque Gemmeticum ſuæ egreſſionis anno peracto octauo, incipiente nono*, vt loquitur Ermentarius, qui poſtquàm Ebroini mortem recenſuit, de qua nos anno ſuperiori, ſtatim de concordia inter Audoenum Rotomagenſem Epiſcopum & ipſum Philibertum inita déque reditu Philiberti ſic diſſerit. *Cœpit Sanctus Spiritus Sancti Audoeni præcordia charitatis lampade inflammare in tantùm vt ipſe pro beato Philiberto miſſos dirigeret, quatinus ſimul in vera pacis concordia ſe videre deberent. Quo facto ſuum recepit Cœnobium. Gratulabatur namque tota Neuſtria de tanti viri præſentia, obuiam Monachorum turba cum laudibus & Reliquiis eſt egreſſa, ſicque Sanctum Dei infra propria receperunt clauſtra Cœnobij. Cumque duo pariter Sacerdotes inclyti viri, velut duo lumina mundi, Audoenus & Philibertus conueniſſent in vnum, veniam mutuò poſtulantes, inuicem manus & corda exoſculantes ita glutinati ſunt in vinculo caritatis, vt numquam poſteà diuiſi à compage cordis fuiſſent.* Et paucis interiectis. *Cùm firma charitas inter ipſum & Domnum Audoenum perſiſteret, conuenit apud eos, vt vbi Domnus Philibertus volebat, perſeuerare deberet, & in alio de ſuis Monaſteriis loco deputare Rectoris præſentiam, quia per longinqui itineris ſpatia ipſa Cœnobia inter ſe erant diſtantia.* Elegit autem Gemmeticum, quò poſteà eius inuiſendi causâ perrexit Anſoaldus Pictauenſis Epiſcopus, vt ex eodem Auctore ad annum ſequentem dicturi ſumus. I.

PHILIBERTVS REDIT GEMMETICVM.

Hucbaldus narratâ viſione quâ tranſitus Sancti Amandi oſtenſus eſt Aldegundi, paulò pòſt in eiuſdem Aldegundis vita ſermonem conuertit ad mortem Huntberti Abbatis Maricolenſis, tum ad obitum ipſiuſmet Aldegundis. Sanctam Aldegundem biennio poſt Sanctum Amandum mortuam tradunt Bucherius in Chronico Epiſcoporum Traiectenſium, & Vinchantius in Annalibus Hannonicis. At neuter obſeruauit eam ex hac vita diſceſſiſſe die Sabbati, id eſt, anno quo dies Ianuarij triceſimus in Sabbatum incidit, & litera Dominicalis C per menſem Ianuarium cucurrit. Hinc colligimus Aldegundis obitum, qui tertio Kalendas Februarij contigit, reiiciendum in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, qui biſextilis fuit, & literas Dominicales habuit C ante intercalationem biſexti & B poſt intercalatum biſextum, eóque nixi computo coniectamus hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, collocandam eſſe Sancti Huntberti mortem, de qua ſic Hucbaldus. *Studioſiſſima diuinæ legis* Aldegundis *indeſinenter eſuriens verbo cæleſti ſatiari, virorúmque ſanctorum ac religioſorum vitam cupiens imitari, B. Humbertum apud Maricolas * habitantem, virum in ſanctitate magnificum, illuſtratum ſcientiâ diuinæ Scripturæ, ſignum Crucis ab Angelo impreſſum geſtantem in vertice, virgo prudens viſitauerat; pabulo diuini verbi per aliquot dies affluentiâ oris eius epulata, cum illo circa vicina Monaſterij quadam vice deambulabat, ſed æſtuante feruore Dei cùm penè ſibi deficeret, orante viro Dei cum ipſa virgine, fons illicò dulcis è terra nouus emanauit, virgo reficitur, fons vſque in præſens non deficit. Beatus autem Humbertus depoſitionis ſuæ diem prænoſcens, lineas veſtes ad vſus exequiarum ſuarum ab ipſa virgine poſtulauit, propter quas dum mitteret deferendas, miſſus alter à virgine præſaga futuri, legato beati viri in medio itinere cum veſtibus poſtulatis occurrit.* Obiit Sanctus Huntbertus II.

HVMBERTVS ABBAS MARICOLENSIS OBIT.

* *Maroilles.*

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

octauo Kalendas Aprilis, quo die colitur à Maricolenſibus. Euangelium Antuerpiæ prædicaſſe traditur, Epiſcopus vocatur à nonnullis, eo ſcilicet modo quo Laubium ad infidelium conuerſionem Epiſcopos ſimúlque Abbates, Vrſmarum, Erminum & alios habuit.

III. *Erat in illo tempore*, vt in Geſtis Regum Francorum vetus Anonymus [a] teſtatur, *memorato Warattoni* Maiori domùs Regiæ *filius efficax induſtriúſque, fero animo & acerbis moribus, inſidiator patris ſui, eúmque ab honore generoſitatis ſupplantans, erátque nomen eius Giſlemarus. Cui beatus Audoenus Epiſcopus prohibuit, ne hanc nequitiam contra patrem ſuum inferret. Quod ille audire contempſit, fuerúntque inter ipſo Giſlemaro & Pippino bella ciuilia & multæ diſcordiæ.* Suffragatur Auctor [b] Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ, ſubiungítque Pipini copias à Giſlemaro fraude ac periurio deceptas oppreſſáſque fuiſſe apud Manucum caſtrum, quod vulgò Namucum * appellatur. *Erat*, inquit, *id temporis memorato Waradoni filius valdè efficax atque induſtrius, eruditus in conſilio, qui vice patris curam Palatij gerebat, nomine Giſlemarus, qui ob nimiam calliditatem ac ſagacitatem patrem ab honore proprio ſupplantauit. Quem Sanctus Audoenus Epiſcopus ſæpiùs ob hoc increpabat, vt ad pacem vel patris indulgentiam remearet. Qui audire renuit, & in duritia cordis permanſit. Fuerunt igitur inter Pippinum & præfatum Giſlemarum diſcordiæ multæ, bella ciuilia plurima. Nam ad caſtrum Manucum contra hoſtem Pippini Ducis Giſlemarus conſurgens, fraudulenter falſo iuramento dato, quamplurimos eorum nobiles viros occidit.*

a Cap. 47.

GISLEMARUS MAIORDOMUS.

b Cap. 98.

* *Namur.*

PIPINI COPIAS FRAUDE INTERCIPIT.

IV. Anonymus, qui nono ſeculo vitam Sancti Leufredi compoſuit, & Fridegodus, qui decimo ſeculo vitam Sancti Audoeni publicauit, de Cruce ab ipſomet Audoeno in aëre viſa miram narrationem ineunt, ſed neuter indicat tempus quo tale prodigium contigit.

CRUX A S. AUDOENO IN AERE VISA.

V. Fridegodus ſermonem ad hoc miraculum conuertit captâ occaſione, quòd inceperit de Cœnobiis ab Audoeno conditis verba facere. *Quia, in Cœnobiorum mentionem incidimus, opportunum arbitramur, vt quemadmodum locus, qui nunc Crux Sancti Audoeni dicitur, primitus ei oſtenſus eſt, hoc loco commemoraremus.*

VI. Anonymus ait viſionem illam oſtenſam Audoeno Clippiacum pergenti, deinde ſic obſeruat Audoenum Clippiaci deceſſiſſe. *Iter quod cœperat proſecutus eſt, ipſóque itinere perductus eſt ad prædium, quod vocatur Clippiacus. In quo finem vitæ præſentis accepit, & ad aulam Regni cœleſtis tranſlatus, vitam æternam eſt adeptus.* Ex illo contextu recentiores colligunt Crucem ab Audoeno viſam in aëre, cùm ex Auſtraſia Clippiacum rediret paucis ante mortem diebus. At repugnat ſitus loci, qui nec Coloniâ nec Viroduno Clippiacum eunti occurrit. Prætereà teſte Fridegodo Crucem in aëre conſpexit Audoenus, *cùm tempore quodam parochiam ſuam prædicando perluſtraret.* Id igitur miraculi non incidit in peregrinationem, quam Audoenus poſtremo vitæ ſuæ anno ſuſcepit, vt bellum inter Auſtraſios ac Neuſtraſios exortum componeret.

VII. Agemus anno ſequenti de Sancti Audoeni morte, cui præmittemus hoc loco narrationem prædictæ viſionis Auctore Anonymo iam laudato. *Cùm vir Domini Audoenus Rothomagenſium Antiſtes, Spiritu Sancto plenus, diuerſas prouincias peragrans, verbum Dei diſſeminaſſe non ceſſaſſet, iámque graui ſenio confectus equitare non valeret, vſus eſt vehiculo, in quo iacentem eum duo muli vehebant. Quodam igitur tempore cùm ſic incederet, accidit vt tranſiret per vallem illuſtrem iuxta fluuium Aucturam *, vbi via erat ab Occaſu in Orientem. Porrò alia via ducebatur à Meridie in Septentrionem. Dúmque ſuper ipſum locum, vbi viæ in ſimilitudinem Crucis iungebantur, vehiculum Sancti viri perueniſſet, illicò tanquam terrore diuino animalia ſubſtiterunt, nec à loco moueri potuerunt. Tunc vir Domini non abſque myſterio rem tantam fieri ſentiens, familiare cum Domino ſecretum iniit. Et ecce reſpiciens in cælum vidit ſignum ſanctæ Crucis miro fulgore radians. Statímque animaduertit vir Deo plenus, reſplendente cælo ad terram, & terrâ ad cælum, quod locus ille futuris temporibus Crucifixi Domini Ieſu Chriſti veros cultores habiturus eſſet, qui Crucis mortificationem in corde & in corpore ſuo eui-*

* *Eure.*

Digitized by Google

AN. CH. 682.
THEODOR. III. R. 9.

denter geſtaturi eſſent. Tali igitur viſione glorioſus Domini Pontifex lætificatus iuſſit ſibi afferri lignum, vnde ſignum ipſius viuificæ Crucis effigiare poſſet. Sed cùm miniſter non inueniret, à ruſtico quodam in eodem loco terram arante, partem ſtimuli pretio comparauit, de qua vexillum Crucis figurauit, & ceſpite congeſto deſuper illo compoſuit, Sanctorúmque Reliquias ibidem colligauit. Quo facto iter quod cœperat proſecutus eſt. Ipſóque itinere perductus eſt ad prædium quod vocatur Clippiacus, in quo finem vitæ præſentis accepit, & ad aulam Regni cæleſtis tranſlatus, vitam æternam eſt adeptus. Locus autem ſupraſcriptus crebris miraculis reſplendebat, itaut aduentantium illuc miſerorum multitudo priſtinæ ſanitati reſtitueretur. Quin etiam continuis noctibus nubes ſplendidiſſima ſuper ipſum locum videbatur, pertingens à cælo vſque ad terram. Vicinis ergo in circuitu commanentibus tantæ rei nouitate ſtupefactis, quidam eorum caſulam horrei ſui ſuper pignora Sanctorum, quæ præfati ſumus, ſtabilire curauit. Hunc denique locum vir Dei Leufredus poſt aliquot annos deceſſionis Sancti Audoeni Archiepiſcopi inuiſere ſtatuit. Viſóque loco, amœnitate eius, eò quòd eſſet aquarum nemorúmque & vinearum fertilitate iocundus, miraculorum quoque prodigiis, quæ ibi fiebant, plurimùm lætificatus domum ſacram Domino Deo ibi conſtruere accelerauit, vt dicemus ſuo loco.

BERLENDIS ODELARDVM PATREM SEPELIT,

VIII. Odelardus Comes, de quo ſæpè ſermonem fecimus, hoc anno viuere deſiit. Id aliâ occaſione ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [a] iam probauimus. Berlendis eius filia Monaſticam vitam in Cœnobio Morſellenſi tunc agebat, quod ante biennium à Friſiis dirutum ac combuſtum fuerat, & à Monialibus, quia modicæ facultates ſupererant, tenui modo reparabatur. Audiuit animam patris ab Angelis cantantibus in cælum deferri, ſtatímque vt illum ſepeliret, annuente Abbatiſsâ Merbeccam perrexit. Audiendus Auctor [b] vitæ. *Contigit eandem virginem in loco, qui dicitur Morſella, in Cœnobio beatæ Dei Genitricis Mariæ, ſacri velaminis habitum ſuſcipere, & multorum annorum curriculo cælibem vitam ducere. Cùm ergo eſſet eadem Virgo in Cœnobio, ſanctis operibus ſummo certamine inuigilans, cuiuſdam noctis medio, pulſante matutinali ſigno audiuit voces ſanctorum Angelorum in cælum animam patris ipſius cum canoro iubilo deferentium.* Et paulò poſt. *Tantæ ſuauitatis dulcedine, modulationíſque lenitate ſupra ſe velut in exceſſum mentis erecta, intentis in cælum auribus lætitiâ tam beatæ refectionis refecta, interrogabat aſſiſtentem ſibi famulam, ſi quæ audiebat audiret, & quæ intelligebat intelligeret. Quæ cùm illa minimè ſe audire vel intelligere reſponderet, intimauit ei beata Virgo animam patris ſui corporis nexibus ſolutam pro tribulationum patientia coronari, & à pſallentibus Angelis in altum deferri. Acceptâ itaque Cœnobita Domini licentiâ à Matre Monaſterij, ad ſepeliendum Patrem ſuum Merbeccam adiit, & in Eccleſiola, quam in honore beati Petri ipſe ædificauerat, iuxta vxorem ſuam, matrem eiuſdem Virginis, iuxta morem nobilium, ſicut decebat, eum ſepeliuit.* De Nona Odelardi Comitis vxore, quam idem Auctor Sancti Amandi Traiectenſis Epiſcopi ſororem vocat, egimus Tomo ſuperiore.

APVD MERBECCAM,

[a] Num. 19.

[b] Apud Bolland. d. 3. Febr.

IBÍQVE DEGIT

IX. Berlendis ſepulto Patre non reuerſa eſt in Monaſterium Morſellenſe, ſed in ædibus paternis apud Merbeccam permanſit, ibíque mortalem vitam clauſit *ter quinis annis cum duobus poſt Patris mortem expletis.* Cur ad Cœtum Monialium Morſellenſium haud redierit, Auctor vitæ cauſam in tenuiores opes Monaſterij ſic reiicit. *Poſt mortem verò Patris ſui, quia Cœnobium, in quo ordinata*, ſeu ſuſcepta *fuerat, quod priùs ab Hunnis*, id eſt, à Friſiis, vt ante biennium obſeruauimus [c], *funditus erutum atque combuſtum fuerat, pauperíque modo reædificatum, carebat appendiciis, ſubſtantiâque, quâ ibi famulæ Chriſti ſuſtentari poſſent, quia in pane & aqua vix puellas ſex detinere poterat, vrgentibus famulis atque neceſſitate domi remanſit, & in præfata Eccleſiola*, vbi Parentes eius Odelardus & Nona tumulati fuerant, *die noctúque degens, ſe Domini ſeruitio mancipauit.* Atque ex hoc textu manifeſtiſſimè conſtat illam à Patre numquam exhæreditatam fuiſſe.

[c] Ad ann. 682. n. 11.

X. Quàm ſanctè quámque auſterè deinceps apud Merbeccam vixerit, audi

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

ex eodem Scriptore. *Nunquam pes eius à viſitatione infirmorum quieſcebat, nunquam manus eius à procuratione pauperum ceſſabat. Semper laus Dei aſſidua in corde ipſius erat. Pſalmorum Hymnorúmque cantus ex ore eius numquam recedebat, pſallens ſibimet iuxta Apoſtolum in Canticis & Hymnis ſpiritualibus in Domino. Nihil vnquam neque hyemis neque æſtatis tempore, præter cilicium, quo ſuper nudum corpus vtebatur, mattulámque, atque lapidem capiti ſuppoſitum, ſibi ſubſterni patiebatur. Vigiliis & orationibus aſſiduis ieiuniiſque continuis corpus macerabat. Bis tantùm in hebdomada præter diem Dominicum Apoſtolicáſque ſolemnitates reficiebat. Carnem à die conſecrationis ſuæ non comedebat, piſcem aut cibum alium præter panem & aquam, niſi in præclaris ſolemnitatibus, non attingebat. Tantam ei Dominus ob beatæ vitæ meritum gratiam conceſſerat, vt quibuſcumque infirmis ſiue febricitantibus manus imponebat, ſaluti priſtinæ reſtituebat.*

PIIS OPERIBUS INTENTA.

XI. AN MONIALIS MORSELLENSIS?

In dubium vocari non poteſt, quin Berlendis Monialibus ab Auctore vitæ ſuprà citato accenſeatur. Hic enim mentem ſuam lucidiſſimis verbis aperit; primò, cùm ait eam *in loco qui dicitur Morſella, in Cœnobio beatæ Dei Genitricis Mariæ, ſacri velaminis habitum* ſuſcepiſſe; ſecundò cùm addit eandem virginem *in Cœnobio, ſanctis operibus ſummo certamine* inuigilaſſe; tertiò, cùm illam vocat *Cœnobitam Domini*, teſtatúrque *Merbeccam ad ſepeliendum Patrem* adiiſſe *acceptâ licentiâ à Matre Monaſterij*; quartò, cùm recenſet varias *Cœnobij* viciſſitudines *in quo ordinata fuerat*; quintò, cùm ſcribit illam *à die conſecrationis ſuæ* carnem non comediſſe.

XII. Non deſunt tamen, qui ſeptimo ſeculo Monaſterium apud Morſellam fuiſſe, ibíque Berlendem cum Monialibus vixiſſe negent. Illi nituntur Huberto, qui vitam Sanctæ Gudilæ poſt annum Chriſti milleſimum quadrageſimum-ſeptimum conſcripſit. Hic enim Auctor, ante ætatem Caroli Magni, nullam Morſellenſis Monaſterij mentionem facit. Poſt obitum Sanctæ Gertrudis, quem anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo contigiſſe diximus, obſeruat Gudilam ad parentes ſuos rediiſſe, atque ad illud tempus de Oratorio Morſellenſi ſic loquitur. *Erat autem in confinio villa Morzella vocabulo, diſtans ab eorum manſione duorum milliarium interſtitio, in qua ædificatum fuerat Oratorium in honore Sancti Saluatoris dedicatum. Hunc locum diligens beata Dei Virgo expetiit, remota à ſuis, vitans eis eſſe moleſtiæ in omnibus ſaltem modicis negotiis, atque appetens vacare ſolius contemplationi diuinitatis.* Deinde cùm agit de Tranſlatione corporis, ſacras exuuias Morſellam tranſlatas ſcribit, audito priùs teſtimonio viri ſenio tum confecti, qui Gudilam ipſam adoleſcens nouerat, & Baſilicam Sancti Saluatoris apud Morſellam ab ea deuotiſſimè frequentatam retulit. *Aderat quidam canitie crines reſperſus, marcente ſenio confectus, cui ſancta virgo Gudila fuerat ſatis nota, & eâ tempeſtate, quâ hæc exceſſerat à corruptibili vita, ille vernabat adoleſcentiâ. Hic itaque veterum dierum monumenta reuoluens, audite, ait, ô fideles, & veſtras addicite preces. Huic Sanctæ viuenti in carne mos inoleuerat vltroneus, nullâ neceſſitate interruptus, Baſilicam Sancti Saluatoris in Morzele deuotiſſimis ſemper frequentare curſibus, ibíque iugibus inſtare orationibus. Credite mihi, hiſce oculis vidi. Tandem hoc audito omnes coacti petierunt, vt declararet virtus Domini, an vellet in eadem Eccleſiola illud ſanctiſſimum corpus reponi.* Et paucis interiectis. *Ventum eſt ad villam Morzelenſem, milliariis decem à vico Ham*, vbi ab obitu quieuerat, *diſtantem. Ergo in Baſilicam Sancti Saluatoris ſancta oſſa introduxère, & cum magna Letitia atque honore, necnon & Hymnorum decantatione, ſed & cereorum lumine, aromatúmque ſuauiſſimo odore cum ſuo loculo poſt ſacrum altare conſtituère.* Denique de Carolo Francorum Rege, *qui ex trophæis frequentibus triumphatíſque nationibus cognominatus eſt Magnus*, hæc habet. *Rex memorabilis maxima ſanctæ Virgini deuouit atque attribuit munera, vaſa ſcilicet aurea & argentea, palliáque peregrino opere elaborata. Ipſum quoque fundum Morzelam ei tradidit cum vniuerſa inhabitante familia, hoc Sanctæ placere intra ſe reputans, quoniam ſpecialiter præ omnibus hanc ſedem delegerat ſuis oſſibus. Quæ ſingula teſtamento mandauit, & ſubſcriptis*

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

teſtibus aſſignauit, & Eccleſiæ, in qua Sancta iacebat, in perpetuam hæreditatem delegauit. Super hæc aggregauit illic Sanctimonialium gregem, quæ inibi Chriſto & eius Virgini famularentur ſpiritualiter, & conſueta officia perſoluerent die noctúque inceſſanter, quæ vt nullius rei inopes, indigentiæ manus darent, atque à propoſito ſancto deficerent, ſtrenuè egit, vt quæ vitæ neceſſaria forent nulla deeſſent. At nihil vetat eandem Eccleſiam, quæ Sanctum Saluatorem & beatiſſimam Virginem Patronos colat, modò Sancti Saluatoris, modò Sanctæ Mariæ Baſilicam vocari. Nec à vero videtur alienum Gudilam, quæ vitam in paternis ædibus piiſſimè gerebat, Monialium Morſellenſium Baſilicam *duorum* duntaxat *milliarium interſtitio* inde diſtantem *deuotiſſimis curſibus* frequentaſſe. Quod attinet ad erectionem Monaſterij Morſellenſis, quæ Carolo Magno attribuitur, huic obiectioni multis modis cum Bollando [a] reſpondere poſſumus. Fortaſſis enim, vti Berlendis, ſic & aliæ Sanctimoniales aliò receſſerant, aut obierant omnes, aut ab impiis hominibus exutæ bonis tunc erant, vti quæ Carolus Magnus donauerat, poſteà Wenemarus eiúſque filius Ermenfridus occuparunt, vt ſuis locis ex eiuſdem Huberti ſcriptis probabimus.

[a] D. 3. Febr. in Not. ad vit. S. Berlendis c. 2.

XIII. MONASTERII MORSELLENSIS VARIÆ VICISSITVDINES.

Hæc igitur de Berlende déque Monaſterio Morſellenſi certa & indubitata ſunto. Berlendis in Cœnobio Morſellenſi vitam Monaſticam per multos annos egit; iſtud Monaſterium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, cùm Francia ciuili bello flagrabat, à Friſiis vaſtatum ac combuſtum eſt; poſt diſceſſum Friſiorum ſtatim reparari cœpit, ſed modo adeò tenui, vt eo tempore quo Comes Odelardus viuere deſiit, ſex ibi Moniales pane & aquâ vix ſuſtentari poſſent; quapropter Berlendis, cùm ex Abbatiſſæ licentia, vt eundem Odelardum patrem ſuum ſepeliret, Merbeccam profecta eſſet, in paternis ædibus deinceps manſit, ceteris verò Monialibus ſeu mortuis ſeu Berlendis exemplum imitatis Morſellenſe Monaſterium deſiit habitari, donec ex Caroli Magni munificentia magnificentiſſimè refloruit.

XIV. Etſi Berlendis eiúſque ſociæ Monaſterium Morſellenſe priſtino ſplendori non reſtituerint, ex illarum tamen reditu poſt vaſtationem à Friſiis illatam liquet eoſdem Friſios à Francis ſtatim repreſſos fuiſſe. Secus ſentiendum de Wiſigothis, qui nonnullas Francorum ciuitates occuparunt, diutiúſque ſua ſub poteſtate tenuerunt. Inuaſionis auctor Rex Eruigius, de cuius origine ac promotione ad Regiam dignitatem poſt exauctorationem Wambæ quid antiqui moderníue Scriptores enarrent, extra noſtrum inſtitutum non videtur explicare.

XV. ERVIGIVS QVOMODO REX WISIGOTHORVM FACTVS.

Tempore bonæ memoriæ Cindaſuindi Regis ex Græcia venit vir quidam nomine Andabaſtus, Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore ſuo expulſus in Hiſpaniam eſt, quem Receſuinthus Rex magnificè ſuſcepit, & ei in coniugium conſobrinam ſuam dedit, ex quo coniugio natus eſt ei filius nomine Eruigius. Qui cùm eſſet in Palatio Regio nutritus, & honore Comitis ſublimatus, elatus ſuperbiâ callidè aduersùs Regem Bambanem excogitauit, & potionem letiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit. Cúmque Epiſcopus ciuitatis & Optimates Palatij, qui erant fideles Regis, quos potionis cauſa latebat, vidiſſent Regem iacentem abſque memoria, causâ pietatis commoti, pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem ſancti Olei & Communionem Corporis Chriſti obtulerunt. Sed factum eſt vt Rex à potione liberatus, cùm præſenſiſſet, quòd illi Extremæ-Vnctionis Epiſcopus peregerit Sacramentum, ad Monaſterium perrexit, ibíque in Chriſtiana Religione permanſit. Hæc Lucas Tudenſis, quem Cæſar Baronius Tomo octauo [b] Annalium Eccleſiaſticorum & Ioannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter libro quinto [c] eruditiſſimi Commentarij de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ allegarunt.

[b] Ad ann. 680. n. 56.

[c] Cap. 7. n. 6.

XVI. Ex præcitato textu patet Wambæ Regi, cùm lethiferâ potione iam ſenſibus eſſet alienatus, proximéque moriturus crederetur, ab Epiſcopo Toletano publicam Pœnitentiam impoſitam fuiſſe. Mariana [d] notat id contigiſſe

[d] Lib. 6. c. 14.

Digitized by Google

AN. CH 682. THEODOR. III. R. 9.

pridie Idus Octobris, die Dominico, anno ſalutis ſexcenteſimo octogeſimo. Morinus[a] arbitratur Wambam ad Monaſterium ſe contuliſſe, *non quòd ex ſuſceptione Pœnitentiæ quis Monachus efficeretur*, pœnitentem enim eſſe & Monachum longè differebant, *ſed quòd ex more illorum temporum & ſequentium Pœnitentes ad agendam pœnitentiam in loca ſecreta ad Quadrageſimam vſque ſecederent.* Morem illum tunc viguiſſe non inficiamur, ſed cur Wamba Monaſterium ingrederetur, priuata non defuit cauſa, quæ Canone primo Concilij Toletani duodecimi menſe Ianuario pòſt celebrati commemoratur, *Religionis enim cultum & tonſuræ ſacræ adeptus eſt venerabile ſignum.* Negotium, vt geſtum eſt, Mariana[b] fuſiùs ita deſcribit. Eruigius *Regi* Wambæ *clàm aquam, vbi ſpartum erat maceratum, præbendam curauit. Eo veneni genere, cùm venis conceptum eſſet, repentè Rex morbo grauiſſimo implicatus, ſacris Chriſtianis atque pœnitentia Quirici (*Iulianum Quirici loco reſtituendum iam monuimus*) Toletani Præſulis curâ expiatus, ſub primam noctis horam, cùm iam videretur animam agere, poſitâ comâ, atque in Sacerdotis morem detonſus, Monachi ritu cucullum induit. Eo videlicet ritu diuinum numen ampliùs propitiari credebatur. Vtrumque Eruigij ſuaſu (ſic creditum eſt) quò nimirum regnandi ſpe, ſi maximè ſuperuiueret, penitus caderet, vt in Concilio Toletano ſexto cautum erat.* Alludit hic Auctor ad ſeptimum Canonem ſextæ Synodi Toletanæ, qui *de pœnitentibus tranſgreſſoribus* inſcribitur. *Quoniam*, inquiunt Patres, *tanta exiſtit peruerſitas hominum, vt hi, quos ſub Religioſo habitu, Pœnitentiæ profeſſio pro peccatorum venia ad manum Sacerdotis deducit vel adduxit, iterum rediuiua malitia ad vitæ priſtinæ ſordes reuocet, huius rei causâ ſancta Synodus decernit, vt ſi qui ingenuorum vtriuſque ſexûs, ſub nomine Pœnitentiæ, in habitu Religioſo ſunt conuerſati, poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſecularia ſumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt aut redierint, ab Epiſcopo ciuitatis, in cuius territorio ſunt conuerſi, comprehenſi rurſus legibus pœnitentiæ in Monaſteriis ſubdantur inuiti.* Sed Pœnitentes, de quibus hic Canon, à Wamba Rege plurimùm differunt; ſcientes enim ac volentes Pœnitentiam ſuſceperunt, poſuerunt comam, veſtem mutarunt; Wambæ verò tunc ægrotanti nihílque ſentienti Pœnitentia eſt impoſita, capilli inciſi, datus habitus Monachi. Laudandus ſanè Wamba, quòd ſenſibus reſtitutus, cùm ſe repentè Monachum ex Rege factum perſenſiſſet, benè vſus eâ ſit occaſione, Monaſticúmque habitum illo modo collatum nunquam abiicere voluerit. At nullâ lege Eccleſiaſticâ, vt talem ſe gereret, coactum putamus, nam Concilium Toletanum duodecimum, quod in ea cauſa citari poteſt, habitum eſt regnante, vt mox oſtenſuri ſumus, Eruigio ipſius Wambæ ſucceſſore.

XVII. Wamba, vt poſt ſe regnaret, Eruigium prælegit. Id, quia Patres duodecimæ Synodi Toletanæ ſæpiùs affirmant, in dubium vocari non debet. Mariana præter ea, quæ ſuprà commemorauimus, *additum* ait, *vt* Wamba *intermorientibus vocibus, mentéque vi veneni alienatâ, Eruigium ipſum ſucceſſorem diceret; ídque extemporariâ ſyngraphâ atque Diplomate Regio confirmatum.* Deinde quid Wamba ſanæ menti poſterâ die redditus egerit, ſic explicat. *Cùm ſequenti luce morbo tantiſper remittente ad ſe rediens conſideraret, ex potenti paulò antè Rege Monachum repentè factum, mutare noluit, ſiue animi magnitudine rurſus ſpernentis, quæ alij per ignes ferrúmque petunt, ſiue deſperatione Regnum recuperandi, cùm Eruigius rerum potiretur, intra eundem diem Coronâ ſuſceptâ, tametſi inunctionis cæremonia in proximum diem Dominicum reiecta eſt.* Fortè quod à vero non videtur alienum, Wamba cùm ſui compos non eſſet, Eruigium ſucceſſorem dixit, ídque poſteà cùm vſum ſenſuum recuperaſſet, ratum habuit ob rationes quas attigit Mariana. Patrum, qui Synodo Toletanæ duodecimæ ſubſcripſerunt, de poſteriori nominatione locupletiora certè ſunt teſtimonia, quàm vt iis fidem quis auſit denegare. *Wamba*, inquiunt[c], *dum ineuitabilis neceſſitudinis tenetur euentu, ſuſcepto Religionis cultu debito, & venerabili tonſuræ ſacræ ſignaculo, mox per Scripturam definitionis ſuæ, hunc inclytum Dominum noſtrum*

[a] L. 5. c. 7. n. 7.

[b] Lib. 6. c. 14.

[c] Cap. 1.

Digitized by Google

noſtrum Eruigium, poſt ſe praelegit regnaturum, & Sacerdotali benedictione vngendum. Vidimus enim, & pariter patulo alternæ viſionis intuitu perſpeximus huius præmiſſi ordinis ſcripturas, id eſt, notitiam manu Seniorum Palatij roboratam, coram quibus antecedens Princeps & Religionis cultum & tonſuræ ſacræ adeptus eſt venerabile ſignum; ſcripturam quoque definitionis ab eodem editam, vbi glorioſum Dominum noſtrum Eruigium poſt ſe fieri Regem exoptat: aliam quoque informationem iam dicti viri, in nomine honorabilis & ſanctiſſimi fratris Iuliani Toletanæ Sedis Epiſcopi, vbi eum ſeparauit pariter & inſtruxit, vt ſub omni diligentiæ ordine iam dictum Dominum noſtrum Eruigium in Regno vngere deberet, & ſub omni diligentia, vnctionis ipſius celebritas fieret. In quibus ſcripturis & ſubſcriptio nobis eiuſdem Wambæ Principis claruit, & omnis euidentia confirmationis earumdem ſcripturarum ſeſe manifeſtè monſtrauit. AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

XVIII. Eruigius, vt Regnum, quod *malis* [a] *artibus* ſibi compararat, aliquo iuris prætextu retineret, prædictum Concilium anno primo ſui Principatûs, Erâ ſeptingenteſimâ decimâ-nonâ, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, menſe Ianuario conuocauit, in eóque, præter alia, duo præſertim Capitula curauit ſancienda; primum, *de agnita & confirmata prælectione faſtigij Principalis*; ſecundum, *de his qui Pœnitentiam non ſentientes accipiunt.*

[a] Marian. l. 6. c. 17.

XIX. Primo Capitulo Patres ſic loquuntur. *Sub qua parte vel ordine Sereniſſimus Eruigius Princeps Regni conſcenderit culmen, regnandique per ſacroſanctam vnctionem ſuſceperit poteſtatem, oſtenſa nos ſcripturarum euidentia edocet, in quibus & præcedentis Wambæ Principis pœnitentiæ ſuſceptio noſcitur, & tranſlatus regni honor in huius noſtri Principis nomine deriuatur. Idem enim Wamba, dum ineuitabilis neceſſitudinis tenetur euentu*, &c. vt ſuprà [b]. *Quibus omnibus approbatis atque perlectis, dignum ſatis noſtro cœtui viſum eſt, vt prædictis definitionibus ſcripturarum noſtrorum omnium confirmatio apponatur, vt qui ante tempora in occultis Dei iudiciis præſcitus eſt regnaturus, nunc manifeſto in tempore generaliter omnium Sacerdotum habeatur definitionibus conſecratus. Et ideo ſoluta manus populi, ab omni vinculo iuramenti, quæ prædicto viro Wambæ, dum Regnum adhuc teneret, alligata permanſit, hunc ſolum Sereniſſimum Eruigium Principem obſequutura grato ſeruitij famulatu ſequatur & libera, quem & diuinum iudicium in Regno præelegit, & deceſſor Princeps ſucceſſorem ſibi inſtituit, & quod ſupereſt, quem totius populi amabilitas exquiſiuit. Vnde his præcognitis atque præſcitis, ſeruiendum eſt, ſub Deo cæli, prædicto Principi noſtro Eruigio Regi, cum pia deuotione; obſequendum etiam promptiſſimâ voluntate; agendum & enitendum, quidquid eius ſaluti proficiat; quidquid genti, vel vtilitatibus patriæ ſuæ conſuluerit. Vnde non erit iam deinceps, aut ab anathematis ſententia alienus, aut à diuinæ animaduerſionis vltione ſecurus, quiſquis ſupernè contra ſalutem deinceps aut erexerit vocem, aut commouerit cædem, aut quamcumque exquiſierit lædendi occaſionem.*

[b] Hoc anno, n. 17.

XX. Secundo Capitulo ſic. *Plerumque hi, quibus miſeratio Domini, etiam nolentibus ſubuenit, beneficiis Dei videntur eſſe ingrati, & abuti gratiâ largitoris, quâ benè vſi poterant conſequi abolitionem facinoris: impugnant ſæpè quod honorare debuerant, & profanis quæſtibus indultæ gratiæ munus à ſe reiiciunt, cùm ſummis votis amplecti debuerant. Etenim multos ſæpè conſpeximus, & in ſalute poſitos, vltimum deſiderantes Pœnitentiæ fructum, & rurſus nimietate ægritudinis, ita loquendi & ſentiendi perdidiſſe naturale officium, vt nulla illis cura ſalutis ſuæ videretur ineſſe, nullo etiam priſtinæ deuotionis noſcerentur deſiderio anhelare: quorum tamen caſibus fraternitas condolens, ita talium neceſſitates in fide ſua ſuſceperit, vt vltimum illis tribuatur viaticum, quòd ſcilicet ſine fructu Pœnitentiæ non videantur tranſire ſeculo; ſi forſitan reſpiciente Deo ſaluti priſtinæ reformentur, agunt cautionibus vanis & oppoſitionibus execrandis, qualiter à ſe tonſuræ venerabile ſignum expellant, atque habitum Religionis abiiciant, impudentiſſimè aſſerentes, ideo ſe nullis regulis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſuo hoc voto teneri, quia Pœnitentiam nec ipſi petierint, nec ſcientes acceperint. Quorum impudentia procax & obſtinata procacitas nequaquam talia diceret, ſi qualiter ad vitam per ſacroſancti lauacri gratiam venerit meminiſſet. Etenim paruulorum infantium vitâ originali peccato obnoxiâ, quæ*

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9. *nulli per ætatem diſcernendi vel expetendi ſenſui aptior iudicatur, niſi ſponſione fidelium Baptiſmi accipiunt Sacramentum, nullo ſenſu, nullâ etiam diſcretionis induſtriâ id appetere poſſunt. Vnde ſicut Baptiſmum, quod neſcientibus paruulis, ſine vlla contentione, in fide tantùm proximorum accipitur, ita & Pœnitentiæ donum, quod neſcientibus illabitur, abſque vlla repugnantia inuiolabiliter hi, qui illud exceperint, obſeruabunt. Si quis autem quolibet modo Pœnitentiam accipiens, hoc Synodale violauerit inſtitutum, vt verè tranſgreſſor, paternis regulis ferietur. Neque enim iſta inſtituentes Sacerdotes quoſque, vt paſſim & licenter donum Pœnitentiæ non Pœnitentibus audeant prorogare, abſoluimus, ſed hos, qui qualibet ſorte Pœnitentiam ſuſceperint, ne vlteriùs ad militare cingulum redeant, religamus. Sacerdos tamen, qui non ſentienti, neque petenti, auſu temerario Pœnitentiam dederit, neque ſe exhortatu eius, qui Pœnitentiam accipit, manuum indiciis, vel quibuſlibet aliis euidentibus ſignificationibus inuitatum fuiſſe probauerit, vnius anni excommunicatione ſententiæ ſubiacebit.* Rectè ad hoc Capitulum obſeruat Baronius [a] Synodum ita ſanxiſſe, *ne Regis Eruigij poſſet labefactari creatio, eſſétue ſpes vlla, vt Wamba iterum repeteret Regnum.* Nec diſſimulat *pœnam vnius anni excommunicationis* ſtatutam eſſe *Sacerdoti, qui cuilibet non petenti neque ſentienti huiuſcemodi tribueret Pœnitentiam.* Vt autem ea decerneretur pœna, curaſſe videtur Eruigius, timebat enim, ne, ſi ſenſu per morbum aliquando priuaretur, è Regno tam facilè deiiceretur, quàm ipſum Wambam nuperrimè deiecerat.

[a] Ad an. 681. n. 59.

XXI. Apud Rodericum Toletanum [b] Wamba *in Monaſterio* viuit *annis ſeptem*, quibus Mariana [c] *menſes tres addit*, annis verò *duodecim* apud Baronium [d], qui Iulianum Auctorem Synchronum ac fide omnino præſtantiorem allegat. Priùs igitur, quàm Wamba, mortuus eſt Eruigius, qui teſte Roderico [e] *regnauit annis ſeptem*, quibus *dies quinque & viginti* adiungendi, itaut in viuis eſſe deſierit [f] *17 Kal. Decembris, qui dies Veneris erat, ſalutis anno* 687. Illo Regnum obtinente, tria Toleti celebrata ſunt Concilia, duodecimum, decimum-tertium & decimum-quartum, quæ breuiter vno eodémque capite [g] à Roderico Toletano perſtringuntur. Egit inprimis Eruigius, vt Capitulo nono Concilij decimi-tertij Concilium duodecimum confirmaretur ob duo præſertim Capitula quæ ſuprà deſcripſimus, *de agnita & confirmata prælectione faſtigij Principalis*, & *de his, qui Pœnitentiam non ſentientes accipiunt.* Capitulum autem nonum Concilij decimi-tertij ſic habet. *Licèt vnanimi conſenſionis noſtræ indicio geſta Synodalia Toletani Concilij duodecimi acta ſunt atque diſpoſita, quæ anno primo glorioſi Principis Eruigij*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, *celebrata ſunt, nunc tamen iterato inconuulſibilis noſtræ definitionis aſſenſu, ea ipſa geſta, prout geſta ſunt vel circumſcripta, omni temporum æternitate valitura decernimus, & omnimodæ ſoliditatis vigore firmamus, iuxta ordinem Capitulorum, qui in eiſdem geſtis conſcriptus eſſe probatur, id eſt, de agnita & confirmata prælectione faſtigij Principalis. Item, de his, qui Pœnitentiam non ſcientes accipiunt*, &c. Curauit etiam Eruigius, vt in eadem Synodo decima-tertia, quæ *anno Regni quarto Sereniſſimi* eiuſdem *Eruigij Principis, ſub die pridie Nonas Nouembris, Erâ* DCCXXI. id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio, conſignatur, Capitulum [h] ederetur *de munitione prolis Regiæ.* Textus talis eſt. *Conteſtamur omnes præſentes, & abſentes, ſeu etiam futuris temporibus ſubſequentes Sacerdotes, vel Principes, ſeu cuiuſcumque honoris aut ordinis homines coram Deo & Sanctis Angelis eius, vt nullus ad futurum poſteritati eius vel Glorioſæ coniugis ſuæ Liubigotoni Reginæ, atque his, qui Gloriæ ſuæ filiis vel filiabus coniuncti eſſe noſcuntur, ſeu etiam qui adhuc coniuncti non ſunt ſed protinus coniungendi ſunt, iniuſtas lædendi occaſiones exquirat: nullus occultè vel publicè per quæ abdicentur, malitiæ ſuæ contra eos vota extendat: non eos gladio vel qualibet perniciosâ factione interimat: nullus conſilium vel opus, quibus iniuſtè deiiciantur, vel nudentur rebus, exhibeat: nullus his iniuſtè violentum tonſuræ ſignaculum imprimat: nullus veſtem, contra ordinem Glorioſæ coniugi eius, vel filiabus ſuis atque nuris mutare præſumat: nullus etiam extra euidentis culpæ indicium, aut*

[b] Lib. 3. c. 12.
[c] Lib. 6. c. 14.
[d] Ad an. 680. n. 57.
[e] Lib. 3. c. 13.
[f] Mariana l. 6. c. 17.
[g] Lib. 3. c. 13.
[h] Cap. 4.

Digitized by Google

exiliis eos relegandos inducat, aut eorum corporibus quarumlibet detruncationum vel flagellorum inferat detrimenta, quò cum præmemoratis omnibus, omnis eius in tota ad futurum glorioſa poſteritas, nec læſionis iniuſtam perferat notam, nec rerum ſentiat detrimenta. Si quis autem hominum, cuiuſlibet ſit ordinis aut honoris, huic noſtræ ſententiæ non acquieſcens, filios, filiáſue Gloriæ ſuæ, vnà cum Sereniſſima coniuge ſua Liubigotone Regina, vel ſupradictis omnibus amodò, vel quandoque ſine iuſto partis ſuæ negocio, aut lædendos impetierit, aut deiiciendos elegerit, vel ex propria deliberatione conſenſerit, quò aut de rebus ſibi debitis iniuſtè expoliati nudentur, aut dolo vel machinamento quolibet deiiciantur, ſit æterno anathemate vltus, & futuri examinis iudicio condemnatus. AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

Tantam induſtriam adhibuit Eruigius, vt ſibi ſuæque familiæ Regnum aſſereret, quod teſte Marianâ [a] *malis artibus* quæſierat, ſiue, vt Rodericus Toletanus [b] loquitur, *tyrannide, non de iure* ſuſceperat. Quis conſiliorum exitus fuerit exponemus infrà. Nihil enim hîc nobis inueſtigandum fuit præter ſcelus, quo Rex ille Wiſigothorum Regiam ſibi Dignitatem arrogauit. Eâdem quippe abreptus dominandi libidine, quam intra limites Regni Gothici coercere non potuit, nullâque læſus iniuriâ finitimos ſtatim Francos laceſſiuit, ratus eos facilè ſubiugatum iri, quia ciuilibus diſcordiis laborabant, exteróque bello à Radbodo Rege Friſiorum impetebantur. Adortus eſt ciuitates Septimaniæ vicinas; Vcetiam cepit cum Ruthenis & Albiga. Gothos vlteriùs progreſſos nullum prodit monumentum. Vcetienſis Epiſcopus erat Potentinus, Albigenſis Ricardus, de vtroque iam locuti ſumus Tomo ſuperiore. XXII. BELLVM INFERT FRANCIS.

[a] L. 6. c. 17.

[b] L. 3. c. 13.

Claudius Robertus [c] Vceticenſium Epiſcoporum Indicem editurus à ciuitatis nomine ſermonem ſic orditur. *Vcetica, ſeu Vtica, ſeu Caſtrum Vceticenſe, vel Vcetinſe in Notitia Prouinciarum Galliæ.* Nomina Regionum & Ciuitatum Galliæ cum variis in margine lectionibus ex Bibliothecæ Thuanæ Codicibus manuſcriptis ab Andrea Ducheſnio [d] publicata ſunt. In textu legitur *Caſtrum Vceticenſe*, in margine, *Vticenſe, Vcecienſe, Ciuitas Vceciensium, Vcenſienſium.* In libro de Otiis Imperialibus, quem illuſtris Geruaſius Tiſleberienſis conſcripſit; in Hiſtoria Francorum manuſcripta, quæ ſeruatur in Monaſterio San-Dionyſiano deſinítque in morte Philippi Tertij Regis; item in Alexandri Petauij Codice, quem idem Ducheſnius in lucem edidit; necnon apud Democharem in libro [e] de diuino Miſſæ Sacrificio Narbonenſis Archiepiſcopus Epiſcopum *Vticenſem* ſuis ſuffraganeis annumerat. Et in Archiuo Regio ſeruantur Nicolai Papæ literæ, quarum hoc eſt initium. *Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei: dilectis filiis, Priori de Gordanicis Vticenſis Diæceſis & aliis Collectoribus decimæ prouentuum Eccleſiaſticorum terræ ſanctæ ſubſidio à Sede Apoſtolica deputatæ in Viennenſi, Viuarienſi, Arelatenſi, Auinionenſi & Valentina Ciuitatibus conſtitutis*, &c. Quapropter Potentinus, quem Concilij Toletani decimi-tertij ſubſcriptiones *Epiſcopum Vticenſem* exhibent, non alius ab Epiſcopo Vcecienſi nobis videtur. Ita iam ſenſerunt, Robertus in Gallia Chriſtiana, Catellus in Hiſtoria Linguodochiana, necnon Sammarthani Tomo tertio [f] auctioris Galliæ Chriſtianæ. Nec audiendus Garſias Loaiſa [g], qui Potentinum Vticenſem in Africa Epiſcopum & ex Vtica negotiorum causâ in Hiſpaniam veniſſe Concilióque Toletano interfuiſſe ſuſpicatur. *Fortè*, inquit, *ex Vtica negociorum causâ Toletum venit, & Concilio interfuit.* Ipſe Potentinus Concilio præſens non adfuit, ſed qui vices ſuas ageret Abbatem nomine Leopardum direxit. Sic enim Leopardus Synodo ſubſcripſit. *Leopardus Abbas, agens vicem Potentini Epiſcopi Vticenſis.* Cur autem Vcecienſis Epiſcopus Vicarium ad Synodum Toletanam miſerit, alia ratio non poteſt afferri, quàm quòd Eruigius Wiſigothorum Rex Vceciam * in ſuam poteſtatem nuper redegiſſet. Vcetia, quæ priuſquàm in Francorum ditionem veniſſet, Metropolitæ Narbonenſi ſubiacuerat, vbi ad dominationem Gothorum rediit, Prouinciæ Narbonenſi rurſum attributa XXIII. POTENTINVS EPISC. VCECIENS.

[c] In Gallia Chriſt.

[d] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

[e] Cap. 32.

[f] In Epiſcopis Vcetienſ.

[g] In Not. ad Concil. Tolet. 13.

* Vſet.

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

eſt. Ex ea verò Prouincia, præter Leopardum Vcecienſis Epiſcopi Vicarium, prædictæ Synodo Toletanæ decimæ-tertiæ ſubſcripſerunt, *Creſcitarus Biterrenenſis* * *Epiſcopus, Vincentius Magalonenſis* * *Epiſcopus, Pacatus Abbas agens vicem Sunifredi Epiſcopi Narbonenſis, Giſilbertus Diaconus agens vicem Anſemundi Epiſcopi Lotoebenſis* *, *Veremundus Abbas agens vicem Clari Epiſcopi Elenenſis* *, *Citruninus Abbas agens vicem Stephani Epiſcopi Carcaſſenſis* *, *Dexter Diaconus agens vicem Primi Epiſcopi Agathenſis* *.

* *de Beſiers.* * *de Maguelone.* * *de Lodeue.* * *d'Elne.* * *de Carcaſſonne.* * *d'Agde.*

XXIV. Citruninus ſeu Citruinus Abbas, qui vicem Epiſcopi Carcaſſonenſis in Synodo Toletana decima-tertia geſſit, Epiſcopatum Albigenſem poſteà ſuſcepit, vnde id de illo in Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſium legitur [a], *anno 692 Citruinus Epiſcopabat*, necnon ſex hi verſus.

Heſperias rigidus cenſor peruenit ad oras,
Ritúſque antiquos reſtituiſſe ferunt.
In Toletano cœtu Citruinus obiuit
Carcaſſonenſis munus Epiſcopij.
Cúmque Cathedra ſuo Albigæ * *ſeſſore careret,*
Antiſtes factus iudicio eſt populi.

[a] Ap. Dacher. Spicileg. 7.

CITRVINVS ABBAS.

* *Alby.*

XXV. Ex muneribus quibus Citruinus defunctus eſt, patet illius temporibus vt Carcaſſonem ſic & Albigam ſub poteſtate Gothorum fuiſſe, quia nec Epiſcopus Carcaſſonenſis Vicarium, qui Gothus non extitiſſet, ad Synodum Toletanam direxiſſet, nec Albigenſes, niſi Gothorum Regi tunc paruiſſent, hominem Gothum in Epiſcopum ſuum elegiſſent. Apud Rodericum Toletanum [b] Wamba Wiſigothorum Rex diſponit *de Prouincia Narbonenſi, & de Ruteno & Alba*, ſiue Albiga, *ciuitatibus, quæ tunc ad eam Prouinciam pertinebant*. Res à Wamba in Gallia Gothica ſiue in Prouincia Narbonenſi geſtas ſuo loco deſcripſimus, nihil aduersùs Francos ab eo tentatum. Succeſſor Eruigius cum eadem Francorum gente, quæ duplici bello, domeſtico videlicet ac Friſico, quatiebatur, pacem non benè coluit, ideóque quod de illo dici debuit, id à Roderico perperam de Wamba deceſſore narratum putamus. Quemadmodum autem Franci, poſtquam Vcetiam & Toloſam ſubegerunt, eas è Prouincia Narbonenſi, cui priùs attribuebantur, ſtatim auulſerunt, nec paſſi ſunt Epiſcopos Vcetienſem ac Toloſanum Metropolitæ Narbonenſi deinceps ſubiacere; ſic Eruigius, poſtquàm Vcetiam, Ruthenas & Albigam cepit, Prouinciæ Narbonenſi non tantùm reſtituit Vcetiam, ſed & duas ciuitates, quæ priùs Aquitaniæ primæ partem conſtituebant & Metropoli Bituricenſi ſuberant, Ruthenas & Albigam accenſuit. Atque ita de ipſo Eruigio interpretare quod à Roderico Toletano de Wamba eiuſdem Eruigij deceſſore publicatum eſt, nempe quòd diſpoſuerit *de Prouincia Narbonenſi, & de Rutheno & Alba ciuitatibus, quæ tunc ad eam Prouinciam pertinebant.*

[b] L. 3. c. 11.

XXVI. Porrò de Ruthenis, vtrùm in poteſtatem Eruigij Regis deuenerint, haud adeò liquet ac de Albiga, de qua nullus ſupereſt dubitandi locus, quia Citruinus, qui Pontificatum Albigenſem adeptus eſt, Epiſcopi Carcaſſonenſis vicem in Synodo Toletana ſub eodem Rege priùs egit. Mancus eſt autem circa hæc tempora Catalogus Epiſcoporum Ruthenenſium, nec vllius nomen Synodorum Hiſpanicarum ſubſcriptionibus inſertum reperitur, itaut Ruthenarum ad Galliam Gothicam acceſſio nitatur ſolo Roderici Toletani textu, qui næuo non caret, vt probatum eſt ſuprà.

XXVII. Tomo ſuperiore [c] non pauca ſcripſimus de Sancto Wlfranno, qui Lamberto ſeu Landeberto in Epiſcopatum Senonenſem ſucceſſit. Vix autem in lucem lucubratio noſtra prodierat, cùm ad nos Antuerpiâ tranſmiſſa ſunt *Acta Sanctorum Martij à Ioanne Bollando S. I. colligi feliciter cœpta, à Godefrido Henſchenio & Daniele Papebrochio eiuſdem Societatis Ieſu aucta, digeſta & illuſtrata.* In hoc opere [d] legitur vita Sancti Wlfranni Senonenſis Epiſcopi, Auctore Ionâ Monacho Fontanellenſi, *ex antiquo MS. Antuerpienſi* deſcripta prætermiſſo prologo, qui talis eſt in editione Suriana. *Reuerentiſſimo atque ſanctiſſimo Præſuli vrbis Ta-*

[c] An. 671. nn. 5. & ſeqq. an. 678. n. 10. an. 679. n. 9.
[d] D. 20. Mart.

Digitized by Google

AN. CH. 682.
THEODOR. III. R. 9.
EXAMINATVR VITA S. WLFRANNI SCRIPTA A IONA.

ruenna Abbatíque Cœnobij Fontanellæ Baino, vltimus ſeruorum Chriſti ſeruus Ionas. Iubet Apoſtolatûs veſtri celſitudo, vt almi patris Senonum Archiepiſcopi meo ſtudeam ſtylo condere vitam. Qui tempore regiminis Sancti Ansberti Abbatis Fontanellenſis Cœnobij, futuri Præſulis Rothomagenſis Eccleſiæ, hoc adiens Cœnobium abruptis ſeculi laqueis, militiam Chriſti, perſeuerandi definitione, ſuſcepit, atque ad prædicandum Friſonum genti, eatenùs ignorantiæ cæcitate ſedenti, Euangelici miniſterij opus aſſumens, animum conuertit. Nam penes nos ſuperſtes manet venerabilis vitæ Preſbyter Ouo ex ipſa Friſonum natione oriundus, qui viuâ voce narrat, quanta per eumdem Pontificem ſanctum in eadem gente Chriſtus virtutum miracula operari ſit dignatus. Ex quibus pauca pro captu ingenij & opportunitate audientium fideli ſermone inſeremus. Sed tam præclaro operi pauper ſuccumbit ingenium, támque profundæ rei non ſufficit ſermo ſterilis & ab omni ſcientiæ fœcunditate ieiunus. Quamlibet ergo inualidis humeris impoſitum onus obedientiæ amore ſuſcipiam, dabit Dominus oratione beatâ Antiſtis dicendi vires, qui diuitias bonitatis ſuæ ſine vllo defectu ſcit effundere, & neſcit, cùm effuderit, euacuari.

XXVIII. Genuinum hunc eſſe Ionæ prologum exiſtimamus, ſed vitam, quam Surius ſubiecit, à Neoterico interpolatam fuiſſe nemo non iudicabit. Illa de re non ſemel iam queſti ſumus [a]. In quibus autem rebus verſetur interpolatio, ſtudioſiùs hoc loco inquiremus, vt cùm ea quæ de Sancto Wlfranno iam ſcripſimus, tum ea quæ ſcripturi ſumus infrà, validiùs comprobentur aduersùs Commentarium, quem vitæ eiuſdem Sancti Wlfranni præfixit Godefridus Henſchenius, à nobis breuitatis causâ, ſolus vtpote prælaudatæ Collectionis præcipuus Auctor, inpoſterum citandus, quotieſcumque illâ Collectione nobis vtendum erit, quemadmodum hactenus à nobis vnus allegatus eſt Ioannes Bollandus, quando vſi ſumus antecedentibus Collectionibus Geſta Sanctorum complexis, qui menſe vel Ianuario vel Februario coluntur.

[a] An. 671. nu. 5. & ſeqq. an. 678. n. 10.

XXIX. De patria & parentibus Wlfranni, déque rebus ab eo geſtis ante ſuſceptum Pontificatum ſic editio Suriana. *Beatus igitur Vulfrannus Senonum Pontifex exordium natiuitatis in territorio Vaſtinenſi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco, fuit enim carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior. Genitor quoque eius, Vulbertus nomine, in aula Regis Dagoberti & filij eius Clodouei militari operi æuum impendit; prædictus verò Dei famulus in puerili ætate conſtitutus, ab ipſo Magiſtris Catholicis traditus eſt, ſacrarum literarum ſtudiis imbuendus. Qui per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non reflexit. Exin creſcentibus meritis piæ intentionis, Clericatûs habitum ſumens, parentum hortatu ac ſuffragij adminiculo fultus, in aula Regum iunioris Lotharij & Theodorici, Eccleſiaſtici Ordinis curæ delegatus, diuinis ſtudebat attentiſſimè inſeruire edictis, terrena videlicet tranſiliens atque ad cæleſtia ſemper amanda, petenda & quærenda peruolans.* Tum hæc proximè ſubiungit de Pontificatu. *Sub horum tempore Regum, electione populi Senonicæ vrbis, conſensúque ac fauore omnium, Pontifex eligitur & benedicitur. Succeſſit autem in ordine Epiſcopatûs venerabili Lamberto Pontifici. Qui ſuſceptum Epiſcopatum, ad imitationem priorum Sanctorum, virtutum ornabat operibus.* Textum illum ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum [b], quo Wlfrannum Lamberto in Epiſcopatum Senonenſem ſucceſſiſſe diximus, ex Surio iam recitauimus. Editioni Surianæ valdè conformis eſt Henſcheniana. *Beatus igitur Vulfrannus Senonum Pontifex exordium natiuitatis territorio Vaſtinenſi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco: fuit carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior: genitor quoque eius, Vulbertus nomine, in aula Regis Dagoberti & filij eius Lodouei militari operi æuum impendit. Prædictus verò Dei famulus in puerili ætate conſtitutus, ab ipſo Magiſtris Catholicis traditus eſt ſacrarum literarum ſtudiis imbuendus: quæ per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non deflexit, & increſcentibus meritis piæ intentionis in aula Regum iunioris Lotharij & Theoderici militauit. Sed inter hæc diuinis atten-*

[b] Num. 9.

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9. *tiſſimè ſtuduit inſeruire edictis, terrena videlicet quæque tranſiliens, atque cæleſtia ſemper amando & quærendo appetens. Nec multò pòſt igitur electione Cleri ac populi Senonicæ vrbis, conſenſúque Regis ac fauore Principum, Pontifex decernitur ac benedicitur; qui ſuſceptum Epiſcopatûs gradum, ad imitationem priorum Sanctorum, operibus ornabat virtutum.*

XXX. Auctor quatuor nominat Reges, Dagobertum Magnum, Clodoueum Secundum, Clotarium Tertium & Theodoricum Tertium, quibus vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum [a] iam monuimus, inſerendum exiſtimamus Childericum Secundum, qui per annos ferè decem, cùm Clotarius eius frater Neuſtraſiâ Burgundiâque potiebatur, in ſola regnauit Auſtraſia, deinde Theodorico, qui poſt Clotarij fratris mortem Neuſtraſiam Burgundiámque ſibi vendicabat, expulſo, Monarchiam Francorum obtinuit. Henſchenius Vulfrannum natum ait ſub Clodoueo Rege, Dagoberti Magni filio, *circa annum* DCL. *aut aliquantò ſeriùs*, vúltque Clodoueum Dagoberto patri ſucceſſiſſe XIX *Ianuarij anni* DCXLIV, ac vixiſſe *vſque ad annum* DCLXII. Annos Clodouei Regis aliter cum annis Chriſti comparauimus. Mortuos aſſeruimus, Dagobertum anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo, Clodoueum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto. Wlfrannus ſub Dagoberto Rege natus videtur. De illius ætate diſputabimus infrà.

[a] Num. 9.

XXXI. Wlfrannus, vt vtraque editio habet, *per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus vſque ad virilem ætatem* ſtudiis literarum, etiam ſacrarum, imbutus eſt. Dein *in aula Regum iunioris Lotharij & Theodorici*, ſeu potiùs, vt legendum putamus, *in aula Regum iunioris Lotharij, Childerici & Theodorici militauit*, id eſt, vt editio Suriana exponit, *Clericatûs habitum ſumens, Eccleſiaſtici Ordinis curæ delegatus eſt.* Regnante Theodorico Pontificatum ſuſcepit. Apud Henſchenium Theodoricus poſt Clotarij fratris mortem exeunte anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto Regnum adipiſcitur, amittit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, recuperat poſt Childerici fratris obitum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, tenétque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium. At aliter annos Theodorici Regis cum annis Chriſti componimus. In noſtra opinione, Clotarius Rex obit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono, eodémque anno Theodoricus poſt Clotarium fratrem regnat & è Regno deiicitur à Childerico fratre; anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio moritur Childericus, Theodoricus ei ſuccedit, Regnóque rurſum ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum potitur. Poſt mortem igitur Childerici Regis, ſi valet Henſchenij ſupputatio, Theodoricus regnauit annos duntaxat quatuordecim, vndeuiginti verò ſi rectè Chronologiam noſtram inſtituimus. In editione Suriana hæc de Sancto Wlfranno leguntur. *Anteà*, id eſt, antequàm Epiſcopus ordinaretur, *poſſeſſionem ſuam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ ſita eſt in territorio Vaſtinenſi, per teſtamenti ſeriem prædicto ſacro loco*, nempe Fontanellæ, *& ipſi ſancto patri* Anſberto Abbati Fontanellenſi *contradiderat, quæ facta erat anno* 15 *Regis Theodorici. Necdum enim idem vir Dei Pontificatûs conſcenderat gradum.* Henſchenius donationem illam non negat, ſed, quia Theodorici Regis Principatum annis quatuordecim circumſcribit, anni XV loco annum XII reponit, aut ſi XV annus retineatur, illum interpretatur vltimum Theodorici Regis, à Chriſto nato ſexcenteſimum nonageſimum-tertium, quia fortè Theodoricus decimum-quartum Principatûs annum abſoluit inchoauítque decimum-quintum. Addit denique ſibi præ ceteris opinionem eorum placere, qui Wlfrannum regnante Clodoueo Tertio promotum ad Pontificalem dignitatem affirmant.

XXXII. A noſtra Chronologia plurimùm diſcrepat hæc aſſertio. Tomo enim ſuperiore Wlfrannum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, Theodorici Regis à Childerici morte ſexto, donatum Pontificatu diximus,

Digitized by Google

cùm priùs Mauriliacum Cœnobio Fontanellenſi contradidiſſet, anno Theodorici Regis non 15 ſed 5 vt Arturus *du Monſtier* in Fontanella Sancti Wandregiſili [a] teſtatur, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo. Prætereà Vulfrannum, cuius promotionem ad Epiſcopatum Henſchenius in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium & in Principatum Clodouci Tertij reiecit, exiſtimamus anno circiter Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, Theodorici Regis nono, factum ex Epiſcopo Senonenſi Monachum Fontanellenſem, cùm Anſbertus Abbas cœtui Monachorum apud Fontanellam præeſſet. Sic enim de Vulfranno ſcribit Ionas in prologo vitæ præfixo, qui ſanus & incorruptus ad hodiernam vſque diem permanſit. *Tempore regiminis Sancti Ansberti Abbatis Fontanellenſis Cœnobij, futuri Præſulis Rothomagenſis Eccleſiæ, hoc adiens Cœnobium, abruptis ſeculi laqueis, militiam Chriſti, perſeuerandi definitione, ſuſcepit.* Anſbertus ſecundùm noſtram computationem conſtitutus eſt Abbas Fontanellenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo, deinde Rotomagenſis Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio; ſecundùm Henſchenianam Abbas Fontanellenſis anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, Rotomagenſis Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-nono. Quicquid ſit de illo diſſidio, quo Chronologiam Henſchenianam ſex annis anteuertimus, nomen Anſberti Fontanellenſis Abbatis apud Surium occurrit in vita Sancti Vulfranni. Textus talis eſt. *Aliquot autem annis in Præſulatu* Senonenſi *adminiſtratis, ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini anteà illis inauditum euangelizaret, inito opere Apoſtolico, propoſuit illicò animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ Religionis & Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipſe ſcientiâ literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus, Monachicum & nomen ſeruans & habitum, in prædicto Monaſterio multorum Pater extans Monachorum. Hunc Pontificem adiens beatus Vulfrannus, ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo, in tenebris ignorantiæ ſedenti, verbum vitæ immortalis annunciaret. Nam & anteà poſſeſſionem ſuam, quæ vocatur Mauriliacus *, qua ſita eſt in territorio Vaſtinenſi, per teſtamenti ſeriem prædicto ſacro loco & ipſi ſancto Patri contradiderat, quæ facta erat anno 15 Regis Theodorici. Necdum enim idem vir Dei Pontificatûs conſcenderat gradum. Intererat in hoc conuentu, & confirmauerat cum aliis illuſtribus viris hoc ſcriptum Sanctus Erembertus, Epiſcopus vrbis Toloſæ & Monachus eiuſdem Cœnobij Fontanellenſis, cuius nunc oſſa ſacra in eodem Monaſterio virtutum gloriâ pollent. Nepos quoque prædicti Sancti Vulfranni Pontificis, nomine Mogiſlus, aliam largitionem edidit de patrimonio Maniaco ſiue Villari, quod eſt ſitum in pago Meldunenſi. Qui in prædicto Monaſterio Monachus effectus, & regularibus ſubditus diſciplinis, ſpretis terrenis, cæleſtia ſperare didicit. Sed his omiſſis, nunc intimandum, qualiter dictus ſanctus Præſul ex præfata Friſonum gente plurimam prædicando conuerterit partem ad Chriſtum. Siquidem ad præfatum Fontanellenſe Monaſterium perueniens, de eodem loco cooperatores verbi ſtrenuos & ad prædicandum idoneos, vtpote actione ſimul & eruditione præclaros aſſumens, præparatis omnibus, quæ nauigantibus neceſſaria eſſe videbantur, in portu eiuſdem Monaſterij nauim aſcendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens Gallicum, nauigauit in Friſiam.* Ex illo textu multa, quæ diſplicebant, reſecuit Henſchenius, hæc enim tantùm publicauit. *Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis, ſuperno eſt oraculo admonitus, vt genti Freſionum verbum Domini euangelizaret; qui mox inito Apoſtolico opere propoſuit animo pluribus prodeſſe, vnde ad Monaſterium Fontinellæ acceſſit, cui præerat Abbas . . . . atque inde cooperatores verbi ſtrenuos, & ad prædicandum idoneos aſſumpſit. Sícque in portu eiuſdem Monaſterij nauem aſcendens nauigauit Freſiam.* Et in Notis ad illum textum, Abbatem, quem Vulfrannus adiit, Hilbertum appellauit, pro quo putauit intruſum Anſbertum pridem mortuum. Monachum egit Vulfrannus ſub Abbatibus Anſberto & Hilberto,

[a] Cap. 4. n. 5.

* *Milly en Gaſtinois.*

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

quorum ille ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium, hic ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum Monaſterio Fontanellenſi præfuit. Henſchenius Anſberti Abbatis nomen expunxit, quia ex eius calculo Childebertus Tertius Regnum adipiſcitur anno Chriſti duodeſeptingenteſimo, eóque regnante Vulfrannus Epiſcopatum dimittit, Hilbertus autem, vt & ipſi fatemur, Anſberto ad Rotomagenſes Infulas aſſumpto in Abbatialem Fontanellæ præfecturam ſub Theodorici Tertij Principatu ſuccedit.

XXXIII. *Examinantur Catalogi Episcoporum Senonensium.* Primum ac præcipuum argumentum, quo nititur Henſchenius, vt Vulfrannum regnante Clodoueo Tertio conſecratum Epiſcopum & regnante Childeberto Tertio Monachum factum probet, petitur à Catalogo Pontificum, qui ſub Theodorico Tertio eiúſque filiis Clodoueo Tertio & Childeberto Tertio ac nepote Dagoberto Tertio Senonenſem Diœceſim adminiſtrarunt.

XXXIV. Inter Senonenſes Epiſcopos ponitur Amatus. Hic à Theodorico Tertio Regna Neuſtraſiæ Burgundiæque poſt Childerici Secundi mortem iterum adepto, pulſus eſt in exilium, cùm à maleuolis iniuſtè de perfidiæ crimine fuiſſet accuſatus. Hanc expulſionem anno poſt Childerici necem proximo, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto conſignauimus, Henſchenius verò contigiſſe dicit *anno* DCLXXX. *aut proximè aliquo ſequenti*, quia Childerici Secundi vitam Principatúmque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum prorogat. De ſucceſſoribus Amati ſic idem Auctor. *Succeſſores numerantur in Gallia Chriſtiana apud Claudium Robertum & Sammarthanos, Medericus, Hildegarius ſiue Hildegrannus, Auripertus, Arnulfus, & Landebertus ſiue Lambertus, numero quinque, quibus alios duos adiungit Monachus Altiſſiodorenſis in ſua Chronologia : ſed his amandatis, nonne aliis quinque Epiſcopis, duodecim aut etiam plures ſunt attribuendi anni?* Atque inde concludit Vulfrannum qui Lamberto ſucceſſit, ante annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium & Clodouei Tertij Principatum in Pontificali Cathedra nuſquam ſediſſe.

XXXV. At ex ſerie Senonenſium Epiſcoporum hactenus edita nihil erui poteſt indubitatum. Vitioſiſſimi ſunt Catalogi, quos Monachus Altiſſiodorenſis, Claudius Robertus & Sammarthani texuerunt. Lege quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad annos ſeptimi ſeculi, quadrageſimum-ſecundum [a], quinquageſimum-quintum [b], ſexageſimum-nonum [c], & ſeptuageſimum-quartum [d].

[a] Num. 46. 47. [b] Num. 11. [c] Num 2. [d] Num. 4.

XXXVI. Monachus Altiſſiodorenſis Epiſcopos Senonenſes à Sancto Amato ad Sanctum Vulfrannum ſic recenſet. *Senonenſi Eccleſiæ poſt S. Amatum præfuit Medericus, poſt quem Hildegarius, poſt Auripertus, poſt Ermentarius, poſt Arnulphus, poſt Landebertus, cui ſucceſſit S. Emmo. Porrò S. Emmoni ſubſtitutus vir Deo dignus Wlfrannus, qui per id tempus ſub Carolo Principe effloruit mirabili ſanctitate.*

XXXVII. Epiſcopi, quos ab Altiſſiodorenſi Monacho recenſitos & à Roberto ac Sammarthanis omiſſos Henſchenius ne nominandos quidem duxit, haud alij ſunt ab Ermentario & Emmone, quos ante Amatum ſediſſe conſtat. Concilio enim Cabilonenſi, quod regnante Clodoueo Secundo celebratum eſt, *Armentarius Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ* ſubſcripſit, &, vt Beda teſtatur [e], *anno Dominicæ Incarnationis* 668, *Adrianus* Abbas, cùm Româ iter in Britanniam per Franciam faceret, *perrexit ad Emmonem Senonum & poſteà ad Faronem Meldorum Epiſcopos*. De aliis quinque quid Robertus, quid Sammarthani ſcripſerint, quidue ſentiendum ſit, exploremus.

[e] Lib. 4. c. 1.

XXXVIII. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana ſic habet. *Medericus vel Mederius expulſo S. Amato ſufficitur, & ſepelitur in Monaſterio S. Symphoriani quod fundauerat. Hildegrannus vel Hildegarius. Auripertus. Arnulphus. Landebertus ſiue Lambertus.* Deinde hanc notam quæ plurimùm obſeruanda eſt, proximè

ſubiungit.

Digitized by Google

ſubiungit. *Oportet autem horum quinque inter S. Amatum & S. Vulfrannum interiectorum tempus Sedis fuiſſe admodum breue, aut eorum nonnullos, vt ſupernumerarios his locis, rectiùs alibi collocari debere.* AN. CH. 682.

Sammarthani de iiſdem quinque Senonenſibus Epiſcopis hæc in literas retulere. *Mederius, eiecto Amato ſubſtitutus, iacet in Monaſterio ſancti Symphoriani in ſuburbio quod ædificaſſe traditur. Hildegarius. Auripertus, cuius nomen eruitur ex Chronico Altiſiodorenſi. Arnulfus. Landebertus Fontanellæ Monachus, Auctore Trithemio, memoratur in Faſtis Eccleſiæ & Autiſiodorenſi Chronologo: ſed eius Pontificium, anteceſſorúmque Præſulum, fuiſſe admodum breue probabile eſt.* THEODOR. III. R. 9. XXXIX.

XL. Vrbanus *Reuerſy* Præcentor Eccleſiæ Senonenſis Doctórque Theologus ac Sorbonæ Societatis alumnus Nomenclaturam Senonenſium Archiepiſcoporum ex Hiſtoria F. Petri *Butereau* Celeſtini deſcriptam Demochari communicauit. Ab Altiſſiodorenſis Monachi ſententia non receſſit, inter Amatum & Vulfrannum ſeptem Antiſtites, Medericum ſiue Mederium, Hildogarium, Auripertum, Ermentarium, Arnulphum, Landebertum ſiue Lambertum, & Haymonem ſiue Eminonem, medios collocauit. Id patet ex ipſiuſmet Democharis [a] Catalogo, vbi proximi ſucceſſores Amati ſic recenſentur. *Medericus ſiue Mederius, anno Domini obiit 631, qui rexit 5 annis. Hildogarius. Auripertus, obiit 647. Ermentarius in Concilio Cabilonenſi Armentarius ponitur, obiit 650. Landebertus ſiue Lambertus. S. Haymo ſiue Emino.* Mirum ſanè, quòd in illo Senonenſium Pontificum Indice Medericus ſeu Mederius anno Domini ſexcenteſimo triceſimo-primo, Auripertus anno Domini ſexcenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, Ermentarius ſiue Armentarius anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo dicantur obiiſſe, & de ſancto Amato, qui Medericum ſeu Mederium in Epiſcopatu anteceſſit, hæc præmittantur. *S. Amatus 672 à Theodorico Rege affligitur.* Quis iſta conciliare poſſit?

[a] Lib de diuin. Miſſ. Sacrif. c. 17.

XLI. Error tranſiit ad Chenutium qui Democharem ſic tranſcripſit. *Medericus ſiue Mederius, qui rexit 5 annis, ædificaſſe S. Symphoriani Eccleſiam in Senonenſi ſuburbio fertur, & in ea ſepultus fuiſſe anno 631. Hildegarius. Auripertus, obiit 647. Ermentarius, in Concilio Cabilonenſi Armentarius ponitur, obiit 650. Arnulphus. Lamdebertus ſiue Lambertus Monachus Monaſterij Fontanellæ Ord. S. Benedicti, doctrinâ & morum grauitate venerabilis floruit anno 700, Trithemius lib. 4. cap. 71 de vitis Monach. Ord. S. Bened. S. Haymo ſiue Emno.* Elogium Lamberti apud Trithemium, quem Chenutius & Sammarthani allegant, loco citato tale eſt. *Lampertus Monachus Cœnobij Fontanellæ ac deinde Senonenſis Archiepiſcopus, vir doctus & valdè venerabilis, verbo & exemplo multos gentilium ad fidem Chriſti conuertit. Claruit anno Dominicæ Natiuitatis 700.*

XLII. E ſeptem illis Epiſcopis, quos Monachus Altiſſiodorenſis, Petrus *Butereau*, Demochares & Chenutius ab Amato ad Vulfrannum recenſuerant, Robertus & Sammarthani, vt dictum eſt ſuprà, duos reſciderunt, Armentarium videlicet & Emmonem, quos ante Amatum Epiſcopos fuiſſe certiſſimè deprehenderunt. Iacobus Seuertius non Armentarium modò & Emmonem, ſed & Medericum, Hildegarium, Auripertum, & Arnulphum Amato præpoſuit, vno tantùm Landeberto inter Amatum & Vulfrannum medio relicto. De Hildegario dubium moueri non debet. Hic enim regnante Dagoberto primo ſedit, vt Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum [b] probauimus. Quatuor igitur ſuperſunt Senonenſes Epiſcopi, Mederius, Auripertus, Arnulphus, & Landebertus, quibus inter Amatum & Vulfrannum locus ex auctoritate Monachi Altiſſiodorenſis & ſequacium ſeruari poſſit, nec plures per illud tempus ab Henſchenio proponi debuerunt. Verùm, cùm inter anteceſſores Amati, vt Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſecundum [c] demonſtrauimus, ponendi ſint Aunobertus & Honulfus, quos vulgati Catalogi ſucceſſoribus Vulfranni nec proximis annumerant, cur nonnullos ex iis, quos iidem Indices Vulfranno præponunt, inter eius ſucceſſores non li-

[b] Num. 19.

[c] Num. 47.

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

ceat reiicere ? In illum ordinem reiiciendos arbitramur Auripertum & Arnulſum, quia ſpatium temporis, quod ab Amato ad Vulfrannum intercedit, & à Seuertio ſoli Landeberto tribuitur, in duos Pontificatus, Mederij videlicet & Landeberti diſtinguimus. Atque hæc ſufficiant, vt intelligas nullum argumentum ex Indicibus Antiſtitum Senonenſium hactenus euulgatis erui, quo probare poſſis Vulfrannum Epiſcopum ordinatum fuiſſe Clodoueo Tertio iam regnante. De Vulfranni ſucceſſoribus agemus infrà.

XLIII. EXAMINATVR CHRONOLOGIA CLARII.

Secundum argumentum, quo ſe tuetur Henſchenius, petitur è Clarij Chronico. Hic Chronographus de Pipino Hariſtallienſi deque Senonenſibus Epiſcopis, Vulfranno, Gerico & Ebbone ſic ſcribit. *Anno* DCLXXVIII. *Pipinus Auſter Maior domûs Regiæ Principatum Francorum ſuſcepit. Huius temporibus ſanctus Vulfrannus Senonum Archiepiſcopus, relicto Epiſcopatu, ordinatóque in eius loco Gerico, viro clariſſimo, auunculo beati Ebbonis eximij Confeſſoris, quíque ei in Epiſcopatu ſucceſſit, Fontanellam Monaſterium petiit, ibíque Monachus effectus Friſiam prædicauit.* Henſchenius Characterem Chronologicum reticuit, & Clarium ab his tantùm verbis deſcripſit. *Huius temporibus,* &c. Vſus eſt hoc artificio, ne Clarij fides eleuaretur, qui quod omnes probæ notæ Scriptores ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum de Pipino commemorant, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo perperam adſcripſit.

XLIV. Vt ſcias quanam in exiſtimatione Clarium habere debeas, vbi de rebus ſeptimo ſeculo geſtis ſermonem inſtituit, notas omnes Chronologicas, quibus ab initio Chronici ad textum vſque proximè citatum vſus eſt, breuiter deſcribemus refellemúſque.

XLV. Clarius vixit duodecimo ſeculo. Chronicon ſuum ſic exorſus eſt. *Anno ab Incarnatione Domini quadringenteſimo quadrageſimo-ſexto, Pontificatûs Domni Leonis Magni Papæ ſecundo, Clodio primus Rex Franciæ regnauit annis viginti, poſt quem regnauit Childericus filius Merouei, expulſo Egidio Duce Romanorum de Regno atque interfecto. Anno ab Incarnatione Domini quadringenteſimo ſexageſimo-ſexto cœpit regnare Childericus* (in exemplari malè Chilpericus) *& regnauit viginti quatuor annis, qui genuit filium Clodoueum inprimis gentilem. Qui decimo-quinto anno Regni ſui à beato Remigio Remenſi Archiepiſcopo baptizatus eſt. Qui adhuc paganus genuit de concubina filium nomine Theodericum, qui regnauit poſt eum viginti quatuor annis. Anno* DIII *Clodoueus baptizatur à ſancto Remigio Remenſi Archiepiſcopo.* In hoc textu quot næui ! Annus Chriſti quadringenteſimus quadrageſimus-ſextus cum anno ſecundo Leonis Magni Papæ non conuenit, Leo enim Pontificatum *Valentiniano Auguſto & Anatolio Conſulibus*, vt Proſper in Faſtis teſtatur, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo, ſuſcepit. Clodio regnauit quidem annis viginti, ſed regnum haud auſpicatus eſt anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo-ſexto, imò vitam finiuit illo anno, cùm Franciam annis viginti poſt Faramundum patrem ab anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo-ſexro gubernaſſet. Eidem Clodioni non ſucceſſit Childericus Merouei filius, ſed ipſemet Meroueus, tum Merouco Childericus eius filius, qui nec regnare cœpit anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo-ſexto, nec regnauit annis duntaxat viginti quatuor, ſed regnum poſt Merouei patris mortem iniit anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo-ſexto, tenuítque annis viginti quinque ad annum vſque Chriſti quadringenteſimum octogeſimum-primum. Deinde ſi Childericus ex Clarij calculo regnum adeptus eſt anno Chriſti quadringenteſimo ſexageſimo-ſexto, rexítque annis quatuor ac viginti, quomodo Clodouei filij ac ſucceſſoris annus decimus-quintus, cum anno Chriſti tertio ſupra quingenteſimum quadrare poteſt ? Secundùm illam computationem Childericus obiit anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo, & annus decimus-quintus Clodouei Regis cum anno Chriſti quingenteſimo quinto coincidit. At Childericus, vt ſuprà dictum eſt, anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo-primo vitam

Digitized by Google

AN. CH. 682.

THEODOR. III. R. 9.

clauſit, & annus pòſt decimus-quintus, quo Clodoueus Magnus à ſancto Remigio baptizatus eſt, cum anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-ſexto comparari debet. Regnauit Clodoueus annos triginta [a], id eſt, ad annum vſque Chriſti quingenteſimum vndecimum. Eius filius Theodoricus, quem Clarius regnaſſe dicit *viginti quatuor annis*, mortuus eſt *viceſimo-tertio Regni ſui anno*, vt Grogorius Turonenſis, cui potior fides haberi debet, in Hiſtoria Eccleſiaſtica Francorum teſtatur [b].

[a] Greg. Turon. l. 2. c. 43.

[b] Lib. 3. c. 23.

XLVI.

Apud Clarium hæc ſequuntur de Sanctis, Benedicto, Germano & Emmone. *Anno* DLIX *obiit ſanctus Benedictus, & in monte Caſſino per centum quinquaginta vnum annos iacuit, & poſt corpus eius in Gallias tranſlatum eſt anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſub Papa Vitaliano. Anno* DLXXXII *obiit ſanctus Germanus Pariſienſis. Anno* DCLX, *Tranſlatio ſancti Patris Benedicti à monte Caſſino in Gallias. Anno* DCLXXV *tranſiit ad Chriſtum ſanctus Emmo Senonum Archiepiſcopus*. Sunt & in ſingulis hiſce numeris menda. Sanctus Benedictus nec obiit anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-nono, nec in Gallias tranſlatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo. Eius obitus anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-tertio contigit, & Tranſlatio è monte Caſſino in Gallias facta eſt ſub Adeodato Papa, qui Vitaliano in Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio ſucceſſit. Deinde ſi iuxta Clarium obiit anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-nono, & in Gallias tranſlatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, non iacuit in monte Caſſino *per centum quinquaginta vnum annos*, ſed tantùm per centum & vnum, abundátque vox *quinquaginta*. Sanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus obiit anno primo Childeberti Regis, vt Gregorius Turonenſis [c] affirmat, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, nec vitam ad annum vſque Chriſti quingenteſimum octogeſimum-ſecundum produxit. Similiter Emmo Senonenſis Epiſcopus ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum haud peruenit. Amatus enim in Epiſcopatum eidem Emmoni iam ſucceſſerat, cùm Theodoricus Regno ſpoliatus in poteſtatem Childerici fratris deuenit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-nonum [d] obſeruauimus.

[c] Lib. 5. c. 8.

[d] Num. 2.

XLVII.

Denique, ſi Clario fides eſt, *anno* DCLXXVIII *Pipinus Auſter Maior domûs Regiæ Principatum Francorum ſuſcepit*, id eſt, cùm Maior Regiæ domûs in Auſtraſia tantùm eſſet, Maioratum domûs Regiæ per vniuerſam Franciam ſuſcepit. Hoc autem geſtum eſt anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, vt ad illum annum probaturi ſumus.

XLVIII.

Characteribus Chronologicis, quos in ſuo Chronico Clarius vſurpauit, priuſquàm de Vulfranno Epiſcopo Senonenſi eiúſque ſucceſſoribus Gerico & Ebbone verba faceret, ad vnum vſque ſic examinatis exploſíſque, Lector facilè iudicabit inualidam eſſe circa Vulfranni Pontificatum ratiocinationem Chronologicam, quæ ſolâ iſtius Chronographi auctoritate fulciatur.

XLIX.

VVLFRANNVS EX EPISCOPO SENONENSI FIT MONACHVS FONTANELLENSIS.

Obſeruatu tamen digniſſimum eſt, quòd teſte eodem Clario *Vulfrannus Senonum Archiepiſcopus, relicto Epiſcopatu, ordinatóque in eius loco Gerico Fontanellam Monaſterium petiit, ibíque Monachus effectus Friſiam prædicauit*. Id veritati conuenientiſſimum videtur. Quis enim ſibi perſuadeat Epiſcopum Senonenſem in Fontanellenſe Monaſterium ſeceſſiſſe, ibíque Monachum induiſſe, tum profectum eſſe in Friſiam, incoláſque regionis adhuc paganos per multos annos erudiiſſe Senonenſi Eccleſiâ Paſtore interim deſtitutâ? Ionas Auctor contemporaneus in prologo, quem vitæ ſancti Vulfranni præfixit, contrarium certè docet, de illo enim ſic loquitur. *Hoc adiens Cœnobium*, nempe Fontanellam, *abruptis ſeculi laqueis militiam Chriſti, perſeuerandi definitione, ſuſcepit*. Dubium non eſt quin hic Scriptor, vtpote Monachus ſeculo vitam opponat Monaſticam, Monachatum per Chriſti militiam intelligat, & ſeculum ſeculíque laqueos inter-

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

pretetur quodlibet vitæ genus à Monaſtica diuerſum. Abruptis ergo ſeculi laqueis militiam Chriſti ſuſcipere nihil aliud eſt quàm cœtui ſe Monachorum addicere, & Vulfrannus Senonenſis Epiſcopus, vbi abruptis ſeculi laqueis militiam Chriſti in Cœnobio Fontanellenſi ſuſcepiſſe dicitur, Monachus illius loci factus exhibetur, imò cùm aſſeritur abruptis ſeculi laqueis militiam Chriſti, *perſeuerandi definitione*, ſuſcepiſſe, ex illa perſeuerandi definitione colligere eſt quod Fontanellenſe Monaſterium adierit cum conſilio ac propoſito perſeuerandi in ſtatu Monaſtico, ſibique ſpem omnem Epiſcopatûs iterum gerendi vel aliorum Eccleſiaſticorum munerum rurſus obeundorum præreptam eſſe voluerit. Tomo ſuperiore actum de ſancto Eremberto, qui Monaſticam vitam in Monaſterio Fontanellenſi ſub Abbate Wandregiſilo primùm amplexus eſt ſuperſtite Clodoueo Secundo Rege, deinde regnante Clotario eiuſdem Clodouei filio promotus eſt ad Epiſcopatum Toloſanum, denique ſenio confectus abdicauit Epiſcopatum, in Cœnobium Fontanellenſe rurſum ſeceſſit Abbate tum Lamberto, ibique feliciter ad Deum migrauit pridie Kalendas Maij. Si ſeptimo ſeculo, cùm Monaſticus ordo per Galliam florentiſſimus eſſet, Monachi complures Abbateſque propter inſignem eruditionem ſingularémque pietatem facti ſunt Epiſcopi, vice verſâ non defuerunt Epiſcopi, qui dimiſſo Epiſcopatu fierent Monachi, ſeu gloriam fugerent, ſeu ſe ferendo Pontificatûs oneri iudicarent impares. Exemplum haud longè petendum. Anno priori[a] Claudius ex Metropolita Biſuntino factus eſt Monachus Condateſcenſis ſub Iniurioſo Abbate. Sanctus Benedictus Sacerdotes, quorum nomine cùm Epiſcopos tum Preſbyteros amplectitur, à ſpe ſuſcipiendi Monachatûs haud excludit, ſed eis nec facilè Monaſterium patere, nec de Regulæ diſciplina quidquam vult relaxari. *Si quis de ordine*, inquit[b], *Sacerdotum, in Monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit, non quidem citiùs ei aſſentiatur. Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem Regulæ diſciplinam ſeruaturum. Nec aliquid ei relaxabitur.* Lege quæ Tomo primo diximus ad annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum-quartum[c], vbi Regulam Benedictinam aliquot notis illuſtrauimus. Perſeuerandi definitio, ſub qua Vulfrannus fit Epiſcopus, penè ſuadet in vſu fuiſſe, vt Epiſcopi, cùm in Monaſteriis ſuſcipiebantur, arctiori quàm ceteri quique propoſito ſe obligarent perſeuerandi in vita Monaſtica. Quicquid ſit de ceteris, Vulfrannus Senonenſis Epiſcopus adiit Fontanellenſe Monaſterium, & *abruptis ſeculi laqueis*, ſeu dimiſſâ rerum omnium mundanarum curâ, ſpretiſque diuitiis & honoribus, *militiam Chriſti*, ſeu Monachatum qui nihil habere proprium permittit, *perſeuerandi definitione, ſuſcepit*. Porrò tempus ipſum, quo Vulfrannus Epiſcopatum abdicauit, vt Monachum apud Fontanellam indueret, ſic deſignat prædictus Ionas in eodem prologo. *Qui*, nempe Vulfrannus, *tempore regiminis ſancti Anſberti Abbatis Fontanellenſis, futuri Præſulis Rothomagenſis Eccleſiæ, hoc adiens Cœnobium, abruptis ſeculi laqueis, militiam, Chriſti perſeuerandi definitione, ſuſcepit.* Anſbertus Abbas fuit Fontanellenſis ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium, deinde Rothomagenſis Epiſcopus ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum.

L. SVCCEDIT IN EPISCOPATVM GERICVS.

His ita diſcuſſis, exiſtimamus hoc circiter anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, cùm Audoenus Rotomagenſis Epiſcopus in viuis adhuc ſuperſtes erat, & Anſbertus Abbas Fontanellenſe Monaſterium regebat, Vulfrannum, vt Monachus fieret, Fontanellam ſe contuliſſe dimiſſo Epiſcopatu Senonenſi, eodémque tempore Pontificales Infulas delatas eſſe Gerico, *viro*, vt Clarius[d] loquitur, *clariſſimo*.

LI. Ionas in vita ſancti Vulfranni, vbi agit de illius itinere ad Anſbertum Abbatem, eſt valdè deprauatus, multúmque differt à prologo ſuprà laudato. Textus hodie ſic legitur. *Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtra-*

[a] An. 681. n. 65.
[b] Cap. 62.
[c] Num. 75.
[d] In Chron. ad an. 678.

Digitized by Google

tis, ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini anteà illis inauditum euangelizaret, inito opere Apoſtolico, propoſuit illicò animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ religionis & Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipſe ſcientiâ literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus, Monachicum & nomen ſeruans & habitum in prædicto Monaſterio multorum Pater extans Monachorum. Hunc Pontificem adiens beatus Vulfrannus ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ ſedenti verbum vitæ immortalis annunciaret. Sequuntur nonnulla, quæ ſpectant ad bona Fontanellenſi Monaſterio à Vulfranno nondum Epiſcopo collata, nec ad rem pertinent de qua nunc agimus. Auctor ad iter Vulfranni poſteà ſic redit. *Ad præfatum Fontanellenſe Monaſterium perueniens, de eodem loco cooperatores verbi ſtrennos & ad prædicandum idoneos, vtpote actione ſimul & eruditione præclaros aſſumens, præparatis omnibus, quæ nauigantibus neceſſaria eſſe videbantur, in portu eiuſdem Monaſterij nauim aſcendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens Gallicum, nauigauit in Friſiam, & genti illius ac Duci Radbodo verbum Dei annunciabat.* AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

LII. Aduerte maximam differentiam, quæ prologum inter ac textus illos intercedit. Vulfrannus Fontanellam adiit. Id liquet cùm ex eius vita tum ex eiuſdem vitæ prologo. Sed ſi prologo, qui genuinus eſt Ionæ fœtus, fidem habemus, dimiſſo Epiſcopatu factus eſt Monachus, &, vt Auctoris verbis vtamur, *abruptis ſeculi laqueis, militiam Christi, perſeuerandi definitione, ſuſcepit.* Secus verò ſentire nos oportet, ſi corruptis vitæ textibus adhæremus. Illorum enim hic eſt ſenſus. Vulfrannus Epiſcopus, cùm Diœceſim Senonenſem aliquot iam annis adminiſtraſſet, à Deo per viſum admonitus eſt, vt Friſiis Euangelium prædicaret. Extemplò Rotomagum perrexit; Anſbertum, qui tunc Rotomagenſis Epiſcopus, ſimúlque Abbas Fontanellenſis erat, ſui conſilij participem fecit; acceptíſque eius permiſſu è Monaſterio Fontanellenſi ſtrenuis cooperatoribus in Friſiam nauigauit. Nullum ibi de abdicato Epiſcopatu vel de Monachatu ſuſcepto verbum. At textus, in quo talis narratio continetur, vel ex eo deprauatus apparet, quòd Anſbertum eodem tempore Rotomagenſem Epiſcopum atque Abbatem Fontanellenſem conſtituit. Vt enim anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo, cùm Lantbertus ex Abbate Fontanellenſi creatus eſt Epiſcopus Lugdunenſis, Anſbertus ex Monacho Fontanellenſi factus eſt Abbas eiuſdem Monaſterij, ſic & anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, cùm idem Anſbertus ſancto Audoeno in Epiſcopatum Rotomagenſem ſucceſſit, Hilbertus ex Monacho Fontanellenſi factus eſt Abbas eiuſdem Cœnobij. Vitioſum eſſe Ionæ textum deprehendit Henſchenius, & ea, quæ de Anſberto in vulgatis exemplaribus occurrebant, amputauit narratione, in quam inquirimus, compendioſiùs ſic editâ. *Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis*, Vulfrannus *ſuperno eſt oraculo admonitus, vt genti Freſionum verbum Domini euangelizaret: qui mox inito Apoſtolico opere propoſuit animo pluribus prodeſſe, vnde ad Monaſterium Fontinellæ acceſſit cui præerat Abbas . . . . atque inde cooperatores verbi ſtrenuos & ad prædicandum idoneos aſſumpſit. Sicque in portu eiuſdem Monaſterij nauem aſcendens nauigauit Freſiam, & genti illi ac Duci eius Rathbodo verbum Dei annuntiauit.*

LIII. Duas Vulfranni profectiones ad Anſbertum diſtingue, vnam ad Anſbertum tunc Abbatem Fontanellenſem, alteram ad eundem Anſbertum Rotomagenſem tunc Epiſcopum. Vulfrannus Epiſcopatu Senonenſi circa hunc annum, Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſecundum, dimiſſo, Fontanellam, vt illius loci Monachus fieret, ad Anſbertum Abbatem ſe contulit; deinde anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto è Monaſterio Fontanellenſi, vbi Monachum agebat, Rotomagum perrexit, vt eundem Anſbertum Rotomagenſem Epiſcopum, in cuius Diœceſi Fontanella ſita

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

erat, ſuper viſione ſibi oſtenſa & Euangelio Friſiis annuntiando conſuleret. Hac diſtinctione præmiſsâ Ionam ex editionibus Suriana & Henſcheniana ſimul collatis ſic corrige. *Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium. Erat eo tempore Abbas Monaſterij Fontanellæ famulus Domini Ansbertus, Monachicum & nomen ſeruans & habitum in prædicto Monaſterio multorum pater extans Monachorum. Poſteà ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini euangelizaret: qui mox inito Apoſtolico opere propoſuit animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ religionis, anteà Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipſe ſcientiâ literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus, Hunc Pontificem adiens beatus Vulfrannus ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ ſedenti verbum vitæ immortalis annuntiaret*, &c. *Ad præfatum Fontanellenſe Monaſterium reuerſus, inde cooperatores verbi ſtrenuos & ad prædicandum idoneos aſſumpſit. Sicque in portu eiuſdem Monaſterij nauem aſcendens nauigauit in Friſiam, & genti illi ac Duci eius Rathbodo verbum Dei annuntiabat.* Agemus poſt biennium de itinere, quod Vulfrannus Fontanellâ Rotomagum, Rotomago Fontanellam, atque inde in Friſiam ſuſcepit. Satis eſt hîc probaſſe, quòd Epiſcopatum Senonenſem circa hunc annum abdicauit, & annuente Anſberto Fontanellenſi Abbate, cuius præſentiam adiit, Fontanellenſium Monachorum Congregationi ſe addixit.

LIV. Cetera Henſchenij argumenta, quæ ad probandam ætatem ſancti Vulfranni pertinent, commodiùs in illius obitu vel Tranſlatione diluemus.

LV. Ad hæc tempora, quibus Vulfranni ſeceſſum in Monaſterium Fontanellenſe conſignamus, referri debent quæ de Vulfranni ſucceſſore leguntur apud Surium. *Ordinato in Epiſcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium.* Et apud Henſchenium. *Ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis, ad præfatum Fontinellæ Monaſterium ſeceſſit.* In vtraque autem editione ponuntur iſta poſt Vulfranni reditum è Friſia, ſed quàm malè, ſuo exponemus loco, cùm peruenerimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum, quo Vulfrannus à Ratbodo Friſiorum Rege pulſus ad Monaſterium Fontanellenſe remeauit.

LVI. MOGISLVS MONACHVS FONTANELL. Erat Vulfranno nepos, nomine Mogiſlus, qui Cœnobio Fontanellenſi *largitatem edidit de patrimonio Maniaco ſiue Villari, quod eſt ſitum in pago Meldunenſi*, & *in prædicto Monaſterio Monachus effectus, & regularibus ſubditus diſciplinis, ſpretis terrenis, cæleſtia ſperare didicit*, vt Ionas in editione Suriana teſtatur, hæc enim abſunt ab Henſcheniana, veritati tamen nullatenus videntur refragari. EBBO NEPOS GERICI EPISCOPI. Fuit & Gerico Vulfranni in Epiſcopatu ſucceſſori nepos, qui, quando Gericus auunculus Pontificatum ſuſcepit, pueritiam agebat. Sermo de illo ſæpiùs recurret, fuit enim primùm Monachus in Cœnobio ſancti Petri Viui, tum Abbas illius loci, deinde Epiſcopus Senonenſis, poſtremò Eremita.

LVII. His circiter temporibus in eadem Diœceſi Senonenſi natus eſt ſanctus Corbinianus, qui primus Eccleſiæ Friſingenſis apud Bojoarios Epiſcopus fuit. Eius vitam literis tradidit Aribo, qui quartum in Friſingenſium Pontificum Catalogo locum obtinet. Aribonem in epitomen redegerunt, elegantioríque ſtylo perpoliuerunt, qui noſtrâ ætate res Boicas ſcripſerunt Brunnerus & Adlzreitterus. CORBINIANVS NASCITVR. *Venerandus Dei famulus Corbinianus*, inquit Aribo, *ortus fuit ex regione Melitonenſi, natus in vico qui dicitur Caſtrus, ex patre Waldekiſo & matre Corbiniana. Quo nondum nato, genitor eius languore correptus, rebus exceſſit humanis. Eo itaque poſt obitum patris nato, mater eius genitoris ſui nomine ex ſacro eum fonte fecit ablutum appellari, at poſteà illius amore compuncta, nomen eius mutauit, cúmque vocauit Corbinianum. Qui dum bonæ indolis puer excreuiſſet, diuinâ inſpiratione compunctus, ſacræ religionis officium viriliter dili-*

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

gebat; cæpítque diuinæ Scripturæ ſagaciſſimus indagator exiſtere; pſalmodiam diligere; ieiunium amare; vigiliis & orationibus ſanctis inſiſtere; pauperes, quantùm potuit, recreare; hoſpitalitatem ſectari, & in boni operis cultu ſtudioſè perſiſtere. Apud Brunnerum [a] Melitonenſis ager *à Meloduno Gallorum Senonum vrbe* nomen accepiſſe videtur. Si fides eſt Adlzreittero, *natale* Corbiniano *ſolum dedit Melodunum, Senonum ciuitas.* Standum ab Aribone. Natus eſt Corbinianus in vico cui nomen Caſtrus, in regione Melitonenſi, cuius caput Melodunum *. De illius ætate ad annum Chriſti ſeptingenteſimum primum fuſiùs agemus.

[a] Lib. 5. n. 8.

* *Melun.*

LVIII. ABBATES S. CRVCIS.

Fredegeſilus, cùm in ſuburbio Meldenſi Monaſterium ſanctæ Crucis per annos duos ac viginti rexiſſet, obiit hoc anno, vt Abbatum illius loci Catalogus manuſcriptus teſtatur. Succeſſit Odo.

LIX. SACERDOS PVER,

Hiſce temporibus pueritiam agebat, & à Capuano Cadurcenſi Epiſcopo erudiebatur Sacerdos, qui poſteà in Epiſcopatum Lemouicenſem Aggerico ſucceſſit.

LX.

Vitam ſancti Sacerdotis conſcripſit Bernardus Guidonis Epiſcopus Lodouenſis. Hanc è Codice manuſcripto primus Tutellæ * Lemouicum publicauit Stephanus Baluzius anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, deinde altero pòſt anno Pariſiis Philippus Labbeus in Collectione rerum Aquitanicarum. Eruditam diſſertationem, quam Labbeus iam laudauit, eidem vitæ præmiſit Baluzius cum hoc titulo. *Diſquiſitio ſeculi, quo vixit ſanctus Sacerdos Epiſcopus Lemouicenſis.* Illâ lucubratione ad ſtabiliendam Chronologiam non ſemel vtemur.

* *Tulles.*

LXI.

In vita ſancti Sacerdotis tres occurrunt Characteres Chronologici; primus ducitur à Capuano Cadurcenſi Epiſcopo, qui Sacerdotem * erudiuit à pueritia promouítque ad Diaconatum; ſecundus ſumitur à Clodoueo Francorum Rege, cuius temporibus floruit Sacerdos; tertius petitur à perſecutione Vandalica, quâ ſæuiente, Mundana Sacerdotis anteà defuncti mater palmam Martyrij obtinuit. Vt multi diuerſis ſeculis apud Francos Clodouei regnarunt, ſic & Vandalorum nomen in Francia variis temporibus eſt auditum, atque inde nata multiplex opinio ſuper ætate, quâ Capuanus, Sacerdos, & Mundana vixerunt.

* *Sadroc.*

LXII.

Tres in Regum Francorum Catalogis celebrantur Clodouei. Primus, cui pater Childericus Primus, Regnum tenuit ab anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo-primo ad annum vſque Chriſti quingenteſimum vndecimum. Secundus, qui patre natus eſt Dagoberto Magno, regnauit ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quintum. Tertius, qui Theodorici Tertij filius fuit, Regno potitus eſt ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum. In vita ſancti Sacerdotis bis mentio fit Clodouei Regis. Capite octauo, ſic. *Defuncto Lemouicenſi Epiſcopo bonæ memoriæ Aggerico, vir Dei Sacerdos electione Cleri & fauore populi in Cathedra eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ſublimatur, regnante Clodoueo Rege, quem beatus Remigius baptizauit.* Et capite vndecimo. *Floruit autem ſanctus Sacerdos & Epiſcopus vrbis Lemouicæ, Auguſtorum Anaſtaſij & Iuſtini Senioris, Iuſtinianíque temporibus ſibi inuicem ſuccedentibus; Clodoueo Rege, filio Childerici, Francorum & Aquitanorum tenente Monarchiam. Hoc etiam tempore floruerunt Monachorum Legifer Benedictus, & ſanctus Amandus, & ſanctus Vedaſtus Epiſcopi venerandi.* Vterque textus Clodoueum Magnum deſignat, qui poſt patrem Childericum anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo-primo regnare cœpit, tres Aquitanias annis Chriſti quingenteſimo ſeptimo & quingenteſimo octauo ſubegit, annóque Chriſti quingenteſimo vndecimo vitam clauſit. Hæc obſeruatio pleroſque Nomenclatores decepit, Guillelmum Crucium in Actis Epiſcoporum Cadurcenſium, Ioannem Chenutium in Hiſtoria Chronologica Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ, & Clau-

Digitized by Google

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

dium Robertum in Gallia Chriſtiana. Tres enim hi Scriptores vnanimi conſenſu Capuanum anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo factum Epiſcopum Cadurcenſem volunt, deinde annos quadraginta ſediſſe ſubiiciunt Crucius & Chenutius. Hæc autem ſi vera ſunt, Sacerdos, quem Capuanus Epiſcopus Leuitam ordinauit, Epiſcopatum Lemouicenſem gerere potuit Clodoueo Magno regnante & Aquitanias adepto. Quapropter apud Democharem, licèt hic Auctor nullam Capuani mentionem faciat, prædicti Sacerdotis Epiſcopatus anno Chriſti quingenteſimo decimo-ſeptimo conſignatur. Ad illum annum Sacerdotem Epiſcopum perueniſſe nil vetat, ſi Capuanus Cadurcenſis Epiſcopus anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo viuere deſiit. Crucius Epiſcoporum Lemouicenſium Catalogum non edidit, de Sacerdote tamen in encomio Capuani ſic locutus eſt, vt à Democharis ſententia minimè receſſerit. Robertus Sacerdotem Aggerico quidem ſubrogat, ſed ſtatim ſubdit videri ſibi, quòd *inter duos Ruricios* ſit reponendus. Hac autem vtitur additione, quia in Cadurcenſium Epiſcoporum Catalogo Capuanum anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo conſtituit, aduertítque Iuniorem Ruricium Eccleſiæ Lemouicenſi præfuiſſe, cùm celebrata eſt Synodus Aruernenſis prima ſub Theodoberto Rege, Clodouci Magni nepote. Veritus eſt hic Auctor ne pugnantia loqui videretur, ſi Capuanum anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo promotum eſſe ad Infulas Cadurcenſes, & Sacerdotem in Epiſcopatum Lemouicenſem Aggerico ſucceſſiſſe determinatè diceret. Chenutius haud adeò cautus. Capuanum enim ab anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ad annum Chriſti quadringenteſimum octogeſimum agnoſcit Epiſcopum Cadurcenſem, & Aggerico, qui poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum in Cathedra Lemouicenſi ſedit, Sacerdotem ſufficit. At alterutrum corrigendum, quia Sacerdos à Capuano Diaconus ordinatus eſt, & inter vtriuſque Pontificatum interſtitium tam longum annorum centum & ampliùs admitti non poteſt. Omnium optimè Sammarthani, quia poſt Baluzium ſcripſerunt, aſſerunt Capuanum ſancto Deſiderio in Epiſcopatum Cadurcenſem & ſanctum Sacerdotem Aggerico in Epiſcopatum Lemouicenſem ſucceſſiſſe. Sanctus * Deſiderius, vt Tomo priore dictum eſt, ad Deum feliciter anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo migrauit. Aggericus poſt Salutarem ſedit, hic poſt Ermenonem qui ſanctum Tillonem anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo tertio ſepeliuit.

**Sanct Geri.*

LXIII. Ex prædictis duplex Bernardi Guidonis error deprehenditur, quia Sacerdos nec Clodoueo Magno ſynchronus vixit, nec Pontificatum geſſit regnante Clodoueo, nam longè poſt obitum Clodouei Secundi natus eſt, & Clodoueo Tertio Monarchiam Francorum obtinente nondum erat Epiſcopus.

LXIV. Præterea idem Auctor mendis non caret, vbi Clodoueo Regi, filio Childerici, Francorum & Aquitanorum Monarchiam tenenti coætaneos tribuit, Anaſtaſium, Iuſtinum & Iuſtinianum Auguſtos, Benedictum Monachorum Legiferum ſeu Patriarcham, Amandum & Vedaſtum Epiſcopos. Anaſtaſius enim, poſt cuius mortem, Imperium Iuſtino, tum Iuſtiniano delatum eſt, Clodoueo Magno, cuius obitus in annum Chriſti quingenteſimum vndecimum incidit, ſuperſtes vixit, vitámque ad annum vſque Chriſti quingenteſimum duodeuiceſimum produxit. Deinde Amandus, qui Traiectenſis Epiſcopus fuit, lucis vſuram accepit anno Chriſti quingenteſimo vndenonageſimo, id eſt, anno poſt Clodouei Magni mortem ſeptuageſimo-octauo.

LXV. ERVDITVR A CAPVANO EPISC. CADVRC.

Primordia Sacerdotis in eius vita ſic deſcribuntur. *Beatus Sacerdos*, cui parentes *ex clara ſtirpe* Laban & Mundana, natus eſt in vico nuncupato Calabro *inter Caturcenſium & Petragoricorum fines*, *non longè à fluuio Dordonia* ſito. *Traditus eſt autem puer ſancto Capuano Caturcenſi Epiſcopo*, *viro inter Præſules Aquitaniæ præcellenti*, *vt eum literis & Chriſtianâ inſtitueret diſciplinâ.*

Tranſactis

Digitized by Google

Tranſactis annis puerilibus, dum doctrinis ſalutaribus inſiſteret, & pubeſcentes annos maturitate tranſcenderet, cœpit cunctos coætaneos ſuos virtutum præconiis præcellere. Vnde venerabili Capuano, ſub cuius degebat magiſterio, admodum charus erat, & ei ſemper aſſiſtens, doctrinam, quam ab eo hauriebat, in ſuo pectore recondebat. Aſtutiam eius ſimplicitas commendabat, & vrbanum eloquium modeſtia temperabat. Cùm autem iam metas attingeret iuuentutis, in ipſa feruenti ætate cœpit caſtitatis amator exiſtere, mundíque delectamenta ſpernere. Memoratus autem Capuanus Epiſcopus, per Angelicam admonitionem ordinauit eum Leuitam. Agemus infrà de Sacerdotis Diaconatu, interim annos Capuani cum annis eiuſdem Sacerdotis ſic compone.

AN. CH. 682. THEODOR. III. R. 9.

Capuanus anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo Pontificatum Cadurcenſem ſuſcepit, anniſque tenuit circiter quinquaginta. Sacerdos natus eſt anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſeptuageſimo, puer Capuano traditus eſt vt erudiretur, ab eodem Capuano Diaconus ordinatus eſt anno Chriſti circiter ſexcenteſimo nonageſimo-quinto, Monachum paulò pòſt induit in natali ſolo, id eſt, in vico Calabro Diœceſeos Cadurcenſis, ibíque ſub Abbatis diſciplina manſit annos ſeptem, donec Presbyter & Abbas illius loci fieret. Monaſticam igitur vitam in Epiſopatu Cadurcenſi ducebat, cùm Capuanus Epiſcopus ad Deum migrauit. Hæc autem, vt & alia plurima, quæ pertinent ad Acta ſancti Sacerdotis, fuſiùs, diſtinctiúſque ſuis locis exponemus. LXVI.

683. THEODOR. III. R. 10.

ANNVS
CHRISTI 683.
THEODORICI III. R. 10. 3.

I. STATVS GALLIÆ GOTHICÆ.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, ſiue *Erâ* DCCXXI, celebratum eſt Concilium Toletanum decimum-tertium, ex cuius ſubſcriptionibus conſtat Vcetiam & Albigam Eruigio Wiſigothorum Regi tunc paruiſſe. Subſcripſerunt enim iſti Synodo *Citruninus* ſiue Citruinus & *Leopardus* Abbates, quorum hic vicem *Potentini Epiſcopi Vticenſis* ſiue Veccienſis agebat, ille vice *Stephani Epiſcopi Carcaſſenſis* ſiue Carcaſſonenſis fungebatur, & vt patet ex Chronico Epiſcoporum Albigenſium, quod Lucas Dacherius Tomo ſeptimo ſui Spicilegij publicauit, Albigenſem Pontificatum poſteà geſſit.

II. [a] Cap. 47. GISLEMARVS MAIORDOMVS OBIT. [b] Cap. 98. WARADO RECVPERAT MAIORATVM DOMVS.

Hoc eodem anno Warado Maioratum recepit poſt mortem Giſlemari filij, de cuius infelici exitu ſic Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Ob iniurias patris vel alia peccata crudelia à Deo percuſſus, iniquiſſimum ſpiritum exhalauit, iuxta quod ſanctus Audoenus ei prædixerat. Illóque defuncto, Waratto iterum honorem priſtinum functus eſt.* Et Auctor Hiſtoriæ [b] iuſſu Childebrandi ſcriptæ. *Inde verò reuerſus*, à bello videlicet aduersùs Auſtraſios geſto, *ob ſupplantationem patris, vel aliam malitiam non modicam, quam fallaciter perpetrauerat, à Deo percuſſus prædictus Giſlemarus, vt dignus erat, nequiſſimum fudit ſpiritum. Illóque mortuo, pater eius Warado honorem priſtinum Maioris-domûs recepit.*

III. ANSOALDVS EP. PICTAVIENS. INVISIT PHILIBERTVM ABB. GEMMETIC.

Anſoaldus Pictauienſis Epiſcopus, cùm Wararo ſeu Warado Maioratum Domûs Regiæ gerebat, Philiberti Abbatis inuiſendi causâ Gemmeticum perrexit. Sic enim Ermentarius in ipſius Philiberti vita. *Conuerſante illo Gemmetici, ad viſitandum Dei famulum contigit aduenire Præſulem Anſoaldum. Cúmque ſimul conueſcerentur, nunciatum eſt eis, quòd quemdam Monachum malignus ſpiritus vexaret. Cúmque ingreſſi domum, quâ æger iacebat, orationem*

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

VILLARE MON. VIRGINVM.

fudiſſent, malignus hoſtis ſtatim abſceſſit, & is, qui captus mente tenebatur, ſanus remanſit. Eodem igitur tempore Princeps Palatij Warato nomine, in Caltiuo territorio oppidum tradidit ſancto viro Philiberto ad Monaſterium virginum conſtruendum, Villare vocabulo, vbi vſque hodie religionis norma fulget Dei auxilio.

Hoc eodem anno, poſtquàm Warato Maioratum Regiæ domûs recuperauit, Condedus Preſbyter Inſulam Belſinnacam, *quam largitione* Theodorici *Regis adeptus fuerat*, aliáſque multas poſſeſſiones, quas *anno* III *præfati Regis, qui erat Lamberti Abbatis* Fontanellenſis *annus* IX, à Schiwardo viro prædiuite acceperat, Monaſterio Fontanellæ tradidit. Qua de re ſic Auctor

IV. CONDEDVS PRESBYTER MVNIFICVS ERGA MONAST. FONTANELL.

vitæ. *Beatus Condedus eandem Inſulam, quam largitione Regis adeptus fuerat cum vniuerſis rebus ad eam pertinentibus, ſed & alias poſſeſſiunculas, quas eidem quidam prædiues ac nobilis Schiwardus dono perenni contulerat ſub anno* III *præfati Regis qui erat Lamberti Abbatis annus* IX, *per teſtamenti ſeriem ditioni præfati Cœnobij Fontanellæ perpetuo iure tradidit poſſidendas. Quarum poſſeſſionum iſta ſunt nomina, Campellos & Geldufiacas, ac manſum in loco qui nuncupatur Aoletiaco, ſuper fluuium Sedanna cum molendino. Aderat tunc illuſtris Warato Maior domûs Regiæ in Fontanella Cœnobio, quando harum largitio rerum ab eodem ſancto viro condita fuit, cui etiam & conſenſit, & manûs ſuæ ſignaculis roborauit. Aderant prætereà Cynomailus, Zachatus & Iohannes, diſcipuli ſancti Condedi, qui etiam cum eo olim de tranſmarinis aduenerant partibus.* Waratonis Moioris-domûs nomen hoc loco ſatis oſtendit Characteres Chronologicos, annum videlicet tertium Thodorici Regis, & annum nonum Lamberti Fontanellenſis Abbatis, quos ad donationem Schiwardi meritò retulimus, teſtamento Condedi nullomodo conuenire. Warato enim Maioratum domûs Regiæ non obtinebat anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, quocum annus tertius Theodorici Regis & annus nonus Lamberti Fontanellenſis Abbatis comparantur.

V. AVDOENVS EP. ROTOM. PACEM INTER AVSTRASIOS ET NEVSTRASIOS COMPONIT.

Ceterùm Warado recuperato Maioratu nihil vehementiùs exoptauit, quàm vt pacem cum Auſtraſiis à Giſlemaro fractam, iterum renouaret. Vſus eſt Theodoricus Rex internuncio Audoeno Rotomagenſi Epiſcopo, de cuius profectione in Auſtraſiam ſic antiquiſſimus vitæ Scriptor à nobis ſæpè laudatus. *Sanctus Audoenus dum pro pacis concordia decertare ſemper videretur, procedente tempore orta eſt diſcordia inter Regem Francorum & Auſtraſios. Pergens itaque vir Domini aſſumpſit ſacrum conſilium, & Dei fretus auxilio ad vrbem Coloniæ filius pacis adueniens explorandorum Sanctorum gratiâ ciuitatem ingreſſus eſt, & Martyrum multitudinum monumenta perluſtrat, & reliquias eorum attollens cum maximo honore recondit. In ipſa ciuitate erat quidam vir iam annis viginti non valens verba proloqui mutus toto tempore. Dominus autem ad honorem famuli ſui Audoeni tale miraculum reſeruauit, vt in ipſius aduentu muto loquelam redderet, & diuturnas calens lingua laudes Chriſto perſonaret. Signum verò Crucis capite eius imprimens verbo imperauit loqui, & vt loqueretur obtinuit. Exinde ad Neuſtriam regrediens, pacis fœdere confirmato ciuitatem Virdunenſium aduenit, ingreſſúſque Eccleſiam ipſius ciuitatis, & ecce quadam mulier ſpiritum immundum habens curſu rapido virum Dei petere conata eſt, tandem ipſe Pontifex manu ſtrinxit caput eius, & violenter eiecit dæmonem, & ſanam parentibus reddidit. Exinde peruenit ad Palatia, & proſpera cuncta vt geſſerat indicauit, atque per ipſa regna vnitâ pace populum pacatum Sacerdos verus reddere promeruit.*

VI. MORITVR CLIPIACI.

A ſuperiori narratione ad obitum Sancti Audoeni ſic tranſit idem Auctor. *Itaque, ne ſermo noſter incultus faſtidium generet, conquieſcat, & ad obitum ſancti viri tendat oratio.* Necnon Fridegodus ſic. *Sed iam tempus eſt, vt de precioſiſſimi viri obitu calamus noſter quadam annotet.* Quin & idem Fridegodus teſtatur Audoenum in morbum incidiſſe atque obiiſſe *apud villam Clipiacum, vbi tunc ipſe vir beatus de pace remiſſa inter Francos & Auſtraſios nunciauerat*, vel, vt habet editio Suriana, *apud villam Clypiacum, vbi tum vir beatus de pace inter Francorum populos conſtituta nuncium attulerat.* Duo Anonymi,

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

quorum alter Geſta [a] Regum Francorum ſcripſit, alter Hiſtoriam [b] Francorum iuſſu Childebrandi Comitis exarauit, affirmant Audoeni mortem contigiſse, poſtquàm Warado priſtinum honorem Maioriſdomûs recepit. Fœdus igitur, quod Audoenus inter Orientales Occidentaléſque Francos inſigni laude renouauit, vltimum fuit operum quæ geſſit, vnanimíque conſenſu quatuor Auctores præcitati mortem illius hoc anno conſignandam docent, quanquam non diffitemur apud Fridegodum, qui ceteris multò recentior eſt, quoſdam inueniri Characteres Chronologicos, qui refragentur egeántque correctione.

[a] Cap. 47.
[b] Cap. 99.

VII. Beatiſſimi Præſulis felicem ex hoc mundo tranſitum ſic enarrat antiquiſſimus Scriptor. *Dum verò Domino protegente Clipiacum villam pro neceßitate Regis & populorum aduenißet regnante Theoderico & Chrotilde Reginâ, & adminiſtrante Warratone Subregulo, tempus aduenit vt nutu diuino anima Sancti viri à ſeculo migraret. Ægritudo ergo corporis Sanctum Dei contingens cœpit febribus æſtuare, ſed & Sanctus vir ſæpiùs Dominum deprecabatur vt eum iam de corpore liberaret, Dominus autem preces famuli ſui obaudiens permiſit ſarcinam carnis deponere & frui pòſt gloriâ paradiſi. Igitur rediens verus Iſraelita de Ægypto, animâ ſuâ deportatâ ab Angelis, migrauit ad Dominum.* Scripſit hic Anonymus ætate Caroli Martelli, teſtatur enim multa ſe literis commendaſſe, quæ *à diſcipulis* ipſius Audoeni *narrantibus* agnouit, & in textu proximè recitato Warattonem vocat Subregulum, quo titulo prædictus Carolus inſignitus fuit. Præter nomina Theodorici Regis, Chrotildis Reginæ, Warattonis Maioriſdomûs, nullam temporis notam apponit. Haud accuratiores ſunt alij duo Anonymi in Geſtis Regum Francorum & in Hiſtoria Francorum iuſſu Childebrandi ſcripta. Plures autem Characteres in Codice manuſcripto ſic exhibet Fridegodus. *Anno ſextodecimo, regnante Theoderico & Chrodochilde Reginâ, adminiſtrante res Palatij Waratone Subregulo, apud villam Clipiacum, vbi tunc ipſe vir beatus de pace remiſſa inter Francos & Auſtraſios nunciauerat, iam ſenio ætatis feſſo ægritudo corporis illicò contigit.* Et paulò pòſt. *Rexit autem Rothomagenſem Eccleſiam annos quadraginta & tres, menſes tres, dies decem. Nonagenarius migrauit ad Dominum ſub die* IX. *Kalendarum Septembrium Dominicâ, qui erat annus Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimus ſeptuageſimus-octauus.* Hæc poſtrema phraſis in Editione Suriana ſic effertur. *Nonagenarius migrauit ad Dominum nono Calendas Septembris, die Dominico, anno ab Incarnatione Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo.* Vt dies nonus ante Kalendas Septembres ſit Dominicus, currat litera Dominicalis E, neceſſe eſt. At litera Dominicalis E nec in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſeptimum, nec in ſequentem incidit. Vitam vltra illos annos produxit Audoenus. Id conſtat ex Chronologia Regum Francorum ſuperius inita, ex vita Sancti Leodegarij, & ex rebus ante ipſius Audoeni mortem ſub Theodorico Rege geſtis ab Ebroino, Warattone & Giſlemaro, Maioribus domûs Regiæ. Duo duntaxat apud Fridegodum excuſum anni notantur ab Incarnatione Dominica, ſexcenteſimus triceſimus-quintus quo ponitur Audoeni ordinatio in Epiſcopum, & ſexcenteſimus ſeptuageſimus-ſeptimus quo mors eiuſdem Audoeni conſignatur. In Codice manuſcripto non habetur annus Chriſti ſexcenteſimus ſeptuageſimus-ſeptimus, ſed ſexcenteſimus ſeptuageſimus-octauus. Hæc lectio melior eſt, Interpolatoríſque menti magis conuenit. Nam qui finxit Audoenum ordinatum fuiſſe Pontificem anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-quinto, mortem eiuſdem Audoeni, qui Præſulatum per annos tres & quadraginta tenuit, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo collocare debuit. Rationes autem, quas in ordinatione Sancti Audoeni protulimus, vt Fridegodi ſcriptis annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-quintum à quopiam inſertum ſuaderemus, annum quoque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum in ipſius Audoeni morte interpolatum docent. A Fridegodi computo, qui quadraginta tres annos Pontifica-

AN. CH. tûs Audoeno tribuit, haud recedimus, tot enim anni ab ordinatione Au-
683. doeni, ſiue ab anno Clodouei Regis tertio, Chriſti ſexcenteſimo quadrage-
THEO- ſimo, numerantur ad hunc annum, Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-
DOR. III. tertium, quo mortem eiuſdem Audoeni collocamus. Differimus autem ab
R. 10. illo Scriptore circa minutias, quas annis tribus & quadraginta completis ſuperaddit. Nam præter annos integros tres & quadraginta, vult Audoenum in Epiſcopatu vixiſſe *menſes tres, dies decem*, nos verò menſes tres diéſque totidem. Oritur hoc ſeptem dierum diſcrimen ex ordinationis die, quia conuenimus de die mortis, eſt enim in Tabulis Eccleſiaſticis nono Kalendas Septembris, quo die Fridegodus Audoenum mortuum tradit, celebris ipſius Audoeni memoria. Totius diſcrepantiæ fons eſt & origo textus Audoeni, quem Fridegodus perperam interpretatur. Ordinatus eſt Audoenus die Dominico ante Rogationes, dies ille viceſimus primus fuit menſis Maij, anno Clodouei Regis tertio, quem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo illigandum fusè probauimus. Fridegodus diem illum Dominicum, qui Rogationes præceſſit, cum die decimo-quarto Maij coincidiſſe contendit, nec diſtinguit diem decimum-quartum Maij, quo Rotomagum ingreſſus eſt Audoenus, à die Dominico ante Litanias quo conſecratus eſt Epiſcopus. Sic enim de Sanctis Audoeno & Eligio loquitur in ipſius Audoeni vita manuſcripta. *Sub vno die apud Rothomagum ambo pariter ordinati ſunt, Sanctus Audoenus eiuſdem vrbis Archiepiſcopus, Eligius verò Noiomenſis Epiſcopus, anno Dominicæ Incarnationis*, &c. *Pontificatum agente Romanæ Eccleſiæ*, &c. *pridie Iduum Maiarum, Dominico die ante Letanias*. Diem autem menſis tertij ſeu Maij decimum-quartum, quo Rotomagum Audoenus & Eligius peruenerunt, alium eſſe à die Dominico ante Litanias quo conſecrati ſunt Epiſcopi, clarè diſtinctéque ſic docet ipſemet Audoenus in vita manuſcripta Sancti Eligij. *Conuenientes igitur ſimul in vrbem Rothomagenſem quartodecimo die menſis tertij, anno tertio Clodouei minoris, die Dominico ante Letanias pariter fuerunt conſecrati.* Id eſt, *anno tertio Clodouei minoris*, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, cùm Audoenus & Eligius in vrbem Rotomagenſem *quartodecimo die menſis tertij* ſimul conueniſſent, ordinati ſunt pòſt Epiſcopi *die Dominico ante Litanias*, die ſcilicet viceſimo-primo eiuſdem menſis Maij, anno enim Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo Paſcha celebratum eſt decimo-ſexto die Aprilis. Audoenus, vt ſuo loco diximus, in cunis adhuc erat anno Chriſti ſexcenteſimo decimo, natus eſt ſub Clotario Secundo, *anno*, vt Fridegodus affirmat, *plùs minùs viceſimo Regni eius*, id eſt, anno Chriſti plùs minùs ſexcenteſimo quarto. Hinc alius error irrepſit in Fridegodum. Nam quomodò nonagenarius dici poteſt Audoenus, qui longè poſt annum Chriſti ſexcenteſimum natus eſt, obiitque nono Kalendas Septembris anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio? Certè Audoenus annum ætatis octogeſimum non attigit. Cur tot annos ex Audoeni vita reſcindamus, hæ duæ res ſatis oſtendunt. Fridegodus annos ſexdecim, quos Dagobertus regnauit, non à die quo Rex Auſtraſiorum eſſe cœpit ſed ab obitu Clotarij patris auſpicatur, deinde Audoeni mortem anno Theodorici Regis non decimo ſed *ſextodecimo* conſignat. Audoenus ad annum Theodorici Regis decimum-ſextum peruenire non potuit. Pontificatum enim, ipſomet Fridegodo teſte, ſuſcepit anno tertio Clodouei Regis, & Eccleſiam Rotomagenſem per annos duntaxat tres & quadraginta rexit, id eſt, per annos quindecim ſub Clodoueo Rege, per quatuordecim ſub Clotario, per quadriennium ſub Childerico, per decennium ſub Theodorico. Vt autem huic diſputationi finem imponamus, epocham accipe de Pontificatu & obitu Sancti Audoeni certiſſimis Characteribus confirmatam. Audoenus ordinatus fuit Epiſcopus Rotomagenſis duodecimo Kalendas Iunij, die Dominico ante Litanias, anno Clodouei Regis tertio, Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo; ſedit annos quadraginta tres, menſes tres, diéſque totidem; de-

Digitized by Google

ceſſit octogenario minor Clipiaci, nono Kalendas Septembris, feriâ ſecundâ, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, Theodorici Regis decimo, Warattone domûs Regiæ Maioratum gerente. Exequias iam proſequamur. AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10. VIII.

Fit planctus apud Proceres Regis magnus, omnis Regalis Dignitas concutitur, omnis altitudo humiliatur, omne gaudium in lamentum vertitur, omnis riſus quieſcit, amaritudo autem accreſcit, omnis domus Regia plangit optimum Conſiliarium, planè omnis populus ad lamentum exurgit eò quòd pacem populis ſemper procurabat, & vt humanus ſanguis non effunderetur, viriliter deſudabat. Quamobrem commotæ ſunt ad lamentum omnes Palatij fores. Igitur Rex cum Regina, & Epiſcoporum conuentus, atque Maiordomûs, ſeu Priores Palatij vnà pariter conglobati virum in feretro deportantes ſanctáſque exequias celebrantes, gaudebat quiſque & maximum lucrum deputabat, ſi quis mereretur beati viri corpus in ſuis humeris deportare. Cúmque cum maximo honore vſque pontem Iniſæ & cum digno funeris ornamento vigilias celebrantes perueniſſent, noctem totam in Domini laudibus peregerunt. Inde Regalis Dignitas remeauit ad propria cum magna triſtitia videns ſibi ablatam Domini margaritam. Tum verò conuentione factâ plurimorum Epiſcoporum vnà cum venerabilium Sacerdotum & Clericorum multitudine, ſeu illuſtrium virorum Vilgaſinum oppidum ingreſſi ſunt cum magno fauore beatum corpus humeris deportantes cum laudibus & hymnis Deo canentes & cum grandi fletu Paſtoris feretrum praſtolantes. Per loca ergo ſingula, vt diximus, triſtitiâ mixti beatum corpus deportatum apud ciuitatem ſuam Rothomagum in Baſilica beati Petri Apoſtoli cum magno decore ſepelierunt, vbi Dominus Ieſus Chriſtus eius meritis ſuffragantibus ſigna multarum virtutum operari dignatus eſt, & non ſolùm in eodem loco, ſed per plures prouincias, vbi ipſe vir Sanctus in corpore quieuit dum adhuc viueret. Tanta verò illic ad præſens miracula fulgent, vt ibidem cæci illuminentur, leproſi mundentur, claudi greſſibus reſtaurentur, dæmoniaci curentur, & diuerſi languentes eius meritis releuentur. Longum namque eſt enarrare de tantis mirabilibus, quæ ibidem Dominus per merita beati Audoeni dignatus eſt demonſtrare, ſufficit tamen pauca dixiſſe de pluribus, ſed ſi quis voluerit hæc certiùs ampliúſue cognoſcere, luſtret Galliam & Aquitaniam, Hiſpaniam vel Italiam, & inueniet ita vt narrauimus, & vera dixiſſe comprobabit, non falſa. Hæc antiquiſſimus Auctor, qui Sancti Audoeni vitam ætate Caroli Martelli ſcripſit.

TRANSFERTVR ROTOMAGVM.

IX. Inter Abbates, qui proſecuti ſunt funus Sancti Audoeni, non vltimum locum tenuit Anſbertus Abbas Fontanellenſis, de cuius promotione ad Epiſcopatum Rotomagenſem ſic vulgatus Aigradus in eius vita. *His diebus contigit, vt B. Audoenus Rotomagenſis vrbis Pontifex, plenus virtutibus & ſanctis actibus à Domino vocatus migraret è mundo feliciter. In cuius exequiis beatus Pater Anſbertus vnà cum aliquibus Monachorum ſuorum, Clericorúmque ac Sacerdotum Chriſti cohorte plurima, affuit. Qui vigilias eius ſacræ depoſitionis ſolenniter celebrantes, dignis exequiarum honorarunt debitâ ſeruitute obſequiis. Poſt cuius ſacrum tranſitum, ne Eccleſia de Paſtore amiſſo iacturam pateretur, cuncti Rotomagenſis vrbis ciues, miſſâ petitione ad Theodericum glorioſum Regem cum eius permiſſu & auctoritate, B. Anſbertum ſibi elegerunt conſecrari Antiſtitem. Quorum electioni congaudens Rex, quoniam in eodem Sancto Patre ſapientiam affatim redundare & religionem pollere cognouerat, illicò eorum annuens petitionis electioni, extemplò Legatos dirigit, qui eundem Chriſti famulum Regias perducerent ad ædes. Nec mora. Legati ad beatum Patrem Anſbertum peruenientes, mandata Regis pandunt, ad aulam Regiam ire compellunt. Morabatur enim præfatus Rex in villa Clypiaco, quæ ſita eſt in Pariſiaco territorio, vbi conuentum magnum populorum habens, de vtilitate ac tutela Regni tractabat, vt ad eius conſultum, veluti agere conſueuerat (nam Confeſſor illius erat) de Regni negotiis tractaret. Sed cum ſupradictus vir Dei hoc audiſſet, illicò agnouit non aliud iſtâ euocatione fieri, niſi electioni ciuium Rotomagenſium in ipſo Regem aſſenſum præbere velle. Fertur etiam Legatis Regis reſpondiſſe cauſâ eximiæ humilitatis, indignum ſe fore officio curæ Paſtoralis. Qui feſtinan-*

ANSBERTVS EX ABBATE FONTANELLENSI FIT EPISC. ROTOMAG.

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

ter retulerunt Regi nuntiando quale reſponſum acceperant. Secundò quoque ad eum mittens Rex, callidè intulit, nullo modo contra ſuam voluntatem, poſtquàm vnà loquerentur, ſuper ordine Pontificatûs agere velle. At ille, vt erat ſanctæ ſimplicitatis ſapientiâ plenus, ad eundem Regem ire deliberauit. Tunc eligentibus ciuibus præfatæ vrbis Metropoleos, cum vnanimi voto Sanctorum Sacerdotum, Regis, & Principum eligitur, trahitur, atque in eodem Palatio à S. Lantberto Archiepiſcopo Sedis Lugdunenſis, aliiſque ſanctis Præſulibus, qui ad generale Placitum conuenerant, in Pontificem conſecratur Eccleſiæ Rotomagenſis, diuinâ vtique prouidente ordinatione, vt qui in paucis fidelis extiterat, ſupra multa à Domino conſtitutus, abundantem daret ſuæ in tempore familiæ tritici menſuram. Ipſemet Audoenus, teſte Fridegodo, cùm Clipiaci febribus laboraret, Theodoricum Regem hortatus eſt, *vt quendam Abbatem nomine Ansbertum eius faceret ſucceſſorem, ſicut & fecit.* Anſberto ad Epiſcopatum Rotomagenſem aſſumpto ſucceſſit in adminiſtrationem Monaſterij Fontanellenſis Hilbertus, cui vitam eiuſdem Anſberti, vt ex prologo patet, dicauit Aigradus Fontanellenſis Monachus, quem Surius & Molanus Angradum, Baronius Anſgardum, alij Auſgradum & Anſgradum vocant.

HILBERTVS FIT ABBAS FONTANELL.

X.

* *Angadreſme.*
* *Oroer.*
[a] Ad an. 678. n. 11.

Supererat in viuis Angadriſina *, ſancti Anſberti quondam ſponſa, tunc autem in Epiſcopatu Bellouacenſi Abbatiſſa Oratorij *, vt ex vita eiuſdem ſancti Anſberti ab Aigrado conſcripta ediſcimus. De ſitu Oratorij actum Tomo [a] ſuperiore. Quot annos ibi vixerit Angadriſina, manet incompertum. Obiit pridie Idus Octobris, quo die colitur in Martyrologio Gallicano; celebratur autem in Tabulis Benedictinis ſexto Kalendas Aprilis, qui dies Tranſlationis fuit. *Beati Ebrulphi Confeſſoris, qui in ſuo Cœnobio quieſcebat, cultui impensè addicta fuit, cuius ope fulta etiam mira aggredi non timuit. Cùm enim ſui Monaſterij Eccleſia, quæ erat ſub beatiſſimæ Deiparæ titulo, repentino incendio conflagraſſet, flammáque adeò longè protenderetur, vt vicinis etiam Cœnobiis ruinam minaretur, fide ſuccenſa Chriſti Virgo ſepulchrum beati Confeſſoris aperuit, diſtractáque multa cum reuerentia eius oſſa globis igneis obiecit, qui mox compreſſi tenues in auras euanuerunt.* Ita Sauſſaius [b]. Eandem narrationem ineunt Petrus *Louuet* in Hiſtoria [c] Bellouacenſi, & Iacobus *Malbrancq* Tomo [d] primo de Morinis. Quem autem Ebrulphum vocat Sauſſaius, Euroſtum appellat Malbrancus; Louuetus Latinâ nuncupatione Ebrulphum, *Euroſt*, Francicâ diei contendit. Quis autem ille fuerit Ebrulphus ſiue Euroſtus, facilè ſciri non poteſt. Apud Malbrancum *Angadriſina Sancti Euroſti Bellouacenſis Epiſcopi tumulum curat detegi*, & in margine citantur *Acta S. Euroſti*. Sed & apud Nomenclatores, qui Catalogos Epiſcoporum Bellouacenſium hactenus ediderunt, & apud Ioannem *Columbi*, qui noctes Blancalandanas, tanquam auctioris Galliæ Chriſtianæ ſupplementum nuper publicauit, haud occurrit Antiſtes Bellouacenſis, qui vel Ebrulphus vel Euroſtus nominetur. Apud Louuetum Ebrulphus ſiue Euroſtus Epiſcopi titulo minimè decoratur, quamuis encomio benè longo cohoneſtetur, quod ob oculos videtur habuiſſe Sauſſaius, cùm de illo ſic ſcribebat [e]. *Bellonaci in Durocorti Remorum prouincia depoſitio ſancti Ebrulphi Abbatis & Confeſſoris, qui Francorum nobili proſapiâ, ex matre infœcunda, Angelico promiſſo natus, ab ætatis infantilis crepundiis, futuræ ſanctimoniæ indicia prodidit, ſemel in die ad veſperam cibum ſumens. Succedente verò tempore cùm adhuc adoleſceret, Monaſticæ conuerſationis ſuſcepto habitu conſtructóque Monaſterio ſeſe totum in Dei famulatum dedit, cóque enituit pietatis exploratæ ſplendore, vt ab Epiſcopo Bellouacenſi accerſitus, Diaconatûs gradu, deinde etiam cùm miraculis polleret, quibus cæcos illuminabat, mundabat leproſos, vexatos à dæmonibus liberabat, honore etiam Presbyteratûs inſignitus fuerit. Hinc etiam præcognitâ ex diuina præſignificatione futurâ prouectione ſuâ, ad regimen Monaſterij ſancti Fuſciani Ambianenſis, Fredegundis Reginæ, quæ viri ſanctitatem plurimi faciebat, iuſſu, ipſe renitens quamuis promotus, vbi Paſtoralem curam ſuſcepiſſet, deſolatum gregem, locúmque admirabili quà virtute quà prouidentiâ recreauit, tantò*

ANGADRISINA ABBATISSA ORATORII.

[b] D. 14. Oct.
[c] L. 2. c. 19.
[d] L. 4. c. 37.

EBRVLPHVS AN EPISCOPVS, AN ABBAS.

[e] D. 25. Iul.

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

ſe actu præbens humiliorem, quantò ſublimior erat muneris dignitate. Siquidem viliora miniſteria nihil à ſe reputabat aliena, ſed inſinuandæ ſubditis ſpontaneæ demiſſionis ſtudio, æquè ſponte ſubire ac maiora conſueuerat. Patientiæ etiam affectus nimios prætulit. Cuius exemplum hoc inſigne edidit, quod furem, qui noctu cellæ eius ſupellectilem diripuerat, conſtrictum dæmonicâ inuaſione, ſuâ oratione liberauerit, immemórque iniuriæ cum pacis oſculo dimittens admonuerit, vt ab infauſto vitiorum tramite ad viam iuſtitiæ & ſalutis quantocyùs ſe conuerteret. Poſt hæc obitûs ſui diuinitus factus præſcius, datis fratribus ſupremæ adhortationis officiis, ſumptíſque vitæ immortalis pignoribus, gaudens in Domino inter verba orationis expirauit. Addit Louuetus Ebrulphum ſiue Euroſtum Abbatem, cuius tumulum Angadriſina apud Oratorium aperuit, eundem eſſe cum Ebrulpho Abbate, quem vnà cum Dodone Bellouacenſi Epiſcopo Chilpericus Rex in ſuo Diplomate laudauit, atque è Monaſterio ſancti Fuſciani vbi obierat, in vicum nomine Oratorium Diœceſeos Bellouacenſis vbi diu degerat, tranſlatum fuiſſe, ibíque erectum inſigne mauſoleum à Theolana matrona, deinde Templum à Chrodoberto Epiſcopo Pariſienſi, congregatúmque poſteà cœtum Monialium, quibus Angadriſina Abbatiſſa cum laude præfuit. Quanta fabularum congeries! Dodo Bellouacenſis Epiſcopus, quem Chilpericus Rex in ſuo Diplomate commendat, vixit coætaneus Chilperico, qui poſt Dagobertum Tertium anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto regnare cœpit. Ebrulphus Abbas, cuius mentio fit in eodem Diplomate, Monaſterium ſancti Luciani prope muros Bellouacenſes eodem rexit tempore, quo Monarchia Francorum penes Chilpericum erat, & Dodo Pontificatum Bellouacenſem gerebat, nec alio detorqueri poſſunt verba Diplomatis, quod ſuo loco recitabimus examinabimúſque. Nec illâ ætate ſtabat in Diœceſi Ambianenſi Monaſterium ſancti Fuſciani, cuius prima fundamenta initio duodecimi ſeculi iacta ſunt *ab Inguerranno Comite Ambianenſi*, vt in auctiore Gallia Chriſtiana Sammarthani iam obſeruarunt. De ſancto igitur Ebrulpho ſiue Euroſto, cuius tumulum aperuit Angadriſina, certum id tantùm habemus, quòd apud Oratorium vixit, obiit, ſepulturam accepit, quieuitque, donec ob Nortmannorum incurſionem Bellouacum vnà cum ſancta Angadriſina tranſlatus eſt, hæc colitur in Æde ſancti Michaelis, ille in Eccleſia Cathedrali. Abbatiſſarum quæ Monaſterium Oratorij poſt beatam Angadriſinam gubernarunt, interierunt nomina.

XI. CHRONOLOGIA CONFIRMATVR.

Sancti Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi felix ad Deum tranſitus, de quo ſuprà, diuerſis annis à nominatiſſimis Auctoribus conſignatur, illáque varietas opinionum non tantùm in annis Incarnationis Dominicæ, ſed etiam in annis Theodorici Regis occurrit. Tota controuerſia quatuor potiſſimùm ex rebus proficiſcitur. Super anno, quo mors Clodouci Magni contigit, non eſt vnanimis Chronologorum conſenſus. Initium Principatûs Dagobertini, quem Fredegarius [a] annorum ſexdecim ſpatio circumſcripſit, nonnulli repetunt ab anno, quo Dagobertus à Clotario patre Rex Auſtraſiæ primùm conſtitutus eſt, plures ſeriùs ducunt ab obitu eiuſdem Clotarij, cùm ei Dagobertus filius in Regna Neuſtraſiæ Burgundiæque ſucceſſit. In annorum numero, quos Clotarius Tertius regnauit, manuſcripti Codices libríque editi multùm variant, & integro planè decennio differunt, vnâ lectione quatuor annos, alterâ quatuordecim attribuente. Childericum Secundum apud Neuſtraſios alij triennio tantùm, alij quadriennio regnaſſe ſcribunt.

[a] In Chron. c. 79.

XII.

Sigebertus, cuius errorem multi ſecuti ſunt, Clodouci Magni mortem in annum Chriſti quingenteſimum decimum-quartum reiecit. Ægidius *Bouchier* in annotatione *de Chronologia Regum Francorum Merouceadarum*, cùm annos non paucos Childeberti Secundi Regis, propter Dominicalis literæ Characterem, quem Gregorij Turonenſis Hiſtoria ſuppeditauit, annis Chriſti rectè illigaſſet, aſcendendo retrogreſſus eſt ad Clodoueum, quem anno Chriſti quingenteſimo vndecimo mortuum eſſe certò deprehendit.

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

XIII. Ab exceſſu Clodouei Magni ad obitum vſque Clotarij Secundi, qui pronepos eius fuit, ex Mario Lauſannenſi, ex Gregorio Turonenſi emendato & ex Fredegario, colliguntur anni ſeptemdecim ſupra centum, itaut mors Clotarij Secundi non tantùm apud Ægidium Bucherium, ſed etiam apud celeberrimos quoſque Scriptores, qui poſt eum in eadem materia verſati ſunt, anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo conſtantiſſimè collocata reperiatur. Apud Fredegarium [a] Dagobertus Clotarij Secundi filius *anno* XVI *Regni ſui* moritur. Fredegarij calculum, quantum ad numerum annorum, quibus Dagobertus Regnum tenuit, omnes approbant, Dagoberto Regi nemo pauciores aut plures annos attribuit. At Principatûs Dagobertini, quem Fredegarius in ſuo Chronico deſcripſit, initium hodie controuertitur. Illud Bucherius ab obitu Clotarij Secundi deſumpſit, ipſiúſque Dagoberti mortem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto conſignauit. In Bucherij ſententiam iuerunt clariſſimi Scriptores, Dionyſius Petauius, Iacobus Sirmondus, Andreas Ducheſnius, Ioannes Bollandus, Godefridus Henſchenius, Philippus Labbeus. Aliter cenſuit Hadrianus Valeſius, & Dagobertini Principatûs exordium duxit à die quo Dagobertus ſpontaneâ Clotarij patris ceſſione Regnum Auſtraſiæ ſuſcepit. Huic Auctori iam præiuerant Gobelinus Perſona & Claudius Falcetus. Fredegarium à Bucherio eiúſque aſſeclis malè intellectum ſemper arbitrati ſumus, nec vnquam exiſtimauimus fieri poſſe, vt quis à nobis diſſentiret, ſi Fredegarium ipſum attentè legiſſet. Mortem igitur Dagoberti Magni cum Hadriano Valeſio ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodequadrageſimum retulimus. Abhinc noſtra Chronologia Bucherianam ſex annis anteuertit.

a In Chron. c. 79.

XIV. Bucherius eiúſque fautores ſolo nituntur textu, quo ſanctus Audoenus in vita ſancti Eligij de ſe déque eodem ſancto Eligio amico ſuo ſic loquitur. *Conuenientes igitur ſimul in ciuitatem Rotomagenſem quarto-decimo die menſis tertij, anno* III *Clodouei iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros pſallentium, conſecrati ſumus gratis ab Epiſcopis pariter Epiſcopi, ego Rodemo, ille Noniomo.* Iactant, quo ſe tueantur, nihil validius excogitari poſſe, quia XIIII *Kal. Februarias*, vt Auctor Geſtorum teſtatur [b], *Chriſtianiſſimus Rex Dagobertus humanis rebus exemptus eſt*, & dies decimus-quartus *menſis tertij* ſeu Maij cum die Dominico *ante Litanias* ſiue ante Rogationes anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto coincidit. Inde enim neceſſariò concludendum autumant Dagobertum Regem obiiſſe decimo-quarto Kalendas Februarias anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto, & Audoenum atque Eligium Epiſcopos ordinatos eſſe die Dominico ante Rogationes anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto, *Clodouei iuuenculi adhuc Regis*, id eſt, Clodouei Secundi, *anno* III iam inchoato.

b Cap. 43.

XV. Illam argumentationem, quam Valeſius ex Audoeni textu interpolato deductam contendit, aſpernatúrque, prolixâ diſputatione ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum refutauimus. Textus ille, quem genuinum putamus, duas in partes diſtingui debet, quarum prior annum diémque deſignat, quo Rotomagum Audoenus & Eligius peruenerunt, poſterior diem notat quo conſecrati ſunt Epiſcopi. Rotomagum ingreſſi ſunt *quarto-decimo die menſis tertij*, conſecrati ſunt autem Epiſcopi *die Dominico ante Litanias.* Dies ille Dominicus ante Litanias fuit viceſimus-primus menſis tertij ſeu Maij, anno enim Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, Clodouei Regis tertio, Paſcha die Aprilis decimo-ſexto celebratum eſt. Opinionem noſtram multis rationibus paſſim probauimus.

XVI. Iam verò ſi beatus Audoenus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo Pontificatum iniit, ſeditque, vt omnes conſentiunt, annos quadraginta tres cum tribus menſibus ac diebus aliquot, ex hac vita diſceſſit menſe Auguſto, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, vt aſſeruimus.

Porrò

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

Porrò annus Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-tertius ſecundùm noſtram computationem cum anno decimo Theodorici Tertij Regis componitur. A nobis autem diſſident, qui Dagobertum Magnum poſt obitum Clotarij patris annos ſexdecim regnaſſe ſcribunt, ſiue Clotarium eiuſdem Dagoberti Magni nepotem annis duntaxat quatuor, ſiue annis quatuordecim Regno præfuiſſe prodant.

XVII. XVIII. Bucherius, Sirmondus, Ducheſnius, Petauius, Sammarthani in poſtrema editione Regalis Genealogiæ Francorum, annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium cum anno decimo-ſexto Theodorici Regis comparant, quia Clodoueo Secundo, quem Dagoberto Magno in Regnum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto ſucceſſiſſe ſupponunt, annos ſexdecim, Clotario Tertio annos quatuor, Childerico Secundo tres annos dominationis attribuunt, eóque calculo Clodoueum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, Clotarium anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, Childericum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo mortuum affirmant.

XIX. Ioannes Bollandus & Godefridus Henſchenius in Commentario [a] quem vitæ Sancti Sigiberti Francorum Regis præfixerunt [b], à Bucherio aliiſque ſuprà nominatis multùm differunt, nam Clodoueum Secundum annis duodeuiginti, Clotarium Tertium annis quatuordecim, Childericum tribus annis regnaſſe affirmant, eâque ſupputatione Clodoueum in ſolio collocant anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto, Clotarium anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo, Childericum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, Thodoricum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, itaut annus quartus eiuſdem Theodorici cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio coincidat.

[a] §. 11.
[b] D. 1. Febr.

XX. Philippus Labbeus à Bollando & Henſchenio in eo tantùm diſſentit, quòd Childerici Secundi Principatum in Neuſtraſia, quem Bucherius aliique non pauci triennio circumſcribunt, ad quadriennium, ſiue ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum prorogat, ideóque annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium cum anno tertio Theodorici Regis confert.

XXI. Hadrianus Valeſius, poſtquàm Dagoberti Magni mortem, vt ſuprà obſeruatum eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo retulit, Clodoueo Secundo annos ſexdecim vt Bucherius, Clotario Tertio annos quatuordecim vt Bollandus & Henſchenius, annum vnum ciuilibus diſcordiis, tum Childerico Secundo quadriennium attribuit. Iuxta illam computationem moriuntur, Clodoueus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto, Clotarius anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo, Childericus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, Theodoricique ſucceſſoris annus decimus cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio comparatur.

XXII. Dagobertum Magnum anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo, Childericum Secundum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, mortuos haud inficiamur, ſed Clodoueum Secundum annis ſeptemdecim completis ſiue annis octodecim incompletis regnaſſe, bellóque ciuili, quod poſt Clotarij Tertij mortem inter Childericum ac Theodoricum fratres exarſit, intra menſes aliquot finem impoſitum fuiſſe contendimus, eóque computo Regnum Clodouei Secundi ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quintum, & Principatum Clotarij Tertij ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum prorogamus.

XXIII. Etſi de tempore quo Dagobertus Magnus obiit, déque anno quo Theodoricus Childerico fratri ſucceſſit, cum Valeſio conueniamus, ab eo tamen diſcrepamus anno vno in morte ſancti Audoeni, quam in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum reiicit. Sanctus Audoenus ordinatus eſt Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, peruenítque ad

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

annum Pontificatûs quadrageſimum-quartum, tamen quia conſecratus eſt die Dominico ante Rogationes, & teſte Fridegodo vitam clauſit anno Præſulatûs quadrageſimo-quarto per tres duntaxat menſes inchoato, hominem exuit menſe Auguſto, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, ſiue, vt Valeſius [a] loquitur, *anno Epiſcopatûs* XLIV *decurrente*.

[a] Lib. 22. ad an. 684.

XXIV. A Bucherio igitur annum didicimus, quo Clodoueus Magnus obiit; à Valeſio annum, quo Dagobertus animam exhalauit; à Bollando & Henſchenio numerum annorum, quibus Clotarius Tertius regnum tenuit; rurſum à Valeſio numerum annorum quibus in Neuſtria Childericus Secundus regnauit.

XXV. Bucherij ſententiam de obitu Clodouei Magni, quam Bollandus & Henſchenius biennio anteuertunt, ex Hiſtoria Gregorij Turonenſis, ex Chronico Marij Lauſannenſis, & ex Appendice ad Chronicon Marcellini, ſimul collatis, confirmauimus. Theodoricus, qui poſt Clodoueum patrem regnauit, *obiit viceſimo-tertio Regni ſui anno*, vt Gregorius Turonenſis teſtatur [b]. Theodobertus Theodorici filius decimo-quarto ſui Principatûs anno, id eſt, anno poſt aui Clodouei mortem triceſimo-ſeptimo rebus humanis exemptus eſt. *A tranſitu Chlodouei*, inquit idem Gregorius [c], *vſque in tranſitum Theodoberti, computantur anni triginta ſeptem. Mortuo ergo Theodoberto, quarto-decimo Regni ſui anno, regnauit Theodoualdus filius eius pro eo.* Et Marius Lauſannenſis eiuſdem Theodoberti Regis mortem anno ſeptimo poſt Conſulatum Baſilij & Indictione vndecimâ, quibuſcum annus Chriſti quingenteſimus duodequinquageſimus coincidit, ſic conſignat. *P.C. Baſilij anno* VII. *Ind.* XI. *Eo anno Theudebertus Rex Magnus Francorum obiit: & ſedit in Regno eius Theudebaldus filius ipſius.* Anno pòſt ſeptimo, ſiue anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quinto, quocum annus decimus-quartus poſt Baſilij Conſulatum & Indictio tertia conueniunt, mors Theodobaldi Regis, cui Clotarius ſeu Chlothacarius propatruus in Regnum ſucceſſit, in eodem Marij Chronico ſic refertur. *P. C. Baſilij anno* XIV. *Ind.* III. *Hoc anno Theudobaldus Rex Francorum obiit, & obtinuit Regnum eius Chlothacarius, patruus patris eius.* Et in Appendice ad Chronicon Marcellini Comitis, annus vltimus Theodobaldi Regis cum anno quadrageſimo-quarto Clotarij Regis ita componitur. *Theodebaldus Francorum Rex moritur, & Regnum eius vxorémque Vanderadam Hlotharius Rex patris eius Theudeberti patruus accepit, qui iam* XLIV *annis regnabat.* Gregorius quoque Turonenſis Theodobaldum *ſeptimo Regni ſui anno* mortuum affirmat [d], nec dubium quin annum illum Theodobaldi Regis vltimum cum anno Clotarij Regis quadrageſimo-quarto comparet, priùs enim ab obitu Clodouei Magni, cui Clotarius cum Theodorico ceteriſque fratribus ſucceſſit, ad Theodobaldi Principatum annos triginta ſeptem numerauit [e], vt obſeruatum eſt ſuprà. Clotarius Theodobaldo ſuperſtes vixit annos ſex, ſic enim de illius morte ſcribit Marius in prælaudato Chronico. *P. C. Baſilij anno* XX. *Ind.* IX. *Hoc anno*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, cui viceſimus annus poſt Baſilij Conſulatum & Indictio nona illigantur, *Chlothacarius Rex mortuus eſt.* Annos igitur quinquaginta regnauit Clotarius, ab anno Chriſti quingenteſimo vndecimo, quo Clodouei Magni demortui Rgnum cum fratribus diuiſit, ad annum vſque Chriſti quingenteſimum ſexageſimum-primum, quo ipſe viuere deſiit, & vbi apud Gregorium Turonenſem [f] occurrit annus Clotarij quinquageſimus-primus, reſtituendus eſt quinquageſimus, nec audiendi Bollandus & Henſchenius, qui corruptum Gregorij textum magis deprauant, legúntque annum Clotarij quinquageſimum-ſecundum, vt biennio citiùs quàm par eſt, Clodoueum Magnum anno Chriſti quingenteſimo nono mortuum aſſerant.

[b] Lib. 2. c. 23.
[c] Lib. 3. c. 37.
[d] Lib. 4. c. 19.
[e] Lib. 3. c. 37.
[f] Lib. 4. c. 21.

XXVI. Valeſij ſententiam de tempore quo Dagobertus Magnus regnauit, Fredegario benè intellecto nixam, variis rationibus aliunde petitis confirmauimus.

Digitized by Google

Bollandi & Henſchenij ſententia ſuper annis quatuordecim, quibus Clotarius Tertius Regnum tenuit, chartis non paucis vitíſque Sanctorum, quæ ſunt in manibus omnium, prævalidè fulcitur. AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

Valeſij ſententia de quadriennio Childerici Secundi, Principatum apud Neuſtraſios gerentis, quam Labbeus ſecutus eſt, eruitur ex vita ſancti Leodegarij, quam Auctores ſynchroni conſcripſerunt.

Super annorum numero, quibus Clodoueus Secundus imperauit, tres circumferuntur opiniones. Prima eſt Auctoris coætanei, qui de ipſius Clodouci morte in vita ſanctæ Bathildis ita ſcribit. *Rex Clodoueus vir eius, gratiâ euocante diuinâ*, XVII *Regni ſui anno, rebus exemptus humanis migrauit à ſeculo.* Secunda eſt Anonymi in Geſtis Regum [a] Francorum, vbi Clodoueus *annos* XVI regnaſſe dicitur, cámque ſecutus eſt Bucherius cum ſuis aſſeclis. Tertia eſt Monachi Sandionyſiani, qui Geſta Dagoberti Magni eiúſque filij Clodouci literis commendauit, nec tantùm aſſeruit [b] Clodoueum annis octodecim regnaſſe, ſed etiam qui ſibi ſuffragarentur, Fredegarij Continuatorem [c] & noſtrâ ætate Bollandum atque Henſchenium inuenit. Primam illarum opinionum amplexi ſumus, non tantùm quia profecta eſt ab Auctore, qui ceteris antiquitate præſtat; ſed etiam quia facilè cum ea conciliari poteſt tertia, quæ mentionem annorum octodecim facit. Clodoueum enim annis ſeptemdecim regnaſſe ſic contendimus, vt illum præter annos ſeptemdecim completos multis etiam imperaſſe menſibus arbitremur, à menſe videlicet Ianuario anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi duodequadrageſimi, quo Dagobertus Magnus interiit, penè ad finem vſque anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi quinquageſimi-quinti, quo ipſe vitam cum morte commutauit. XXVII. XXVIII. XXIX.

Hactenus de Neuſtraſianis Regibus, tranſeamus ad Auſtraſianos, ne quid in hac diſſertatione Chronologica deſiderari videatur. Hi duas in claſſes commodè diuiduntur. XXX.

Prior ab obitu Clodouci Magni ad Principatum vſque Dagoberti cognomento ſimiliter Magni, decem Reges Auſtraſiæ complectitur, Theodoricum, Theodobertum, Theodobaldum, Clotarium, Sigibertum, Childebertum, Theodobertum Secundum, Theodoricum Secundum, Sigibertum Secundum, Clotarium Secundum, de quibus nulla debet controuerſia moueri, quia quot annis ſinguli regnarint, apertiſſimè docent Gregorius Turonenſis & Fredegarius Scholaſticus, Auctores optimæ notæ. Nonnihil tamen contentionis inter Neotericos ex eo natum eſt, quòd computatio Fredegariana non eodem quo Gregoriana modo procedit. Gregorius annum decedentis Regis vltimum à primo ſuccedentis ſeparat, Fredegarius non diſtinguit. Ex Gregorij calculo annus Chriſti quingenteſimus ſexageſimus-primus eſt annus vltimus Clotarij Regis, & annus Chriſti quingenteſimus ſexageſimus-ſecundus eſt annus primus Sigiberti ac fratrum. Ex Fredegarij computo annus Chriſti quingenteſimus ſexageſimus-primus eſt vltimus Clotarij Regis ac primus filiorum. Inde fit vt Fredegarius Gregorianum calculum anno vno præuertat in aſſignandis annis, quos filij Clotarij Senioris in Regno exegerunt, & Chilpericus apud Gregorium anno Guntchramni viceſimo-tertio, apud Fredegarium anno Gunthramni viceſimo-quarto interfectus dicatur. Hanc differentiam Bollandus & Henſchenius accuratè obſeruarunt. Ea verò de re quid Valeſius ſentiat, exponemus infrà [d]. XXXI.

De Theodorico, de Theodoberto, de Theodobaldo, & de Clotario Seniore, qui poſt Clodoueum Magnum in Auſtraſia regnarunt, nulla difficultas. Apud Auſtraſios imperarunt, Theodoricus annos tres ac viginti, Theodobertus quatuordecim, ſeptem Theodobaldus, ſex Clotarius; obierúntque, Theodoricus anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto, Theodobertus anno Chriſti quingenteſimo duodequinquageſimo, Theodobaldus anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quinto, Clotarius anno Chriſti XXXII.

[a] Cap. 44.
[b] Capp. 51. 52.
[c] Cap. 91.
[d] Num. 35.

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10. quingenteſimo ſexageſimo-primo. Hæc ex Hiſtoria Gregorij Turonenſis, ex Chronico Marij Lauſannenſis & ex Appendice ad Chronicon Marcellini, iam citatis ſimúlque collatis conſtat, vt aliâ occaſione probatum eſt ſuprà[a]. Perperam Bucherius, quem Petauius ſecutus eſt, Theodobertum anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-ſeptimo, Theodobaldum anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-quarto, mortuos ſcribit.

[a] Num 25.

XXXIII. Sigibertus, Clotarij Senioris filius, *decimo-quarto Regni ſui anno*, vt Gregorius Turonenſis teſtatur[b], vitam clauſit. Idque confirmatur ab eodem Gregorio multis in locis, vbi Childeberti Iunioris anni cum annis Guntchramni & Chilperici patruorum conferuntur, itaut nemini quoque dubium eſſe debeat, quin Sigibertus ex hac vita migrarit anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-quinto, licèt Marius illius mortem vno anno ſeriùs referat, & Gregorius Turonenſis in ſuis numeris à ſeipſo nonnunquam diſcrepet, vt cùm annos viginti nouem à tranſitu Theodoberti Regis ad exitum ipſius Sigiberti computat.

[b] Lib. 4. c. 46.

XXXIV. Childebertus Sigiberto Patri in Auſtraſiæ Regnum anno Chriſti quadringenteſimo ſeptuageſimo-quinto ſucceſſit, cùm Guntchramnus eius patruus, ab obitu Clotarij Senioris, annum Regni decimum-quartum ex calculo Gregoriano, decimum-quintum ex computo Fredegariano agebat in Burgundia. Guntchramnus anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio vitam clauſit, obiit enim anno Regni ſui triceſimo-tertio in ſententia Fredegarij[c], cuius hic eſt textus. *Anno* XXXIII *Regni Guntchramni*, V *Kal. April. ipſe Rex moritur.* In Geſtis Regum Francorum[d], idem Guntchramnus regnat *annos* XXXI. Auctorem illorum Geſtorum ſequitur Valeſius[e], & Guntchramni mortem anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſecundo collocat. Vt opinionem ſuam confirmet, obſeruat multa poſt obitum Guntchramni in literas relata eſſe à Gregorio, qui *duodecimo Regni Sigiberti anno Turonicæ Eccleſiæ Epiſcopus eſt conſtitutus, & viceſimo-primo Sacerdotij anno impleto deceſſit.* Deinde annum illum vltimum Gregorij Epiſcopi cum anno Guntchramni Regis triceſimo-ſecundo componit. At Gregorius, ſi Præſulatum anno Sigiberti fratrúmque ſimul regnantium duodecimo ſuſcepit, anníſque geſſit vno ac viginti, certè peruenit ad annum Guntchramni Regis triceſimum-tertium, qui iuxta computationem Fredegarianam triceſimus-quartus eſſet, annóque Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quarto illigaretur. Illo anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quarto Philippus Labbeus mortem cùm Guntchramni Regis tum Gregorij Turonenſis Epiſcopi conſignat, quia vtrumque vixiſſe putat ad annum vſque Childeberti Iunioris vndeuiceſimum, qui iuxta ſupputationem Gregorianam cum prædicto anno poſt Chriſtum natum quingenteſimo nonageſimo-quarto coincidit. Vulgato tantùm Gregorij Turonenſis epilogo nixus videtur, vbi Gregorius annum ſui Præſulatûs viceſimum-primum cum Pontificatu Gregorij Papæ & Principatu Guntchramni ac Childeberti Secundi ſic comparat, *annum ordinationis noſtræ primum & viceſimum, qui fuit Gregorij Papæ Romani quintus, Guntchramni Regis* XXXI. *Childeberti Iunioris* XIX. Sed hæc abſunt à genuinis Gregorij lucubrationibus, vt ex probationibus patet, quas ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-quintum[f] allegauimus, & ex Codice Cluniacenſi, quem poſt earum editionem nacti ſumus. Labbeus cùm & annum Gregorij Turonenſis Epiſcopi viceſimum-primum & annum Guntchramni Regis triceſimum-primum ab anno Childeberti Iunioris decimo-nono diſcrepare cenſeret, annum Gregorij viceſimum-ſecundum cum anno triceſimo-tertio Guntchramni Regis in textu ſuprà deſcripto reſtituendum exiſtimauit. Benè quidem annum Guntchramni triceſimum-tertium ex ſtylo Gregoriano cum anno decimo-nono Childeberti compoſuit, ſed eidem anno viceſimum-ſecundum Gregorij Turonenſis Antiſtitis illigandum perperam aſſeruit. Sic autem ſenſit, quia ſanctum Martinum anno Chriſti qua-

[c] Cap. 14.
[d] Cap. 35.
[e] Lib. 15.
[f] Nu. 32. & ſeqq.

Digitized by Google

dringenteſimo ex hac vita ſublatum obſtinatiſſimè contendit, & à tranſitu AN. CH.
ſancti Martini ad ordinationem vſque Gregorij, iuxta Chronologiam, quam 683.
Clerici Turonenſes in vita ipſius Gregorij iniuerunt, annos centum ſeptuaginta duos numerauit. In illo opere legit Gregorium ordinatum fuiſſe Epiſcopum *anno centeſimo ſeptuageſimo-ſecundo poſt tranſitum Domini Martini, Sigeberto Rege anno duodecimo regnante.* THEODOR. III. R. 10. Duos hoſce Characteres Chronologicos inter ſe pugnare cùm videret, omiſit poſteriorem, ſiue annum Sigiberti Regis duodecimum, qui deſignat annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-tertium, innuitque annum viceſimum-primum Gregorij Epiſcopi cum anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quarto conuenire. Vſus eſt autem priori Charactere, qui petitur à tranſitu ſancti Martini, & in eorum ſententia, qui beatum Martinum anno Chriſti quadringenteſimo in cælum migraſſe ſcribunt, annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum deſignat, cui neceſſe eſt duos addas ac viginti, vt annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-quartum aſſequaris. At ſanctus Martinus animam Deo reddidit anno poſt Chriſtum natum trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo, & apud Clericos Turonenſes in vita Gregorij Turonenſis Epiſcopi reſtituendus eſt annus à tranſitu ſancti Martini centeſimus ſeptuageſimus-ſextus, vt quadret cum anno Sigiberti Regis duodecimo, quocum annus Chriſti quingenteſimus ſeptuageſimus-tertius coincidit. Lege quæ dicta ſunt Tomo primo ad annum Chriſti duodequingenteſimum [a], vbi de annis ſancti Martini ſucceſſorúmque fusè diſputauimus, & Tomo ſecundo ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-quintum [b], quo mortem Gregorij Turonenſis Epiſcopi conſignauimus. Certè plura poſt Guntchramni Regis obitum geſta commemorantur in ſcriptis Gregorij, quàm vt hic Auctor eodem quo Guntchramnus anno mortuus cenſeri poſſit. Standum igitur à partibus Fredegarij, qui Guntchramnum *anno* XXXIII *Regni*, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio, ex hac vita ſublatum tradit [c]. Hic annus Childeberti Regis in Auſtraſia decimus-octauus fuit ex computatione Gregoriana, decimus-nonus ex Fredegariana. Guntchramno patruo in Burgundiam idem Childebertus ſucceſſit, &, vt Fredegarius [d] ſubiungit, *anno* IV. *poſtquàm Regnum Guntchramni acceperat, defunctus eſt.* Iuxta computandi methodum, quam Fredegarius init, annus primus Childebertini Principatûs in Burgundia conuenit cum anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio, quo Childebertus Regnum Burgundiæ ſuſcepit. Ergo Childebertus anno Regni Burgundici quarto, Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto viuere deſiit, obiitque anno Regni Auſtraſiani viceſimo-primo. De Regno Auſtraſiano conuenit Bucherius, nequaquam de Burgundico, cui annum vnum adimit, quia mortem Guntchramni Regis in annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-quartum differt. Bucherium ſecutus eſt Labbeus. Valeſius verò Guntchramnum anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſecundo, Childebertum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, mortuos aſſeruit, exiſtimauítque Fredegarium, cùm annos Childeberti Regis filiorúmque numeraret, pugnantia ſcripſiſſe. Qua de quæſtione mox acturi ſumus.

Theodobertus & Theodoricus fratres Childeberto patri ſucceſſerunt, ille in Auſtraſiam, hic in Burgundiam. XXXV. *Theudebertus*, inquit Fredegarius [e], *ſortitus eſt Auſter, ſedem habens Metenſem: Theudericus accepit Regnum Guntramni in Burgundia, ſedem habens Aurelianis.* Hic Auctor annos Regni ſeptemdecim Theodoberto ſic attribuit [f]. *Anno* XVII. *Regni Theuderici, veſte Regali Theudebertus expoliatus, vinctus Cabillonno deſtinatur.* Theodobertus igitur anno Chriſti ſexcenteſimo duodecimo regnare deſiit, quia iuxta ſtylum Fredegarianum annus Chriſti quingenteſimus nonageſimus-ſextus, quo Childebertus Theodoberti pater obiit, poſtremus Childeberti primúſque Theodoberti numeratur. Bucherius, Bollandus, Henſchenius, Labbeus, Fredegarij computum benè aſſecuti ſunt. Ab eo receſſit Valeſius, initium enim

[a] Nn. 6. & ſeqq.
[b] Nn. 16. & ſeqq.
[c] Cap. 14.
[d] Cap. 16.
[e] Cap. 16.
[f] Cap. 38.

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

Theodobertini Principatûs anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quinto, finem anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo illigauit, & in aſſignandis annis cùm Childeberti tum filiorum, vſus eſt hac aduersùs Fredegarium ratiocinatione [a]. *Notare conuenit, Fredegarium annum, qui Guntchramni mortem proximè ſecutus eſt, Childeberti Regni in Burgundia annum ſecundum appellare, & proximum ab obitu Childeberti annum ſecundum Regni Theodorici vocare. Quo nomine quidam putant primum eum deſignare voluiſſe. Sicut Victor Tunnunenſis Epiſcopus è duobus annis, inter Lampadium & Oreſtem Conſules atque Iuſtiniani Aug. tertium Conſulatum interiectis, priorem quidem, poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis annum ſecundum; poſteriorem vero, poſt Conſulatum Lampadij & Oreſtis annum III appellat. Similiter duorum annorum, qui Beliſarij Conſulatum ſecuti, ſine Conſulibus fuerunt, alterum, poſt Conſulatum Beliſarij annum II, alterum, poſt eiuſdem Conſulatum, tertium vocat: & annum à Conſulatu Baſilij V. C. proximum, poſt Conſulatum Baſilij annum II nuncupat. Quem Auctorem ſi heic imitatus eſt Fredegarius noſter, & pro primo ſecundum, pro ſecundo tertium annum dixit, putandum erit Childebertum, poſt patrui ſui ſupremum annum, qui ei totus annumeretur, anno III deceſſiſſe, ac Theodoricum Childeberti filium XVII ſolummodò annis Regni potitum eſſe. Equidem Fredegarij verba ſic intelligi volentibus libenter acceſſerim, crediderímque eum, annum ſecundum Regni Childeberti in Burgundia pro primo, annum III pro ſecundo, annum IV & vltimum pro tertio dixiſſe. Præſertim cùm libri caput quintumdecimum, quod ab anno ſecundo receptæ à Childeberto Burgundiæ inchoat, de Regno Childeberti in Burgundia inſcribat: quaſi eo primùm anno Childebertus in Burgundia regnare cœperit; priore anno, quo Guntchramnus deceſſerat, eidem (vti ſolet fieri) attributo, de quo tamen IX menſes ſupererant. Certè Chronicon Moiſacenſe ac Sigebertus tradunt, Childebertum anno tertio poſt receptum patrui Regnum obiiſſe. Non aliter autem Fredegarij verba accipi oportere fatebuntur, qui mecum animaduerterint, nec ante Guntchramni mortem Childebertum, nec viuo Childeberto Theodoricum in Burgundia regnare occœpiſſe; ac Fredegarium in enumeratione annorum ſibi ipſi minimè conſtare, atque pugnantia loqui. Guntchramno enim XXXIII, Childeberto (vti verba ſonant) quatuor, Theodorico XVIII Regni in Burgundia annos attribuit: & idem nihilominùs tamen Chlotharium, qui ſub finem anni Guntchramni XXIII Regnum iniit, anno Principatûs triceſimo, aut etiam antè Auſtriâ & Burgundiâ potitum eſſe dicit.* Fredegarius annum, quo Princeps obiit, eius vltimum, primúmque ſucceſſoris vocat. Hac obſeruatione præmiſsâ, nihil difficultatis ſupereſt. Annus Chriſti quingenteſimus ſexageſimus-primus, quo Clotarius Senior vitam clauſit, primus Guntchramni Regis numeratur. Annus Chriſti quingenteſimus nonageſimus-tertius cum anno Guntchramni Regis triceſimo-tertio ſiue vltimo, necnon cum primo Childeberti nepotis apud Burgundiones imperantis coincidit. Annus Chriſti quingenteſimus nonageſimus-ſextus habetur quartus ſeu poſtremus Childeberti regnantis in Burgundia, primúſque filiorum, Theodoberti videlicet ac Theodorici, quorum ille Auſtraſiam hic Burgundiam poſt patris obitum ſuſcepit. Ergo Theodobertus Secundus, qui ſeptemdecim annos regnauit, regno vitâque ſpoliatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo duodecimo. Similiter argumentandum de Theodorico Secundo & Clotario Secundo.

a Lib. 16.

XXXVI. Theodoricus Secundus anno poſt Theodoberti fratris obitum proximo in viuis eſſe deſiit, obiítque, vt Fredegarius [b] teſtatur, *anno XVIII Regni ſui*, nempe Burgundici. Extinctus eſt igitur anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio. Bucherius, Bollandus, Henſchenius, Sirmondus, Petauius, & Labbeus ita cenſent. Valeſius verò, quia Theodobertum anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo mortuum refert, Theodoricum anno Chriſti ſexcenteſimo duodecimo ex hac vita ſublatum ſcribit.

b Cap. 38. 39.

XXXVII. Sigibertus Secundus eodem quo Theodoricus pater anno interiit, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio. Id colligitur ex Fredegario [c], nec

c Cap. 42.

Digitized by Google

aliter ſentit Bucherius. Valeſius autem & Labbeus eiuſdem Sigiberti mortem in annum à Theodorici patris obitu proximum reiiciunt, quem ille annum à Chriſto nato ſexcenteſimum decimum-tertium, hic ſexcenteſimum decimum-quartum numerat. Ambo tamen Auſtriam & Burgundiam anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio à Clotario Neuſtriæ iam Rege receptas affirmant.

Clotarius Secundus ſeu Iunior, eodem anno, quo Theodoricus Secundus & Sigibertus Secundus extincti ſunt, Auſtriâ ſimul & Burgundiâ potiri cœ- XXXVIII.
pit. Tunc Monarchia Francorum ſub vno Rege coaluit, idque ab obitu Clotarij Senioris, id eſt, ab anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo non contigerat. *Firmatum eſt*, inquit Fredegarius [a], *omne Regnum Francorum, ſicut à priore Chlotario fuerat dominatum, cunctis theſauris ditioni Chlotarij Iunioris ſubiectis. Quod feliciter poſt* XVI *annos tenuit.* Cùm Monarchia Francorum in vnius Clotarij poteſtatem deuenit, annus, vt probatum eſt ſuprà, numerabatur à Chriſto nato ſexcenteſimus decimus-tertius, iſque annus iuxta Fredegarij calculum triceſimus erat eiuſdem Clotarij regnantis in Neuſtria poſt Chilpericum patrem, cuius mors in annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-quartum incidit. Vnde apud eundem Auctorem hæc ſequuntur [b]. *Cùm* Clotarius *anno* XXX *Regni ſui*, nempe Neuſtraſiani, *in Burgundia & Auſtria Regnum arripuiſſet.* Sibi igitur ipſi benè conſtat nec pugnantia loquitur Fredegarius, ſiue Guntchramno annos Regni in Burgundia tres ac triginta, Childeberto quatuor, Theodorico duodeuiginti tribuit, ſiue Clotarium Iuniorem anno Regni Neuſtraſiani triceſimo Burgundiam & Auſtraſiam conſecutum tradit. Iam verò ſi Clotariani Principatûs idem annus in Neuſtria triceſimus eſt & in Burgundia primus, conuenitque cum anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio, dubium non eſt, quin annus Clotarij Regis poſtremus, quem Fredegarius in Regno Neuſtraſiano quadrageſimum-quintum [c], in Burgundico decimum-ſextum [d] nuncupat, cum anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo coinciderit. Idem autem Clotarius, qui, teſte Fredegario [e], Burgundiæ Regnum XVI *annos tenuit*, & *anno* XLV *Regni ſui* Neuſtraſiani mortuus eſt, in Auſtraſia multò pauciores annos regnauit, anno enim Regni Neuſtraſiani triceſimo-nono, vt infrà ex eodem Fredegario probaturi ſumus, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo, Dagobertum filium Regem Auſtriæ conſtituit.

Poſterior claſſis Regum Auſtraſianorum à Dagobertini Principatûs exor- XXXIX.
dio ad obitum vſque Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi ſeptem Reges Auſtraſiæ complectitur, Dagobertum, Sigibertum Tertium, Clodoueum Secundum, Clotarium Tertium, Childericum Secundum, Dagobertum Secundum, Theodoricum Tertium, de quibus moderni Scriptores, quos ſuperiùs in Neuſtraſianorum Regum Indice laudauimus, non conſentiunt.

Primò, controuertitur annus, quo Clotarius Secundus Dagobertum fi- XL.
lium Auſtraſiis Regem præfecit. In vulgato Fredegario [f] annus Clotarij Regis duodequadrageſimus, quocum annus Chriſti ſexcenteſimus viceſimus-primus conuenit, ita legitur. *Anno* XXXVIII *Regni Chlotarij, Dagobertum filium ſuum conſortem Regni fecit, eúmque ſuper Auſtraſios Regem inſtituit.* At Valeſio [g] teſte annum Clotarij Regis vndequadrageſimum habent tres ipſius Fredegarij Codices manuſcripti, eundémque annum conſtantiſſimè retinent qui Fredegarium tranſcribere ſolent Anonymus in Geſtis [h] Dagoberti Regis & Aimoinus [i], quin & vulgatus Fredegarius [k] annum Dagoberti Regis ſeptimum cum anno Clotarij Regis quadrageſimo-quinto componit, eóque calculo ſatis docet corrigendum eſſe mendum, quod initio Regni Dagobertini perperam irrepſit. Hiſce rationibus permoti primordia Dagobertini Principatûs apud Auſtraſios in annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-ſecundum cum Sirmondo, Ducheſnio & Petauio, reiecimus. Plerique quæſtionem illam, vt inutilem, omnino negligunt; Bollandus & Henſchenius, vtrùm vulgatum Fredegarium, an Codicem Sirmondi ſequa-

[a] Cap. 42.
[b] Cap. 43.
[c] Cap. 56.
[d] Cap. 42.
[e] Capp. 42. 53.
[f] Cap. 47.
[g] Lib. 18.
[h] Cap. 11.
[i] Lib. 4. c. 8.
[k] Capp. 56. 58.

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

ris, parùm curant; Bucherius in Annotatione, quâ Chronologiam Regum Francorum texit, de Dagobertino apud Auſtraſios Principatu ne verbum quidem habet. Exiſtimant ad Chronologiam Regum Merouеadarum confirmandam ſatis eſſe, ſi annum, quo Dagobertus è viuis exceſſit, benè aſſequantur. At annus deprehendi non poteſt quo Dagobertus obiit, niſi probè ſciatur annus, quo primùm in Auſtraſia regnare cœpit. Bucherius in tabula rerum geſtarum à Baptiſmo Clodouei Magni, Dagobertum Auſtraſiæ Regem inſtitutum ait anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-tertio. Valeſius annum Clotarij Regis vndequadrageſimum cum eodem anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-tertio comparat, quia non aduertit vnum eundémque annum Fredegario & Chilperici Regis vltimum & Clotarij ſucceſſoris primum eſſe.

XLI. Secundò controuertitur annus, quo Sigibertus Rex Auſtraſiæ factus eſt. Apud vulgatum Fredegarium [a], hæc leguntur. *Anno XI Regni Dagoberti, cùm Winidi iuſſu Samonis fortiter ſæuirent, & ſæpè tranſcenſo eorum limite Regnum Francorum vaſtando Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis vrbem veniens, cum conſilio Pontificum, ſeu & Procerum, omnibúſque Primatibus Regni ſui conſentientibus, Sigibertum filium ſuum in Auſter Regnum ſublimauit, Sedémque Mettis ciuitatem habere permiſit* Alij annum illum Dagoberti Regis vndecimum ducunt à die quo Dagobertus Clotario patre in viuis ſuperſtite Regnum Auſtraſiæ ſuſcepit, alij à die quo Clotario patri mortuo in Neuſtraſiam Burgundiámque ſucceſſit. In poſteriori opinione, quæ annum Dagoberti Regis vndecimum cum anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo componit, verſatur Bucherius, cui maxima Neotericorum caterua ſuffragatur. In priore ſententia verſatur Valeſius, & quia Dagobertini Principatûs exordium in annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimumtertium reiicit, annum Dagoberti Regis vndecimum cum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio comparat, ſed apud Fredegarium reſtituendus eſt annus Dagoberti Regis duodecimus, quocum annus primus Sigiberti Regis annúſque Chriſti ſexcenteſimus triceſimus-tertius componantur.

[a] Cap. 75.

XLII. Tertiò, controuertitur annus, quo Sigibertus Auſtraſiæ Rex ex hac vita diſceſſit. Bucherius Sigiberti Principatum annis ſexdecim circumſcripſit, ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimun-quartum. Bollandus & Henſchenius, quos Labbeus in vltima ſua lucubratione ſiue in epitome Chronologica Hiſtoriæ Franciæ ſecutus eſt, eiuſdem Sigiberti Principatum ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-tertium prorogarunt. Valeſius Sigibertum ab anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum regnaſſe ſcripſit. Adiecimus annos Regni quatuor, & Sigiberti mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum quartum diſtulimus, quia vetus Anonymus à Ducheſnio [b] publicatus ſeptem annos à morte Sigiberti Regis vſque ad Childerici Principatum enumerat, & Childerico Regi quatuordecim annos attribuit, vtróſque ſcilicet incompletos, vt infrà dicturi ſumus.

[b] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc. pag. 781.

XLIII. Quartò, controuertiur Auſtraſianus Clodouei Secundi Principatus. Illum ex Auſtraſianorum Regum Catalogo abradunt, qui Sigiberti Regnum vitámque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-tertium producunt. At Clodoueus Sigiberto fratri ſuperſtes vixit, eiectóque pſeudo-Childeberto Auſtraſiam ſuis ditionibus adiecit. Id Anonymus [c] in Geſtis Regum Francorum ſic enarrat. *Defuncto Sigiberto Rege, Grimoaldus Maiordomûs filium eius paruulum nomine Dagobertum totondit, & per Didonem Pictauenſis vrbis Epiſcopum in Scotia ad peregrinandum eum dirigens filium ſuum* Childebertum *in Regno conſtituit. Franci itaque commoti atque vehementer indignati, Grimoaldo inſidias præparant, eúmque eximentes ad condemnandum Regi Francorum Chlodoueo deferunt*, vel, vt alius Codex habet, *eúmque comprehenſum ad condem-*

[c] Cap. 45.

demnandum Regi Chlodoueo, vt erat morte dignus, deſtinant, aut, vt tertius Codex adhuc meliùs ac clariùs, *cúmque de imperio deiicientes, Regnum Clodoueo deferunt*. Sequitur vltio de Grimoaldo ſumpta. *Pariſius ciuitate in carcere mancipatus, vinculorum cruciatu conſtrictus, vt erat morte dignus, propter ſcelus, quod in dominum exercuit, morte vitam finiuit.* Non deſunt etiam, qui Childericum à Clodoueo patre Regem Auſtraſiæ conſtitutum aſſerant, ipſúmque Clodoueum poſt pſeudo-Childeberti exauctorationem in Auſtraſia regnaſſe conſtanter inficientur. Hanc opinionem infrà refellemus [a]. Valeſius ex Geſtis Regum Francorum ſuprà citatis colligit Clodoueum inter Auſtraſiæ Reges annumerandum eſſe. Ita ſanè ſentiendum docent Flodoardus & vita ſanctæ Auſtrudis manuſcripta. Niuardus, cùm Remenſem Epiſcopatum in Auſtraſia gereret, *Præceptum immunitatis*, vt Flodoardus [b] ſcribit, *à Childeberto Rege ſuper teloneis & quibuſdam tributis Eccleſiæ Remenſis obtinuit. Cui Ludouicus quoque Rex ſub Eccleſiæ ſuæ nomine res quaſdam in Malliaco ſuper fluuium Vidulam, quas quibuſdam infidelibus ſuis eiectis receperat, auctoritatis ſuæ Præcepto conceſſit.* Hæc autem intelligi non poſſunt, niſi de Childeberto Grimoaldi filio pſeudo-Rege, déque Ludouico ſeu Clodoueo Dagoberti Magni filio, quia Niuardus ab anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum tertium Eccleſiæ Remenſi per annos quatuor ac viginti præfuit. In eadem Auſtraſia, Monialium Laudunenſium regimen *annuente Clodoueo Secundo Francorum Rege*, ſuſcepit Auſtrudis, vt ex eius vita manuſcripta refert Lucas Dacherius in nonnullarum ſancti Ioannis Laudunenſis Abbatiſſarum nomenclatura. Clodoueus igitur eiecto Childeberto Grimoaldi filio Regnum Auſtraſiæ ſuis ditionibus adiecit. Id factum exiſtimamus eodem quo Sigibertus Rex obiit anno, Chriſti videlicet ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto. Clodoueus anno ſequenti, vt in Neuſtraſiæ Regibus dictum eſt, vitam cum morte commutauit.

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

[a] Nu. 44. 45.

[b] Lib. 2. c. 7.

XLIV. Quintò, controuertitur Auſtraſianus Clotarij Tertij Principatus. Qui Clotarium in Auſtraſia regnaſſe negant, in duas claſſes ſeparantur. Alij Childericum, qui Clotario ſuperſtes fuit, Regem Auſtraſiæ conſtitutum volunt, viuente adhuc Clodoueo patre, Clotarióque fratre nondum Rege. Alij contendunt Clodoueo patri in Neuſtriam ac Burgundiam Clotarium, in Auſtriam Childericum ſucceſſiſſe. Priorem opinionem amplexus eſt Bucherius, cui Petauius & Labbeus adhæſerunt. In poſteriorem opinionem iuit Valeſius, ingenuè tamen faſſus eſt [c] *fuiſſe, qui crediderint non Theodoricum modò, ſed etiam Childericum regnante fratre Chlothario priuatos egiſſe.* Mortuo Clodoueo patre, Childericus & Theodoricus piuatam vitam egerunt. Id non inficiamur, Clotarius enim, qui filiorum natu maximus erat, poſt Clodouei patris obitum Monarchiam Francorum obtinuit. At Childericus, priuſquàm Clotarius frater moreretur, componendorum motuum causâ Rex Auſtraſiis eſt datus, vt mox probaturi ſumus.

[c] Lib. 21.

XLV. Childericus, cùm Auſtraſij Regem, qui ſoli Auſtraſiæ dominaretur, ſibi dari poſcerent, Auſtraſiam obtinuit, Neuſtraſiâ & Burgundiâ penes Clotarium Franciæ priùs Monarcham remanentibus. Sanè Childericum, antequàm Clotarius frater ex hac vita diſcederet, in Auſtraſia regnaſſe conſtat ex hoc Vrſini Scriptoris coætanei textu, qui legitur in vita ſancti Leodegarij. *Clotarius Rex exceſſit è viuis. Tum verò beatus Leodegarius Epiſcopus id audiens, celeritate ad Palatium profectus eſt, & cum aliis de Rege conſtituendo tractare cœpit. Cúmque comperiſſent Childericum Auſtraſiorum Regem adoleſcentem pro ſua ætate Regnum optimè adminiſtraſſe, quædam Francorum*, id eſt, Neuſtraſiorum, *pars eum voluit habere Regem.* Idem autem Childericus Regnum Auſtraſiæ, nec viuo patre, nec ſtatim à patris obitu ſuſcepit, anno enim ſui Principatûs octauo Bilechidem vxorem iam duxerat, vt liquet ex Regali charta quam Ioannes Bollandus [d] publicauit. Iacobus Sirmondus annum primum Childerici Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo comparauit.

[d] D. 1. Feb.

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

Hanc ſententiam egregiè confirmat vetus Anonymus [a], qui ſeptem annos à morte Sigiberti Regis vſque ad Childerici Principatum enumerat, & Childerico Regi quatuordecim annos attribuit, vtroſque ſcilicet incompletos; obierunt enim, Sigibertus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto, Childericus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Regnarunt igitur in Auſtraſia poſt Clodoueum Secundum, Clotarius Tertius, tum Childericus Secundus, ille ab anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum, hic ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium, quo vitam clauſit.

[a] Tom 1. Coll. Hiſt. Franc. pag. 781.

XLVI. Dagobertus Secundus, Sigiberti Tertij filius, poſt Childerici II. mortem ex Hibernia rediit, regnauítque in Auſtraſia, donec prælio prope Lingonas aduersùs Theodoricum Neuſtraſiæ Burgundiæque Regem infeliciter commiſſo Regnum vitámque amiſit. Omittitur ab omnibus fermè Neotericis; ab Auctoribus tamen ſynchronis, quos ſuis locis citauimus, & à Willelmo Malmeſburienſi Monacho laudatus inuenitur. In lucem velut rediuiuus noſtrâ ætate prodiit apud Godefridum Henſchenium in Diatriba *de tribus Dagobertis Francorum Regibus*, & apud Hadrianum Valeſium libro viceſimo ſecundo rerum Francicarum. Sed hi Scriptores nec de tempore conueniunt quo reuerſus eſt ex Hibernia, nec de anno quo vitam finiuit. Henſchenij mentem paucis accipe ex Indice Chronologico, quem ſuæ Diatribæ ſubiecit. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo *Clodoueus II.* Neuſtriæ Burgundiæque Rex *obit*, ſuccedit Clotharius III. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-tertio *S. Sigebertus Rex moritur, Dagobertus in Hiberniam mittitur, Childebertus filius Grimoaldi fit Rex Auſtraſiorum.* Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, *Childericus creatur Rex Auſtraſiorum.* Circa annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum *Dagobertus redit ab exilio ad Regnum Adrhenanum.* Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, *Childericus Monarcha Francorum.* Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono *Childericus Rex occiditur.* Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, *Dagobertus II. Rex Auſtraſiorum creatur.* Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, *Dagobertus II. obit.* Eadem refert Labbeus, excepto quod ad annos Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum & ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum nullam Dagoberti mentionem facit. Illum autem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto ex Hibernia reuocatum ait à Childerico Francorum tunc Monarcha. Deinde bellum inter Dagobertum & Theodoricum Reges anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto enatum tradit, ſed Dagoberti mortem ſilentio prætermittit. Valeſius longè aliam init Chronologiam, Dagobertum enim *à Wlfoado Duce poſt Childerici mortem*, quam anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio conſignat, *in Auſtriam reuerſo ac pleriſque Auſtraſiorum Proceribus reuocatum* ſcribit, additque *incertum* eſſe *quot annos regnauerit, quid rerum geſſerit, quóve anno obierit*, exiſtimat tamen eum *non diu* Regni potitum eſſe, *nec annum Domini* DCXXC, *Theodorici Principatûs ſeptimum, circa quod tempus Vulfoaldus Dux obiit, exceſſiſſe, nihílque liberorum marium reliquiſſe.* Cur Valeſius Henſchenium in obitu cùm Clotarij Tertij, tum Childerici Secundi, ſex annis præuertat, expoſuimus ſuprà. Stamus à Valeſio quantùm ad Chronologiam & ad Dagoberti reditum ex Hibernia. Childerici Regis mortem anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio collocamus, eâque auditâ Dagobertum ab Auſtraſiis in patriam reuocatum aſſerimus, vnde ſequitur annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum cum anno primo Dagoberti Regis in Auſtria & Theodorici Regis in Neuſtria & Burgundia comparandum eſſe. Quod attinet ad annum quo Dagobertus extinctus eſt, Henſchenius eidem anno mortem illam initiúmque Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptæ rectè adſcripſit, licèt annum Chriſti non benè ſit aſſecutus, annúmque ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum pro ſexcente-

Digitized by Google

ſimo octogeſimo ſic appoſuerit. *A. 687. Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, & Fredegarij Chronico annexa, incipit. Dagobertus II. obit.* Reſtituendum autem eſſe annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum vel ex eo patet, quòd apud Auctorem Hiſtoriæ prælaudatæ, cuius exordium à morte Dagoberti petitur, anno pòſt triceſimo-primo diſcedit è viuis Childebertus Tertius, qui teſtibus Annalibus Nazarianis & Petauianis, quorum alij in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, alij in octingenteſimo deſinunt, mortuus eſt *anno* DCCXI. Regnauit igitur in Auſtraſia Dagobertus annos ſeptem, vitámque anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo clauſit. AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

Thodoricus III, qui poſt Childericum Secundum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio in Neuſtria & Burgundia regnare cœperat, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo in Auſtraſiam Dagoberto Secundo ſucceſſit. Ergo annus Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-tertius, quo vitam Sancti Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi terminauimus, cum anno Theodorici Regis in Auſtria tertio, in Neuſtria & Burgundia decimo coincidit. XLVII.

Quoniam è Clodouei Magni poſteris reperti ſunt non pauci, qui Franciam vniuerſam, id eſt, tria Auſtriæ, Neuſtriæ ac Burgundiæ Regna tenuerunt, putà Clotarij Primus & Secundus, Dagobertus, eiúſque filius Clodoueus Secundus, ac nepotes, Clotarius Tertius, Childericus Secundus & Theodoricus Tertius, lubentiſſimè fatemur Auctores, qui Chronologiam Regum Neuſtraſianorum illuſtrarunt, ad Principatus Regum Auſtraſianorum rectè diſtinguendos plurimùm nobis auxilij contuliſſe. Sed plerique cùm Neuſtraſianum Regnum vel Dagoberti, vel Clotarij Tertij, vel vtriuſque, non eo quo par eſt annorum numero circumſcripſerint, à recta Regum cùm Auſtraſianorum tum Neuſtraſianorum, rerúmque cùm in Auſtraſia tum in Neuſtraſia geſtarum multùm aberrarunt. Quapropter operæpretium viſum eſt Tabulam Chronologicam ſubiicere, cuius intuitu præter Sigeberti Chronologiam quæ plurimos decepit, ad illius emendationem quid noſtrâ ætate præcipui Chronologi; quid Ægidius Bucherius quem Iacobus Sirmondus, Dionyſius Petauius & Andreas Ducheſnius ſecuti ſunt; quid Ioannes Bollandus & Godefridus Henſchenius à quibus Philippus Labbeus rariſſimè receſſit; quid Hadrianus Valeſius qui certè ceteris antecellit; quid ipſi poſt alios præſtiterimus, facilè deprehendas. XLVIII.

XLIX.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
417			Faramundus regnat.
418			1
419	Pharamundus Rex.		2
420	1		3
421	2		4
422	3		5
423	4		6
424	5		7
425	6		8
426	7		9
427	8		10
428	9		11 Clodius regnat.
429	10		1
430	11 Pharamundus obit. Succedit Clodius filius.		2
431	1		3
432	2		4
433	3		5
434	4		6
435	5		7
436	6		8
437	7		9
438	8		10
439	9		11
440	10		12
441	11		13

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,	Labbeana,	Noſtra.
417			Faramundus regnat [a].
418			1
419			2
420		Faramundus regnat. 1	3
421		2	4
422		3	5
423		4	6
424		5	7
425		6	8
426		7	9 Faramundus obit [b]. Succedit Clodio filius [c].
427		Faramundus obit. Succedit Clodio filius. 1	1
428	Chlodio regnat. 1	2	2
429	2	3	3
430	3	4	4
431	4	5	5
432	5	6	6
433	6	7	7
434	7	8	8
435	8	9	9
436	9	10	10
437	10	11	11
438	11	12	12
439	12	13	13
440	13	14	14
441	14	15	15

[a] Proſper & Idatius ſimul collati.

[b] Proſper.

[c] Geſt. Franc. c. 5. Rorico l. 2.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana.
442	12		14
443	13		15
444	14		16
445	15		17
446	16		18
447	17		19
448	18 Clodius obit. Succedit Meroueus filius.		20 Meroueus regnat.
449	1		1
450	2		2
451	3		3
452	4		4
453	5		5
454	6		6
455	7		7 Meroueus obit. Succedit Childericus filius.
456	8		1
457	9		2
458	10 Meroueus obit. Succedit Hildericus filius.		3
459	1		4
460	2		5
461	3		6
462	4		7
463	5		8
464	6		9

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA *Valeſiana,*	*Labbeana,*	*Noſtra.*
442	15	16	16
443	16	17	17
444	17	18	18
445	18	19	19
446	19	20	20 Clodio obit [a]. Succedit Meroueus filius [b].
447	20	Clodio obit Succedit Meroueus filius. 1	1
448	Meroueus regnat. 1	2	2
449	2	3	3
450	3	4	4
451	4	5	5
452	5	6	6
453	6	7	7
454	7	8	8
455	8	9	9
456	9	10	10 Meroueus obit. Succedit Childericus filius [c].
457	10	Meroueus obit. Succedit Childericus filius. 1	1
458	Meroueus obit. Succedit Childericus filius. 1	2	2
459	2	3	3
460	3	4	4
461	4	5	5
462	5	6	6
463	6	7	7
464	7	8	8

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

[a] Proſper.
[b] Priſcus Rhetor.
[c] Greg. Tur. l. 2. c. 9.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
465	7		10
466	8		11
467	9		12
468	10		13
469	11		14
470	12		15
471	13		16
472	14		17
473	15		18
474	16		19
475	17		20
476	18		21
477	19		22
478	20		23
479	21		24 Childericus obit. Succedit Clodoueus filius.
480	22		1
481	23		2
482	24		3
483	25		4
484	26 Hildericus obit. Succedit Clodoueus filius.		5
485	1		6
486	2		7
487	3		8
488	4		9
489	5		10

465

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,	Labbeana,	Noſtra.
465	8	9	9
466	9	10	10
467	10	11	11
468	11	12	12
469	12	13	13
470	13	14	14
471	14	15	15
472	15	16	16
473	16	17	17
474	17	18	18
475	18	19	19
476	19	20	20
477	20	21	21
478	21	22	22
479	22	23	23
480	23	24	24
481	24	Childericus obit. Succedit Clodoueus filius. 1	25 Childericus obit. Succedit Clodoueus filius, qui regnat annos 30. [a]
482	Childericus obit. Succedit Chlodoueus filius. 1	2	1
483	2	3	2
484	3	4	3
485	4	5	4
486	5	6	5
487	6	7	6
488	7	8	7
489	8	9	8

[a] Greg. Tur. l. 2. c. 43.

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
490	6		11
491	7		12
492	8		13
493	9		14
494	10		15 Clodoueus baptizatur.
495	11		16
496	12	Clodoueus baptizatur anno regni ſui 15	17
497	13	16	18
498	14	17	19
499	15 Clodoueus baptizatur.	18	20
500	16	19	21
501	17	20	22
502	18	21	23
503	19	22	24
504	20	23	25
505	21	24	26
506	22	25	27
507	23	26 Clodoueus Alaricum debellat.	28 Clodoueus Alaricum debellat.
508	24	27	29
509	25 Clodoueus Alaricum debellat.	28	30 Clodoueus obit. Succedunt 4. filij, Theodoricus, Chlodomires, Childebertus, & Chlotharius.
510	26	29	1
511	27	30 Clodoueus ob. Succedunt 4. filij, Theodoricus, Chlodomeris, Childebertus, & Chlotharius.	2

Digitized by Google

CHRONOLOGIA

AN. Chr.	Valeſiana,	Labbeana,	Noſtra.
490	9	10	9
491	10	11	10
492	11	12	11
493	12	13	12
494	13	14	13
495	14	15	14
496	15 Clodoueus baptizatur.	16 Clodoueus baptizatur.	15 Clodoueus baptizatur [a].
497	16	17	16
498	17	18	17
499	18	19	18
500	19	20	19
501	20	21	20
502	21	22	21
503	22	23	22
504	23	24	23
505	24	25	24
506	25	26	25
507	26 Chlodoueus Alaricum debellat.	27 Clodoueus Alaricum debellat.	26 Clodoueus Alaricum debellat [b].
508	27	28	27
509	28	29	28
510	29	30	29
511	30 Chlodoueus obit. Succedunt 4. filij, Theodoricus, Chlodomeres, Childebertus, & Chlotharius.	31 Clodoueus obit. Succedunt 4. filij, Theodoricus, Chlodomires, Childebertus, & Chlotharius.	30 Clodoueus obit [c]. Succedunt 4. filij, Theodoricus, Chlodomeres, Childebertus, & Clotarius.

[a] Greg. Tur. lib. 2. c. 30.

[b] Iſidor. in Chron. Goth.

[c] Greg. Tur. lib. 2. c. 43.

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
512	28	1	3
513	29	2	4
514	30 Clodoueus obit. Succedunt quatuor filij, Thedericus, Clodomiris, Hildebertus & Lotharius.	3	5
515	1	4	6
516	2	5	7
517	3	6	8
518	4	7	9
519	5	8	10
520	6	9	11
521	7 Clodomiris obit relictis tribus filiis.	10	12
522	8	11	13
523	9	12	14
524	10	13	15 Chlodomeres obit.
525	11	14	16
526	12	15	17
527	13	16	18
528	14	17	19
529	15	18	20
530	16	19	21
531	17 Clodoaldus Clodomiris quondam R. filius extinctis fratribus fit Clericus.	20	22

Digitized by Google

AN. CH. 683.
THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA *Valeſiana*,	*Labbeana*,	*Noſtra*.
512	1	1	1
513	2	2	2
514	3	3	3
515	4	4	4
516	5	5	5
517	6	6	6
518	7	7	7
519	8	8	8
520	9	9	9
521	10	10	10
522	11	11	11
523	12	12	12
524	13 Chlodomeres obit relictis tribus filiis.	13 Chlodomires obit relictis tribus filiis.	13 Clodomeres obit relictis tribus filiis [a].
525	14	14	14
526	15	15	15 Hoc circiter anno Clodoaldus Clodomeris quondam R. filius extinctis fratribus fit Clericus [b].
527	16	16	16
528	17	17 Hoc circiter anno Clodoaldus Chlodomeris quondam R. filius extinctis fratribus fit Clericus.	17
529	18	18	18
530	19	19	19
531	20	20	20

[a] Marius in Chron.

[b] Greg. Turon. l. 3. c. 18.

Digitized by Google

AN. Chr.	*CHRONOLOGIA* *Sigebertina,*		*Bucheriana,*		*Henſcheniana,*	
532	18		21		23	
533	19		22		24 Theodericus obit. Succedit Theodebertus filius.	
534	20		23 Theodoricus obit. Succedit Theodobertus filius.		25	1
535	21		24	1	26	2
536	22		25	2	27	3
537	23 Theodericus obit. Succedit Theodebertus filius.		26	3	28	4
538	24	1	27	4	29	5
539	25	2	28	5	30	6
540	26	3	29	6	31	7
541	27	4	30	7	32	8
542	28	5	31	8	33	9
543	29	6	32	9	34	10
544	30	7	33	10	35	11
545	31	8	34	11	36	12
546	32	9	35	12	37	13
547	33	10	36 Theodobertus obit. Succedit Theodoualdus filius.	13	38	14
548	34	11	37	1	39 Theodebertus obit. Succedit Theodebaldus filius.	15
549	35	12	38	2	40	1
550	36 Theodebertus obit. Succedit Theodebaldus filius.	13	39	3	41	2
551	37	1	40	4	42	3
552	38	2	41	5	43	4
553	39	3	42	6	44	5

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,		Labbeana,		Noſtra.	
532	21		21		21	
533	22 Chlodoaldus Chlodomeris quondam R. filius extinctis fratribus fit Clericus.		22		22	
534	23 Theodoricus obit. Succedit Theodebertus filius.		23 Theodoricus obit. Succedit Theodobertus filius.		23 Theodoricus obit. Succedit Theodobertus filius [a].	
535	24	1	24	1	24	1
536	25	2	25	2	25	2
537	26	3	26	3	26	3
538	27	4	27	4	27	4
539	28	5	28	5	28	5
540	29	6	29	6	29	6
541	30	7	30	7	30	7
542	31	8	31	8	31	8
543	32	9	32	9	32	9
544	33	10	33	10	33	10
545	34	11	34	11	34	11
546	35	12	35	12	35	12
547	36	13	36	13	36	13
548	37 Theodebertus obit. Succedit Theodobaldus filius.	14	37 Theodobertus obit. Succedit Theodobaldus filius.	14	37 Theodobertus obit. Succedit Theodobald. filius [b].	14
549	38	1	38	1	38	1
550	39	2	39	2	39	2
551	40	3	40	3	40	3
552	41	4	41	4	41	4
553	42	5	42	5	42	5

[a] Greg. Turon. l. 3. c. 23.

[b] Marius in Chron. Greg. Turon. l. 3. c. 37.

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
554	40 4	43 7 Theodoualdus obit. Succedit Chlotharius propatruus.	45 6
555	41 5	44	46 7 Theodebaldus obit. Succedit Chlotharius propatruus.
556	42 6 Theodebaldus obit.	45	47
557	43	46	48
558	44	47	49 Childebertus obit. Chlotharius frater Monarchiam Francorum obtinet.
559	45 Hildebertus obit. Lotharius frater Monarchiam Francorum obtinet.	48	50
560	46	49 Childebertus obit. Lotharius frater Monarchiam Francorum obtinet.	51
561	47	50 Chlotharius obit. Succedunt quatuor filij, Haribertus, Guntrannus, Chilpericus & Sigibertus.	52 Chlotharius obit. Succedunt quatuor filij, Haribertus, Guntrannus, Chilpericus & Sigibertus.
562	48	1	1
563	49	2	2
564	50 Lotharius obit. Succedunt quatuor filij, Heribertus, Guntrannus, Chilpericus, & Sigibertus.	3	3
565	1	4	4
566	2	5	5
567	3	6	6
568	4	7	7

AN. Chr.	CHRONOLOGIA *Valeſiana*,	*Labbeana*,	*Noſtra*.
554	43 6	43 6	43 6
555	44 7 Theodebaldus obit. Succedit Chlotharius propatruus.	44 7 Theodobaldus obit. Succedit Chlotharius propatruus.	44 7 Theodobaldus obit. Succedit Clotarius propatruus.[a]
556	45	45	45
557	46	46	46
558	47 Childebertus obit. Chlotharius frater Monarchiam Francorum obtinet.	47 Childebertus obit. Chlotharius frater Monarchiam Francorum obtinet.	47 Childebertus obit[b]. Clotarius frater Monarchiam Francorum obtinet.
559	48	48	48
560	49	49	49
561	50 Chlotharius obit. Succedunt quatuor filij, Charibertus, Gunthramnus, Chilpericus & Sigibertus.	50 Clotarius obit. Succedunt quatuor filij, Charibertus, Guntrannus, Chilpericus & Sigibertus.	50 Clotarius obit. Succedunt quatuor filij. 1
562	1	1	1 2 Hic annus primus eſt Chariberti ac fratrum RR. ex ſtylo Gregoriano, ſecundus ex Fredegariano.
563	2	2	2 3
564	3	3	3 4
565	4	4	4 5
566	5	5	5 6
567	6	6	6 7 Charibertus obit.
568	7	7	7 8

[a] Marius in Chron. Greg. Turon. lib. 4 c. 9.

[b] Marius in Chron.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
569	5	8 Charibertus obit.	8
570	6	9	9 Charibertus obit.
571	7	10	10
572	8	11	11
573	9 Heribertus obit.	12	12
574	10	13	13
575	11	14 Sigibertus obit. Succedit Childebertus II. filius.	14 Sigibertus obit. Succedit Childebertus II. filius.
576	12	15 1	15 1
577	13	16 2	16 2
578	14 Sigibertus obit. Succedit Childebertus II. filius.	17 3	17 3
579	15 1	18 4	18 4
580	16 2	19 5	19 5
581	17 3	20 6	20 6
582	18 4	21 7	21 7
583	19 5	22 8	22 8
584	20 6	23 9 Chilpericus obit. Succedit Lotharius II. filius.	23 9 Chilpericus obit. Succedit Clotarius II. filius. 1
585	21 7	24 10 1	24 10 1 2
586	22 8	25 11 2	25 11 2 3
587	23 9 Chilpericus obit. Succedit Clotarius II. filius.	26 12 3	26 12 3 4
588	24 10 1	27 13 4	27 13 4 5

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,	Labbeana,	Noſtra.
569	8	8	8 9
570	9 Charibertus obit.	9 Charibertus obit.	9 10
571	10	10	10 11
572	11	11	11 12
573	12	12	12 13
574	13	13	13 14
575	14 Sigibertus obit. Succedit Childebertus II. filius.	14 Sigibertus obit. Succedit Childebertus II. filius.	14 15 Sigibertus obit. Succedit Childebertus II. filius [a].
576	15 1	15 1	15 16 1
577	16 2	16 2	16 17 2
578	17 3	17 3	17 18 3
579	18 4	18 4	18 19 4
580	19 5	19 5	19 20 5
581	20 6	20 6	20 21 6
582	21 7	21 7	21 22 7
583	22 8	22 8	22 23 8
584	23 9 Chilpericus obit. Succedit Clotarius II. filius.	23 9 Chilpericus obit. Succedit Clotarius II. filius. 1	23 24 9 Chilpericus obit. Succedit Clotarius II. filius [b]. 1
585	24 10 1	24 10 2	24 25 10 1 2 Hic annus primus eſt Clotarij R. ex ſtylo Gregoriano, ſecundus ex Fredegariano.
586	25 11 2	25 11 3	25 26 11 2 3
587	26 12 3	26 12 4	26 27 12 3 4
588	27 13 4	27 13 5	27 28 13 4 5

[a] Greg. Tur. Lib. 4. c.16.

[b] Greg. Turon. l. 6. c c. 35. 46. Geſta RR. Franc. c. 35.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
589	25 11 2	28 14 5	28 14 5 6
590	26 12 3	29 15 6	29 15 6 7
591	27 13 4	30 16 7	30 16 7 8
592	28 14 5	31 17 8	31 17 8 9
593	29 15 6	32 18 9	32 18 9 10 Gunthramnus obit. Succedit Childebertus II. nepos ex fratre Sigiberto. 1
594	30 16 7	33 19 10 Gunthrannus obit. Succedit Childebertus II. nepos ex fratre Sigiberto.	19 1 2 10 11
595	31 17 8	20 11	20 2 3 11 12
596	32 18 9	21 12 Childebertus II. obit. Succedunt duo filij, Theodobertus II. & Theodoricus II.	21 3 4 12 13 Childebertus II. obit. Succedunt duo filij, Theudebertus II. & Theudericus II. 1
597	33 19 10 Guntrannus obit. Succedit Childebertus nepos ex fratre Sigiberto.	13 1	13 14 2
598	20 11	14 2	14 15 3
599	21 12	15 3	15 16 4
600	22 13 Childebertus obit. Succedunt duo filij, Theodebertus & Theodericus.	16 4	16 17 5
601	14 1	17 5	17 18 6
602	15 2	18 6	18 19 7
603	16 3	19 7	19 20 8

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA *Valeſiana*,	*Labbeana*,	*Noſtra*.
589	28 14 5	28 14 6	28 29 14 5 6
590	29 15 6	29 15 7	29 30 15 6 7
591	30 16 7	30 16 8	30 31 16 7 8
592	31 17 8 Guntchramnus obit. Succedit Childebertus II. nepos ex fratre Sigiberto.	31 17 9	31 32 17 8 9
593	18 9	32 18 10	32 33 18 9 10 Guntchramnus obit. Succedit Childebertus II. nepos ex fratre Sigiberto [a]. 1
594	19 10	33 19 11 Guntrannus obit. Succedit Childebertus II. nepos ex fratre Sigiberto.	19 1 2 10 11 Hic annus, qui eſt Childeberti R. in Auſtria decimusnonus, eſt & eiuſdem Regis in Burgundia primus ex ſtylo Gregoriano & ſecundus ex Fredegariano.
595	20 11 Childebertus II. obit. Succedunt duo filij, Theodebertus II. & Theodericus II.	20 12	20 2 3 11 12
596	12 1	21 13 Childebertus II. obit. Succedunt duo filij, Theodobertus & Theodoricus.	21 3 4 12 13 Childebertus II. obit. Succedunt duo filij, Theodobertus II. & Theodoricus II [b]. 1
597	13 2	14 1	13 14 2
598	14 3	15 2	14 15 3
599	15 4	16 3	15 16 4
600	16 5	17 4	16 17 5
601	17 6	18 5	17 18 6
602	18 7	19 6	18 19 7
603	19 8	20 7	19 20 8

a Fredeg. c. 14.

b Fredeg. c. 16.

Digitized by Google

AN. Chr.	*CHRONOLOGIA* *Sigebertina,*		*Bucheriana,*		*Henſcheniana,*		
604	17	4	20	8	20	21	9
605	18	5	21	9	21	22	10
606	19	6	22	10	22	23	11
607	20	7	23	11	23	24	12
608	21	8	24	12	24	25	13
609	22	9	25	13	25	26	14
610	23	10	26	14	26	27	15
611	24	11	27	15	27	28	16
612	25	12	28 Theodobertus obit.	16	28 Theudebertus obit.	29	17
613	26	13	29 Theodoricus obit. Sigibertus filius ſuccedit, obitque eodem anno. Clotarius Monarchiam Francorum obtinet.	17	29 Theudericus II. obit. Sigibertus filius ſuccedit, obítque eodem anno. Clotarius Monarchiam Francorum obtinet.	30	18 1
614	27	14	30		30	31	2
615	28	15	31		31	32	3
616	29	16	32		32	33	4
617	30 Theodebertus obit.	17	33		33	34	5
618	31 Theodericus obit. Clotharius Monarchiam Francorum obtinet.	18	34		34	35	6
619	32		35		35	36	7
620	33		36		36	37	8
621	34		37		37 Chlotharius filium ſuum Dagobertum Regem Auſtriæ conſtituit.	38	9

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

CHRONOLOGIA

AN. Chr.	Valeſiana,		Labbeana,		Noſtra.		
604	20	9	21	8	20	21	9
605	21	10	22	9	21	22	10
606	22	11	23	10	22	23	11
607	23	12	24	11	23	24	12
608	24	13	25	12	24	25	13
609	25	14	26	13	25	26	14
610	26	15	27	14	26	27	15
611	27	16	28	15	27	28	16
	Theodebertus II. obit.						
612	28	17	29	16	28	29	17
	Theodoricus II. obit. Succedit Sigibertus II. filius.		Theodobertus obit.		Theodobertus II. obit [a].		
613	29	1	30	17	29	30	18
	Sigibertus II. obit. Clotarius Monarchiam Francorum obtinet.		Theodoricus obit, filius Sigibertus ſuccedit. Eo victo Clotarius Monarchiam Francorum obtinet.		Theodoricus II. obit [b]. Succedit Sigibertus II. filius, obitque eodem anno. Clotarius Monarchiam Francorum obtinet.		1
614	30		31		30	31	2
			Sigibertus obit.		Hic annus eſt 30. Clotarij R. in Neuſtria ex ſtylo Greg. & 31. ex ſtylo Fredegariano, vt & ſecundus in Auſtria & Burgundia ex eodem ſtylo Fredegariano.		
615	31		32		31	32	3
616	32		33		32	33	4
617	33		34		33	34	5
618	34		35		34	35	6
619	35		36		35	36	7
620	36		37		36	37	8
621	37		38		37	38	9

[a] Fredeg. c. 38.

[b] Fredeg. cc. 38. 39.

Digitized by Google

AN. Chr.	*CHRONOLOGIA* *Sigebertina,*	*Bucheriana,*	*Henſcheniana,*		
622	35	38	38	39	10
623	36	39 Lotharius Dagobertum filium Regem Auſtriæ conſtituit.	39	40	11
624	37	40	40	41	12
625	38	41	41	42	13
626	39	42	42	43	14
627	40	43	43	44	15
628	41 Lotharius Dagobertum filium Regem Auſtriæ conſtituit.	44 Chlotharius obit. Succedit Dagobertus filius. 1	44 Chlotharius obit. Dagobertus filius ſuccedit, & Chariberto fratri pagos Tholoſanum alióſque vicinos concedit. 1	45	16
629	42	2	2		
630	43	3	3		
631	44 Lotharius obit. Succedit Dagobertus filius.	4	4		
632	1	5	5		
633	2	6	6		

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA *Valeſiana*,	*Labbeana*,	*Noſtra.*
622	38	39 Clotarius Dagobertum filium Regem Auſtriæ conſtituit.	38 39 10 Clotarius Dagobertum filium Regem Auſtriæ conſtituit [a]. 1
623	39 Chlotharius Dagobertum filium Regem Auſtriæ conſtituit. 1	40	39 40 11 2
624	40 2	41	40 41 12 3
625	41 3	42	41 42 13 4
626	42 4	43	42 43 14 5
627	43 5	44	43 44 15 6
628	44 6 Chlotharius obit. Succedit Dagobertus filius.	45 Clotarius obit. Succedit Dagobertus filius, & Chariberto fratri pagos Tholoſanum alióſque vicinos concedit. 1	44 45 16 7 Clotarius obit. Succedit Dagobertus filius [b].
629	7 Dagobertus aliquot pagos Chariberto fratri concedit. 1	2	8 Dagobertus aliquot pagos Chariberto fratri concedit [c]. 1
630	8 2	3	9 2 Charibertus II. obit. Succedit Chilpericus II. obit idem Chilpericus hoc anno. Dagobertus Monarchiam Francorum iterùm obtinet [d].
631	9 3 Charibertus obit. Succedit Chilpericus, eóque mortuo Dagobertus Monarchiam Francorum iterùm obtinet.	4	10
632	10	5	11
633	11 Dagobertus filium Sigib. Regem Auſtriæ conſtituit. 1	6	12 Dagobertus filium Sigib. Regem Auſtriç conſtituit [e]. 1

[a] Fredeg. MS. c. 47.

[b] Fredeg. c. 56.

[c] Fredeg. c. 57

[d] Fredeg. c. 57.

[e] Fredeg. emend. c. 75.

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,
634	3	7	7
635	4	8	8
636	5	9	9 Chariberto eiúſque filio Chilperico mortuis, Dagobertus Monarchiam Francorum obtinet.
637	6	10	10
638	7	11	11 Dagobertus Sigibertum filium ſuum Auſtriæ Regem conſtituit. 1
639	8	12 Dagobertus filium ſuum Sigibertum Auſtriæ Regem conſtituit. 1	12 2
640	9 Dagobertus filium ſuum Sigibertum Auſtriæ Regem conſtituit.	13 2	13 3
641	10 1	14 3	14 4
642	11 2	15 4	15 5
643	12 3	16 5	16 6
644	13 4	Dagobertus obit menſe Ianuario. Succedit Clodoueus filius. 6 1	Dagobertus obit menſe Ianuario. Succedit Clodoueus filius. 7 1
645	14 5 Dagobertus obit. Succedit Clodoueus filius.	7 2	8 2
646	6 1	8 3	9 3 Audoenus & Eligius ordinantur Epiſcopi.
647	7 2	9 4	10 4
648	8 3	10 5	11 5

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,		Labbeana,		Noſtra.	
634	12	2	7		13	2
635	13	3	8		14	3
636	14	4	9		15	4
637	15	5	10 Chariberto eiúſque filio Chilperico mortuis, Dagobertus Monarchiam Francorum obtinet.		16	5
638	16 Dagobertus obit. Succedit Clodoueus filius.	6	11		6 Dagobertus obit menſe Ianuario, anno Regni decimo-ſexto exeunte, ſuccedit Clodoueus filius [a].	1
639	7	1	12 Dagobertus filium ſuum Sigibertum Auſtriæ Regem conſtituit.	1	7	2
640	8	2	13	2	8 Audoenus & Eligius ordinantur Epiſcopi [b].	3
641	9	3	14	3	9	4
642	10	4	15	4	10	5
643	11	5	16	5	11	6
644	12	6	Dagobertus obit menſe Ianuario. Succedit Clodoueus filius. 6	1	12	7
645	13	7	7	2	13	8
646	14	8	8 Audoenus & Eligius ordinantur Epiſcopi.	3	14	9
647	15	9	9	4	15	10
648	16	10	10	5	16	11

[a] Fredeg. c. 79. Geſt. Dagob. c. 43.

[b] Audoen. in vit. S. Eligij.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA *Sigebertina*,		*Bucheriana*,		*Henſcheniana*,	
649	9	4	11	6	12	6
650	10	5	12	7	13	7
651	11	6	13	8	14	8
652	12	7	14	9	15	9
653	13	8	15	10	16	10
654	14	9	16 Sigibertus obit. Tyrannidem arripit Childebertus.	11	17	11
655	15	10	12 Clodoueus exauctorato pſeudo-Childeberto filium ſuum Childericum Regem Auſtriæ conſtituit.		18	12
656	16 Sigibertus obit. Tyrannidem arripit Hildebertus.	11	13	1	19	13
657	12		14	2	20	14
658	13 Clodoueus exauctorato Hildeberto Hildericum filium ſuum Regem Auſtriæ conſtituit.		15	3	21	15
659	14	1	16	4	22	16
660	15	2	17 Clodoueus obit. Succedit Lotharius filius. Obit etiam Eligius Nouiomenſis Epiſcopus.	5	23	17
661	16	3	6	1	24	18
662	17 Clodoueus obit. Succedit Lotharius filius.	4	7	2	25 Clodoueus obit. Succedit Chlotharius filius.	1

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,		Labbeana,		Noſtra.	
649	17	11	11	6	17	12
650	18 Sigibertus obit. Clodoueus eius frater Monarchiam Francorum obtinet.	12	12	7	18	13
651	13		13	8	19	14
652	14		14	9	20	15
653	15		15	10	21	16
654	16 Clodoueus obit. Chlotharius filius ſuccedit. Deinde Childericus Chlotharij frater fit Rex Auſtriæ.		16	11	17 Sigibertus III. obit. Regnat pſeudo-Childebertus, eóque exauctorato Clodoueus II. Sigiberti frater Monarchiam Francorum obtinet [a].	
655	1		17	12	18 Clodoueus II. obit. Succedit Clotarius III. filius [b].	
656	2		18	13	1	
657	3		19	14	2	
658	4		20	15	3	
659	5		21	16	4 Eligius Nouiomenſis Epiſcopus obit.	
660	6		22	17	5 Childericus II. frater Clotarij III. fit Rex Auſtriæ [c].	1
661	7		23	18	6	2
662	8		24 Clodoueus obit. Succedit Clotarius filius.	1	7	3

[a] An. 654. nn. 5. 6.

[b] Vit. S. Bathildis.

[c] Vit. S. Bathildis.

AN. Chr.	*CHRONOLOGIA* *Sigebertina,*	*Bucheriana,*	*Henſcheniana,*
663	5 1	8 3	2 Sigibertus obit. Tyrannidem arripit Childebertus.
664	6 2	9 4 Lotharius obit. Succedit Childericus frater.	3 Childericus exauctorato pſeudo-Childeberto fit Rex Auſtriæ. 1
665	7 3 Eligius Nouiomenſis Epiſcopus obit.	5	4 2
666	8 4 Lotharius obit. Succedit Theodericus frater.	6	5 3
667	9 Hildericus fugato Theoderico fratre Monarchiam Francorum obtinet.	7 Childericus obit. Succedit Theodericus frater.	6 4
668	10	1	7 5
669	11	2	8 6
670	12	3	9 7
671	13	4	10 8
672	14	5	11 9
673	15	6	12 10
674	16	7	13 11
675	17	8	14 12 Chlotharius obit.

Digitized by Google

AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,	Labbeana,		Noſtra.	
663	9	2 Sigibertus obit. Tyrannidem arripit Childebertus.		8	4
664	10	3 Childericus exauctorato Childeberto fit Rex Auſtriæ.	1	9	5
665	11	4 Eligius Nouiomenſis Epiſcopus obit.	2	10	6
666	12	5	3	11	7
667	13	6	4	12	8
668	14 Chlotarius III. obit. Succedit Theodoricus.	7	5	13	9
669	15	8	6	14 Clotarius III. obit [a]. Childericus frater Monarchiam Francorum obtinet expulſo Theodorico.	10
670	16 Childericus Monarchiam Francorum obtinet.	9	7	11	
671	17	10	8	12	
672	18	11	9	13	
673	19 Childericus obit. Theodoricus frater Monarchiam Francorum obtinet. Deinde Dagobertus in Auſtriam ex Hibernia reuocatur.	12	10	14 Childericus II. obit [b]. Theodoricus III. frater & Dagobertus Sigiberti quondam Regis filius ſuccedunt.	
674	1	13	11	1	
675	2	14 Clotarius obit.	12	2	

[a] Vit. S. Vvandregiſili.

[b] Vit. S. Leodegar.

Digitized by Google

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Sigebertina,	Bucheriana,	Henſcheniana,	
676	18	9	13 Childericus fugato Theoderico Monarchiam Francorum obtinet.	1
677	19	10	14	2
678	20	11	15	3
679	21 Hildericus obit. Succedit Theodericus frater Regno reſtitutus.	12 Audoenus Rotomagenſis Epiſcopus obit.	16 Childericus obit. Succedit Theodericus frater Regno reſtitutus.	4
680	1	13	1 Dagobertus Sigiberti quondam Regis filius in Auſtriam redit.	1
681	2	14	2	2
682	3	15	3	3
683	4	16	4	4
6 4	5	17	5	5
685	6	18	6	6
686	7	19	7	7
687	8	20	8 Dagobertus II. obit.	8
688	9	21	9	
689	10	22	10 Audoenus Ep. Rotomagenſis obit.	
690	11 Audoenus Epiſc. Rotomagenſis obit.	23 Theodoricus R. obit. Succedit Clodoueus filius.	11	
691	12	1	12	

AN. Chr.	CHRONOLOGIA Valeſiana,	Labbeana,	Noſtra.
676	3	13 Childericus fugato Theodorico Monarchiam Francorum obtinet. Deinde partem Auſtriæ cedit Dagoberto Sigiberti quondam Regis filio. 1	3
677	4	14 2	4
678	5	15 3	5
679	6	16 4	6
680	7 Dagobertus II. obit. Theodoricus Monarchiam Francorum rurſum obtinet.	17 5 Childericus obit. Theodoricus frater ſuccedit. 1	7 Dagobertus II. obit. Theodoricus III. Monarchiam Francorum obtinet [a].
681	8 1	6 2	8 1
682	9 2	7 3	9 2
683	10 3	8 4	10 3 Audoenus obit anno Epiſcopatûs quadrageſimo-quarto inchoato [b].
684	11 4 Audoenus Epiſc. Rotomagenſis obit.	9 5	11 4
685	12 5	10 6	12 5
686	13 6	11 7	13 6
687	14 7	8	14 7
688	15 8	9	15 8
689	16 9	10 Audoenus Epiſc. Rotomagenſis obit.	16 9
690	17 10 Theodoricus R. obit. Succedit Chlodoueus filius.	11	17 10
691	1	12	18 11

[a] Varij Auctores ſimul collati an. 680. n. 2.

[b] Fridegod. in vit. S. Audoeni.

Digitized by Google

AN.CH. 683. THEODOR. III. R. 10. L. Ex præcedenti tabula liquet ſuper annis Theodorici Regis & Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi varias Auctorum opiniones inueniri. Sigebertus & Bucherius, qui Dagobertum Secundum ignorarunt, arbitrati ſunt Theodoricum fratri Childerico in Monarchiam Francorum ſucceſſiſſe; Sigebertus annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium cum anno Theodorici Regis quarto, Bucherius cum decimo-ſexto compoſuit. Henſchenius & Labbeus, quos Dagoberti Secundi Principatus haud latebat, annum quidem à Chriſto nato ſexcenteſimum octogeſimum-tertium, vt Sigebertus, anno quarto Theodorici Regis illigarunt, ſed duas opiniones valdè diuerſas ſuper anno Dagoberti Regis inierunt. Henſchenius enim, cùm Childerici Secundi mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum reieciſſet, Dagobertum anno poſtero, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, in Auſtraſiam reuocatum aſſeruit. Labbeus verò Dagobertum anno poſt Clotarij Tertij mortem proximo, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, ab ipſomet Childerico Secundo, qui fugato Theodorico fratre Monarchiam Francorum tunc obtinebat, in Auſtraſiam reuocatum ibíque Regem conſtitutum putauit. Omnium optimè Valeſius Childerici Secundi mortem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio conſignauit, eidem Childerico Theodoricum Tertium cum Dagoberto Secundo ex Hibernia ſtatim reuocato ſuffecit, ipſúmque Dagobertum anno pòſt ſeptimo ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ex hac vita ſublatum ſcripſit. Imus in eandem ſententiam, annúmque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium anno Theodorici Regis poſt Childerici Regis interitum decimo, poſt Dagoberti Regis mortem tertio, illigamus.

LI. Quod attinet ad annum, quo Sanctus Audoenus ad Deum migrauit, nec cum Valeſio de illo conuenimus. Ex computatione Sigeberti, qui Dagobertum Magnum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto mortuum tradit, Audoenus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſeptimo Pontifex ordinatur, obítque anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Iuxta eundem calculum Bucherius, Henſchenius & Labbeus, qui Dagobertum Magnum è viuis anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto ſublatum affirmant, Audoeni mortem anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo conſignare debent. Id quidem Henſchenius & Labbeus præſtiterunt, ſed Bucherius vt Clotario Tertio decem annos Principatûs, ſic & Audoeno decem Pontificatûs annos ademit; Clotario Tertio quatuor duntaxat annos Principatûs, Audoeno tres tantùm ac triginta Pontificatûs annos attribuit, eóque calculo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum mortem ipſius Audoeni retulit. Hadrianus Valeſius, qui ſolus è Neotericis ſuprà nominatis annum, quo Dagobertus Magnus obiit, à Chriſto videlicet nato ſexcenteſimum duodequadrageſimum rectè aſſecutus eſt, Audoeni Pontificis ordinationem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, mortem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio connotare debuit, vt à nobis demonſtratum eſt ſuprà, nam Clodouei Regis annus tertius per menſem Maium, quo beatus Audoenus in Epiſcopum conſecratus eſt, cum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo comparatur, & ſanctus Audoenus ad Deum migrauit nono Kalendas Septembris, Epiſcopatûs anno quadrageſimo-quarto decurrente. Seriùs tamen Audoeni ordinationem in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-primum, mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum reiecit, quia primum Clodouei Regis annum cum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono contulit. *Equidem*, inquit [a], *ſic exiſtimo anno ſexcenteſimo triceſimo-octauo, eo ipſo videlicet, cuius initio*, nempe decimoquarto Kalendas Februarij, *Dagobertus diſceſſerat, quique ipſi propterea totus ex more attribuitur, Indictione vndecimâ Chlodoueum rerum potiri, & cum matre Nanthilde ac ſub eius tutela in Neuſtria & Burgundia regnare cœpiſſe, inſequentem verò annum*, à Chriſto nato ſexcenteſimum vndequadrageſimum, *regni eius primum*

[a] Lib. 20.

Digitized by Google

habendum eſſe. Dagobertus vitam clauſit ineunte anno, ſi principium anni ducis à Kalendis Ianuariis; exeunte anno, ſi principium anni ducis à ſolennitate Paſchali. Valeſius annum à Kalendis Ianuariis auſpicatur; à Kalendis Martiis aut à Paſcha Fredegarius, Audoenus, aliíque Scriptores, qui ſub Clodoueo Secundo eiúſque filiis floruerunt. Anno igitur Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-octauo, cuius initium à Kalendis Ianuarij per Indictionem vndecimam cum Valeſio petimus, primum Clodouei Regis annum vel aperuerunt Kalendæ Martiæ vel dies Paſchali Solennitati ſacra, vnde neceſſariò concludas oportet tertium Clodouei Regis annum per menſem Maium & ordinationem Audoeni Epiſcopi, quæ menſe illo facta eſt, cum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo coincidiſſe, felicémque eiuſdem Audoeni ex hac vita tranſitum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio conſignandum eſſe. AN. CH. 683. THEODOR. III. R. 10.

Hoc eodem anno, Hamoni, qui duobus duntaxat annis ſedit, in Epiſcopatum Aletenſem ſucceſſit Valterius ſeu Galterius, qui duodecim annos in Pontificatu tranſegit, vt Auctor Armoricæ Sanctæ teſtatur. LII. EPISCOPI ALETENSES.

ANNVS CHRISTI 684.
THEODORICI III. R. 11. 4.

684. THEODOR. III. R. 11.

ANNVS Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-quartus propter biſextum duabus literis Dominicalibus C & B prædîtus fuit. Tertio Kalendas Februarij, die Sabbati, currente tum litterâ Dominicali C, ex hac vita diſceſſit Aldegundis, prima Monaſterij Melbodienſis Abbatiſſa, cuius obitus Waldetrudi ſorori Abbatiſſæ Caſtrilocenſi & cuidam ex Monialibus Niuigellenſibus priùs oſtenſus fuit, vt narrat Auctor æqualis à recentiore deſcriptus in Codicibus Audomarenſi & Giſleniano ſæpè iam laudatis. *Quinto die,* inquit, *ante obitum B. Aldegundis, huiuſmodi viſio apparuit ſorori ſuæ S. Waldetrudi. Beatam Mariam ſemper Virginem, & Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum vidit venire cum Sanctorum agminibus, & germanam ſuam ad cæleſtia ducere Regna, vt quorum exemplo & vita merito in hoc vixerat mundo, horum in ſupernis perfrueretur conſortio. Tunc in Monaſterio Niuialla, vbi S. Gertrudis corpore quieſcit, facta eſt reuelatio, quæ obitum ſacræ virginis patefecit. Quædam inibi ſoror ſeculo abrenuntians ſacrum velamen ante triennium ſuſceperat, erat enim nimiæ ſimplicitatis & obedientiæ, quæ ſextâ feriâ ante diem Sabbati & dormitionis famulæ Chriſti Aldegundis* (hinc obſerua mortem Aldegundis in Sabbatum incidiſſe) *cùm ſe feſſa lecto dediſſet, circa medium noctis vidit ingentem lucis ſplendorem intraſſe Eccleſiam B. Petri, vbi iam dicta B. Gertrudis tumulata habetur, itaut à pauimento vſque ad trabes vniuerſa meridianus Sol illuſtraret. Cúmque attonita ad tantam claritatem timore ſolueretur, audit choros pſallentium, & vt ipſa faſſa eſt, diſcretionem virorum & mulierum, puerorum & puellarum ſuis diſtinxit auribus. Cúmque toto mentis niſu & auditu intenta traheretur illo, inter auſcultandum, & viſio ſubſtracta, & auditus ſublatus eſt. Igitur ante tertiam noctem ſublationis ſuæ à corpore, gratiâ deuotionis è diuerſis procùlque remotis conuenimus locis. Mane denique nono ſoror eiuſdem famulæ Dei retulit nobis quamdam ſororum orantem ſtetiſſe ante fores domûs, eâ horâ quâ Luna noctis ſecans iter tantùm perfecerat ſui curſûs, quantùm adhuc reſtiterat currendum, & ecce fulgur ingens nimiâ claritate refulgens apparuit ſuper domum in qua virgo Chriſti, ſponſa Agni, Domini ſui præſtolabatur intrepida aduentum. Cúmque tremebunda ſoror ſtupore arrepta, nimiâ teneretur formidine, intérque metum dubia & ſpem, quid eſſet futurum, & quem rei* I. ALDEGVNDIS ABBATISSA MELBODIENSIS OBIT.

Digitized by Google

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

finem haberet effectus, ſancta illa anima, quæ lucem Chriſti ſemper amauit, & præſentiam Saluatoris ſitibunda anhelauit, carne ſoluta mortali, aui præſentis cœnoſa nil deferens ſecum opera, cum ipſa luce ad Deum immortalem læta perrexit, ſine fine victura. Hucbaldus ait Aldegundem à Deo petiiſſe, vt in hac vita purgaretur, & in dextera mamilla cancro laboraſſe, *qui carnem illius excrucians, vſque ad vltimum diem vitæ depaſtus eſt.*

II. VBI SEPVLTA.

Sepulta eſt Aldegundis in villa ſuæ quondam ditionis, vbi animam reddidit Creatori ſuo, vocabulo Curtisſolra, vbi vterque ſuus parens tumulati eſſe dicuntur. Egimus ſuprà de parentibus Aldegundis Walberto & Bertilia, quorum reliquiæ apud Curtem Solram etiamnum cuſtodiuntur. Sita eſt autem Curtis Solra inter Malbodium & Laubacum, vocatúrque Curtis Solra, vt diſtinguatur à Caſtro Solra, quod tribus leucis Malbodio diſtat Lætias verſùs. Aldegundis in Curte Solra *multo iacuit tempore*, inquit Hucbaldus, *quoad Chriſto donante corpus eius tranſlatum eſt in municipium Melbodium*, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum dicturi ſumus. In præfecturam Monaſterij ſucceſſit Aldetrudis neptis ex ſorore Waldetrude.

SVCCEDIT ALDETRVDIS.

III. Non deſunt qui Natalem Aldegundis adſcribant Idibus Nouembribus, primam Tranſlationem tertio Kalendas Februarias. At recedere noluimus à Malbodienſium calculo, qui Natalem celebrant tertio Kalendas Februarij, Tranſlationem Idibus Nouembris. Certè hoc anno, qui biſextilis fuit, Idus Nouembres cum Sabbato non coinciderunt. Recurrendum igitur neceſſariò nobis eſſet ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum, qui præditus fuit litterâ Dominicali C, ſi natalem Sanctæ Aldegundis vellemus Idibus Nouembris conſignare. Verùm beatam Aldegundem Sancto Amando ſuperſtitem integro decennio & ampliùs fuiſſe quis credat?

IV. VITA S. VRSMARI A QVIBVS SCRIPTA.

IV. In Monaſterio Malbodienſi, cùm Aldegundis in cælum migrauit, degebat puellula neptis Vrſmari, qui Laubiarum adminiſtrationem poſteà ſuſcepit. De vtroque recurret ſermo. Lege vitam [a] Sancti Vrſmari Abbatis Lobienſis, quam octauo ſeculo ab Anſone Abbate Lobienſi ſtylo rudiore compoſitam, elegantiori ſermone Ratherius Veronenſis Epiſcopus decimo ſeculo perpoliuit. Eiuſdem Aldegundis exequiis interfuit Aya vxor Hidulphi inter Franciæ Proceres clariſſimi, quæ ſeculo nuntium paulò pòſt remiſit, & in Monaſterio Caſtrilocenſi, cui Waldetrudis eius conſanguinea præerat, annuente marito Monialem induit, vt pluribus proſequitur Winchantius in Annalibus Hannoniæ [b].

[a] Apud Sur. d. 18. Apr.

AYA FIT MONIALIS.

[b] Lib. 5. c. 14.

V. Poſt mortem Sancti Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi, de qua nos anno priori verba fecimus, in Geſtis [c] Regum Francorum & in Hiſtoria [d] Francorum iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta proximè ſubiungitur qui collocandus nobis hoc anno videtur obitus Waradonis Maiorisdomûs. *In illo itidem tempore Warado Maiorisdomûs obiit. Erátque ei matrona nobilis & ſtrenua nomine Anſledis, cuius gener nomine Bertharius honorem Maiorisdomûs Palatij ſuſcepit. Erátque ſtaturâ paruus, intellectu modicus, leuis atque citatus, Francorum amicitiam atque conſilia ſæpè contemnens.* Hæc poſterior Anonymus in Hiſtoria Francorum. Franci, id eſt, Neuſtraſij & Burgundiones poſt mortem Waradonis aliquandiu ſciſſi ſunt in diuerſa ſtudia, nec Bertharium vnanimi conſenſu Maiorem domûs Regiæ mox ſubrogarunt. Hanc diſcordiam prior Anonymus in Geſtis Regum Francorum non omiſit. Bertharius, cùm amicitiam & conſilia Francorum deſpiceret, in eorum odium incurrit. Hinc natum poſteà inter Auſtraſios ac Neuſtraſios bellum, vt ſuo loco dicturi ſumus.

[c] Cap. 48.
[d] Cap. 99.

WARADO MAIORDOMVS OBIT.

SVCCEDIT BERTHARIVS.

VI. WLFRANNVS.

VI. Hoc anno, Wlfrannus Senonenſis olim Epiſcopus, *ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini euangelizaret*, è Fontanellenſi Cœnobio, vbi Monachum tunc agebat, Rotomagum profectus eſt, & Anſberto Epiſcopo *ſuam patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ ſedenti, verbum vitæ immortalis annunciaret.* Ionas Wlfrannum in Friſiam

Digitized by Google

iuiſſe ſic docet in ipſius vitæ prologo. *Ad prædicandum Friſonum genti, eatenùs in ignorantiæ cæcitate ſedenti, Euangelici miniſterij opus aſſumens, animum conuertit. Nam penes nos ſuperſtes manet venerabilis vitæ Presbyter Ouo ex ipſa Friſonum natione oriundus, qui viuâ voce narrat, quanta per eundem Pontificem Sanctum in eadem gente Chriſtus virtutum miracula operari ſit dignatus. Ex quibus pauca pro captu ingenij & opportunitate audientium fideli ſermone inſeremus.* Huius Auctoris lucubrationem à Neotericis deprauatam fuiſſe non poſſumus denuò non conqueri. Duas hoc loco refellemus interpolationes, quarum vna eſt de Anſberto Epiſcopo Rotomagenſi, altera de tempore quo Wlfrannus iter in Friſiam ſuſcepit. AN. CH. 684. THEODOR. I.II R. II.

Capite ſecundo hæc apud Ionam in editione Suriana leguntur. *Aliquot annis in Præſulatu adminiſtratis, ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini anteà illis inauditum euangelizaret, inito opere Apoſtolico propoſuit illicò animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ Religionis & Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Anſbertus, & ipſe ſcientiâ literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus, Monachicum & nomen ſeruans & habitum, in prædicto Monaſterio multorum pater extans Monachorum. Hunc Pontificem adiens beatus Wlfrannus ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo, in tenebris ignorantiæ ſedenti, verbum vitæ immortalis annunciaret.* Exeunte anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo Wilfridus Eboracenſis Archiepiſcopus ex Anglia in Friſiam nauigauit, ibique per totam hyemem moratus Euangelium Friſiis prædicauit Adalgiſo Rege non prohibente. Non erat igitur inauditum Friſiis verbum Domini, cùm Wlfrannus ad eos properauit, & vulgati Ionæ textus ſuprà recitatus, ſi ſtrictè ſumitur, erroris argui debet, ideóque tres hæ voces *(anteà illis inauditum)* abſunt ab editione Henſcheniana. Grauiores ſequuntur mendæ. Si fides eſt eidem textui, Wlfrannus nec Epiſcopatum Senonenſem abdicauit, nec in Fontanellæ Monaſterium ſeceſſit, vt ibi Monachus fieret, ſed Anſbertum adiit, vt eius permiſſu è prædicto Cœnobio cooperatores aſſumeret, quibuſcum Euangelium Friſonibus annuntiaret. At diuino monitus oraculo vt in Friſiam proficiſceretur, Anſbertum Rotomagenſem tunc Epiſcopum priùs conſuluit, Monaſticam autem vitam anteà duxit in Monaſterio Fontanellæ ſub eodem Anſberto Abbate nondum Epiſcopo. Sic enim Ionas in ſua præfatione, quæ manſit hactenus incorrupta. *Tempore regiminis Sancti Anſberti Abbatis Fontanellenſis Cœnobij, futuri Præſulis Rothomagenſis Eccleſiæ, hoc adiens Cœnobium, abruptis ſeculi laqueis, militiam Chriſti perſeuerandi definitione ſuſcepit, atque ad prædicandum Friſonum genti, eatenùs in ignorantia cæcitate ſedenti, Euangelici miniſterij opus aſſumens animum conuertit.* Caue quoque ne credas Anſbertum Epiſcopum ſimul & Abbatem fuiſſe, ſicut indicat textus in quem inquirimus. Vt enim Lamberto ad Epiſcopatum Lugdunenſem promoto ſucceſſerat Anſbertus in regimen Monaſterij Fontanellenſis, ſic & Anſberto ad Epiſcopatum Rotomagenſem promoto ſucceſſit in adminiſtrationem Cœnobij Fontanellenſis Abbas Hildebertus ſiue Hilbertus, cui vitam ipſiuſmet Anſberti Monachus Aigradus poſteà dedicauit. Duas Vulfranni profectiones ad Anſbertum diſtingue. Vulfrannus enim Epiſcopatu Senonenſi dimiſſo Fontanellam, vt illius loci Monachus fieret, ad Anſbertum tunc Abbatem ſe contulit; deinde è Monaſterio Fontanellenſi, vbi Monachum agebat, Rotomagum perrexit, vt eundem Anſbertum Rotomagenſem tunc Epiſcopum, in cuius Diœceſi Fontanella ſita erat, ſuper viſione ſibi oſtenſa & Euangelio Friſiis annuntiando conſuleret. Hac diſtinctione præmiſsâ Ionam ex editionibus Suriana & Henſcheniana ſimul collatis facilè ſic emendabis. *Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis, ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium. Erat eo tempore Abbas Monaſterij Fontanellæ famulus Domini Anſbertus, Monachi-* VII.

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

cum & nomen ſeruans & habitum in prædicto Monaſterio multorum pater extans Monachorum. Poſteà ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini euangelizaret: qui mox inito Apoſtolico opere propoſuit animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ Religionis, anteà Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipſe ſcientiâ literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus. Hunc Pontificem adiens beatus Vulfrannus ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ ſedenti verbum vitæ immortalis annunciaret.

VIII. In editione Suriana, capite Ionæ vndecimo, Vulfrannus in Friſiam proficiſcitur anno Chriſti ſeptingenteſimo. Hæc enim ibi leguntur. *Venerabilis Præſul Vulfrannus, cùm tenuiſſet Pontificatum Senonenſis vrbis, cum licentia Regis Childeberti & Pipini Principis, ad prædicandum præfatæ Friſonum genti, ſicut diuinitus ſibi fuerat reuelatum, animum conuertit, qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus, Pipini quoque Principis annus 13. Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam Monaſterium ſæpiùs reuertens, vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum.* Iſta deſiderantur in editione Henſcheniana, pars tamen laudatur citatúrque in hunc modum ab Henſchenio in Commentario, quem vitæ ſancti Vulfranni præfixit. *Aliquot autem annis, vt Acta de S. Vulfranno habent, in Pontificatu adminiſtratis, ſuperno eſt oraculo admonitus, vt genti Friſionum verbum Domini euangelizaret, quod in Actis maioribus*, id eſt, in editione Suriana, *dicitur factum cum licentia Childeberti Regis & Pippini Principis anno Dominicæ Incarnationis* DCC, *Pippini quoque Principis anno* XIII. *Ac rectè, cùm hic illud regimen ſuſceperit anno* DCLXXXVII, *menſe Iunio. At Childebertus Rex, fratre ſuo Clodoueo III, anno* DCXCVIII, *mortuo, cœpit regnare. Erat tum Abbas Monaſterij Fontanellenſis Hilbertus ſucceſſor S. Ansberto datus, cùm hic anno* DCLXXXIX *conſtitueretur Archiepiſcopus Rotomagenſis, mortuus dein in ea dignitate, ſed exul, anno* DCXCV, *die* IX *Februarij, cuius vitam mox ſcripſit Aigradus Monachus, atque Abbati ſuo Hilberto dicauit.* Hæc ille, quocum nec de anno quo ſanctus Anſbertus ex Abbate Fontanellenſi factus eſt Metropolites Rotomagenſis, nec de anno conuenimus quo Childebertus Tertius in Regnum Clodoueo Tertio fratri ſucceſſit, fatemur tamen Hilbertum Abbatem, qui Monaſterium Fontanellenſe poſt ſanctum Anſbertum rexit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum perueniſſe, illúmque annum cum anno decimo-tertio Pippini Maioratum Regiæ domûs per vniuerſam Franciam exercentis comparari, ac tum regnaſſe Childebertum Tertium. Nobis autem id minimè placet, quod hanc reticuerit periodum, quæ proximè ſequitur in editione Suriana. *Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam Monaſterium ſæpiùs reuertens, vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum.* Hæc enim periodus, quia Monachatum à Vulfranno in Friſiam nondum profecto ſuſceptum, & Euangelium ab eodem Vulfranno in Friſia per annos tantùm quinque prædicatum teſtatur, totam controuerſiam facilè dirimit. Henſchenius, vt huius periodi fidem & auctoritatem eleuet, allegat inprimis Codicem Antuerpienſem, vbi legitur de Vulfranno, quòd *cùm per aliquot annos ſanctæ prædicationis opus infatigabiliter peregiſſet, iámque in ſenectute maiori poſitus eſſet, ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis, ad præfatum Fontinellæ Monaſterium ſeceſſit, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis in manſione ſibi à fratribus præparata, coronam expectabat æternam.* Tum obſeruat in editione Suriana inueniri, quòd inter prædicandum è Friſia ſæpiùs ad Fontanellæ Monaſterium reuerſus ſit, *vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum.* Denique ſubtilem hanc interpretationem addit. *Quidni forſan cùm annos quinque, vt ibidem dicitur, in Friſia peregiſſet, reuerſus ſucceſſorem ſtatui permiſit in ſua ſede Senonenſi, ac Monaſtico aſſumpto habitu iterum in Friſiam profectus fuit?* At hæc interpretatio nullo fundamento nititur. Vulfrannus enim Euangelium apud Friſios annis tantùm quinque prædicauit, &

Digitized by Google

intra illud quinquennium ſæpè reuerſus eſt ad Fontanellenſe Monaſterium, *vbi & Monaſticum aſſumpſerat habitum*, priuſquàm è Gallia pedem efferret. Certè anno Chriſti ſeptingenteſimo ſuperſtes in viuis non erat Anſbertus Epiſcopus Rotomagenſis, quem Vulfrannus adiit iter in Friſiam ſuſcepturus. Res igitur ita ſe habuit. Hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimoquarto, Theodorici Regis in Neuſtria & Burgundia vndecimo, in Auſtraſia quarto; Pippino Principatum regiminis & Maioratum domûs nondum adepto, Vulfrannus in Friſiam perrexit, conſulto priùs Anſberto Rotomagenſium tunc Epiſcopo, Monaſterij Fontanellenſis in eadem Diœceſi nuper Abbate. Friſiis Euangelium prædicauit per quinquennium, donec anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, cùm Franci Pippino Duce Friſiíque Radbodo Rege bello ſe accingerent, pulſus eſt è Friſia. Quapropter attende quomodo vulgatus Ionæ textus ſit corrigendus. Editio Suriana ſic habet. *Venerabilis autem Præſul Vulfrannus, cùm tenuiſſet Pontificatum Senonenſis vrbis, cum licentia Regis Childeberti & Pippini Principis, ad prædicandum præfatæ Friſonum genti, ſicuti diuinitus ſibi fuerat reuelatum, animum conuertit, qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus, Pipini quoque Principis annus* 13. *Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam Monaſterium ſæpiùs reuertens, vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum. In eadem verbi Dei prædicatione occupatus, & in maiori ſenectute iam poſitus (nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ordinato in Epiſcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis, coronam expectabat æternam. Nam & in hoc Monaſterio Baſilicam in honore S. Stephani primi Martyris fabricauit, iuxta quam, manſionem eidem præparauerant fratres, vbi diuino cultui deditus, ſollicitus operis Dei, curam exhibebat, quæ diſtabat à Baſilica S. Apoſtoli Pauli paſſibus ferè* 30. Henſcheniana ſic. *Cùm igitur per aliquot annos ſanctæ prædicationis opus infatigabiliter peregiſſet, iámque in ſenectute maiori poſitus eſſet, ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis, ad præfatum Fontinellæ Monaſterium ſeceſſit, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis coronam expectabat æternam.* Ex vtraque tertiam ſic compone. *Venerabilis autem Præſul Vulfrannus, cùm per quinque annos ſanctæ prædicationis opus infatigabiliter peregiſſet, iámque in ſenectute maiori poſitus eſſet (nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium, vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum, ibíque regularibus*, &c. vt in editione Suriana ſuprà citata.

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

IX. Si res à Vulfranno cùm in itinere, tum in Friſia præclarè geſtas ſcire deſideras, illius vitam, quamuis interpolatam, conſule[a]; paucas, quæ pertinent ad noſtrum inſtitutum, breuiter hic recenſebimus. Rotomago Fontanellam reuerſus, *de eodem loco cooperatores verbi ſtrenuos & ad prædicandum idoneos, vtpote actione ſimul & eruditione præclaros aſſumpſit; præparatis omnibus, quæ nauigantibus neceſſaria eſſe videbantur, in portu eiuſdem Monaſterij nauim aſcendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens Gallicum nauigauit in Friſiam*, quæ pars erat Germaniæ, adiacebátque Oceano inter Oſtia Rheni & Eidoræ nobiliſſimorum fluminum, quorum alterum Galliam à Germania, Germaniam alterum à Dania diſterminabat. In Monachorum Fontanellenſium numero, quos ſecum duxit, fuit Wando *tunc temporis Diaconus, poſteà autem Presbyter, & ſuccedenti tempore eiuſdem Monaſterij Fontanellenſis Abbas in quo educatus fuerat.* Gentis barbaræ atque idolis deditæ lex iniqua præcipiebat, vt quemcumque ſors in ſolenniis elegiſſet, iis diis immolandus ad patibulum duceretur. Sors aliquando cecidit ſuper Ouonem adhuc puerum. Wlfrannus à Radbodo poſtulauit, vt Ouonis vitam ſibi donaret. Tum pagani, *Si tuus Chriſtus*, inquiunt, *tormento mortis eum eripuerit, ſit tuus, eiúſque æuo perenni ſeruus. Ad hæc Sanctus Pontifex. Non hominum in hoc facto ſed Domini Chriſti fiat voluntas. Appenditur denique puer in patibulo, adſpicientibus Chriſtianorum ſimúlque gentilium turmis per duarum ferè ſpatium horarum. Extemplóque Sacerdos Domini pro ſalute & vita non ſolùm illius, qui in tormento erat mortis*

[a] Apud Sur. d. 20. Mart.

Digitized by Google

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

conſtitutus, verùm etiam pro obcæcatione populi, qui ſatanæ vinculis irretitus erat, flectens genua, ad Dominum fudit orationem quam omittimus. *Completâ oratione, illicò diſrupta ſunt vincula, quibus ſeminiui pueri guttur illigatum fuerat, ſícque illæſus in terram ruit. Videbatur autem illi, vt pòſt ipſe narrabat, quaſi ſopore graui teneretur oppreſſus, Sanctíque Pontificis zonâ pectore circumligatus, ſubleuaretur omnis eius corporis ſtatus. Apprehensâque eius manu Pontifex Sanctus ait. In nomine Domini Ieſu Chriſti exurge concitè ſanus. Quo dicto, incolumis illicò ſurrexit, nullum illatæ ſibi pœnæ ſentiens dolorem, atque ex hoc facto plurima Friſonum multitudo conuerſa eſt ad Dominum.* Wlfrannus eidem tormento faciliùs eripuit duos adoleſcentes Turinum & Ingomarum, quia precibus Rex Friſonum tunc acquieuit. Baptizati ſunt autem tres hi Friſones, & Wlfrannum comitati ſunt redeuntem in Franciam, vbi Monaſticam vitam ſub Abbatibus Fontanellenſibus excoluerunt. In editione Henſcheniana nulla Wandonis mentio fit; Ouonis pueri narratur hiſtoria ſuppreſſo nomine; Turini & Ingomari liberatio, licèt in Antuerpienſi Codice deſcribatur, ſilentio prætermittitur.

X. DEODATVS ABBAS VALLIS GALILÆÆ OBIT.

X. Hoc anno, die decimâ nonâ Iunij migrauit ad Deum Sanctus Deodatus, Niuernenſium olim Epiſcopus, de cuius obitu ſic diſſerit Iacobus Moſander ex manuſcriptis Codicibus Monaſterij Vallis Galilææ ſæpè iam laudatis. *Poſtquàm in Voſago Deodatus & Hildulphus ſeptem annis cum ſex menſibus habitaſſent vnà, largus remunerator Deus ſtatuit B. Deodato laborum ſuorum reddere mercedem, qui iam percuſſo vitæ ſtadio tanquam ſtrenuus Athleta reſpiciebat in remunerationis brauium. Quare vocatus à Domino, languore correptus decubuit lectulo, quod cùm abſentibus diſcipulis nunciatum eſſet, accurrunt mæſti & triſtes, magiſtríque grabato aſtantes, ne tam dulcis ac neceſſarius Pater filios deſereret, communi eiulatu deprecabantur. Quos ille verbo ſalutari inſtruens compeſcebat, atque ad ſanctæ Regulæ Ordiníſque obſeruantias exhortatus eſt, quibus dictis ſeſe Deo & eorum precibus humiliter commendauit. Intereà ſancti viri exitum iam inſtare S. Hildulphus in viſu noctis diuinitus edoctus eſt, qui vt euigilauit, ad beatum quantocyùs properauit, ſicut à Domino ei imperatum fuerat. Quem poſtquàm adhuc viuum reperit, eidem omnia Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrauit. Decebat enim, vt amicus amico ad ſuperna præcedenti extremùm valediceret, viaticum præberet, & Eccleſiaſticam conferret ſepulturam. Cuius præſentiâ vir Sanctus recreatus ac vehementer in Domino gauiſus eſt, qui ſuo commilitoni Hildulpho exitûs ſui diem reuelare dignatus fuerat. Nec mora, diſceſſurus ab hac lachrymarum valle B. Deodatus ad ſuſcipiendum regimen ouium, quas ibidem hactenus verbo & exemplo enutriebat, ſuperſtitem amicum compulit, diſcipulíſque mandauit, vt eundem Hildulphum læti ſuſciperent, &, quandiu viueret, ſollicitè retinerent. Cuius deſiderio ac piis votis cùm diſcipuli & B. Hilduphus annuerent, inter aſtantium manus ſanctam animam, multis Deo commendatam precibus, continuis laboribus pro Dei honore & iuſtitia elimatam & multis virtutibus adornatam efflauit* XIII *Calendas Iulij, quæ tunc erat dies Dominica, ab ingreſſu eius in hanc vallem Galilæam anni vndecimi, regnante Theodorico Clodouei filio, fratréque Chiderici, ſub quo peſſimus apoſtata Ebroinus excellentiſſimum Martyrem Leodegarium Epiſcopum variis tormentis vexatum capitali damnauit ſupplicio.* Omiſimus duos Characteres à Neotericis, vt ante quinquennium diximus, interpolatos, annum ſcilicet à Chriſto nato & Indictionem, quibus vti tunc Franci non conſueuerant, ſeruauimus reliquos qui ſapiunt antiquitatem. Præcipuus ducitur à litera Dominicali B, quæ per menſem Iunium incidit in annos Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum, ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, & ſexcenteſimum nonageſimum. Apud Moſandrum perperam inſertus fuit annus Chriſti ſexcenteſimus ſeptuageſimus-nonus, illo enim anno Sanctus Deodatus in Italiam cum Wilfrido Eboracenſium Epiſcopo perrexit. Præ cæteris arriſit annus Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-quartus, quia ſi mortem Sancti Deodati in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum reiiceremus, illius in vallem

Digitized by Google

vallem Galilæam ingreſſus cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono coincideret, ſiue cum anno ſexto poſt obitum Childerici Regis, qui tamen eandem vallem Galilæam illi cum omni integritate in æuum annulo ſuo firmauit, vt dictum eſt ſuo loco. Iam proſequamur exequias. *Omni reuerentiâ ſacrum funus à diſcipulis portatur ad Eccleſiam beatæ Dei genitricis Mariæ, ibique pro eo immolatâ ſalutari hoſtiâ à deuotiſſimo Archipræſule, ſepulturæ commendatur, expletis de more & ritu Eccleſiæ ſolitis exequiis.* De Sancto Deodato celebris mentio fit in Breuiario Eccleſiæ Niuernenſis, vbi teſte Benedicto Gonono hæc habetur Collecta. *Clementiam tuam, miſericors Deus, largire precibus noſtris, vt qui egregij Pontificis Niuernenſis Deodati feſtum annuis veneramur obſequiis, eius precatu percipiamus dulcedinem tuæ viſionis.* Memoriam Sancti Deodati, Præſulis quondam ſui, iure venerantur Niuernenſes. Per id autem temporis quo poſt abdicatum Epiſcopatum vitam vel Eremiticam vel Monaſticam procul à Diœceſi Niuernenſi duxit, Eccleſiam Niuernenſem rexerunt ſucceſſiuè tres Epiſcopi; Gilbertus cuius mentionem ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quartum fecimus; Rogus, quem varij Nomenclatores [a] memorant ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum; & Iterius de quo plura dicemus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum.

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

EPISCOPI NIVERNENSES.

[a] Chenut. Robert. Sammarth.

XI. VALLIS GALILÆÆ CVRAM SVSCIPIT HILDVLPHVS.

Vir Dei S. Hildulphus, vt in vita S. Deodati ſubiungitur, *ſic obtemperauit extremis votis defungentis amici, vt viginti octo annis & ampliùs quibus ipſe ſuperuixit, eius præeſſet relicto gregi per præpoſitos adminiſtrans neceſſaria ipſi domui. Et quamuis ſui loco Abbatem propriæ Congregationi in ſaltu Voſago præfecerat, proptereà quòd deſiderio ſupernæ contemplationis accenſus, exterioribus negotiis occupari refugeret, Vallem tamen Galilæam à ſua cura non abiecit, quandiu in mortali degebat corpore, vis enim perfecti amoris erga ſanctiſſimum Deodatum eum coegit, vt laboris & curæ non pœniteret. Non enim granabatur ſuſcipere aliena, qui præ laſſitudine aliis commendabat ſua. Dicebat enim apud ſeipſum. Quâ fronte adibis amicum, ſi mandatum eius vltimum refutaueris? Pro cuius perenni vita in cælis & gloria, primo depoſitionis illius anno Cœnobium Vallis Galilææ multoties adire ſolitus erat, frequentans ad ſacrum corpus Miſſarum ſolennia, diſcipulóſque ſuſceptos conſolans, ac in ſancto propoſito ſui inſtituti confortans.*

XII. HVNNA OBIT.

Eodem anno quo Sanctus Deodatus animam Deo reddidit, Hunna quoque nobiliſſima matrona, quæ genus ſuum ad antiquos Burgundiæ Reges referebat, ex hac vita migrauit, cùm Hunno coniugi ſuperſtes aliquot annis fuiſſet. Ita ſcribit Ruyrus [b], & in Hunnæ laudes fuſiùs exſpatiatur. Laudat inprimis eximiam illius pietatem erga pauperes, & incredibilem humilitatem, quam non curandis modò vulneribus, ſed & veſtium ac linteorum ſordibus abluendis impendebat. Aqua procul aberat ab ædibus, Deodatus fontem, qui poſteà pleriſque miraculis nobilitatus fuit, è vicino ſcopulo ictu baculi excitauit. Huius fontis in Antiquitatibus Vallis Galilææ meminit Herculanus in Eccleſia Sancti Deodati quondam Canonicus. Monachus Vallis Galilææ longè vetuſtior, qui vitam Sancti Deodati conſcripſit, obſeruat Hunnum in Eccleſia, quam Deodato apud Hunnuuillare tradidit, ſepultum fuiſſe cum ſua coniuge, *non dubiam fidem facientibus miraculis, quæ illic fiunt, ambos cum Chriſto in cælis viuere.* Hunnam in Sanctorum numerum retulit Leo Decimus, Romanus Pontifex, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo viceſimo. Lege Ruyrum. Hic ex aliis prætereà Scriptoribus refert Deodatum, quem Hunna Hunno marito peperit, à Sancti Deodati diſcipulis inſtitutum fuiſſe literarum diſciplinis ac præclaris moribus, itaut eorum Congregationi ſe addixerit, & inſigni miraculorum famâ poſt mortem percrebreſcente non ab illius tantùm æui ſed & ab inſequentium ætatum Monachis, qui Vallem Galilæam inhabitarunt, in numero Sanctorum haberetur.

[b] P. 2. l. 2. c. 1.

SEPELITVR CVM HVNNO MARITO.

SS. NVMERO INSCRIBITVR.

DEODATVS EORVM FILIVS FIT MONACHVS.

XIII. Obiit & hoc anno Willelmus Epiſcopus Redonenſis, vt Auctor Armo-

AN. CH. 684. THEODOR III. R. II.

EPISCOPI REDONENSES.

ricæ Sanctæ teſtatur. Succeſſit Deſiderius, de quo plura poſt quadriennium. Interim corrige Nomenclatores, qui vel Willelmi Pontificatum ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum prorogant, vel Willelmo Sanctum Moderandum immediatè ſufficiunt, omittúntque Deſiderium eiúſque ſucceſſorem Agatheum, de quibus infrà.

Vt anno priori Anſoaldus Pictauienſis Epiſcopus Philibertum Abbatem inuiſendi causâ Gemmeticum perrexit, ita viciſſim Philibertus hoc anno ad Anſoaldum Pontificem progreſſus creditur. Ermentarius enim in eius vita, XIV. poſtquàm de Warattonis Maiorisdomûs amicitia erga Philibertum ſuperiùs explicata ſermonem fecit, hæc proximè ſubiungit. *Regreſſus igitur Pictauo territorio ad ſupradictum Pontificem Anſoaldum, magnóque receptus cum gaudio perrexit Quinciaco Monaſterio, quod & ipſum nobili eſt constructum in loco.* Degebat in hoc Cœnobio Aicradus ſiue Aichardus, qui regimen Aſceterij Gemmeticenſis posteà ſuſcepit. Ad commendationem autem prædicti Anſoaldi non videtur omittendum, quod ab eo conditum eſt etiam ad mare in Diœceſi Pictauienſi celebre Monaſterium ſancti Michaëlis * in Eremo, vt legitur in Chronico Malleacenſi, necnon apud Ioannem Beſlyum in Epiſcopis Pictauienſibus [a].

PHILIBERTUS RELICTO GEMMETICO REDIT IN DIOECESIM PICTAVIENSEM.

MON. S. MICHAELIS IN EREMO.

* *S. Michel en l'Erm*

[a] In Epiſc. 36.

Inter diſcipulos, quos Philibertus Abbas apud Gemmeticum erudiuit, annumerandus eſt Clotinus, qui per hæc tempora poſt Ocioaldum factus eſt Abbas Centulenſis, & in Abbatum Centulenſium Catalogo, quem Ia- XV. cobo Sirmondo miſſum Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana primus publicauit, poſt ſanctum Richarium ipſius Monaſterij conditorem & Ocioaldum ſancti Richarij ſucceſſorem ſic proximè commendatur. *Clotinus diſcipulus S. Philiberti.* Auctor Chronici Centulenſiſs [b] Clotinum in Coſchinum deflexit, multáque de Coſchino, qui nono ſeculo floruit, commentus inuenitur, vt alia occaſione, Tomo ſuperiori, ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum [c] iam præmonuimus. Ex iis autem quæ de ſuo Coſchino ſcripſit, quid verum ſit quidue falſum, quid Clotino quidue Coſchino attribui debeat, accuratiùs hic inquiremus.

CLOTINUS ABBAS CENTULENSIS.

[b] Lib. 1. c. 26.

[c] Num. 13.

XVI. Textus Chronici talis eſt. *Ocioaldus conſummato ſanctæ vitæ curſu fideli brauium à Chriſto accepit gloriæ immortalis. Poſtquàm verò debito noſtræ mortalitatis abſolutus eſt, lucidum nobis non eſt, quem ſtatim miniſterij habuerit ſucceſſorem. Extiterunt ſanè & alij non ignobiles viri huius noſtri Cœnobij* Centulenſis *Abbates, quorum geſta licèt ſint occultata hominibus, eorum tamen vitæ merita apud Deum magna fore creduntur; inter quos floruit vir venerabilis & ſummæ ſimplicitatis Abbas Coſchinus, quem ferunt ex diſcipulis ſancti Filiberti fuiſſe, & ob morum probitatem ſcientiæque vbertatem Gemmeticenſi Monaſterio præfuiſſe. Siquidem cùm ſacratiſſimus Pater noſter Richarius, ſuperato in huius vitæ procinctu ſeculo, iam emeritus miles & morti proximus haberetur, B. Filibertus iuueniles annos in Dei ſeruitio exercebat, continentiſſimæ ſeruitutis tirocinium gerens in Resbacenſi Cœnobio ſub ſancto Abbate Agilo. Vnde & contigiſſe fertur, vt ab eo iam ſene Gemmeticenſe Cœnobium fundante iſte Coſchinus diuinis inſtitutis fuerit eruditus, & merito vitæ poſt alios quoſdam ipſi Monaſterio præfuerit. Sícque factum eſt, vt dum illuc Monachos verbis & rectorum operum exemplis opimat, noſtrates eum Monachi* Centulenſes *ſibi Abbatem præfecerint, non quia inter eos defeciſſet, qui hoc opus dignè exequi poſſet, ſed quia caritas ſumma & humilitatis altitudo ad hoc eos compulerit. Eo enim tempore iam omnes è ſeculo migrauerant, qui ſanctiſſimum Patrem Richarium videre potuerant, & ob hoc huius loci fratres magno penes eum ducti ſunt amore, quia videlicet ſuis oculis viderant B. Filibertum beatiſſimi Richarij feruentiſſimum, vt dicebant, dilectorem. Iſte itaque cùm iam, vt diximus, Gemmeticum Cœnobium regeret, noſtro quoque Cœnobio* Centulenſi *fraternâ electione prælatus eſt. Hic ad incitamentum virtutis, & ad exemplum ædificationis animarum ſibi commiſſarum, B. Filiberti vitam deſcribi iuſſit, vero quidem ſed non valdè culto ſermone, quippe qui ſic loqui*

Digitized by Google

geſtiebat, vt & ſimpliciores ex lectione admodum plana fructum intelligentiæ capere poſſent. A tempore ergo huius Abbatis Centulenſe Cænobium & Gemegienſe ita ad inuicem ex multa caritate ſe complectuntur, vt præter quod locis diuidebantur, ſummâ dilectione viderentur vniri. Non inficiamur Philibertum, cùm Monaſticen in Reſbacenſi Cœnobio ſub Agilo Abbate profitebatur, Richarij Centulenſis tunc Abbatis dilectorem fuiſſe feruentiſſimum. Non etiam inficiamur Coſchinum Abbatem, cùm Monaſterio Gemmeticenſi præerat, Ermentario illius loci Monacho, vt vitam ſancti Philiberti ſcriberet, auctorem fuiſſe. Sed alia ſunt multa, quibus aſſenſum præbere non poſſumus. Ermentarius Coſchini Gemmeticenſis Abbatis iuſſu ſub Ludouico Pio vitam ſancti Philiberti complexus eſt vno libro, cui diuerſis poſteà temporibus duos de Tranſlationibus ac Miraculis adiecit. Qui tripertitum illud opus in Hiſtoria Trenorcienſi * primus publici iuris fecit, notam, quam non fruſtrà conſulueris, *de Auctore, locis & temporibus ſcriptionis* præmiſit Petrus Franciſcus Chiffletius. Porrò Coſchinus Abbas Gemmeticenſe Monaſterium Ludouico Pio Auguſto rexit, nec eruditus eſt à ſancto Philiberto, nec Ocioaldi Centulenſis Abbatis ætati proximus vixit, quia præter integrum ſeculum effluxerunt anni non pauci ab obitu cùm Ocioaldi, tum ſancti Philiberti, donec Ludouicus Pius habenas Imperij capeſſeret. Atque inde obiter obſerua Coſchinum procul ſummouendum è tertio loco, quem in multis Gemmeticenſium Abbatum Catalogis obtinet. Nihil autem vetat quominùs diſcipulis ſancti Philiberti Gemmeticenſis tunc Abbatis accenſeamus Clotinum, quem Coſchini loco reponendum inter Abbates Centulenſes docet prælaudatus Index eorumdem Abbatum, Iacobo Sirmondo quondam tranſmiſſus, & à Roberto primùm in Centula, deinde ab Ignatio Ioſepho à Ieſu Maria [a] in Hiſtoria Eccleſiaſtica Abbauillenſi, nouiſſimè à Sammarthanis in ſancto Richario publicatus. Caue tamen ne Clotinum factum Abbatem Centulenſem illo putes modo, quem Auctor Chronici Centulenſis in ſuo Coſchino deſcribit. Ait ille Coſchinum Abbatem Gemmeticenſem primò fuiſſe, poſteà Gemmeticenſem ſimul ac Centulenſem, cúrque Monachi Centulenſes Abbatem Gemmeticenſem ſibi quoque Abbatem præfecerint, hanc rationem reddit, quòd *eo tempore iam omnes* Monachi Centulenſes *è ſeculo migrauerant, qui ſanctiſſimum Patrem Richarium videre potuerant.* Vt Coſchinum ex albo Centulenſium Abbatum ſic & Clotinum ex Abbatum Gemmeticenſium Catalogo, licèt Auctor Hiſtoriæ Abbauillenſis aliter cenſeat, abradendum putamus. Clotinus Abbas regimen Monaſterij Centulenſis iniit ſancto Philiberto ex hac vita nondum ſublato, fortè & illo in exilium acto Centulam Gemmetico ſe receperat. Ocioaldo proximè ſucceſſit, nec ab obitu ſancti Richarij ad mortem vſque Ocioaldi tanta fuit intercapedo temporis, vt è Monachis Centulenſibus, qui ſanctum Richarium viderant, nullus in viuis ſupereſſet.

AN. CH 684. THEODOR. III. R. II.

DISTINGVITVR A COSCHINO ABBATE GEMMETICENSI.

* *de Tournus*

[a] Lib. 1. c. 12.

XVII. EPISCOPI ARELATENSES.

In Pontificio Arelatenſi Petrus Saxius Felicem Metropolitam Arelatenſem, de quo ſub finem ſuperioris Tomi iam locuti ſumus, hoc anno mortuum ſcribit. De ſucceſſoribus, Anaſtaſio, Auſtroberto, Walberto, Aurelio, Polycarpo, Martino, præter nomina ſingulorum & ſanctitatem Polycarpi nihil legimus. In Sanctorum numerum relatus eſt Polycarpus. Eius effigies depicta cernitur ornatáque beatitatis emblematibus in altari matris Eccleſiæ cum imaginibus aliorum Antiſtitum Arelatenſium, qui Catalogo Sanctorum adſcribuntur. De Protaſio, qui poſt Martinum ſedit, plura dicemus ſuis locis, illius enim Pontificatus in tempora Saracenorum regionem illam deuaſtantium incidit.

XVIII. MONASTERIVM CELLARVM LOCVPLETATVR.

[b] Ad an. 677. n. 11.

Cellenſe Monaſterium, quod ad Leſciam fluuium ab Hadelino ſancti Remacli diſcipulo in Epiſcopatu Traiectenſi conditum Tomo ſuperiore diximus [b], in dies florebat. Amplis enim auctum eſt fundis à Pipino Maioredomûs; à tribus fratribus Beone, Triclino & Balduino; necnon à duabus matronis Aquila & Wiſa. Meminit illarum donationum Notgerus Leo-

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

dienſis Epiſcopus in ipſius Hadelini vita. Pippinus Herſtallius, quem hic Auctor Regem perperam vocat, auditâ famâ ſanctitatis, quâ fulgebat apud Cellas Hadelinus, *ad iſtius pacifici ac ſapientiſſimi Dei miniſtri accurrit manſionem, conſiliiſque ſaluberrimis ab eo de ſubiiciendo ſeſe Regi Regum Chriſto, & gubernando ſecundùm eius imperium regno* (vel potiùs exercendo ſecundùm eius imperium Maioratu-domûs) *ab ipſius mellifluo ſuſceptis eloquio, ſuffragióque quarundam, quæ adhuc à prouiſoribus loci tenentur, villarum conceſſo, gaudens de beati viri colloquio ſeſe reddidit Palatio.* Eâdem ſanctitatis famâ pellecti tres fratres locum illum copioſis muneribus ditarunt. *Fuere in vicinia tres germani, Beo ſcilicet iam dictus, Triclinus alter, tertius Balduinus, quorum quiſque, quod illic poſſederat, conceſſit deuotus.* Hadelinus apud Dionantum * precibus & Crucis ſigno mulieri mutæ vocem contulit. *Cuius rei admiratione permota quædam, vt fertur, potens matrona, nomine Aquila, cuius tunc erat Anthegia villa notiſſima* (hodie *Anthee* in medio ferè itinere, quo Dionanto Florinas * itur) *dedit Deo ad Sancti ſuſtentaculum Ruſtina quod dicitur manſum.* Eſt autem manſus, ſiue manſum, villa, ſiue ager aliquis cum domo ad coloni habitationem. Aquilæ exemplum imitari voluit Wiſa, ſed antequam Hadelinus in eius conſpectum veniret, ſublata eſt è viuis, cùm wantum ad traditionem prædij legaliter faciendam in manu teneret. Inſigne quod ſecutum eſt miraculum accipe. *Hoc exemplo*, id eſt, exemplo Aquilæ, *& altera* matrona, *quæ Wiſa vocata, cùm tradere Deo per manum eiuſdem, beatiſſimi videlicet Hadelini, prædium, quod Veltz dicebatur, vellet, cognomen à vocabulo deducens Sancti, Montem Sancti Hadelini* (Veltz enim rupem aut petram linguâ Teutonicâ ſonat) *in poſterum vocare diſpoſuit, didicerat namque quia redemptio animæ viri diuitiæ eius. Quibus ita geſtis, infirmitate vltimâ præuenta eſt. Cúmque lectulum eius plurimorum circumſtiparet fidelium turma, de abſentia viri ſancti flebili cum eis eſt voce conqueſta. Et cùm interrogaretur à neceſſariis, cui illud delegare vellet, iteratâ ſæpiùs voce reſpondit. Hadelino, Hadelino, inquam, beato. Cúmque wantum in manu, vt moris eſt, legaliter tradendo teneret, & ſancti viri differretur aduentus, expirauit. Currens autem nuntius ad beatum, qui tunc fortè aberat, Hadelinum, indicauit ei & dolorem morientis, & cauſſam ſibi tradendæ poſſeſſionis. Veniente itaque Sancto, & cordis eius pulſum manu rimante, ſi iam extincta funditus eſſet, rigentes occiduo caſu articulos (mirum dictu) ac ſi viuens aperuit, & cunctis videntibus, qui aderant, locum prædictum cum wanto, quem tenebat, beato viro contradidit.*

* Dinan

* Florennes

XIX. TRADITIONIS VARIA SYMBOLA.

In hac poſtrema donatione, præter illuſtre miraculum, mos antiquus tradendæ per wantum poſſeſſionis obſeruari debet. Pro wanto Bietlotius habet chirothecas, Menardus chirographum, ceſpitem Fiſenus. Hic waſonem pro wanto videtur legiſſe, vetus enim vocabulum Gallicum eſt *waſon* vel *wazon*, pro quo moderni *gazon* dicunt, ſignificátque ceſpitem, cui adhuc herba adhæret. Per ceſpitem autem huiuſcemodi ſeu waſonem traditiones olim fieri ſolitas docet formula, quæ inter veteres incerti Auctoris apud Hieronymum Bignonium eſt quadrageſima-tertia, apud Fridericum Lindenbrogium viceſima-quarta, inſcribitúrque *traditoria de terra*, in illa enim formula miſſus fœminæ miſſo Monaſterij *per terram vel herbam*, id eſt, per terram & herbam, ſeu per waſonem vel per ceſpitem cui adhæret herba, prædium tradit. Menardus wantum fruſtrà chirographum interpretatur. Wantus ſeu guantus chirothecam ſignificat, & in vitis Sanctorum paſſim occurrit. Sanctus Maimbodus in Diœceſi Veſontionenſi, cùm nullius rei ſe egentem diceret, ceteráque iam reſpuiſſet, ne contriſtaret hoſpitem, *tegumenta manuum, quæ wantos appellant* pro caritate ſuſcepiſſe legitur [a]. Apud Ermentarium latro *wantos* ſancti Filiberti furatur, *chirothecas* apud Surium [b] qui mutato ſtylo vitam eiuſdem ſancti Filiberti publicauit. Olim igitur Gallis chirothecæ wanti fuerunt, vnde & Brabantinis hodie *wanten*, Leodienſibus *wans*, Francis *gans*, nam *w in g & gu* hi mutare conſueuerunt. Wantum autem ſeu guantum traditæ poſſeſſionis ſymbolum fuiſſe probant Iaco-

[a] Ap. Bolland. d. 23. Ian.
[b] d. 20. Aug.

Digitized by Google

bus Sirmondus in notis ad epiſtolas Goffridi Abbatis Vindocinenſis & Hieronymus Bignonius in notis ad formulas Marculfi Monachi. Archembaldus per inuidiam in Pagani locum Abbas Monaſterij ſancti Albini ſubrogatus eſt, & præſente Goffrido Abbate Vindocinenſi, qui literas ea de re Paſchali Papæ ſcripſit [a], in Capitulo ſuo, inter manus Andegauenſis Epiſcopi, *cum Regula ſancti Benedicti*, Abbatiam dimiſit, hoc eſt, vt Sirmondus interpretatur, *librum porrigens Regulæ* Abbatiam abdicauit. Priſcam illam conſuetudinem, quâ veteres librum Regulæ Benedictinæ apud Monachos ad ſanciendas firmandáſque ceſſionum & inueſtiturarum actiones adhibebant, aliquot exemplis ex Tabulario ſancti Albini confirmat idem Commentator, deinde notam ſuam ſic abſoluit. *Vt in his librum Regulæ, ſic in aliis tabulis cultellum, baculum, chirothecas in manum miſſas altaribúſque impoſitas legimus. Quin extant hodiéque in eodem ſancti Albini Cænobio & in aliis pleriſque veteris moris monumenta; baculi, inquam, & chirotheca* ſeu wanti, *& alia, inueſtiturarum traditionúmque, quas ſignarant, titulis inſcripta.* Bignonius in notis ad formulam Marculfi [b], cui Titulus *Præceptum de leſiwerpo per manum Regis*, varios transferendarum poſſeſſionum ritus exponit, nec omittit traditiones per wantum ſeu guantum fieri ſolitas. In eam rem citat chartam, in qua Robertus Comes Monaſterio ſancti Martini apud Turonos Dociacum à ſe reddi ſic teſtatur. *Reddimus Dociacum admoniti, ad eius*, nempe ſancti Martini, *ſepulchrum venientes per guantum noſtrum.* Tum allegat & prælaudatum Sirmondum, qui wantos ſeu chirothecas inter varia traditionum & inueſtiturarum ſymbola recenſet, vt dictum eſt ſuprà. Ceteros ritus, qui pertinent ad eandem materiam, vt occurrent, ſuis locis explicabimus. Hæc de traditione per wantum ſufficiant, cuius mentionem fecit Notgerus in vita ſancti Hadelini nuperrimè citata.

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

[a] Lib. 1. ep. 6.

[b] Lib. 1. c. 13.

XX. AIMOINVS AVCTVS.

Aimoinus, quem ſuperioribus Tomis ex manuſcripto Codice Seguierano ſæpè citauimus, deſinit in capite quadrageſimo-primo libri quarti. Sequuntur in eodem Codice capita nouem ſupra quadraginta, quibus idem liber augetur ex Geſtis Regum Francorum ab Anonymo conſcriptis, ex Francorum Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis exarata, & ex Annalibus elucubratis ab Eginhardo. Primum additamentum, quod ex Geſtis Regum Francorum deſumitur, in capitibus vndecim conſiſtit, deſinítque in anno ſexto Theodorici Regis, id eſt, in anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſexto. Liber ille, cui Titulus *Geſta Regum Francorum*, tribus & quinquaginta capitibus conſtat, capitiſque quinquageſimi tertij poſtrema ſunt hæc de Theodorico Calenſi verba, *qui vſque nunc in Regno ſubſiſtit*, & capite quinquageſimo-ſecundo libri quarti Aimoiniani in Editionibus Guillelmi *Paruy* & Iacobi *du Breüil*, necnon eodem capite Codicis prælaudati ſic efferuntur, *qui nunc anno ſexto in Regno ſubſiſtit.* Ceterùm huius Codicis additamentum & Geſtis Regum Francorum ab Andrea Ducheſnio [c] publicatis & Aimoino præſtat cum multis auctionibus edito à Guillelmo Paruo & à Iacobo Breulio. Id aliquot locis clariſſimè patebit.

[c] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

XXI. EX GESTIS REGVM FRANCORVM.

In Geſtis Regum Francorum, capite quadrageſimo-ſeptimo multa memorantur, quæ capite quoque quadrageſimo-ſexto libri quarti Aimoiniani deſcribuntur, ſed hoc caput auctius eſt, quia morti ſancti Audoeni, cuius narratione caput quadrageſimum-ſeptimum prædictorum Geſtorum clauditur, hæc proximè de Abbatibus ſancti Germani ſubiungit in Editione Guillelmi Parui. *Decedente quoque Sigofrido Abbate Cænobij ſancti Germani Parrhiſienſis, Babo in regimine ſubſtituitur.* Expuncto Babone, Breulius Babolenum ſic collocauit. *Decedente quoque Sigofrido Abbate Cænobij ſancti Germani Pariſienſis, Babolenus in regimine ſubſtituitur.* Abeſt autem hæc periodus à Codice Seguierano, vnde fas eſt affirmare, quod nec ab Aimoino ſcripta ſit nec ab Anonymo qui Geſta Regum Francorum in literas retulit.

XXII. BREVLIVS REFELLITVR.

Iacobus Breulius, vt Editioni ſuæ fidem conciliaret, notam ſubiecit, in

Digitized by Google

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II. qua de ſuo Baboleno hæc inter alia commemorauit. *Babolenus. Ita legendum ſecundùm veteres Codices, non Babo, vt anteà legebatur. Hic patre Winioco in Burgundia natus, ſancti Columbani Hiberni in Luxouio Cœnobio Monachus fuit. Plura Monaſteria, vt Bobium in Longobardia, Malmundarium & Stabulenſe in ſylua Arduenna rexit. Deinde Lutetiam veniens Foſſatenſi Cœnobio, in loco Caſtri Bagaudarum, à Blidegiſilo Diacono primariæ Ædis Pariſiorum conſtructo, præficitur. Retento autem in Hiſpania Sigofrido, noſtri Monaſterij ſancti Germani Abbate, illud quoque ei committitur. Obiiſſe creditur eodem, quo Chlotarius III, Francorum Rex, Clodouei Secundi filius, anno, qui fuit Virginei partûs ſexcenteſimus ſexageſimus-ſextus, die 26 Iunij, ſepulturámque habuit in ipſo ſancti Petri Foſſatenſis Monaſterio. Vita ſancti Baboleni (quam MS. habeo) multis miraculis claret, quorum vnicum, quod in rem noſtram præcipuè facit, referam. E Foſſatenſi Monaſterio ad noſtrum veniens, in porta ciuitatis Pariſiaca, cæcum à natiuitate, breui oratione digitíſque in oculos eius admotis, illuminauit. Quod vbi Clodoueo II, Francorum Regi, innotuit, ad ipſum Babolenum acceſſit, & in eius gratiam fiſcum Regium Valentonium noſtro contulit Cœnobio.*

XXIII. Cur Breulius fidem veterum Codicum appellarit, haud capimus. E capite quadrageſimo-ſeptimo libri, qui de Geſtis Regum Francorum inſcribitur, confectum eſt vulgatum caput quadrageſimum-ſextum libri quarti Aimoiniani, quem Aimoinus capite quadrageſimo-primo reuera clauſit. In Geſtis autem Regum Francorum, quæ publicata ſunt hactenus, capite quadrageſimo-ſeptimo nec Babo legitur nec Babolenus; neutrum quoque nominum illorum reperitur in Codice Seguierano inter additiones ad Aimoinum capite quadrageſimo-ſexto libri quarti; & poſtquàm huiuſcemodi additamenta interpolationibus ſolum beati Germani Monaſterium contingentibus aucta ſunt, ibi non Baboleni ſed Babonis nomen appoſitum fuit, vt ex Editione Guillelmi Parui liquet.

XXIV. Breulius ſolo niti videtur Anonymo, qui vitam ſancti Baboleni primi Foſſatenſis Abbatis conſcripſit, & ab Andrea [a] Ducheſnio penè integer publicatus eſt. Textus huius Auctoris in hæc verba concipitur. *Accidit vt in Eccleſia ſancti Vincentij Pariſienſis Abbas nomine Sigefridus à Rege Francorum Clodoueo ad Hiſpanias deſtinaretur pro quibuſdam reſponſionibus. Qui Cæſarauguſta retentus & à Rege Hiſpaniæ carcere clauſus, ab impoſita ſibi Legatione diutiùs ceſſauit coactus. Quod Francorum Rex vt audiuit, beato viro Baboleno Abbatiam beati Vincentij commiſit, quam per octo ſemis annos admodum ſatis ſtrenuè gubernauit. Ad quam cùm die quadam iturus per Pariſius tranſiret, & in porta ciuitatis cum quibuſdam ſibi familiaribus de Religione colloquium haberet, contigit illic cæcum hominem aduenire, victúſque alimoniam ab eo quærere. Cuius vir Domini miſeratus, reſpondit lacrymis profuſus. Argentum nec aurum penes me habeo, ſed accedere huc iubeo. Cúmque præſens ſtaret, & aliquid ſe accepturum putaret, vir Domini ſolo proſtratus orauit diutiùs. Et cùm oratum fuiſſet, poſitis digitis ſuper oculos eius dixit. Chriſtus Saluator noſter, qui cæco nato lumen reddidit, & ſedentibus in tenebris & vmbra mortis ſeipſum vitæ lumen præſentauit, ipſe ſuâ ineffabili miſericordiâ te illuminare dignetur, vt videns eius virtutes & opera nobiſcum magnificè collaudare poßis. Et cùm à circumſtantibus dictum eſſet, amen, oculis dies illuxit. Reſpiciénſque quam nunquam viderat lucem, Dominum laudare cum aliis cœpit. Sanctus autem vir Domini iter quod arripuerat peragens, & ad locum quo tendebat veniens, ibíque aliquantiſper degens, pacatis ibi quorumdam ſcandalis, poſt aliquot dies regreſſus eſt Foſſatis. Sed antequàm reuerti conaretur, diuulgato circumquaque miraculo, tandem rumor peruenit ad Regem. Quod ille audiens, & ſuper rem geſtam Dominum collaudans, per ſeipſum dignatus eſt accedere ad eum, atque pro tali facto ad eundem ſancti Vincentij locum largitus eſt eàdem die fiſcum Regium nomine Valentonium.*

[a] Tom. 1. Collect. Hiſtor. Franc.

XXV. At Anonymus ille, cuius lucubrationem Tomo ſuperiore per partes examinauimus, multis mendis ſcatet, & Babolenum, quem Audoberto Pariſiorum Epiſcopo Regibúſque Francorum Clodoueo Secundo & Clotario Terti•

Digitized by Google

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

ſynchronum conſtituit, cum Bobuleno quarto Abbate Bobij in Longobardia & Babone ſancti Vincentij ſeu Germani Pariſiis Abbate ac ſucceſſore Sigefridi perperam confundit. Multos errores, qui paſſim in illo inueniuntur opere, conglobatim ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-octauum [a] ob oculos Lectoris exhibuimus. Deinde ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum [b] peculiari perſonarum examine Bobulenum quartum Abbatem Bobienſem à Baboleno primo Abbate Foſſatenſi diſtinximus aduersùs prædictum Anonymum, qui Babolenum peregrinum, ne Foſſatenſis Abbas inſtituatur, Audoberto Epiſcopo Pariſienſi & Blidegiſilo Archidiacono ſic reſpondentem introducit. *Non affectu Prælationis cuiuſpiam ad hanc ſum delapſus patriam, qui Dei amore abnegaui propriam. Enimuerò non ideo reieci propria, vt petam aliena. Nam Abbas Bobienſis olim effectus, iuxta Euangelium renunciaui omnibus, licentiâ tamen fratrum & aſſenſu Epiſcopi; & ſic demum peregrinare cœpi.* Nec ad eundem annum [c] diſſimulauimus Breulium peiùs Anonymo peccare, quòd Babolenum Abbatem Foſſatenſem, non tantùm ex Anonymi ſententia cum Bobuleno Abbate Bobienſi, ſed etiam, quod idem Anonymus haud facit, cum Papoleno Malmundarij & Stabuleti Abbate confundat. Denique Anonymum & Breulium ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſecundum [d] redarguimus; Anonymum quidem, quod Babolenum Abbatem Foſſatenſem eundem velit eſſe cum Babone ſancti Vincentij prope Pariſios Abbate ac ſucceſſore Sigefridi; Breulium verò quòd in Anonymi ſit opinione, & Babonis loco Babolenum inter Abbates ſancti Vincentij ſeu Germani collocandum poſt Sigefridum putet.

[a] Num. 98.
[b] Nu. 35. 36.
[c] Num. 37.
[d] Num. 45.

XXVI. QVATVOR DISTINGVVNTVR ABBATES.

Hi quatuor Abbates, Bobulenus, Babolenus, Papolenus & Babo, nomine, & ætate nonnihil, loco plurimùm differunt.

XXVII. BOBVLENVS BOBIENSIS.

Bobulenus patriâ Gallus, Winicoſi filius, ſancti Columbani Abbatis apud Luxouium & apud Bobium diſcipulus, ſancto Bertulpho Bobienſi Abbati in adminiſtrationem Monaſterij ſucceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, pro Cœnobio Bobienſi Priuilegium anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio accepit à Theodoro Papa. Quieſcit in Monaſterio Bobienſi, vt docet Vghellus in præfatione ad tractatum de Bobienſibus Epiſcopis, & in Ordinis Benedictini Martyrologio pridie Kalendas Septembris ponitur, *Bobio Monaſterio Tranſlatio ſanctorum Abbatum eiuſdem loci, Columbani primi, Attalæ ſecundi, Bertulphi tertij, Bobuleni & Camugelli.*

XXVIII. BABOLENVS FOSSATENSIS.

Babolenus patriâ Italus, Monachus Bobienſis, annuente Bertulpho Abbate Bobienſi venit in Franciam, eodémque anno, quo Bobulenus Abbatiale munus apud Bobium in Longobardia ſuſcepit, factus eſt primus Abbas Foſſatenſis apud Francos in agro Pariſienſi, vixitque ad annum vſque quintum Clotarij Tertij Regis, id eſt, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum. Sancto Columbano, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum decimum-quintum incidit, ſuperſtes fuit annis quadraginta quinque, eius in Italia diſcipulus eſſe potuit. Quieſcit apud Foſſatum.

XXIX. PAPOLENVS STABVLENSIS.

Papolenus patriâ Gallus, ſancti Remacli diſcipulus, ab eodem ſancto Remaclo, qui poſt ſpontaneam Traiectenſis Epiſcopatûs abdicationem regimen Monaſteriorum Malmundarienſis ac Stabulenſis iterum ſuſceperat, Cœnobio Malmundarienſi præpoſitus eſt Abbas, deinde anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo poſt mortem ſancti Remacli factus eſt & Abbas Stabulenſis, obiítque ſecundo pòſt anno, nec adminiſtrationi Monaſteriorum, Bobienſis, Foſſatenſis, ac ſancti Germani, ſeſe vnquam immiſcuit. Quieſcit apud Stabuletum.

XXX. BABO ABB. S. GERMANI PARISIENSIS.

Babo poſt Sigonem, quem Sigefridum quoque ac Sigofridum vocant, Monaſterium ſancti Germani prope Pariſios gubernauit. De Sigone ſeu Sigofrido bis mentio fit in additamentis ad librum quartum Aimoini. Capite quadrageſimo-tertio ſic. *Cuius*, id eſt, Clodouei Secundi Regis, *temporibus Sigo Abbas Cœnobio beati Germani Pariſienſis nobiliter præfuit.* Iterum capite quadra-

AN. CH. 684. THEODOR. III. R. II.

SIGOFRIDVS BABONIS DECESSOR.

geſimo-ſexto poſt enarratam ſancti Audoeni mortem, quam anno ſuperiori conſignauimus. *Decedente quoque Sigofrido Abbate Cænobij ſancti Germani Parrhiſienſis*, &c. Sigofridus igitur ſeu Sigo regnante Clodoueo Secundo, quem anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto ex hac vita ſublatum diximus, Monaſterium ſancti Germani Pariſienſis adminiſtrare cœpit, adminiſtrauitque ad hunc vſque annum, qui proximus ab obitu ſancti Audoeni numeratur. Textus autem præcitati deſiderantur in Codice Seguierano, nec inueniuntur in Geſtis Regum Francorum, capitibus quadrageſimo-quarto & quadrageſimo-ſeptimo, ex quibus confecta ſunt capita vulgati libri quarti Aimoiniani quadrageſimum-tertium & quadrageſimum-ſextum. At in vita Sancti Baboleni, qui regnantibus Clodoueo Secundo eiúſque filio Clotario Tertio primus Abbas Foſſatenſis fuit, laudatur idem Sigefridus ſeu Sigofridus Eccleſiæ ſancti Vincentij ſeu Germani prope Pariſios Abbas. *Accidit*, inquit Auctor illius vitæ iam citatus, *vt Eccleſiæ ſancti Vincentij Pariſienſis Abbas nomine Sigefridus à Rege Francorum Clodoueo ad Hiſpanias deſtinaretur pro quibuſdam reſponſionibus. Qui Cæſarauguſtæ retentus & à Rege Hiſpaniæ carcere clauſus, ab impoſita ſibi Legatione diutiùs ceſſauit coactus. Quod Francorum Rex vt audiuit, beato viro Baboleno Abbatiam beati Vincentij commiſit, quam per octo ſemis annos admodum ſatis ſtrenuè gubernauit.* Præter illum Anonymum, cuius auctoritas non eſt magni ponderis, neminem legimus, qui Sigofridum Eccleſiæ ſancti Germani Pariſienſis Abbatem à Rege Francorum in Hiſpaniam Legationis obeundæ causâ miſſum ſcribat. Sigofridum tamen ſeu Sigonem Eccleſiæ ſancti Germani Pariſienſis Abbatem fuiſſe non inficiamur. In illa fortaſſis Eccleſia reperta ſunt antiqua monumenta, quæ mentionem eiuſdem Abbatis inter additamenta libri quarti Aimoiniani faciebant aut ſuadebant faciendam. Sigofridus Monaſterium ſub quatuor Regibus, id eſt, ſub Clodoueo Secundo, tribúſque eius filiis, Clotario Tertio, Childerico Secundo,

AN DIRECTVS IN HISPANIAM.

& Theodorico Tertio, rexit. Si directus eſt aliquando in Hiſpaniam, vt ibi Legatione fungeretur, illuc à Theodorico Francorum Rege poſt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum ad Eruigium Wiſigothorum Regem miſſus videtur. Illo enim anno, menſe Octobri poſt exauctorationem Wambæ regnare cœpit Eruigius, initióque ſui Principatûs Vcetiam, Ruthenas & Albigam, pulſis Francorum præſidiis, occupauit. Theodoricum autem, cui tunc acre bellum cum Radbodo Rege Friſiorum erat, per Oratorem poſtulaſſe credimus, vt ſibi prædictæ ciuitates ab eodem Eruigio reſtituerentur pace Francos inter ac Wiſigothos redintegratâ. Quicquid ſit de iſta Legatione, poſt ſancti Audoeni deceſſum obiit quoque Sigofridus ſancti Germani Pariſienſis Abbas, eíque ſtatim in munus Abbatiale ſucceſſit Babo, quem Breulius in Editione Aimoini Babolenum malè vocat, & in ſuis notis cum Baboleno primo Abbate Foſſatenſi ante annos quatuor ac viginti mortuo confundit. Ad hunc Babonem pertinet, & ad hæc tempora Theodorici Regis differri

ACTA BABONIS ABBATIS.

debet illuminatio cæci, quam Baboleno Abbati Foſſatenſi perperam in eius vita tribuit Anonymus ſuprà deſcriptus. Valentonium igitur fiſcum Regium, quem Monachi ſancti Germani Pratenſis ad annum vſque Chriſti milleſimum quingenteſimum vndeſeptuageſimum poſſederunt, Eccleſiæ ſancti Vincentij ſeu Germani non Clodoueus Secundus, vt Anonymus in eadem ſancti Baboleni Foſſatenſis Abbatis vita ſcribit, ſed Theodoricus Tertius, ipſius Clodouei Secundi filius natu minimus, contradidit. De Babone poſt triennium verba rurſum faciemus.

XXXI. ABBATES FOSSATENSES.

Abbates autem, qui Monachis Foſſatenſibus ad Principatum vſque Pippini Regis poſt Babolenum præfuerunt, apud Claudium Robertum in Gallia Chriſtiana ſolis tantùm nominibus innoteſcunt, Ambroſius, Auſtroaldus, Valderannus, Madobodus, Odo, Gunterannus, Gogo, Arueranus, Elafredus.

ANNVS

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 685.
THEODORICI III. R. 12. 5.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, vſque ad diem Iunij decimum-nonum, quo primus annus ab obitu Sancti Deodati claudebatur, Hildulphus eius diſcipulos aſſiduâ viſitatione conſolari non deſtitit, deinceps verò quot annis ſemel illos inuiſit. Audiendus ea de re Monachus Vallis Galilææ, qui vitam Sancti Deodati conſcripſit. *Elapſo*, inquit, *anno à glorioſo obitu D. Deodati, in quo beatus Patriarcha Hildulphus aſſiduâ viſitatione Monachis, & frequenti immolatione ſalutaris hoſtiæ defuncti curabat prodeſſe ſpiritui, priſtinam deinceps inſtitutionem reſumpſere fratres vtriuſque loci. Et quemadmodum ſemel in anno venerandi Antiſtites mutuas ſolebant frequentare cellas, ita poſteà ſtuduere facere eorum diſcipuli. Qui viro Dei Hildulpho Vallem Galilæam inuiſenti loco Patris ſui Deodati occurrentes, offerebant Magiſtri ſui tunicam, quam ille reuerenter ſuſceptam, tanquam digniſſimum pignus amici exoſculatus & amplexatus eſt, & quaſi in noua veſte viuentem intuens, ſanctitatem eius veneratus eſt. Nam quicquid orationis impendebat inſenſibili tunicæ, id ſuo chariſſimo Deodato feciſſe arbitrabatur, cuius efficacibus meritis ſeipſum adhuc in ſtadio huius vitæ decertantem, atque in ſpiritali palæſtra deſudantem, ſuſtentari inter dulcia ſuſpiria credebat & precabatur.* Inter diſcipulos, quos illis temporibus habuit, tres multùm celebrantur, Spinulus, Iohannes & Benignus, qui Monaſticen in Cœnobio ſancti Maximini primùm profeſſi ſunt, deinde beatum Pontificem abdicato Epiſcopatu Treuirenſi ſolitariè in Voſago degentem adierunt. De illis loquitur Ioannes Scheckmannus Monachus ac Bibliothecarius Maximinæus in medulla Geſtorum Treuirorum [a].

Margin: HILDVLPHVS S. DEODATI DISCIPVLOS INVISIT.

II. Hoc circiter anno Sanctus Goduinus Abbas, cùm Stabuletum & Malmundarium per annos nouem gubernaſſet, ad Deum feliciter migrauit. Plures annos Præfecturæ non attribuunt monumenta Stabulenſia, teſtibus Fiſeno [b] & Henſchenio [c]. Curam autem vtriuſque Monaſterij gerebat anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo & anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, vt ſuis locis obſeruauimus. De ſucceſſoribus Bobolino, Aboleno, Crodmaro, Amolgero, & Amingero, ſi tamen Bobolinus ab Aboleno & Amolgerus ab Amingero diſtingui debent, apud Fiſenum in Abbatum Stabulenſium Catalogo [d] nihil præter nuda nomina reperitur. Bobolinum & Abolenum vnum eundémque exiſtimamus, imò qui Fiſeno Bobolinus eſt & Abolenus, is nobis etiam Papolenus videtur, alius quidem à ſancto Papoleno, qui Tomo ſuperiore commendatus à nobis fuit, & in præcitato Abbatum Stabulenſium Indice Babolenus appellatur, vnde colligas in editione nominum propriorum vt E in I, ſic & P in B facilè abire, nec mirum eſſe, ſi qui Fiſeno Bobolinus eſt atque etiam, vt arbitramur, Abolenus omiſsâ primâ litterâ P vel B, is quoque nobis ſit Papolenus, in cuius gratiam extat Præceptum à Clodoueo Tertio Rege promulgatum, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium probaturi ſumus.

Margin: ABB. STABVL. ET MALMVND.

III. Hiſce temporibus, cùm Philibertus Abbas Gemmeticenſis in Quinciaco Monaſterio verſabatur, ad eum acceſſerunt Monachi Gemmeticenſes, qui dolebant ſe deſtitutos eſſe Paſtore. Verùm quia poſt Ebroini mortem, cùm in Neuſtriam redierat, ab Audoeno Epiſcopo Rotomagenſi liberam obtinuerat facultatem, *vt vbicumque viſum eſſet, degeret, atque aliis ſuis Monaſteriis rectores præficeret, quandoquidem longo internallo alia ab aliis diſtabant,*

[a] Lib. 2. c. 8.
[b] Paral. p. 2. in Sigolin.
[c] De tribus Dagob. l. 2. c. 17.
[d] D. 3. Sept.

Digitized by Google

AN. CH. 685.
THEODOR. III. R. 12.
AICHARDVS ABB. GEMMET.
PROBVS ABB. QVINCIAC.
PHILIBERTVS IN HERIVM INSVLAM SE RECIPIT.

Aichardum ex Quinciaco Monaſterio direxit, qui Cœnobio Gemmeticenſi præficeretur, Probum Aſceterio Quinciacenſi regendo Abbatem præpoſuit, ipſe in Herium Inſulam ſe recepit, vbi Congregationem Monachorum, de qua ſuperiùs locuti ſumus, ad vltimum vſque vitæ ſpiritum piè gubernauit. Hæc conſtant partim ex vita Sancti Philiberti, partim ex vita Sancti Aichardi. Vtramque conſule [a]. Fulbertus, qui poſteriorem ſcripſit, contra Chronologiam non ſemel peccauit. Finxit Audoenum Epiſcopum Rotomagenſem in viuis adhuc ſuperſtitem fuiſſe, cùm Aichardus Gemmeticum perrexit, Audoeni loco Anſbertum illius ſucceſſorem repone. Ceterùm vt olim ab Hero & Herio Inſula dictum eſt Herenſe Monaſterium vulgò *Hermonſtier*, ſic recentioribus temporibus vbi vetus Inſulæ nomen Herus in Nerum abiit, Monaſterio nomen inditum *Nermonſtier*, corruptiùs *Noirmonſtier*, Latinè Nigrum Monaſterium. Vocatur nihilominùs à nautis Monaſterium * Album, quòd procul videatur ſylua populea, cuius frondes vna ex parte albæ ſunt, ex altera verò virides. In ea Inſula, cuius circuitus quatuor leucas, vnam latitudo complectitur, oppidulum eſt octingentarum caſarum, vt Papirius Maſſonus in deſcriptione Franciæ per flumina teſtatur.

[a] Apud Sur. dd 20 Aug. 15. Sept.
* *L'Abbaye blanche.*

IV. Mummolinus Epiſcopus Nouiomenſis ac Tornacenſis obiit hoc anno, ſic enim de illo ſcribit Folchardus in vita Sancti Audomari. *Factum eſt, Domino id agente, vt poſt deceſſum Eligy* (corruptè *Aichary* in editione [b] Suriana) *ipſe illi in Nouiomenſis Eccleſiæ Cathedra ſucceſſerit. In quo Pontificatu ſex & viginti annis ſtrenuè ſe gerens, iam vltimâ ætate, depoſito fragilis carnis pondere, Angelicis ciuibus adiunctus eſt.* Migrauit ad Deum decimo-ſeptimo Kalendas Nouembris, quo die celebris eſt eius memoria in Faſtis Belgicis. *Adueniente autem ſuæ vocationis tempore, quo felicitatem diu deſideratam accepturus erat, & ſe Chriſto, quem ſemper amauerat, iungendum ſperabat, conuocatis diſcipulis mandat, vt corpus ſuum in communi ſepeliant cæmeterio extra vrbis mœnia, parato ad hoc mediocri ſumptu ſarcophago, in quo, vt ipſe aiebat, corpus meum ſeruetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitatem. Inter hæc dum triſtia diſcipuli parant obſequia Patri, validior eum torquebat infirmitas. Nec tamen intereà ab orationis ac diuinæ laudis ceſſabat officio, donec ſumpto ſalutaris Corporis ac Sanguinis Chriſti viatico ſpiritum emiſit in cælum.* Hæc leguntur in Breuiario Audomarenſi [c]. Sepultus fuit in Oratorio Sancti Georgij, in Æde quæ poſteà Sanctorum Apoſtolorum dicta eſt, vbi conditum fuit & corpus beatæ Godebertæ virginis, vt in illius Actis obſeruatur [d]. Plura de Sancto Mummolino ſeu Mommelino vel Momoleno aut Mommoleno non occurrunt. Succeſſit Hautcarius ſiue Hautgarius, qui laudatur in vita S. Saluij Ambianenſis Antiſtitis, & à Menardo [e] confunditur cum Sancto Achario ſiue Aichario Sancti Eligij deceſſore.

[b] D. 9. Sept.
MVMMOLINVS EP. NOVIOM. ET TORNAC. OBIT.
[c] D. 16. Oct.
[d] Apud Sur. d. 11. Apr.
SVCCEDIT HAVTCARIVS.
[e] L. 1. obſeru. d. 11. Ian.

V. Monaſterium Vedaſtinum, cuius felicia primordia ſub Sancto Autberto Atrebatenſi Epiſcopo ante annos vndeuiginti retulimus, agente Vindiciano Sancti Autberti ſucceſſore adeò auctum eſt, tótque redditibus ex munificentia Theodorici Regis locupletatum, vt locus ille, qui ſuperioribus annis à paucis Monachis ſub regimine Prioris incolebatur, hoc anno Theodorici Regis duodecimo, propter aduenientium Aſcetarum multitudinem, donatus ſit Abbate, cui nomen Hatta. Quis autem hic fuerit, Auctor Chronici Vedaſtini ſic docet [f]. *Hatta Monachiſmum Gandaui in Monte Blandinio complexus, ad exemplum multò ſanctiſſimorum Patrum amatorum profeſſionis Monaſticæ, vitam componens, ſecutus in primis veſtigia Sancti Amandi, primi eius domûs conditoris, quùm multos inſtituto æquales, commendatione pietatis atque virtutibus anteiret, latè diffuſâ famâ Theodorico notus, huc*, id eſt, in Monaſterium Vedaſtinum, *ab eo accerſitus Abbas nouello gregi datus eſt, quem inauguratus à beato Vindiciano ita geſſit, vt non immeritò percelebri huic Præſulum ordini dux quidam atque anteſignanus credatur deſignatus.*

[f] Apud Locrium ad an. 690.
HATTA FIT PRIMVS ABB. VEDAST.

VI. Idem Auctor de liberalitate, quâ Theodoricus Rex & Vindicianus Epiſco-

Digitized by Google

pus vſi ſunt erga Monaſterium Vedaſtinum, ſic loquitur. *Præclarum hunc conatum morte piiſſimi Patris* Autberti *collabentem Diuus Vindicianus Diuo ſuffectus Autberto, anno circiter 690, voti vt dignitatis hæres & æmulus, erexit. Poſteà magno cum fœnore, dum lucis erepta illataque necis Diuo Leodegario conſcium Theodoricum, ſententiâ Præſulum Gallicanorum damnatum, commiſſúmque ſibi pœnitentiâ mulctandum, adduxit ad perficiendum, ornandum, locupletandum, ad iuſtámque amplitudinem euehendum hoc Monaſterium, quod fœlicibus auſpiciis Diui Autberti cæptum præcipitata eius mors, ne planè efficeretur, obſtiterat. Aſſenſus Vindiciano Theodoricus peramplum Monaſterium ornauit ædibus, auxit diuitiis, euexit Priuilegiis, abdicato à ſeſe omni in id Regio iure. A quo ne omni ex parte Vindicianus huius rei auctor vinceretur, ipſéque dati beneficij (cuius in alio auctor) expers omnino exiſteret, aut turpe ratus auctorem vinci ab eo qui ſequebatur auctoritatem, vtque nonnullâ ſaltem ratione cum Rege beneficio certaret, exemptionem plenam conceſſit Vedaſtinis, neque ad id in propria acquieſcens auctoritate profectus ipſe Romam ſe omni curâ abdicauit Monaſterij Vedaſtini, eámque reiiciens in Summum Pontificem curauit ab eo hoc Monaſterium in clientelam aſſumi, daríque perpetuæ immunitatis & exemptionis ampliſſimum Diploma.* Hic Auctor non eſt antiquus, ídque ſatis indicat vox ipſa, *Diuus*, quâ ſæpiùs vtitur, vt Beatum ac Sanctum ſignificet, & quia res ſcripſit à ſuo ſeculo multùm remotas, in pleriſque locis eget emendatione. Tres occurrunt mendæ in textu nuperrimè recitato.

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

VII. Prima eſt circa Chronologiam. Res, quæ geſtæ ſunt *duodecimo anno* [a] *Theoderici Regis*, malè conſignantur *anno circiter 690*, nam duodecimus annus Theodorici Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto coincidit.

[a] Miræus in Orig. Bened. c. 5.

VIII. Secunda eſt circa Præceptum Theodorici Regis. Theodoricus Monaſterium Vedaſtinum, in quo ſepeliri cum vxore voluit, auxit ædificiis & redditibus, ſuámque munificentiam confirmauit dato, vt moris erat, immunitatis Præcepto, quod ad leges formularum vſu receptarum atque in noſtris Annalibus iam deſcriptarum reuocari debet, ampliatúrque perperam ab Auctore Chronici Vedaſtini ſuprà citato. Martyrium ſancti Leodegarij ante ſeptennium narrauimus. Illatæ cædis vnus auctor Ebroinus, nec habita reperitur Synodus, quæ Theodoricum Regem damnarit, pœnitentiâque mulctandum Vindiciano Atrebatenſium Antiſtiti tradiderit. Hanc fabellam poſterioribus ſeculis excogitarunt Monachi Vedaſtini, nec aduerterunt illam ſtare non poſſe cum eiuſdem Vindiciani Priuilegio, quod *Kal. Maij, anno* VII. *Domini Theoderici Regis* datum ipſimet publicarunt, aſſeruerúntque in Monaſterij ſui grammatophylacio integrum cuſtodiri. Sanctus Leodegarius ad Deum migrauit ſexto Nonas Octobris, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo octauo. Annus ſeptimus Theodorici Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo comparatur. Illo igitur anno Kalendis Maij datum ſupponitur Priuilegium Epiſcopi Vindiciani, cùm poſt S. Leodegarij mortem vnus duntaxat annus menſéſque ſeptem effluxiſſent vno minùs die. Peruenit autem Ebroinus ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum, & quandiu vixit, ſuis apud Theodoricum Regem ſermonibus effecit, vt Leodegarius criminis, cuius inſimulatus fuerat, reus haberetur. Id in ipſius Leodegarij vita docet Anonymus coætaneus, qui Theodorici Regis animum poſt Ebroini cædem mutatum ſic obſeruat. *Poſtquàm infelix Ebroinus vitæ finem dedit, quod inuidiâ ductus de Dei ſeruo* Leodegario *abſconderat, magnis laudibus longè latéque percrebuit. Poſtquàm namque Serenitati Regis eiúſque Palatio de virtutibus ſancti Martyris veraciter fuit percognitum, quòd Chriſtus Dominus ad titulum ſuæ laudis ſic eum clarificaſſe dignatus eſt ſignis virtutum, cum admiratione Rex credidit factum, & cœpit verè venerari Martyrem, quem per accuſationem tyranni crediderat priùs fuiſſe culpabilem. Tunc etiam perlatum cum laude in Palatium, quod multis diebus ab æmulo latuit abſconſum.* Ergo mendoſa ſunt quæ de Theodorico eiuſ-

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

que Præcepto Regio ſcripſit Auctor Chronici Vedaſtini. Miræus illud Præceptum libro primo [a] Diplomatum Belgicorum ſic deſcripſit. *In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Theodericus gratiâ Dei Rex. Idcircò potiſſimùm collatam nobis à Deo credimus Imperij dignitatem, vt in tutela & augmento ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ ipſius piam exequamur voluntatem. Quapropter nouerit omnium fidelium noſtrorum tam futurorum quàm præſentium ſolertia, quod adierunt Celſitudinem noſtram Monachi ex Monaſterio, quod vocatur Nobiliacus, vbi pretioſus Confeſſor Chriſti Vedaſtus corpore quieſcit, humiliter poſtulantes vt Regale Decretum noſtrum ſuper villis, quæ noſtrâ munificentiâ iam ſibi ceſſerant, firmari iuberemus, vt quæcumque ex inſpiratione diuina ipſis contuleramus, Imperiali Edicto & ſigillo ad perpetuitatem ſtatueremus. Igitur pro ſalute tam ſucceſſorum quàm anteceſſorum noſtrorum, videlicet Regum vel Imperatorum, & pro totius ſtatu Regni, inſpirante omnium Regum Deo, præfato Monaſterio & Monachis inibi Deo in perpetuum famulantibus Regali liberalitate confirmamus, quæ iam eâdem liberalitate conceſſimus, ad matriculam ſcilicet Eccleſiæ, in Atrebato pago Atheias, Felciacum; ad portam Eccleſiæ Berninillam, Daginuillam; in pago Veromandenſi Mediolanas, Valles, Putheas aquas; in Batua Rexnam, Wlfaram cum capella Rothem & aliam Rothem; in pago Haſbanio & Ribuario Haimbecha, Halmala, Torona, & inter Altheim, Maridas, Ambron, Muſinium, Groſeas, has villas, manſos Dominicales ſex, manſos ſeruiles ſeptuaginta quinque; in Watrenio Cambach cum appendiciis ſuis & Eccleſia; in pago Caribant Maxtin cum appendiciis; in Pabula Montes. De his ergo villis, cum omnibus appendiciis & reditibus & mancipiis per Imperialem Celſitudinem ſancimus, vt nullus mortalium præſumat aliquid violentiâ qualibet vel fraude auferre vel demere, ſed ſicut à noſtra liberalitate roborata ſunt, præfati Monaſterij fratrum vſibus in perpetuum cedant*. . . . . Deſunt reliqua. Quæres fortè cur Theodoricus Anteceſſores ſuos vocet *Imperatores?* cur *Imperialem Celſitudinem* ſibi vendicet? cur aſſerat *Imperij dignitatem* ſibi collatam? cur *Imperialia* nuncupet & Edictum quod promulgaturus eſt, & ſigillum quo muniturus eſt illud Edictum? At memento complures ex eius Anteceſſoribus à nobis iam commemoratos, qui ſe dixerunt Imperatores & Auguſtos. Indicem hoc loco nōn repetemus. Satis eſt ipſius Theodorici fratres Clotarium Tertium & Childericum Secundum recenſere, quorum numis Maſſiliæ cuſis Imperatorium lemma CONOB inſcriptum eſt, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum [b] obſeruauimus.

[a] Cap. 4.

PRÆCEPTVM REGIVM PRO MON. VEDASTINO.

[b] Num. 22.

IX. Tertia menda eſt circa Priuilegium Vindiciani Epiſcopi, quod inter Diplomata Belgica ſic editum reperitur [c]. *Vindicianus Cameracenſium vel Atrebatenſium Eccleſiæ Epiſcopus, omnibus Sanctæ Dei Eccleſiæ filiis. Si locis, quæ Deo dicantur, noſtrâ Pontificali auctoritate aliquid conferimus, quo in meliorem erigantur ſtatum, credimus nos mercedem exinde à Deo recipere, atque ad augmentum vitæ æternæ capiendæ emolumentum non modicum ſperamus nobis acquirere. Quapropter nouerint omnes fideles, præſentes videlicet atque futuri, quia Dominus noſter piiſſimus Rex Theodericus in generali Placito habito in Compendio Palatio, in conuentu venerabilium Epiſcoporum, videlicet Audoeni, Auſtregiſili, Audomari, Eligij, Faronis atque Lamberti, necnon illuſtrium Abbatum, Wandregiſili, Philiberti, Bertini atque Stupilionis, ſuggeſſit humiliter noſtræ Pontificiæ Celſitudini, quatenus Epiſcopali Priuilegio roboraremus, quidquid ipſe contulit Nobiliato Monaſterio, vbi Sanctus Vedaſtus corpore quieſcit, quod ab ipſo pio Rege mirificè ac decenter Regiis conſtruitur ſumptibus, in ſuburbio Atrebatis ciuitatis, in quem locum nuper fuit tranſlatum corpus dicti Pontificis Chriſti Vedaſti à beato Autberto Epiſcopo, noſtro videlicet prædeceſſore, ac honorificè humatum. Denique omnibus notum eſt eundem locum pertinentem fuiſſe ac ſubiectum Eccleſiæ Atrebatenſis ciuitatis, ſed à memorato Rege Glorioſiſſimo Theoderico, me conſentiente vnà cum Clero nobis ſubiecto, eſt à noſtra ſequeſtratus ciuitate. Igitur conſiderantes dignam & humillimam petitionem ſæpiùs dicti inclyti Regis, ratum duximus opere perficere quod ipſe ſuggeſſerat. Itaque per Sanctam & Indiuiduam Trinitatem Pontificali auctoritate obteſtamur cunctis Sanctæ*

[c] Lib. 1. c. 5.

PRIVILEGIVM VINDICIANI EP. PRO EODEM MON. EXAMINATVR.

Dei Eccleſiæ filiis, præſentibus videlicet & futuris, vt hoc Epiſcopale Priuilegium à nobis pro Dei amore editum, itaut à nobis conſtitutum eſt, inuiolabiliter conſeruetur, ab hodierno videlicet die & deinceps. Per Pontificalem auctoritatem omnes ſeculares & iudiciarias poteſtates excludimus ab ingreſſu memorati Monaſterij atque Caſtri, vt liceat Monachis Deo inibi famulantibus ex hoc & in reliquum tempus quietè viuere, ac ab omni mundano ſtrepitu eſſe ſequeſtratos. Et adiuramus per Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, vt neque aliquis Epiſcopus, noſtrorum videlicet ſucceſſorum, neque Comes, nec aliqua Regia vel Iudiciaria poteſtas præſumat illorum ingredi Monaſterium ſiue Caſtrum, neque ibi conuiuia extruere, neque Placita, nec aliud quid facere, niſi permiſſu & voluntate Abbatis, qui prælatus fuerit loco, vnáque cum voluntate Monachorum, ſed ſint Monachi Deo ſeruientes in præfato loco, iuxta quod beatus Auguſtinus docet de opere Monachorum, vel iuxta traditionem Sancti Baſilij, vel ſecundùm Regulam Sancti Columbani, vel Sanctiſſimi Benedicti, & hoc in arbitrio Abbatis conſtituimus. Si autem talis exiſteret cauſſa, vt meritò Epiſcopus accerſiri debeat, non aliter veniat, niſi vocatus ab Abbate vel à Monachis; aliter (vt diximus) nec ipſi nec alicui liberum ingreſſum conſentimus. Interdicto etiam anathematis & Pontificali auctoritate ſtabilimus, vt ipſum Caſtrum cum Monaſterio & villulis, Filciacum, Thilgidum, Hadas, Hennicurtem, Saltiacum, cum Theobia ſilua, Liniacum, cum puteis, aquis & appendiciis ad ſe pertinentibus, non aliquis præſumat in his quæ diximus, aut in villis inibi pertinentibus præcinctam habentibus, inferre aliquam moleſtiam, latrones vel bannos accipere, paraſredos inquirere, ſed liceat Monachis quietè omnia poſſidere, quò valeant liberiùs pro pace Sanctæ Dei Eccleſiæ & vita Regis & coniugis ac filiorum & ſtatu Regni, Domini clementiam exorare. Si quis verò Priuilegij huius à nobis editi obſeruator extiterit, accipiat mercedem à Domino & benedictionem in præſenti vita & in futura vitam æternam. Qui verò noſtram auctoritatem paruipenderint, illúdque qualicumque modo temerare præſumpſerint, per noſtram Pontificalem auctoritatem reddantur extranei à liminibus Sanctæ Dei Eccleſiæ, & à cœtu Chriſtianorum, & à Regno Dei, & deſcendant cum Dathan & Abiron in infernum viuentes, & cum Iuda traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti accipiant partem & ſocietatem in die Iudicij, & cum Diabolo damnationem æternam, Amen. Ego Vindicianus Epiſcopus hoc Priuilegium à mea paruitate editum ſubſcripſi. Ego Audoenus Epiſcopus iuſſu Domini Regis & rogatu fratris noſtri & Coepiſcopi Vindiciani, hoc Priuilegium ſubſcripſi. Ego Audomarus Epiſcopus abſque ocellis ſubſcripſi. Ego Auſtregiſilus Archiepiſcopus ſubſcripſi. Ego Eligius Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Faro Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Lambertus Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Bertinus Abbas ſubſcripſi. Ego Philibertus Abbas ſubſcripſi. Ego Agilus Abbas ſubſcripſi. Ego Wandregiſilus Abbas ſubſcripſi. Ego Stupilio Abbas Monaſterij Sancti Quintini, iuſſu Domini Theoderici Regis, & rogatu Vindiciani Epiſcopi, hoc Priuilegium ſcripſi & ſubſcripſi. Data Kal. Maij, anno VII Domini Theoderici Regis, Indictione II. Actum in Compendio Palatio, in Dei nomine feliciter, Amen. Miræus, qui primus hoc Priuilegium ex Archiuis Monaſteriorum Vedaſtini & Eihamenſis acceptum publicauit, in notatione quam ſubiecit, fatetur ſe dubitare, *an Epiſcopi & Abbates qui in Diplomate iſto memorantur & ſubſcribuntur, vno eodémque tempore omnes vixerint.* Annus Theodorici Regis ſeptimus, quo Priuilegium Vindiciani datum ſcribitur, cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo coincidit. Illo anno nec Epiſcopi, Audomarus, Auſtregiſilus, Eligius & Faro, nec Abbates Agilus & Wandregiſilus in viuis ſupererant. Obierant enim hi omnes Theodorico Regnum nondum adepto, Audomarus Morinorum Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo; Auſtregiſilus Bituricenſis Epiſcopus Metropolitanus anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quarto; Eligius Nouiomenſis Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo; Faro Meldenſis Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo; Agilus Abbas Reſbacenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo; Wandregiſilus Abbas Fontanellenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo. Prætereà

Digitized by Google

AN. CH. 685.
THEODOR. III. R. 12.

Philibertus Abbas Gemmeticenſis exulabat in Aquitania, & Stupilionem, cuius mentio fit in ſolo Vindiciani Diplomate, tunc Abbatem fuiſſe Sancti Quintini non liquet. Miræus à noſtra computatione diſcrepat integro ſexennio, nam Vindiciani Priuilegium anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto conſignauit in Indice capitum, quem libro primo Diplomatum Belgicorum præfixit. Ita cenſuit, quia ſeptimum Theodorici Regis annum Indictioni ſecundæ illigatum reperit. Non inficiamur Indictionem ſecundam cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto coincidiſſe, ſed eam negamus quadrare cum anno ſeptimo Theodorici Regis, appoſitámque fuiſſe prædicto Diplomati. Miræus, ne ſecum pugnare videretur, in notationibus [a] ad Teſtamentum Sancti Amandi, quod *anno ſecundo Theodorici Regis, ſub die decima quinta Kal. Maij* conditum inuenitur, expuncto Theodorici Regis anno ſecundo, quocum annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum quintum comparauimus, repoſuit annum Clotarij Regis ſecundum, quem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo illigauit. Ad ſtabiliendam hanc Chronologiam citauit Chronicon Elnonenſe, cuius Auctor annum auſpicatur à Paſchate, & Teſtamentum ac mortem Sancti Amandi coniicit in annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-primum. At in ea ſententia Clotarius regnat annos duntaxat quatuor, & anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-tertio moritur. Tum ſuccedit Childericus, cui Theodoricus anno pòſt quarto, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo ſubrogatur. Clotarius autem regnum per annos quatuordecim tenuit. Annus igitur ſeptimus Theodorici Regis & Indictio ſecunda ſimul conuenire non poſſunt, etiamſi ſecundus annus Clotarij Regis ſupponatur in annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-primum incidiſſe. Fruſtrà quis ſe torqueat, vt ſecundam Indictionem ſeptimo Theodorici Regis anno rectè aptari commonſtret, illis enim temporibus Franci publicis inſtrumentis Indictionem non apponebant. Itaque Indictionis nota Priuilegio Vindiciani temerè adiecta eſt ab Interpolatore, vt Epiſcoporum & Abbatum pleræque ſubſcriptiones, de quibus ſuprà. Deinde cùm Hatta ex Monacho Blandinienſi factus ſit primus Abbas Vedaſtinus, præter Regulam Sancti Columbani, quam Monachi Blandinienſes profitebantur, haud exiſtimamus vllam in Vindiciani diplomate notatam fuiſſe. Priuilegium igitur, quod ex Miræo deſcripſimus, pluribus ſcatet mendis, reuocarique debet ad leges formulæ, quam ex Marculfo iam recitauimus, neque enim inficiamur Priuilegium Monachis Vedaſtinis ab Epiſcopo Vindiciano conceſſum fuiſſe. Commentitia ſunt & ea quæ Chronographus Vedaſtinus ſcripſit de Vindiciano Romam profecto, déque cura Monaſterij Vedaſtini in Summum Pontificem tranſlata. Illis enim temporibus ab Epiſcopis Priuilegia pro Monaſteriis non ſic emittebantur, vt ea deinceps ad Sedem Apoſtolicam nullo medio pertinerent. Fidem igitur detrahunt rebus in Theodorici Regis epitaphio deſcriptis, & munificentiæ quâ Theodoricus Rex & Vindicianus Epiſcopus vſi ſunt, aptari minimè poſſunt hi verſus Leonini, quos eidem epitaphio Neotericus Poëta Vedaſtinus inſeruit,

[a] In Cod. Donat. c. 4.

Regis larga manus & Præſul Vindicianus
Nobis Regale dant & ius Pontificale.

X.

[b] Tract. 1. art. 5.
[c] In Ep. 14.

AIGLIBERTUS EP. CENOMAN. PRIVILEGIUM CUDENDÆ MONETÆ OBTINET A THEODORICO R.

Hoc anno, Theodorici Regis duodecimo, Aiglibertus Cenomanenſis Epiſcopus inſigne Priuilegium obtinuit, quod apud Chopinum libro primo [b] Conſuetudinis Andegauenſis & apud Coruaiſierum in Hiſtoria Cenomanenſium Antiſtitum [c] ita deſcribitur. *Theodoricus Rex Francorum, vir illuſter. Regum conſuetudinem exercemus, ſi petitiones ſeruorum Dei, quæ noſtras aures pulſauerunt, ad exitum perducimus, & per hoc nobis ad æterna beatitudinis præmium percipiendum profuturum eſſe confidimus. Igitur compertum eſſe volumus prudentiæ omnium fidelium, quatenus vir ſanctiſſimus in religione & ſapientia generéque nobiliſſimus Dominus Aigilbertus Cænomanicæ vrbis Archiepiſcopus nos deprecatus eſt vt monetam publicam in ſua ciuitate, in nomine Sancti Geruaſij ac noſtro concederemus.*

Digitized by Google

Quod ita facimus, eâ videlicet ratione, vt ipſe & ſui miniſtri hoc valdè prouideant ne aliqua fraus in ipſa moneta noſtris futuriſque temporibus appareat. Iubentes ergo præcipimus & præcipientes iubemus, vt nullus ex fidelibus noſtris aut quibuſlibet ex iudiciaria poteſtate de præfata moneta prædicto Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus aut rectoribus ſuæ Eccleſiæ aliquam calumniam aut iniuſtam pulſationem vel cauſationem ſiue aduerſam machinationem aduersùs eum vel ſuos ſucceſſores rectores eiuſdem Eccleſiæ vllo vnquam tempore facere audeat aut machinari præſumat; & hoc præcipimus, vt ſi aliquis hoc fecerit, DC *Solidos auri aduersùs eum vel ſuos ſucceſſores aut rectores componat. Et vt hæc iuſſio atque conceſſio noſtra veriùs credatur, per omnia perficiatur, futuriſque temporibus firmior maneat, hanc auctoritatem manûs noſtræ ſubſcriptionibus roborare decreuimus, & annuli noſtri impreſſione ſubter ſigillare iuſſimus. Theodoricus Rex Francorum ſubſcripſi. Benitus obtuli, ſcripſi & ſubſcripſi. Datum Compendio, ſexto Calendas Aprilis, anno duodecimo Regni noſtri, in Dei nomine feliciter. Amen.* In antica numi parte conſpiciebatur caput Theodorici Regis, in poſtica repræſentabatur Sanctus Geruaſius, cuius nomine dedicata erat primaria Cenomanenſis vrbis Eccleſia. Meminit huiuſce numi Claudius *Bouterouë* [a]. AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

[a] Lib. 5.

XI.

CVR DICTVS ARCHIEPISCOPVS ET PRINCEPS EPISCOPORVM.

In prædicto Diplomate Agilbertus vocatur *Cænomanicæ vrbis Archiepiſcopus*, & in manuſcripto Codice, quem Coruaiſierus præ manibus habuit, dicitur *Archicapellanus & Princeps Epiſcoporum*, vſum quoque Pallij perhibetur obtinuiſſe. Caue ne tot Titulorum magnificentiâ decipiaris, & Aiglibertum Vicariatu Sedis Apoſtolicæ per ditiones Theodorici Regis auctum aut ſaltem Metropolitico iure per prouinciam Lugdunenſem tertiam gauiſum credas. Theodorico Tertio chariſſimus erat Aiglibertus, vt olim Theodoberto Secundo & Theodorico Secundo eorúmque auiæ Brunichildi Syagrius Auguſtodunenſis Epiſcopus, de quo copioſè Tomo Secundo. Syagrio & Aigliberto, ni fallimur, par vſus Pallij conceſſus, paria collata Priuilegia, neutri Vicariatus Sedis Apoſtolicæ delegatus aut attributum ius Metropolitæ. Lege quæ de Syagrio fuſiùs ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimumnonum narrauimus. Gregorius Magnus Virgilio Arelatenſi Epiſcopo vſum Pallij conceſſit, Vicéſque Sedis Apoſtolicæ delegauit ſcriptis ea de re literis [b] *die* VI. *Iunij, Indictione* XIII. id eſt, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quinto. Deinde Indictione ſecunda, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-nono vſum Pallij Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo conceſſit ſcriptis ad eum literis quæ fidem rei geſtæ, cùm citabuntur, infrà facient. Virgilius manſit Vicarius Sedis Apoſtolicæ per Auſtriam & Burgundiam, vbi Theodobertus & Theodoricus Secundus imperarunt poſt Childebertum patrem, quo regnante prædictus Virgilius à Gregorio Papa Vicariatum per illa duo Regna ſuſceperat. Gregorius autem, quia Syagrio non Vicariatum Sedis Apoſtolicæ ſed vſum duntaxat Pallij conceſſit, quædam adiecit Priuilegia, ne nudam illius indumenti munificentiam contuliſſe videretur. Qua de re ſic in literis [c] ad eundem Syagrium ſcripſit. *Secundùm poſtulationis tuæ deſiderium, Pallij te vſu, quod intra Eccleſiam tuam habere debeas, ad ſacra tantùm Miſſarum ſolennia celebranda, Deo auctore, præuidimus honorandum.* Et paulò pòſt. *Cuius ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe, hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, vt Metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſeruato, Eccleſia Ciuitatis Auguſtodunæ, cui Omnipotens Deus præeſſe te voluit, poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum ac ordinem ex noſtra auctoritatis indulgentia vendicare. Ceteros verò Epiſcopos, ſecundùm ordinationis ſuæ tempus, ſiue ad conſidendum in Concilio, ſiue ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re, ſua adtendere loca decernimus, & ſuorum ſibi prærogatiuam ordinum vendicare, quia omnino rationis ordo nos admonet, vt cum vſu Pallij aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri Priuilegia debeamus.* En Priuilegia Syagrio conceſſa, quæ nihil affinitatis habent cum Vicariatu Sedis Apoſtolicæ vel cum iure Metropolitico. Alia Aiglibertus Priuilegia non impetrauit, vſu Pallij honoratus eſt

[b] Lib. 4. ep. 50.

[c] Lib. 7. ep. 114. Ind. 2.

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

ad ſacra Miſſarum ſolennia celebranda, inter Epiſcopos prouinciæ Lugdunenſis tertiæ, qui Metropolitæ Turonenſi ſuberant, primum locum obtinuit, atque inde dictus *Archiepiſcopus* & *Princeps Epiſcoporum*, nec ad illam opinionem confirmandam parum valet, quòd etiamnum Cenomanenſis Epiſcopus *primum à Metropoli ſua Turonenſi inter Suffraganeos locum obtinet*, vt Auctores [a] Galliæ Chriſtianæ teſtantur & videre eſt in omnibus Notitiis Galliarum.

[a] Tom. 2. in Ep. Cenom.

XII. ET ARCHICAPELLANVS.

Aiglibertus vocatus reperitur *Archicapellanus*, vtpote qui Regalis Capellæ Preſbyteris aliiſque miniſtris præeſſet. Petrus *Frizon* in Regiorum Archiſacellanorum catalogo, quem, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodequadrageſimo, Galliæ Purpuratæ ſubiecit, Aiglibertum Theodorico Calenſi coætaneum malè finxit, benè autem obſeruauit illius mentionem ab eo inſtitui, *qui de Ricomiri factis & vita commentarium edidit*, id eſt, ab Hugone Menardo, qui vitam ſancti Ricomiri ſeu Richmiri Abbatis in notis [b] ad Martyrologium Benedictinum anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vndetriceſimo ex duobus manuſcriptis Codicibus San-Victorino & Compendienſi concinnauit. Codicem San-Victorinum conſuluimus, contulimúſque cum vita ſancti Ricmiri, quam Ioannes Bollandus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio ex duobus aliis manuſcriptis Codicibus Ripatoriano & Normannico publicauit. Illius vitæ, quam Auctor coætaneus ſuperſtite in viuis Arrio ipſius Ricmiri ſucceſſore conſcripſit, epitomen accipe, veterum Codicum primigeniâ phraſi ſeruatâ.

[b] Lib. 2. d. 14. Febr.

XIII. GESTA S. RICMIRI.

Beatus Ricmirus, Turonici pagi indigena, non exiguis parentibus procreatus, ſed digni germinis digniſſima proles effulſit, decúſque, quod ſumpſit ex genere, felicis vitæ meritis ampliauit. Eâ verò tempeſtate, quando Theodoricus Rex Francis principabatur, & Gilbertus dignus Deo Epiſcopus Cenomanicam regebat Eccleſiam, auditâ famâ prædicti Epiſcopi de Turonico egreſſus eſt, ordinatíſque fraterculis, quos iam in ſuo propria in condita, id eſt, in ſylua, *ſuper fluuiolum ſub ſancta Regula congregauerat, licenter venit Cenomannicum, veniénſque ad iam dictum Domnum Gilbertum Epiſcopum, indicauit ei ordinem ſuæ rei, petiuítque vt daret ei aliquem locum, vbi cellulam ſub ſancta Regula ædificare poſſet, fratréſque aliquos in ea congregaret, & regulariter viuere doceret. Quo præfatus Epiſcopus audito lætatus eſt, atque gaudio magno repletus, Deo immenſas gratias referens, qui de tali viro eum conſolari dignatus eſt. Voluit namque ei tunc memoratus Epiſcopus aliquem locum conſtituere locupletem ad hoc opus perficiendum. Quod ille renuens ait. Non quæro locum locupletem, nec plurimis ædificiis ſublimatum, ſed pauperem, in quo ego pauper pauperem Chriſtum ſequi & imitari merear. At ille ordinauit eum Sacerdotem, & dedit ei licentiam ſua in Diœceſi prædicare, & animas Chriſto lucrari, vtque locum perquireret in quo habitare delectaretur, & quo cellulam conſtruere ſecundùm ſuam electionem vellet; dedit etiam comites reliquos Sacerdotes, qui eum deducerent, atque cum eo pergerent, quò ipſe eligeret. Taliter autem ipſe circumiens diuerſa & paupercula atque inculta loca, peruenit ad vltimum ſuper fluuium Lid *, in loco, qui dicitur modò Turris Dominica, qui tunc incultus erat locus & denſiſſimis frutetis occupatus, ſed aptus aliunde propter conuenientiam atque piſcationem ad ſtirpandum & cellulam inibi ædificandam. Mirabantur tamen illi, qui cum eo ibant, vt quid tam pauperculum atque incultum locum eligeret. Tum ipſi renuntiant hoc Domno Epiſcopo, qui feſtinus miſit ei ea, quæ tunc temporis neceſſaria erant, etiam ampliùs quàm ipſe ſuſcipere vellet,* &c. *Dei nutu inuenit alterum locum, non tamen longè ab eodem loco, ſuper fluuiolum, qui vocatur Gundridus, cuius fontem eius famulus, eo præcipiente Dominóque diſponente, nominauit Gundridus, vnde affluentior aqua, quàm ſolita eſſet, currere cœpit, & poſteà ipſe Sanctus Ricmirus eum manibus propriis curauit, vt abundantiorem aquam emitteret; quod ex nutu Dei eueniſſe nulli dubium eſt, ipſe enim tunc locus eremus erat, & nunquam olim ibi habitatio hominum fuerat, ſed ferarum & beſtiarum. Et vbi tunc erat habitatio ferarum & beſtiarum, modò eſt habitatio ſeruorum Dei & ſanctorum Angelorum conuentus. Reperto autem & emundato præfato loco, mutauit ibi vnà cum conſilio & auxilio*

* *Le Loir*

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

auxilio prædicti Epiſcopi habitationem ſuam. Cui Domnus Epiſcopus operarios & magiſtros omnis generis dedit, qui fabricarent ibi Eccleſiam in honore Apoſtolorum, & Monaſterium conſtruerent Monachorum. Quod & Domino auxiliante, ac prædicto Epiſcopo opem ferente, citò perfectum eſt. Ad cuius Monaſterioli conſecrationem ſupradictus Epiſcopus veniens, non tamen illud conſecrare voluit, antequàm omnia, quæ ipſe adquiſierat, & deinceps acquirere poterat, ſiue quicquid ad eundem locum à bonis & Deum timentibus hominibus ab illo die traditum atque condonatum fuerit, totum ſibi & Eccleſiæ ſibi commiſſæ ſubiectum ac traditum ſolenni traditione fieret. Peractâ autem eâ ſolenni traditione, dedicauit illud in honore ſancti Petri & omnium Apoſtolorum, qui etiam ex rebus ſuæ Sedis Eccleſiæ non modicum adiutorium fecit. Tradidit etiam prædictus ſanctus Ricmirus vnà cum propinquis ſuis cellulam, quam in pago Turonico olim ædificauerat, cum omnibus rebus & appendiciis ſuis, vel quicquid in pago Turonico eodem die habere videbatur, vel deinceps acquirere potuiſſet. His igitur ritè peractis non minùs quàm quadraginta Monachos adminiculo ſæpedicti Epiſcopi fortè congregauit, eóſque regulariter viuere perdocuit, &c. Sæpedictus Epiſcopus accepto conſilio Monaſterium, quod ipſe in honore ſancti Albini ad portam ciuitatis vel ad oſtium ſuæ Sedis Eccleſiæ fecerat, atque pro amore Dei à nouo fundauerat, (hodie parœcia eſt) *in quo Sanctimoniales ſub Regula pij Patris Benedicti viuentes poſuerat, & quod de rebus ſuæ Sedis Eccleſiæ ditauerat, ſub cuſtodia antedicti Sancti, eo tamen ipſam obedientiam inuito ſuſcipiente, eſſe conſtituit, vt Sanctimoniales inibi regulariter viuentes eius doctrinâ & conſilio vitam mercarentur æternam, quoniam eius ſimilem, licèt multos Dei ſeruos haberet ſecum, inuenire minimè quiuit,* &c. *Obiit memoratus ſanctus Ricmirus* XVI. *Kal. Febr. & ſepultus eſt in præfata cellula ſua à ſanctis Monachulis & à reliquis Dei ſeruis,* &c. *Poſt eius obitum quidam ex diſcipulis eius, nomine Arrius, Monachus ex eiuſdem Cœnobio à ſupradicto Epiſcopo ibi Abba inſtituitur & ordinatur, vſque in præſentem diem eamdem regulariter regit, ordinante Epiſcopo, atque ſub eius ditione degens, cellulam.*

Poſtrema periodus non tantùm Auctoris ætatem prodit, ſed & indicat Ai- XIV.
glibertum Epiſcopum Ricmiro Abbati ſuperſtitem vixiſſe, ac priùs obiiſſe quàm vita Sancti Ricmiri ſub Arrio eiuſdem Ricmiri ſucceſſore in literas referretur. Auctor in tota Sancti Ricmiri vita nullum Epiſcopum præter Gilbertum ſiue Aiglibertum nominat, quapropter vbi ſcribit Arrium poſt Ricmiri mortem *à ſupradicto Epiſcopo* Abbatem inſtitutum atque ordinatum fuiſſe, per ſupradictum Epiſcopum non alium intelligit quàm Gilbertum, cuius nomen antè bis expreſſit. Idem autem Auctor, cùm ſubiungit Sancti Ricmiri cellulam ab Arrio Abbate regulariter regi *ordinante Epiſcopo*, teſtatur illâ formulâ ſe minimè de Gilberto loqui cuius antè meminit, ſed de alio qui poſt eundem Gilbertum ſedit. Etenim poſtquàm Gilbertum ſemel ac iterum nominauit, vbi de illo quid aſſerit, addit aliquod epitheton, quo ſignificat ſibi de eodem Epiſcopo ſermonem eſſe. Teſtes hæ locutiones, *quo præfatus Epiſcopus audito,* &c. *Tunc memoratus Epiſcopus,* &c. *Auxilio prædicti Epiſcopi,* &c. *Prædicto Epiſcopo opem ferente,* &c. *Supradictus Epiſcopus veniens,* &c. *Adminiculo ſæpedicti Epiſcopi,* &c. *Officium prædicti Epiſcopi,* &c. *Tunc ſæpè dictus Epiſcopus,* &c. *A ſupradicto Epiſcopo,* &c.

Aiglibertus variis modis editus inuenitur, Aiglibertus, Aglibertus, Ai- XV.
gilbertus, Agilbertus, Egilbertus & Gilbertus. Par eſt ratio Ricmiri, nam qui Claudio Roberto Ricomirus eſt, aliis Richmirus, Richimirus, Ricmirus & Ricimirus dicitur, & à nonnullis malè confunditur cum Richomero ſeu Rigomero vel Rigomaro, de quo nos Tomo primo [a].

[a] An. 541. n. 66. an. 559. n. 9.

In Diœceſi Cenomanica ſub eodem Aigliberto Epiſcopo floruit etiam XVI.
Sanctus Flaccus ſeu Flacellus * Preſbyter inſignis, cuius nomen in ciuitate Cenomanenſi etiamnum celebre. Domicilium cum aliquot Clericis, quibus præerat, elegit prope Monaſterium Sanctæ Scholaſticæ, & Monialium quæ illic erant Pater ſpiritalis exſtitit. Plura de illo non leguntur apud Coruaiſierum & Bondonnetum.

* *S. Flaceau* ET S. FLACELLI.

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

XVII. S. BERCHARII ABB. DERVENSIS. Hoc anno Martyrium ſubiit Sanctus Bercharius Abbas Deruenſis, cuius vitam ex Tricaſſinarum Antiquitatum promptuario ſæpè citauimus. Colitur in Tabulis Eccleſiaſticis decimo-ſeptimo Kalendas Nouembris, ibíque duplici cohoneſtatur titulo, Abbatis videlicet ac Martyris. Vtrùm autem dies ille Martyrio ſit inſignis, an Tranſlatione, iure quis dubitare poſſit. Illo die Tranſlationem notat Molanus in additionibus ad Vſuardum. Hanc ſententiam, cui refragatur Anonymus à Camuzato publicatus, amplectendam ſuadet Aſſo hactenus ineditus, *cùm referat eundem Sanctum Bercharium eo die, quo Chriſti reſurgentis ſolemnitas celebratur, è vita exceſſiſſe anno* 685. vt idem Camuzatus totidem verbis in præfatione ad librum ſecundum Hiſtoriæ S. Bercharij teſtatur. Tomo priore [a] vitam ſeu Paſſionem Sancti Bercharij à duobus Auctoribus, Aſſone ſcilicet & Anonymo, conſcriptam obſeruauimus. Camuzatus, quia in eius manus Aſſo ſeriùs deuenit, Anonymum edidit, apud quem Bercharius vulneratus quidem dicitur, cùm Paſchalis feſtiuitas aut proximè agenda eſſet aut ageretur, ſed non ſtatim extinctus eſt, imò, ſi fides eſt eidem Scriptori, *diutiſſimè angore vulneris morbidus, tandem carne ſolutus, cæleſtis vitæ gaudia exultanti ſpiritu felix petiuit.*

[a] Ad an. 656. n. 7.

XVIII. Vt dies, ſic & annus, quo Bercharius in cælum migrauit, in controuerſiam vocari poteſt. In Deruenſium enim Abbatum catalogo, quem Andreas Ducheſnius in notis ad epiſtolas [b] Petri Venerabilis euulgauit, Bercharius de hoc ſeculo transfertur *poſt viginti & vnum annos*, ex quo donum & Priuilegium à Childerico Rege Francorum accepit. Regium autem Childerici pro Monaſterio Deruenſi Præceptum, cui Leodegarius aliíque Epiſcopi ſubſcripſerunt, actum eſt apud Compendium quarto Nonas Iulias, anno tertio Childerici Regis, vt ex Camuzati notis ad Hiſtoriam Sancti Bercharij patet, vbi legitur integrum, id eſt, quarto Nonas Iulias, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo, quo deſcriptum fuit à nobis Tomo ſuperiore, quia tertius annus Childerici Regis intelligi debet de Regnis Neuſtraſiæ ac Burgundiæ, quæ Childericus Rex Auſtraſiæ ſibi poſt Clotarij Tertij mortem vendicauit, nam Compendium in Neuſtraſia ſitum eſt, & Leodegarius Auguſtodunenſem Epiſcopatum in Burgundia geſſit. Vnde aduersùs Aſſonem concludere eſt Bercharij Martyrium in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum incidiſſe, qui viceſimus-primus poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-primum numerabatur. At Auctor Catalogi ſuprà citati non refragatur Aſſoni, mortem enim Bercharij conſignat *anno Verbi Incarnati* DCL. *&* XXX. *&* V. *tempore Theodorici fratris Childerici.* Sed in eo corrigendus eſt, quòd donum ac Priuilegium, quæ Childericus Rex Abbati Berchario conceſſit, acta ſcribit *anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto.* Illo enim Childericus Rex Auſtraſiæ ſoli dominabatur. Seriùs verò Bercharius Abbas à Childerico Rege pro Monaſterio Deruenſi donum ac Priuilegium accepit, cùm idem Childericus Monarchiâ Francorum potiebatur, vt ex ſitu Compendij ad Neuſtraſiam pertinentis & ex ſubſcriptione Leodegarij Auguſtodunenſis apud Burgundiones Epiſcopi liquet. Textus catalogi talis eſt. *Sanctus Bercharius Abbas Deruenſis Monaſterij anno Domini ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto accepit donum & Priuilegium à Childerico Rege Francorum. Poſt viginti & vnum annos, Sancto Berchario de hoc ſeculo tranſlato Synaulius Abbas ſucceſſit, anno Verbi Incarnati* DCL. *&* XXX. *&* V. *tempore Theoderici fratris Childerici.* Sic autem eſt reſtituendus. *Sanctus Bercharius Abbas Deruenſis Monaſterij anno Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo accepit donum & Priuilegium à Childerico Rege Francorum. Poſt quatuordecim annos, Sancto Berchario de hoc ſeculo tranſlato Synaulius Abbas*, &c.

[b] Lib. 1. ep. 27.

XIX. MARTYRIUM. Sancti Bercharij Martyrium apud Camuzatum ab Anonymo ſic deſcribitur. *Cùm iam Dominus operarium ſuum dignâ donare mercede diſponeret, reſolutionis corporeæ imminens tempus ante dedit agnoſcere. Nam iam Paſchali inſtante ſolemnitate, feriâ quintâ, quâ Cœna Domini habebatur, gregis ſibi commiſſi Pater*

Digitized by Google

ſollicitus Monaſterium puellarum deuotè adiit pro more fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba & conſolationum affamina, hoc quoque eis prædixit, quod de reſolutione proprij corporis diuinitus ſibi notificatum manebat. Scitote, filiolæ, ſupernâ inſtante vocatione, me in hoc vlterius corpore manere nullomodò poſſe, nec mœreatis quaſi Paſtorem ablatum, cùm vos æterno cuſtodi Regíque ſponſatas certâ cordis deuotione teneatis fixum. Nullo igitur corporeo ex me adiutorio ampliùs ſuſtentandas cælecti rectori vt proprias commendo filias. Ad harum ergo conſolationum affamina, cum vehementi vlulatu erumpentes in lachrymas, Pater ſanctus dolorem verbis exhortationum mitigans, valedicens eis & benedicens abſceſſit. Cum Pſalmis autem & Hymnis, peractis omnibus, ad Cœnobium redeundi iter aggreditur, eadem Monachis, pauperibus & peregrinis facturus. Inter ordinandum igitur plurima fortè accidit, vt filiolum ſuum, quem de ſacro fonte ſuſceptum Monachum eſſe ſtatuerat, verbere increpationis, vt moris eſt, feriendum decerneret. Nam hic, vt poſteà claruit, peſſimus & flagitioſus fronte politâ ſub ouina pelle rapacis contegebat geſtamina belluæ. Itaque ex merito ſuæ iniquitatis diabolo cum Iuda proditore traditus indignè ferens doctrinalia Patris obiurgamina, intumeſcente maſculâ ſub pectore bili, contendit inſanus ſanctum virum tradere neci. Denique cùm beatus Pater diurno anxietatis labore non modicè feſſus vnà cum fratribus lectulo reclinatus membra ſopori dediſſet, quia odium incurrit qui arguit triminoſos, idem filius ſathanæ armis impietatis armatus, poſtquàm eum feſſum ſoporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentauit. Nam cultello illum rabidus feriit, & Patris ſanguine manus proprias impudens filius maculauit. Arreptum verò Daguinus, quo Sanctum percuſſerat, ferrum, reatûs ſui conſcius in piſcinam, quæ intra clauſtra Monaſtery tunc temporis habebatur, quamcitiſſimè potuit velut occultandum deiecit. Videres tunc laticem velut tanti ſceleris cognitorem, ferrum in ſe recoeptare expaueſcere. Nam mox vt aquam tetigit, velut leuiſſima plumæ materiei, ſuper aquas mirabiliter natauit. Ipſe autem homicida amens factus Eccleſiam petiit, cruentíſque manibus ſignum pulſare cœpit. Fratres verò vt audierunt ſignum inconſuetâ horâ, cum magna admiratione ſurgentes, & ſanctum virum interfectum audientes ad lectum illius cucurrerunt, ſed adhuc anxietate nutantem in eo ſpiritum repererunt. Comprehenſum igitur prædictum Daguinum fratres ſancto viro obtulerunt, ſcire cupientes quid de admiſſo tanto ſcelere ſeueritas clementiæ eius iudicaret. Denique Sanctus Pater verborum Domini non immemor, quibus Patri pro perſecutoribus ſupplicauit dicens [Pater, ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt] clementer remiſit illi quam in ſe exercuerat culpam. Deum tibi, frater, inquiens, pœnitentialiter placabilem fieri ſtudeto, nam quantùm ad me attinet, omni te liberum impietate remitto. Romam ergo, fili, progredere, vt te hoc ſcelere immunem exhibeat, qui ligandi ſoluendíque poteſtate ſuſceptâ, diuerſis morborum generibus ſubuenit corporis vmbrâ. Egreſſus igitur Daguinus ex præcepto beati viri Romam petiit, vnde poſteà non eſt reuerſus. Beatus verò Bercharius diutiſſimè angore vulneris morbidus, tandem carne ſolutus, cæleſtis vitæ gaudia exultanti ſpiritu felix petiuit. Is fuit glorioſus ad Deum tranſitus beati Berchariј, qui tria in totidem Diœceſibus conſtruxit rexítque Monaſteria, puellarum * vnum in Epiſcopatu Tricaſſino, duo virorum, Altiuillarenſe * videlicet in Diœceſi Remenſi, & Deruenſe * in Diœceſi Catalaunica prope limites Tricaſſinæ. Vixit annos circiter ſeptuaginta ſeptem.

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

* *Pellemonſtier*
* *Haut-Villiers*
* *Monſtier-en-Der*

XX.

Eiuſdem ſancti Berchariј, primi Deruenſis Abbatis, ſepulturam ac Translationem idem Auctor ſic proſequitur. *Ad tanti viri obitum viris vndecunque religioſis confluentibus, ſepultus eſt quodam loco extra Cœnobium, multis inibi, Deo donante, miraculorum pollens effectibus. Sed cùm iam Dominus vlteriùs Sanctum ſuum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo ceteríſque ad tumulum Sancti viri oſtenſis, ſeruis Dei viſum eſt inde corpus beati Patris debere transferri, ac illi inde tranſlatum tumulauerunt retro altare in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quam viuens ipſe ædificauerat, vbi ſuffragantibus eius meritis multa tribuuntur dona populis, ex cuius ſepulchro, longo poſt tempore, oleum pullulans in vas ad hoc*

SEPVLTVRA.

TRANSLATIO.

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

paratum viſum eſt defluxiſſe, cunctis morbo obſeſſis nimiùm, id eſt multùm, *ſalubre.*

XXI. Complurium Abbatum, qui Cœnobium Altiuillarenſe poſt Sanctum Bercharium adminiſtrarunt, perierunt nomina. Nullum extat Abbatiſſarum, quæ puellari Monaſterio præfuerunt, donec funditus dirutum & euerſum eſt. Feliciores extitere Deruenſes Abbates, quorum plerique à Sancto Berchario vſque ad Simonem *d'Yeure*, qui medio ſeculo decimo-quinto floruit, recenſentur in catalogo, quem à Nicolao Camuzato acceptum Andreas Ducheſnius in notis ad Bibliothecam Cluniacenſem publicauit. In illa nomenclatura Sancto Berchario proximus ſucceſſor ſubiicitur Synaulius, de quo ſermo ſub Clodoueo Tertio Rege ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum recurret.

SVCCESSOR.

XXII. Tomo ſuperiore catalogos Epiſcoporum Carnotenſium examinauimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-tertium, quo Malardi obitum, poſt annos Epiſcopatûs duodecim, conſignandum duximus. Eò vſque Chronologiam noſtram, quantùm ad Epiſcopos Carnotenſes attinet, rectè proceſſiſſe remur. Quid de Malardi ſucceſſoribus ſentiamus, hîc accipe, quicquid è calamo ſecus excidit, expuncto [a].

[a] An. 653. nn. 55. 56. an. 666. n. 9. an. 678. n. 17.

XXIII. Poſt Malardum ſedit Lancegiſilus. In hanc ſententiam imus, quia Lancegiſilus Pontificatum annis vndecim geſſit, floruítque regnante Clotario Tertio. De numero annorum, quibus Epiſcopatum tenuit, conueniunt Demochares, Rolliardus, Chenutius. Et in Eccleſia ſancti Carauni prope Carnotum vetus legitur inſcriptio, quæ Baſilicam illam à Clotario Francorum Rege dotatam teſtatur, Lancegiſili Epiſcopi nomine, vt Rolliardus [b] obſeruat, ad latus adiecto.

CHRONOLOGIA EPISCOPORVM CARNOTENS. ABB. S. CARAVNI ET ABB. S. MARTINI IN VALLE.

Hic Auctor, quia Lancegiſilum anno Chriſti quingenteſimo duodenonageſimo ſediſſe putat, prælaudatam inſcriptionem interpretatur de Clotario Secundo, qui regnum ſuſcepit anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quarto, vitámque anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo cum morte commutauit. At Lancegiſilum ſeriùs ad Epiſcopalem dignitatem promotum docet ſeries cùm Epiſcoporum qui Diœceſim Carnotenſem adminiſtrarunt, tum Abbatum qui Monaſterio ſancti Carauni iuxta muros Carnotenſes præfuerunt.

[b] Cap. 13.

XXIV.

XXV. Anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio, cùm Synodus Pariſienſis habebatur, de Promoto facto Epiſcopo Dunenſi queſtus eſt Papulus Carnotenſis Epiſcopus, qui Concilium Secundum Matiſconenſe cum aliis Præſulibus anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quinto celebrauit, vitámque clauſit anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quarto, nam Betharij, qui proximè in Epiſcopatum ſucceſſit, annus ſextus cum anno Chriſti ſexcenteſimo comparatur, vt ex eiuſdem Betharij vita & Chronico Fredegarij ſimul collatis probauimus. Hic Betharius, cùm regimen Eccleſiæ Carnotenſis penes Papulum Antiſtitem erat, id eſt, poſt annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum-ſeptimum *puer* in Franciam ex Italia venit, obiítque *longo iam æuo fatigatus*, vt Auctor vitæ loquitur. Vnde concluſimus vixiſſe illum penè vſque ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-quintum, ſiue vſque ad celebrationem Concilij Remenſis, cui ſucceſſor Berthegiſilus teſte Flodoardo [c] præſens interfuit. Tertio poſt Synodum Remenſem anno migrauit è vita Rex Clotarius huius nominis Secundus. Ei ſuperſtes vixit Bertegiſilus Carnotenſis Epiſcopus, cuius ſucceſſor Malardus Concilio Cabilonenſi ſub Clodoueo Secundo Rege ſubſcripſit. Ergo Pontificatus Lancegiſili cum Principatu Clotarij Secundi non coincidit.

[c] Lib. 2. c. 5.

XXVI. Idem colligimus ex Abbatum Indice, qui Monaſterium ſancti Carauni gubernarunt. Beatus * Caraunus ſancto Dionyſio primo Pariſiorum Epiſcopo coætaneus vixit, Martyrium in Diœceſi Carnotena ſubiit Galliâ ſub ethnicis Romanorum Imperatoribus gemente, ſepultúſque fuit à ſociis prope

* S. Cheron.

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

ciuitatis Carnotenæ ſuburbia, vbi Monaſterium illius nomine conſpicuum hodie cernitur. Abbates antiquiſſimi recenſentur [a] Aper & Dionyſius, quorum hic Præfecturam anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo ſuſcepit, itaut Aper Abbatis officio functus videatur regnante Clotario Tertio, qui Clodoueo patri ſucceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, deſiitque viuere anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono. Ergo locus ille tunc primùm Monaſterio ſiue Abbate ac Congregatione Canonicorum inſignitus fuit, cùm Clotarius Tertius Eccleſiam ſuper ſancti Carauni tumulum priùs erectam amplificauit dotauítque. Id autem Clotarius præſtitit Lancegiſilo Pontificatum gerente, vt patet ex inſcriptione ſuprà laudata, quæ in eadem Baſilica legitur ad parietem Chori. Rolliardus de primo illius Eccleſiæ conditu ſcribit nonnulla, quæ non videntur inter ſe ſatis conſtare, niſi benignâ prorſus interpretatione conſolidentur. Capite decimo, vbi catalogum Carnotenſium Epiſcoporum edit, Papulum commendat, quòd ſancti Carauni corpus è terra primus eleuarit, collocarítque in Eccleſia à ſe conſtructa, quam hodie Abbatiam ſancti Carauni vocant. Deinde capite decimo-tertio, vbi agit de Abbatibus illius loci, Serannum ciuem Carnotenſem eiuſdem Eccleſiæ, quæ poſteà plurimùm aucta eſt, primum conditorem agnoſcit. Hæc autem ſic conciliamus. In eo loco, vbi ſanctus Caraunus ſepultus quieſcebat, Papulus Carnotenſis Epiſcopus Eccleſiam erexit, Seranno ciue Carnotenſi prædiuite expenſas agente. Clotarius Tertius, Rex Francorum, cuius vt & Bathildis matris Regiâ munificentiâ multæ conſtructæ ſunt auctæque reditibus Eccleſiæ, ſpatioſiorem reddidit copioſíſque dotauit prouentibus eandem Baſilicam, vt deinceps illic Abbas cum Canonicorum cœtu Deo famularetur. Eodem tempore primus Abbas inſtitutus eſt Aper, ſuperſtite in viuis Lancegiſilo Epiſcopo, cuius obitus in annum Pontificatûs vndecimum, Clotarij Regis nonum, Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quartum incidit.

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt.

XXVII. A Lancegiſili morte ad Synodum vſque Rotomagenſem, cui Airardus Carnotenſis Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo præſens interfuit, anni quatuor ac viginti duntaxat effluxerunt. Illâ temporis intercapidine duos exiſtimamus apud Carnotum Epiſcopos ſediſſe, Mainulfum videlicet & Theobaldum, quorum ille Pontificatum vndecim [b] annis, hic decem [c] geſſit. In catalogo Democharis, quem Rolliardus & Chenutius ſecuti ſunt, ſancto Caletrico, quem anno Chriſti circiter quingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo mortuum aſſeruimus, proximè ſuccedunt hi ſexdecim Pontifices, *Magobertus*, *Sigoaldus*, *Mainulfus*, *Theobaldus*, *Lancegiſilus*, *Malardus*, *Gaubertus*, *Godebertus*, *Deodatus*, *Dronus*, *Pronius*, *Papulus*, *S. Betharius*, *Berthegrannus*, *Haynius*, *Haygrandus* aliis *Airardus*, qui Concilio Rotomagenſi ſubſcripſit. Quatuor tantùm meminimus, Malardi ſcilicet, Papuli, Betharij, Lancegiſili. Ceteri ſuperſunt à nobis hactenus intacti, *Magobertus*, *Sigoaldus*, *Mainulfus*, *Theobaldus*, *Gaubertus*, *Godebertus*, *Deodatus*, *Dronius*, *Pronius*, *Berthegrannus*, *Haynius*, *Haygrandus* ſiue *Airardus*. E Nomenclatoribus, qui Carnotenſium Epiſcoporum catalogum texuerunt, nemo Sigoaldum proximum Magoberti ſucceſſorem non agnoſcit; idem quoque diceremus de Mainulfo & Theodebaldo, niſi Papulus, de cuius Pontificatu iam locuti ſumus, inter vtrumque medius ab vno Seuertio collocaretur. Ea res nos præcipuè mouet, vt Sigoaldum Magoberti, Theobaldum Mainulfi ſucceſſorem immediatum cenſeamus, arbitremúrque poſt Lancegiſili mortem aſſumptum in Pontificem vel Magobertum cui Sigoaldus ſucceſſerit, vel Mainulfum, cui poſteà ſucceſſor datus ſit Theobaldus. Verùm cùm Magobertus & Sigoaldus annos viginti quinque ſederint, ille tredecim, hic duodecim; nec ab obitu Lancegiſili ad Synodum vſque Rotomagenſem ſpatium tot annorum intercedat, neceſſe eſt recurramus ad Mainulfum & Theobaldum, qui Præſulatum annis vno tantùm ac viginti tenuerunt.

[b] Democh. Rolliard. Chenut. Seuert.
[c] Iidem.

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

XXVIII. Succeſſit igitur in Epiſcopatum Lancegiſilo Mainulfus. Hic per annos vndecim gauiſus eſt Pontificatu, vitámque finiuit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, cùm Dionyſius ab anno Chriſti ſexcenteſimo [a] duodeſeptuageſimo, quo primus Abbas Aper nomine deceſſerat, Abbatiali munere in Monaſterio ſancti Carauni fungeretur.

Mainulfo ſubrogatus eſt Theobaldus. Hic, vt ſuprà iam obſeruauimus, annos ſedit decem, obiitque hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto. De Aitardo eius ſucceſſore, qui Concilium Rotomagenſe cum aliis

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt.

XXIX. Præſulibus anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo celebrauit, non ſemel fiet ſermo. Interim Dionyſius Abbas, qui Monaſterium ſancti Carauni per annos octo gubernauit, è vita diſceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto. Succeſſit in eius locum Balduinus, *qui Prior etiam ſancti Martini in Valle* nuncupatur in auctiore Gallia Chriſtiana.

XXX. Monaſterium illud Sancti Martini in Valle perantiquum eſt. Conditum fertur à quarto Carnotenſis vrbis Epiſcopo, cui nomen Martinus, cognomen Candidus. Abbates habuit, qui modò Monachis, modò Clericis ſeu Canonicis præfuerunt. Poſt varias viciſſitudines hodie Prioratus eſt Ordinis Benedictini, & à Maiore Monaſterio dependet. Illic ſepulti iacent prædicti Martinus aliíque Carnotenſes Epiſcopi, de quibus infrà. Lege Rolliardum [b].

[b] Cap. 13.

XXXI. Sanctæ Aldegundi, cuius mortem anno priori conſignauimus, ſuperſtites vixerunt Giſlenus Abbas Cellenſis & Waldetrudis Abbatiſſa Caſtrilocenſis. *Mutuis ſeſe tum verbis, tum ſcriptis, ad meliora adhortabantur*, inquit vetuſtus Auctor in vita ſancti Giſleni [c], *communi ſententiâ ſtatuerunt, vt in pago Quartemone * in honorem ſancti Quintini Martyris Oratorium conderetur, vbi interdum poſſent inter ſe de cæleſti patria rebúſque diuinis colloqui, mutuóque ſeſe in Domino confirmare. Extructum Oratorium beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo Waldetrudis aſſignauit, vt pauperes ibi reficerentur. Eò pariter ſolebant interdum conuenire beatus Giſlenus & illa, de rebus diuinis & cæleſtibus colloquentes.* Obſeruat Winchantius [d] extare rudera, quæ rotundam figuram deſignant, ſubiungítque annuente Waldetrude in vſum Monachorum Cellenſium ceſſiſſe bona, quæ prius illa prædicto Oratorio contulerat. Hæc mutatio facta eſt poſt obitum ſancti Giſleni, cui Waldetrudis ſuperuixit. Plerique Neotericorum Waldetrudem ex hac vita ſublatam volunt anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo, quia ſancti Amandi mortem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo collocant, aduertúntque ſanctam Aldegundem ſancto Amando, vtrique Waldetrudem aliquot annis ſuperſtitem fuiſſe. Nouem annorum interſtitium, quod à ſancti Amandi obitu ad mortem vſque Waldetrudis conſtituunt, argumento nobis eſt haud inualido, vt obitum Waldetrudis in annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum reiiciamus, nam beatus Amandus, quicquid illi ſcribant, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono rebus humanis ereptus eſt, cui ſuperſtes ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum ſancta fuit Aldegundis; addequòd Waldetrudis priùs mortua creditur, quàm Reliquiæ ſanctæ Aldegundis è Curte Solra Melbodium tranſlatæ ſint, illa verò Tranſlatio facta eſt Idibus Nouembris, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, vt ſuo loco probaturi ſumus. Vt autem Waldetrudem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo, ſic & Giſlenum anno præcedenti, qui fuit à Chriſto nato ſexcenteſimus octogeſimus-ſeptimus, mortuum tenemus. De vtroque infrà.

[c] Ap. Sur. d. 9. Oct.

* Quaregnon

ORATORIVM S. QVINTINI PROPE CELLAM CONDITVM A WALDETRVDE.

[d] In Annal. Hannon. l. 3. c. 14

XXXII. Iacobus Malbrancus in epitomen ad hunc annum multa pereleganter redegit [e], quæ fuſiùs abſque nota temporis in vita ſancti Bertulphi [f] ſic enarrantur. *Sæpè memoratus paterfamilias* Wambertus *coniúnxque eius venerabilis* Homburga, *dum de virtute in virtutem proficerent, exemplóque fidelis famuli* Bertulphi *in dies creſcerent, ſubitandæ etiam prolixæ peregrinationis deſiderio accenduntur. Et primùm vrbem maximam, Apoſtolicis nobilem pignoribus, Romam*

[e] L. 4. c. 22.

[f] Ap. Bolland. d. 5. Febr.

WAMBERTVS ET HVMBVRGA EVNT ROMAM.

Digitized by Google

viſcere animo concupiunt, operéque efficaciter perficiunt. Qui ſuper fideli famulo Bertulpho vſque adeò præſumunt, vt nihil intus foríſque ſuarum rerum relinquerent, quod non illius fidei atque prudentiæ crederent. Nec facile dictu eſt, quàm fideliter, quámque prudenter rebus domi foríſque ſibi concreditis præcauerit. Sícque iter, quod Romam tendit, arripiunt, demúmque ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli perueniunt. Vbi corpus humi, mentem cœlo dedêre, inter lachrymas ac oſcula, anhela trahunt ſuſpiria, & apertis theſauris ſuis ſacroſancta loca non modicis honorant obſequiis & ditant donariis. Qui Apoſtolicâ benedictione inſigniti, expletíſque pro quibus aduenerant, ad propria iam læti reditum maturant. AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

Cúmque diuæ memoriæ Wambertum comitéſque ſuos labor itineris iam confecti fatigaſſet, nec quiſquam inter eos ſub intempeſta nocte cuſtos equis poſſet ſufficere, ac ſuper hoc commilitones ſingulos ſollicitudo non modica tenuiſſet, ſuo ſuggeſſere domino, vt ſe adeò fatigatos, ab excubiis nocturnis relaxaret, equíſque vigiles minùs laſſos accommodaret. Quorum ſollicitudini Bertulphus, ſanctiſſimæ caritatis filius, mox condeſcendit, eíſque in aures Illuſtriſſimi viri hæc verba reſpondit. Ad domini mei imperium vigil ſub hac nocte præbebo obſequium, equóſque integro numero vſque ad lucem in paſcua minabo; integro æquè numero mane eos reconſignabo. Quid multa? Promiſſis effectum dedit, animalia ad paſcua eiecit, totámque ſub dio noctem peruigil tranſegit. Et ecce ex improuiſo apertis cataractis ſuis cælum pluuias dederat, quas terra bibere non ſuffecerat. XXXIII. IN REDITV BERTVLPHVM FAMVLVM SVVM MIRACVLIS CLARVM ADMIRANTVR.

Prorſus cornipedes, pluuiis hinc inde madentes,
Accipiunt triſtem membris torpentibus imbrem.
Diriguere metu, gelidus pauor occupat artus.

Sed miles Chriſti ſpe & fide animatus, nec loco quidem ſe patitur moueri, quia de ſupernis ſperabat vmbraculum in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & pluuia. Nec ſpes feſellit Sanctum, quia non ſine miraculorum gloria, diuinâ eſt gratiâ protectus. Nam, vt diximus, ſanctus vir nec loco paſſus eſt cedere, cùm commilitones eius, qui ſimul tunc in paſcuis erant, non ſolum loco ceſſere, ſed domum quantocyùs tempeſtate repulſi remeauere. Sed vti Illuſtris Wambertus, ſuper fideli famulo ſollicitus, dum ſodales eius à paſcuis remeaſſe, ipſum verò deeſſe conſpiceret, vnum ex officio ad eundem ſub dio adhuc manentem deſtinauit, & vt domum rediret, iterum iterúmque monens imperauit. Cucurrit puer ad imperium domini ſui, peruenítque in præſentiam commilitonis ſui. Vbi erat cernere, in glorificatione Sancti, gloriam Dei, & inauditum ſeculis prodigium miraculi. Nam ignea fax coram ipſo à ſummo cæli ad terras vſque pertingens fulſit, tenebráſque hinc inde fugauit, viróque Dei ſedenti atque in quodam libro ad legendum intento lumen non modicum miniſtrauit. Miræ etiam magnitudinis Aquila caput ipſius obumbrando circumuolitabat, pluuiæque incommodum alis expanſis ab eo fugabat. Sícque duplici miraculo duplex à Sancto Dei incommodum, tenebrarum ſcilicet ac pluuiarum, repellebatur, dum hinc lumine facis ardentis tenebræ, hinc Aquilâ circumuolitante imbrium ab eo tempeſtas arcebatur. Nec immeritò. Quia enim eum duplex armauerat virtus, caritatis ſcilicet & obedientiæ; caritatis quidem, quâ commilitones intimè fatigatos, à labore laxabat labore ſuo; obedientiæ, quâ & in aduerſis Domini ſui paruit imperio; ideo & duplici miraculorum gloriâ diuina ipſum glorificauit gratia. Neque dubium eſt in illa luminis Aquilæque oſtenſione Angelicam adfuiſſe præſentiam, quorum miniſterio tempeſtatis moleſtiam declinauit. XXXIV.

Prædictus igitur puer familiaris, viſo in Dei famulo luminis ac Aquilæ miniſterio, maturato reditu, domino, quod viderat, retulit ſuo. Quibus auditis, nec morâ nec requie retrahitur, donec ad locum vſque, vbi famulus Dei manebat, peruehitur, non ſolùm nouitate miraculi, quod à puero ſuo audierat, ſed etiam commiſeratione in dilectum ſibi Bertulphum illectus. Vbi autem miraculum, quod priùs auribus acceperat, oculis etiam contemplatus eſt, tantò ampliùs ſtupet, quantò manifeſtiùs coram ipſe intuitus eſt; móxque, remotâ poteſtate dominij ſui, proſternitur pedibus famuli ſui, ſeſe reum ſuper nocturna ipſius afflictione, humili verborum & gemituum fatetur atteſtatione. Inde preces replicat, veniam orat veluti reus; qui XXXV.

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

ſi eum ad excubias animalium ſub noctem non dimiſiſſet, nequaquam ſub dio imbrium fuiſſet inundatione vexatus. Num ſatis hic, quicumque hæc legerit, admirabitur, humilem dominum ab humili æquè famulo paulò minùs minoratum, dum ſe dominus famulo proſternit, quem ſanctitate ſe maiorem nouerat? An verò vel iſtius ſanctitatem, vel illius dilectionem, aut prorſus vtrorumque humilitatem, pro dignitate quiſquam prædicauerit? Tantâ namque in vtriſque enituit humilitas, vt dominus famulo, quod domini, famulus verò domino, quod domini erat, impenderet; hic tamen, quia famulus domino ſuo, quod domini erat, debuit, illi in aduerſis etiam obſequendo; ille autem, licèt dominus, famulo ſuo, eò quòd ſe ſanctior erat, id quod domini fuerat exhibuit, ſeſe illi humiliter proſternendo.

XXXVI. *Cernens igitur Wambertus in Sancto cum virtutum gratia etiam ſignorum effulſiſſe gloriam, quantò ampliùs in eo, quod poſſet mirari, inuenit, tantò eum etiam ampliùs diligere cœpit. Cúmque ipſum & admirando diligeret, ac diligendo admiraretur, cur patriam parentéſque reliquerit, blandè ſciſcitatus eſt. Proinde adiecit inueſtigare, cur ipſius ſeſe dominio ſubdiderit, cùm potiùs miniſtrari quàm miniſtrare debuerit; aſſerens ſe potiùs quàm illum oportere miniſtrare, quem ſanctitate & iuſtitiâ ſe cerneret anteire. Hæc & his ſimilia ſciſcitanti patrifamilias beatus Bertulphus reſpondit. Cauſam meæ peregrinationis effecit ratio iuſtæ occaſionis. Nam patria quâ oriundus ſum, quia idolorum culturâ ſorduit, eam mens mea adeò habuit horrori, vt patriâ cum parentibus ſpretâ, aliam alio ſub Sole iacentem adire non timerem. Finitóque peregrinationis meæ labore, optatâ tandem apud vos gauiſus requie, & votorum meorum potitus ſum ſatietate, votorum meorum, inquam, quibus diu multúmque veri Dei cultores cernere concupiui. Quos in hac patria, & inter eos te Deo apprimè deuotum & hominibus benignum tam reperiens quàm experiens, votis me adſtrinxi, me de reliquo penes te manere, & ad imperium tui benè optando, benè famulando pendere. Quibus auditis Wambertus vir venerabilis, tam Deo quàm hominibus amabilis, gaudio non modico exultauit, & eum magis magíſque honorando amauit & amando honorauit. Cúmque pleniſſimè didiciſſet eum Deo totis animæ medullis famulari velle, cœpit & ipſe Spiritu ſancto velle, vt hunc deinceps non quaſi dominus famulum ſed vt cariſſimum amplecteretur filium. Nec ſolùm ille ſed etiam venerabilis eius, quam diximus, coniunx, non minori eum excoluit amore & honore.*

XXXVII. RENTICAM EI DONO TRADVNT. *Cúmque conſpiceret vir clariſſimus Wambertus in ſeruo Dei, & quod admiraretur, & quod diligeret, cœpit eum & admirando diligere, & diligendo venerari; adeò vt quem priùs his quæ domi, deinceps etiam his quæ foris habebat, præficeret. Nec ſolùm rebus ſuis intus foríſque eum præfecit, ſed quarumdam ſuarum rerum temporalium hæredem fecit. Nam prædium ſui iuris, vulgò Rentica * dictum, vnà cum Eccleſiis in illo conſtructis cum appendiciis ipſius illi contradidit, & donatione ſolenniter factâ hæredem ſubſtituit. Quam donationem & illuſtrium virorum teſtimonio & Priuilegiis roborauit, atque ex ſuo iure in ius viri Dei de reliquo poſſidendum delegauit. Suſcepit ergo vir Dei prædium, non ſibi, ſed Deo Deíque pauperibus; ſuſcepit, inquam, non cupiditate captus, ſed caritate in Deum & proximum ductus. Nec cauſſetur quiſquam, virum Dei in ſua patria res proprias reliquiſſe, cùm in dandis accipiendíſque muneribus non quid, ſed quo fructu & detur & accipiatur, perpendi debeat. In hoc ergo verè Iſraëlita, in quo dolus non erat, non quid, ſed quo ſcopo receperit, perpendi debet, quia, vt poſteà indiciis euidentibus claruit, eo nimirum fine, quod datum eſt accepit, vt Dei gloriam & proximi vtilitatem exinde compenſaret.* Et paulò pòſt. *Sanctus igitur Domini Confeſſor Bertulphus ſuſceptâ à venerabili Wamberto, quam antè diximus, poſſeſſione, hoc omni elaborabat ſtudio, vt gloriæ Dei proximorúmque vtilitati adſcriberet, quicquid ſibi in temporalibus ſuppeteret. Satagebat quippe ſic habita poſſidere, quaſi non poſſideret; ſic non habita contemnere, quaſi omnia poſſideret, vt illis annumerari poſſet, de quibus dicitur. Nihil habentes, & omnia poſſidentes. Vnde, vt exutus ſeculo, ſecretiùs Deo vacaret, eò ſtatuit ſecedere, vbi contemplationis viam poſſet arripere. Erant namque in præfato prædio Eccleſiæ numero quatuor, ab Illuſtriſſimo viro Wamberto,*

* Ranty

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

berto, vt dictum eſt conſtructæ, quarum vna reliquis quantitate maior & opulentiâ erat præſtantior. In qua vir Dei, collectis ſecum vndecim viris religioſis, ſeceſſerat, arctioriſque vitæ tramitem arripuerat. Et dignum quidem ſed difficile relatu eſt, quàm piè ibidem adhuc in terra poſitus cum Angelis Dei coram Deo ſit conuerſatus, benè orando, benè ieiunando, benè vigilando, & caritate ad Deum & proximum optimè ſeſe diffundendo. Cuius exemplo quamplures in ſimile ſanctitatis opus ſunt excitati, & cum ipſo in eodem loco viam ingredientes iuſtitiæ, profecere in altum gradibus piæ conuerſationis. Hæc fuerunt apud Renticam ſeu Rentiacum initia Monaſterij San-Dionyſiani, cui Bertulphus ad obitum vſque præfuit. Malbrancus [a] à Bertulpho Monachos ex Aſceterio Bertinenſi Renticam euocatos putat, ídque valdè probabile nobis videtur.

INITIVM MONASTERII APVD RENTICAM.

[a] L. 4. c. 22.

XXXVIII.

In eodem Morinorum Epiſcopatu iacta ſunt hoc anno fundamenta Monaſterij Blangiacenſis, de quo ſic Anonymus in vita ſanctæ Berthæ Abbatiſſæ. *Anno igitur Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo; Agathonis verò Papæ anno ſecundo; Theoderici autem Regis Francorum, filij Clodouei & Bathildis Reginæ, anno duodecimo; in Blanziaco beatiſſima Bertha Monaſterium ædificare cœpit in pago Taruanorum in propria poſſeſſione, quod Domino tribuente cum ſummo honore fine tenus deductum eſt.* Hoc illius vitæ fragmentum aliáque nonnulla publicauit Andreas Ducheſnius [b]. Opus autem integrum penes nos eſt manuſcriptum, ſed multis deprauatum mendis, quarum pleraſque corrigere hoc loco conabimur, de ceteris inferiùs acturi.

APVD BLANGIACVM.

[b] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

XXXIX.

In textu ſuprà deſcripto tres occurrunt Characteres Chronologici, quos inter ſe multùm pugnare certiſſimum eſt. Annus enim Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-ſecundus nec cum anno Agathonis Papæ ſecundo nec cum anno Theodorici Regis duodecimo conuenit, quia Theodoricus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio regnare cœpit, & Agatho Pontificatum iniit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, itaut annus Agathonis Papæ ſecundus & annus Theodorici Regis duodecimus cùm ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo tum à ſe inuicem diſſideant. Porrò cùm quiuis illorum Characterum cum aliorum altero minimè quadret, è tribus eligendus eſt, cuius auctoritas potior tutiórque videatur. Apud Francos in publicis inſtrumentis anni nondum numerabantur ab Incarnatione Dominica, raróque nomen Romani Pontificis apponebatur. Omnium igitur præſtantiſſimus eſt Character, quem Principatus Theodorici Regis ſuppeditat. Eâ ratione permoti, nec anno Agathonis Papæ ſecundo quocum annus Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-primus componitur, nec anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo quem textus ſuprà recitatus exhibet, initia Monaſterij Blangiacenſis illigauimus, ſed ea reiecimus in hunc annum, Theodorici Regis duodecimum, Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimum octogeſimum-quintum. Quapropter omiſſis notis Chronologicis, quas Interpolator ab Incarnatione Dominica, & ab Agathonis Pontificatu petere voluit, Anonymi textum ſic reſtitue. *Theoderici igitur Regis Francorum, filij Clodouei & Bathildis Reginæ, anno duodecimo, in Blanziaco beatiſſima Bertha*, &c.

XL.

BERTHÆ PARENTES.

De parentibus & ortu Berthæ ſic idem Anonymus. *Temporibus Clodouei Regis Francorum fuit quidam vir illuſtris, prudentiâ eminens, bonitate multos præcellens, nomine Rigobertus, qui ob prudentiam & nimiam ſagacitatem ſuam promeruit, vt Palatinus Comes à Rege conſtitueretur, & condignâ veneratione ab omnibus haberetur. Baltidis quoque Illuſtriſſimæ Reginæ de vltramarinis partibus Angli-Saxoniæ exortæ nobiliſſimam neptem nomine Vrſanam idem præfatus Rex venerabili Rigoberto in matrimonium iunxit, beneficiumque maximum delegauit. Nata eſt eis filia, cui nomen impoſuerunt Bertham, quæ interpretatur fulgida ſeu ſplendida, vt ipſo quoque inſimularetur nomine ſplendor bonæ eius vitæ, & futuram meritum ab ipſis incunabulis à Deo amandæ.* Malbrancus [c], vt Bathildem, quam Eadbaldi Cantuariorum Regis filiam dixit, ſic & Vrſanam, quam eiuſdem Bathildis neptem ex Ercumberto fratre Cantij Rege finxit, Regij generis

ORTVS.

[c] L. 3. c. 30.

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

fœminam affirmauit. At ſynchronis Auctoribus innixi Bathildem loco longè inferiori natam probauimus [a], nec eâ quis Vrſanam natalibus illuſtriorem debet arbitrari. Suſpicamur etiam apud Anonymum, vbi Vrſanam Bathildis Reginæ neptem vocat, neptem vſurpari pro conſanguinea, nec deſunt in his Annalibus exempla, quibus hæc interpretatio propugnetur. Malbrancus in notis [b] ad Tomum primum de Morinis ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto Clodoueum Secundum Dagoberto Patri ſufficit, *& eo pariter anno* Bertham in lucem editam ſcribit. Sex annis citiùs in Neuſtriam Burgundiámque Dagoberto Patri ſucceſſit Clodoueus Secundus, vt ſæpiùs probatum eſt atque inculcatum ex Fredegario benè explicato. Bathildem in vxorem accepit idem Clodoueus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-nono, nec opinamur Rigobertum virum illuſtrem de ducenda Vrſana propter vilem eius fortunam priùs cogitaſſe. Berthæ igitur Natiuitatem in annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum reiicimus, nec ſeriùs differendam putamus, anno enim pòſt viceſimo Bertha Sigifrido nupſit, eíque peperit quinque filias, quarum tertiam, nomine Emmam, in coniugem ſibi ſociauit Rex Anglo-Saxonum, ſuperſtite tum in viuis Theodorico Tertio, Francorum Monarchâ, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum incidit.

[a] Ad an. 648. nn. 34. & ſeqq.
[b] Nota 77.

XLI. NVPTIÆ, De Berthæ nuptiis ſic Anonymus in eius vita. *Poſtquàm beata Bertha ad octauum-decimum peruenit annum, fama eius longè latéque in Gallia percrepuit, vt nulli talis ætatis puellæ æquanda putaretur. Tunc Sigifridus conſanguineus Regis Clodouei, vir ſtrenuiſſimus, compertâ famâ eius, aſſumptis ſecum militum turmis, atque Procerum Galliæ conſtipatus copiâ, præfatum Rigobertum Comitem adiit, bonitatem ipſius obnixè flagitans, quatinus ſibi non denegaret filiam ſuam dilectam Bertham legitimo iure deſponſandam, vtque adoptiuum filium in cunctis ſpopondit ſe obediturum. Cunctum etiam legitimum ordinem dotis, vt Lex Francorum continet, promiſit ſe fideliter daturum; inſuper quidquid conſanguineorum res ſecundùm morem ritè expeterent, voluntariè largiturum. Venerabilis igitur Rigobertus nutu Dei inſtinctus, in omnibus, quibus expetebatur, aſſenſum præbuit, conſtituítque diem, in qua illuſtris Sigifridus filiam ſuam legitimo ordine ſibi adipiſceretur ſponſam. Poſt non multa verò dierum curricula, iuxta condictum amborum, acceptam ſpecioſiſſimam ſponſam Comes Sigifridus comitatu honorifico conſtipatus, vt erat non ſolùm genere clarus, ſed & facultatibus prædiues, omnibus ritè ordinatis, duxit in domum ſuam. Erat autem beatiſſima Bertha annorum* XX. *quando in matrimonio iuncta eſt.* Nupſit igitur anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo.

XLII. PROLES, *Nata ſunt autem ex ea filiæ quinque. Prima Gertrudis, ſecunda vocabatur Deothila, tertia Emma, quarta Geſa, quinta nuncupabatur Geſla.* Et inferiùs. *Geſla cæleſtis ſtemmatis gemma, Geſa quoque digniſſima Dei margarita in albis pretioſiſſimas Domino animas reddiderunt.* Bertha, ſuperſtite Sigifrido coniuge, parentes ſuos Rigobertum & Vrſanam amiſit. *Defunctis verò vtriſque parentibus*, inquit idem Auctor, *beata Bertha voluntate ſpontaneâ diuiſit proprietatem ſuam cum Angla ſorore ſua, de alia matre progenita, quæ etiam maturis moribus Deo valdè deuota exiſtens multis inpoſterum exemplum ſuæ bonitatis reliquit. Fuit autem Dei electa Bertha vnà cum Domino ſuo annis* XX. *mundiali Domino caſtis amplexibus adhærens.* At ſimplex x, loco duplicis hîc legi debet, vt Sigifridus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo mortuus aſſeratur, neque enim ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum peruenit, ſiquidem Bertha, cùm orbata eſſet viro, Blangiacenſe Monaſterium anno Theodorici Regis duodecimo ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto inchoauit. Malbrancus aliam init Chronologiam, annum enim Theodorici Regis duodecimum, quo cœptum eſt Blangiacenſe Monaſterium, cum anno ſecundo Agathonis Papæ & anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo comparat, & Bertham, cuius ortum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto illigat, toro Sigifridi ſociatam vult anno pòſt duodeuiceſimo ſiue anno Chriſti ſexcen-

Digitized by Google

teſimo ſexageſimo-ſecundo, & cum viro manſiſſe annos duntaxat ſeptemdecim incompletos ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum. Cur autem annum Theodorici Regis duodecimum cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo componat, & à nobis quinquennio diſſideat, obiter aduerte. Dagoberti Magni mortem, quam anno Chiſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo conſignare debuit, in annum Chriſti ſex-teſimum quadrageſimum-quartum reiecit, Fredegario malè intellecto. Deinceps à nobis integro ſexennio præuertitur, donec Clotarij Tertij Principatum, quem poſt Clodouei Patris mortem ad annos vſque quatuordecim prorogamus, quadriennio circumſcribat, tunc enim quadriennio nos anteuertit, iſtúdque quadriennium ad quinquennium poſteà producit, quia Childerici Secundi Monarchiam, quæ quatuor annorum fuit, triennio claudit.

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

XLIII.

Completo vitæ curſu, Dominus Sigifridus obiit, feliciter migrans ad Dominum, ſepultúſque eſt honorificè iuxta Eccleſiam ſuam in villa ſua Blanziaco. Tum verò beatiſſima Bertha totam ſpem ſuam Deo committens, ad Omnipotentis Dei ſeruitium ſe contulit, pretioſiſſimos apparatus depoſuit, ac ſacro ſe Sanctimonialis habitûs velamine velare non diſtulit. Ab obitu Sigifridi ad primordia Monaſterij Blangiacenſis effluxerunt anni quinque. Illam temporis intercapedinem ſic deſcripſit Anonymus. *Bertha diuinitus admonita poſt exceſſum ſancti Sigifridi ſagaci animo cogitare cœpit, qualiter in ſua poſſeſſione poſſet conſtruere Eccleſiam in honore Ieſu Chriſti Domini noſtri eiúſque Genitricis beatiſſimæ ſempérque Virginis Mariæ, quod ita ſtudioſo opere conata eſt implere. Tunc primitus cœpit vnam conſtruere Eccleſiam, & ibidem aliquam Sanctimonialium congregationem ad Dei laudem aggregare, quæ ob aliquam. . . . . . . antequàm perficeretur funditus ad terram corruit. Tunc in alio loco aliam ſub omni feſtinatione reparare non diſtulit, & ad perfectionem vſque perduxit, excepto conſecrationis officio. Tunc ad quamdam propriam ſuam villam nomine Chirei *, quæ* XXX *millibus à ſuo Monaſterio diſtare videtur, ad aliquam ſuam familiarem amicam, nomine Rottrudis *, veniens, quæ coniux dignoſcebatur eſſe fratris ſui Domini Sigifridi, quatinus cum illa aliquam de præfata Eccleſia haberet conſolationem, contigit dum de hoc ſermocinarentur, maximâ ruinâ prædictam corruiſſe Eccleſiam, & ſonitus illius ruinæ ad aures cordis eius perueniſſe. Illa autem ſonifero prægrauata corde, toto corpore expaueſcens contremuit. Quam beatiſſima Roctrudis illicò ſollicitâ mente inquiſiuit, dicens. Quid eſt, domina, quòd tam nimio pauore tuum concuſſum eſt corpus? Illa reſpondens dixit. Ingens ſonitus ad cordis mei aures ita peruenit, vt propiùs ſtarem, vbi mea corruiſſet Eccleſia. Dum certè inter ſe finem impoſuiſſent collocutioni, & vtraque debuiſſet ad ſua remeare loca, nuncius celerrimo peruenit curſu ad piiſſimam Bertham ei certiſſimè nuncians ſui Monaſterij collapſionem. Tunc illa agnoſcens, quæ anteà ei diuinitus fuerant reuelata, præfati Monaſterij ruinam, gratiferas inter ſe Domino referebant actiones. Deinde beata Rottrudis ſapienti conſilio cœpit piiſſimam Bertham conſolari dicens. Spero, ſoror, alium locum elegiſſe Dominum ad ædificandum ſibi aptum Oratorium, ideóque debemus illius vigilanter obſecrare miſericordiam orationibus ac ieiuniis, vt ipſe illum ſuâ gratuitâ clementiâ dignetur demonſtrare locum, vbi ad ſuum famulatum opportunum voluerit conſtitui Monaſterium. Tunc beata Bertha beatam rogabat Rottrudem, vt ipſa in ſuo Monaſterio agili precatu obnixéſque ieiuniis Domini pietatem de ſtabilitate ſuæ Eccleſiæ flagitaret, condicto namque triduano ieiunio Domini implorabant miſericordiam, quatinus ſibi in propria poſſeſſione dignaretur locum demonſtrare conſtruendi aptum Monaſterium, diuinis officiis congruentem & Deo ſeruientibus opportunum. Tertiâ autem nocte, quæ luceſcebat in die tranſacti ieiunij, reuelatum eſt cuidam artifici beatæ Berthæ, Angelicóque nutu deſignata ſunt fundamenta Baſilicæ in modum Crucis formatæ in amœniſſimo loco Blanziaci oppidi ſecus fluuium Thena * nuncupatum, piſcium copiâ redundantem, Monaſterij diuerſis habitationibus aptiſſimum. Sancta verò ac piiſſima Bertha ex Angelica viſione lætiſſima effecta gaudens peruenit ad demonſtratum locum, & ita inueniens ſecus prædictum fluuium quatuor lapides in modum Crucis poſitos, & quaſi*

* Malbranco *Kiery*

* *Rictrudis*

COLLOQVIA CVM RICTRVDE ABBATISSA MARTIANENSI.

* *Le Ternois*

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

cum baculo in rore deſignata fundamenta, diſpoſitis illicò murorum cæmentariis, plurimis adiunctis operariis Monaſterij fabricæ ſtrenuiſſimè inſtabat. Viuebat tum Rictrudis Abbatiſſa Marchianenſis, de cuius obitu poſt triennium verba facturi ſumus. Eidem Rictrudi vir fuerat Adalbaldus, de cuius nece ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quintum [a] Tomo ſuperiore dictum [illegible] Adalbaldo fratrem fuiſſe Sigifridum Neoterici non pauci ſcribunt, inniti videntur Anonymo ſuprà citato, cuius auctoritas in multis locis haud tuta. *Villa Kiery* apud Malbrancum [b] *abeſt Blangiaco 30. paſſuum millibus, Bellomontio Duaceno proxima, ídque temporis millia paſſuum videntur ad mediam leucam excreuiſſe.*

[a] Nn. 1. & ſeqq.
[b] Lib. 4. c. 18.

XLIV. Anonymus à Monaſterij conditu ad eius dedicationem ſtatim tranſit. *Theoderici*, inquit, *Regis Francorum, filij Clodouei & Batildis Reginæ, anno duodecimo in Blanziaco beatiſſima Bertha Monaſterium ædificare cœpit in pago Taruanorum in propria poſſeſſione, quod Domino tribuente cum ſummo honore fine tenus deductum eſt. Compoſitis quoque omnibus, quæ ad ornatum ordinémque Monaſterij conſeruandum poſcebat piiſſima Bertha, conuocauit in vnum venerabiles Epiſcopos ad præſcriptum Monaſterium dedicandum.* Et paulò pòſt teſtatur *ipſum Templum* dedicatum fuiſſe *in lætitia atque veneratione maxima, in honore Genitricis Dei Mariæ, quinto Idus Ianuarij*, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, qui præditus fuit literâ Dominicali B. Monaſterio necdum dicato ſeſe incluſit Bertha cum tribus, quæ ſuperant, filiabus, Gertrude, Deotilâ, & Emmâ. *Duæ*, nempe Gertrudis & Deotila, *vno ardore conuerſæ optimo propoſito bonæ conuerſationis exemplum piiſſimæ matris imitantes ſtudioſè contra diaboli occultas inſidias decertauerunt, ac fortiter perſtiterunt à Domino in perpetuum coronandæ. Emma autem in laico habitu bonæ indolis ætatem gerens carè nutriebatur cum omni diligentia inter ceteras ſorores ſuas.* Agemus poſt triennium de Ruotgario, qui Gertrudem in vxorem ſibi ſociare voluit.

XLV. Per illa tempora florebat Bertuinus Monaſterij Malonienſis in honorem beatiſſimæ Virginis ad dexteram Sabis ripam in Epiſcopatu Traiectenſi conditor, qui ſuarum virtutum eximiis ſplendoribus Odoarium ſiue Odoacrum Floreffiæ * Dominum, deinde Pippinum in admirationem rapuit. Patriâ Scotus ſiue Hibernus fuit. Sancti Furſei diſcipulis annumeratur à Colgano [c]. Quinque villas à Pippino, cui commendatus ab Odoario fuerat, in voti ſui propoſitum accepit, & ob illam donationem cum quinque pingitur Eccleſiis. Cùm vltimam Monaſterio manum adhibuiſſet, illúdque religioſo Monachorum cœtu compleuiſſet, ipſe tuguriolo ſe clauſit proximè Templum, diuinis rebus deinceps liberiùs operam daturus. Obiit tertio Idus Nouembris, eóque die colitur à Malonienſibus, qui feſtum ſancti Martini Turonenſis Antiſtitis in diem ſequentem transferunt. Quieſcit in Cœnobio Malonienſi *. *Aiunt ſacro illic cœtui præfuiſſe primùm Præpoſitos & Decanos, tum Priores, ſed anno denique milleſimo ducenteſimo primo creari cœptos Abbates*, quorum Catalogum ad noſtram vſque ætatem texuit Bartholomæus Fiſenus in Floribus Eccleſiæ Leodienſis. Lege illum Auctorem ad diem vndecimum Nouembris, necnon Molanum ad eundem diem in Natalibus Sanctorum Belgij.

* *Floriffe*
[c] In Append. ad vit. S. Furſei c. 6.
BERTVINVS CONDITOR MONAST. MALONIENSIS.
* *De Maloigne*

XLVI. Amalfridus vir prædiues, Monaſterij, quod in Hunonis curia ſiue in Hunulfi vel Hinilfi curte conſtruxerat, donationem Bertino Abbati Sitiuenſi eiúſque ſucceſſoribus ſub certis conditionibus à ſe factam, traditione ſui Teſtamenti confirmauit. Id affirmant Miræus in Originibus [d] Benedictinis & Malbrancus libro quarto [e] de Morinis, ſed de anno quo Teſtamentum illud datum eſt, haud conueniunt. Miræus, qui Chronicon Iperij manuſcriptum citat, annum vndecimum Theodorici Regis appoſitum ſcribit. Malbrancus verò, qui Sitiuenſium membranarum auctoritate nititur, annum duodecimum Theodorici Regis in eiuſdem Teſtamenti ſubſcriptione legi teſtatur. Vt autem membranis Sitiuentibus potiorem quàm Iperij Chro-

[d] Cap. 31.
[e] Cap. 19.

Digitized by Google

nico fidem habendam putamus, ſic & hoc loco Malbrancum Miræo præfe- AN. CH.
rendum arbitramur. Apud Miræum Iperius in Chronico Bortinenſi manu- 685.
ſcripto ſic habet. *Quidam vir Amalfridus nomine, Monaſterium in ſua proprie-* THEO-
tate conſtruxerat, in pago Cameracenſi, ſupra fluuium Scaldim, in loco vocato Hinilſi-
curte, in quo Monaſterio filiam ſuam Aurianam fecerat Abbatiſſam. Hoc Monaſte- DOR. III.
rium cum ſuis pertinentiis ipſe Amalfridus beato Bertino donauerat, eo tamen tenore, R. 12.
vt ipſe & filia eius Auriana eundem locum, quamdiu viuerent, tenerent, ſed poſt MON. HV-
vtriuſque obitum ſanctus Bertinus eiúſque ſucceſſores hoc haberent, tenerent, & NOCVRTEN-
quemcumque vellent, eidem proponerent. Quam donationem Amalfridus Priuilegij SE.
ſui traditione firmauit, quod ſic incipit. Quantum intellectus ſensûs humani, &c.
Actum Veromanduis, Februarij die octauo, anno XI. *Regni Theoderici Glorioſiſſimi*
Regis. Malbrancus, vbi agit de illa donatione, verbis membranæ Sitiuen-
ſis vtitur, aſſeritque totum negotium eâ lege tranſactum, vt Amalfridus &
eius filia, quamdiu in viuis eſſent, res ipſas quas contradebant, *in precaria*
ſancti Petri Sitiuenſis tenerent, id eſt, rebus ipſis fruerentur, ſed eas alienare
non poſſent. Precaria enim propriè dicebatur libellus, quo quis res Eccle-
ſiæ vtendas ſibi dari rogabat, vt Præſtaria vocabatur epiſtola, quâ Epiſcopus
vel Abbas rem Eccleſiæ concedebat. Vtriuſque formulas ex Marculfo ad
annum Chriſti quingenteſimum ſexageſimum-quartum [a] Tomo ſecundo re- [a] Num. 43.
tulimus. Ex verbis membranæ Sitiuenſis ſuprà citatis Malbranco multùm
auctoritatis accedit, plùs adhuc ex hiſce Teſtamenti ſubſcriptionibus. *Actum*
in Veromandis, quod fecit menſis Februarius dies VIII. *in anno* XII. *Regni Do-*
mini noſtri Theodorici Glorioſiſſimi Regis, Amalfridus hoc Teſtamentum à me factum
relegi & SS. Ego Auriana Abbatiſſa conſentiens SS. S. Adalfridi. Wlfoaldus. Nina-
tio, Angabertus, Hildramnus, Erchanfridus, Signius. Waraulfus Diaconus. Vlitma-
rus, Craſmarus, Dudonus, Bruno, Ermenfridus. Conſtantinus. Giſlefridus Centena-
ſius. Gerfridus. Balſtrantus. Bladardus rogatus hoc Teſtamentum & ſubſcripſi. Scri-
ptum eſt igitur hoc Teſtamentum anno duodecimo Theodorici Regis, id eſt,
hoc anno, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo-quinto.

Fuit Cœnobium * Hunocurtenſe ſexûs vtriuſque, à prima inſtitutione, & XLVII.
à Vindiciano Cameracenſi Epiſcopo conſecratum, adſtante cum aliis Lam- * Huncourt
berto Traiectenſi Pontifice, ſic enim Baldericus libro primo [b] Chronici Ca- [b] Cap. 26.
meracenſis ſcribit. *Vindicianus in vico, qui à Sede Cameracenſe ferè* VII. *mili-*
bus diſtans, vocabulum Hunolcurth ab antiquis accepit, Monaſterium, accerſitis ſe- DICATVR.
cum non paucis Coepiſcopis, vnáque etiam beato Lantberto Leodecenſe Martyre pre-
tioſiſſimo, ad laudem Dei & venerationem ſancti Petri conſecrauit, ibíque Clericos
& Sanctimoniales conſtituit. Idem Auctor libro ſecundo [c] rurſum de illo Mo- [c] Cap. 10.
naſterio ſermonem facit. *Tranſeamus*, inquit, *ad Monaſterium ſancti Petri in*
villa Hunulcurt, vbi ſanctam Pollinam requieſcere ſcripto comperi. Hoc nimirum
illuſtris vir, Amalfridus nomine, cum vxore Childebertana fundauit, deputatíſque Sanc-
timonialibus filiam ſuam Aurianam præfecit, fuítque olim religione florens & opibus.
Miræus in Chronico [d] Ordinis Benedictini ſiue in Originibus Benedictinis [d] Cap. 31.
hoc Monaſterium collocat *in Diœceſi quidem Cameracenſi ſed in ditione Regni*
Galliæ, id eſt, Franciæ, *ad Scaldim fluuium tertio lapide à Cameraco.* XLVIII.

Baldericus, poſtquàm egit de conſecratione Eccleſiæ Hunocurtenſis, idem * Eſquauere
caput viceſimum-ſextum libri primi ſic abſoluit. *Poſteà verò vir Domini* Vin- ORATO-
dicianus Cameracenſis Epiſcopus *in villa Squauia* *, *ſuo videlicet prædio, in* RIVM S.
Oratorio quidem Sancti Martini aliquandiu conuerſatus, ſacris operum indiciis non MARTINI
parum claruerat, creberrimíſque collocutionibus, exhortationibus, Apoſtolicis præ- IN VILLA
dicationibus multos inibi ad normam vitæ ſalubris exequendam excitauerat. Illo SQVAVIA.
loco delectabatur ob viciniam proximi montis, in quem ſæpè adoleſcens * Le Mont S. Eloy
cum Sancto Eligio ſeceſſerat, è cuius nomine mons ille dictus eſt à poſte- XLIX.
ris Eligianus. *

Lambertus Traiectenſis Epiſcopus, qui dedicationi Hunocurtenſis Eccle- TAXANDRI FIVNT
ſiæ præſens interfuit, à vitæ Scriptoribus plurimum laudatur, quòd Epiſco- CHRISTIANI.

Digitized by Google

AN. CH. 685. THEODOR. III. R. 12.

patui redditus, vt ante quadriennium diximus, Euangelium Paganis imperterritus annuntiarit, & vniuerſam Taxandriam ab idololatriæ errore ad Chriſti fidem perduxerit. *Quodam tempore*, inquit Godeſchalcus, *Teſſandriam, quæ erat ſua prouidentia Paſtoralis pars non infima, ingreditur, cui hactenus Chriſtum cognouiſſe originalis idololatria prohibuerat, à primordio enim ortûs ſui illam ſic occupauerat, vt crederet mundum non niſi per idola potuiſſe creari, & eorum ſolo regimine gubernari. Hic vir ſanctus plurima idolorum ſimulachra & templa deſtruxit, abhorrens Parochiam ſuam illâ diuerſitate variari, vt alterno ritu, in vno loco idololatria ſorderet, in altero Chriſtianus cultus fideliter & feliciter floreret. Chriſti itaque charitate accenſus, & fidei eius teſtimonio non militari armaturâ communitus, omni idololatriæ errore ſublato, fremitum gentilium oppreſſit, & prædicato eis ſanctæ Trinitatis nomine, hactenus inaudito, innumeras infidelium turmas de mendacio conuertit ad veritatem, de gentilitate vocauit ad Chriſtianitatem, de diabolo adduxit ad Chriſtum. Illi autem, qui primitus in initio ſuæ euocationis, quam putabant eſſe ſeductionem, feraliter eum diſcerpere voluerant, poſtmodum Sancti viri attendentes fixam in eo, quod cœperat, conſtantiam, deſperauerunt ſe poſſe eius obuiare veritati, quâ Chriſtum loquebatur, & obluctari eius virtuti, quam contra eos viriliter defendebat. Igitur à feritace ſua cœperunt emolliri & à rabie cordis manſueſcere, & his, quæ dicebat nouus prædicator, auditum inclinare, & cordis intelligentiâ paulatim deguſtare. Sic beatus vir de compreſſa eorum feritate iam ſecurior & hilarior Euangelicis ſermonibus eos erudiuit, quomodo errorem, cum quo coaluerunt, repudiarent, & quomodo Chriſto & fidei eius nunc noui tyrocinij ſui rudimenta dedicarent, & poſtmodum vt fortiſſimi milites in Chriſti acie ſtarent, propellentes à ſe incurſus inimici dolentis contemptâ idololatriâ iam non eſſe illos portionem ſuam. Sacrilego itaque ritu barbarorum demolito, fœtorem idololatriæ odore ſuauiſſimo, quaſi ex aromatibus confecto, reſperſit, & in fragrantiam appetibilem commutauit.*

L. VBI SITI.

Quam regionem Godeſchalcus *Teſſandriam* dixit, alij, *Taxandriam* vocant. De illius prouinciæ ſitu, magnitudine, ac falſa religione ſic ſcribit Nicolaus Canonicus Leodienſis in vita Sancti Lamberti. *Regio, cui Taxandria nomen eſt, quæ à Traiectenſi oppido versùs Septentrionem vix tribus miliaribus diſparatur, necdum Euangelicæ gratiâ prædicationis cognitâ, idololatriæ cultu ſordebat. Hæc ſiquidem vaſtis & ferè continuis paludibus obſita, & ob id ne finitimis quidem aliquo commercij iure tunc ſatis nota & peruia, multitudinem agreſtis populi in ſe continebat, cuius mores barbaros ipſa etiam ſolitudo & ſuperſtitio efferauerat.* Lambertus Traiectenſis Epiſcopus, cui Deus conuerſionem gentis adeò barbaræ reſeruarat, Taxandrorum Apoſtolus à poſteris dici meruit, & Taxandri Traiectenſi ſeu Leodicenſi Eccleſiæ ſubditi fuerunt ad nuperam vſque Epiſcopatuum in Belgio multiplicationem. Bartholomæus Fiſenus veterem Taxandriam hodiernam Campiniam * interpretatur, ſed hæc illi adæquatè non reſpondet, ídque palam ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum docebimus ex annotationibus, quas Aubertus Miræus in Codice [a] donationum Teſtamento Sancti Willibrordi ſubiecit.

* *la Campine*

a Cap. 8.

ANNVS CHRISTI 686.

THEODORICI III. R. 13. 6.

I. VIGILIVS EP. AVTISSIOD. MARTYR.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto Vigilius Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cùm ſediſſet annos viginti quinque, menſes quinque, Martyrium ſubiit quinto Idus Martij, quo die ſolemnis eius feſtiuitas [a] celebra-

a Martyr. Gallic.

Digitized by Google

tur. Tanti Pontificis obitum ac ſepulturam Chronographus Autiſſiodorenſis ita deſcripſit [a]. *Vigilius ſedit annos* XXV. *menſes quinque. Fertur de eodem ſancto viro veridicâ relatione, quòd iubente Waratone Principe Palatij, qui Ebroino in eodem Principatu ſucceſſerat, in Cotia ſylua Martyrium ſit perpeſſus. Imitatus videlicet eſt eundem anteceſſorem ſuum Ebroinum, qui olim Sanctum Leodegarium Auguſtodunenſem Epiſcopum gladio animaduerti præceperat. Martyrizatus eſt autem Sanctus Vigilius ſub die* v. *Iduum Martiarum. Cùm autem ſacrum corpus eius ad propriam veheretur vrbem contigit eius tranſitum per vrbem fuiſſe Senonicam, cúmque pertranſiſſet quandam domum, quâ rei vincti catenis tenebantur, ſubitò omnia vincula dirupta ſunt, ſícque miſerorum turba ergaſtuli illius noctes euadens, ſacri cœpit corporis exequiis deſeruire; extant hodiéque in teſtimonium tanti miraculi eædem catenæ ſacro eius inhærentes ſepulchro. Sepultus eſt autem in Baſilica ſanctæ Dei Genitricis, quam ipſe conſtruxerat.* Non inficiamur Waratonem Ebroino in Maioratum domûs Regiæ ſucceſſiſſe, ſed Authorem cædis illatæ Sancto Vigilio non putamus, quia pius à pleriſque, crudelis à nemine prædicatur, Addequòd iuxa noſtram computationem Warato priùs obiit, quàm Vigilius neci traderetur. In Chronologia Monachi Altiſſiodorenſis, quam Nicolaus Camuzatus publicauit, de Vigilij Martyrio altum eſt ſilentium. Si fides eſt Andreæ Sauſſaio [b], *ſanctiſſimus Præſul, quòd impia* Ebroini *ſcelera vigore ſacerdotali redarguiſſet, ab Warachone ab illo miſſo ſicariorum duce, cùm ab aula rediret, dirè ac impiè trucidatus, redditâ Deo animâ, aureolam gloriæ obtinuit perennem.* At Ebroinus iampridem interierat. Vigilium igitur arbitramur, aut nemine aut Berthario Maiore domûs impellente trucidatum fuiſſe à Warachone, cuius nomen factâ vnius literæ mutatione facilè abierit in Waratonem, vnde Neotericis data ſit occaſio Waratonem Maiorem-domûs temerè calumniandi. Poſt Martyrium Sancti Vigilij vacauit Epiſcopatus Autiſſiodorenſis diebus quinque, donec creatus eſt Scopilio, qui Præſulatum tenuit annis octo, & primariæ Baſilicæ Sancti Stephani quædam vaſcula argentea contulit. Tunc autem Monaſterium Sancti Germani regebat Tetricus, qui poſteà eidem Scopilioni in Epiſcopatum ſucceſſit. Lege Hiſtoriam [c] Epiſcoporum Autiſſiodorenſium. Per hæc tempora Bertharius, qui Waradoni ſucceſſerat, Maioratum-domûs gerebat in Neuſtria & Burgundia, iámque Francorum odium in ſe adeo concitarat, vt ab eo plerique deficerent & tranſirent ad Pipinum, penes quem regimen erat Auſtriæ. *Indignantes Franci, Audrannus, Reolus, & alij multi, relinquentes Bertharium ad Pippinum per obſides coniunguntur, amicitias copulant, ſuper Bertharium vel reliquam partem Francorum concitant.* Ita tradit Anonymus in Hiſtoria [d] Francorum iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta, Francorúmque nomine Neuſtraſios & Burgundiones intelligit. Non poſſumus iis aſſentiri, qui Reolum, cuius hîc mentio fit, Epiſcopum Remenſem ſuſpicantur, nam Remi poſt Ebroini necem ad Auſtraſiam, hoc eſt, ad Præfecturam Pippini iamdudum redierant.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

[a] C. 22.

[b] D. 11. Mart.

SVCCEDIT SCOPILIO.

TETRICVS ABB. S. GERMANI ALTISSIOD.

[c] cc. 22. 23. 24.

BERTHARIVS MAIOR-DOMVS ODIVM INCVRRIT NEVSTRASIORVM.

[d] C. 99.

II. EPISCOPI AMBIANENSIS.

Obiit etiam hoc anno Dado Epiſcopus Ambianenſis. Succeſſit ſanctus Saluius. In Ambianenſium Antiſtitum Catologis nudum occurrit Dadonis nomen, nec ſuo poſitum loco. Berthefridus, cuius ſæpè meminimus, Ambianenſem Pontificatum iniit ante annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum, quo Concilium Cabilonenſe ſuâ ſubſcriptione ſub Clodoueo Secundo Rege communiuit, ſupererat adhuc in viuis anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo. Subrogatus eſt in eius locum Dado, quo anno incertum. At annus, quo Sanctus Saluius eidem Dadoni ſucceſſit, facilè deprehenditur. Is fuit poſt Chriſtum natum ſexcenteſimus octogeſimusſextus. Certè Saluius haud citiùs promotus fuit ad Epiſcopatum. Ordinatus eſt enim adepto iam Nouiomenſes infulas Hautgario, qui poſt Sanctum Mummolinum decimo-ſeptimo Kalendas Nouembris anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto mortuum ſedere cœpit. Nec etiam ſeriùs idem

Digitized by Google

AN. CH. 686.

Saluius in Epiſcopum aſſumptus eſt. Anno enim Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo corpus ſancti Firmini Martyris tranſtulit, & Concilio Rotomagenſi ſubſcripſit anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo.

THEODOR. III. R. 13.

III. TRES DISTINGVVNTVR SALVII.

In Francia tres enituere Saluij, ſanctitate & Epiſcopatu conſpicui. Sanctus Saluius Albigenſis Epiſcopus, qui laudatur à Gregorio Turonenſi, floruit ſub Chilperico Rege, colitúrque quarto Idus Septembris. Sanctus Saluius Ambianenſis Epiſcopus, de quo nunc agimus, vixit ſub Theodorico Tertio Rege, celebratúrque publicâ fidelium veneratione tertio Idus Ianuarij. Sanctus Saluius Inculiſmenſis Epiſcopus, de quo nos inferiùs, Martyrium paſſus eſt ætate Caroli Magni, reperitúrque Tabulis Eccleſiaſticis inſcriptus ſexto Kalendas Iulij. Nonnulli [a] Saluium vnum ex illis tribus conflarunt.

[a] Petr. de Natal..

IV. SALVIUS FIT EP. AMBIAN.

[b] d. 11. Ian.

In vita Saluij Ambianenſis quam Bollandus [b] publicauit, promotio Saluij ad Epiſcopatum Ambianenſem ſic enarratur. *Eodem tempore Teudericus glorioſus Rex Francorum Monarchiam Regia poteſtatis exercebat, qui audiens Sanctum migraſſe Honoratum Epiſcopum à ſeculo, Legatos ſuos direxit ad vrbem Ambianicam, Sanctum ſcilicet Hautcarium Nouiomenſis Eccleſiæ Pontificem, intimans vrbanis, vt dignum Deo ſibíque ſalutiferum eligerent Epiſcopum. Vnde alacres effecti, & præ nimia exultatione gauiſi, Deo immenſas terrâ tenus reddentes gratias, quòd ſuam dignaretur viſitare plebem, ac per hoc omnes Eccleſiaſtici viri triduanum indixerunt ieiunium, quatenus diuina gratia oſtendere dignaretur, quis eorum vocaretur Epiſcopus. Triduano namque peracto ieiunio, diuino meruere reſponſo audire. Saluium à me ſciatis electum & vobis Antiſtitem datum. Quocirca omnes penè in vnum globati ad cellulam, in qua vir Domini B. Saluius latitabat, conuenientes humili deuotione ac prece ſupplici deprecantes dicebant. Ad tuam paternitatem venimus, Domine, iam ex itinere fatigati. Hos tuos exiguos ne deſpicias ſeruulos, quia es à Deo electus & nobis feliciter datus. Quod vir Sanctus renuit dicens ſe indignum eſſe Præſulari dignitate. Violentiâ ergo aduenientium ſua abſtractus à cellula cæleſtique eſt electione dignitatem ſortitus Pontificalem.* In hoc textu, ſancti Honorati loco reponendus eſt Dado, cui ſucceſſit ſanctus Saluius, vt conſtat ex ſupradictis.

V. GESTA.

Saluius, priuſquàm Epiſcopus fieret, in Monaſterium Diœceſeos Ambianenſis, quod ipſemet in honorem beatæ Mariæ Virginis & Principis Apoſtolorum erexerat, Monachum, deinde Abbatem egit, tum ſeceſſit in cellulam extra Monaſterium poſitam vbi ſolitariam vitam duxit, donec aſſumptus eſt in Epiſcopum. Sic enim Auctor vitæ. *Vir inclytus, Saluius nomine, ſeculari habitu nutritus atque indutus corpore, diuinâ inſpiratione tactus, concupiſcentias omnino fugiens illecebrarum, Domino corde tenus militare cupiens, Monaſterium, quod ipſe in honore Sanctæ Dei Genitricis perpetuæque Virginis Mariæ almíque Principis Apoſtolorum Petri conſtruxerat, quod non ſolùm rebus verùm etiam honoribus ſecularibus nobilitarat, hilari animo pro æternæ remunerationis mercede expetiit, atque illic ſtrictè & deuotiſſimè ieiuniis & orationibus Deo vacans, antiquum hoſtem quotidie vincere cupiens, & ad cælorum agmina fixis firmiter greſſibus ſcandere cupiens, ibi etiam Deo largiente multorum animas lucrari non diſtulit, & ad Domini gregem fideliter reportare ſtuduit. Intellexit namque famulus Dei diuino fultus numine, in paupertate atque egeſtate cum timore & amore Dei potiùs ſeipſum Domino commendare, quàm in huius ſeculi ſperare diuitiis, quæ mergunt homines in interitum & damnationem iuſtæ perditionis. Denique regulari habitu indutus, & à fratribus ibidem Deo militantibus benignè inſtitutus, cum omni ſubiectione atque obedientia diu eſt conuerſatus. Hic prætereà cùm virtutibus polleret inclytis, & ab eiſdem fratribus honorificè eſſet detentus, contigit validâ ægritudine depreſſum ſui obiiſſe Abbatem Monaſterij. In cuius quidem vice à fratribus coactus officium alendi eiuſdem gregis ſuſcepit. Acceptúmque * cum omni reuerentia & humilitate iniunctum * negotium, ſemotus ab eis ſecretam ſibi diligenter perquirens cellulam, fauores fugiens humanos, & in ea valedicens fratribus, nimiâ egeſtate atque abſtinentiâ recluſus, pellem corporis pariter & vigorem mutauit. Cùm ergo illic graui afflictione corporis*

ANTE EPISCOPATVM.

* * id eſt, acceptoque iniuncto negotio.

corporis moraretur, & indeſinenter melodiis Hymnorum ac Pſalmorum Deo pſalleret, illud plerumque corde reuoluebat, meliùs illic occultè inter Monachos eſſe, quàm nomen atque honorem habere prædicti ponderis in populo. Dum igitur in eadem cellula degens, ſed ſecretiorem poſteà inquirens, & in ea grauiore afflictione corporis reclusus omnibus ſeipſum pro obſequio caritatis, in ea hilariter ſtuduit præſentare, videlicet vt ſi quis domeſticus vel extraneus cauſâ viſitationis ad eum veniſſet, orationis gratiam ei impenderet, & eulogias gratanter tribueret, qui frequenter Domino largiente infirmis præſtitit corporis ſanitatem, & pro tranſgreſſoribus Dominum veniam poſtulabat, vt viam veritatis agnoſcerent, & à prauis ſeductoribus atque operibus omnino fugerent. Cunctis itaque ſeipſum in exemplum demonſtrans, ore quidem quod docuit, operibus fideliter adimpleuit. Quodam autem tempore febre nimiâ perculſus, ægrotus iacebat in lectulo, & ecce ſubitò ingenti lumine cellula, in qua iacebat, reſplenduit, ſuauiſſimóque odore redoluit, ac decuſſa valdè reſonuit. Sed ille ſiquidem oculis in cælum intenſis, manibúſque extenſis, corde & ore Deum laudans ſpiritum Saluatori Domino feliciter reddidit. Audientes itaque Monachi omniſque plebs fidelis eiuſdem Monaſterij, de tranſitu huius ſanctiſſimi viri, glomerati in vnum pariter concurrentes, more ſolito defunctorum exequias præparauerunt, & corpus eius diligenter & cum omni reuerentia in Eccleſiam detulerunt, cum Hymnis & Canticis, atque cuſtodibus lacrymabiliter commendauerunt. Mane autem facto, fortiter feretrum diſcuſſum eſt, in quo corpus ipſius locatum fuerat, & corpus mouere ſe cæpit, & quaſi de graui ſomno excitatus, apertiſque oculis, & manibus in cælum extenſis, de loculo quantocyùs ſurrexit, ac voce flebili fortiter clamans ait. O Domine miſericordiſſime & piiſſime Deus, quare hoc feciſti? Cur me in hunc mundum tenebroſum & nimiâ repletum fœditate reuocaſti? Melius quidem mihi eſſet in tuo aſſiſtere conſpectu, tuámque contemplari inenarrabilem gloriam, & Angelorum audire concinentium ſuper aſtra cæli Cantica, quàm in iſtius mundi redire miſerias atque ærumnas, quæ in perditionem trahunt omnes, qui eum ſequuntur & diligunt. Stupentes verò grauiter qui circa illum aderant, de hoc inaudito atque horribili facto, propiùs accedentes, & cum ſumma diligentia humiliter interrogantes dixerunt. Quid eſt hoc, dulciſſime Pater? & propter quid tale hoc eſt factum, quod nullus noſtrûm vnquam audiuit & vidit? Reſpondit. Vocatus fui à Domino, & illuc deductus, vbi vidi gloriam Dei Angelorumque concinentium choros, ac immenſam multitudinem Sanctorum circumſtantium, qui Dominum vno ore confitentes ſunt atque laudantes, vbi eſt gloria indeficiens, lux inenarrabilis, odor ingens, pax perpetua, ſuauitas animi mirabilis, & vbi Dei aſpectus ſaturitas eſt Angelorum omniumque Sanctorum, in quo etiam ſalus omnium & redemptio animarum, cui eſt honor & gloria indeficiens per infinita ſeculorum ſecula, & cum reſpondiſſent omnes, Amen, dixit. Ecce, fratres mei dilectiſſimi, ſicut cernitis, poſtquàm à conſpectu Dei reductus, feretro hactenus quieui, de quo incolumis, & abſque vllo dolore corporis ſurrexi, coram vobis ſanus aſſiſtens, quod nullo modo ambirem, ſi voluntas Dei non eſſet, nolui enim in hunc redire mundum ampliùs ærumnoſum & omni iniquitate plenum, quia eſt interitus peccatorum & damnatio impiorum. Enimuerò, vt verum fatear, voce diuinâ meis dictum eſt comitibus. Reuertatur hic in ſeculo, quoniam neceſſarius eſt Eccleſiis noſtris. Vox enim audiebatur, qui verò loquebatur cerni non poterat, ad cuius vocem proſtratus cum fletu dicebam. Heu, heu, Domine, cur mihi hæc oſtendiſti, ſi ab his enarrabilibus fruſtrandus eram? Va mihi, quia me hodie eiicis à facie tua, vt reuertar ad ſeculum fragile, vt vltrà huc redire non valeam. Ne, quæſo, Domine, auferas miſericordiam tuam à me, ſed deprecor vt permittas me hic habitare, ne illic decidens peream. Ad quod vox, quæ loquebatur, dixit mihi. Vade in pace, ego enim ſum cuſtos tuus, donec reducam te in hunc locum. Tunc relictus à comitibus meis, & ecce veſtris ſum ſacris reſtitutus miniſteriis.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

Huius narrationis magna pars, in qua Saluius ex Monacho Abbas, ex Abbate ſolitarius & in extaſin raptus exhibetur, Saluio Albigenſi tribuitur ab Interpolatore Gregorij Turonenſis, vt ex vulgato primo capite libri VI.

AN. CH. 686. THEO-DOR. R. 13. III

ſeptimi conſtat. Totum hoc negotium, quod Interpolator Gregorianus ait vereri ſe, *ne alicui legenti ſit incredibile*, ſcriptum eſt primùm de Saluio Ambianenſi, deinde propter ſimilitudinem nominis affinitatémque cognominis tranſlatum ad Saluium Albigenſem. Textus tamen Gregorio inſertus maioris hactenus apud Lectorem auctoritatis fuit, quàm vita ſancti Saluij Ambianenſis, & inter tot Scriptores qui duos Saluios in vnum conflatos fuiſſe queſti ſunt, nullus repertus eſt, qui ſupradictam extaſin Saluio Albigenſi non affingeret. Vulgatum caput primum ſeptimi libri Gregoriani ſpurium nobis viſum eſt, quia diſcrepat ab ipſomet Gregorio, vt ſuo loco probauimus. Hîc mirare ſingularem Interpolatoris impudentiam. Nam cùm ſuprà memoratam viſionem Saluio Albigenſi attribuere vellet, ſcirétque Gregorium Turonenſem Saluio Albigenſi coætaneum vixiſſe, fidentiſſimè aſſeruit nihil ſe ſcripſiſſe, quod ex ipſius Saluij Albigenſis ore non accepiſſet, ratus hac audaciâ fidem indubitatam ſibi conciliatum iri. *Teſtor*, inquit, *Deum omnipotentem, quia ab ipſius ore omnia quæ retuli, audita cognoui.* Modeſtiùs loquitur Auctor vitæ ſancti Saluij Ambianenſis. Aduerte prætereà non pauca ſuperadiecta fuiſſe ab Interpolatore Gregoriano, quæ non occurrunt in vita Saluij Ambianenſis Epiſcopi. Saluius enim Ambianenſis, poſtquàm apud Anonymum, cuius textum ſuprà recitauimus, ſacris Sodalium miniſteriis ſe reſtitutum dixit, Ambianenſis Antiſtitis obitum ſtatim indicat. *Cúmque*, ait Anonymus, *ad eos hæc & his ſimilia loqueretur, ſtupentibus cunctis & admirantibus, cœpit iterum ſanctus Dei cum lacrymoſis ſingultibus dicere. Denuntio vobis tranſitum beatæ memoriæ Domini. . . . . Ambianicæ Cathedræ Antiſtitis.* Longè plura interſerit Gregorianus Interpolator de Saluio Albigenſi. *Hæc*, inquit, *eo loquente, ſtupentibus cunctis qui aderant, cœpit iterum Sanctus Dei cum lachrimis dicere. Væ mihi qui tale myſterium auſus ſum reuelare! Ecce enim odor ſuauitatis, quem de loco ſancto hauſeram, & in quo per hoc triduum ſine vllo cibo potúque ſuſtentatus ſum, receſſit à me. Sed & lingua mea grauibus eſt operta vulneribus, & ita tumefacta, vt omne os meum videatur implere. Et ſcio quia non fuit beneplacitum Domino Deo meo, vt hæc arcana vulgarentur. Sed tu noſti, Domine, quia in ſimplicitate cordis, hæc feci, non in iactantia mentis. Sed quæſo indulgeas, & non me derelinquas iuxta pollicitationem tuam. Et hæc dicens ſiluit, & accepit cibum potúmque. Ego verò hæc ſcribens vereor, ne alicui legenti ſit incredibile, iuxta id quod Saluſtius Hiſtoriam ſcribens ait, vbi de virtute atque gloria bonorum memor eſt.* [*Quæ ſibi quiſque facilia factu putat, æquo animo ſuſcipit, ſupra ea veluti ficta pro falſis ducit.*] *Nam teſtor Deum omnipotentem, quia ab ipſius ore omnia, quæ retuli, audita cognoui. Poſt multum verò tempus ipſe vir beatus cellulâ ſuâ extractus ad Epiſcopatum electus, inuitus eſt ordinatus.*

VII. Bollandus ſanctum Saluium beati Honorati proximum in Epiſcopatu Ambianenſi ſucceſſorem conſtituit, ſuámque aſſertionem tribus argumentis fulcire nititur.

VIII. Primum ſumit ab ipſo ſancti Honorati nomine, quod in vita ſancti Saluij ſemel atque iterum legitur. Saluius enim ſuis ſodalibus denuntiat *tranſitum beatæ memoriæ Domini Honorati Ambianicæ Cathedræ Antiſtitis.* Deinde *Teudericus glorioſus Rex Francorum audiens Sanctum migraſſe Honoratum Epiſcopum à ſeculo, Legatos ſuos* dirigit *ad vrbem Ambianicam.* At error eſt in Honorati nomine, cuius loco reſtituendus eſt Dado, vt monuimus ſuprà.

IX. Alterum argumentum ex eo petit, quòd *homines vtriuſque ſexûs, quos Mummolus quondam Patricius captâ ciuitate muriſque eius dirutis captiuauerat, & Hiſpanis miſerat, Theudericus Rex inclytus cum omni eorum facultate, illi*, nempe Saluio Epiſcopo *reddidit.* Obſeruátque Mummolum Patricium iuſſu Guntchramni Regis interfectum fuiſſe, cùm Guntchramnus annum regni viceſimum-quartum in Burgundia, Childebertus in Auſtria decimum, Clotarius in Neuſtria primum ageret, vt Gregorius Turonenſis [a] teſtatur, id eſt, cùm numerabatur annus ab Incarnatione Dominica quingenteſimus octo-

[a] Lib. 7. c. 39.

Digitized by Google

geſimus-quintus. Octauo pôſt anno deceſſit ſine prole maſcula Guntchramnus. Succeſſit in regnum Burgundiæ Childebertus ex Sigiberto fratre nepos Rex Auſtriæ, cuius ditiones duo filij Theodobertus & Theodoricus anno pôſt tertio, Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto, ſic partiti ſunt, vt ille Neuſtriam, hic Burgundiam, obtinuerint. Saluium igitur Ambianenſem Epiſcopum huic Theodorico Regi Burgundiæ ſynchronum facit Bollandus. Ambianum autem Neuſtriæ Regibus per illa tempora conſtantiſſimè paruit, Chilperico fratri Guntchramni, deinde Clotario Chilperici filio; Regibus verò Burgundiæ, Guntchramno, Childeberto & Theodorico, nequaquam. Atque vt ſanctus Honoratus Ambianenſis Epiſcopus haud vixit ſub Childeberto illo Secundo, qui numquam in Neuſtria regnauit, ſed ſub antiquiore Childeberto huiuſce propatruo, qui Pariſiis Regiam Sedem conſtituit, ita nec Saluius Ambianenſem Epiſcopatum obtinuit regnante in ſola Burgundia Theodorico Secundo, ſed vniuerſam Francorum Monarchiam adepto Theodorico Tertio, qui mortuo Childerico fratre germano Regna Neuſtriæ ac Burgundiæ, extincto Dagoberto fratre patrueli Regnum Auſtriæ ſuſcepit; illa, anno Chriſti DCLXXIII; hoc, anno Chriſti DCLXXX. In vita S. Saluij Ambianenſis Epiſcopi reperiuntur duo textus, qui palàm teſtantur Auctorem locutum eſſe de Theodorico Franciæ tunc Monarcha. Primus ſic. *Teudericus glorioſus Rex Francorum Monarchiam Regiæ poteſtatis exercebat.* Alter ſic. *Totum regnum Francorum Teudericus Rex ſuo conſilio ordinabat.* Hinc conclude ea, quæ in vita ſancti Saluij Ambianenſis Epiſcopi de Mummolo Patricio narrantur, non ad Saluium Ambianenſem pertinere, ſed ad Saluium Albigenſem, de quo ſic Interpolator Gregorianus. *Fuit magnæ ſanctitatis, minimaque cupiditatis, aurum nunquam habere volens, nam ſi coactus accepiſſet, protinus pauperibus erogabat. Cuius tempore cùm Mummolus Patritius multos captiuos ab ea vrbe duxiſſet, proſecutus ille omnes redemit, tantámque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, vt ipſi etiam qui captiuos duxerant, & de precio ei concederent, & in reliquo munerarent, & ſic patriæ ſuæ captiuos libertati priſtinæ reſtaurauit.* Ciuitas Albigenſis fuit ſub poteſtate Sigiberti Regis Auſtraſiorum. Hanc occuparunt Mummolus Patritius, Deſiderius Dux, aliíque rerum nouarum cupidi, qui concitato ciuili bello Gundobaldum Clotarij Regis pſeudofilium in ſolium euehere ſtudebant, recepit poſteà Guntchramnus Rex, ac Childeberto Sigiberti filio reſtituit. Hæc colliguntur ex Gregorio [a] Turonenſi, cuius ætate geſta ſunt. Quemadmodum igitur Interpolator ea quæ Gregorianæ Hiſtoriæ inſeruit de Saluio Albigenſi, partim ex actis Saluij Albigenſis, partim ex vita Saluij Ambianenſis excerpſit, ſic & in eundem lapſus errorem, qui vitam Saluij Ambianenſis in literas retulit, quædam congeſſit ex actis Saluij Albigenſis. Quæ de ciuibus Albigenſibus à Mummolo Patritio in captiuitatem abductis apud Gregorium interpolatum commemorantur, multò potiorem ſibi fidem conciliant, quàm quæ de ciuibus Ambianenſibus ab eodem Mummolo parem iniuriam paſſis in vita Saluij Ambianenſis enarrantur. In Gregoriana interpolatione, quos Mummolus Patritius ex vrbe Albigenſi captiuos abducebat, Saluius Albigenſis Epiſcopus dicitur redemiſſe, atque in tanta veneratione apud ipſos etiam hoſtes fuiſſe, vt plerique remiſſo captiuorum pretio munera inſuper elargirentur. In illo contextu nihil occurrit, quod Hiſtoricæ veritati vel tantiſper refragari videatur. Longè alia ſcribuntur in vita ſancti Saluij Ambianenſis Epiſcopi. Mummolus Patritius expugnat Ambianum, muros deſtruit, ciues libertate ſpoliat, ablegátque captiuos in Hiſpaniam, eos verò Theodoricus Rex Saluio reddit, ciuitatíque reſtituit Saluius. Alibi nulla mentio fit Ambianenſis excidij. Quis enim Ambianum illâ ætate à Burgundionibus occupatum fuiſſe ſuſpicetur, aut Ambianenſes exilio mulctatos in Hiſpaniam migraſſe credat? Ciuitas Albigenſis haud procul aberat ab ea Galliarum parte quæ Gothis in Hiſpania latè dominantibus tunc parebat. Inde faciliùs quàm

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

[a] Li. 7. 8.

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13. Ambiano in Gothicas ditiones abduci potuiſſent captiui. Tamen Gregorianus Interpolator, vbi de Saluio Epiſcopo Albigenſi, déque ciuibus è patriæ ſinu auulſis loquitur, ne quidem meminit Hiſpaniæ, quia Wiſigothi prædicto Gundobaldo eiúſque Ducibus nullo ſe fœderis nexu ſociarunt.

X. Tertium argumentum ducit Bollandus à nomine Hautcarij Nouiomenſis Epiſcopi, quem auctoritate Menardi nixus cum Acario ſancti Eligij deceſſore confundit. At nihil vetat, quominùs Acarius, qui ſanctum Eligium in Epiſcopatu anteceſſit, diſtinguatur ab Hautcario, qui poſt ſanctum Mummolenum ſancti Eligij ſucceſſorem ſedere cœpit. Addequòd Theodoricus Childeberti filius, qui poſt patrem in Burgundia regnauit, Acarium Nouiomenſem Epiſcopum ad vrbem Ambianicam dirigere non potuit, obiit enim priuſquàm Acarius ad Epiſcopatum promoueretur.

XI. Saluius igitur factus eſt Epiſcopus Ambianenſis hoc anno, cùm Hautcarius Nouiomenſis erat Epiſcopus, & Theodoricus Rex vniuerſæ Franciæ dominabatur. Res ab eo præclarè geſtas in Epiſcopatu à conſtructione inſignis

ET IN EPISCOPATV.

Eccleſiæ ſic orditur Auctor vitæ. *Totum Regnum Francorum Teudericus Rex ſuo conſilio ordinabat, & barbaras nationes feruido gladio eius conſultu ſuæ poteſtati ſubiugabat. Is autem venerabilis Præſul Saluius pabulo ſanctæ prædicationis corda populorum aſſiduâ perfectione reficiebat, & ad paſcua æternæ refectionis inuitabat. Eccleſiam denique digno opere conſtruxit, & in Principis Apoſtolorum B. Petri honorem, necnon & Doctoris gentium S. Pauli verenter beauit.* Deinde ſubiungit Inuentionem ſancti Firmini Martyris, de qua nos anno ſequenti. Breuiarium Ambianenſe quod ab Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Franciſco *Faure* hodierno Ambianenſi Epiſcopo reformatum in lucem anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo prodiit, in feſto ſancti Saluij duas Ambiani conſtructas ab eo Baſilicas teſtatur, *vnam ſub nomine Sanctorum Petri & Pauli, quæ nunc ſancti Firmini Confeſſoris dicitur, alteram in honorem ſanctæ Dei genitricis Mariæ.*

XII. Hiſce temporibus, cùm Anſbertus Pontificatum Rotomagenſem gerebat, ad Sidonium Abbatem qui Monaſterium in illa Diœceſi gubernabat, acceſſit Leufredus. Hic intra Gallias pago Ebroicenſi exortus eſt, ſanguinis nobilitate conſpicuus, parentibus Chriſtianiſſimis natus. Ab adoleſcentia ſua totam militiam Domino vero Regi deuouit. Diuinas literas primùm in vico cui nomen Condatus *, deinde in vrbe Carnotenſi didicit. Reuerſus in patriam alios erudire cœpit. In loco ſuæ poſſeſſionis erexit ornauítque Sanctorum reliquiis Oratorium, cuius introitum fœminis interdixit. Quamuis adhuc in habitu laico tunc detineretur, opus Monachi aſſiduè Domino perſoluebat. Poſteà ſe contulit ad Monaſteriolum, quod vocatur vulgò Varenna. Moram illic facere noluit, quia fœminarum habitaculum illud erat. Alium petiuit locum, qui dicitur Calliatus *, vbi Dei hominem Bertrannum inuenit, cuius in rebus diuinis indefeſſa mentis agilitas ferebatur.

* *Condé*

* *Cailly*

LEVFREDVS CVM BERTRANNO CONIVNGITVR,

Ambo, cùm inuicem ſermone mutuo de ſpiritualibus agerent, conſilium inierunt, vt aſpectibus hominum ſe ſubducerent, & quaſi catenâ colligati intra clauſtra domûs vſque ad finem vitæ in Hymnis & precibus permanerent. Sed Bertrannus relictis omnibus quæ habebat, peregrè profectus eſt. Leufredus autem perſtitit in priore ſententia, ibíque velut in ſpecu delituit. At euoluto tempore, cùm iam diſpenſatio diuina per eum plures lucrandos decerneret, auditâ famâ Sidonij Abbatis Rotomagum perrexit, & poſtquam ea quæ dicebantur vera eſſe comprobauit, homini Dei ſe coniunxit arctiſſimè. *Satis ab eo in Regulari tramite ac Monaſticâ conuerſatione edoctus, & habitu corporis immutatus, accepit ſignum capitis, quo milites Chriſti à populari cœtu diſcernuntur, & ſub ipſo Patre voto ſe ipſe conſtrinxit omnem obedientiæ diſciplinam ſeruaturum. In diebus illis Domnus Anſbertus in Rotomagenſi vrbe Pontificatum gerebat.* Hæc fuſiùs explicantur in vita ſancti Leufredi, quam Vincentius Barralis in Chronologia Lerinenſi publicauit.

DEINDE CVM SIDONIO ABBATE.

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

XIII. PRIVILEGIVM AIGLIBERTI EP. PRO MON. CENOMANENSI.

Innocentij Cenomanenſis Epiſcopi temporibus, inter ciuitatem Cenomanenſem & Sartham fluuium, vt Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum quadrageſimum-primum [a] obſeruauimus, erectum eſt Monaſterium virginum, cui facultates ſuas Haregarius & Truda coniuges conceſſerunt iis legibus, vt Moniales peregrinos, qui Sanctorum Geruaſij ac Protaſij Baſilicam orationis causâ ex remotis oppidis ac pagis adibant, hoſpitio exciperent, eorumdémque, ſi fortè in morbum inciderent, curam ſingularem haberent, ac prætereà tergendis lauandíſque ipſius Baſilicæ ornamentis ſedulò inuigilarent. Aiglibertus autem eiuſdem ciuitatis Epiſcopus Moniales illas, quibus tunc Adrechildis eius propinqua præerat, à prædictis oneribus exemit, vt diuinæ contemplationi liberiùs vacare poſſent. Id Priuilegij Theodoricus Rex Regali Diplomate confirmauit apud Compendium tertio Nonas Martij. Super anno controuerſia eſt, Coruaiſierus & Bondonnetus Regium Diploma datum anno III. Theodorici Regis volunt, nos annum XIII. reponendum cenſemus, quia tertius annus Theodorici Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto coincidit, quo Sanctus Berarius Aigliberti deceſſor in viuis ſuperſtes erat.

a Num. 66.

XIV. ABIDELGAMA ABBATISSA TVFFIACENSIS.

Aiglibertus mortuâ Loppâ, incertum quo anno, ſororem ſuam, nomine Abidelgamam Tuſſiaco Monaſterio, quod ædificiis ac reditibus auxit, Abbatiſſam præfecit. Lapſu temporis in puellarum locum Monachi ſucceſſerunt, & vbi Cœnobium virginum olim floruit, hodie Prioratus eſt Conuentualis, qui pendet ab Abbatia Sancti Vincentij apud Cenomanum.

XV. ANASTASIVS EPISC. CARPENTORACTENSIS.

Hoc anno, in auctiore Gallia Chriſtiana commendatur Anaſtaſius Epiſcopus Carpentoractenſis, ſucceſſor Pauli, cuius meminimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quartum.

XVI. BEGGA MORITVR.

In Chronico Sigeberti, Begga, de qua ſæpè locuti ſumus, annos tredecim Anſigiſilo marito ſuperſtes fertur. Obiit igitur hoc anno, ſi benè necem Anſigiſili coniugis ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium retulimus. Sepulta eſt in Monaſterio Andanæ quod à fundamentis erexerat. Ibi colitur decimo-ſexto Kalendas Ianuarij. Sita eſt Andana * medio fermè itinere Namurcum inter & Hoium proximè dextram Moſæ ripam. Septem retinet ex prima fundatione diſtinctas Eccleſias, in quarum primaria quæ olim erant Sanctimoniales, nunc ſunt triginta numero Dominæ Andenſes, Canonicæ ſeculares, quibus Canonici decem in officio diuino ſubſeruiunt. Lege Molanum & Fiſenum [b].

* *Andene entre Namur & Huy.*

b D. 17. Dec.

XVII.

Nec tam facilè nec tam certò deprehendi poteſt annus, quo vitam clauſit Amelberga Sanctæ Gudilæ mater. Illa Witgero marito ſuperſtes vixit, ſuperſtes vixit & Aldegundi Monialium Melbodienſium primæ Abbatiſſæ. Tomo ſuperiore mentionem Witgeri non ſemel fecimus. Autbetto Epiſcopo, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum incidit, Witgerus in Monaſterio Lobienſi Monachum, vxor eius Amelbergа Monialem in Cœnobio Melbodienſi induerunt. De Witgeri morte nihil narratur. Amalbergam ſuperuixiſſe credimus, vocatur [c] enim *vidua*, ſepultáque fuit Lobiis, vbi vir eius monaſticam vitam duxit. Molanus [d] *viduam* interpretatur *continentem*, quia Witgerus & Amelberga ſeculo renuntiarunt. Eſto, admittatur hæc interpretatio, præualidum in aſſertionis noſtræ confirmationem ſupereſt argumentum, quòd Witgerus ne quidem nominatur, cum Amelbergæ funus exequiæque deſcribuntur, in Lobienſi Monaſterio, vbi ille ſuſcepto Monachi habitu vitam finiuit, celebratæ.

c Ap. Sur. d. 10. Iul.

d D. 10. Iul.

XVIII.

Sancta Aldegundis, quam in cælum anno Chiſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto migraſſe diximus, apud Curtem Solram ſex annis quieuit, donec tranſlata Melbodium, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum probaturi ſumus. Cùm Amelberga ex hac vita diſceſſit, Sancta Aldegundis apud Curtem Solram iacebat. Character haud inuenitur, qui propiùs

AN.CH. 686. THEODOR. III. R. 13. ad annum accedat, quo Amelberga mortalem vitam amiſit. De die nulla eſt controuerſia, deceſſit enim ſexto Idus Iulij, quo die coli ſolet.

XIX. Illius mortem, exequias & ſepulturam, ex manuſcriptis Codicibus ſic enarrat Surius [a]. *Cùm in dies magis ac magis carnem domaret, & roboraret ſpiritum, Dominus tantis laboribus finem imponere voluit. Itaque acerrimâ correpta febre id quod optabat conſecuta eſt, nempe vt poſſet cum Domino inſeparabiliter coniungi. Sentiens autem prudentiſſima fœminarum diem vocationis ſuæ adeſſe, quaſi quæ humana deſpiceret, & ad ſuos iam inuitaretur, vſque ad ſupremum ſpiritum hoſce verſiculos ſuſurrabat. Domine, dilexi decorem domûs tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ. Et cùm reddidiſſet ſpiritum, ſancta illa anima ab Angelicis ſpiritibus in cælum deportata eſt. Tota ad eius funus Malbodienſis turba accurrit; omnis inopum cœtus matrem & nutriculam ſe perdidiſſe lamentabatur. Tanta verò dignitas eius ora compleuerat, vt nemini poſſet eſſe ambiguum, illam ærumnas beatitudine, labores requie commutaſſe. Sed quia id temporis Malbodij nulla ſpectabilis perſona humata erat, ne ipſa quidem beata Aldegundis, quæ locum illum à fundamentis extruxerat, maiores natu Eccleſiæ, quid faciendum eſſet, inter ſe conſultabant, & quonam loco ſanctiſſimum corpus terrâ condendum, tractabant, nihil interim certi ſtatuentes. Tandem ab illis conſultiſſimum viſum eſt, vt in Lobienſi Monaſterio tumularetur, in quam ſententiam omnes pedibus ierunt. Per id verò tempus in Lobienſi Monaſterio non minima erat fratrum congregatio, Deo ad præſcriptum Regulæ Sancti Benedicti militantium, florebátque illic cultus diuinus & religio ſanctitatis, & permulta beatiſſimorum Chriſti Confeſſorum ibi quieſcentium corpora magnam illi reuerentiam conciliabant. Itaque beatiſſimum ſanctæ Amelbergæ corpus cum ea, quâ par erat, veneratione elatum eſt, ſanctimonialibus cum Hymnis & Canticis illud proſequentibus, atque in Lobienſe Monaſterium importatum. Vbi tum ab Abbate & fratribus cum multa deuotione exceptum eſt, & in Eccleſia ſanctiſſimæ Genitricis Dei & beatiſſimorum Chriſti Confeſſorum Vrſmari & Ermini, cum ceteris plurimorum Sanctorum pignoribus, ſepulturæ mandatum. Quanti autem apud omnipotentem Deum meriti ſit, teſtantur abundè ad eius monumentum diuinitus in multorum malè valentium curationibus edita miracula. Obdormiuit in Domino Chriſti famula Amelberga ſexto Idus Iulij.*

[a] D. 10. Iul.

AMELBERGA OBIT.

XX. Surius ſtylum antiquorum Codicum mutauit. Id ipſemet fatetur in titulo, quem vitæ ſanctæ Amelbergæ præfixit. Molanus Surium non ſenſu modò ſed & phraſi penè ad verbum retulit, cautè tamen à quibuſdam circumſtantiis abſtinuit, quibus finem habendam haud putauit. Apud Surium Amelberga ſepelitur *in Eccleſia ſanctiſſima Genitricis Dei & beatiſſimorum Chriſti Confeſſorum Vrſmari & Ermini*, apud Molanum *in Eccleſia Dei Genitricis*. Molanus nomina ſanctorum Vrſmari & Ermini prudenter reticuit. Vrſmarus enim & Erminus Abbates Lobienſi Monaſterio poſt Amelbergæ ſepulturam præfuerunt, vt ſuis locis oſtenſuri ſumus. Surius ait corpus ſanctæ Amelbergæ in prædicta Monaſterij Lobienſis Eccleſia ſepultum fuiſſe *cum ceteris plurimorum Sanctorum pignoribus*, Molanus de ſolo ſanctæ Amelbergæ corpore loquitur. Quas Sanctorum Reliquias Monachi Lobienſes ante Nortmannorum irruptionem in ſuo Cœnobio cuſtodierint, haud ſcimus. Earum verò, quas hodie aſſeruant, indicem, quem conſulere poſſis, accuratè texuit Rayſſius in Hierogazophilacio Belgico.

XXI. Nomen Lobienſis Abbatis, qui ſanctæ Amelbergæ corpus excepit, nec apud Surium, nec apud Molanum exprimitur. Vrſmarus Cœnobij Lobienſis curam nondum ſuſceperat. Auctores igitur præcitati Landelinum innuunt, qui Lobienſe Monaſterium inchoauit ac primus rexit.

XXII. Opinioni noſtræ refragatur Fulcuinus, qui Geſta Lobienſium Abbatum conſcripſit, & poſtquàm Landelinum Monaſterij Lobienſis primum fundatorem agnouit, adiecit illum Deo præordinante Lobiis demigraſſe, vt *alteri*, nempe Vrſmaro, *quandoque ſubſecuturo* locus vacaret. *Talibus*, inquit [b], *exercitiis, pluribus ad id ſtudij confluentibus* Landelinus *ſpeculum factus eſt, ſic-*

[b] Cap. 1.

Digitized by Google

que Lobienſis Cœnobij fundator extitit primus, ſed præordinatio Dei, qui non omnibus iudicia ſua manifeſtat, iudicia enim tua, ait Pſalmiſta, abyſſus multa, voluit beatum Landelinum Lobiis demigrare, vt alteri quandoque ſubſecuturo locus vacaret, ne vtique ſuper alterius fundamentum ædificia ſtrueret, & detrimentum pateretur, aut ne merita tanta duorum vnius loci anguſtiâ artarentur. His fortè præſcius beatus Landelinus demigrans, Criſpinium petiit. AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

Florebat Fulcuinus decimo ſeculo; multa de Landelino & Vrſmaro ſcripſit, quæ veritati repugnant. Inſignia Monaſteria, quæ Landelinus erexit, Alnenſe videlicet & Waſlarenſe, de quibus Tomo ſuperiori verba fecimus, ab Vrſmaro conſtructa finxit[a], vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum probabimus. Finxit & Landelinum Lobiis aliò demigraſſe, vt *alteri quandoque ſubſecuturo* locus vacaret, id eſt, Vrſmaro, quem Lobienſis Aſceterij primum Abbatem conſtituit. Per illam vocem, *quandoque*, ſubindicare voluit poſt Landelini diſceſſum è Monaſterio Lobienſi ſpatium temporis haud modicum interceſſiſſe, donec Vrſmarus illuc euocaretur. Landelinus relicto Lobio Criſpinium profectus eſt, ibíque nouum Cœnobium ædificauit. De his cum Fulcuino conuenimus, ſed arbitramur curam Monaſterij Lobienſis à Landelino, cùm fundamenta Cœnobij Criſpinienſis iacienda ſuſcepit, Vrſmaro demandatam fuiſſe. Non deſunt Auctores, quibus innitamur. Tantùm abeſt, vt Aubertus Miræus in faſtis Belgicis credat Lobium poſt Landelini diſceſſum ante aduentum Vrſmari fuiſſe aliquandiu ſine Abbate, quin decimo-ſeptimo Kalendas Iulias inter præcipuas Landelini laudes hanc reponit, quòd *Criſpinium ſeceſſurus Laubio præfecit beatum virum Vrſmarum piis moribus præditum;* idémque prorſus habet in encomio ipſius Vrſmari decimo-tertio Kalendas Maij. Similia ſcribit Bartholomæus Fiſenus[b] in elogio ſancti Hidulfi, vult enim Vrſmarum Lobienſi Monaſterio præpoſitum fuiſſe, quia Landelinus Criſpinium abire cogitabat. *Ad Sabim in Hannoniæ finibus Lobium condiderat Landelinus, & ad extruendum Criſpinium ſe recipere cogitabat, Vrſmarum virum ad altiſſima virtutis generosè contendentem ſubſtituit Hidulfus.* Vtrique præiuit Chronographus Cameracenſis multò vetuſtior, quem Miræus, cùm de Originibus Benedictinis ageret, ita citauit in Laubaco. *Landelinus ſeceſſurus eo loci præfecit beatum virum Dei Vrſmarum piis moribus præditum.* Et in Criſpinio ſic. *Beatus Landelinus ex prædone ad Chriſtum à S. Autberto Cameracenſi Epiſcopo conuerſus, cùm Laubienſe Cœnobium à ſe conſtructum, beato Vrſmaro regendum commiſiſſet, vt paullò antè diximus, ad locum ſiluis horridum, quem Criſpinium nuncupant, ſeſe ſubduxit, ibíque alterum exſtruxit Monaſterium.* Quapropter in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum, quo Lobienſis Monaſterij Præfectura penes Vrſmarum eſſe cœpit, initia Criſpinienſia reiiciemus. XXIII.

Cur Fulcuinus Vrſmarum impenſiùs quàm Landelinum laudet, hæc occurrit ratio. Lobiis, vbi Vrſmarus poſt obitum ſepultus eſt, Abbatiales Infulas geſſit; nequaquam verò Criſpinij, vbi Landelinus vitam clauſit atque etiamnum quieſcit. Aſcetæ Lobienſes Indicem ſuorum Abbatum ordiuntur ab Vrſmaro, Criſpinienſes à Landelino. Præfuit tamen Landelinus vtrobique cum Abbatis titulo, nec immeritò *plurimorum Monaſteriorum Pater* in Martyrologio Benedictino[c] nuncupatur. Lobienſe Monaſterium regebat, cùm corpus ſanctæ Amelbergæ Melbodio, vbi obierat, Lobias delatum eſt. Agemus infrà de Præfectura Criſpinienſi. XXIV.

Hugo Menardus Acta ſancti Rodingi Bellilocenſis Abbatis ex eiuſdem Monaſterij Codice manuſcripto concinnauit publicauítque[d]. Natum vult in Scotia, cùm annus ab Incarnatione Dominica quingenteſimus nonageſimus-quartus numerabatur, & in cauerna, quæ vno circiter milliario à Monaſterio Bellilocenſi diſtabat, vitam clauſiſſe, cùm annum ætatis decimum-ſeptimum ſupra centeſimum agebat. De anno, quo Rodingus natus eſt, non diſputamus. De anno, quo mortuus eſt, non eſt par ratio, nam teſte XXV.

[a] Cap. 4.
[b] d. 13. Iun.
[c] d. 15. Iun.
[d] Lib. 2. obſeruat. d. 17. Sept.

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

eodem Menardo præſens aderat Armonius Virodunenſis Epiſcopus, qui longè ante annum à quingenteſimo nonageſimo-quarto centeſimum decimumſeptimum, id eſt, longè ante annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum vndecimum viuere deſiit. Suſpicamur mendum in numeros irrepſiſſe, quia tranſpoſitæ fuerunt literæ numerales, itaut Rodingus annum ætatis non CXVII. ſed XCVII. attigerit, obieritque anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo, qui ſecundus Armonij Virodunenſis Epiſcopi fuit. Ceterùm quinquennio priuſquàm moreretur, regimine Bellilocenſi ſe penitus abdicauit, & Stephano Abbate deſignato in ſpeluncam vno circiter milliario à Cœnobio Bellilocenſi diſtantem ſeceſſit. Id autem peregit, cùm iuxta Menardi calculum natus eſſet annos CXII. iuxta noſtram computationem annos duntaxat XCII. id eſt, hoc anno, qui poſt annum à Chriſto nato quingenteſimum nonageſimum-quartum eſt nonageſimus-ſecundus. *Angelum*, inquit Menardus, *cuſtodem ſibi familiarem habebat, qui ſe in eius conſpectum dare ſolebat, eúmque ſedulò admonebat de omni re, quæ ipſi ex munere incumbebat. Tandem cùm duodecim annis ſupra centum* (lege, duobus annis ſupra nonaginta) *natus eſſet, deſignato Abbate Stephano in cauerna latere voluit, quæ vno circiter milliario diſtabat inter tres montes depreſſa, cum vno Monacho, qui ſingulis hebdomadis panem ex Monaſterio afferebat, nam vir Dei nullum alium cibum ſumere volebat, vixque permiſit, vt in eodem loco tuguriolum eremiticum ſibi & ſocio Monachi conſtruerent. Singulis diebus Dominicis & Feſtis ſolemnioribus ad Monaſterium ſe conferens, ibi rem diuinam faciebat, & datâ benedictione ieiunus recedebat, eúmque Monachi proſequebantur ad quendam locum, vbi Crux poſita eſt, quos poſt breuem exhortationem dimittebat. Sancti Rodingi tuguriolum adhuc ſupereſt, ad quod ægroti confluunt, & maximè ex febre laborantes, qui hauſtâ aquâ de fonte tuguriolo adiacente ſanitatem conſequuntur.* In altera ſancti Rodingi vita, quam idem Menardus ex Codice Catalaunenſi, *ne vno quidem*, vt affirmat, *apice mutato* publicauit, quot annos beatus Rodingus vixit, Auctor non prodit, longæuam tamen ei vitam tribuit, vtpote Epiſcopo in Scotia priùs ordinato, quàm in Gallias cum ſanctis Columbano & Gallo traiiceret, Regiúmque Præceptum à Childerico Francorum Rege priùs adepto, quàm Monaſterij Bellilocenſis adminiſtrationem abdicaret. Sancti Columbanus & Gallus in Galliam transfretarunt anno Chriſti quingenteſimo duodeſeptuageſimo, Childericus anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo regnare cœpit, ergo Rodingus, ſi Pontificatum ſuſcepit ante Sanctorum Columbani & Galli profectionem in Gallias, & vitam ad Principatum vſque Childerici Regis produxit, vixit ad minimum annos duos ac viginti ſupra centum. Id nemo facilè crediderit. Super ætate Rodingi ſatius eſt Codicem ſequi Bellilocenſem, expuncto tamen næuo de quo ſuprà. Ceterùm in Codice Catalaunenſi, de Rodingi receſſu in eremum poſt abdicatam Monaſterij Bellilocenſis adminiſtrationem hæc enarrantur. *Compoſitis quæ fratrum neceſſaria videbantur vtilitati, cernens ſibi quiddam ſubtrahi perfectionis, dum animo circa multa occupato & terrenis implicato negotiis minùs theoricæ vitæ intenderet dulcedini, conuocatis fratribus ſui voti deliberationem aperit, quòd ſcilicet vel in vltima ſenecta in ſolitudinem ſecedere vellet, vt ab humanô conſortio ſemotus liberiùs poſſet in diuina contemplatione oculum mentis figere. Erat autem eiuſdem Congregationis Monachus quidam Stephanus nomine plùs ceteris religioſæ deditus vitæ ac regularis diſciplinæ inſignitus vigore. Hunc itaque cum conſenſu fratrum eis Patrem præfecit, & vno comite contentus egreſſus è Monaſterio ſeceſſit in locum horroris & vaſtæ ſolitudinis, & deinceps habitauit ſecum. Verùm longiùs à Monaſterio non receſſit, ſed inter opaca ſyluarum latitans, incertum quippe eſt vbinam habitauerit, milliario ſolùm dimidio diſparatus manſit ab illo. Diebus etiam feſtis ad Monaſterium recurrere conſueuerat, ibique Miſſarum ſolemnia peragens, ac fratribus ſpiritualis alloquij pabulo refectis ad ſqualorem ſolitudinis remeabat. Noctibus inſuper locum reuiſere ſolebat, vt ſi quid actitari negligentiùs inueniret, corrigeret.*

RODINGVS REGIMINE MONASTERII BELLILOCENSIS DIMISSO SECEDIT IN EREMVM.

STEPHANVS FIT ABBAS.

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

rigeret. Cúmque circa pullorum cantum vel ad intuitum Arcturi ſeu ortum Phoſphori ſeu ceterorum ſyderum diem nunciantium (erat enim vt ſunt plurimi nationis Scotorum Aſtrologiæ peritus) Auroram propinquare ſentiret, à nemine viſus in ſolitudinem redibat, in Pſalmis, Hymnis, Canticis ſpiritualibus perpetuans terris inuitus, deſiderio cæli ciuibus iam admixtus.

XXVI. Hoc eodem anno cùm Claudius, qui Pontificatu Biſuntino ſponte ſe abdicarat, in Monaſterio Sancti Eugendi, quod & Iurenſe nuncupatur, vitam monaſticam per quinquennium duxiſſet, ex Monacho factus eſt Abbas eiuſdem loci, ſic enim Author vitæ ſcribit apud Chiffletium [a]. *Completis quinque annis ab introitu S. Claudij, Sanctus Iniurioſus Abbas migrauit ad Dominum, quo dato Eccleſiaſtica ſepultura, fratres venerabiles dicti loci, communi conſenſu, cum magno deuotionis ardore, præfatum beatiſſimum Præſulem elegerunt ſibi in Paſtorem, & habito eius (quem eximiâ charitate, quâ erat præditus, dedit) aſſenſu, miſerunt ad Sedem Apoſtolicam, poſtulantes beatum virum ſibi dari in Prælatum. Sanctus verò Ioannes Sanctæ Sedis Apoſtolicæ apicem tenens, qui prædictum Sanctum optimè nouerat, eiſdem fratribus ac Monaſterio beatiſſimum virum conceſſit in Paſtorem, quod non ſine diuina diſpoſitione factum eſſe creditur, quòd in loco, in quo plures floruerant Sancti, beatiſſimus Præſul adnumeraretur, & locus ipſe inſignior efficeretur.*

[a] In Veſont. p. 2. c. 24.

INIVRIOSVS ABB. CONDATESC. OBIT.

SVCCEDIT CLAVDIVS.

XXVII. Anonymus ille qui vitam Sancti Claudij ſcripſit, quamuis ab eius æuo procul remotus vixerit, in aliqua debet exiſtimatione poni, quia Hiſtoriam ſuam contexuit ex variis chartis quas vt ipſemet teſtatur propriis oculis vidit & in Archiuis Monaſterij Iurenſis legit. In toto ſuo opere vſus eſt quatuor duntaxat Characteribus Chronologicis, Claudium aſſeruit creatum Epiſcopum anno ſexcenteſimo viceſimo-ſexto Incarnationis Dominicæ, electum Abbatem ſub Pontificatu Ioannis Papæ, profectum Pariſios ad Clodoueum Regem, ac mortuum anno quarto Childeberti Regis. Prima temporis nota, quam petiit ab Incarnatione Dominica & pro ſuo vſurpauit arbitratu, nullo in pretio habenda eſt, niſi ceteris cohæreat, quæ validiſſimæ ſunt auctoritatis, quia ſapiunt antiquitatem & ipſam ætatem Sancti Claudij. Annus quartus Childeberti Regis illigatur anno Chriſti duodeſeptingenteſimo, in illum igitur annum mors Sancti Claudij eſt reiicienda. Anonymus, quoniam exiſtimauit Claudium Abbatem fuiſſe annis quinquaginta quinque, duplicem patitur interpretationem ſuper Clodoueo Rege, ex eius enim opinione Abbas Claudius adire potuit tum Clodoueum Secundum, qui ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quintum per annos fermè octodecim regnauit, tum Clodoueum Tertium, qui regnum per annos duos ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum adminiſtrauit, ex noſtro autem computo Clodoueus Rex, ad quem Claudius Iurenſis Abbas ſe contulit, non huius nominis Secundus fuit qui pridem obierat, ſed Tertius, qui ſexto eiuſdem Abbatis anno regnare cœpit. Reſtat vt de Ioanne Papa diſſeramus. Anonymus Ioannem Quartum intellexit, cuius Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo vndequadrageſimo illigauit, eáque de cauſa Claudium *anno ſexcenteſimo viceſimo-ſexto Incarnationis Dominicæ* Biſuntinis infulis donatum aſſeruit. En fons & origo totius controuerſiæ, quam hoc loco dirimendam ſuſcepimus. Nam cùm Anonymus Claudium anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-nono Abbatem Iurenſis Monaſterij creatum ſuppoſuiſſet, annos in Abbatiali dignitate quinquaginta quinque non dubitauit attribuere, vt eiuſdem obitum conſignaret anno quarto Childeberti Regis, quem putauit in Regnum Francorum ſucceſſiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Non miramur Ioannis Quarti Pontificatum ex Anonymi calculo in annum Chriſti ſexcenteſimum vndequadrageſimum incidere, quia ſuper anno quo Ioannes Quartus in Papam aſſumptus eſt adeò variæ reperiuntur Authorum ſententiæ, vt Sigiber-

EIVS ÆTAS EXAMINATVR.

AN.CH. 686. THEODOR. III. R. 13. tus id contigiſſe ſcribat anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-quinto, alij aliquot annis ſeriùs, Baronius ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, nos eodem anno ſexcenteſimo quadrageſimo exeunte ex computo Anaſtaſij, apud quem Ioannes obit quarto Idus Octobris poſtquàm ſedit annum vnum, menſes nouem, dies octodecim, & Theodorus poſt menſem vnum ac dies tredecim Ioanni ſuffectus Pontificatum tenet annos ſex, menſes quinque, dies octodecim, habétque ſucceſſorem Martinum, qui Romanum Præſulatum adeptus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-nono, vt ſuo loco probauimus. Haud magis miramur annum Childeberti Regis quartum ex Anonymi ſupputatione cadere in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum, in enumerandis enim annis Regum qui poſt Clodoueum Secundum ſiue poſt annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quintum apud Francos imperarunt, non conſentiunt inter ſe Chronologi; Clotario Tertio alij annos tribuunt quatuor, alij quatuordecim; Theodorico Tertio alij annos quatuordecim, alij ſeptemdecim, nonnulli octodecim, quidam vndeviginti; Clodoueo Tertio alij duos, alij quatuor; Childeberto Tertio alij tredecim, alij ſexdecim, atque etiam ſeptemdecim necnon octodecim ac nouemdecim. Singulas opiniones examini ſubiiciemus ſuis locis. Impræſentiarum monebimus tantùm anno Childeberti Regis quarto annum Chriſti duodeſeptingenteſimum à nobis illigari, quia veteres Annalium Authores, quorum alij in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, alij in anno octingenteſimo deſinunt, conſignant anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo mortem Childeberti, quem annis ſeptemdecim regnaſſe prodit Auctor ſynchronus in Geſtis Regum Francorum [a]. Iamuerò ſi anno Incarnationis Dominicæ DCXXVI Claudius natus erat annos triginta-duos, vt ex Anonymo colligitur, vixítque vſque ad annum Childeberti Regis quartum, qui cum anno Chriſti duodeſeptingenteſimo coincidit, peruenit non tantùm ad annum ætatis vndecenteſimum vt Anonymus exiſtimauit, ſed & quartum attigit ſupra centeſimum, rexítque Abbatiam Iurenſem annis ſexaginta. Ætas adeò longæua deſtruitur, ſi conſiderentur quæ dicta ſunt de Pontificatu Sancti Donati, qui procul dubio Biſuntinam Eccleſiam regebat anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſexto. Quapropter Ioannes Papa, quo Romæ ſedente Claudius creatus eſt Abbas Iurenſis, non haberi debet illius nominis Quartus qui vitam clauſit quarto Idus Octobris anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, ſed Quintus qui teſte Anaſtaſio ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum die ſecundâ menſis Auguſti, Indictione decimâ-quartâ ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto poſtquàm ſediſſet annum vnum & dies vndecim. Maneat igitur pro re certa & indubitata Claudium à Monachis Iurenſibus promotum in Abbatem fuiſſe hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto, ætatis ſuæ quadrageſimo-quarto.

[a] C. 50.

XXVIII. *Accepto autem regimine dicti Monaſterij*, vt Author vitæ proſequitur, *multi Clerici tam Eccleſiæ Biſuntinenſis, quàm aliarum Eccleſiarum, necnon multi iuuenes nobiles diuerſarum vrbium, oppidorum, & terrarum, ad eum cateruatim confluebant, cupientes ei adhærere, ac cum multa inſtantia poſtulantes ſe recipi in Monaſterio, quos beatiſſimus Pater abſque difficultate & perſonarum acceptione recipiebat.*

XXIX. KILIANVS ABBAS IN FRANCIAM VENIT. ROMAM PROFICISCITVR. Kilianus patriâ Scotus ſiue Hibernus relicto Monaſterio cui præerat, & *collectis ſociis, in quibus idem feruor dilectionis ardebat, ad vicinam Scotiæ* ſiue Hiberniæ *Britanniam peruenit. Quam non longâ nauigatione præteriens Galliam attigit. Quâ penetratâ in prouinciam Germaniæ deuenit, quæ ab incolis terræ ipſius Orientalis Francia vocitatur, ibique in oppido quod Wirzeburg eorum linguâ dicitur, latinâ verò linguâ virorum interpretari caſtellum poteſt, moram ſe facturum diſpoſuit, eò quòd intrepidus coronam optaret Martyrij. Sed tamen verbo prædicationis interim abſtinuit, donec Romano ſe Pontifici præſentaret, quatenus apud*

Digitized by Google

Romanam Sedem & integrum Chriſtianæ religionis dogma & licentiam prædicandi AN. CH.
acciperet. Tunc autem præerat Romanæ Eccleſiæ Konon Pontifex. Huc vſque de Kiliano vetuſtus Auctor vitæ [a]. Porrò Conon, vt ex Anaſtaſio mox probaturi ſumus, hoc anno creatus eſt Papa decimo-tertio Kalendas Nouembres, & anno ſequenti deceſſit tertio Idus Octobres, cùm ſediſſet menſes vndecim & dies viginti tres. Quapropter exiſtimamus Kilianum hoc anno ex Hibernia in Galliam ac Germaniam penetraſſe, tum profectum in Italiam, & anno ſequenti Epiſcopum ordinatum fuiſſe à Conone. 686. THEODOR. III R. 13.

[a] Ap. Caniſium Tom. 4

XXX. CHRONOLOGIA ROMANORVM PONTIFICVM.

Poſt Sanctum Agathonem, cuius mors, teſte Anaſtaſio, quarto Idus Ianuarij, quo die colitur, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo contigit, vt alio loco probauimus, Sedi Romanæ præfuerunt Leo Secundus, Benedictus Secundus, Ioannes Quintus & Conon, de quibus agendum nobis hîc ſigillatim, vt clariùs oſtendamus quonam anno Conon inierit Pontificatum & Kilianum ad ſe venientem ſuſceperit.

XXXI. Agathone mortuo *ceſſauit Epiſcopatus annum vnum, menſes ſeptem, dies quinque.* Leo poſt diuturnum illud interpontificium ſuffectus *ſedit menſes decem, dies decem & ſeptem, & ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum ſub die quinto Nonas Iulias.* Hæc Anaſtaſius. Electus eſt igitur Leo decimo-ſeptimo Kalendas Septembris anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, deceſsítque quinto Nonas Iulias anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto. Refragantur recentiores. Aiunt enim Leonem obiiſſe quarto Kalendas Iulij, quo die anniuerſaria eius memoria in Martyrologio & Breuiario Eccleſiæ Romanæ celebratur. At in veteribus Martyrologiis antiquiſque Kalendariis quarto Kalendas Iulij non occurrit mentio Leonis Secundi, ſed Leonis Primi, qui cognomento Magnus fuit, & anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ſedere cœpit.

XXXII. Ioannes Fronto, Canonicus Regularis, Sacræ Theologiæ Profeſſor in Monaſterio Sanctæ Genouefæ & in Academia Pariſienſi Cancellarius, ante aliquot annos Kalendarium Romanum nongentis annis antiquius ex manuſcripto Codice Monaſterij Sanctæ Genouefæ Pariſienſis in monte, aureis characteribus exarato, publicauit, & in notis ad diem Iunij duodetriceſimum, vt Leonem Secundum illo die mortuum inficiaretur, hoc præcipuè niſus eſt argumento, quòd Leo, teſte Anaſtaſio, *fecit ordinationem vnam per menſem Iunij die vigeſimâ-ſeptimâ, Presbyteros nouem, Diaconos tres, Epiſcopos per diuerſa loca numero viginti tres.* Cùm enim Ordines celebrati fuerint à veſpertinis horis diei viceſimæ-ſeptimæ ad matutinas diei viceſimæ-octauæ, niſi ſubitò mortuus ſit, non poteſt eius Natalis in diem Iunij viceſimam-octauam incidere.

XXXIII. Locum Anaſtaſij corruptum eſſe plerique iam cenſuerunt. In multis exemplaribus ad marginem reponitur menſis Maius retentâ die viceſimâ-ſeptimâ. Sic legit Baronius [b] in Annalibus Eccleſiaſticis, ne cogatur Leonis mortem eodem die conſignare quo ſacros Ordines contulerat. Meliùs in Breuiario Romano [c] ſeruatur menſis Iunius expunctâ diei notâ. *Ordinatione vnâ, menſe Iunio, creauit Presbyteros nouem, Diaconos tres, Epiſcopos diuerſis in locis viginti tres.* Fecit Leo Pontifex hanc ordinationem menſe Iunio, die vel quarto vel vndecimo. Alteruter enim illorum dierum cum Sabbato quatuor Temporum coincidit; quartus, ſi Sabbatum fuit proximum poſt Pentecoſten; vndecimus, ſi Sabbatum fuit ſecundum menſis Iunij, quia Paſchalis ſolennitas anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto celebrata eſt quarto Idus Apriles, & litera Dominicalis B per menſem Iunium illo anno cucurrit. Hæc vt clariora tibi fiant, lege Micrologum de Eccleſiaſticis obſeruationibus, capite viceſimo-quinto. Florebat Auctor iſtius libelli circa annum Chriſti milleſimum octogeſimum. Obſeruauit initio capitis ſuprà notati, Gregorium Papam Septimum, qui Pontificatum anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo-tertio ſuſcepit, inter alia decreta conſtituiſſe, *vt*

[b] Ad an. 684. n. 1.

[c] d. 28. Iun.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13. *æſtiuale ieiunium infra octauam Pentecoſtes annuatim celebraretur.* Deinde eodem capite circa ieiunium æſtiuale duplicem conſuetudinem diuerſis variorum locorum vſibus receptam clariſſimè diſtinxit. Alij enim ieiunium quatuor Temporum celebrabant infra octauam Pentecoſtes, alij in ſecunda feria quarta, in ſecunda feria ſexta & in ſecundo Sabbato menſis Iunij. Potior erat eorum ratio, qui priorem ritum ſequebantur. Inter Sermones Leonis Magni, quatuor inſcribuntur *de ieiunio Pentecoſtes*, clariſſiméque demonſtrant ieiunium æſtiuale quatuor temporum infra octauam Pentecoſtes obſeruari ſolitum. Initium primi tale eſt. *Hodiernam, dilectiſſimi, feſtiuitatem deſcenſione Sancti Spiritûs conſecratam ſequitur, vt noſtis, ſolenne ieiunium, quod animis corporibúſque curandis ſalubriter inſtitutum, deuotâ nobis eſt obſeruantiâ celebrandum. Repletis namque Apoſtolis virtute promiſſâ, & in corda eorum Spiritu veritatis ingreſſo, non ambigimus inter cetera cæleſtis ſacramenta doctrinæ, hanc ſpiritalis continentiæ diſciplinam de Paracleti magiſterio primitus fuiſſe conceptam, vt ſanctificatæ ieiunio mentes conferendis ſibi chariſmatibus fierent aptiores.* Auctoritas Leonis Magni, qui Romæ Pontifex ſedit, facilè ſuadet antiquiſſimum Eccleſiæ Romanæ morem fuiſſe, vt ieiunium æſtiuale quatuor temporum infra octauam Pentecoſtes obſeruaretur, quamuis aliæ non deeſſent Eccleſiæ, quæ ſecus agerent, eidemque ieiunio aſſignarent ſecundam feriam quartam menſis Iunij cum ſubſequente feria ſexta & proximo Sabbato. Iuxta ritum Leonis Magni, Leo Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto fecit ordinationem pridie Nonas Iunij ſeu Sabbato infra octauam Pentecoſtes. Qui ieiunium æſtiuale extra hebdomadam Pentecoſtes volebant obſeruari, dicebant hoc ieiunium vocari ieiunium menſis quarti ſeu Iunij, Pentecoſten autem in menſem tertium ſeu Maium incidere. Præclarè reſpondet Auctor [a] Micrologi, ieiunium æſtiuale, quamuis menſe Maio ſæpè celebretur, pertinere ſemper ad Iunij Lunationem, ſæpè etiam ad ipſa Iunij Kalendaria quorum initium notatur poſtridie Idus Maias ſeu die decimo-ſexto Maij. *Non mireris*, inquit, *quòd hoc ieiunium Iunio potiùs quàm Maio adſcriptum reperiri malunt, quamuis iuxta ſuperiorem tractatum & in Maio ſæpiùs celebretur. Ipſa enim Pentecoſte, cum qua hoc ieiunium ſemper obſeruatur, in Maio ſæpiùs quàm in Iunio celebratur, quæ tamen, iuxta computationem Lunæ, Iunio ſemper aſcribitur. Nam hoc feſtum, ſicut & Paſcha, non iuxta rationem menſium, ſed Lunationum, annuatim obſeruatur. Et illud quidem Aprili, hoc autem Iunio, propter obſeruationem Lunationum eorumdem menſium, ſemper aſcribitur, quamuis eoſdem menſes multoties anticipent, ſicut & ipſæ Lunationes. Eâdem igitur ratione & hoc ieiunium Iunio aſcribimus, quod & cum Pentecoſte ſub eadem Lunatione annuatim obſeruare debemus. Hoc ſanè ieiunium ſemper Lunationem Iunij, ſæpe etiam & Kalendaria eius obſeruat, numquam autem Lunationem Maij, nec ſemper Kalendaria eius attingit. Semper vtique aut Kalendaria, aut Lunationem Iunij poſſidet. Maij autem ſæpenumero nec Kalendaria, nec Lunationem obtinet. Quare & Iunio competentiùs attitulatur quem nunquam dimittit, quàm Maio quem multoties omnino prætermittit.* Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, ſecundum Sabbatum menſis Iunij cum die vndecimo Iunij coincidit, quia illo anno menſis Iunius literâ Dominicali B præditus fuit. Videant iam quo fundamento nitantur, qui ordinationem illo anno à Leone Pontifice factam volunt aut die viceſimâ ſeptimâ Maij quæ incidit in feriam ſextam ante Pentecoſten, aut die viceſimâ ſeptimâ Iunij quæ incidit in feriam ſecundam hebdomadæ quintæ poſt eandem Pentecoſten.

[a] Cap. 15.

XXXIV. Licèt hanc ordinationem conſignemus pridie Nonas Iunij, non ideò imus in eorum ſententiam, qui Leonem quarto Kalendas Iulij mortuum tradunt. Hi ſuam opinionem tuentur auctoritate Martyrologij Romani & Officij Eccleſiaſtici. Nam Martyrologium Romanum ſic habet quarto Kalendas Iulij. *Romæ; Sancti Leonis Papæ Secundi.* Et eodem die Breuiarium Ro-

Digitized by Google

manum in ipſius Leonis Officio[a]. *Sepultus eſt in Baſilica Sancti Petri, quarto Kalendas Iulij*. In antiquis Martyrologiis, quarto Kalendas Iulij, memoria celebratur Sancti Leonis Papæ. Is fuit Leo Primus ſeu Magnus. At, quia Leo Primus obiit tertio Idus Aprilis, poſteris ſeculis, cùm eius nomen illo die recoli cœpit, Leo Secundus habitus eſt is, cuius mentio fiebat in Tabulis Eccleſiaſticis quarto Kalendas Iulij. Nec aliam rationem quæras cur Leo Secundus quarto Kalendas Iulij mortuus à Neotericis aſſeratur, cúrque illo die proprium habeat Officium in Breuiario Romano. AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13

[a] Lect. 6.

In genuino Bedæ Martyrologio, quod Godefridus Henſchenius anno priori publicauit, tertio Idus Aprilis mentio fit *Leonis Papæ & Confeſſoris*, & quarto Kalendas Iulij, *Sancti Leonis Papæ*. In vulgato autem eiuſdem Bedæ Martyrologio, quod extat operum Tomo tertio, nulla fit Leonis Papæ memoria tertio Idus Aprilis, ſed quarto Kalendas Iulij hæc leguntur, quæ Leoni Primo conueniunt. *Leonis Papæ, qui poſt Petrum Apoſtolum quadrageſimus-ſeptimus in vrbe Roma ſedit annos viginti vnum, menſem vnum, dies tredecim. Hic cum multis Epiſcopis fidem Catholicam exponens, Eutychianam & Neſtorianam hæreſim damnauit, & ſanctiſſimum Concilium Chalcedonenſe ſuâ induſtriâ congregari fecit. Hic conſtituit intra actionem dicere, ſanctum ſacrificium, & Monacham non accipere velamen capitis benedictum ab Epiſcopo, niſi priùs probata illius virginitas fuerit.* Kalendarium Romanum, quod Ioannes Fronto publicauit, eandem Bedæ ætatem ſapit, exaratúmque videtur intra tempora Gregorij Secundi & Gregorij Tertij, quorum alter Romæ ſedere cœpit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, alter viuere deſiit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo. In illo Kalendario, nullius Sancti nomen aut feſtum occurrit tertio Idus Aprilis, ponitúrque quarto Kalendas Iulij *Tranſlatio corporis B. Leonis*. Quis autem credat in eo Kalendario Leonem Secundum inſcriptum & prætermiſſum Leonem Magnum? Sergius Papa, qui Pontificatum tertio poſt Leonis Secundi mortem anno ſuſcepit, corpus beati Leonis, quod in Baſilica Sancti Petri quieſcebat, ex vno loco in alium tranſtulit. Sic enim Anaſtaſius in ipſius Sergij vita. *Hic corpus B. Leonis probatiſſimi Patris atque Pontificis, quod in abdito inferioris ſecretarij prædictæ Baſilicæ*, nempe Sancti Petri, *poſitum fuerat, factâ diligentiùs tumbâ in denominata Baſilica publico loco, vt ſibi fuerat reuelatum, repoſuit, ac locum ipſum ornauit.* Hæc procul dubio Leonis Magni Tranſlatio fuit, cuius dies ex prælaudato Kalendario colligitur, vnde data Bedæ & aliis occaſio, vt illo die, quarto videlicet Kalendas Iulij, memoriam Leonis Primi celebrarent. Vſuardus & Wandalbertus Sancti Leonis bis meminerunt, ſemel tertio Idus Apriles, iterum quarto Kalendas Iulias. Vſuardus tertio Idus Apriles ſic. *Romæ, Natalis beati Leonis Papæ, cuius temporibus extitit ſancta Synodus Chalcedonenſis.* Et quarto Kalendas Iulias. *Natalis beati Leonis Papæ & Doctoris.* Wandalbertus ſeu Wandelbertus tertio Idus Apriles hoc diſticho XXXV.

Pontifice & ſummo ternæ irradiante Leone
Splendent; ore, manu, Chriſti qui pauit ouile.

Et quarto Kalendas Iulias hoc verſu,

Præſule quartus ouat, verbi & Doctore Leone.

Ioannes Molanus vtroque loco Leonem Primum intelligit. Nam tertio Idus Apriles ad marginem iſtarum vocum, *beati Leonis Papæ*, quæ leguntur illo die apud Vſuardum, hanc habet notatiunculam, *Primi, de quo 28. Iunij*, Et quarto Kalendas Iulias, iſtam; *de Leone, Pontificale c. 47. & Caniſius ante opera.* Vſuardum, quem Ioannes Molanus anno Chriſti milleſimo quingenteſſimo duodeſeptuageſimo Louanij publicarat, Laurentius *de la Barre* Pariſiis edendum quoque curauit anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo-tertio, diuersámque à Molano ſuper Sancto Leone ſententiam amplexus, notam, quam ille quarto Kalendas Iulias ad marginem

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

Vſuardi poſuerat, ad diem tertium ante Idus Apriles ita tranſtulit. *De Leone ter Sancto Pontificale cap.* 47. *Vita operibus præmiſſa, Auctore, vt puto, Caniſio. Pluráque ex ipſius Auctoris ſcriptis, de vita eius addi poſſent.* Et quarto Kalendas Iulias Leonem Papam, expuncto Doctoris titulo, Confeſſorem vocauit, tum ſubiecit ad marginem hæc verba nouæ illuſtrationi accommodata. *De Leone* 2. *Pontificale cap.* 82. Vt duos Leones diſtingueret, Doctoris titulum, quem Leoni Magno conuenire non inficiabatur, quarto Kalendas Iulias abraſit. At hic titulus legitur in omnibus exemplaribus Vſuardi, nec adeò facilè deleri vel cum altero mutari poteſt apud Wandalbertum, qui Martyrologium metricè compoſuit, & quarto Kalendas Iulias hunc verſum euulgauit.

Præſule quartus ouat, verbi & Doctore Leone.

XXXVI. Iacobus Moſander Carthuſiæ Colonienſis inſignis alumnus, Adonis Martyrologium primus edidit cum hac præfatione. *Martyrologium hoc ex quatuor peruetuſtis manuſcriptis Codicibus ſibi mutuò correſpondentibus manu propriâ exarauimus. Verùm quartus à Monacho Ordinis Sancti Benedicti conſcriptus aliquot Sanctorum nomina continebat, qui in ceteris tribus non habebantur. De quibus cùm dubitaremus, an eſſent Adonis, vel potiùs per dictum Monachum eius Martyrologio adiecta, doctorum virorum vſi conſilio, eoſdem Sanctos ſigno ſtellæ, ſic *, prænotauimus ad euitandum omnem errorem & ſcrupulum.* Heribertus Roſweydus Vltraiectinus Societatis Ieſu Theologus tres Codices Moſandrianis vetuſtiores nactus, multò plura, quæ retulit in Appendicem, deprehendit Adonis non eſſe, & vt ea de quibus Moſander iam dubitarat, à ceteris diſtingueret quæ iudicio trium prædictorum Codicum reſecanda videbantur, illa, vt Moſander fecerat, ſtellâ prænotauit, hæc abſque aſteriſci ſigno recenſuit. *Ego*, inquit in præfatione ad Appendicem, *collatione trium Codicum manuſcriptorum Moſandrianis Codicibus vetuſtiorum, multò plura deprehendi Adonis non eſſe. Quæ in Appendicem quoque retuli, ſine aſteriſci tamen ſigno, vt conſtet quæ communi noſtro Moſandríque conſenſu ab Adone reſecanda ſint, quæ verò prætereà iudicio trium manuſcriptorum quos dixi Codicum.* In illa Appendice, tertio Idus Aprilis, hæc notantur aſteriſco. *Eodem die, Romæ, beati Leonis Papæ.* Ergo Moſandri Roſweydíque iudicio mentio beati Leonis apud Adonem fit tantùm quarto Kalendas Iulij, quo die breuiter ſic idem Ado. *Ipſo die, Natalis Sancti Leonis Papæ.* Cetera enim, quæ vulgatus exhibet Ado, reiiciuntur in Appendicem à Roſweydo, nec immeritò, quia non ad vnum Leonem ſeu Primum ſeu Secundum, ſed partim ad Primum partim ad Secundum pertinent. Secundo congruunt iſta. *Qui ſedit menſes decem Romæ. Hic eloquentiſſimus & diuinis Scripturis ſufficienter inſtructus, Græcâ Latinâque linguâ eruditus. Hic ſanctam ſextam Synodum, quæ in Regia vrbe celebrata eſt, vbi damnati ſunt Cyrus, Sergius*, & alij hîc omiſſi breuitatis causâ, *qui vnam voluntatem & operationem in Domino Ieſu Chriſto prædicabant, de Græco in Latinum tranſtulit. Hic conſtituit, vt qui Archiepiſcopus ordinatus fuerit, nullâ conſuetudine pro vſu Pallij in diuerſis officiis perſoluere debeat.* Leoni Primo hæc. *Hic cum multis Epiſcopis fidem Catholicam exponens, Eutychianam & Neſtorianam hæreſim damnauit, & ſanctiſſimum Concilium Chalcedonicum ſuâ induſtriâ congregari fecit. Hic conſtituit Monacham non accipere velamen capitis benedictum ab Epiſcopo, niſi priùs probata illius virginitas fuerit.* Roſweydus Adonis Martyrologio præpoſuit aliud, quod vetus Romanum falsò cenſuit, eſt enim Adonis epitome, in qua nullum tertio Idus Aprilis de Sancto Leone verbum occurrit, hæc autem quarto Kalendas Iulij. *Romæ, Leonis Papæ.* Gregorius Magnus Papa Leone Primo poſterior & antiquior Secundo, ſcripſit librum Sacramentorum, in quo vel neutrius Leonis meminit iuxta fidem Codicis Remenſis, vel Leonis duntaxat Primi cuius feſtum in multis exemplaribus quarto Kalendas Iulij memoratur. Hodie vterque Leo commendatur in Martyrologio Romano. Primus tertio Idus Aprilis ſic. *Romæ Sanc-*

Digitized by Google

ti Leonis Papæ, qui virtutum excellens meritis dictus eſt Magnus. Eius temporibus AN. CH.
celebrata fuit Sancta Synodus Chalcedonenſis, in qua ipſe per Legatos Eutychem 686.
damnauit, cuius etiam Synodi decreta auctoritate ſuâ confirmauit, cúmque multa
ſanxiſſet & luculenter ſcripſiſſet, de ſancta Dei Eccleſia & vniuerſo grege Domini- THEO-
co Paſtor bonus optimè meritus in pace quieuit. Et Leo Secundus, quarto Ka- DOR. III.
lendas Iulij, ſic, *Romæ, Sancti Leonis Papæ Secundi.* R. 13.

Ex lectione ac collatione tot Martyrologiorum ac Kalendariorum liquet XXXVII.
nullam olim Leonis Papæ Secundi memoriam in Eccleſia Romana fieri ſolitam, & in vetuſtis Faſtis ad Leonem Primum ea pertinere quæ quarto Kalendas Iulij de Leone Secundo recentiores explicuerunt. Nihil igitur obeſt quominùs Leonem Secundum iuxta ſententiam Anaſtaſij quinto Nonas Iulij mortuum aſſeramus. Poſt felicem eius ad Deum migrationem *ceſſauit Epiſcopatus menſes* II. *dies* XXII. Succeſſor Benedictus annum integrum non ſedit. Tranſiit ad Deum aut Nonis Maiis, vt vulgatum Bedæ Martyrologium, Appendix ad Martyrologium Adonis & Martyrologium Romanum teſtantur, aut poſtridie eaſdem Nonas ſiue octauo Idus Maias vt Anaſtaſius ſcribit. Tenuit igitur Pontificatum menſes ſeptem, dies duodecim aut tredecim. *Suſcepit*, teſte Anaſtaſio, *Diuales iuſſiones Clementiſſimi Conſtantini Magni Principis*, &c, eodem Auctore [a], Conſtantinus Auguſtus vitam clauſit *initio* [a] In Ioann. 5.
Septembris, Indictione decimâ-quartâ, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto. Hinc conſtat ſancti Benedicti Pontificatum partim ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, partim ad annum proximum pertinere.

Apud Anaſtaſium ſanctus Benedictus ſepelitur *octauo Idus Maij*, ceſſat Epi- XXXVIII.
ſcopatus *menſes duos, dies quindecim.* Ioannes ſancti Benedicti ſucceſſor ſedet *annum vnum, dies nouem*, & ſepelitur *die ſecundâ menſis Auguſti.* Exceſſit igitur ex hac vita Ioannes quarto Nonas Auguſtas, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto. *Ceſſauit Epiſcopatus menſes duos, dies decem & octo.* Tum electus eſt Conon decimo-tertio Kalendas Nouembres, vt dictum eſt ſuprà.

De Ioanne Quinto Papa ſilere hoc loco non poſſumus, quod in Chronico XXXIX.
San-Benigniano legitur. *Tempore Wlfechranni venerandæ memoriæ Abbatis præ-* ERONVS EP.
ſidebat Lingonum Eccleſiæ Eronus venerabilis Epiſcopus, qui inter cætera beneficia, LINGONEN-
quæ huic contulit loco, nempe Monaſterio ſancti Benigni, *à Summo Pontifice vel* SIS.
veriùs Romanis Pontificibus Ioanne & Sergio petiit fieri decretum, in quo continetur, vt nullus præſumat conſtituere Cymiterium vel ſacrare, præter hunc qui ad iſtam ſancti Benigni Eccleſiam pertinet, & vt nullus audeat vim aliquam inferre in Clauſtro vel in Burgo ad hunc locum pertinente. Temporibus igitur Ioannis
Papæ Quinti, Monaſterio ſancti Benigni præerat Wlfechrannus Abbas il- WLFE-
lius nominis Secundus, Eccleſiæ Lingonenſi Eronus Epiſcopus. Obiit Ioan- CRANNVS
nes quarto Nonas Auguſtas, hoc anno. Vacauit Sedes *menſes duos, dies de-* ABB. SAN-
cem & octo, teſte Anaſtaſio. Tum ſubrogatus eſt Conon decimo-tertio Kalen- BENIGN.
das Nouembres. Hic ſedit menſes vndecim & dies viginti tres, obiítque tertio Idus Octobres anno ſequenti. Succeſſit in Sedem Romanam Sergius, de quo non ſemel locuturi ſumus.

Hoc anno, quo Kilianus Scotus in Franciam nauigauit, Vltanus æquè XL.
Scotus apud Viromanduos obiit, & maximum ſui deſiderium Francis reli- VLTANO
quit. Hic trium erat Monaſteriorum Abbas, Foſſenſis in Epiſcopatu Traiec- ABBATE
tenſi, Peronenſis & San-Quintinenſis in Diœceſi Nouiomenſi. Migrauit ad PERONENSI
Deum Kalendis Maij. Sacra eius oſſa partim Peronæ, partim Foſſis adſer- MORTVO,
uantur, vt Molanus & Miræus ad illum diem teſtantur. De anno, quo rebus humanis exemptus eſt, non omnes conſentiunt. Ioannes Buzelinus [b] [b] In Annal. Gallo-Fland. lib. 2.
mortuum ſcribit *an. circiter* 679. Citiùs defunctum opinatur [c] Iacobus Malbrancus, Amatum enim, qui ſub ipſius Vltani cuſtodia, quandiu hic vixit, [c] In Chronolog. Tom. 1. de Morin.
in Monaſterio Peronenſi detentus eſt, *ærâ Chriſti* 678 Monaſterij Broilenſis

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

Abbatem factum tradit. Lucas Dacherius, in notis ad opera Guiberti Abbatis Beatæ Mariæ de Nouigento, *Chronologicum Abbatum Monaſterij ſancti Quintini de Monte ſummarium* à Domno Stephano *le Gris*, *è vetuſtis eiuſdem Cœnobij chartis ac ruderibus* erutum publicauit, in quo felix S. Vltani tranſitus conſignatur *anno Chriſti* 686. Poſtremam hanc ſententiam lubenter amplectimur, quia, circa illam ætatem, nec Buzelini nec Malbranci Chronologia nobis placet, neuter enim, vt legenti patebit, annos Regum Francorum benè aſſecutus eſt.

XLI. AMATVS BROILVM IVSSV REGIS ABDVCITVR.

Auditâ ſancti Vltani morte, Rex Theodoricus Mauronto ſtatim præcepit, vt Amatum Epiſcopum quondam Senonenſem, quem prædictus Vltanus in Monaſterio Peronenſi cuſtodiendum ſuſceperat, in Cœnobium abduceret, quod ipſe nuper ad Lyſam fluuium erexerat in fundo ſuo, cui nomen Broilus. Regalibus mandatis obtemperauit Maurontus, hæc enim in vita ſancti Amati leguntur [a]. *Vltano Abbate viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Rex Maurontum ad ſe vocat, iubétque, vt ſanctum Amatum Epiſcopum, Peronæ exulantem, ſine mora ſecum adducat, & in ſuo Monaſterio cuſtodiendum ſeruet. Facit Maurontus, vt erat iuſſus, Peronámque veniens, ſanctum virum cum omni eius apparatu ſecum ducit.*

[a] Ap. Sur. d. 13. Sept.

XLII.

Quodnam vitæ genus tunc Maurontus ſectaretur, apud omnes haud conſtat. Georgius Coluenerius in obſeruationibus ad librum primum [b] Chronici Cameracenſis & Atrebatenſis, duplex exilium, quod Amatus Epiſcopus tulit, ex libro argenteo manuſcripto Eccleſiæ Duacenſis Collegiatæ ſic diſtinguit. *Sanctus Amatus exilium ſubiit, primùm ſub ſancto Vltano, Abbate Peronenſi, poſteà ſub B. Mauronto Duce.* Iacobus Malbrancus [c], cùm illud negotium enarrat, Maurontum Cancellarium vocat. *Apud Cygnopum ſeu Peronam amiſſum Vltanum parentem non parum luxere Monachi, ſed calamitatem leuabat quotidianus Præſulis Amati congreſſus, quem in multos annos cupiiſſent prorogari. At Rex ſubueritus, ne qua ſibi pernicies ab eius lingua, ſi forſan cuſtodiâ elabi contingeret, cuderetur, excogitat quas in oras tutiùs relegetur. Subiit Maurontum haud ita pridem ſyluas inter & auia ſeptum Monaſticum erexiſſe, placet eò detrudatur, defertúrque inſuetum Cancellario imperium, qui virum quidem ſecum Peronâ educere certus eſt, ſed ad Martianenſes, non in Broylum ſuum.* De variis locis, in quæ Amatus à Mauronto deductus eſt, diſſeremus infrà. Quæſtio tantùm hîc mouetur, vtrùm Maurontus laicus, an Monachus, aut Abbas, vel Clericus fuerit, cùm Peronam ſe contulit, vt Amatum inde ſecum abduceret. Authores præcitati, ſeu Ducem ſeu Cancellarium appellant, eum innuunt rebus ſecularibus adhuc implicatum. Sed aliter ſentiendum ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum [d] Tomo ſuperiore per anteceſſum iam præmiſimus.

[b] Cap. 22.

[c] Lib. 4. c. 17.

[d] Num. 13.

XLIII.

Maurontus in habitu laicali varia geſſit munera. Syluarum præfecturâ donatus eſt. In vita ſancti Richarij, quam Codex manuſcriptus Bibliothecæ San-Victorinæ nobis ſuppeditauit, Alcuinus ſic loquitur de Giſilmaro & Mauronto qui Richario locum manendi præbuerunt in ſylua Criſiacinſi, vbi Foreſtis-Cella. *Giſilmarus vir illuſter & Chriſtianæ Religionis deuotus amator, ſimul & Maurontus nobilis quidam vir & terrarum vel ſyluarum ad Regem pertinentium ſeruator, præbuerunt locum manendi in ſylua Criſiacinſe.* Præterea Maurontus, vt Hugbaldus [e] in vita ſanctæ Rictrudis teſtatur, *in aula Regis, quippe clarâ editus proſapiâ, præclarè functus eſt officio Regiorum conſcribendorum Diplomatum ſiue Edictorum*, id eſt, officio Referendarij ſeu Cancellarij, vt recentiores appellarunt. Peruenit ad viriles annos, priuſquàm mundo nuntium remitteret. Quomodo factus ſit ex laico Clericus, idem Auctor in eadem vita ſic docet. *Poſtquàm autem Maurontus ad viriles peruenit annos, cùm eſſet vir nobilis Regis lateri adhærebat, qui perpetuis eius officiis & miniſteriis vtebatur. Data autem eſt opera, vt ſponſa ei aſciſceretur, ſed Amando Pontifice ſpiritalis amoris & ſuauitates & æternæ vitæ iucunditates ei prædicante,* voluptuoſos

[e] Ap. Sur. d. 12. Maii.

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

voluptuoſos carnalis amoris compedes, quibus iam ferè pedem iniecerat, dirupit. Cùm autem matri indicaſſet ſe nolle ſponſam admittere, illa metuens ne per abrupta laſciuiæ præcipitia, vt plerique ſolent adoleſcentes, iret in profunda gehennæ, non mediocriter dolere cœpit, orátque Sanctum Amandum, vt ipſam ea in re iuuare velit. At vir Sanctus eius precibus annuens, Martianas venit, optimíſque ſermonibus eam demulcens, priſtinæ in Deum alacritati reſtituit. Acceſſit inde ad Miſſarum peragendam celebritatem, & cùm illic Maurontus adſtaret, vidit Sanctus Epiſcopus apem, ter eius verticem circumuolantem, nec ignorans quid ea res portenderet, eum aduocat, hortatur vt quamprimùm opere perficiat, quod iampridem animo velle cœpiſſet. Nec defuit Maurontus Sancti viri monitis, cúmque idem beatus Antiſtes more Eccleſiaſtico totondit, decisâ comâ capitis eius, vt corona ſignum vel effigiem ferret in capite, per id, quod exteriùs fiebat, innuens, quid eius ſignificatione intus ſeruari oporteret; nempe vt vertice capitis nudato deſignaretur, præpotenti Deo nuda & aperta eſſe etiam arcana pectorum, nihílque vel abditiſſimis verſari cogitationibus, quod fugiat oculos cuncta cernentis. Porrò crebra capillorum reſectio indicaret aſſiduè reſecandas malarum cogitationum ſuperfluitates. Denique corona & ſummi Sacerdotis tiaram & Regiæ dignitatis diadema exprimeret, vt inde admoneretur ad Regale ſe pertinere Sacerdotium, & poſt victoriam ex multinariis mortalis vitæ tentationibus reportatam, meritò ſe recepturum vitæ immortalis coronam, quam Deus promiſit diligentibus ſe. Quæ quidem ſanctus vir Maurontus non ſolùm ex beatiſſimi Præſulis huius traditione, ſed etiam ex diuinarum ſcripturarum lectione ſuſcipiens & memoriæ commendans ſtuduit ſemper diligentiſſimè re ipſâ complere. Factus eſt enim poſteà Diaconus, illi muneri congruâ viuendi ratione & optimâ conuerſatione reſpondit.

XLIV.

Natus eſt Maurontus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-quarto. Nuntium ſeculo priuſquàm remitteret, Euſebiam ſororem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo mortuam luxit, Richario Abbati Centulenſi eiúſque diſcipulo Sigobardo ſolitariam manſionem in ſylua Criſciacenſi præparauit, ibique Monaſterium inchoauit cui nomen Foreſtis-Cella. *Eum beatus Amandus Epiſcopus*, vt in vita ſancti Amati Senonenſis Epiſcopi legitur, *Clericorum Abbatem inſtituit, & Diaconum ordinauit.* Maurontus igitur ex laico factus eſt Clericus, tum Diaconus & Clericorum Abbas, ſuperſtite in viuis beato Amando, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum incidit, cùm Amatus Epiſcopus quondam Senonenſis apud Peronam exulabat. Idem Maurontus ex Clerico factus eſt poſteà Monachus. *Qui & ipſe Maurontus*, inquit Alcuinus manuſcriptus in vita ſancti Richarij, *poſteà Monachus factus eſt.* Id autem poſt beati Amandi mortem videtur contigiſſe, cùm Maurontus Broilenſe Monaſterium ædificauit. Sanctus Vltanus beato Amando ſeptem duntaxat annos ſuperſtes vixit. Ad illud ſeptennium referenda ſunt initia Cœnobij Broilenſis, de quo ſic Hugbaldus in vita ſanctæ Rictrudis iam laudata. *Mortuo Vltano, traditus eſt* Amatus *Mauronto Abbati, vt is eum in cuſtodia aſſeruaret in Broylo Monaſterio, quod ipſe nuper admodum conſtruxerat in Latiæ territorio.* Hic textus clarior eſt, quàm vt Maurontum Monaſterij à ſe conditi Abbatem fuiſſe inficieris. Anonymus, qui vitam ſancti Amati conſcripſit, Clericatum ac Diaconatum Mauronti necnon conſtructionem Broilenſis Monaſterij commendat, móxque ſancti Vltani mortem & ipſius Amati diſceſſum è Monaſterio Peronenſi ſic ſubiungit. *Eum*, nempe Maurontum, *beatus Amandus Epiſcopus Clericorum Abbatem inſtituit, & Diaconum ordinauit. Is itaque in fundo ſuo, qui Broilus dicitur, in ſancti Petri honorem Monaſterium conſtruxit. Atque Vltano Abbate viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Rex Maurontum ad ſe vocat, iubétque vt ſanctum Amatum Epiſcopum, Peronæ exulantem, ſine mora ſecum adducat, & in ſuo Monaſterio cuſtodiendum ſeruet.* Hæc ſatis ſupérque probant Maurontum Monaſterij Broilenſis conditorem atque Abbatem priùs extitiſſe, quàm Vltanus Peronenſis Abbas obierit, & Amatus Peronâ coactus ſit diſcedere.

A MAVRONTO ABBATE.

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

XLV. Mauroncus igitur Abbas, cùm Broilenſis Monaſterij recens à ſe conditi curam gereret, à Theodorico Rege mandatum accepit, vt Amatum Senonenſem quondam Epiſcopum, qui Peronæ ſub Abbatis Vltani cuſtodia per multos annos exularat, in prædictum Cœnobium Broilenſe ſecum abduceret. Peronâ Broilum contendentibus iter Cameraco fuit. Ibi virtus Amati patuit inſigni miraculo, quod in eius vita iam citata ſic deſcribitur. *Cùm in itinere Cameracum veniſſent, ſanctus Amatus captiuus & exul ſolus prædicandi causâ in beatiſſimæ Virginis ædem ingreditur, cucullum ſuum à collo deponit, & vtramque manicam, atque ad Solis radium neſcius ſuſpendit, tam præclaro ſigno Domino eius ſanctitatem demonſtrante. Non diu pòſt venit ad templum etiam Maurontus, vidénſque admirabile ſignum obſtupeſcit, atque ad ſancti Epiſcopi veſtigia collapſus, humiliter petit veniam, quòd talem ac tantum virum auſus eſſet cuſtodiendum ſuſcipere. At verò ſanctus Antiſtes comiter ei reſpondet. Non tibi acerbum aut triſte videatur, frater, quòd tecum huc ego perueni, qui paratus ſum, quocumque iuſſerit, & in carcerem, & in mortem ire. His dictis, in mutui amoris argumentum, in mutuos ruunt amplexus & oſcula pacis.* Baldericus idem miraculum in Chronico [a] Cameracenſi non omittit. *Radio*, inquit, *Solis, qui per foramen parietis infulgebat, pro ſeruo vſus eſt. Quoniam fatigatus itinere, materiale onus, vt ſpirituale leuius aſſumeret, deponens, cappam ſuam atque manicas ſuas radio Solis, tanquam ibi protenſæ ferulæ ignoranter iniecit. Quæ Sol ipſe ſuſcipiens, dum orationi proſtratus incumberet, famulando ſuſtinuit.* Georgius Coluenerius in notis ad illum locum, ſimilia profert exempla, quorum nonnulla, quia pertinebant ad hos Annales, iam recitauimus. Baldericus admirationem, quâ Maurontus ob tale prodigium correptus fuit, ita proſequitur. *Beatus Mauruntus Sancti veſtigia ſubſecutus, cùm Eccleſiam introiſſet, & exuuias Sancti de Sole pendere deprehendiſſet, Deúmque mirabilem glorificando prædicans, tanti viri pedibus ſe proſtrauit, ſuámque ignorantiam accuſans, ſi quid in eum peccaſſet, veniam poſtulauit. Non enim illi anteà competenter ſeruierat, vtpote quem tanti meriti apud Deum fuiſſe nondum nouerat. At mitiſſimus Præſul clementer indulſit.*

In itinere claret miraculis.

[a] Lib. 1. c. 22.

XLVI. *Non multò pòſt, viribus reſumptis, iter quoque reſumunt quod cœperant, laborémque ſuum diuini ſermonis dulcedine lenientes, Hamaticum deueniunt. Quo in loco diutiſſimè commorantes, non minimùm profecerunt.* Hæc idem Baldericus. At eos in Hamatico Cœnobio non *diutiſſimè* ſed *aliquantiſper* commoratos eſſe rectiùs ſcribit Anonymus in vita ſancti Amati. *Vbi*, inquit, *iter confecere, haud procul à Martianis, qui locus eſt ad Scarpam fluuium ſitus, aliquantiſper in Hamatico Cœnobio hæſerunt.* Sequitur apud eundem Auctorem hæc vtriuſque Monaſterij commendatio, quæ næuo certè non caret; nam Chronologiæ refragatur. *Ea duo Cœnobia, Martianenſe & Hamaticum, opportunâ ſibi vicinitate coniuncta, ſub vno canone & amica ſocietate degebant; atque in eorum altero ſancta Gertrudis, beati Adalbaldi auia, cum ſua pronepte & virgine Euſebia; in altero pari ſtudio florebat Ionatus ſancti Amandi diſcipulus, & Rictrudis cum filiabus duabus. In vtroque autem grex erat plurimus, præclaris virtutum ornamentis illuſtris. Eiuſmodi ergo cœtibus adiunctus eſt beatus Confeſſor Amatus, omnéſque pariter vna animi intentio ad ſublimis iuſtitiæ culmina euehebat.* Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio, vt Tomo ſuperiore probauimus, iacta ſunt fundamenta Monaſterij Martianenſis in alodio Ducis Adalbaldi, Monachorúmque ibi congregatorum primus Abbas conſtitutus eſt Ionatus. In viuis ſupererat Gertrudis eiuſdem Adalbaldi Ducis auia materna, vicinúmque Hamaticum poſt Rigomari coniugis ſui mortem à ſe conditum ſapienter adminiſtrabat. Anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto necatus eſt Adalbaldus. Hic quatuor liberos reliquit ex vxore Rictrude, filium vnum nomine Maurontum, tréſque filias, Clotſendem, Euſebiam & Adalſendem. Anno ſequenti, Rictrudis, cùm ſecundas nuptias reſpuiſſet, comitantibus duabus filiabus Clotſende & Adalſende ſeceſſit in Monaſterium

Digitized by Google

Martianenſe, quod deinceps ita diuiſum fuit, vt alteram partem viri, qui-bus Ionatus Abbas præerat, alteram incolerent fœminæ, quibus præerat Rictrudis Abbatiſſa, proauiam verò Gertrudem Abbatiſſam Hamaticenſem adiit Euſebia eiuſdem Rictrudis filia. Tunc id verè contigit, quod in textu proximè citato commemoratur. *Ea duo Cœnobia, Martianenſe & Hamaticum, opportunâ ſibi vicinitate coniuncta, ſub vno canone & amica ſocietate degebant; atque in eorum altero ſancta Gertrudis, beati Adalbaldi auia, cum ſua pronepte & virgine Euſebia; in altero pari ſtudio florebat Ionatus ſancti Amandi diſcipulus, & Rictrudis cum filiabus duabus*, Clotſende videlicet & Adalſende. Sed is rerum ſtatus haud diuturnus fuit, nec ad aduentum vſque Amati Epiſcopi, ſiue ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimnm octogeſimum-ſextum perdurauit. Obierunt enim Hamaticenſes Abbatiſſæ, Gertrudis anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-nono, Euſebia eius proneptis anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo. Prætereà Rictrudis Adalſendem filiam, quæ iuuenis erat, in Cœnobio Martianenſi mortuam defleuit, cùm Maurontus animum ſecularibus negotiis adhuc intendebat. Eo igitur tempore, quo Amatus Hamaticum & Martianas peruenit, Ionatus, Rictrudis illiúſque filia Clotſendis apud Martianas degebant, aliæ verò Rictrudis filiæ, Euſebia ſcilicet & Adalſendis earúmque proauia Gertrudis ex hac vita iam migrarant, Gertrudis & Euſebia in Hamatico Cœnobio cuius adminiſtrationem geſſerant, Adalſendis in Martianenſi, vbi cum Rictrude matre morabatur. Atque vt textum ſuprà deſcriptum, quem Gertrudis Abbatiſſæ Hamaticenſis anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo mortuæ poſtremis annis conuenire diximus, ad Amati exilium accommodare poſſis, in huius vita ſic lege. *Ea duo Cœnobia, Martianenſe & Hamaticum, opportunâ ſibi vicinitate coniuncta, ſub vno canone & amica ſocietate degebant; atque in eorum altero* nempe Hamatico, *Gertrudis; in altero*, nempe Martianenſi, *pari ſtudio florebat Ionatus ſancti Amandi diſcipulus, & Rictrudis cum filia*, id eſt, cum Clotſende. *In vtroque autem grex erat plurimus, præclaris virtutum ornamentis illuſtris. Eiuſmodi ergo cœtibus adiunctus eſt beatus Confeſſor Amatus, omnéſque pariter vna animi intentio ad ſublimis iuſtitiæ culmina euehebat.* Per Gertrudem autem intellige Gertrudem Ingomari viri illuſtris relictam, Hamaticenſem tunc Abbatiſſam, de qua ſermonem mox habituri ſumus.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

Amatus Epiſcopus *aliquantiſper* apud Hamaticum moratus eſt. *Cùm autem in beato Antiſtite*, vt Auctor vitæ proſequitur, *totius perfectionis gratia reluceret, viſum eſt tandem bono diſpenſatori Mauronto & eius ſanctæ matri Rictrudi, Broilenſi Monaſterio eum præficere, & ſe & prædium ſuum per illum Domino offerre. Coactus igitur ab illis & toto Monaſterio vir Dei, cùm eis benè precatus eſſet, eò profectus eſt, totíſque viribus illic Domino ſanctè & religioſè inſeruiens, ſubditis de ſe præbuit humilitatis exempla, tam verborum doctrinâ & inſtitutione, quàm vitæ ſimplicis eximiâ puritate.* Hæc breuiùs à Balderico ſic perſtringuuntur, nullâ Broilenſis præfecturæ mentione factâ. *Relicto denique Hamatica Cœnobio, ſacer Præſul educitur, Broilúmque perductus eſt.* XLVII. MORATVR APVD HAMATICVM ET MARTIANAS.

XLVIII. In dubium minimè vocamus, quin Maurontus, antequàm Broilenſe Monâſterium conſtrueret, Clericus & Abbas Clericorum fuerit. Imus etiam lubenter in eorum opinionem, qui prædictum Cœnobium priùs ab eodem Mauronto conditum tradunt, quàm Amati cuſtodiendi prouinciam à Rege ſibi demandatam accepiſſet. Apud Anonymum, qui vitam ſancti Amati conſcripſit, *Rex Maurontum ad ſe vocat, iubétque vt ſanctum Amatum Epiſcopum, Peronæ exulantem, ſine mora ſecum adducat, & in ſuo Monaſterio cuſtodiendum ſeruet.* Deinde, cùm Amatus & Maurontus apud Hamaticum *aliquantiſper* ſubſtitiſſent, *viſum eſt tandem bono diſpenſatori Mauronto & eius ſancta matri Rictrudi* Martianenſi Abbatiſſæ, *Broilenſi Monaſterio eum*, nempe Amatum, *præficere, & ſe & prædium ſuum per illum Domino offerre.* Vltano & Mauronto idem à Theodorico videtur imperatum, vt Amatum Vltanus apud

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

Peronam, Maurontus apud Broilum, vterque in ſuo Monaſterio, ſiue in Monaſterio cui præerat, ſub cuſtodia teneret. Nec audiendus Miræus in Faſtis Belgicis [a], vbi ait Amatum in Monaſterio ſepultum fuiſſe, quod in Broilo Maurontus *hortatu eiuſdem Præſulis* extruxerat; priùs enim, quàm Amatus Broilum aduentaret, Maurontus illic Monaſterium erexit, atque Abbatis officio præclarè functus eſt, donec raptus in admirationem virtutum, quæ ſummæ erant in Amato Epiſcopo & oculos omnium perſtringebant, adminiſtrationem Cœnobij ſtatuit eius humeris imponere, ſiue, vt Molani [b] verbis vtar, *exſulantem non ſolùm fouit, ſed & præeſſe voluit.*

[a] d. 5. Maii.

[b] d. 5. Maii.

XLIX. Fit Abbas Broilenſis.

Relictis igitur Hamatico & Martianis, Amatus & Maurontus Broilum peruenerunt, ibique Amatus conſtitutus eſt Abbas Mauronto ſponte præfecturam Monaſterij Broilenſis abdicante. Tantam autem mutationem in Amato factam haud putamus inſcio Rege. Quis enim ſibi perſuadeat Regis imperium adeò contemptum, vt exul in ipſius exilij loco fieret Abbas ſpontaneâ ceſſione Abbatis, cuius cuſtodiæ ab ipſomet Rege traditus fuiſſet. Totum negotium hoc ordine peractum arbitramur. Maurontus de virtutibus quæ ſplendeſcebant in Amato, déque miraculis quæ Deus per eum operabatur, Theodoricum Regem per nuncios certiorem fecit, & vt Epiſcopus tam inſignis, cuius innocentiam tot prodigia declararant, amicitiæ Regiæ priſtinæque libertati reſtitueretur, Abbáſque præficeretur Congregationi Broilenſi, flagrantiſſimè poſtulauit. Petitionibus Rex annuit, auditâ rerum adeò mirabilium enarratione. Cauſam odij, quo Theodoricus in Amatum ferebatur, Auctor vitæ ſic exponit. *In Regnum* poſt Childerici fratris mortem *Theodoricus reſtituitur. Apud quem tunc nimis credulum à maleuolis, qui ſemper ſolent inuidere bonis, accuſatus eſt Amatus Epiſcopus. Ille mox inauditum iubet abire in exilium.* Clariùs Hucbaldus in vita ſanctæ Rictrudis. *Epiſcopus falsò apud Theodoricum Regem inſimulatus fuit, tanquam in Regem perfidiæ crimen admiſiſſet, atque eâ causâ in Perona Monaſterio iuſſus eſt exul degere.* Eius autem innocentiâ tot ſignis comprobatâ, Rex odium facilè depoſuit, & vt Abbas apud Broilum is eſſet, quem maledicorum hominum fraude calumniâque deceptus è Cathedra Senonenſi deiecerat, annuit lubentiſſimè.

L. Malbrancus [c] Maurontum adhuc laicum fuiſſe credit, cùm Amatus Epiſcopus Broilum acceſſit, additque detrectatam ab eodem Pontifice Monaſterij Broilenſis adminiſtrationem, donec Rictrudi Martianarum Abbatiſſæ, Bertino Cœnobij Sitiuenſis Abbati & Mauronto Monaſterij Broilenſis conditori, preces importunas ingeminantibus, ægrè ceſſit. *Inſtant, premunt, vrgent, Martianæ, Sitiu, Broylus, quippe etiam Bertinus, cui noua, quæ in Morinis aſſurrexere Cœnobia, deferebant, plurimùm tanti viri expetebant conſortium. Importunis tandem cedit precibus, ſeséque in Morinos transfert, vbi Audomari, Drancij, Siluini, Rauengarij, Bertini gratulabundæ voces acceſſere.* Non inficiamur Rictrudem, Bertinum & Maurontum, vt regendi Broili curam ſuſciperet, apud Amatum ſuis precibus plurimùm inſtitiſſe. Sed priuſquàm Amatus Broilum veniret, Maurontus nuntium rebus ſecularibus remiſit, & ad Morinenſis Eccleſiæ Pontificatum promotus eſt Bainus, quem anteceſſerunt Audomarus & qui Audomaro in Epiſcopatum proximè ſucceſſit Drancius. De Siluino & Rauengario Epiſcopis, quos Malbrancus Abbati Bertino propter Epiſcopales Infulas præponit, agemus inferiùs. Siluinus patriâ Toloſanus in Belgium ſeriùs venit. Rauengarius Eccleſiam Morinenſem poſt Bainum rexit. Abraſis igitur è Malbranci textu, quem proximè citauimus, *Audomari, Drancij, Siluini & Rauengarij* Epiſcoporum nominibus, ſolam *Bertini* Abbatis mentionem retine, qui Amato Morinenſem Diœceſim ingreſſo & adminiſtrationem Monaſterij Broilenſis adepto gratulari potuit.

[c] Lib. 4. c. 17.

LI. Sitvs Broili.

Iacobus Marchantius libro primo Flandriæ deſcriptæ in Mergemo, & Antonius Sanderus tomo ſecundo Flandriæ illuſtratæ in Caſleto vbi de Mauronti villa, & de Stegra ſermonem facit, ſitum Broili deſcribunt. Marchan-

Digitized by Google

tius ſic. *Mergemum vetuſtius eſt quàm ditius, quamuis pannificij quæſtuoſum. Communis opinio obtinuit, vt pro Minariaco, cuius meminit Antonini Pij Itinerarium, habeatur; à Gallis Meruilla, quaſi minor villa forſitan vocatur. Situm eſt hinc ad Lyzam, illinc ad ſiluam * Niepenſem, finitimúmque eſt Abbatiæ Belli prati, Bernardinæ, fæmin. ad Lizam ædificatæ. Olim Cænobio Broylenſi ornabatur, cuius Abbas Morandus fuit anno 701. non minùs celebri ſanctimoniâ quàm nobilitate.* AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

* *La foreſt de Nip.*

Sanderus in Mauronti villa, ſic. *Mauronti villa. In ditione Caſletana eam pono, quia aliàs eidem ſubcenſeri ſolebat, nunc auulſa, neſcio an ſuo bono, priuatum quid in Flandria oneribus tribuit, vulgò Merreghen vocant, Gallicè Meruille. Olim Menderghem & Menreghen quoque dicebatur, alij Minorem Villam vocarunt, alij etiam Minariacum, quod in Antonini Itinerario ponitur, non rectè tamen. Teſtibus enim Duacenſium veteribus ſcedis, cùm locus hic à ſitu paludoſo Broylus vocaretur, Abbas Morandus * ſiue Maurontus ad an. 701. non minùs ſanctitate quàm nobilitate celebris, eam à ſuo nomine appellauit, & cùm priùs Moranduille Gallicè, vel Morandghem Teutonicè diceretur, ad facilitatem denique Meeruille & Moereghem, & mox Meruille & Merreghem cœpit appellari, prout ante me, inquit Gramaius, notauit Adrianus Scriecquius. Viſitur adhuc ſacellum, vbi Anachoreticam ille egit.* Et paulò pòſt. *Eccleſiam parochialem Diuo Petro ſacram condidit D. Maurontus, & variis beneficiis auxit. Totum enim territorium Meruillenſe, cuius erat Toparcha, aſſignauit in dotem Monaſterij ſub titulo S. Petri à ſe ædificati, cuius Eccleſia modò eſt parochialis. Monaſterium autem mutatum in Collegium Canonicorum titulo S. Amati in oppido Duacenſi. Locus autem, in quo Monaſterium hoc ædificatum fuerat, Gallicè Bruel nominatus, prædium fuit eiuſdem Diui in illo municipio ſitum. Habuit autem olim hæc Eccleſia Sacerdotes plures, quàm modò habeat, præterquàm quòd ex primæua inſtitutione habuit præfati Monaſterij Religioſos, cuius Abbatem & ipſe D. Amatus egit.* Deinde in Stegra ſeu Minariaco, ſic. *Minariacum non eſſe vicum, qui hodierno die Meruilla dicitur, ſed eo in loco fuiſſe, vbi nunc ex vna parte Liſæ * eſt Comitatus Stegrenſis, ex altera finis Atrebateſij ad Pontem Liſæ, qui nunc dicitur pons Stegrenſis, notauit Hadrianus Scriecquius Senator Iprenſis, qui diu præturam geſſit Caſletanam * & Stegrenſem *. Meruilla, inquiens, quæ à pleriſque Minor Villa dicitur, primùm Morandi villa dicta eſt à D. Morando, qui eo in loco quondam ſyluæ Niepenſis angulo, omni ſanctimoniâ vixit. Sed nulla ibi vnquam, quod memoriæ traditum ſit, antiquitatis veſtigia, aut munimenta extiterunt, nec locus ita ſitus eſt, vt Minariacum antiquum eſſe potuerit. Ad locum verò pontémque Stegrenſem omnia ſic concurrunt, vt non ſuperſit dubitandi argumentum.*

* *Druon.*
* *Le Lys.*
* *De Caſſel.*
* *d'Eſtaires.*

LII. Adalbaldus Mauronti pater, *multis*, vt Auctor Chronici Martianenſis tradit, *locupletabatur poſſeſſionibus in pago Flandrenſi, Legienſi, Adartenſi, Auſtrebatenſi & Pabulenſi.* Quinque illos pagos, de quibus alibi diſſeruimus [a], alióſque multò plures amplectuntur hodierni Comitatus Flandriæ & Arteſiæ. Pagi Auſtrebatenſis & Pabulenſis contermini ſunt. Marchianenſe Monaſterium, cui Rictrudis poſt Adalbaldi coniugis mortem præfuit, in vtriuſque limite viſitur, & à Scriptoribus Auſtrebatenſi modò regioni, modò Pabulenſi accenſetur, Auſtrebatenſi ſiue Auſtreuandenſi attribuitur à Balderico. Hic enim, cùm agit de Amati & Mauronti itinere Peronâ Martianas, vbi Rictrudis Mauronti mater congregationem Monialium regebat, ſic habet. *Illis ergo ad Auſtreuandenſem pagum tendentibus, contigit vt refocillandi gratiâ Cameracum diuerterent ad vrbem.* Pagus Auſtreuandenſis, aliis Auſtrebatenſis, Auſterbantus, Auſterban, Oſtrebannus & Oſtrebantus, includitur fluuiis Scarpo, Senſeto & Schaldi, nomen videtur accepiſſe, quòd limes eſſet Auſtraſiæ, *bant* enim Belgis limitem ſonat. Broylus ad ſiniſtram Legiæ ſeu Liſæ ripam ſitus eſt in agro Legienſi ſeu Letico, qui nomen ab amne Legia ſeu Liſa ſortitur, ac multis agris territoriiſque cis & vltra illum fluuium poſitis conſtat.

[a] Ad an. 645. n. 4.

LIII. Godefridus Henſchenius [b] vitam ſanctæ Euſebiæ, Abbatiſſæ quondam

[b] d. 16. Mart.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

ELEVATIO ET TRANSLATIO S. EVSEBIÆ.

Hamaticenſis, ex Codice manuſcripto Marchianenſis Monaſterij deſcriptam euulgauit, & in Commentario præuio, quem eidem vitæ præfixit, ſuper ætate ipſius Euſebiæ eiúſque Tranſlatione, quam hoc anno, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto, factam fuiſſe mox probabimus, ita ratiocinatus eſt. *Inter quamplurima à S. Amando Epiſcopo Traiectenſi extructa Monaſteria, eſt celebre ad Scarpum fluuium Monaſterium Marchianenſe, in fundo S. Adalbaldi Ducis, mariti S. Rictrudis, extructum anno Chriſti* DCXLV. *& ſequente, cùm S. Euſebia horum filia eſſet biennio ante prognata, & à Dagoberto I. Rege Francorum & Nanthilde eius coniuge, aut certè ab hac Regina, de ſacri Baptiſmatis fonte ſuſcepta, cui poſſeſſiones dederunt & reditus permultos in Francia. Sancto Adalbaldo anno* DCLII. *die* II. *Februarij interempto, S. Rictrudis cum S. Euſebia & aliis duabus filiabus SS. Clotſende & Adalſende vitam Monaſticam auſpicata eſt in dicto Monaſterio Marchianenſi. Erat tunc temporis ab altera parte Scarpi fluuij, nunc Hannonienſi Comitatui attributa, Monaſterium Hammaticum, aliis Hamagia, in quo Abbatiſſa florebat auia S. Adalbaldi, S. Gertrudis vidua, apud quam aliquamdiu vixit S. Euſebia, eíque defunctæ ſucceſſit in regimine duodennis, ac proinde circa annum Chriſti* DCLV. *aut ſequente. Inde à S. Rictrude matre Marchenas reuocata, aliquamdiu cum illa vixit, forſan vno alteróue anno: ac poſtmodùm ab ea Hammaticum remiſſa, præfuit ibidem adhuc annos tres ac viginti, mortua circa annum Chriſti* DCLXXX. *Succeſſit in regimine alia Gertrudis & hæc vidua nobiliſſima; quæ aliam multò anguſtiorem Eccleſiam extruxit, ad quam Hatta, primus Cœnobij Vedaſtini Abbas, ſacrum corpus beatiſſimæ Euſebiæ tranſtulit poſt annum* DCXCI, *quo anno à S. Vindiciano fuit in Abbatem conſecratus.*

LIV. Longè aliam iniuimus Chronologiam. Diſſidij noſtri duplex occurrit cauſa. Prima, quòd annorum ſexdecim, quos teſte Fredegario Dagobertus Primus regnauit, initium petimus ab anno quo Regnum Auſtraſiæ Clotario patre cedente ſuſcepit, Henſchenius ab anno quo Clotario patri in reliquam Franciam ſucceſſit, ideóque in illius Dagoberti morte, quam anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-octauo conſignamus, integro ſexennio diſcrepamus ab Henſchenio, qui eundem Dagobertum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto è viuis ſublatum affirmat. Altera, quòd Henſchenius Euſebiæ, quæ annos tantùm tres ac viginti vixit, totidem annos Hammaticenſis Præfecturæ tribuit, phraſi, quâ Codex Marchianenſis totam Euſebiæ vitam circumſcripſit, ad ſolam adminiſtrationem Hammaticenſis Monaſterij perperam detortâ.

LV. Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-octauum [a], quo Clotarius Dagoberti Primi pater obiit, allegauimus & obſeruationibus illuſtrauimus Fredegarium, cuius auctoritate dirimi debet controuerſia ſuper annorum numero, quos idem Dagobertus mortuo patre regnauit, oborta. Tomo tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum [b] diluimus argumentum, quod Henſchenius iactat inſolubile, ſumítque ex vita ſancti Eligij à ſancto Audoeno ſynchrono conſcripta, vt ordinationem eorumdem Epiſcoporum, Audoeni videlicet & Eligij, quam anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo illigauimus, in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſextum reiiciat. Vtrumque locum adi. Hîc autem obſerua tantùm, ſuper Euſebiæ ætate ac Tranſlatione, quid diſcriminis ex illa ſexennij diſcrepantia enaſcatur.

[a] Num. 12.

[b] Nn. 21 & ſeqq.

LVI. Secundùm Henſchenij computationem Euſebia naſcitur regnante Dagoberto, anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio; duodennis fit Abbatiſſa Hammaticenſis in locum Gertrudis proauiæ anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto demortuæ; deinde Hatta Vedaſtini Monaſterij primus Abbas anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo conſtituitur. Noſtris verò calculis Euſebia lucis vſuram accipit Principatum gerente Dagoberto, anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſeptimo; duodennis Gertrudi proauiæ anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-nono defunctæ in admi-

Digitized by Google

niſtrationem Hammaticenſis Monaſterij ſuccedit; deinde Monachis Vedaſtinis, qui ſub Prioribus anteà fuerant, Hatta primus Abbas præponitur anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, itaut eiuſdem Hattæ Abbatis annus ſecundus, quo facta eſt prima ſanctæ Euſebiæ Tranſlatio, cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo componatur ab Henſchenio, à nobis cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto. AN. CH. 686. THEODOR. III: R. 13.

LVII. Tomo ſuperiore ſanctam Euſebiam anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, cùm annos tres tantùm ac viginti nata eſſet, in cælum migraſſe aſſeruimus, Hucbaldo, qui eius geſta in vita ſanctæ Rictrudis breuiter perſtrinxit, in teſtem producto. Henſchenius Codicem Marchianenſem in ſenſum à genuino diuerſum detorquet, vt Euſebiam affirmet annis vixiſſe ſeptem ac triginta. In illo Codice laudatur Euſebia, quòd aliis exemplo variarum virtutum præiuerit. Tum proximè ſubiicitur hic textus. *In huiuſmodi itaque exercitiis ſeptem minùs tricenis vitæ huius tranſcurſis annis, cùm ex diuina præmonſtratione præſciſſet diem ſuæ glorificationis inſtare*, &c. Hæ voces (*vitæ huius*) ſatis indicant Euſebiam commendari, quòd in exercitiis omnigenarum virtutum annos tricenos ſeptem minùs, id eſt, annos viginti tres huius vitæ ſiue huius ſeculi, id eſt, ab ortu ſuo non autem à ſuſcepta dignitate Abbatiali, tranſcurriſſet, cùm ex diuina præmonſtratione diem ſuæ glorificationis inſtare præſciuit. Textum illum in vita ſanctæ Rictrudis haud aliter explicuit Hucbaldus. Codex enim Marchianenſis in vita ſanctæ Euſebiæ ſic habet apud Henſchenium. *Exemplabatur in capite, quid reliqua membra dignum ducerent imitari vel agere. Ipſe ſiquidem animus virginis prudentiſſimæ ex morum qualitate & habitûs ſui diſpoſitione imitabilem ſe præſtabat in omnimoda virtutis ſpecie. Prudentia in eius verbis & actis, iuſtitia in diſcernendis iudiciis, temperantia in conceſſis, nedum in interdictis, fortitudo in aduerſantibus ſiue proſperis. Et quid opus inferri ſpeciale, vbi adeſſe illud fidem facit præmiſſum generale? Iſtæ enim quatuor virtutes etiam ſapientium ſeculi auctoritate omnibus notantur excellentiores, quibus reliquæ ſupponuntur vt ſpeciales. Si quando neceſſitas prælationis cogebat eam ſecularibus intereſſe negotiis, nihil penitus ex his ipſius hærebat animo, cui denegabatur ipſa etiam habendi voluntas & cupido. At ne cui ſit faſtidio prolixior æquo hæc ethica contexio, vtimur hoc compendioſitatis epilogo; nullum omnium noſtrorum ferè temporum in hac gratia excellentium ſic obtinere poſſe virtutes ſingulas, quomodo illa obtinuit vniuerſas, quas vt promereri elaborauit, ita & occulere ſtuduit. In huiuſmodi itaque exercitiis ſeptem minùs tricenis vitæ huius tranſcurſis annis, cùm ex diuina præmonſtratione præſciſſet diem ſuæ glorificationis inſtare, conuocat omnes quæ ſub ſe militabant in ſancta profeſſione.* Et in vita ſanctæ Rictrudis, quæ mater Euſebiæ fuit, ſic Hucbaldus apud Surium [a]. *Præbebat talia de ſeipſa exempla, quæ aliæ omnes meritò ſibi imitanda proponerent. Erant virginis prudentiſſimæ tales mores, taliſque habitus, vt virtutes omnes ex ipſa relucerent, prudentia in verbis, iuſtitia in decernendis iudiciis, temperantia in licitis & vetitis, fortitudo in rebus duris & aduerſis. Cùm neceſſitas interdum cogeret negotiis intereſſe ſecularibus, nihil ex his eius animo inhærebat. Et vt paucis expediam, virtutes omnes obtinere ſtuduit, & tamen eas ipſas ſapienter occultauit. Ita annos nata plùs minùs viginti tres, cùm diuinitus cognouiſſet diem obitûs ſui, omnes in ſancta profeſſione ſub ſe militantes acciuit.*

[a] D. 12. Maij.

LVIII. Henſchenius nouâ, quam introduxit, interpretatione diſcrimen intulit annorum quatuordecim. Ex eius enim computo Euſebia poſt Gertrudis proauiæ mortem biennio manet apud Martianas, deinde annis viginti tribus apud Hamaticum, itaut annis viginti quinque Gertrudi ſuperſtes fuiſſe videatur, cùm tamen reuera proauiæ ſolos annos vndecim ſuperfuerit, quia duodennis ei ſucceſſit, vixitque tres annos duntaxat ac viginti. Iam verò ſi poſterius hoc diſſidium, quod eſt annorum quatuordecim, priori coniungatur, quod in ortu ſanctæ Euſebiæ ſex annorum fuit, ex vtroque diſcrepantia viginti annorum exurget. Atque hæc eſt ratio, cur eiuſdem

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13

Euſebiæ mortem, quam Henſchenius in annum Chriſti circiter ſexcenteſimum octogeſimum reiiciendam cenſet, annis viginti anteuerterimus, adſcripſerimúſque anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo.

LIX. Minor eſt ad Tranſlationis annum controuerſia. Vt enim is annus deprehendatur, de annorum numero quos Euſebia vixit quæſtionem mouere ſuperuacaneum eſt, & hoc poſteriori diſcrimine, quod annorum quatuordecim fuit, euaneſcente, prius duntaxat remanet, quod ſex eſt annorum, & à Dagoberti Magni morte proficiſcitur, quæ ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-octauo contigit, & ab Henſchenio in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum ineuntem differtur. Tranſlatio ſanctæ Euſebiæ facta eſt Hattæ Vedaſtini Abbatis anno ſecundo. Hatta Monaſterio Vedaſtino cum Abbatis titulo præpoſitus fuit anno Theodorici Regis duodecimo. Ab obitu Dagoberti Magni ad annum vſque Theodorici nepotis duodecimum annos quadraginta ſeptem numeramus. Henſchenius ab illo calculo non recedit, vnde fit vt annum Theodorici Regis duodecimum, quem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto illigauimus, cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo componat. Annus igitur Hattæ Abbatis ſecundus, quo ſancta Euſebia primùm tranſlata eſt, in hunc annum à Chriſto nato ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum iuxta noſtram computationem incidit.

LX. De ſepultura ſanctæ Euſebiæ ſic Codex Marchianenſis. *Ex more funebribus obſequiis exequiatur, feretro impoſita in Eccleſiam, nomini & honori Apoſtolorum Petri & Pauli conſecratam defertur, vbi non ſine iterato ſuorum gemitu & planctu in ſpe Reſurrectionis terra terræ mandatur.* Anguſta erat hæc Eccleſia. Spatioſior ab Abbatiſſa Gertrude, quæ poſt ipſam Euſebiam regimen Hammaticenſis Monaſterij ſuſcepit, erecta eſt in loco proximo. Qua de re ſic idem Codex. *Ipſa autem Eccleſia, quantùm ad loci dignitatem & ſui principalitatem, prorſus anguſtiſſima, adeò erat incompetens, vt tanti theſauri retineret pignora. Quædam verò nobiliſſima mater-familias, nomine Gertrudis, relicta cuiuſdam Ingomari, viri ſanè illuſtris, & ex ſeculari facta monaſticæ conuerſationis, Chriſtum quærendo conſolatorem ſuæ viduitatis, pro vitæ merito præfecta eſt ibi, locum obtinere regiminis. Quæ cùm alia diſponeret prudentiſſimè, nitebatur omni ea in parte locum nobilitare, ſcilicet vt auguſtius templum ædificaret, quò beatiſſimæ virginis lipſana transferret. Deputatis itaque pro poſſe impenſis, cùm opus vrgeretur diebus ſingulis, tandem ad finem vſque perductum, ſuo tempore eſt dedicatum.* Corpus beatæ Euſebiæ quinto Kalendas Nouembris eleuatum eſt, & eo die, quo Vindicianus Epiſcopus nouam Baſilicam dedicauit, nempe decimo-quarto Kalendas Decembris ad illam tranſlatum.

LXI. Henſchenius vitæ ſanctæ Euſebiæ ſubiecit Hiſtoriam Miraculorum, quam & Marchianis accepit. In hac Hiſtoria, ſepultura, eleuatio & prima Tranſlatio beatæ Euſebiæ, necnon conſtructio & dedicatio Baſilicæ, in quam illata eſt, ita deſcribuntur. *Septimo-decimo Kalendas Aprilis gratanter migrauit ad Chriſtum. Fabricata autem ſibi fuerat minuſculæ quantitatis ædicula, id eſt, tredecim pedum longitudinis & ſeptem latitudinis, adhærens Eccleſiæ,* nempe ſancti Petri, de qua priùs ſermo fuit, *ab Auſtrali plaga. In hac ergo à parte pedum ará conſtructá & mauſoleo compoſito, omni auro pretioſior ſancti corporis eius gleba in pace ſepulta eſt. Ipſo in tempore à fidelibus eò loci conſiſtentibus, & à deuotis diuerſis ex partibus illuc confluentibus & præcipuè à quadam Gertrude, laudabilis meriti fœmina, cuius induſtria in ſancta religione fuerat ſtrenuiſſima, in honore beatiſſimæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ conſtructum eſt Templum non longè à memorata Baſilica B. Petri in dextro latere fundatum. Quod Vindicianus ſanctæ Cameracenſis Atrebatenſiſque Sedis honorabilis Epiſcopus, B. Autberti ſucceſſor emeritus, nomini & venerationi eiuſdem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ quarto-decimo Kalendas Decembris celebriter dedicauit. In cuius conſecrationis officio opportuno cum aliis Eccleſiaſticis perſonis venerabilis Hatta interfuit, qui à Rege Theoderico electus*

VINDICIANUS EP. ATREBAT. DICAT ECCLESIAM HAMATICENS.

ab eodem

Digitized by Google

ab eodem Vindiciano Pontifice, ſecundo ordinationis ſuæ anno, Cœnobij beati Vedaſti Confeſſoris Chriſti Abbas benedictus extiterat, ideóque ſimul Gandenſem ſancti Petri Apoſtoli Abbatiam, quæ in monte Blandinio ſita eſt, nobiliter regebat. Corpus verò ſanctum beatæ Virginis Euſebiæ, quod eleuatum fuerat de Eccleſia ſancti Petri per reuelationem diuinam quinto Kalendas Nouembris, ipſa die dedicationis tranſlatum eſt in Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper Virginis. In illo textu hæ voces *(ſecundo ordinationis ſuæ anno)* è ſuo motæ ſunt loco, non enim ad Vindicianum Epiſcopum ſed ad Hattam Abbatem referri debent. Textum igitur ſic repone. *In cuius conſecrationis officio opportuno cum aliis Eccleſiaſticis perſonis venerabilis Hatta interfuit ſecundo ordinationis ſuæ anno, qui à Rege Theodorico electus, ab eodem Vindiciano Pontifice Cœnobij beati Vedaſti Confeſſoris Chriſti Abbas benedictus extiterat.* Vindicianus Epiſcopatum iniit, *cùm apud Francos poſt obitum Clotarij III. regnaret Theodoricus, quo dein pulſo, Regnum illud ſuſcepit Childericus.* Verba ſunt ipſius Henſchenij in commentario vitæ ſancti Vindiciani [a] præfixo, nituntúrque auctoritate Balderici aliàs à nobis citati. Theodoricus Tertius poſt Childericum fratrem regnauit, agebátque annum Regni duodecimum, cùm regimen Monaſterij Vedaſtini penes Hattam Abbatem eſſe cœpit. Ergo annus ſecundus Vindiciani Epiſcopi cum Vedaſtina Hattæ Abbatis præfectura non conuenit. Annus autem ſecundus Hattæ Abbatis Vedaſtini cum Epiſcopatu Vindiciani coincidit, illigatur enim anno decimo-tertio Theodorici Regis, cui multos annos Vindicianus Epiſcopus ſuperuixit.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

[a] d. 11. Matt.

A morte Clotarij Tertij ad annum vſque decimum-tertium Theodorici Tertij numeramus annos ſeptemdecim, totidem Henſchenius, ſed annum Theodorici Regis decimum-tertium illigamus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto, ille anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, quia diſſidium ſex annorum inter nos ab obitu Dagoberti Magni perdurat. Annus Chriſti ſexcenteſimus octogeſimus-ſextus literam Dominicalem habuit G. Annus Chriſti ſexcenteſimus nonageſimus-ſecundus biſextilis fuit, præditúſque literis Dominicalibus, G ante intercalationem biſexti, & F poſt ipſam biſexti intercalationem. Inde non leue in noſtræ Chronologiæ confirmationem accedit argumentum. Eleuatione ſanctæ Euſebiæ celebris eſt dies quintus ante Kalendas Nouembris, Eccleſiæ beatiſſimæ Virginis Mariæ dedicatione & ſanctæ Euſebiæ in illam Eccleſiam Tranſlatione conſpicuus eſt dies decimus-quartus ante Kalendas Decembris, vterque anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto Dominicus fuit, & anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo incidit in Sabbatum. Eiuſmodi autem eleuationes, dedicationes ac tranſlationes diebus Dominicis fieri ſolitas multis exemplis iam oſtendimus. LXII.

Hatta Vedaſtinus Abbas eleuationi corporis ſanctæ Euſebiæ interfuit, in vita enim eiuſdem ſanctæ Euſebiæ ſub finem hæc leguntur, *Athâ quodam ſancto, vt creditur, viro, Patre Cœnobij Atrebatenſis cum conuicaneorum maxima frequentia vtriuſque ordinis, ſed & perſonæ exteriores decreuerunt in commune ſolennes letanias agere, triduano ieiunio intercedente, vt diuina clementia dignaretur palàm facere quid ſibi placitum foret ſuper transferendo virginis corpore.* Interfuit & dedicationi Baſilicæ beatiſſimæ Dei Genitricis & Tranſlationi ſanctæ Euſebiæ in illam Baſilicam, vt ex Hiſtoria Miraculorum eiuſdem ſanctæ Euſebiæ ſuprà citata liquet. LXIII.

Ab eleuatione corporis ſanctæ Euſebiæ vſque ad dedicationem nouæ Baſilicæ ac Tranſlationem prædicti corporis tres effluxerunt hebdomadæ. Vindicianus Epiſcopus decimo quarto Kalendas Decembris, vt ex eadem Hiſtoria conſtat, Eccleſiam beatæ Mariæ ſemper Virginis dedicauit, eodémque die corpus beatæ Euſebiæ in illam Eccleſiam tranſtulit, eleuationi verò præſens non adfuerat quinto Kalendas Nouembris, haud enim nominatus inuenitur in textu ex vita ſanctæ Euſebiæ ſuprà deſcripto, in quo ſer- LXIV.

AN. CH. 686.
THEODOR. III. R. 13.
[a] d. 11. Mart.

mo inſtituitur de illa eleuatione & Hatta Cœnobij Atrebatenſis Abbas commendatur. Quapropter in vita ſancti Vindiciani, quam Henſchenius publicauit [a], Franciſcus *Doreſmieux* Abbas Montis Eligiani de eodem ſancto Vindiciano déque Hatta Vedaſtino Abbate ſic diſſerit. *Eâ tempeſtate, peculiari Dei gratiâ, multa crebráque fiebant miracula, quæ B. Euſebiæ meritis & precibus adſcribebantur. Ea B. Richtrudis erat filia. Itaque propter infinitam populi ad Hamagium vicum confluentis multitudinem, peregrinationis ergò, Gertrudis Abbatiſſa omnem diligentiam & ſtudium adhibuit, vt eius Templi ſpatium laxaretur, quo tot excipiendis peregrinantibus foret capax. Hinc à Vindiciano enixè contendit, vt illud conſecraret, ſimúlque B. Euſebiæ & amitæ ſuæ* (amitæ loco proauiam reſtitue) *corpora humo eleuaret. Excuſauit ille ſerias occupationes, quibus id temporis omnino deſtinebatur. Eò tamen Hattam Abbatem Vedaſtinum cum aliquot Prælatis aliis tranſmiſit. Hi poſt tridui ieiunium effuſáſque preces manum quamdam humanæ ſimilem, loculos ſanctarum harum mulierum mouentem animaduerterunt, tanquam iſto ſigno monerentur haſce reliquias aliò eſſe transferendas. Quod vbi conſuetis caremoniis peractum fuit, tandem ad præſcriptum conſecrationis diem adfuit Vindicianus, fanúmque illud Deiparæ Virgini dicauit. Et mox ſacroſancto Miſſæ ſacrificio decantato, ingenti pompâ, ſummâque animorum alacritate oſſa hæc veneranda in conſtitutum locum tranſtulit.* Amitæ loco proauiam reponendam diximus, per amitam enim Auctor intelligit ſanctam Gertrudem Hamaticenſis Monaſterij fundatricem ac primam Abbatiſſam, quæ per Gerebertam filiam auia fuit ſancti Adalbaldi & per ſanctum Adalbaldum nepotem proauia ſanctæ Euſebiæ.

LXV. Si textui ex Hiſtoria miraculorum ſanctæ Euſebiæ ſuprà deſcripto fides eſt, *Hatta Cænobij beati Vedaſti Confeſſoris Chriſti Abbas ſimul Gandenſem ſancti Petri Apoſtoli Abbatiam, quæ in monte Blandinio ſita eſt, nobiliter regebat.* Id verò minimè placet. Hatta enim, vt anno priori [b] ex Chronico Vedaſtino retulimus, cùm Monachiſmum in monte Blandinio Gandaui complexus eſſet, latè diffusâ virtutum famâ venit Atrebatum euocatus à Theodorico Rege, ibíque Abbas, qui nouello gregi Monachorum Vedaſtinorum præeſſet, ab Epiſcopo Vindiciano benedictus fuit, nec anteà Blandinienſis Abbas fuiſſe perhibetur. Blandinienſi Monaſterio tunc præerat Baudemundus Abbas, cuius deceſſor Ioannes, vt Tomo ſuperiore probauimus, extinctus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Non inficiamur in Blandinienſium Abbatum catalogis, quos Sanderus in Flandria [c] illuſtrata & Sammarthani in auctiore Gallia Chriſtiana [d] texuerunt Hattam reperiri. Sic enim de illo Sanderus, *Hatta*, 758. Et Sammarthani, *Hatta* 752. *anteà Cænobij ſancti Vedaſti Abbas: de eo Locrius in Chronico Vedaſtino.* Locrius [e] ex Auctore Chronici Vedaſtini, quem anno priori deſcripſimus, refert quomodò Hatta è Monacho Blandinienſi factus ſit Abbas Vedaſtinus, deinde ordinem ſeu ſeriem Abbatum Vedaſtinorum ſic auſpicatur, *primus Hatta*, nec aliud quidquam de eodem Hatta ſcribit. Fuit hic igitur Abbas Vedaſtinus, & primæ Tranſlationi ſanctæ Euſebiæ, hoc anno, cum Vindiciano Epiſcopo interfuit, expungendúſque ex Albo Blandinienſium Abbatum, qui regnante Pippino floruiſſe fertur apud Blandinium Abbas Hatta. Verùm de his fuſiùs aliàs, vbi Blandinienſium Abbatum Catalogum examinabimus.

[b] Num. 5.
HATTA ABBAS VEDASTINVS.
[c] Tom. 1. l. 4. rerum Gadauenſ. c. 3.
[d] Tom. 4.
[e] Ad an. 69?.

LXVI. Hoc eodem anno Rex Theodoricus in monte intra muros vrbis Morinenſis ſeu Taruannenſis ſito Monaſterium in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ conſtruxit, vnde illi Cœnobio nomen ſancti Ioannis in monte Morinenſi, vel ſancti Ioannis Morinenſis, vel Taruannenſis. Lege Miræum [f] in Originibus Benedictinis, Locrium [g] in Chronico Belgico, & Sanderum in Flandria [h] illuſtrata. Hi Scriptores annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum conſtantiſſimè retinent, quia Sigeberto nixi Sanctum Leodegarium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto palmâ Martyrij de-

[f] Cap. 31.
[g] Ad an. 686.
[h] Tom. 1. l. 2. rer. Iprenſ. cap. 10.
MON. S. IOANN. BAPT. INTRA TARVANNAM ERIGITVR.

Digitized by Google

natum putant, ſtatímque à Theodorico Rege multa Monaſterio Atrebatenſi ſancti Vedaſti collata prædia, nouúmque Cœnobium in Morinenſi Diœceſi erectum volunt, vt cædes beato Leodegario in colliminio Epiſcopatuum Atrebatenſis ac Morinenſis illata expiaretur. Sancti Leodegarij Martyrium anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo conſignauimus, illud Henſchenius [a] in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum reiecit, quia in annotandis annis ac geſtis Regum Francorum poſt Dagoberti Magni mortem à nobis integro ſexennio diſſidet. Quamuis autem de tempore, quo beatus Leodegarius Martyrium conſummauit, cum Auctoribus ſuprà nominatis minimè conueniamus, arbitramur Miræum eiúſque aſſeclas Locrium & Sanderum non malè opinatos eſſe ſuper anno, quo Monaſterium ſancti Ioannis Baptiſtæ intra muros Taruannenſes extructum fuit, illud enim exiſtimamus ædificatum poſt Ebroini mortem, quam anno poſt beati Leodegarij necem tertio, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, collocandam probauimus. Vt Monaſterium conderet, Theodericus induci potuit famâ miraculorum, quæ poſt ſancti Leodegarij Tranſlationem, cùm in loco Martyrij, tum in Cœnobio ſancti Maxentij geſta ſunt. Caue tamen, ne propter innocentis Leodegarij cædem Theodoricum adeò flagitioſum ſuſpiceris ac eum plerique Neotericorum conſtituunt. Theodoricus, quòd ab Ebroino ſe decipi paſſus ſit, vituperio non caret, ſed necis illatæ Leodegario reus haberi non debet. Lege quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt [b], & in vnum Ebroinum, qui cædis author fuit, & ſpecioſam de Childerici Regis nece vindictam ſimulabat, totum ſcelus refunde. Iacobus Malbrancus in ſcholiis ad librum [c] quartum de Morinis, obſeruat in veteribus membranis ad annum vſque Chriſti milleſimum duceteſimum octogeſimum-ſeptimum ſemper legi Monaſterium ſancti Ioannis in monte Morinenſi vel ſancti Ioannis Morinenſis aut Taruannenſis; ab illo autem anno & deinceps, ſancti Ioannis * prope vel iuxta Morinum, Taruannâ tunc decurtatâ.

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

[a] In not. ad vit. S. Vindician. d. 11. Mart.

[b] Ad ann. 678. n. 5.

[c] Ad cap. 16.

* *S. Iean lez Terouenne.*

LXVII. THEODORICVS R. MVNIFICVS ERGA BASILICAM S. MARTINI TVRON.

Theodoricus Rex hoc eodem anno, Regni ſui decimo-tertio, Monaſterium ſancti Martini prope muros Turonenſes ſitum ditauit *de rebus proprietatis ſuæ in patria Alemannica, pago Briſigangenſe*, vt conſtat ex Regio Diplomate, quod quarto Kalendas Iulij datum reperitur. Lege auctiorem Galliam Chriſtianam [d]. Vudelandus Abbas Cœnobio tunc præerat. Quot annos hic ſuperſtes vixerit, haud ſcimus. Proximum ſucceſſorem potuit habere Guntrannum, qui poſt Ibbonem Turonenſis Epiſcopus ex Abbate ſancti Martini factus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, vt ſuo loco dicturi ſumus. Manci ſunt Indices iſtius Eccleſiæ, nec plures Abbates ad ætatem vſque Pippini Regis ſuppeditant.

[d] Tom. 4. in Abb. S. Martini Turon.

ABBATES S. MARTINI.

LXVIII. ET MAIORIS MONASTERII.

Feliciùs actum eſt cum Abbatibus Maioris Monaſterij, quorum ſaltem nomina ſcriptis tradita ſunt. Tomis primo & ſecundo recenſiti ſunt Abbates ab ipſo Cœnobij conditu ad Euſtochium vſque, qui Gregorio Turonenſi Epiſcopo ſynchronus vixit. Succeſſores, qui vitam ſub Merouingis Regibus egerunt, in hunc Tomum reiecimus, quia præter eorum nomina nihil occurrit annotandum. In Catalogo, quem Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana texuit, Euſtochius numeratur Abbas decimus-nonus, tum Leobardus viceſimus, & continuatâ ſerie ſexageſimus-primus ponitur Herbenus, qui poſteà factus eſt Archiepiſcopus Turonenſis, & ineunte ſeculo decimo in viuis adhuc ſupererat. Hoc loco Robertus omnem auctoritatem mutuatur à libro de Geſtis Epiſcoporum Turonenſium & Abbatum Maioris Monaſterij, quem Monachus eiuſdem Cœnobij compoſuit, & Laurentius Bochellus inſtar alterius Appendicis ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam Gregorij Turonenſis publicauit. De Euſtochio Abbate ſic ſcribit Aſceta Maioretanus. *Euſtochius. Hic fuit tempore beati Gregorij Turonenſis, huius tempore fuit beatus Leobardus.* Monachi Moioretani ſenſus hic eſt. Euſto-

Digitized by Google

AN. CH. 686. THEODOR. III. R. 13.

chius fuit Abbas tempore Gregorij Turonenſis Epiſcopi; & huius, ſiue Turonenſis Epiſcopi ſiue Euſtochij Abbatis Maioretani, tempore floruit beatus Leobardus. Eodem enim tempore Gregorius Epiſcopus Eccleſiam Turonenſem adminiſtrabat, Euſtochius Abbas Maiori Monaſterio præerat, & Leobardus vitam in cellula prope Maius Monaſterium ducebat. Tria illa Tomo ſecundo probata ſunt. Gregorius ordinatus eſt Epiſcopus Turonenſis x. Kal. Sept. anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-tertio, geſſit Pontificatum per annos duos ac viginti cum duobus menſibus diebúſque viginti quinque, migrauítque in cælum decimò-quinto Kalendas Decembris anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quinto. Leobardus anno Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo-primo cellulam ingreſſus eſt prope Maius Monaſterium, illic annis duobus ac viginti degit, obiítque decimo-quinto Kalendas Februarias, anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-tertio, vixit igitur prope Maius Monaſterium annis fermè viginti ſub Gregorij Turonenſis Pontificatu. Verùm in eundem Gregorij Præſulatum tot anni Euſtochij Abbatis inciderint, haud deprehendere potuimus. Certè Gregorius in prædicti Leobardi vita teſtatur Epiſcopum ſe fuiſſe, cùm Leobardus in cellula Maiori Monaſterio vicina maneret, & eiuſdem Cœnobij cura penes Euſtochium Abbatem eſſet. Scribit enim à ſe iam Epiſcopo viſum in cellula Leobardum, qui poſteà ſuis precibus ſignóque Crucis viſum cæco reſtituit Euſtochio ſiue Euſtachio tunc Abbate, quem tanti miraculi teſtem ſic appellat [a]. *Huius virtutis teſtimonio Euſtachius Abbas adſtipulator adſiſtit.* Ergo Robertus, poſtquàm Euſtochio decimum-nonum inter Abbates Maioretanos locum attribuit, ei perperam Leobardum ſic ſubrogat.

[a] De vit. patr. c. 20.

19. *Euſtochius, tempore B. Gregorij Turonenſis.*
20. *Leobardus.*
21. *Froterius.*

LXIX. Leobardo ex Abbatum Maioretanorum Nomenclatura ſic expuncto, primus in huiuſmodi Catalogo poſt Euſtochium nominari debet Froterius, tum ceteri ſuo ſic ordine, vt Herbenus poſt eundem Euſtochium quadrageſimus-primus habeatur. Ad Abbates illos quadraginta & vnum pertinuit adminiſtratio Maioris Monaſterij per annos plùs minùs trecentos, è quibus ab obitu Euſtochij Abbatis ad inaugurationem vſque Pippini Regis effluxerunt ſexaginta circiter ſupra centum. Quapropter ex illis Abbatibus ſolos accipe tres ac viginti priores, quorum hæc ſunt apud Aſcetam Maioretanum nomina. *Froterius, Guichardus, Geneſius, Voluſianus, Antimus, Rigionarius, Deſiderius, Principius, Petrucio, Fælix, Baudelus, Berno, Clemens, Theobaudus, Hato, Petrus, Aigulfus, Francilio, Anianus, Ioannes, Daniel, Iſſembertus, Hamticus.* De ſucceſſoribus agemus Tomo ſequenti.

LXX. MONAST. S. IVLIANI TVRON.

Præter Cœnobium ſancti Martini, Maiúſque Monaſterium, de quibus ſuprà, Theodorico Francorum Monarchâ florebat apud Turonos, quod illic hodiéque ſubſiſtit illuſtre ſancti Iuliani Monaſterium. Hoc de Cœnobio licèt perantiquo nihil hactenus ſcripſimus, Abbatum enim, qui Nortmannicam irruptionem anteceſſerunt, interierunt nomina. Vocatur à Roberto Monaſterium *ſancti Iuliani de Scalariis.* Sammathani rationem huius cognominis *ab antiqua Æde beatæ Virginis, vulgò de Scalariis*, repetunt, obſeruántque hoc Monaſterium ante ætatem Gregorij Turonenſis Epiſcopi ſtetiſſe, vetuſtiſſimíſque illis temporibus nuncupationem à ſancto Mauricio accepiſſe, cui nomen ſancti Iuliani poſteà ſucceſſerit.

Digitized by Google

AN. CH. 687.
THEODOR. III. R. 14.

ANNVS CHRISTI 687.
THEODORICI III. R. 14. 7.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, commiſſum eſt prælium Textricianum inter Quintinopolim & Peronam, victi fugatique Theodoricus Rex & Bertharius Maiordomûs, ſubſecuta mors ipſius Berthariȷ, tum obſidio Pariſienſis, deinde pax cum Pippino, qui Maioratum domûs Regiæ non tantùm in Auſtria, ſed etiam in Neuſtria & Burgundia, hoc eſt, in tribus Franciæ Regnis ſiue in vniuerſa Francia deinceps exercuit. Hoc bellum paucis ita perſtringit Anonymus in Hiſtoria Francorum [a] iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta. *Pippinus commoto exercitu hoſtiliter ab Auſtria conſurgens, contra Theodoricum Regem & Berthariuum properat ad bellum. Coniuncti in oppido Vermandenſi, in loco qui dicitur Textricio *, bellum mutuò geſſerunt. Præualente Pippino cum Auſtraſiis, Theodoricus Rex cum Berthario fugam iniit. Pippinus victor extitit, perſecutúſque eam regionem ſibi ſubiugauit. Sequenti tempore idem Bertharius ab adulatoribus falſis amicis interfectus eſt, inſtigante Ansflede matronâ, ſocru ſuâ. Poſt hæc autem Pippinus Theodoricum Regem accipiens cum theſauris, & domum Palatiȷ, omnia peragens in Auſtriam remeauit.* Habet eadem rudiore ſtylo alter Anonymus [b] in Geſtis Regum Francorum. In procinctu huius belli, Theodoricus Rex Teſtamentum Amalfridi, de quo locuti ſumus ante biennium, *Kal. April. anno XIV. Regni, Cariſiaco Palatio* confirmauit, vt Iacobus Malbrancus [c] ex membranis Sitiuenſibus obſeruat aduerſùs Aubertum Miræum, apud quem in Originibus Benedictinis [d], Iperiȷ manuſcripti textu citato Pariſiacum Palatium & annus XIII Theodorici Regis leguntur. I.

[a] Cap. 100.
PVGNA TEXTRICIANA.
* Tertry.
[b] Cap. 48.
[c] Lib. 4. c. 19.
[d] Cap. 31.

Auctor Annalium Metenſium, qui Metis in Cœnobio Sancti Arnulphi Monaſticam vitam duxit, in Sancti Arnulphi gratiam Pippinum eius nepotem impenſè laudat, adiectis etiam rebus non paucis, quæ nec fidem merentur, nec, ſi fidem mereantur, à viro probo approbari poſſunt. Agendum hîc de ſingulis. II.

Imprimis cauſam belli ſic exponit. *Defuncto Warattone gener ipſius Bertarius nomine, Maiordomûs à Theoderico Rege conſtituitur, nihil à moribus impiȷ Giſilmari* ſeu Giſlemari *diſcrepans, præter ingeniȷ calliditatem & humani conſiliȷ ſagacitatem. Igitur profugi, quos Pippinus in ſua miſericordia ſuſceperat, frequentibus eum querimoniis appetebant, obſecrantes vt pro diuino amore iniurias ſuas vlciſceretur. Pippinus verò ſedato animo Legatos ad Theodericum pacificè dirigit, ſuggerens vt profugis, quos Ebroinus pro ſua cupiditate proprio ſolo expulerat, propriiſque facultatibus ſpoliauerat, iure Regio ſuis ſedibus reuocatos, æquitatis normâ ſeruatâ, patrimoniis iniuſtè ablatis reſtitutis, ipſos reuerti iuberet. Hanc Legationem Theodericus ſuggerente Bertario ſuperbè recepit, ſuóſque profugos ſeruos, quos Pippinus contra ius & legem ſuſceperat, quandoque à ſe requirendos ſpopondit. Legati verò redeunt, reſponſúmque Theoderici Pippino referunt, ſuperbiam Regis indicant, minas quas ingerebat adnunciant, leuitatem atque inconſtantiam Bertariȷ manifeſtant. Pippinus verò adunatis Optimatibus ſuis rem in medium retulit; ſuperbi Regis reſponſum per ordinem pandit; lacrimas profugorum & miſerabiles ſupplicationes, qui in fidem ſuam ſeſe crediderant, manifeſtat; minas improbi Principis ad memoriam reuocat; periculum quoque, quod imminebat ſuæ patriæ pro recepta exulum, ni priùs ſapienter, quàm veniret, vitaretur, exponit; quídque ſuper his agendum ſit, ſciſcitatur. Ducibus Pippini omnibus optimè placuit arma capere;* III.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

pro miſeris ac ſpoliatis, qui dudum tam ſuam fidem quàm & defenſionem quaſiuerant, dimicare; patriámque non à populante hoſte ſed in ſuis ſedibus requiſito defenſare. Fruſtrà hic Auctor recurrit ad Ebroini tempora, vt belli cauſam aperiat. Mortuo ante ſex annos Ebroino, Pippinus cum Waradone Ebroini ſucceſſore pacem datis obſidibus pepigerat; impetitus iterum à Giſlemaro Waradonis filio, qui patre exauctorato curam Palatij Neuſtraſiani gerebat, amicitiam redintegrarat cum Waradone priſtinæ dignitati poſt Giſlemari mortem reſtituto. Tota igitur cauſa belli refundenda eſt in vnum Bertharium, qui nec quietè Neuſtraſios regere, nec pacem cum Auſtraſiis fouere ſtuduit. Pippinus, cùm bis à Neuſtraſiis ſe profligatum meminiſſet, ſemel ab Ebroino, iterum à Giſlemaro, de firmanda per Legatos amicitia primùm cogitauit, & vt pleriſque Proceribus, quos Bertharius è Neuſtria Burgundiâque pepulerat, ſuæ facultates redderentur, enixè poſtulauit à Theodorico Rege, qui victoriæ, quam Bertharius certam ſpondebat, vanâ ſpe deluſus erupit in minas, & Neuſtraſios Burgundionéſque, quos Pippinus contra ius & legem ſuſceperat, à ſe quandoque requirendos dixit. Hoc reſponſum Regiæ dignitati non erat indecorum. Superbum inde Regem temerè fingit Monachus Metenſis. Arrogantem ac ſuperbum accuſare potiùs debet Pippinum, qui ſuæ conditionis oblitus audeat bellum aduersùs Regem mouere.

IV. Deinde Monachus Metenſis ait Pippinum collecto exercitu ad ſyluam Carbonariam, id eſt, ad limitem Auſtriæ ac Neuſtriæ contendiſſe, ibíque pro concione tres explicuiſſe cauſas, quibus ad arma ſumenda compellebatur. *Adunato exercitu Pippinus ad Carbonariam ſyluam peruenit. Qui terminus vtraque Regna diuidit. Vbi vocatis Optimatibus ſuis, imò cuncto exercitu, intentionem ſuam ſuccinctâ conuentione innotuit. Ne quis veſtrûm, inquit, fortiſſimi viri, fideles Dei noſtri, arbitretur me tyrannidem in tali itinere exercere velle, vel ſæuitiam, & non potiùs triplici neceſſitate coactum vos ad tale certamen prouocare. Sed breuiter me loquentem adtendite, & quid ad hoc me cogit audite. Excitor imprimis querelis Sacerdotum & ſeruorum Dei, qui me ſæpiùs adierunt, vt pro ſublatis iniuſtè patrimoniis Eccleſiarum, propter amorem Domini ipſis interpellantibus dimicando ſubuenirem. Pro quibus per internuncios humiliter frequentiùs Theodericum exoraui, vnde nihil præter tumidum & ſuperbiâ plenum reſponſum recipere merui. Secunda cauſa me ad talem prouocauit laborem. Nobilium ſiquidem Francorum ad noſtram fidem confugientium lacrimæ & gemitus, qui tot calamitatum angoribus preſſi diuinum ſemper nos arbitrantur adipiſci poſſe ſuffragium. Tertia, quia expedit nobis ſuperbiſſimi Regis obuiare ſententiis, & vaſtationem patriæ noſtræ, quam minatur iniuſtè, in ſuum potiùs caput auxiliante Domino conuertamus, noſtrâque regione adhuc incolumi permanente, ipſum in propriis ſedibus arrogantem, iudicium Domini ſubituri, requiramus, pro cuius amore & Sanctorum illius, huiuſmodi certamina toleramus.* De Theodorico Rege per contemptum multa publicauit hic Auctor, quia fuit Auſtraſius, ſcripſítque poſt grauiſſima bella, quæ diu geſta ſunt inter Francos Orientales & Occidentales, vt nono ſeculo dicturi ſumus. Pippinus haud adeò ſuperbè ſe geſſit, Regem ſemper coluit, vníque Berthario, quem ſibi infenſiſſimum ſciebat, hoſtem ſe profeſſus eſt. Epiſcopos à Berthario Sedibus ſuis pulſos fuiſſe nullus veterum animaduertit, nec eos qui talem iniuriam paſſi fuiſſent, exiſtimamus vltionis adeò cupidos, vt Pippinum crebris ſollicitationibus ad bellum aduersùs Regem compellerent. Meminimus complures actos in exilium ab Ebroino, nullum verò comperimus qui præliorum pòſt initorum aut auctor aut inſtigator dici debuerit. Falſæ ſunt igitur pleræque cauſarum, quas Pippinus, vt bellum à ſe ſuſceptum excuſaret, pro concione primùm recitaſſe coram exercitu, deinde per nuncios Theodorico Regi ſignificaſſe fertur.

V. Veriora ſunt, quæ de pugna Textriciana déque obſidione Pariſienſi ſic enarrantur ab eodem Monacho. *Carbonariam ſyluam tranſeunt hoſtiliter cuncta*

Digitized by Google

*vaſtantes, & ad interiores Regni illius partes intrepidi perueniunt, haud procùlque ab oppido Vermandorum, iuxta villam, cui vocabulum eſt Textricium, caſtra poſuerunt. Theodericus igitur cùm audiſſet hoſtem in ſui Regni penetralibus commorantem, exercitum congregat, aciem contra Pippinum conſtruit, ex alia parte prædictæ villæ caſtra ponit. Inter quos modicus quidem fluuius, ſed difficili traiectio defluebat, qui ab incolis Dalmannio * nuncupatur. Pippinus itaque ab Aquilone eiuſdem fluminis, Theodericus ab Auſtro conſederat.* Hoc flumen in dexteram Somonæ ripam egeritur. *Pippinus prudentiſſimâ prouidentiâ in quodam eminentiori colle locum certamini delegit, & quò ad illum accedendum erat prouidâ ſpeculatione oſtendit. Igitur diem illam cum nocte magno curarum æſtu Pippinus Princeps tranſegit, & inluceſcente Aurorâ copias ex caſtris educit, & magno ſilentio Dalmannionem fluuium tranſiit, atque ab Orientali parte caſtrorum Theoderici, prout pridie conſtituerat, aciem ordinat. Ducibus ſingulas legiones commendat, & vt patienter ortum Solis præſtolentur adnunciat, vt cum Dei auxilio reuerberantibus radiis Solis, hoſtium obtutus titubaret. Orto igitur iam Sole, Theoderico ſui nunciant Pippini caſtra deſerta & ignibus eſſe conſumpta, Quibus ille auditis copias ad perſequendos hoſtes è caſtris educit. Cui intrepidus & præſtantior conſilio & armis Princeps Pippinus occurrit. Commiſſoque acerrimo prælio, Theodericus cum Conſiliario ſuo Bertario in fugam verſus, cunctos Optimates in ore gladij interemptos dereliquit. Nec priùs cœptæ fugæ curſum terminauit, quàm Sequanæ amnis fluenta tranſiret. Bertarius quoque vagus & profugus timore perterritus per diuerſa loca latitans ad vltimum à ſuis ſuam ſtultitiam non ferentibus interimitur. Pippinus igitur victor caſtra hoſtium inuadens, ſpolia ampla, Deo gratias referens, ſuis fidelibus impertitur. Plurimi autem ex prælio fugâ lapſi Eccleſiis & Monaſteriis ſeſe defendendos crediderunt. Quorum maxima turba ad beati Quintini Martyris limina, nonnulli ad Perronam Scotorum Monaſterium, in quo beatus Furſeus corpore requieſcit, confugium fecerunt. Pro quibus, internuntu Abbatum locorum illorum, mitiſſimus Princeps Pippinus, acceptis ab his tantummodò ſacramentis, cunctis vitam & hæreditatem donauit. Profectúſque inde, Theodericum fugientem perſequitur, & Pariſius vſque ciuitatem peruenit. Quam ſubditione in poteſtatem redactam, Theodericum quoque recipiens, ne tyrannidem videretur exercere, nomen illi Regis inæſtimabili pietate reſeruauit. Ipſe verò totius Regni gubernacula theſauróſque Regios & vniuerſi exercitûs dominationem propriæ facultatis iure diſponenda retinuit.* Pippino rurſum adulatur Auctor hoc loco, nam pietatem eius inæſtimabilem commendat, quòd Regium nomen non vſurparit, cùm debeat potiùs vituperare ſuperbiam ac perfidiam, quòd prælium cum Theodorico Rege conſeruerit. Non defuerunt egregij Duces ſeu Rectores prouinciarum, qui partes Theodorici Regis auctoritatémque Regiam in Auſtraſia contra Pippinum tuerentur. In horum numero fuit Gottefridus Dux ſeu Gubernator Sueuiæ, qui prouinciam omnem in officio continuit, & copiis in ea lectis Otouinum & Arionoldum Duces præfecit. Erchanbertus de Gottefrido & aliis Ducibus, qui Pippino, etiam poſt pugnam Textricianam parere noluerunt, ita ſcribit. *Illis temporibus ac deinceps Gottefredus Dux Alamannorum*, id eſt, Sueuorum, *ceteríque circumquaque Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eò quòd non potuerunt Regibus Meroueis ſeruire, ſicut anteà ſoliti fuerant. Ideò ſe vnuſquiſque ſecum tenuit, donec tandem aliquando poſt mortem Gottefredi Ducis, Carlus* (Pippinus Caroli loco reponendus videtur) *ceteríque Principes Francorum paulatim ad ſe reuocare illos arte, quâ poterant, ſtuduere.* Pippinum Caroli loco reſtituendum putamus, quia Gottefridus anno Chriſti ſeptingenteſimo nono mortuus eſt, eique Pippinus integro quinquennio ſuperſtes vixit, & Monachus Metenſis *Alemannos*, id eſt, Sueuos, populis annumerat, quibuſcum Pippinus bellum geſſit. Lege Martinum Crucium parte [a] primâ rerum Sueuicarum, ab illo enim Auctore confirmantur ea, quæ de Gottefridi Ducis inſigni erga Theodoricum Regem fide ſcripſimus.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

* *L'Aumignon.*

[a] L. 10. c. 11.

Digitized by Google

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

VI. Poſt pugnam Textricianam Pippinus Maiorem domûs Regiæ per vniuerſam Franciam ſe dixit. *Poſt hæc*, inquit Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum, *Pippinus cum Theodorico Rege cœpit eſſe Princeps regiminis ac Maiordomûs.* Idem ſignificat alter Anonymus iam citatus in Hiſtoria [b] iuſſu Childebrandi ſcripta, dum inter felices ſucceſſus, quibus poſt partam ad Textricium victoriam Pippinus auctus eſt, acceptam ab eo *domum Palatij* non prætermittit. In fragmento Hiſtorico incerti Auctoris, quod Alberti Argentinenſis Chronico in editione Chriſtophori Vrſtitij præfixum eſt, vbi Genealogia Caroli Magni texitur, Angiſus de Begga vxore genuiſſe dicitur *Pipinum Ducem, qui Maiordomûs Regni Francorum erat*, &, vt inferiùs in eodem fragmento legitur, *Pipinus Dux, Theoderico* Rege *annuente, cœpit eſſe in principali regimine Maiordomûs, & dum principatum Palatij ſub Regibus*, Theodorico, Clodoueo, Childeberto & Dagoberto, *annis* XXVII *egregiè adminiſtraſſet, mortuus eſt anno ab Incarnatione Domini* DCCXIV. Chronographus Fontanellenſis, Annaliſta Metenſis, Clarius, aliique recentiores, rati è dignitate Pippini non ſatis eſſe, ſi Maior domûs aut Princeps Palatij nominaretur, illum per inſignem adulationem nouo prorſus nec vnquam vſitato Titulo Principem Francorum appellarunt, auſique ſunt ſuis in ſcriptis annos Chriſti cum annis huiuſcemodi ficttitiæ dignitatis componere. Chartas complures, quas Pippinus poſt pugnam Textricianam emiſit, attentè legimus, in illis ſe filium Anſigiſi, ſe virum illuſtrem, ſe Maiorem-domûs vocat, annos apponit Regum, Theodorici, Childeberti, aliorúmque ſub quibus Maioratum domûs Regiæ geſſit, numquam Principem ſe Francorum dicit, annos ſui Principatûs aut Maioratûs numquam numerat. Abſtinebimus igitur ab illo Principis Titulo, niſi fortè vſurpetur à Scriptore, quem cogamur allegare, ipſiſſima enim Auctorum verba recitare conſueuimus. Excogitatus certè videtur ab iis, qui Reges finxerunt vmbratiles & nomine tenus, arbitratique ſunt Maioratum domûs Regiæ vel Principatum Palatij infra poteſtatem eorum fuiſſe, quibus Imperij ſummam abſque Regio nomine per illa tempora tribuerunt. Nonnulli quoque ex iis, qui ſeriùs ſcripſerunt, Ebroinum & alios, qui Maioratum Regiæ domûs ante Pippinum Herſtallium in Neuſtria geſſerunt, Principes Francorum appellarunt. Adeò creuit erga Maiores-domûs adulatio, aduersùs Reges calumnia.

[a] Cap. 48.
[b] Cap. 100.

PIPPINVS MAIORDOMVS IN VNIVERSA FRANCIA. AN DICTVS PRINCEPS FRANCORVM.

VII. Pippinus à pugna Textriciana Maioratum domûs Regiæ ſub Regibus Theodorico Tertio eiúſque filiis Clodoueo Tertio & Childeberto Tertio necnon nepote Dagoberto Tertio per vniuerſam Franciam annis viginti ſeptem & ampliùs exercuit. Adulatio poſteris ſeculis eò proceſſit, vt quidam ſcripſerint Regnum Francorum penes Faramundi prolem ad hunc vſque annum fuiſſe, quo Pippinus Maioratu domûs Regiæ per vniuerſam Franciam potiri cœpit. In breui Chronico, quod ab initio Regni Francorum vſque ad annum Chriſti milleſimum centeſimum triceſimum-ſeptimum Franciſcus Ducheſnius [c] ex Bibliotheca Thuana publicauit, hæc leguntur. *Franci primum habuere Regem Ferramundum, cuius proles regnauit vſque ad* DCLXXXVII *annum Verbi Incarnati. Tunc enim Pipinus filius Anſegiſi Princeps Francorum fuit.* Et Monachus Nazarianus [d] Annales ſuos, quibus vſuri ſæpè ſumus, ſic exorſus eſt. *Anno* DCCVII (vel potiùs *anno* DCXXCVII, vt reponendum alibi docebimus) *Pippinus Senior regnare cœpit.* Vt ita ſentirent, pleroſque ſuis ſcriptis videtur impuliſſe, qui ceteris antiquitate præſtat Erchanbertus. Hic enim poſt Theodorici Quarti Regis obitum, cùm Carolus Martellus in viuis ſuperſtes eſſet, Breuiarium Regum Francorum ac Maiorum-domûs conſcripſit, & poſt necem Bertharij Maioris-domûs, quæ pugnam Textricianam proximè ſecuta eſt, de Francorum Regibus cum tanto contemptu locutus eſt, vt penes eos nomen Regium non honorem fuiſſe ſic affirmarit. *Theodoricus Rex, filius Chlodouei, regnauit annis* XIX. *Maior-domûs Bertharius. Quo occiſo, Pippinus Iunior, filius Anſegiſili, veniens de Auſtraſiis,*

[c] Tom. 3 Collect. Hiſt. Franc.
[d] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc.

Auſtraſiis, ſucceſſit in Principatum Maiorum-domûs. Exhinc Reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen vbi conſtitutum fuerat, victus erat exuberans, cuſtodiáque iugis erga illos habebatur, ne aliquid iure poteſtatis agere poſſint. Non inficiamur Theodoricum Tertium, de quo ſermonem facimus, Clodouei Secundi filium fuiſſe, regnaſſe annis vndeuiginti, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio quo poſt Childericum fratrem regnare cœpit, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum. Fatemur etiam regnante Theodorico Maiorem Regiæ domûs fuiſſe Bertharium, eíque in Maioratum apud Neuſtraſios ſucceſſiſſe Pippinum Herſtallium, quem alij Seniorem, alij Iuniorem cognominant cum diuerſo reſpectu, quia nepos fuit Pippini Craſſi ſeu Landenſis, auus verò Pippini Regis ſeu Breuis. At negamus poſt pugnam Textricianam Theodoricum Regem eiúſque ſucceſſores in eum veniſſe contemptum, quem textus præcitatus depingit. Erchanbertum, qui durante interregno, cùm ſumma rerum Francicarum penes Carolum Pippini filium eſſet, calamo manum admouit, adulatorio erga vtrumque ſtylo vſum eſſe, aliiſque cauſam errandi ſubminiſtraſſe arbitramur. Auctor vetuſti libelli de Maioribus domûs Regiæ, à quo Tomum ſecundum ſuæ Collectionis Andreas Ducheſnius inchoauit, meliùs ſcribit Pippinum obiiſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, poſtquàm Maioratu Regiæ domûs, ſub Francorum Regibus per annos ſeptem ac viginti potitus eſſet, id eſt, ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, quo pugnatum ad Textricium néxque illata Berthario. Scriptoris hæc ſunt verba. *Ipſe Pippinus eodem anno, qui eſt Incarnationis Dominicæ* DCCXIV, *medio Decembri obiit, poſtquàm obtinuit Principatum ſub nominatis Regibus*, Theodorico, Clodoueo, Childeberto & Dagoberto, *annis* XXVII. De anno, quo Pippinus obiit, Annales Nazariani, qui deſinunt in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, ſic conueniunt. *Anno* DCCXIV *Pippinus defunctus eſt.* Et Petauiani, qui decennio tantùm vltra Nazarianos producuntur. *Anno* DCCXIV *Domnus Pipinus mortuus eſt in menſe Decembr.* Item Tiliani, qui Petauianos excedunt annis duntaxat octo. *Anno* DCCXIV *depoſitio Grimoldi, & depoſitio Pippini in medio Decembrio.* Necnon Metenſes. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCXIV *Pippinus Princeps iterum moleſtiâ corporali correptus, circumſitis gentibus Francorum dominationi ſubactis, in pace obiit* XVII. *Kal. Ianuar. Rexit autem populum Francorum annis* XXVII *& menſibus* VI. Turpiter igitur hallucinatur Auctor eorumdem Annalium Metenſium ſuprà deſcriptus, dum mortem Warattonis & apparatum belli contra Bertharium refert anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-nono, deinde pugnam Textricianam, necem Bertharij, & obſidionem Pariſienſem conſignat anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo; tum narrationem rerum anno ſequenti geſtarum ſic auſpicatur. *Igitur anno ab Incarnatione Domini* DCXCI, *Pippinus ſingularem Francorum obtinuit Principatum.*

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

VIII. Poſt pugnam Textricianam, *cùm Pipinus Princeps*, vt Chronographus Fontanellenſis [a] obſeruat, *ſingularem Francorum Principatum obtinuiſſet, ſuperato Theoderico Rege & Berthario Maiore-domûs, Fraericus*, cuius mentionem ad annum Theodorici Regis quintum iam fecimus, *Floriacum*, in pago Velocaſſino, *eidem* Pippino *contradidit, eâ videlicet ratione, vt in maiori elegantia ipſum locum ſublimaret, ac Monachorum Congregationem ibidem conſtitueret. Quod ita & factum eſt*, vt infrà dicemus ſub Childeberto Rege. Poſt eandem pugnam Textricianam ac Bertharij cædem, inter additamenta, quæ libro quarto Aimoini ex Geſtis Regum Francorum adiecta ſunt, in Editione Guillelmi Parui, capite quadrageſimo-ſeptimo hæc de Abbatibus Eccleſiæ ſancti Germani prope Pariſios occurrunt. *Babone quoque Cœnobij ſancti Germani Abbate obeunte, Childerannus ei ſubrogatur in Paſtorali procuratione.* Deſiderantur autem in Codice Seguierano necnon in Geſtis Regum Francorum, quorum caput duodequinquageſimum cum vulgato ac præci-

[a] Cap. 2.

FLORIACVM IN PAGO VELOCASSINO.

BABO ABB. S. GERMANI PARIS OBIIT.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

tato capite quadrageſimo-ſeptimo libri quarti Aimoiniani confer. Iacobus Breulius vt eiuſdem libri capite quadrageſimo-ſexto, ſic & capite quadrageſimo-ſeptimo, Babonis loco nomen Baboleni poſuit, ſibíque perſuaſit Babonem ſancti Germani Pariſienſis Abbatem eundem eſſe cum Baboleno primo Abbate Foſſatenſi cuius vitam ab Anonymo ſcriptam plurimíſque mendis ſcatentem aliàs examinauimus. At à ſemetipſo diſſidet ſtupendo prorſus anachroniſmo. In notis, quibus prædictum caput quadrageſimum-ſextum illuſtrare conatur, Babolenum ait obiiſſe ſexto Kalendas Iulias, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto. Id autem ſi verum eſt, an idem Babolenus Abbatiale munus ſuſcepit mortuo iam Audoeno Epiſcopo Rotomagenſi, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium incidit? an & idem Babolenus eo deceſſit anno quo pugnatum eſt ad Textricium, id eſt, hoc ipſo anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo? Præterea Babo, qui Monaſterium ſancti Germani poſt Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi mortem gubernare cœpit, & eo quo pugna Textriciana commiſſa eſt anno diſceſſit è viuis, Abbatialem præfecturam integro quadriennio non geſſit, vnde colligas Breulium non tantùm errare, quòd Babonem in Babolenum deflectat, ſed etiam quòd ipſummet ſeu Babonem ſeu Babolenum *octo ſemis annos*, vt Anonymus de Baboleno Abbate Foſſatenſi perperam in eius vita ſcribit, Cœnobio ſancti Germani præfuiſſe cenſeat. Baboni ſucceſſit Childerannus, qui nec vltra quadriennium Abbas fuit, obiit enim ſuperſtite adhuc in viuis Theodorico Rege, cuius mortem anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo conſignaturi ſumus.

SVCCEDIT CHILDERANNVS.

IX. Kilianum Preſbyterum, de cuius profectione ex Orientali Francia in Italiam anno ſuperiori verba iam fecimus, Conon Romanus Pontifex, cuius obitus tertio Idus Octobres hoc anno contigit, *ex conſenſu totius Vrbis*, vt in ipſius Kiliani vita legitur, *in Pontificatûs officium conſtituit, quo & chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros Ordines conſecrare irreprehenſibiliter valeret. His ita peractis dimiſit eum, monens vt cœpto operi inſiſteret, à Domino ſibi præparato præmio æternæ retributionis. Beatus itaque Kilianus Vrbem egreſſus peracto itinere cum Kolomanno Preſbytero & Totmanno Leuita ad locum ſibi deſtinatum peruenit. Veniens igitur ad oppidum Orientalis Franciæ Virziburg non eum, quem in eadem prouincia Ducem reliquerat, inuenit, ſed alium nomine Gozbertum. Porrò venerabilis vir paulatim cœpit pabula diuini verbi incredulis populis miniſtrare. Tantam enim Dominus ei gratiam contulerat, vt in breui tempore gentis loquelam perdiſceret, & eis proprio ſermone ſemina veritatis erogaret. Mirabantur autem omnes non ſolùm nouitatem doctrinæ, ſed exuberantiam quoque eloquentiæ; facundiam etiam ſermonis comitabatur efficacia virtutis.* Ceterùm Cononi in Sedem Romanam ſucceſſit Sergius, qui teſte Anaſtaſio *ſedit annos tredecim, menſes octo, dies viginti tres*, & *ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ſexto Idus Septembris, Indictione decimâ quintâ*, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo primo. Chronologiam noſtram firmat Beda [a], teſtatur enim Ceduallam Saxonum Regem interiiſſe *anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octogeſimo-nono, ſub die duodecimo Calendarum Maiarum, Indictione ſecundâ, Pontificatum tenente Apoſtolico viro Domino Sergio Papâ, anno ſecundo.* Confirmat & Marcellinus in vita [b] Sancti Swiberti, ſcribit enim Willebrordum eiúſque ſocios in Friſiam aductos eſſe *anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo; Pontificante Romæ Apoſtolico viro Sancto Sergio Papâ, anno ſuo tertio.*

KILIANVS ORDINATVS EPISCOPVS ERVDIT WIRZIBVRGENSES.

[a] L. 5. c. 7.

[b] Cap. 6.

X. Florentius Argentinenſis Epiſcopus, cùm ex ſententia Ruyri [c] ſediſſet annos octo, migrauit ad Deum ſeptimo Kalendas Nouembris, quo die colitur in Tabulis Eccleſiaſticis. Sepultus fuit in æde Sancti Thomæ teſte eodem Ruyro, qui & ſcribit reliquias in eremum, vbi vixerat, ineunte nono ſeculo fuiſſe tranſlatas à Rathone ſeu Rechone Argentoratenſi Pontifice, quamobrem mirum eſſe non debet, ſi poſteà Monachus vallis Gali-

[c] P. 2. l. 2. c. 6.

FLORENTIVS EP. ARGENTIN. OBIT.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

læ, cùm in vita Sancti Deodati obſeruaſſet Arbogaſtum *in nemore Heiligeſorſt*, & Florentium *in ſolitudine Haſale* vitam eremiticam duxiſſe, tum de tranſitu ac ſepultura eorumdem ſubiecerit, quòd *poſtquàm ambo plurima virtutum exempla de ſe præbuere, vocati à Domino, ad cælos migrarunt ſpiritu, corpore in locis ſupradictis* nempe Heligeſorſt & Haſale, *quieſcunt.* Poſt Sanctum Florentium in catalogo Argentoratenſium Antiſtitum ponitur Wicgernus ſeu Wiggetus. Hic, vt Heddo Epiſcopus in ſuo teſtamento teſtatur [a], *Monaſteriolum in Nigra ſylua in Marcha Etinheim, in loco nuncupante Monachorum cella, ſuper fluuiolo Vnduſſa, de nouo ſuo opere ædificauit in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, & Sancti Ioannis Baptiſtæ, Sanctique Petri Apoſtoli & ceterorum Sanctorum, & Monachos ibidem congregauit, & dedit ad ipſum locum aliquid de rebus Sanctæ Mariæ.* Quot autem annos Wicgernus eiúſque ſucceſſores Wandelfridus & Aulidulfus ſinguli ſederint haud liquet. Errant Nomenclatores qui Wicgerno quinque duntaxat annos, Wandelfrido quatuor, Aulidulfo decem in Pontificatu tribuunt, hic enim vitam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quartum produxit. Annos igitur non vndeviginti ſed quadraginta ſeptem in tres Pontificatus partire.

SVCCEDIT WIGGERNVS.

[a] Ap. Henſch. de tribus Dagob. l. 4. c. 4.

ÆDIFICAT MONASTERIVM.

EPISCOPI ARGENTORATENSES.

XI.

Hoc anno, qui quartus poſt mortem Sancti Audoeni Rotomagenſis quondam Epiſcopi numeratur, eiuſdem Sancti Audoeni corpus, quod in Baſilica Sancti Petri Apoſtoli quieſcebat, in alium locum editiorem tranſlatum eſt. Huius Tranſlationis meminerunt Aigradus in vita Sancti Anſberti, vetus Anonymus qui vitam Sancti Audoeni temporibus Caroli Martelli ſcripſit, alter Anonymus qui citatur à Bollando [b] in notis ad vitam [c] Sancti Anſberti, ambo Fridegodi, alter genuimus, quem ſæpè allegauimus, alter interpolatus quem Surius [d] publicauit. Vterque Anonymus & Fridegodus hanc Tranſlationem anno quarto poſt obitum Sancti Audoeni factam affirmant. Neoterici, cùm de anno quo Sanctus Audoenus ad Deum migrauit non conueniant, neceſſe eſt vt & inter ſe diſſideant de anno quo contigit prædictam Tranſlationem fieri. Chronologiam ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum in ordinatione Audoeni Epiſcopi ſemel ſtabilitam ſequimur. Anſbertus, vt Auctor eſt Aigradus, Sancti Audoeni corpus ſolenniter tranſtulit *conſtitutâ die in ſolennitate Aſcenſionis Domini Chriſti.* Vt ſolennior fieret ea Tranſlatio, dies videtur electus, qui feſto Aſcenſionis Chriſti celebris eſſet. At Aigradus nec menſem indicat nec diem menſis in quem illo anno Aſcenſio Chriſti incidit. Fridegodus, vt Aigrado eſſet interpretis loco, diem Aſcenſionis Chriſti cum tertio Nonas Maij ſic comparauit. *Ipſum ſanctum corpus cum magna veneratione de loco vbi ſepultum fuerat tranſtulit ipſo die Aſcenſionis Domini, tertio Nonas Maij*, vel vt habet editio Suriana, *corpus ſacratiſſimum à loco, vbi humatum fuerat, cum multa veneratione ipſo die Aſcenſionis Domini, tertio Nonas Maij, tranſtulit.* Manifeſtus autem error eſt in hoc calculo, quia feſtum Aſcenſionis ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptimum cum tertio Nonas Maij non conuenit. Mirum ſanè, quòd Fridegodus hoc loco nec ſibi nec aliis conſentiat. Nam ſi Sancti Audoeni ordinationem in Epiſcopum Rotomagenſem benè collocauit *anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo triceſimo quinto*, conſignare debuit eiuſdem obitum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo, & Tranſlationem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, quo feſtum Aſcenſionis celebratum eſt poſtridie Nonas Maij. Qui ſanctum Audoenum Epiſcopum ordinatum putant anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto, eiuſdem obitum reiiciunt in annum Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum, & Tranſlationem in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium, quo feſtum Aſcenſionis poſtridie quoque Nonas Maij celebratum eſt. Ab vtriſque longè recedimus, hoc enim anno, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-

TRANSLATIO S. AVDOENI EP. ROTOMAG.

[b] D. 9. Febr.

[c] Cap. 7.

[d] D. 14. Aug.

Digitized by Google

AN.CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

ſeptimo, Paſcha celebratum eſt ſeptimo Idus Aprilis, Aſcenſio poſtridie Idus Maij. Quia Chriſtus creditur mortem paſſus octauo Kalendas Martij, reſurrexiſſe ſexto eaſdem Kalendas, & aſcendiſſe in cælum tertio Nonas Maij, feſtum Aſcenſionis in pleriſque Martyrologiis tertio Nonas Maij celebratur, vt ex Molano in additionibus ad Vſuardum, ex Sauſſaio in Martyrologio Gallicano & ex Bollando in notis ad vitam Sancti Anſberti iam laudatis conſtat. Inde factum arbitramur, vt dies ille tertius ante Nonas Maias Tranſlationi Sancti Audoeni dicaretur, & Fridegodus exiſtimaret illo anno quo corpus Sancti Audoeni tranſlatum eſt, Aſcenſionem Domini tertio Nonas Maij celebratam fuiſſe.

XII. Ab obitu ſancti Audoeni vſque ad prædictam Tranſlationem lapſi ſunt anni tres, menſes octo, dies viginti tres, vnde apud Fridegodum dicitur beati viri corpus in priori loco requieuiſſe *annis tribus & menſibus nouem*. Acta Sancti Audoeni, quæ citantur à Bollando ad vitam Sancti Anſberti, præter annos tres habent menſes duntaxat ſeptem, imò vetuſtiora quæ legimus notant annos tres, menſes ſex. Vt autem iſta cum Fridegodo conciliare poſſis, obſerua Sanctum Audoenum obiiſſe Clipiaci prope Pariſios nono Kalendas Septembris anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, & antequàm deferretur Rotomagum, ibique in Baſilica Sancti Petri conderetur, duos effluxiſſe menſes, itaut in illo loco, vbi primùm ſepultus eſt, requieuerit annos tres menſéſque duntaxat ſex completos aut ſeptem incompletos, quamuis ab eius obitu vſque ad Tranſlationem, de qua nunc inquirimus, interceſſerint anni tres menſéſque ferè nouem.

XIII. Tranſlationem ipſam in Actis Sancti Audoeni ſic deſcribit Anonymus, qui temporibus Caroli Martelli floruit. *Beati viri corpus in loco, quem ipſe fabricauerat, requieuit annis tribus & menſibus ſex. Poſt hæc viſum eſt Antiſtiti ſucceſſori ſuo, vt beati viri corpus transferret in excelſiorem locum vel gradum ante altare Sancti Petri Apoſtoli in parte Orientis. Hinc Epiſcopus conuocato agmine plurimorum Monachorum vel omni Eccleſiæ Clero & populo ſuburbano, vel illius ciuitatis prouincialibus ob eius amorem vndique confluentibus, totâ nocte vigiliarum feſta celebrarunt. Finitis verò matutinis laudibus ipſum ſanctum corpus cum magno tremore de loco, vbi ſepultum fuerat, mutauerunt, ibíque Domino annuente eſt tranſlatum, vbi nunc vſque à plebe cum ſummo adoratur honore. Igitur de miraculo, quod ipsâ die actum fuit, quando corpus Sanctum tranſtulerunt, intimare non pigeat. Contigerat enim ſupradicto Epiſcopo ægritudo corporis valida, quam vulgus tertianum tipum fatetur nomine, vehementer ergo eum exagitabat, & febre inſiſtente acriùs vicina mors per grauidos anhelitus imminebat, ſed dum à Sacerdotibus Miſſarum ſollempnia celebrarentur, aſtante Clero vnà cum populo, omni febre deterſâ, ſanitatem Epiſcopus ſtatim recepit, & ſic ſanus & incolumis ad ſuum diuerſorium properauit. Ipſe autem Pontifex ſudarium pro munere reliquiarum deſuper caput beati Audoeni manu propriâ cum fide ſuſtulit, quo & ſibi ſalutem & aliis quamplurimis conferre ex ipſa infirmitate promeruit. Fit namque ab omnibus iocundum conuiuium, diuitum paritérque pauperum multitudo in eius beatum Tranſlationis diem congregata in vnum laudantes magnificabant Dominum, & gratias ineffabiles agentes plurimùm de eorum Paſtore Domino Audoeno, qui & in præſenti vita eos abundè verbo vitæ pauit, & poſt exitum ſuum magnis virtutibus renituit auxiliante Chriſto.*

XIV. Addemus nonnulla ex Actis ſancti Anſberti ab Aigrado conſcriptis. *Qualiter etiam* Anſbertus *venerabile Sancti Antiſtitis Audoeni corpus, Chriſto propitio, in eminentiorem locum Eccleſiæ Sancti Petri, quæ ſita eſt in ſuburbano vrbis Rotomagenſis, tranſtulerit, narrare aggredimur. Cùm itaque de diuerſis prouinciis plures congregaſſet artifices, condidit ſuper eius ſepulchrum repam* (quidam Mauſoleum & fabricam legunt) *miræ magnitudinis, pretioſis metallis auri argentíque decoratam, gemmíſque pretioſis adornatam, ſicut vſque in præſens humano viſui apparet. Conſtitutâ ergo die, in ſolennitate Aſcenſionis Domini Chriſti, Sacerdotum*

Digitized by Google

ac Monachorum reliquorúmque Clericorum adunatâ multitudine, ipſum ſacrum corpus leuari fecit cum reuerentia magna & Hymnorum laudibus Clero perſonante, atque in abſida præfati Sancti Petri Apoſtoli Eccleſiæ recondidit feliciter cum gaudio & honorificentia magna. Intererat autem in hoc ſancto conuentu, inter alios viros venerandos, etiam clariſſimus Genardus Vicedominus, qui magna præparari fecit conuiuia, quia plebs innumera ad tam venerandi Præſulis Tranſlationem ſanctam vndique conuenerat. Completis autem Miſſarum ſolenniis præfatus Genardus cum viris nobilibus, iuſſu Sancti Pontificis, ad conuiuandum reſedit. Pontifex verò clarus Ansbertus more ſolito cum peregrinis & pauperibus diſcumbens, cum ipſis epulari gaudebat. Nam ipsâ die miniſtri officium gerens, pauperibus & egenis obſequium in eorum refectione humiliter exhibebat.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

XV. Fridegodus obſeruat corpus Sancti Audoeni repertum fuiſſe incorruptum, & intra repam ſeu fabricam quam Anſbertus conſtruxit reconditum fuiſſe lectum quem Sanctus Audoenus Ieroſolymam olim mittendum deſtinarat, per lectum thecam intellige, thecæ enim in quibus reliquiæ cuſtodiebantur lecti vocari conſueuerant. *Sacratiſſimum corpus* (verba ſunt Fridegodi) *tam alienum inuentum eſt ab omni corruptione, quàm primùm viuens decoratum fuit virginitate. Fecit* Anſbertus *ſuper eius ſepulchrum repam* (vulgatus Fridegodus ſcribit fabricam) *mirificè factam, in qua miſit argentum maximi talenti, aurum plurimum & gemmas optimas. Condidit intra illam lectum, quem Sanctus Audoenus flagrantiſſimo ardore ignitus iuſſit fabricari, & ex auro foris intúſue mirabiliter includi, ad perferendum in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti ad Sanctam Reſurrectionem in Ieruſalem. Sed ne illuc tunc temporis mitteretur, huic ſanctæ intentioni obſtitit varius rei euentus.*

XVI. Ambianenſes quot annis celebrant Inuentionem Sancti Firmini Martyris, quam Idibus Ianuariis ſub annum Chriſti ſexcenteſimum Præſule Saluio contigiſſe teſtantur in vetere ſuo Breuiario [a]. Malbrancus [b] adſcribit annum Chriſti ſexcenteſimum-tertium, qui præditus fuit literâ Dominicali F, vult enim Idus illas Ianuarias in diem Dominicam incidiſſe. Longè ſeriùs in Ambianenſi Cathedra ſedere cœpit Saluius Monarchiam Franciæ tunc obtinente Theodorico Tertio, habitâque ratione literæ Dominicalis F, præter hunc annum, Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, nullus occurrit, quo Sancti Firmini Martyris Inuentio rectè conſignari poſſit. Beatus Firminus Martyr, qui primus Ambianenſium Epiſcopus fuit, hoc elogio commendatur in Tabulis Eccleſiaſticis ſeptimo Kalendas Octobres. *Ambiani in Gallia, beati Firmini Epiſcopi, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictio Varo, poſt varia tormenta, capitis decollatione Martyrium ſumpſit.* Diocletianus, vt ex Chronico Euſebij liquet, perſecutionem in Chriſtianos anno Imperij ſui decimo-nono concitauit, id eſt, anno Chriſti trecenteſimo-quarto, vt in Apparatu Chronologico demonſtrauimus. Quapropter in Breuiario Ambianenſi, quod Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Epiſcopus Franciſcus *Faure* nuper reformandum curauit, ſacrum beati Firmini Martyris corpus *quatuor ferè ſeculis* delituiſſe rectè dicitur, à perſecutione videlicet quam Diocletianus mouit, ad hunc vſque annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum quo Saluius Epiſcopus illud inuenit eleuauítque. Textus talis eſt. *Saluius beatum Firminum Martyrem Ambianorum Apoſtolum ſingulari deuotione venerabatur, maximéque ſtudebat eundem pietatis affectum in omnium animis excitare. Cúmque ſacrum illius corpus à quatuor ferè ſeculis ſepultum deliteſceret, & in æde ſacra, quam ſanctus Confeſſor Firminus ſupra ipſius ſepulchrum ædificauerat, multa quotidie miracula diuinitus ederentur, triduanam cum ieiuniis ex more ſolemni in Eccleſia ſtationem fideli populo beatus Antiſtes indixit, vt ſepulturæ locum Deus piis multorum votis exoratus oſtenderet. Quâ rite peractâ, poſt vigilias ſub Auroram ſanctus Epiſcopus effuſiùs orabat, cùm ecce repentè è cælo lucis radius tumulum deſignauit. Effoſſâ autem humo apertíſque ſacris reliquiis ſuauiſſimus odor effuſus eſt, qui longè latéque ſeſe diffundens innumeram hominum multitudinem at-*

[a] d. 13. Ian.
[b] Lib. 3. c. 5.

ET S. FIRMINI EP. AMBIANENSIS MARTYRIS.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

traxit; hybernum cælum ſe in adulti veris temperiem reſoluit; immutata eſt in iiſce regionibus terræ facies; arbores ſeſe foliis & floribus induerunt, & vniuerſa rerum natura, quaſi lætitiæ particeps, & diem feſtum agens ſe in cultum venerationémque compoſuit. Tanta denique edita ſunt prodigia, quanta in nullis aliis rerum monumentis legimus, cùm ex ſuburbana Eccleſia in Baſilicam ciuitatis ſanctiſſima pignora deferrentur.

XVII. Eandem ſancti Firmini Martyris Inuentionem fusiùs deſcripſit vetus Auctor, cuius narrationem accipe ex manuſcripto Codice Corbeienſi. *Quoniam multorum Sanctorum corpora in huius Ambianis ciuitatis prædio condita eſſe cognoſcimus, & à priſcis temporibus ſigna & miracula illorum obtentu longè latéque coruſcare legimus, incongruum nobis videtur de inuentione & miraculis beatiſſimi Firmini Martyris ſilentio præterire,* &c. *Poſt glorificationem Domini & Saluatoris noſtri, primus beatus Firminus à cultura idolorum hanc vrbem expiauit, & ad fidem Catholicæ religionis temporibus nefandorum Imperatorum fecit eſſe perfectam. Is autem illorum tempore ſuſtinuit multa tormenta pro fide Chriſti, & Martyrio coronatus migrauit ad cælum. Ab illorum namque temporibus per ſpatiorum interualla multa ſigna & prodigia operatus eſt Dominus per eum vſque ad tempora Theuderici Chriſtianiſſimi Regis, qui tunc nobili ſceptro inclytum Regnum Francorum nutu diuinæ diſpoſitionis regebat. Sed in hac ciuitate iam plebs perfecta erat in fide, & diuinis laudibus fulta, diuinum officium iugi deuotione die noctúque ſtrenuè peragebat. Videbant frequenter coruſcare ſigna, miracula fulgere, & corpora Sanctorum [illegible] diu latebant cum immenſis prodigiis apparere. Iam enim corpora Sanctorum, per [illegible]elationem, Fuſciani, Victorici & Gentiani, Martyrum, miliario tertio ab vrbe Ambianis inuenta, & mirificè cum aromatibus à beatiſſimo huius loci Epiſcopo Honorato, ſicut illorum geſta perhibent, condita erant. Ipſe Honoratus Præſul tempore Childeberti Regis vir clariſſimus fuit omni dignitate, facundus, prodigiis & miraculis eximius, nomine & nobilitate Honoratus. Is dum ſacrum corpus Chriſti ſuper altare beatæ Mariæ ſemper Virginis conſecraret, palmam Domini meruit conſpicere, & vice ſuâ myſterium ſacræ conſecrationis perficere. Qui repletus Spiritu ſancto, alacri corde de menſa ſacrificium manu Saluatoris conſecratum accipiens, atque cum ſumma deuotione ſumens, ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs poſtmodùm manſit illæſus. Donum ſiquidem tantæ dignitatis accepit, vt pignora præfatorum Martyrum Angelo nunciante venerabili Presbytero Lupicino inueniret. Sed corpus beatiſſimi Firmini Epiſcopi & Martyris, cuius ſubſidiis ac miraculis maxima pars Galliæ illuminata, ac velut radius Solis ſuæ ſanctæ prædicationis ſtudio refulget, non inuenit. De hoc tamen ſufficienter gaudebat & lætabatur, quòd ſuis temporibus tam præclara miracula dicta, & etiam alia innumera, quæ in ſuis Geſtis continentur, Dominus ac Redemptor noſter operari dignatus eſt. Tempore namque Theuderici Regis, gratiâ immenſæ Maieſtatis obtinuit quidam nobiliſſimus vir Saluius, vt infulatum Apoſtolatûs officij ſanctæ Sedis Ambianenſium ſuſciperet, & gubernaculo recti tramitis plebem ſuæ ditioni commiſſam regere ſtuderet. Erat enim vultu decorus, arte & eloquentiâ facundus, caſtitate pudicus, moribus ornatus, in conſilio prouidus, omni dignitate perfectus, & à primæuo flore iuuentutis diuinis ſtudiis deditus, gloriam & blandimenta huius ſeculi deſpuebat, & in diuini cultûs officio maximo amore aſſiduè inardebat. Fuit quidem electus à plebe Ambianenſium, & à Deo donatus in Sede Sacerdotum. Fuit vocatus à populo in ordine Magiſtratûs, & coronatus à Deo in honore Apoſtolatûs. Erat aſtutus vt ſerpens, & ſimplex vt columba. Totum Regnum Francorum Theudericus Rex ſuo conſilio ordinabat, & barbaras nationes feruido gladio eius conſultu ſuæ poteſtati ſubiugabat. Is autem venerabilis Præſul Saluius pabulo ſanctæ prædicationis corda populorum aſſiduâ profectione reficiebat, & ad paſcua æternæ refectionis inuitabat. Cœpit diligenter in arcano ſui cordis voluere quo in loco ſanctiſſimum ac deſideratiſſimum theſaurum abditum quæreret, ſed propter fragilitatem humanæ conditionis præſumere non audebat. Sciebat verò, quòd in Eccleſia beatæ Mariæ Virginis requieſcebat, quam beatus Firminus Confeſſor Chriſti conſtruxerat. Qui & pro ſorte nominis, & pro merito dignitatis, in*

hac ciuitate clariſſimus extitit Paſtor, & in ipſa Eccleſia ſuam elegerat fieri ſepulturam. Deſignatum namque locum beatus Saluius ſciebat, ſed in quo loco beatus Firminus Martyr conditus eſſet, funditus ignorabat. Indeficienter itaque Domino die noctéque preces fundens, ſollicitè inter ſemetipſum cum largifluis lachrymis pertractabat, ſi ſuo tempore Christus hunc Martyrem declarare dignaretur. Quâdam igitur die omnem plebem diuerſorum ſexuum conuocauit, Sacerdotum ſcilicet, Leuitarum, Clericorum & Laicorum, ac mulierum, & more ſolito diuinum officium cum verbo ſanctæ prædicationis celebrauit, atque inter cetera triduanum indixit ieiunium, vt Dominum precibus exorarent cum gemitu & nimiâ afflictione, qualiter ſanctiſſimum corpus Firmini Martyris inuenire potuiſſent. Iſdem quoque Præſul Saluius ſeſe proſtrauit in terram, indutus cinere & cilicio, cum lacrymarum inundatione, imóque trahebat à pectore fletum, & Dominum Saluatorem deprecabatur, vt deſideratum diu theſaurum ſibi oſtendere dignaretur. Populus verò indeficienter clamabat, vt Dominus Ieſus Chriſtus, qui origo & fons totius bonitatis, miſericorditer infunderet fontem ſapientiæ & intelligentiæ in mentem Saluij Epiſcopi, quo in loco ſanctiſſimum corpus beati Firmini conditum eſſet. Nec ab Eccleſia per tres dies recedebat, ſed ibidem omnis clerus ſimul & populus indictum triduanum ieiunium humili mente perficiebat. In tertio autem die, dum Aurora primam partem luminis extuliſſet, illuminatus eſt venerabilis Saluius Præſul claritate ſuperni fulgoris, ſurſum erexit oculos ad cælum, vidit quaſi radium Solis ab arce præcelſi throni exire, & vſque ad ſacrum locum, in quo ſanctiſſimus Martyr Firminus requieſcebat, inenarrabiliter refulgere. Qui mox immenſas diuinæ miſericordiæ referens gratias, cum timore & nimio tremore accedens ad declaratum locum, cœpit fodere ac ſepulchrum almi Martyris aperire. Odor quoque ſuauitatis illicò tantus excreuerat, quaſi illic omnia genera pigmentorum contunderentur & aromatum, & ager virens amœnitate diuerſorum florum adeſſet. Putabant omnes qui aſtabant intra ſepulchrum tanti Martyris candida lilia, & vernantes roſas, aliáſque virentes herbarum flores pulchrè pullulare, & quantò plùs ad ſacrum myſterium penetrando accederent, tantò ampliùs immenſus odor flagrabat, & totam Diœceſim vrbis Ambianenſium irrigabat, & vſque ad omnes comprouinciales ciuitates latè ſpargebat amœnitatem largiflui odoris. Omnis quidem multitudo vrbis Taroanenſium, Cameracenſium, Noniomenſium, & Beluacenſium, repleta fuit in ipſa hora ſuauitate & delectatione ipſius amœniſſimi odoris, ſic, quaſi in paradyſo delitiarum ſe adeſſe putarent. Non enim alius nuncius intonuit populo harum quatuor ciuitatum, quòd tam ſacrum myſterium in vrbe Ambianis per reuelationem ſancti Spiritûs Saluius venerabilis Præſul & religioſi Sacerdotes, deuotúſque populus celebrarent, niſi odor immenſus & ineſtimabilis ſuauitas. Sed omnes quidem Sacerdotes & Clerici, populúſque diuerſorum ſexuum præfatarum vrbium ſtatim ſurrexerunt cum cereis & palmis, Hymnorum pſalmodiam decantantes, celeri greſſu Ambianis obuiam tanto Martyri Firmino venerunt, ſic indubitanter quaſi vt vnuſquiſque ſuum habuiſſet præceptorem & ducem. Appropinquantes autem ciuitati Ambianenſium viderunt talia miracula, qualia nec anteà nec poſteà viſa, neque alicuius relatione in toto orbe audita fuerunt. Mox vt venerabilis Saluius Pontifex & religioſi Sacerdotes Martyrem Chriſti Firminum à ſepulchro eleuauerunt, omnis elementorum ſubſtantia mutata eſt, & tam feruidus calor mundum inuaſerat, itaut qui tunc præſentes aderant ſtupefacti in extaſi mentis mirarentur. Æſtimabant enim diuino imperio totum mundum ab imminentia caloris diſſolui, & ad nihilum redigi. Ipſe quoque mirabilis calor, quod dubium non eſt, manſit quoque ſpatio trium horarum. Erat enim tempus hyemis, & glacialis aſperitas ac niualis inundatio ipſâ die valdè imminebat. Sed repentè vnâ horâ immutatis temporibus Sol in centrum contra naturam flammigeris euectus quadrigis æſtiuali feruore nimietatem frigoris in vno momento diſſoluit. Hæc miracula valdè admiranda ſunt, quia in die Iduum Ianuariarum facta perhibentur. Dúmque iter carperent, deferentes populi Martyrem Firminum ad vrbem Ambianenſium, obuiam plurimæ occurrentes cateruæ ſternebant veſtimenta ſua in via, & voce magnâ clamabant. Oſanna in excelſis, benedictus qui venit in nomine Domini. Et ſubitò

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

AN. CH. 687. THEO-DOR. III. R. 14.

reſpicientes apparuerunt omnes arbores amœnitate florum vernantes, & nobilitate ſuauitatis redolentes, quaſi vt propè iam formatum fructum depromerent, ita fundendo flores pleniter emittebant. Cacumina verò arborum cum floribus aſſiduè gliſcentibus ſummiſſa aſtabant, & inclinando obſequium in aduentu tam clariſſimi Martyris præbebant. Et omnis plebs admirans, confeſtim frondes cum floribus de arboribus euellebant, & in via humili deuotione ſpargebant. Omnia quoque prata circumquaque Ambianis, & campi, in puncto vnius momenti plena affuerunt roſis & liliis, & diuerſis generibus olerum & florum. Et quotquot infirmi obuiam accedentes, rumpebant flores, ſternebántque in plateis & ſemitis, diuinâ impendente miſericordiâ priſtinam recipiebant ſanitatem. In iſta ſolemnitate tota ciuitas tenera fuit, quia pro gelu æther protulit calorem, pro niue flores, pro pruinis frondes & folia. Omnes quidem in illa die lætitiâ & gaudio fuerunt repleti, quia Chriſtus Dominus in his ſedibus ſanctum Martyrem conſedere fecit; plurimi infirmi & ægroti in hac die receperunt ſanitatem, quia clariſſimus Martyr Firminus & Pontifex euectus eſt in hanc ciuitatem. Celebremus, fratres cariſſimi, cum ſumma deuotione hanc ſolemnitatem, quia Dominus nobis hodie exhibuit ſuam deitatem. Hodie veneramur octauas Epiphaniæ Domini, recolamus inuicem & virtutes Martyris Firmini. Stella hodie Magis refulſit, & inuentione huius Martyris mutatis elementis hyems æſtatem produxit. Aquas Dominus ad nuptias hodie ſuâ virtute in vinum conuertit, & in honore Martyris ſui cum niue lilia prompſit. Hodie baptizatus eſt Chriſtus in Iordane à ſeruo ſuo Ioanne, & multas virtutes oſtendere dignatus eſt in Martyris ſui inuentione, præſtante æterno Patre ſimul cum filio ſanctóque Spiritu, quorum deitas in vnitate regnat & indiuiſibilis manet per infinita ſecula ſeculorum. Amen. Huc vſque Codex Corbeienſis.

XVIII. Addunt alia Neoterici Scriptores, Adrianus Morlierius libro primo de Antiquitatibus Ambianenſibus, Iacobus Malbrancus capite quinto libri tertij de Morinis & in ſcholiis ad illud caput, Ignatius Ioſephus à Ieſu Maria capite ſeptuageſimo-ſecundo Hiſtoriæ Abbauillenſis. At iſta ponimus in duplici differentia. Falſa putamus, quæ priùs geſta perhibentur quàm Anonymus ſuprà deſcriptus calamo manum admoueret, nec leguntur in eodem Anonymo; ſecus ſentimus de ceteris, quæ recentiora ſunt & ad ætatem noſtram propiùs accedunt.

XIX. In Codice Corbeienſi ſuprà citato, Morini, Cameracenſes, Beluacenſes & Nouiodunenſes, cùm corpus Sancti Firmini Martyris inuenitur, ſuauiſſimi odoris internuncio in vrbem Ambianenſem euocantur. In illius rei memoriam Morinenſis Eccleſia quot annis Idibus Ianuariis auguſtiores ritus inſtituit, vt Hymnis Odiſue ſacris & Lectionibus Inuentio Sancti Firmini recoleretur, ídque Malbrancus [a] ait in extremum vſque Taruannæ excidium ſeruatum fuiſſe. Morlierius obſeruat in vſu etiam eſſe, vt ſi quis ſupradictarum quatuor Sedium, Morinenſis videlicet, Cameracenſis, Beluacenſis & Nouiodunenſis, Epiſcopus Ambianum adeat, in illius ingreſſu, ſingularis honoris gratiâ, Cathedralis Eccleſiæ maior campana pulſetur. Nihil horum in dubium vocamus. Sed Malbranco non poſſumus aſſentiri, qui Cenomanenſem Epiſcopum quatuor prædictis adiungit, nec opinionem ſuam vllâ fulcit auctoritate. Sedebant Hautcarius Nouiomi, Cameraci Vindicianus, Conſtantinus Bellouaci, Taruannæ Bainus, Aiglibertus Cenomanni. De Hautcario, Baino, Vindiciano & Aigliberto iam locuti ſumus. Conſtantinus in catalogo Bellouacenſium Antiſtitum recenſetur poſt Clementem à Sancto Audoeno in vita Sancti Eligij laudatum.

[a] L. 3. c. 5.

XX. Ætatem Saluio longè recentiorem ſapiunt illa, quæ de Dominis Balgenciaci * & Pinchonij * circumferuntur hodie, nec in Codice Corbeienſi ſuprà laudato reperiuntur, quapropter inſignium donationum, quas ab iis Ambianenſis Eccleſia pòſt accepit atque etiamnum poſſidet, examen in aliud tempus reiiciemus.

* *Baugency.* * *Piquiny.*

XXI. In vita Sancti Saluij paucioribus verbis quàm in Codice Corbeienſi deſcribitur

Digitized by Google

cribitur Inuentio Sancti Firmini Martyris, & locus, in quo reliquiæ ab eodem Saluio collocatæ ſunt, ita deſignatur. *Sanctum Martyrem in Eccleſia, quam ipſe beatiſſimus Præſul Saluius conſtruxerat, in crypta orientali in honore eiuſdem Martyris miro opere inſignita collocauit, & digno cum honore tumulauit, inſupérque ſepulchrum eius auro gemmiſque nobiliter decorauit.* Tum Tranſlatio Sancti Firmini Confeſſoris, necnon Sanctorum Acci & Acceoli Martyrum ab eodem Saluio facta ſic ſubiicitur. *Sed & Sanctos Dei, Firminum Epiſcopum & Confeſſorem, Aceum quoque & Aceolum Martyres Chriſti, in crypta orientali verenter condidit, & decenter exornauit.* Hæc autem vt clariora fiant, obſerua duos Ambiani floruiſſe Firminos Epiſcopos; vnum Martyrem, qui colitur ſeptimo Kalendas Octobris in Tabulis Eccleſiaſticis; Confeſſorem alterum, cuius natalitius dies cum Kalendis Septembribus coincidit. Obſerua & duas Ambiani Baſilicas à Sancto Saluio conſtructas fuiſſe, de quibus ita Breuiarium Ambianenſe quarto Kalendas Nouembris in feſto eiuſdem Saluij. *Duas Ambiani Baſilicas conſtruxit; alteram nomine Sanctorum Petri & Pauli, quæ nunc Sancti Firmini Confeſſoris dicitur; alteram Sanctæ Mariæ Virginis, in quam beati Firmini Martyris corpus ſuo tempore inuentum tranſtulit.* Saluius igitur Epiſcopus Ambianenſis hoc anno reliquias Sancti Firmini Martyris inuenit, & in Eccleſia beatiſſimæ Virginis collocauit. Agemus poſt biennium de Tranſlatione Sancti Firmini Confeſſoris. Ambianenſes Canonici, quod omittendum minimè remur, Inuentionem Sancti Firmini Martyris etiamnum celebrant ritu valdè memorabili; Idus enim Ianuarias, in memoriam miraculi ex Codice Corbeienſi ſuprà deſcripti, floribus & huiuſmodi æſtiuâ amœnitate, quantùm per eos licet, exornant, depoſito hyemali habitu, lineis ſolùm amicti.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

XXII. GESTA SANCTÆ BERTILIÆ.

Illis temporibus claruit ſancta Bertilia, cuius vitam ex manuſcripto Codice Marcolenſi à Bollando [a] publicatam in epitomen redigemus. Bertilia ex nobiliſſima Francorum & Neuſtraſiorum familia oriunda, ab infantia dedita fuit pietati, eleemoſynæ, & auditioni verbi Dei, ſplendorem veſtium contempſit, opes aſpernata eſt oblatas à Guthlando qui eam ſibi vxorem petebat, vitæ ſolitariæ deſiderio exarſit, ægrè tandem conſenſit parentibus vt Guthlando nuberet quocum caſtitatem ſeruauit, eóque mortuo, ſuas facultates quæ ampliſſimæ erant, *diuerſorum locorum Monachis, Canonicis atque Sanctimonialibus ſub chartarum auctoritate delegauit, præter vnum ſolummodò fundum vſu fructuario ſibi reſeruatum, qui Marcolo dicitur, in quo propriis largitionibus Baſilicam condidit, ibidémque aram ſtatuit in honore almi Amandi. Atque vt ſuauiùs liberiúſque ibidem contemplatiuæ vitæ intendere poſſet, cellulam parietibus ipſius Baſilicæ hærentem ſibi fecit conſtrui, quam ſola ingrediens, ad viſionem ſupernæ pacis operum bonorum paſſibus ſine ceſſatione omni horâ properabat.* Tandem meritis & annis matura migrauit ad Dominum, ſepulta fuit in Eccleſia Marcolenſi, colitur tertio Nonas Ianuarij, adſcribitúrque Martyrologio Benedictino, quamuis ex vitæ lectione non eliciatur illam ſub Regula Sancti Benedicti vel alia quapiam vixiſſe. Diſtat Marcolum ſeu Maraculum * Atrebato miliari cum dimidio versùs montem Sancti Eligij. Illius vici Dominus temporalis eſt Epiſcopus Atrebatenſis, de quo in Archiuis Atrebatenſis Eccleſiæ legitur, quod Theodoricus Rex Franciæ Marcolum vſibus Atrebatenſis Epiſcopi reliquerit. Lege Coluenerium in notis ad Chronicon Cameracenſe [b].

[a] D. 3. Ian.

* *Marœul.*

[b] L. 1. c. 25. l. 2. c. 16.

XXIII. BALDVINVS DIACONVS LAVDVNENSIS INTERIMITVR.

Iiſdem temporibus, vt ſuſpicari licet, interemptus eſt Balduinus Diaconus Laudunenſis, Auſtrudis Abbatiſſæ frater, tum fermè quinquagenarius, cuius cædes in manuſcripto Codice Corſendoncano [c] ſic deſcribitur. *Erat Auſtrudi frater cariſſimus nomine Balduinus, vir probus & prudens, magni nominis, & in Eccleſiaſticis gradibus apicem aſſecutus Leuitici Ordinis. Aduersùs hunc dilectum Deo ac hominibus, ſtimulante diabolo, concipiunt & meditantur dolos qui videbantur eſſe amici & fideles huic virgini & eius fratri, Dili-*

[c] Ap. Bolland. d. 8. Ian.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

gebatur autem à ſorore nimio affectu Balduinus, non ipſe minùs diligens ſororem, quoniam non ſolùm carnis affinitas, ſed vnitas animorum & morum ſimilitudo, germanæ caritatis mutuò conciliabat amorem. Denique tenerrimè dilectus à ſorore S. Balduinus in ſimplicitate cordis ſui doloſè cum peſte inuidiæ præſtructis & præordinatis omnibus, quæ ad expletionem doli neceſſaria videbantur, explorato tempore pariter & loco, inuitatur ad quandam villam vir iuſtus in pago Laudunenſi, cui Gohardi Inſula nomen eſt, quaſi ad placitum, vt ibi præcipitarent eum in interitum laquei, quod ficto pacis colore ex amore ſimulato abſconderant ei. At ille columbinâ ſimplicitate nihil mali ſuſpicatus, aſſumptis ſecum duobus tantùm equitibus, tertius confeſtim iuit causâ placiti ad locum, qui inſidiarum & doli machinationibus præparatus erat per hoſtes omnium hominum quos terra ſuſtinet ſceleratiſſimos. Sícque apparuerunt impij ſub pacis colore in occiſionem iuſti qui videbantur eſſe amici. Nec mora, conſiliis detectis latens odium prodit in homicidium, virúmque innocentem & nihil mali merentem talibus præuentum inſidiis occidunt confodientes gladiis. Corpus delatum eſt in ciuitatem, conditúmque in Eccleſia Monaſterij, quod Deiparæ Virgini ſacrum, Sancti Ioannis nomine pòſt inſignitum fuit, vbi Auſtrudis ſoror Abbatiſſa præerat. *Monſtratur locus in Eccleſia B. Mariæ Virginis, quæ dicitur Profunda, in qua ſanctiſſimum corpus illud ſepultum multis annis requieuit, donec inde tranſlatum, & vnà cum oſſibus B. Salabergæ matris ſuæ reconditum eſt in ſuperiori Eccleſia B. Ioannis Baptiſtæ. Quas videlicet Eccleſias & ante obitum & poſt multis decorauit miraculis.* Sanctus Balduinus aut Baldoenus colitur ſexto Idus Ianuarias. A Molano in additionibus ad Vſuardum vocatur Archidiaconus & Martyr. A Roberto in Gallia Chriſtiana dicitur Archidiaconus Serulphi Epiſcopi. A poſteris obtinuit titulum Martyris, vel quia tuendæ iuſtitiæ ſtudio odia ſceleratorum hominum in ſe prouocauit, vel quia Martyres illâ ætate habebantur qui vitæ innocentiâ ſpectabiles nefariè occidebantur ab improbis. Serulfus in catalogo Laudunenſium Epiſcoporum inuenitur. Eius ſucceſſor Maldagarius, vt ex monumentis Cœnobij Sancti Ioannis tradunt Sammarthani, temporibus Pippini Maioris-domûs, ſiue, vt vocant, Principis, floruit.

XXIV. ABBATES S. CARAVNI.

Iidem Sammarthani mortuum hoc anno ſcribunt Balduinum Abbatem, cùm Sancti Carauni Monaſterio per annos vndecim præfuiſſet. In munus Abbatiale ſucceſſit Simon, qui Monaſterium per annos quatuordecim rexit.

XXV. EPISCOPI LVGDVN.

Hiſce temporibus Eccleſiam Lugdunenſem adminiſtrabat Iſaac Epiſcopus. Id varij Nomenclatores [a] teſtantur. Succeſſerat Lamberto, cuius nomen in Tabulis Eccleſiaſticis decimo-octauo Kalendas Maij celebratur.

[a] Chenut. Seuert. Sammarth.

XXVI.

Ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum [b], qui fuit à ſanctæ Aldegundis obitu primus, egimus de Oratorio Sancti Quintini, quod poſt ſororis Aldegundis obitum Waldetrudis Abbatiſſa Caſtrilocenſis inter Caſtrilocum & Cellam extruxit, vt commodiùs faciliúſque Giſleni Cellenſis Abbatis colloquio frui poſſet. Captâ inde occaſione de Giſleni & Waldetrudis ætate diſſeruimus. Waldetrudis * mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum duximus reiiciendam, quia Sancto Amando, cuius obitum anno Chriſti DCLXXIX. conſignauimus, annos nouem ſuperuixiſſe dicitur.

[b] Num. 31.

* *Vaudru.*

GISLENVS ABB. CELLENSIS OBIT.

Giſlenus autem priùs obiit quàm Waldetrudis. Atque inde colligimus Giſlenum hoc anno rebus humanis exemptum fuiſſe. *Sentiens aduentare obitûs ſui tempus, indicauit ſuis ſe propediem è vita deceſſurum. Erat hoc illorum auribus triſtiſſimum nuncium, ſicut teſtabantur lachrymæ ab eorum oculis manantes. Sed illis flentibus & Dominum deprecantibus, ſacramento Euchariſtiæ vir Dei ſeſe communiuit, febréque correptus inter diſcipulorum expirauit manus, cum beatis Angelis in cælum proficiſcens, vbi ſtolâ immortalitatis donatus eſt à Chriſto, cui viuens indefeſſam exhibuit ſeruitutem. Corpus eius in beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Eccleſia, quam ipſe conſtruxerat, humatum eſt, vbi ſacris eius meritis morbidi omnes ſanitatem recipiunt.* Hæc Anonymus [c] in eius vita. Similia ſcripſit Philippus Abbas Bonæ Spei. Colitur Sanctus Giſlenus in Tabulis Eccleſiaſticis,

[c] Ap. Sur. d. 9. Oct.

Digitized by Google

ſeptimo Idus Octobris. Errat Franciſcus Vinchantius [a], vbi ait Autbertum Cameracenſem Epiſcopum exequiis cùm ſanctæ Aldegundis tum ſancti Giſleni interfuiſſe. Sancta enim Aldegundis ſanctúſque Giſlenus Sancto Autberto Cameracenſi Epiſcopo, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum incidit, ſuperſtites vixerunt, illa ſexdecim annos, hic vndeuiginti, vitámque mortalem clauſerunt, Diœceſim Cameracenſem adminiſtrante Vindiciano, qui Sancto Autberto ſucceſſit in Epiſcopatum, octauóque ſeculo deſiit viuere. Errat idem Auctor, vbi proximè ſubiungit annos ab obitu ſancti Giſleni lapſos eſſe centum & quadraginta, priuſquàm Elephas Abbas Baſilicam priore, quam beatus Giſlenus erexerat, multò ſpatioſiorem atque auguſtiorem in Monaſterio Cellenſi ſumptibus Caroli Magni conſtrueret. Ab hoc enim anno, quo Sanctus Giſlenus obiit, ad annum vſque Chriſti octingenteſimum decimum-quartum, quo Carolus Magnus ex hac vita ſublatus eſt, anni tantùm ſeptem ac viginti ſupra centum effluxerunt. Abbatum, qui Monaſterium Cellenſe poſt ſanctum Giſlenum ad ætatem vſque Caroli Magni gubernarunt, interierunt nomina.

AN. CH. 687. THEODOR. III. R. 14.

[a] In Annal. Hannon. l. 3. c. 14.

---

688. THEODOR. III. R. 15.

ANNVS CHRISTI 688. THEODORICI III. R. 15. 8.

I. PIPPINVS IN AVSTRASIAM REVERSVS.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo, Pippinus pacatâ Neuſtraſiâ rediit in Auſtraſiam, & ne per eius abſentiam in Neuſtria & Burgundia res nouæ tumultúſque concitarentur, Nortbertum ſeu Nordobertum, virum Auſtraſium, cui plurimùm fidebat, in comitatu Theodorici Regis reliquit. Qua de re ſic Anonymus in Geſtis [b] Regum Francorum. *Theſauris acceptis, Nortbertum quemdam de ſuis cum Rege reliquit, ipſe in Auſtriam remeauit.* Ado vult Nordebertum à Pippino Maiorem-domûs ſub Theodorico Rege conſtitutum fuiſſe, ſed potiùs crediderim eo tantùm conſilio relictum in Regia Nordobertum, vt vicario nomine Palatium curaret quamdiu abeſſet Pippinus, qui filios tanto miniſterio per ætatem idoneos nondum habebat. Non defuerunt multarum magnarúmque Prouinciarum Præfecti, qui Maioratum Regiæ domûs à Pippino per vniuerſam Franciam ſic occupatum ægrè ferrent, eíque Maiori-domûs & Regnum Regis nomine gubernanti parere dedignarentur. Hæc pleriſque fuit cauſa deficiendi. *Ex hoc ergo tempore*, vt Monachus Metenſis ſcribit, *iam non de Principatu Francorum, ſed de diuerſarum gentium adquiſitione, quæ quondam Francis ſubiecta fuerant, inuicto Principi certamen inſtabat, id eſt, contra Saxones, Friſiones, Alemannos, Baiowarios, Aquitanos, Waſcones atque Brittones.* Hic Auctor, quia totus eſt in Pippini laudibus, aliam fingit defectionis cauſam, quam hactenus ne licuit quidem ſuſpicari. Tumultus prouinciarum non imputat dominationi à Pippino per vim vſurpatæ, ſed deſidiæ Maiorum-domûs, qui venerint in contemptum apud regionum Præfectos, & vt mendaciis mendacia magis accumulet, alios affirmat à Pippino iam redactos in ordinem, alios nequaquam. *Harum*, inquit, *gentium Duces in contumaciam verſi, à Francorum ſe dominio per deſidiam præcedentium Principum, iniquâ ſe præſumptione abſtraxerant. E quibus quoſdam præcellentiſſimus Princeps Pippinus iam ſubegerat, quidam adhuc rebelles extiterant.* At altum illarum rerum ſilentium in Hiſtoriis. Quæ verò bella Pippinus & Carolus eius filius contra tumultuantes prouinciarum Præfectos poſteà ſuſceperunt, eorum paſſim mentio

[b] Cap. 48.

Digitized by Google

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

fit à pleriſque Scriptoribus. Eſt & error apud Monachum Metenſem, vbi gentes Saxonum & Friſiorum annumerat iis, quæ factâ defectione Maioribus domûs Regiæ non parum obſtiterunt. Saxones enim & Friſij non erant in Francorum ditione. Saxonibus à ſe profligatis tributum quingentarum vaccarum quot annis imperauit Clotarius Primus, relaxauit Dagobertus Clotarij pronepos, vt illorum auxilio Thuringiam à Winidorum incurſione tutaretur. Vtrumque docet Fredegarius [a] ad annum Dagoberti Regis decimum, vt ad illum annum, Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum obſeruauimus. Abhinc Saxones plenariâ gauiſi ſunt libertate, nec Dagoberti filiis nepotibúſue Francorum Regibus obnoxij fuerunt. Per illa tempora Friſij ſuos habuerunt Reges, quorum alij bellum geſſerunt, alij pacem coluerunt cum Francis. Ritzerdus primùm leuiuſculè cum Clotario Secundo, deinde acriùs cum Dagoberto pugnauit. Pacificè cum Dagoberti filiis ac nepotibus vixit Adalgiſus ſiue Aldegillus, & Wilfridum Eboracenſem Epiſcopum ex Britannia proficiſcentem in Franciam Orientalem benignè ſuſcepit. Radbodus inimicitias exercuit cum Maioribus domûs Regiæ Pippino & Carolo, vt infrà dicemus ſuis locis.

[a] Cap. 74.

II. Interim Pippinus, vt obſeruatum eſt ſuprà, reuerſus in Auſtraſiam, *ibi, ſi* Monachus Metenſis vera locutus eſt, *reſiduum illius anni circuli tempus lætus expleuit.* Abſit vt virum lætum cenſeamus, quem prauæ conſcientiæ ſtimulus excruciat. Pippinus, quod maximè deflendum fuit, inter tot proſperos ſucceſſus ampliſſimis beneficiis, quibus à Deo præ ceteris hominibus abundè cumulabatur, obliuioni traditis, hoc eodem anno in ſceleſtiſſimum flagitium lapſus, Plectrudem nobiliſſimam matronam legitimámque coniugem, & duorum filiorum parentem, domo ſuâ pepulit, atque Alpaidem puellam ſuperinduxit. De Plectrudis repudio loquuntur omnes rerum Francicarum Scriptores, ſed abſque temporis nota præter quoſdam Neotericos [b], qui ſub annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum illud contigiſſe tradunt. At nuptias Alpaidis aliquot annis citiùs initas procul dubio ſuadet charta Pippini in iiſdem ædibus cum Plectrude habitantis, anno Theodorici Tertij regnantis in Auſtraſia duodecimo, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, necnon ætas Caroli filij, qui Pippinum Breuem, filium natu minorem, ex Rotrude ſuſcepit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, & quinquagenarius è viuis ſublatus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo. Conſuetudo Chriſtianæ legi contraria, quam poſteri meritò reprobarunt, illis temporibus inualuerat, vt poſt diuortium mutuo conſenſu celebratum vir & vxor matrimonium cum aliis contrahere poſſent. Inter Marculfi Monachi formulas extat [c] libellus repudij, quem ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodetriceſimum in cauſa Dagoberti Regis & Nantildis deſcripſimus. Habitâ eiuſmodi diuortij ratione nemini mirum eſſe debet, ſi complures Auctores Alpaidem vxorem Pippini, eámque legitimam vocant nullâ pellicatûs mentione factâ. Scriptor coætaneus qui Geſta Regum Francorum florente Carolo Alpaidis filio in literas retulit, de Alpaide & Carolo eius filio non minùs magnificè loquitur, quàm de Plectrude eiúſque filiis Droco & Grimoaldo. *Erat*, inquit [d], *Pippino vxor nobiliſſima ac ſapientiſſima, nomine Plectrudis. Ex ipſa genuit filios duos. Nomen maioris Drocus, & nomen minoris Grimoaldus.* Et inferiùs, longè poſt celebratum diuortium hæc habet [e]. *Drogus filius Pippini defunctus eſt. Habebátque Pippinus præfatus Princeps filium ex alia vxore, nomine Carolum virum elegantem, egregium atque vtilem.* Alter Auctor coætaneus, qui Chronicon iuſſu Childebrandi Comitis exarauit, ab Anonymo ſuprà citato non diſſentit. Sic enim ſcribit [f]. *Erat ei*, nempe Pippino, *vxor nobilis & prudentiſſima, nomine Plichtrudis, genuítque ex ea filios duos. Nomen ſenioris Drogo, nomen verò iunioris Grimoaldus.* Et inferiùs [g]. *Præfatus Pippinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine Alpheidam, ex qua*

PLECTRVDE REPVDIATA SVPERINDVCIT ALPAIDEM.

[b] Fiſen. in elog. S. Lamberti.

[c] L. 2. c. 30.

[d] Cap. 48.

[e] Cap. 49.

[f] Cap. 100.

[g] Cap. 103.

Digitized by Google

genuit filium, vocauítque nomen eius linguâ propriâ Carolum. At alia fuit Epiſcoporum ſententia, qui ſecundùm legem Euangelicam ſuper eo negotio iudicium tulerunt, illi enim intrepidè Pippinum arguerunt adulterij, pellicatûs Alpaidem, quamuis Pippinus libidinis ſuæ turpitudinem honeſto matrimonij nomine diſſimularet. In ea ſententia fuit etiam Flodoardus, & Carolum *ex ancillæ ſtupro* natum dixit [a]. Iuxta leges Eccleſiaſticas, quia vetabant ne quis vxorem duceret primâ ſuperſtite, ſic loquendum eſt de natalibus Caroli; ſecus, iuxta ciuiles, quia libellum repudij dare permittebant, eóque dato ſpuria non habebatur proles quæ naſcebatur ex ſecunda coniuge. Pippinus in Alpaidis contubernio per aliquot annos vixit. Summo Dei beneficio reſipuit à peccato, Plectrudem reuocauit Alpaide dimiſsâ, quæ monaſticen magnâ deinceps integritate coluit, & poſteris egregiæ pœnitentiæ documentum reliquit. Verùm de his inferiùs ſuis locis.

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

[a] Lib. 2. c. 12.

III. Hoc anno Kilianus Epiſcopus Gozbertum Orientalis Franciæ ſeu Franciæ Teutonicæ, vel potiùs vt moderni loquuntur Franconiæ Ducem à cultu dæmonum reuocauit, & in feſto Paſchatis aquâ baptiſmatis abluit. Gozbertus Dianam præcipuè venerabatur. Duce ad Chriſtum conuerſo tota penè prouincia Chriſtianæ Religioni nomen dedit. Lege vitam Sancti Kiliani apud Caniſium [b]. Nicolaus Serarius in notis ad illam vitam obſeruat Gozbertum in manuſcripto Breuiario, quod apud Ioannem Latomum Sancti Bartholomæi Decanum Francofurtenſem vidit, Regem vocari, Regíſque nomen impropriè pro eo accipi, qui cum poteſtate paulò maiore ciuitatem quampiam regit, quemadmodum multos interdum Reges in regione non valdè magna fuiſſe legimus, additque ex Moguntiacenſi volumine Gozbertum Hetani Senioris filium, Ruodis nepotem, Hetani Iunioris patrem credi. Eandem Gozberti genealogiam legere eſt in paſſione Sancti Kiliani, quam Caniſius [c] ex Monaſterio Aichſtadienſi Patrum Dominicanorum publicauit.

GOZBERTVS DVX FIT CHRISTIANVS.

[b] Tom. 4.

[c] Tom. 4.

IV. Valentinus quidam Muntzerus, & ex eo Centuriatores [d] aiunt Gozberto Duci fratrem fuiſſe Troanum, qui Monaſterium ante vaſtam ſyluam condiderit. Præter Troanum alius Gozberto frater extitit, cuius relictam nomine Giſilam ſeu Geilam aut Geilanam in vxorem ſibi ſociauit. Super iſto Gozberti matrimonio duæ quæſtiones inſtitui poſſunt, vtrùm Giſilam fratre ſuperſtite, deinde vtrùm baptiſmo nondum ſuſcepto duxerit. Qui putant Gozberti fratrem vixiſſe, cùm Giſila Gozberto nupſit, obſeruant Kilianum ab Auctore vitæ cum Iohanne Baptiſta, qui viuentis adhuc fratris vxorem in Herode damnarat, his verbis comparari. *Iohannes & Kilianus, qui nuptias illicitas reprehenderunt, fœmineâ virulentiâ mortem perpeſſi ſunt.* Verùm fratrem iſtum in viuis tum haud fuiſſe ſatis Auctor inſinuat, dum particulam, *quondam*, apponit. *Dux Gozbertus*, inquit, *coniugem habebat pro ritu gentilitatis, quæ quondam fratri ipſius matrimonij iure fuerat copulata.* Erat ergo mortui fratris vxor Geilana hæc, & Kilianus cum Iohanne Baptiſta quoad inceſtarum nuptiarum accuſationem optimè confertur, licèt aliter & aliter inceſtæ illæ fuerint. Serarius exiſtimat Geilanam Gozberto nondum baptizato nupſiſſe, ſed contrarium ex ſubſequentibus verbis Auctoris elicitur, *eas nuptias præclarus vir idcircò noluit in ipſis fidei initiis prohibere, ne Dux eâ re abſterritus, ſuſceptæ fidei pœnitentiâ duceretur.* Gozbertus igitur iam Chriſtianus Geilanam vertente hoc anno in vxorem accepit Kiliano inconſulto, qui tale coniugium numquam probauit, quamuis per aliquot menſes minùs ſeuerè ſe geſſerit aduerſus Gozbertum, quem Satanæ procul dubio tradidiſſet, & ab omni fidelium communione ſeiunxiſſet, niſi veritus eſſet, ne Dux, ſi fortè illum ſuſceptæ fidei pœniteret, idola rurſum ſectaretur, ſecúmque vniuerſum populum prauo exemplo ad paganiſmum pertraheret. Sic explicandus eſt in Sancti Kiliani vita qui Serarium tantoperè torquet hic textus. *Dux Gozbertus aſſiduâ adhortatione beatiſſimi Præſulis ad meliora in*

[d] Centur. 7. c. 6. p. 170.

DVCIT RELICTAM FRATRIS SVI.

Digitized by Google

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

dies proficiebat, ſed coniugem habebat pro ritu gentilitatis, quæ quondam fratri ipſius matrimonij iure fuerat copulata. Hæc Geila dicebatur. Eas nuptias præclarus vir idcircò noluit in ipſis fidei initiis prohibere, ne Dux eâ re abſterritus ſuſceptæ fidei pœnitentiâ duceretur.

V. ANDREAS ABB. ELNONENSIS OBIT.

Obiit hoc anno Andreas Abbas Elnonenſis. Superſtes enim Sancto Amando vixit annos duntaxat nouem. Hanc ſententiam confirmant Franciſcus *le Bar* in collectione rerum Monaſticarum, Willotius in Appendice ad Martyrologium Romanum, aliíque, qui ſanctiſſimos Abbates Amandum & Andream mortuos arbitrantur, illum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, hunc anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo, necnon Bollandus [a], qui ſicut obitum Sancti Amandi differt in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, ita mortem Sancti Andreæ in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium reiicit. Sepultus eſt Sanctus Andreas iuxta Sanctum Amandum. Colitur Nonis Februariis in Martyrologiis Benedictino & Gallicano, octauo Idus Februarias apud Ferrarium & Willotium. Ad eius tumulum ſanati ſunt multi, qui febribus laborabant, quapropter epitaphium apud Molanum hoc verſu terminatur,

[a] D. 6. Febr.

Febre fatiſcentes ibi conualuere frequenter.

Et carmen, quod Franciſcus *le Bar* publicauit, hoc clauditur diſticho.

Mortuus haud caruit virtutibus; eius ad oſſa
Febre malè affectos conualuiſſe ferunt.

VI. RICTRVDIS MORITVR.

Hoc circiter anno, Rictrudis prima Marchianenſis Abbatiſſa vitam clauſit. Anno enim Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo nupſit Adalbaldo, & teſte Hucbaldo vixit *annos quatuor & ſeptuaginta.* Colitur [b] quarto Idus Maij. Clotſendis eius filia ſucceſſit in adminiſtrationem Monialium Marchianenſium. Supererat in viuis Abbas Ionatus, qui Marchianis Aſceterio virorum præerat, & fœminarum congregationem conſilio iuuabat. Laudatur in Chronico Elnonenſi, quòd apud Marchianas *poſt mortem etiam beati Amandi, aliquot luſtris regulariter viuens, diuerſos vtriuſque ſexûs ad religionem induxit & caſtitatem.* Bertha, quæ congregationem Monialium apud Blangiacum in Morinis adunabat, Rictrudis amicitiâ ſibi coniunctiſſimæ conſilióque perutilis mortem multùm defleuit, aliámque iiſdem temporibus paſſa eſt moleſtiam, de qua ſic Anonymus in eius vita manuſcripta.

[b] Faſt. Belg. Martyr. Gall.

IONATVS ABB. MARCHIANENSIS.

RVODGARIVS GERTRVDEM MONIALEM BLANGIACENSEM IN VXOREM FRVSTRA POSCIT.

Inuidia diaboli nuſquam ſe celare volens virulentâ ſuaſione illexit quemdam de primariis Regis, nomine Ruodgarium, ſuperbiâ tumidum, gaudio tranſitoriæ proſperitatis inflatum, qui iter arripiens ad Blanziacum piiſſimam Bertham intentè flagitabat, vt ſibi Gertrudis filia eius donaretur in coniugium. Beatiſſima verò Bertha, vt verba deprecantis animaduertit, reſpondiſſe fertur nullo pacto fieri poſſe, vt quæ cæleſtis ſponſi iuri aſſignata videretur, terreni alicuius copulæ necteretur. Ille autem tenaciſſimè in malitia perſeuerabat iureiurando affirmans ſe de Cænobio non exiturum, niſi præfata Gertrudis aſpectui illius præſentaretur. Beata namque & venerabilis Bertha aſſumptis ſecum duabus Deo dicatis filiabus ſuis, Gertrude ſcilicet & Deotilâ, & omni Congregatione Sanctimonialium, Eccleſiam ingrediens ſtatuit eas ad dextrum cornu altaris, valuis Baſilicæ omnibus patefactis, omnibúſque Sanctimonialibus pſalmodiæ cantu & laudibus diuinis occupatis iuſſit introduci Ruodgarium Deo rebellem, cui & dixit. Ecce ancilla Dei & ſponſa Chriſti, adeſt à venerabilibus Epiſcopis velata, atque ad iſtud altare, cui aſtat, firmiſſimè condonata; ſi auſum habes eam Domino auferre, aufer, nos enim muliebris conditionis exiſtentes virili manu tibi repugnare non valemus, Patronus verò noſter ac defenſor Deus ipſe eſt, qui non derelinquit ex toto corde confidentes in ſe. Ruodgarius itaque timore correptus Eccleſiam citiùs egrediens aſcenſo equo receſſit irâ repletus, multa conuitia irrogans, contrarietates plurimas ſe patraturum crudeliter minans. Tali furiâ Regem aggrediens, vt fallax deluſor, accuſauit piiſſimam Bertham, infidelitatem Regis & Regni illi aſcribens. Eſt, inquit, quædam mulier ſecus mare manens, inſidias Regno tuo cum vltramarinis gentibus doloſè machinans, quam opor-

Digitized by Google

AN. CH. 683.

THEODOR. III. R. 15.

tet regali examine diſcutiendam præſentari. Rex verò nimium credulus verbis mendacio coloratis præcepit famulam Dei ſub omni feſtinatione ad Palatium exhiberi. Sancta verò ac venerabilis Bertha ſecura de Dei clementia cum magna honorificentia Regem adire cœpit. Ruodgarius itaque obuiam ei veniens, vt eam condignâ reuerentiâ conſpexit, prioris odij non immemor de eſſeda atque tripede ſuo proiecit, & ſuper viliſſimum equum ſine aliquo ſtramento aſcendere, ſicque ad Palatium tendere fecit. Accidit autem Rodulphum * *bonæ memoriæ virum eodem itinere obuiare illis. Qui vt conſpexit venerabilem Bertham Abbatiſſam tam inhoneſtè pergentem, vehementer obſtupuit, ac impiiſſimum Ruodgarium, vt dignus erat, confutauit dicens. O Ruodgari, inquit, iniquiſſime ac ſceleratiſſime, quomodo te inuidia tua & odium ad hoc opus perducere potuit, vt nobiliſſimis Natalibus ortam deuotiſſimámque Dei famulam cum tali dedecore præſumpſiſſes deducere. Concitus itaque Rodulphus de equo deſcendens & in proprium equum releuans honorificè duxit ad Palatium. Factum eſt autem in primo ingreſſu beatæ Berthæ Abbatiſſæ, iterum Ruodgarius dum liuidis obtutibus contra eam reſpiceret, ſubitò proruerunt oculi eius de capite, Deo condignam illi pœnam tribuente. Diuulgatum eſt igitur in aula Regis & celebre habebatur tam ſubita vindicta in inimicum Dei. Rex quoque Theodericus erga famulam Dei mente mutatus in venerationem eius prorumpens, veniam ab ea humiliter precabatur dicens ſibi mendacibus ſermonibus perſuaſum, quòd illam tali modo inquietare præſumpſiſſet, præcepítque Dei electam Bertham ſecuram cum ipſius gratia redire, nihil incommoditatis iam in perpetuum habituram, tribuítque ei munera, quod in perpetuum eſſe voluit, vt numquam ab eius poteſtate banni nec fredæ requirerentur. Beatiſſima verò Bertha alacriter ad propria remeans loca augebatur in operibus bonis.* In illius vita quædam narrantur ordine præpoſtero. Ruodgarius Blangiacum adiiſſe ac Gertrudem in vxorem popoſciſſe commemoratur Templi dedicatione, quam in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum reiiciendam probauimus, iam peractâ. Scriptor à Monaſterij conditu facilè ad eius dedicationem tranſit, licèt interuallum aliquot annorum intercedat. Atque inde quæſtio moueri poteſt, vtrùm Gertrudis, antequàm in coniugem à Ruodgario poſtularetur, velata fuerit *à venerabilibus Epiſcopis*, vt præcitatus Anonymi textus inſinuat. Hic enim Auctor de Templi Blangiacenſis dedicatione déque Monaſteriali Gertrudis velamine talia præmittit. *Dei inſpiratione adunati* Epiſcopi *vnà cùm Clero & populo multo dedicauerunt ipſum Templum in lætitia atque veneratione maxima, in honore Genitricis Dei Mariæ, quinto Idus Ianuarij. Poſt peractam verò dedicationem rogauit beata Bertha præfatos venerabiles Epiſcopos tam ſibi quàm filiabus ſuis dicare atque imponere velamina, ac diuinis iugiter mancipare miniſteriis. Velata eſt igitur piiſſima Bertha glauco velamine vnà cum duabus nobiliſſimis filiabus ſuis ac Deo deuotis, Gertrude videlicet venerandâ & Deo dilectâ Deotilâ.* Quidquid hic ſcribat; Templo Blangiacenſis Monaſterij nondum dicato, Gertrudis cum Bertha matre & ſorore Deotila velamen accepit, ab Epiſcopo Morinorum vt arbitramur, fortè & ab Atrebatenſi vicino, ſi plures huic cæremoniæ Pontifices interfuerunt. Agemus poſt biennium de Templi dedicatione.

* Malbranco *Radulphum.*

DIVINITVS PVNITVR.

VII. CONCILIVM ROTOMAGENSE.

Anſbertus Rotomagenſis Epiſcopus hoc anno ſui Pontificatûs quinto Synodum Rotomagenſem celebrauit. Hanc vulgatus Aigradus quatuor Characteribus Chronologicis conſignat. Primum deſumit à Natiuitate Dominica, ſecundum ab Indictione, tertium à Principatu Theodorici, quartum ab ipſius Anſberti Pontificatu. *Sub anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, Indictione decimâ, qui erat annus præfati Glorioſi Regis Theoderici tertius-decimus, & præfati venerandi Præſulis Pontificatûs quintus, in Synodo generali, Rotomago vrbe, habitâ.* Duo priores intruſi ſunt à Neotericis. Id liquidò conſtat. Tunc enim à Francis nec vſurpabantur Indictionum notæ, nec anni à Chriſti Natiuitate numerabantur. Deinde anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, quocum Indictio decima conue-

Digitized by Google

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15. nit, Anſbertus Abbas erat Monaſterij Fontanellenſis, & Eccleſiæ Rotomagenſi præerat Audoenus Epiſcopus in viuis adhuc ſuperſtes. Tertius Character duobus modis editus reperitur. Ex Codice manuſcripto Sancti Michaelis in mari, Sirmondus [a] ſcribit annum XVI Theodorici Regis; in vulgatis exemplaribus habetur annus XIII. Plerique reſpuunt annum XVI, quia negant Theodoricum annos ſexdecim regnaſſe. Nobis hæc ratio non placet. Regnum enim Neuſtriæ, vbi Rotomagus, tenuit poſt Childericum fratrem Theodoricus annos plures quàm ſexdecim, licèt multò pauciores in Auſtria poſt Dagobertum patruelem regnarit. Ad noſtrum calculum propiùs accedit Theodorici Regis annus XVI quàm XIII, hoc enim anno Theodoricus annum decimum-quintum abſoluit, inchoauítque decimum-ſextum. Quartus Character tutior eſt ceteris, & in omnibus Codicibus quintum annum exhibet Anſberti Pontificis. Hæc ad Chronologiam.

[a] Tom. 1. Conc. Gall.

VIII. De rebus autem in Synodo geſtis ita vulgatus Aigradus in vita Sancti Anſberti. *Cùm Sanctorum Sacerdotum & omnium ciuium Rotomagenſium electione, & Glorioſi Regis Theoderici conſenſu, in Pontificem conſecratus fuiſſet, nimio dilectionis feruore, quem erga prædictum venerabile Cœnobium* Fontanellenſe *ſemper habuerat, Priuilegij ſui auctoritatem eidem edidit, vt per ſuccedentia tempora ſecundùm Sancti Patris Benedicti Regulam, & vt præcedentium Regum, Clodouei videlicet & Clotarij, ſimúlque Childerici necnon & Theoderici Priuilegiorum auctoritates docent, ex ſemetipſis ſibi perennibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam iuſtæ alligationis verbo præſentes futuróſque, qui ibidem Domino militaturi erant, conſtringit, vt, ſicuti ſub eius regimine, ita & deinceps & ipſi & poſteri eorum, ſecundùm Regulam Sancti Patris Benedicti fideliter Chriſto deſeruirent. Quòd ſi aliquando peccatis exigentibus aut negligentiâ paſtorali, à via rectitudinis & obſeruatione Regulæ Sancti Benedicti in futuro deuiare conarentur aut cogerentur, tunc conuocatio Sanctorum Sacerdotum reliquorúmque militum Chriſti vnanimiter fieret, eorúmque per conſilium in priſtinum reducerentur ſtatum. Si verò hac Pontificali auctoritate poſtpoſitâ, qualibet cauillatione ſiniſtram elegiſſent vitam ac conuerſationem tenere, ſub vinculo anathematis æternaliter ſe damnandos ſcirent. Facta eſt autem hæc Priuilegij auctoritas ſub anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, Indictione decimâ, qui erat annus præfati glorioſi Regis Theoderici tertius-decimus, & præfati venerandi Præſulis Pontificatûs quintus, in Synodo generali, Rotomago vrbe, habitâ, vbi plurima Deo accepta & Sanctæ Eccleſiæ vtilitatibus profutura diſputata ſunt. Affuerunt quoque & Sancti Pontifices aliíque venerabiles viri, ab ipſo præcipuo Præſule euocati, quorum ſubter nomina tenentur aſſcripta. Anſbertus Archiepiſcopus Rotomagenſis, huic Concilio præfuit & ſubſcripſit. Radbertus Epiſcopus. Regulus Epiſcopus. Airadus Epiſcopus Carnotenæ vrbis. Anſoaldus Epiſcopus Pictauenſis vrbis. Aquilinus Epiſcopus Ebroicinæ vrbis. Cadoenus Epiſcopus. Arnonius Epiſcopus. Saluius Epiſcopus. Deſiderius Epiſcopus. Fulcrannus Epiſcopus. Iohannes Epiſcopus. Villebertus Epiſcopus. Gerebaldus Epiſcopus Baiocaſſinæ vrbis. Taurinus Epiſcopus. Aunobertus Epiſcopus Sagienſis vrbis. Celſus Abba. Audomarus Abba. Scladio Abba. Boſochindus Abba. Genardus Vicedominus glorioſus antefati magni Pontificis. Ermetrannus, Ferrocinctus & Fortianus Archidiaconi venerandi. Aderat quoque Presbyterorum reſidentium & Diaconorum circumadſtantium magnus numerus. Ragnomirus Lector huius Sancti Concilij geſta & hanc Priuilegij auctoritatem, ipſo Sancto Pontifice iubente, recognouit & ſubſcripſit.*

IX. DECRETA. In hac Synodali conſtitutione tria maximè ſunt obſeruanda. Primum, quomodò ſit eligendus Abbas Fontanellenſis. Alterum, quam Regulam deinceps ſecuturi ſint Monachi Fontanellæ. Poſtremum, quomodò corrigendi ſint iidem Monachi, ſi corrigere noluerit aut nequierit Abbas.

X. Ex huius Synodi decreto in Abbatem Fontanellenſem nemo promoueri debet præter illius loci Monachos. Idque ſtatuitur cùm ex auctoritate Priuilegiorum, quæ conceſſa ſunt hactenus à Regibus Francorum, tum ex Regula Sancti Benedicti, quæ deinceps obſeruanda præcipitur. Non extant illa

illa Priuilegia ſeu potiùs Præcepta Regia. Reges, à quibus emanarunt, Aigradus nominat, Clodoueum, Clotarium, Childericum & Theodoricum, in quorum ditione Monaſterium Fontanellenſe à primo conditu ad hunc vſque annum, Anſberti Rotomagenſis Epiſcopi quintum, floruit. Liquet autem ex capite ſexageſimo-quarto Regulæ Benedictinæ, Abbatem ex ipſa Congregatione eligendum eſſe. AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

Si nullam interpolationem paſſus eſt Aigradus, vbi locutus eſt de conſtitutionibus monaſticis, quas in Cœnobio Fontanellenſi ad ſua vſque tempora ſignificauit obſeruatas fuiſſe, viguit in illo Monaſterio ſub duobus primis Abbatibus Wandregiſilo & Lantberto norma Sanctorum Patrum; id eſt, Regula ex ſcriptis variorum Patrum collecta, deinde ab Anſberto Abbate Lantberti ſucceſſore introducta eſt Regula Sancti Benedicti, quam Synodus Rotomagenſis ab eodem Anſberto Rotomagenſi tum Epiſcopo congregata deinceps retinendam præcepit. Aigradus in vita Sancti Anſberti, vbi agit de Sancto Lantberto Abbate, ſub cuius diſciplina Sanctus Anſbertus vixit, illum magnoperè laudat, quòd *ad conſulta Sancti Patris Ansberti, in tractando grege Chriſti, ſecundùm normam Sanctorum Patrum, ſtrenuè cuncta atque irreprehenſibiliter gerebat*. Et inferiùs, cùm Synodum Rotomagenſem Hiltberti Abbatis temporibus habitam deſcribit, in ea ſancitum ait, *vt, ſicuti ſub eius*, nempe Anſberti quondam Abbatis, *regimine, ita & deinceps & ipſi* Monachi Fontanellenſes quibus Hiltbertus Abbas tunc præerat, *& poſteri eorum, ſecundùm Regulam Sancti Patris Benedicti fideliter Chriſto deſeruirent*. XI.

Statuit eadem Synodus, vt Monachi Fontanellenſes, ſi per Abbatum negligentiam à Regula Sancti Benedicti recedant, in priſtinum ſtatum reducantur ab Epiſcopis, atque etiam anathemate feriantur ſi Pontificalem ſanctionem deſpexerint. Sic enim ſuis olim Priuilegiis Epiſcopi curam omnem Monaſteriorum in Abbates refundebant, vt numquam abdicarent auctoritatem in Monachos contumaces & in ipſos Abbates animaduertendi, ſi Monachos corrigere vel nollet vel nequiret Abbas, aut Abbas ipſe flagitij reus eſſet. Superſedemus exemplis, quia non pauca ſuis iam locis retulimus. Hic tantùm accipe, quid Epiſcopus loci, quid Abbates vicini peragere debeant ex ſententia S. Benedicti [a], ſi quædam congregatio vitiis ſuis conſentientem Abbatem vnanimi conſilio elegerit. *Quòd ſi etiam omnis congregatio vitiis ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit, & vitia ipſa aliquatenus in notitiam Epiſcopi, ad cuius Diœceſim pertinet locus ipſe, vel Abbatibus, aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum preualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè & zelo Dei faciant; ſicut è diuerſo peccatum incurſuros, ſi negligant.* XII. a Cap. 64. Reg.

De Characteribus Chronologicis, qui Concilio Rotomagenſi apud vulgatum Aigradum ſubiiciuntur, diſputatum eſt ſuprà, ſupereſt vt Epiſcoporum Abbatúmque ſubſcriptiones examinemus. XIII.

Synodo Rotomagenſi ſubſcribunt Epiſcopi ſexdecim cum quatuor Abbatibus. Inter Epiſcopos occurrunt tres Metropolitani, Anſbertus Rotomagenſis, Radbertus Turonenſis & Regulus Remenſis, quos Aigradus ob excellentiam Metropolitanæ dignitatis ante alios rectè nominat. Archiepiſcopi titulus, qui contra morem illius temporis Anſberto tribuitur, vitium videtur Interpolatoris, nam qui ſequuntur Radbertus & Regulus Epiſcopi tantùm vocantur, & ipſemet Anſbertus apud Sirmondum non Archiepiſcopus ſed Epiſcopus dicitur. XIV. SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM ET ABBATVM.

Anſbertus, qui Concilio Rotomagenſi præfuit, illius ciuitatis Epiſcopatum poſt Sancti Audoeni mortem adeptus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, regnante tum Theodorico, rexítque pacificè donec in exilium à Pippino pulſus eſt regnante tum Clodoueo Theodorici filio. XV.

Digitized by Google

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

XVI. Radbertus ſeu Rodbertus aut Chrotbertus Turonorum erat Epiſcopus, de quo verba ſæpè fecimus.

XVII. Regulus ſeu Reolus Remenſis Epiſcopus, de quo non ſemel locuti ſumus, vixit vſque ad tempora Childeberti Tertij.

XVIII. Airardus Carnotenſis Epiſcopus tertium in Epiſcopatu annum agebat. Eius ſucceſſor Agathius anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio nominatus reperitur.

XIX. Annis ſuperioribus in laudando Anſoaldo Epiſcopo Pictauienſi ſæpè verſati ſumus. Ei ſucceſſit Eparchius, tum Maximinus, deinde Gaubertus, poſteà Godo; Epiſcopi ſolis nominibus noti.

XX. Aquilinus Ebroicenſem Epiſcopatum rexit annis duobus & quadraginta, ſenéxque migrauit in cælum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto. Vixit aliquot annos orbatus oculorum lumine, cùm Deum ſæpè precatus fuiſſet, *vt feneſtras corporis ſui aut obſtrueret aut cuſtodiret, ne per eas noxia irreperet concupiſcentia, cum qua mors ſolet ingredi.* Sed ex eius Actis [a] Lector deprehendere non poteſt, vtrùm viſum iam amiſiſſet, cùm Synodo Rotomagenſi interfuit.

[a] Ap. Sur. d. 19. Oct.

XXI. Arnonius ſiue Arnolfus Epiſcopus Catalaunenſis Landeberti Tomo [b] ſuperiore à nobis laudati ſucceſſor, anteceſſit Bertoendum, de quo plura ſub Clodoueo Tertio Rege.

[b] Ad ann. 675. n. 9.

XXII. Saluius Epiſcopus erat Ambianenſis, cuius Pontificatus in tempora Theodorici Tertij Regis incidit, vt variis locis fusè probauimus.

XXIII. Deſiderius, vt Bollandus in notis ad vitam Sancti Anſberti obſeruat [c], videtur Epiſcopus eſſe Redonenſis, qui Martyrium cum Rainfrido Archidiacono ſuo in territorio Veſontionenſi ſubiit, & ab Auctore Martyrologij Gallicani ſic commendatur decimo-quarto Kalendas Octobris. *In territorio Veſontionenſi Natalis Sanctorum Martyrum Deſiderij Redonenſis Epiſcopi & Rainfridi eius Archidiaconi, qui ab impiis interfecti, in agni ſanguine ſtolas dealbatas, ad Regna cæleſtia ouantes detulerunt. Quorum ſacratiſſima ſpolia illic vbi triumphalem agonem peregerunt condita, memoriam æternis fulgoribus radiantem perpetuæ venerationi conſecrarunt. Vicus enim Alſatiæ ſuperioris adhuc micat Sancti ipſius Deſiderij, vt agone ſic nomine ac pignorum cuſtodiâ percelebris.* Mutili ſunt hoc loco Catalogi Redonenſium Antiſtitum, omittunt enim Deſiderium & Agatheum, quibus locus inter Willelmum & Moderandum reſtitui debet.

[c] D. 9. Febr.

XXIV. Manci ſunt & Catalogi Pontificum Lexouienſium ab anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto vſque ad annum Chriſti octingenteſimum triceſimum-quintum, id eſt, à Concilio Cabilonenſi cui Launobandus ſubſcripſit, vſque ad Wormatienſe cui Radulphus interfuit. Quapropter cùm multi Pontifices prouinciæ ſecundæ Lugdunenſis ad Synodum Rotomagenſem ab Anſberto Metropolitano vocati venerint, facilè nobis perſuademus in eadem prouincia Lexouienſem Epiſcopum fuiſſe Fulcrannum, cuius ſedes ab Aigrado reticetur.

XXV. Mutili ſunt etiam Abrincenſium Epiſcoporum Catalogi. Ab anno enim Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto, id eſt, à Concilio Remenſi cui Childoaldus ſubſcripſit, vſque ad octauum ſeculum, quo beatus Autbertus floruit, ſolum recenſent Ragentrannum cuius mentio fit in vita Sancti Philiberti. Quapropter Bollandus Ioannem, cuius Diœceſis ab Aigrado non nominatur, Abrincenſibus Epiſcopis annumerandum coniicit. Ei certè locus commodè tribui poteſt inter prædictos Ragentrannum & Autbertum, hic enim anno Chriſti ſeptingenteſimo-ſexto Diœceſim Abrincenſem iam regebat, vt dicemus infrà.

XXVI. In nomenclatura Conſtantienſium Antiſtitum, poſt Chairibonum, qui Cabilonenſi Concilio anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto ſubſcripſit, nominantur Rotmundus, Salomon, Agathius, Liuinus, Wifri-

Digitized by Google

dus, Aldebertus, qui fortè Willebertus eſt Aigrado. Tempus non repugnat. Nam poſt Aldebertum in eodem Indice ſubiiciuntur Ioſue, Leo, Angulo, Hubertus, Wilardus, Erluinus qui Synodo Pariſienſi anno Chriſti octogenteſimo quadrageſimo-ſexto, aliíſque pòſt Conciliis interfuit. AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

XXVII. Qui catalogos texuerunt Antiſtitum Baiocenſium, vt in Chronico Flodoardi Ragnebertum, ſic in ſcriptis Aigradi Gerebaldum deprehenderunt. Interſunt Concilio Remenſi Ragnebertus apud Flodoardum, Synodo Rotomagenſi Gerebaldus apud Aigradum, ille anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto, hic anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo. Medius inter vtrumque ſedit Geretrannus, cui locum inter ſanctos Eccleſiæ Baiocenſis Antiſtites tribuit Robertus Cœnalis Abrincenſis Epiſcopus libro ſecundo [a] de re Gallica. Ceterùm à Gerebaldo ſeu Gerboldo, priuſquàm Epiſcopus fieret, obſerua conditum fuiſſe Monaſterium Liberiacum *, vbi donatus eſt ſepulturâ.

[a] Perioch. 4.
* Liuray & Liouray.

XXVIII. Aunobertus ab Aigrado Sagienſis Epiſcopus appellatur. Ex hac epocha corrige Democharem & alios, qui Sanctum Aunobertum ſiue Alnobertum vel Anolbertum ſiue Amolbertum Sagienſem Epiſcopum multò citiùs ſediſſe fingunt, cùm ea pars Galliarum Francis nondum pareret. Hanc Democharis opinionem procul explodendam docent etiam Acta Sancti Euremundi Abbatis, cuius memoria quarto Idus Iunij multis in locis celebratur. *Euremundus illuſtri apud Baiocenſes familiâ, in Palatio Regali educatus, ampliſſimos in eo honorum gradus obtinuit. Cùm autem adhuc blandimentis ſecularibus inſeruiens, è lectione piorum librorum ardentem Chriſti amorem ſenſim concepiſſet, vxore habitum induente religioſum, ſpontéque velatâ, ipſe etiam, bonis primùm in pauperum vſus diſtributis, detonſo capite in eremum Exiuias ſe recepit, vbi plures Eccleſias & Cœnobia conſtruxit. Cuius ſanctitate motus Anolbertus Sagienſium Pontifex eum in Abbatem conſecrauit in loco, cui nomen Mons maioris. Denique frequentibus miraculis in vita clarus obiit ſub Chilperico Rege & à Sancto Lothario Sagienſi Epiſcopo ſepultus in Baſilica, quam ipſe ædificarat.* Ita Breuiarium [b] Eccleſiæ Sancti Quintini Viromandenſis. Lotharius ſeu Loharius Sagienſis Epiſcopus ad Pippini vſque Regis tempora peruenit, Chilpericus igitur, quo regnante Euremundus Abbas obiit, non alius eſt à Chilperico Tertio, qui poſt Dagobertum Tertium annos quinque cum dimidio regnauit, & anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo vitam clauſit. Vnde redarguas Sauſſaium [c], à quo laudatur Euremundus, quòd *in aula Chilperici Regis primam ætatem exegit, apud quem multâ gratiâ pollens, magnos etiam honores conſecutus, inſignis generis puellæ iunctus connubio, magnis etiam opibus affluxit.* Breuior enim fuit Chilperici Tertij Principatus, quàm vt Euremundus in eius aula *primam ætatem* exegiſſe cenſeatur, nec ad alium Chilpericum Regem patet recurſus, quia Chilpericus Primus & Chilpericus Secundus longè antiquiores fuerunt Synodo Rotomagenſi, cui præſens interfuit Aunobertus Sagienſis Epiſcopus, à quo benedictus in Abbatem Euremundus. Quapropter expuncto Chilperici Regis nomine, cuius loco reſtituendus videtur Theodoricus, initium encomij accipe, quod Auctor Martyrologij Gallicani Sancto Euremundo tribuit. *In territorio Sagienſi, Sancti Euremundi Abbatis & Confeſſoris. Hic ex vrbe Baiocenſi ortus, ſpectatæ è nobilitatis ſtirpe in aula. . . . . Regis, primam ætatem exegit; apud quem multâ gratiâ pollens, magnos etiam honores conſecutus, inſignis generis puellæ iunctus connubio, magnis etiam opibus affluxit. Sed cùm his potiretur commodis, Dei tamen memor & ſalutis, religioſa officia non prætermittebat, ac ſic ſedulò exequebatur, vt inter tot honores atque delicias pietatem aleret, ſacræ lectioni frequenter incumberet. Cui cùm die quadam intenderet, attentiùs in hoc monimentum incidit, quo Chriſtus Seruator, perfectum vt ſibi quis reddat famulatum, edicit, quicumque patrem, matrem, aut vxorem pluris ſe fecerit, inter diſcipulos ſuos qui cenſeatur nuſquam dignus eſſe. His ſtimulatus piis aculeis, ſibimet renuntiare; vxorem, quam propitiam religioſa inten-*

[b] d. 10. Iun.
[c] d. 10. Iun.

Digitized by Google

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

tioni ſperabat, thoro diſiungere, crucem ſuam ferre, & Chriſtum ſectari apud ſe ſtatuit. Aſpirante votis diuino flamine, res ſucceſſit optatis. Vxor enim Euremundi, eodem ſtudio diuinitus incenſa, ex condicto, ſe in ſodalitium Chriſti ancillarum recepit. Euremundus verò loca quærens propoſito opportuna, ad ſuæ poſſeſſionis vicum, cui Fontanetum nomen, in Sagienſi Præſulatu diuertens, illic ſex ædiculas conſtruxit, tot cælitibus, qui cœptis fauerent, eas nuncupans. Móxque etiam Cœnobiolum, in quo (Amolberto Epiſcopo præclara conamina probante) cum aliquot Dei cultoribus, qui in cœtum cum eo coaluerant, vitam inſtituit, totam cæleſtibus rebus ac diuinis obſequiis intentam. Inde virtus eius, veluti ſol quidam ſanctitatis, radios longè latéque cùm diffunderet, ad eum complures conuolarunt, vt, ſub eius ductu, puriſſimæ vitæ tramitem inirent, felices enim ſe fore putabant, ſi in eius diſciplinam ſe committerent, veſtigiáque eius adeo pura conſectarentur. Quibus is non ſuis duntaxat monitis, ſed exemplis etiam egregiis, ſalutis viam ſternens, eoſdem feliciter in eam prouexit. Auctor Neuſtriæ Piæ de Fontaneto Monaſterio illiúſque conditore ac primo Abbate ſic ſcribit. *Conſtructa eſt hæc vetùs Abbatia de Fontaneto, ceu Fontenaco, vel Fonteneto, vulgò Fontenay, ad Ornam fluuium, versùs Cadomum *, Diœceſis Baiocenſis Ordiníſque ſancti Benedicti, cuius primus Abbas fuit Sanctus Euremundus, frater Sancti Ebrulfi primi Vticenſis Abbatis. Hic igitur beatus Euremundus, Baiocis ortus, ſpectata è nobilitatis ſtirpe, in aula Chilperici I. Francorum Regis primam exegit ætatem.* Cetera quæ fuſiùs à Sauſſaio narrantur, in epitomen redigit, ait Euremundum *ad ſuæ poſſeſſionis vicum, cui Fontanetum nomen, in Sagienſi Diœceſi diuertiſſe*, meminítque Sanctorum Aunoberti & Loharij Sagienſium Pontificum, quorum alter Synodo Rotomagenſi cum Anſberto Metropolita præſens interfuit, alter Euremundum honorificè ſepeliendum curauit. Ex illorum autem Antiſtitum ætate patet Euremundum Chilperico Primo Regi nuſquam coætaneum fuiſſe, nec habet Auctor proximè citatus vnde probet Euremundum Sancti Ebrulfi primi Abbatis Vticenſis fratrem extitiſſe. Migrauit ad Deum Sanctus Ebrulfus Abbas Vticenſis anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto. Lege quæ dicta ſunt ad illum annum [a]. Hugonis Magni temporibus ex Vticenſi Cœnobio ſublata ſunt *tria corpora Sanctorum, Ebrulfi, Ebremundi, & Ausberti.* Auſbertus is videtur eſſe, quem beatus Ebrulfus à mortuis ſuſcitauit, vt ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum-tertium [b] recitauimus. Ebremundus à nonnullis Abbas appellatur, ſed in quod tempus inciderit eius Præfectura, nemo dicit. Hugo Menardus in Obſeruationibus ad Martyrologium Benedictinum, vbi de Sancto Euremundo loquitur ad diem vndecimam Iunij, *quærendum* ait *an ſit idem cum ſancto Ebremundo*, cuius corpus in Eccleſia Cœnobij Vticenſis olim quieuit. Ebremundus & Euremundus, licèt in nominibus vix differant, quia b & u ſæpè commutantur, ſunt tamen valdè diuerſi. Vixit ſepultúſque fuit Euremundus in Fontaneto Monaſterio, quod ipſemet in poſſeſſionis ſuæ vico conſtruxerat, ſedente tunc apud Saium Aunoberto Epiſcopo, quem Anſberto Metropolitæ ſynchronum Synodus Rotomagenſis teſtatur. Ebremundus in Vticenſi Cœnobio donatus eſt ſepulturâ, nec videtur Monaſticam vitam alibi duxiſſe. Tempus, quo floruit, ignoratur. Si Sancti Ebrulfi frater fuit, vixit Euremundo multùm antiquior. Agemus iterum de Euremundo Abbate ſub Chilperico Tertio Rege. Hæc ſufficiant ad Sagienſium Epiſcoporum Chronologiam hoc loco confirmandam.

* *Caen.*

[a] Num. 18.

[b] Num. 17.

XXIX. Taurinus, cuius nomen in Concilio Rotomagenſi legitur, Bollando videtur Epiſcopus eſſe Namnetenſis ac ſucceſſor Sancti Paſcharij. Sed hæc opinio non poteſt admitti, quia Taurinus in Cathedra Namnetenſi ſedebat anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo, Paſcharius autem Epiſcopatum adeptus eſt priuſquàm Lantbertus ex Abbate Fontanellenſi Lugdunenſis Epiſcopus fieret, id eſt, ante annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum, vixítque vſque ad Childeberti Tertij Principatum,

Digitized by Google

AN. CH. 688.

THEODOR. III. R. 15.

cuius initium in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum incidit. Sedem igitur Taurini fatemur à nobis ignorari.

XXX.

Idem Bollandus Cadoenum ſuſpicatur eundem eſſe cum Cadocanano ſeu Cadocauano Epiſcopo Maclouienſi ſiue Aletenſi. Sed Cadocauanus, vt infrà probaturi ſumus, Aletenſem Epiſcopatum ante annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum haud obtinuit. Quænam igitur Cadoeni Sedes fuerit, haud ſcitur.

XXXI.

Ex illis ſexdecim Epiſcopis, qui Concilio Rotomagenſi ſubſcripſerunt, obſerua ſeptem piâ fidelium veneratione in Diœceſibus coli quas olim rexerunt; Sanctum Anſbertum in Rotomagenſi, quinto Idus Februarij; Sanctum Aquilinum in Ebroicenſi, decimo-quinto Kalendas Martij; Sanctum Aunobertum in Sagienſi, decimo-ſeptimo Kalendas Iunij; Sanctum Regulum in Remenſi, tertio Nonas Septembris; Sanctum Deſiderium in Redonenſi, decimo-quarto Kalendas Octobris; Sanctum Saluium in Ambianenſi, quarto Kalendas Nouembris; & Sanctum Gerebaldum in Baiocenſi, ſeptimo Idus Decembris.

XXXII.

Quibus Monaſteriis præfuerint Abbates, qui Concilio Rotomagenſi ſubſcripſerunt, manet incompertum. Fallitur ſanè Malbrancus [a], cùm Audomarum vnum ex illis Abbatibus confundit cum Audomaro Morinorum Epiſcopo, quem anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo ex hac vita ſublatum conſtat.

[a] L. 4. c. 22.

XXXIII.

Hoc anno Waldetrudis Abbatiſſa Caſtrilocenſis, de cuius ætate non ſemel [b] locuti ſumus, in cælum migrauit, cùm annos nouem beato Amando ſuperſtes in terris fuiſſet, vt plerique Neotericorum teſtantur, qui hunc anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, illam anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo, mortuos volunt. *Obiit quinto Idus Aprilis*, vt Philippus Abbas Bonæ Spei ſcribit in eius vita. Illo die piâ fidelium veneratione colitur. Sepulta fuit apud Curtem-Solram *, vbi ſoror Aldegundis tunc quieſcebat. Id docet Hucbaldus, Aldegundem enim, cuius vitam literis commendauit, ſepultam ait *in villa ſuæ quondam ditionis, vocabulo Solra, vbi ſuus vterque parens, ac ſoror poſteà Waldetrudis, ſepulti ſunt.*

[b] An. 685 n. 31. an. 687. n. 25.

WALDETRVDIS ABBATISSA CASTRILOCENSIS OBIT.

* Courtſore.

XXXIV.

Hoc eodem anno, vt Miræus [c] in Faſtis Belgicis & Burgundicis affirmat, cùm Regnum Francorum penes Theodoricum Regem, Maioratus Regiæ domûs penes Pippinum, Traiectenſes Infulæ penes Lambertum eſſent, Hubertus Aquitaniâ relictâ in Auſtraſiam abiit. Ei comes adhæſit amita Oda Boggo marito ſuperſtes facta. Vtrumque docet Anonymus in libello de conuerſione Sancti Huberti, qui ſic incipit. *Tempore illo, quo Ebroini crudelitas Regnum Francorum grauiter opprimebat, erat quidam adoleſcens nobilis, Aquitanicus genere, ſub Theodorico Rege Comes Palatij, Hubertus nomine, & literarum ſtudiis eruditus, & armorum exercitatione ſtrenuus. Fertur autem quod quadam die ſolemni, quando alij Chriſtiani ſeu vicini eius pergebant ad Eccleſiam, ipſe vanitatibus mundi deditus pergebat ad venationem. Et ecce apparuit ei quidam ceruus, qui infra cornua ſua geſtabat ſignum Sanctæ Crucis. Audiuit inſuper quandam vocem dicentem ſibi. Niſi conuertaris ad Dominum per ſanctæ vitæ propoſitum, deſcendes velociùs ad infernum. Quo audito, deſcendit illicò de equo ſuo, adorans Dominum, qui ſibi apparuerat, & promptum ſe exhibens ad faciendum quod monuerat. Hic, quia prudentis erat ingenij, conſiderans Ebroinum ad omnem malitiam promptiſſimum, execratus omnes actus illius, Franciam Sequanorum deſeruit, & in Auſtriam ad Pipinum Ducem, cuius iuſtitia & induſtria ac virtus bellica tyrannos omnes oppreſſerat, ſe contulit. Adhærebâtque illi quaſi comes indiuidua amita ſua Oda, quæ extitit Boggis Aquitanorum Ducis recens defuncti relicta vidua. Cùm igitur in parochia Tungrenſi apud memoratum Principem Hubertus vir illuſtris aliquandiu conuerſaretur, beati Lamberti Pontificis celebre nomen famâ diſcurrente cognoſcens, cupiénſque videre deſcendit Traiectum. Quem Lambertus vir Dei gratanter excepit, multis quoque diebus ſecum detinuit.* Huic

[c] D. 3. Nou.

HVBERTVS IN AVSTRASIAM PROFICISCITVR.

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

anno, quem Miræus notauit, rectè illigantur tres Characteres Chronologici, quos Theodoricus Rex, Pippinus Dux ſeu Princeps aut Maior-domûs & Lambertus Epiſcopus ſuppeditant. Refragatur autem quartus, qui deſumitur ab Ebroino, ſed expungi debet, quia cum ceteris non conuenit, & appoſitus videtur ab Auctore, qui ſi liberiùs in Ebroinum multis iam calumniis ab aliis impetitum debaccharetur, rem poſteris gratam ſe facturum putauit, nec ſatis diligenter attendit quis eſſet Traiectenſis Eccleſiæ ſtatus, cùm Ebroinus apud Theodoricum Regem auctoritate pollebat, tunc enim Lambertus Epiſcopus exulabat, nec Sedi ſuæ reſtitutus eſt, quamdiu vixit Ebroinus. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum [a].

[a] Num 60.

XXXV. Hubertus è Neuſtraſia rectà ſe contulit ad Lambertum, agebat adoleſcentiam ſiue ætatem illam quæ poſt pueritiam prima eſt ab anno decimoquarto vſque ad viceſimum-quintum, aut etiam ad triceſimum. Annos tunc natus videtur quatuor circiter ac viginti. Vxorem iam duxerat Floribanam, ex câque filium ſuſceperat, nomine Florebertum, in Epiſcopatu Traiectenſi poſteà ſucceſſorem, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum dicturi ſumus. Molanus [b] ait *Chriſtum ei, dum adhuc paganus venationi more nobilium operam daret, inter cornua cerui apparuiſſe.* Sed Auctor ſuprà citatus, qui libellum de conuerſione S. Huberti conſcripſit, illum inſinuat ante prædictam apparitionem Chriſtianum fuiſſe, licèt viri Chriſtiani munera vitámque non impleret, vtpote qui *vanitatibus mundi deditus die ſolemni pergebat ad venationem, quando alij Chriſtiani ſeu vicini eius pergebant ad Eccleſiam.* Certè vox, *alij*, quâ Scriptor vſus eſt, docet Hubertum è Chriſtianorum numero tunc extitiſſe, alioquin non *alij Chriſtiani* ſed ſimpliciter *Chriſtiani* dicerentur ad Eccleſiam perrexiſſe, quando Hubertus ad venationem perrexit. Prætereà Hubertus per diuinum oraculum admonitus eſt non vt Chriſtianus fieret, ſed vt ad Dominum conuerteretur *per ſanctæ vitæ propoſitum*, id eſt, vt ad Dominum conuerſus vitam nomine Chriſtiano dignam deinceps duceret. Miræus [c] Chriſtum Huberto in ſylua Arduenna venanti apperuiſſe ſcribit, ídque obſeruat anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo contigiſſe. *More nobilium in ſylua Arduenna venanti cùm Chriſtus crucifixus inter cerui cornua apparuiſſet, ad Sanctum Lambertum Traiectenſem Epiſcopum ſe contulit, ab eo inſtruendus. Anno itaque 688 Theodorico Galliæ Regi balteum militarem reddidit.* De anno non diſputamus. At locum, vbi Hubertus venabatur, in Arduenna ſylua collocandum non arbitramur, quia profectus eſt in Auſtraſiam *è Francia Sequanorum*, id eſt, è Neuſtraſia, quam Sequana Fluuius alluebat, inhabitabántque populi ad vtramque Sequanæ ripam ſiti. *Genere* fuit *Aquitanicus*. Clericum induit, & ſub Epiſcopi Lamberti diſciplina tantùm profecit, vt in Epiſcopatum eidem Lamberto proximè ſucceſſerit, adoleſcente interim Floreberto filio, qui Pontificatum quoque poſt patrem tenuit. Sermo de vtroque ſæpiùs recurret, vt & de Oda Huberti amita, quam Miræus [d] ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum & Sigebertus [e] ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum celebrarunt.

[b] D. 3. Nou.

[c] D. 3. Nou.

FIT CLERICVS.

[d] In Faſt. d. 23. Octobr.

[e] In Chron.

XXXVI. Exeunte hoc eodem anno, Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum Catechumenus Romam profecturus è Britannia tranſiit in Franciam, & Wlmarum Syluiacenſem in Morinenſi Diœceſi Abbatem inſignem inuiſit. Hunc annum Epitome Bedæ ſic exprimit. *Anno ſexcenteſimo octogeſimo-octauo Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum Romam de Britannia pergit.* Et Beda [f] Regem eundem anno ſequenti Romam perueniſſe, baptizatum illic eſſe in vigilia Paſchæ, ac paulò pòſt in albis adhuc poſitum obiiſſe ſic docet. *Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum, cùm genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſimè præeſſet, relicto Imperio propter Dominum Regnúmque perpetuum, venit Romam. Illò perueniens Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die ſancto Sabbati Paſchalis,*

[f] Lib. 5. c. 7.

Digitized by Google

anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octuageſimo-nono , & in albis adhuc po- AN. CH.
ſitus , languore correptus duodecimo Kalendarum Maiarum die ſolutus eſt à carne. 688.
& beatorum eſt conſortio ſociatus in cælis. THEO-
De Ceaduallæ Regis colloquio cum Wlmaro Abbate ſic Anonymus [a], DOR. III.
qui vitam eiuſdem Sancti Wlmari conſcripſit. *Anno Incarnationis Dominicæ* R. 15.
ſexcenteſimo octogeſimo-octauo , quando prænominatam Baſilicam in honorem Sanc- XXXVII.
tæ Mariæ Virginis & beati Petri Apoſtoli , vir Dei extruxerat , venit ad eum Cea- a Ap. Sur. d.
dualla Rex Occidentalium Saxonum iam in Britannia factus Catechumenus , vt ab eo 20. Iul.
in fide Ieſu Christi magis inſtrueretur & confirmaretur , dixítque ei. Audiui te vi-
rum eſſe ſanctum. Duo igitur abs te peto , vt me fluctuantem animo in fide confir-
mes , & quæ ſit animæ meæ ſalus edoceas , ſimul etiam ores pro me Dominum Deum,
nam meæ orationes valdè frigent. Cùm ergo vir Dei audiſſet Regem , & ei benè
precatus eſſet , ille diuinitus permotus profectus eſt Romam , atque illic ſacrum bap-
tiſma ſuſcepit. Idem vero Rex triginta ſolidos maioris monetæ viro Dei reliquit ad
vſum prænominatæ Eccleſiæ.

Præter annum Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimum octogeſimum-octa- XXXVIII.
uum , quo Ceadualla Saxonum Occidentalium Rex Wlmarum Abbatem
adiit , in tota eiuſdem ſancti Wlmari vita nullus inuenitur Character Chro-
nologicus. Vnde fit , vt nec quot annos Wlmarus tunc natus eſſet , nec
quot annos poſteà vixerit , facilè quis coniectare poſſit. Idcircò res ante il-
lum annum ab eo geſtas hîc conglobatim ex eodem Auctore vitæ narrabi-
mus , additis quibuſdam notis , quæ difficultates à Neotericis motas eno-
dabunt.

Sanctus Vulmarus in inferioribus Galliæ partibus , haud longè à maris littore in XXXIX.
pago Bolonienſi in villa Syluiaco nuncupata , ex Chriſtianis atque inclytis parentibus WLMARVS.
eſt editus. Pater eius Vulpertus , mater autem Duda , frater verò Vulmarus diceba-
tur. Plura de parentibus , ortu , infantia ac pueritia Wlmari non habet
Auctor vitæ. Malbrancus Wlmarum *Wilberti Bononiæ Comitis filium princi-*
pem conſtituit [a], eiúſque fratrem non Vulmarum ſed Walmarum vocat [b]. a Lib. 3. c. 29.
De fratris nomine facilè conſentimus , vt alter ab altero diſtinguatur , de b Lib. 4. c. 15.
patris dignitate non ita , quia veterum Comitum varias genealogias , quæ
nullo niti fundamento videntur , hic Auctor nectere conſueuit. Addit [c] c Lib. 3. c. 29.
Wlmarum *vix infantiæ metas* exceſſiſſe , cùm Audomarus Bononicam Sedem
iniit. At Audomarum Epiſcopalibus Infulis anno Chriſti ſexcenteſimo vi-
ceſimo-quarto donatum ſcribit [d], nos eundem Audomarum Epiſcopum an- d Lib. 3. c. 11.
nis tredecim ſeriùs ordinatum probauimus exeunte Dagoberti Magni Prin-
cipatu , quem decimo-quarto Kalendas Februarias anni poſt Chriſtum na-
tum ſexcenteſimi duodequadrageſimi clauſimus. Wlmarus igitur , ſi cùm
Morinenſis Epiſcopatus Audomaro delatus eſt , infantiæ metas vix exceſſe-
rat , ex Malbranci calculo , cùm Ceaduallam Regem excepit , erat iam ma-
ior ſeptuagenario , ex noſtra verò computatione natus annos duodeſexa-
ginta.

De Wlmari iuuentute ac ſeceſſu ad Alti Montis Monaſterium hæc in XL.
eius vita proximè ſequuntur. *Præfatus vir ſanctus Vulmarus tempore iuuentutis*
ſuæ coniugem duxit nomine Hiſtoraldam, vel , vt quibuſdam placet , Oſtorildam,
quæ priùs erat deſponſata alteri viro nomine Vulmaro , ac propterea apud Franco-
rum Principem grauiter Dei famulus accuſabatur , cuius imperio & iuſſu , priori FIT MONA-
ſponſo Hiſtoralda reddita eſt. Sanctus verò Vulmarus , poſtquàm reliquit coniugium, CHVS ALTI-
petiit Monaſterium , quod in pago Hannonienſi ad Sambram fluuium ſitum eſt , di- MONTENSIS.
citúrque Alti-montis , vbi tunc Monaſticus ordo florebat. Suſceptus verò à Rectore
eius Cænobij , demandatum ſibi ab illo ſatis vile & abiectum miniſterium obedien-
tiæ causâ in ſe recepit , vt quod circa paſcendos boues & ligna ad fratrum officinas
importanda verſaretur. Quod munus prompto certè animo executus eſt. Sed poſteà,
inſtigante eum Spiritu Dei , ad ludum literarum perrexit , ac ſibi alphabetum exara-
ri poſtulauit , nam anteà illiteratus erat. Malbrancus [e] Alti-montis Abbatem , e Lib. 3. c. 29.

Digitized by Google

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

cuius diſciplinæ Wlmarus ſe tradidit, Vincentium vocat illius Cœnobij conditorem. Vincentius Altimontenſis Monaſterij fundamenta iecit anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo, nec Monachum induit ante annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-tertium; Cœnobium Sonegienſe poſteà conſtruxit, ibíque Abbatem egit, nuſquam verò in Alto monte. Lege quæ de Abbatibus Altimontenſibus & Sonegienſibus dicta ſunt Tomo ſuperiore. Dele apud Malbrancum nomen Vincentij, atque obiter nota Wlmarum, quando Vincentius Altimontenſe Monaſterium inchoauit, ex iſtius Auctoris calculo natum annos fuiſſe duos ac triginta, ex noſtro computo vndeuiginti. Quis autem vitâ ſancti Wlmari attentè lectâ ſibi perſuadere poſſit eundem Wlmarum, cùm in Altum-montem ſeceſſit, vicenario longè maiorem fuiſſe?

XLI. *Poſtquàm verò ſanctum eius*, nempe Wlmari, *ſtudium Abbati innotuit, ab hoc miniſterio*, quod videlicet in paſcendis bobus & lignis ad fratrum officinas importandis vertebatur, *abſolutum, literis nauare operam præcepit, altero in eius locum ſubrogato. Deinde adſcriptus in Clerum, nihil ſolitæ humilitatis depoſuit*, &c. *Succedente tempore, dignus Sacerdotali munere ab Abbate & fratribus acclamatus eſt. Sacerdotio igitur initiatus, ob vitæ meritum ab omnibus cum magna reuerentia prædicabatur. Sed vir Dei laudes hominum non ferens, timénſque per huiuſmodi adulationes ſe aliquando æterno brauio priuandum (ſicut de quibuſdam in Euangelio dicitur, receperunt mercedem ſuam) in eremum aufugit, nihil ſecum ferens niſi Sacerdotalia veſtimenta & bipennem.* Malbrancus iter Wlmari proficiſcentis in eremum ſic deſcribit [a]. *Rectà Cameracum perrexit, vbi acceptâ ſalutari Autberti* Cameracenſis Epiſcopi *adprecatione, neſcio quâ viâ Minoriacum ad Liſam profectus eſt. Inde patuit Romanum iter, quo Caſtellum & ad portum Mardicenſem recto tramite tenditur. Cùm iam illud iniiſſet, ſiniſtrorſum primò conſpicatur immanem ſyluam, in qua latebat Richarius: allicit illa, ſed Deus aliò pertrahit: progreſſo ſeſe dextrorſum offert ſylua altera à pede Caſtetani montis ad Catsbergenſem excurrens: & ingreſſo ſeſe etiam offert arbor perquàm annoſa, atque in eam exinanita cauitatem, quæ facilè hominem caperet, tegerétque à cælo iniurio. Reputat hanc eremum ſibi cælitus deſtinatam, & eò magis quò quidpiam non humanis architectatum manibus incolere daretur. Exoſculatus eſt arborem, quaſi illa benefica per longam annorum ſeriem exenteraſſet ſeſe, vt ſibi miſello domicilium adaptaret. Factâ prece ſe infert anguſtis laribus, diuinæ tutelæ totum hominem committens, res terrenas adeóque ſeipſum planè exoſus.* Rem eandem paucioribus verbis ſic complectitur Auctor vitæ. *Poſtquàm egreſſus eſt de Monaſterio* Altimontenſi, *perrexit recto tramite ad partes Aquilonares, veniénſque in pagum, qui Mempiſco antiquitus dicebatur, vbi erat immaniſſima ſylua, ibidem cauam arborem conſpicatus eſt, in qua tres dies delituit non ſolùm humano orbatus ſolatio, verùm etiam omnis cibi & potûs expers.* De ſancto Autberto Epiſcopo déque ſancto Richario Abbate actum Tomo ſuperiore. Sanctus Autbertus ab anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-tertio ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum in Cathedra Cameracenſi ſedit. Sanctus Richarius Abbas Centulenſis in ſyluam Chriſciacenſem, quam Malbrancus Wlmarum ſiniſtrorſum primò conſpicatum ait, ſeceſſit anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſexageſimo. Atque inde colligimus Wlmarum Presbyterum ex Altimontenſi Monaſterio digreſſum eſſe anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſexageſimo-quintò, cùm natus eſſet annos circiter triginta-quinque.

[a] Lib. 5. c. 40.

SECEDIT IN EREMVM.

XLII. Wlmarum in caua quercu latitantem Deus non deſeruit, ſic enim proſequitur Auctor vitæ. *Pius & miſericors Deus, qui nunquam deſerit ſperantes in ſe, ſed dat omnibus eſcam in tempore opportuno, miſit Angelum ſuum ad quendam eius loci virum fidelem, qui in viſione eum increpabat dicens. Tu quidem hîc delicias tibi præparas, & ſeruus meus illa in eremo periclitatur fame. Expergefactus ille viſionem ſuæ pandit vxori, attamen teſtatus eſt ſe ignorare locum, quò deferendi*

Digitized by Google

AN.CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

rendi erant cibi , atque vbi Dei famulus moraretur. Cui vxor eius reſpondit. Fac, inquit , quod tibi iniunctum eſt diuinitus. Dubium non eſt quin Angelus Dei bonus comitabitur te , & deducet ad deſtinatum locum , ego verò parabo cibos , tu interim aſcende equum , & fræno remiſſo , quocunque voluerit , eat , quia Dominus perducet te ad locum vbi eius famulus conuerſatur. Obtemperat vxoris conſilio maritus , & rectà peruenit ad arborem , vbi ſeruus Domini Ieſu Chriſti ſedens orationibus vacabat , quem vt vidit , túne es , inquit , ſeruus Domini noſtri Ieſu Chriſti , qui mihi præcepit tibi afferre prandium ? Qui reſpondens , licèt indignus , ait , tamen ſeruus Ieſu Chriſti ſum , eíque , quantùm valeo , militare deſidero , & gratias agens pro accepta annona ſurrexit , & cum hoſpite ſuo vnà cibum ſumpſit. Poſteà ille idem vir ad Dei famulum ait. Cùm Dei ſeruus ſis & verè ei militare deſideras , veni mecum & tribuam tibi fundum hæreditatis meæ , vbi Monaſterium conſtruas , atque ad ſeruiendum Omnipotenti Deo Monachos congreges. Sanctus autem Vulmarus primò (TRIA CONSTRVIT MONASTERIA,) *renuit , verùm poſteà eius precibus & ſanctæ deuotioni acquieſcens , cum eo profectus eſt , acceptâque hæreditatis eius portione condidit Monaſterium , plurimóſque ad inſeruiendum Deo ſibi attraxit. Deinde vir memoratus ei filium ſuum commiſit , vt eum tam literis quàm virtutibus imbueret , ac in Omnipotentis Dei ſeruitio educaret. Poſt hac reliquam hæreditatis ſuæ portionem illi adiecit. Adiuncti ſunt etiam ſancto Vulmaro prænominati viri fratres germani , aliíque quamplurimi viri illuſtres , ſuas eidem Monaſterio tradentes poſſeſſiones.* Malbrancus [a] primum illud Wlmari Monaſterium Eekenſe vocat à pago *Eeke* de cuius etymo ſic ſcribit. (EEKENSE VIRORVM,) *In hodiernum diem ab illa quercûs mole* , in qua Wlmarus triduo delituit, *pagus exurgens , Eeke nomenclaturam adſeruat.* Hic Auctor tria ſubiungit , ad antiquitatem , ſitum , & Regulam Monaſticam prædicti Cœnobij pertinentia. Primò Monaſterium Eekenſe facit antiquius Broilenſi ; deinde Cœnobium Broilenſe collocat ad tertium ab Eekenſi lapidem ; poſtremò affirmat Monachos ex Aſceterio Sitiuenſi euocatos à Wlmaro , quos ille ſecum Monaſticæ apud Eekam inſtitutioni voluit incumbere. Super Eekenſis Monaſterij antiquitate , ſupérque eiuſdem Cœnobij ſitu nulla difficultas , ſed dubitationi locus eſſe poteſt , vtrùm Wlmarus ex Aſceterio Sitiuenſi an ex Altimontenſi Monachos adſciuerit , quia Monachum apud Altum-montem in Diœceſi Cameracenſi priùs induit egítque , quàm cogitaret de condendo apud Eekam Monaſterio Diœceſeos Morinenſis , in qua florebat tum Sitiuenſe. Cellas apud Eekam , ſancti Folquini Morinorum Epiſcopi aſſenſu , erectas habent quædam Breuiaria , ſed reponendum ſancti Audomari nomen , qui Morinenſi Eccleſiæ ab anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſeptimo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum præfuit. Sitiuenſis Abbas erat Bertinus , cùm Wlmarus ex Altimontenſi Monaſterio diſceſſit. Inter Audomarum Epiſcopum & Bertinum Abbatem arctiſſima intercedebat neceſſitudo. Ea ratio nos impellit , vt non tantùm Eekenſe , ſed & alia quælibet Cœnobia , quæ ſuperſtite in viuis Audomaro Epiſcopo in Diœceſi Morinorum conſtructa ſunt , è Sitiuenſi deriuata credamus. Accedit auctoritas monumentorum Bertinenſium , in quibus hæc Sitiuenſis ſeu Bertinenſis Monaſterij commendatio legitur. *Exulta ſatis filia Sion , ſpecula ſanctæ contemplationis , æquiparata Regalibus Monaſteriis , creſcens in montem , de quo ſunt quatuordecim honeſta Monaſteria deriuata.*

XLIII. Præter Eekenſe Monaſterium Wlmarus alia duo in ſuo prædio ædificauit , vnum virorum , alterum fœminarum. Rem , vt geſta eſt , ſic exponit Auctor vitæ. *Cùm bonum ille certamen* in Eekenſi Monaſterio *certaret , & fidelem Chriſto Domino nauaret operam cœpit multis clarere virtutibus & ſignis. Qua de cauſa multi tam ex longinquis quàm ex propinquis regionibus permoti fideles , ad eum confluebant , ac ſummâ reuerentiâ amplectebantur. At ille humanos honores declinans , ne quam illi elationem animi adferrent , ad pagum Bolonienſem , in* (SYLVIACENSE VIRORVM,) *quo natus fuerat , ſe clàm ſubtraxit. Ingreſſus autem ſyluam , quæ vno tantùm miliari ab eius diſtabat patria , & iure hæreditario ad ipſum ſpectabat , cœpit in ſanc-*

[a] Lib 3. c. 40.

AN. CH. 688. THEODOR. III. R. 15.

tiſſimæ Dei Genitricis Mariæ & beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem ædificare Eccleſiam. Quò cùm illum inuiſendi gratiâ complures vtriuſque ſexûs conuolarent homines, verbo Dei eos reficiebat, & ſub regulari habitu regebat, diu noctúque ſeruiens Deo in vigiliis, in ieiuniis, in frigore & nuditate, in orationibus atque in multa patientia. Quodam tempore ambulabat eiuſdem ſancti viri germanus frater Vulmarus nomine (Malbranco [a] Walmarus) *per memoratum nemus, reperiebátque Anachoretam Christi ante ſuum tugurium ſtantem ac manualibus inſudantem operibus, ignorans quia germanus eius eſſet, qui interrogabat eum dicens. Quis es tu? & vnde venis? & quid hîc agis? Eremita autem Chriſti non ferens illum diutiùs in tali ignorantia commorari, germanum eius ſe eſſe profeſſus eſt. Ille verò ex fratris reſponſo hilarior effectus, eamus, inquit, & deſcendamus ad paternas ædes & ſalutemus matrem noſtram & conſolemur eam, quæ longo tempore tuam doluit abſentiam. Sanctus verò Vulmarus fratris monitioni non acquieſcens dixit. Non ibo. Tu verò & ipſa, quantùm poteſtis, aliquam annonæ conſolationem mihi impendatis, & ego, quantùm præualeo, in conſpectu Dei Omnipotentis memor ero veſtri. Qui cùm reuerſus domum hæc ſuæ enarraſſet matri, illa de filij ſalute multùm gauiſa eſt, & exinde cibaria eidem procurauit deferri. Quodam tempore cùm prænominatus Vulmarus* ſeu Walmarus *fratri ſuo cibos deferret, & eum ſolito loco non inueniret, cœpit magnos emittere eiulatus, & acclamare Vulmarum. Ille verò fratri annuens, ne, inquit, frater mi, tales ampliùs edas clamores. Tunc ſuſpendens in quadam arbore ligneam tabellam cum malleo, iuſſit victualia deferenti de cetero tabellam percutere, & hoc ſigno fratrem euocare. Hæc enim in perpetuam rei memoriam cum prædicto malleo in eius Cœnobio conſeruatur. Confluebant ad ſanctum Dei vtriuſque ſexûs complures homines, ſub eius ſacro inſtituto militare cupientes, quos ille omnes benigniſſimè ſuſcepit, ambroſiâ cæleſtis diſciplinæ depaſcens, ac nectare diuini amoris inebrians. Semotâ tamen habitatione virorum à manſionibus mulierum, quibus ſanctiſſimæ conuerſationis Bertannam Abbatiſſam neptem ſuam præfecit, eandem inſtruens, quomodò concredito ſibi Sanctimonialium gregi curam gerere debeat, ne ab inuiſibili lupo fidelium caulas circumcurſitante aliqua ſuffocentur, ſed per maternas eius exhortationes in fide, caſtitate, ac omni opere bono confirmentur. Ipſe verò Paſtor erat Monachorum.*

[a] Lib. 4. c. 15.

WILERIENSE FOEMINARVM.

XLIV. Idem Auctor proximè ſubdit Ceaduallam Regem Occidentalium Saxonum in Franciam veniſſe hoc anno, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo duodenonageſimo, cúmque Wlmaro Abbate colloquium habuiſſe quod retulimus ſuprà. Malbrancus [b] anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo Theodoricum Francorum Regem obiiſſe, Monaſterium virorum à Wlmaro in natali ſolo conſtructum eſſe, Ceaduallam Occidentalium Saxonum Regem in Franciam appuliſſe ſcribit, deinde addit poſtero anno eundem Ceaduallam Romæ interiiſſe, & Cœnobium fœminarum à prædicto Wlmaro in natali quoque ſolo erectum eſſe. Quæ de Ceadualla commemorat, ea veriſſima ſunt, auctoritate enim Bedæ fulciuntur. Secus ſentiendum de morte Theodorici Regis, quam in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum reiiciemus, necnon de duobus Monaſteriis quæ Wlmarus in ſuo prædio ædificauit, ambo enim, vt ex eiuſdem ſancti Wlmari vita ſuperiùs citata liquet, priùs extructa ſunt, quàm Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum in Franciam è Britannia transfretaret. Vtrumque Cœnobium in prædio conditum cui nomen Syluiaci. Monaſterium virorum, cuius Eccleſiam Wlmarus, teſte vitæ Auctore, *in ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ & beatiſſimi Petri Apoſtoli honorem* ædificauit, à Malbranco [c] ſic commendatur. *Stetit hæc moles in prædio, quod iure alioquin hæreditario ad ipſum* Wlmarum *deuoluebatur, eo loco, vbi iam Saulmerium ſeu ſancti Wlmari oppidum, ita vt patria domus Saulmerium inter & Bononiam interiaceret. Iſtius paterni Caſtelli nonnulla adhuc viſuntur veſtigia, breuis autem eremus in grande Monaſterium, deinde in concinnum oppidum excreuit, quod etiamnum geminum Templum gerit.* Virile illud Monaſterium in monte ſitum erat, puellare verò, quod inde

[b] Lib. 4. cc. 27. 28.

[c] Lib. 4. c. 27.

Digitized by Google

vix vno lapide diſtabat, poſitum erat in decliui, dictúmque fuit Wilerienſe ſeu Wierenſe à Wileria, cui nunc vulgò *Wiere* nomen eſt, in Syluiaco ſita. De vtriuſque ſitu ſic idem Malbrancus [a]. *Vix vno à Saulmerienſibus Bononicam viam versùs lapide occurrit Wileria in Syluiaco ſic dicta ad alterius eiuſdem nomenclaturæ diſcrimen, nunc vulgò Wiere eſt nomen. Illic modò ruralis ſolùm Ædes reſidua eſt, & ampliùs nihil, verùm inſignis olim Monaſterij breue monumentum. Vti enim Wlmarus viris, qui diuino eius alloquio eloquióne rapiebantur, in monte inter frondoſa & opaca virilem, ſic fœminis non minori zelo præditus in decliui fœmineum cœtum dedit; cellas, triclinium, periſtylia, partheniam Ædem, inſtar ſuperioris exædificauit.* Huius Monaſterij prima Abbatiſſa in vita ſancti Wlmari Bertanna nuncupatur, apud Malbrancum Herembertha, neptis fuit eiuſdem Wlmari.

[a] Lib. 4. c. 18.

CVI NEPTEM SVAM PRÆFICIT ABBATISSAM.

XLV. De Ceaduallæ Regis congreſſu cum Wlmaro Abbate, præter ea quæ in eiuſdem Wlmari vita reperiuntur, nihil addendum habemus. Michael Alfordus in Annalibus [b] Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ negat Ceaduallam Regem ad Wlmarum Abbatem acceſſiſſe, *vt ab eo in fide Ieſu Chriſti magis inſtrueretur & confirmaretur,* nec aliam itineris ad Morinos ſuſcepti rationem vult fuiſſe, præter ſtudium *videndi colendíque Sanctum, & ex eo pietatis documenta ſumendi,* quia, vt præmittit, *qui Aldelmum comitem habuit, &, vt alij volunt, Leiphardum Archiepiſcopum, non opus habebat magiſtro alio, ad fidei rudimenta.* Varia, quæ varij ſcripſerunt, refert de Leiphardo Archiepiſcopo, nec quis ille fuerit, palàm oſtendit. Aldelmum verò dicit *Malmesberienſis Cœnobij Abbatem, qui ad Romanum Pontificem profectus eſt, oraturus illum pro ſui Monaſterij libertate.* De Leiphardo ſeu Lietphardo Epiſcopo ac Martyre, qui procul à Ceaduallæ Regis ætate vixit, commodiùs alio in loco verba faciemus. Beda de Aldhelmo Abbate, quem Ceaduallæ coætaneum fuiſſe non inficiamur, multa narrat capite vndeuiceſimo libri quinti, ſed itineris ab Aldhelmo cum Ceadualla Romam ſuſcepti nec in illo capite meminit vbi penè totus eſt in ipſius Aldhelmi laudibus, nec in capite quinto eiuſdem libri vbi de Ceaduallæ profectione in Italiam & obitu ſermonem inſtituit. Ceaduallam igitur, cùm Romam perrexit, nec comitatus eſt Aldhelmus Abbas, nec Lietphardus Epiſcopus; & Anonymo, qui vitam Wlmari Abbatis in literas primus retulit, ſua ſtat auctoritas aſſerenti Ceaduallam Regem ad Wlmarum Abbatem acceſſiſſe, *vt ab eo in fide Ieſu Chriſti magis inſtrueretur & confirmaretur.* De Wlmaro agemus iterum ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum, quo mortuus eſt.

[b] Ad hunc an. n. 5.

ERVDIT CEADVALLAM R. OCCIDENT. SAXONVM.

ANNVS CHRISTI 689.

THEODORICI III. R. 16. 9.

I. ANNO poſt Pippini reditum in Auſtraſiam proximo, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo geſtum eſt bellum Friſicum, quod perperam ab Auctore Annalium Metenſium in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum reiicitur, & adulatorio erga Pippinum ſtylo deſcribitur in hæc verba. *Pippinus exercitum vniuerſalem Francorum adunare præcepit. Tractatíſque de vtilitate Imperij conſiliis, occurrit Radbodi Friſionum Ducis obuiare ſuperbiæ, qui tanta ſtultitiæ inuolutus caligine fuit, vt contra Pippinum inuictum Principem aciem parare præſumeret. In qua victus atque fugatus maximam partem exercitûs ſui perdidit. Seráque tandem pœnitentiâ ductus Legatos ad Pippinum dirigens pacem poſtulat, ſéque cum his quos regebat ſuæ ditioni ſub-*

FRANCI CITERIOREM FRISIAM SVBIGVNT.

Digitized by Google

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

didit. Obſidibus quoque datis Pippini tributarius efficitur. Quis exitus fuerit huius belli, diſtinctiùs ediſces ex Hiſtoria Suibertina. Radbodus Pippino Franciſque ceſſit citeriorem Friſiam in qua Traiectum * erat, ideóque Willebrordus aliíque diuini verbi præcones, quos Egbertus anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo ex Hibernia in Friſiam direxit, vbi animaduerterunt nihil ſe proficere in vlteriore Friſia, quæ penes Radbodum Regem remanſerat, Pippinum Maiorem-domûs, à quo miſſi ſunt in Friſiam citeriorem, mox adierunt. Qua de re ſic Auctor Actorum Suibertinorum. *Sacerdotes diuerterunt ad præfatum Principem Pipinum, à quo gratanter ſunt ſuſcepti. Et quia nuper citeriorem Friſiam, expulſo Radbodo Rege, ceperat, illò eos denuò ad prædicandum miſit, precipiens paganis ſibi deditis auctoritate Regiâ, ne quis prædicantibus quicquam moleſtiæ inferret.* Friſiorum Regnum Oceano adiacebat, & à Rheno ad Eidoram * vſque amnem protendebatur, Citerior Friſia Rhenum inter & Fleuum, vlterior Fleuum inter & Eidoram erat. Ad citeriorem Friſiam pertinebat Wiltaburgum, quod & aliis nominibus dictum reperitur Traiectum & Vltraiectum, ſeu Traiectum inferiùs & Traiectum ad Rhenum. Porrò, quoniam occaſio hîc oblata eſt, vt ſancti Suiberti vitam à Surio [a] publicatam citaremus, de illius Auctore nomen Marcellini præferente quid ſentiamus, paucis accipe. Marchelmus, quem à pueritia beatus Willebrordus enutriuit ac ſanctis moribus inſtruxit, dictus eſt etiam à poſteris Marcellinus nomine ad Romanam ſpeciem aptato ac concinniore facto, ſub eâque nuncupatione celebratur in Martyrologio Romano pridie Idus Iulij. Vtrùm acta ſancti Suiberti conſcripſerit, inter eruditos viros hodie controuerſia eſt. Alij enim exiſtimant ſcriptam ab eo Hiſtoriam Suibertinam, quam Neotericus interpolarit næuíſque reſperſerit. Alij vitam ſancti Suiberti, quam Surius in lucem edidit, fœtum recentioris Scriptoris arbitrantur, qui ſe Marchelmum ſeu Marcellinum mentitus ſit inuerecundè, támque glorioſo titulo facillimè legentibus impoſuerit. Poſterior opinio nimis auſtera nobis videtur, ſtare malumus à priori. Tot autem mendis apud Surium ſcatet Hiſtoria Suibertina, vt Godefridus Henſchenius, qui tanto labore ac ſtudio vitas Sanctorum collegit, ad Kalendas Martias illam à ſuo de Sanctorum Actis opere reſecandam duxerit, imitatus Ioannem Colganum, qui priùs ad eaſdem Kalendas idem in Actis Sanctorum Hiberniæ præſtiterat. Illi tamen ſcriptioni, quâ rarò nos ac cautè vſuros profitemur, auctoritatem Beda Preſbyter, Paulus Diaconus, aliíque probæ notæ Scriptores quandoque conciliabunt. Exemplum haud longè petemus. Bellum, quod Pippinus hoc anno cum Friſiis geſſit, haud ſiluit Paulus Diaconus, iſta enim de Pippino ſcripſit in Hiſtoria Longobardorum [b]. *Bella quoque multa cum Saxonibus, & maximè cum Ratbodo Friſionum Rege fortiter geſſit.* Et Beda de Willebrordo eiúſque ſociis ad Pippinum poſt bellum Friſicum profectis hæc in literas retulit [c]. *Diuertentes ad Pippinum Ducem Francorum, gratanter ab illo ſuſcepti ſunt. Et quia nuper citeriorem Freſiam expulſo inde Radbedo Rege ceperat, illò eos ad prædicandum miſit, ipſe quoque imperiali auctoritate iubens, ne quis prædicantibus quicquam moleſtiæ inferret, multíſque eos, qui fidem ſuſcipere vellent, beneficiis attollens. Vnde factum eſt opitulante gratiâ diuinâ, vt multos in breui ab idololatria ad fidem conuerterent Chriſti.* Pippinus Franciæ fines vltra citeriorem Friſiam non dilatauit. *His itaque peractis*, vt Monachus Metenſis proſequitur, id eſt, citeriore Friſiâ in Francorum poteſtatem redactâ, *Synodum adunare præcepit. In qua vtilitatibus Eccleſiarum, orphanorum ac viduarum, conſideratis, ſeſe in opinatiſſimis Regni ſui ſedibus cum ſuis fidelibus ad hiemandum locauit.* De Willebrordi ac ſociorum aduentu in Friſiam agemus anno ſequenti quo conſignatur à Beda, inquiremúſque de illorum patria déque loco vnde profectionem in Friſiam ſuſceperunt.

II. Radbodus, priuſquàm cum Francis congrederetur, è ſuis ditionibus abi-

* *Vtrech.*

* *La riuiere d'Eyder.*

[a] D. 1. Mart.

[b] Lib. 6. c. 37.

[c] Lib. 5. c. 11.

Digitized by Google

re iuſſit omnes Euangelij Doctores, quorum alij ex Francia venerant, alij ex Hibernia. Inter illos præcipuus erat Vulfrannus, inter hos Wigbertus ſeu Wictberchtus. De Wictberchto ſic diſſerit Beda [a]. *Victberchtus, cùm eſſet & ipſe contemptu mundi ac doctrinæ ſcientiâ inſignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) aſcendit nauem, & Friſiam perueniens, duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbedo verbum ſalutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros inuenit auditores.* Vulfrannus ex Epiſcopo Senonenſi Monachus primùm Fontanellenſis, deinde ex Monacho Fontanellenſi factus eſt Apoſtolus Friſiorum, quos per quinquennium erudiuit adiutus à Wandone & nonnullis aliis ſodalibus Monaſterij Fontanellenſis. Illum redeuntem in Franciam comitati ſunt Ouo, Turinus & Ingomarus, de quorum conuerſione ad Chriſtianam religionem iam locuti ſumus. Monaſticen amplexi ſunt ſub Hilberto Abbate Fontanellenſi. Preſbyter erat Ouo, cùm Ionas Baino Hilberti ſucceſſori vitam ſancti Vulfranni dedicauit. De illo recurret ſermo. De duobus aliis hæc legimus apud Surium in vita ſancti Vulfranni [b], quòd *à prædicto Pontifice Fontanellam perducti, Hildeberto* ſiue Hilberto *Abbati educandi traditi ſunt. Qui ſacris literis & cæleſti diſciplinâ eruditi, ſub regimine & dominio eiuſdem Patris & ſucceſſorum eius per plurima ſtrenuè militauerunt tempora, ibique in ditione eiuſdem Cænobij vſque ad vitæ ſuæ metas permanſerunt.* Deinde, vbi ſermo fit de obitu Radbodi Friſonum Regis, nominatur iterum Ingomarus, iſque dicitur fuiſſe Friſo, qui Diaconum Vulfranni Epiſcopi comitabatur, cùm diabolus ſuis præſtigiis domum eis aurei ſplendoris & incredibilis pulchritudinis, thronúmque miræ magnitudinis oſtendiſſe fertur. *Diaconus ſtupefactus in his quæ viderat, dixit. Si à Deo cunctipotente facta ſunt iſta, perpetuò maneant; ſi autem à diabolo, citò diſpereant. Et cùm vallaret ſe continuò ſanctæ Crucis munimine, dux itineris, qui videbatur homo, euaneſcendo tranſiit in diabolum, & domus verſa eſt in lutum. Remanſerúntque hi duo ſimul, Friſo ſcilicet & Diaconus, in medio locorum paluſtrium, quæ plena erant longiſſimis rauſcis virgultis. Triduóque immenſi laboris iter conficientes, reuerſi ſunt ad oppidum, inuenientes præfatum Ducem Radbodum ſine Baptiſmatis ſacramento mortuum. Narrântque B. Antiſtiti quantam à diabolo pertuliſſent illuſionem. Friſo autem credidit in Chriſtum & baptizatus eſt. Vocabatur autem Ingomarus. Qui & ipſe ad Fontanellenſe Cænobium B. Vulfrannum ſecutus eſt.* At tota illa narratio ſuppoſititia eſt, vt alio loco probabimus, Radbodus enim ſancto Vulfranno multos annos ſuperſtes vixit. Henſchenius ſermonem, quem Ionas de Turino & Ingomaro texuit, conſultò prætermiſit, ne Ionas de Ingomaro pugnantia locutus crederetur. Ingomarus enim, ſi Vulfrannum è Friſia redeuntem ſecutus ad Hildebertum Abbatem venit, certè ad Radbodi vſque obitum non manſit in Friſia. Verùm & textus ſuprà citatus, in quo Ionas de Turino & Ingomaro loquitur, apud Surium non caret næuo, quia Ionas anno poſt Vulfranni reditum circiter decimoſeptimo vitam ſancti Vulfranni Baino Hildeberti proximo ſucceſſori dedicauit, nec in plurali numero de Hildeberti ſucceſſoribus in illa lucubratione loqui potuit. Sic igitur locum illum reſtitue. *Qui ſacris literis & cæleſti diſciplinâ eruditi, ſub regimine & dominio eiuſdem patris in ditione eiuſdem Cænobij permanſerunt.*

[a] Lib. 5. c. 10.

[b] D. 20. Mart.

VVLFRANNVS A RADBODO FRISIORVM R. PVLSVS REDIT IN FRANCIAM, CVM FRISIIS ALIQVOT IAM CHRISTIANIS.

III. Vulfrannus, cùm è Friſia remeauit, *iam in ſenectute maiori poſitus* aſſeritur. Henſchenius maiorem illam ſenectutem ætatem annorum ſeptuaginta interpretatur. Vulbertus Vulfranni pater rebus bellicis ſub Dagoberto Magno & Clodouco eius filio Regibus inclaruit. Naſci potuit Vulfrannus regnante Dagoberto vel eius patre Clotario Secundo. Dagobertus à Clotario patre Rex Auſtraſiæ conſtitutus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo. Ab illo anno ad reditum vſque Vulfranni è Friſia ſeptem effluxerunt anni ſupra ſexaginta. Vulfrannum remur ſexagenario maiorem tunc fuiſſe, ætatíſque ſatis grandæuæ, vt *iam in ſenectute maiori poſitus* meritò diceretur. Vi-

Digitized by Google

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

xit annos quatuor poſt ſuam è Friſia reuerſionem, ex hac enim vita diſceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio. Ad illud quadriennium pertinent quæ referuntur à Iona in eius vita. *Ad præfatum Fontinellæ Monaſterium ſeceſſit, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis in manſione ſibi à fratribus præparata coronam expectabat æternam. Annis itaque plurimis expers erat lectuli, cuius corpus ſub Monachali tunica cilicium tegebat. Intereà ægrotis ita medelam conferebat, vt quocumque quis languore fuiſſet detentus, ſi ab eo viſitari, contrectari, ac benedici meruiſſet, priſtinæ mox ſanitati redderetur. Erat ergo Monachus venerandus, nomine Bertgaudus, qui ita paralyſi toto corpore fuerat percuſſus, vt & loquelam pariter & omne corporis officium penitus amitteret. Ad quem cùm ſanctus Pontifex Vulfrannus veniſſet, eúmque Oleo ſacrato tetigiſſet, fugata illicò eſt omnis moleſtia morbi, ſícque reſtituta eſt in omni corpore illius gratia priſtinæ ſanitatis. His & huiuſmodi miraculorum ſignis, qualis fuerit eius vita, internus arbiter edocuit. Igitur ſancti viri doctrinam id maximè commendabat, quoniam non aliter viuebat quàm docebat, nil enim huius mundi quærere, nil curabat amare. Cuncta, quæ ſibi à Regibus vel diuitibus ſeculi donabantur, mox pauperibus hilariter largiebatur. Numquam potentibus, honoris ſiue timoris gratiâ, ſi qua deliquiſſent, reticebat, ſed aſperâ illos inuectione corrigebat. Denique cùm ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerret, non elatâ in altum voce, ſed profuſis ex imo pectore lacrymis, Domino vota ſua commendabat.* Hæc editio Henſcheniana. Suriana copioſior eſt. Imprimis aſſerit, quòd eo tempore Vulfrannus *pedum dolore frequenter vexabatur*, ídque à vero non videtur alienum. Deinde de Baſilica ſancti Stephani, quam Vulfrannus conſtruxit, & de manſione quam ei Fontanellenſes Aſcetæ præparauerunt hæc habet nulli ſuſpicioni falſitatis obnoxia. *In hoc Monaſterio Baſilicam in honore ſancti Stephani primi Martyris fabricauit, iuxta quam, manſionem eidem præparauerant fratres, vbi diuino cultui deditus, ſollicitus operis Dei, curam exhibebat, quæ diſtabat à Baſilica ſancti Apoſtoli Pauli paſſibus ferè* 30. Sed vitioſam habet interpolationem, quâ Bertgaudus Monachus, quem paralyſi laborantem Vulfrannus ſanauit, *patruus Wandonis Abbatis* nuncupatur. Nam Bertgaudus patruus quidem Wandonis eſſe potuit, at Ionas in vita ſancti Vulfranni, quam Baino Abbati obtulit, de Wandone iam Abbate nequiit loqui, quoniam Wando Abbatis titulo primùm gauiſus eſt, eiecto Benigno ipſius Baini ſucceſſore, vt ex Chronico Fontanellenſi conſtat [a].

CLARET MIRACVLIS.

[a] Cap. 3.

IV. MARTYRIVM S. KILIANI ET SOCIORVM.

Hoc anno Kilianus Epiſcopus, Kolomannus Preſbyter & Totmannus ſeu Totnanus Diaconus martyrium paſſi ſunt Wirziburgi, octauo Idus Iulias, quo die celebris habetur eorum memoria in Tabulis Eccleſiaſticis. Ernwaldum Monachum adiungunt Faſti Benedictini, rationem iſtius additionis ignoramus. In prædictorum Martyrum epitaphio, quod teſte Serario lapideæ tabulæ in ſepulchrali crypta iuxta puteum ad occidentem poſitæ inciſum fuit, rudi licet Mineruâ, leguntur hi verſus, qui noſtram Chronologiam confirmant, nec vllam Ernwaldi Monachi mentionem faciunt.

Annis ſexcentis octogeniſque nouenis,
Iſtic Killenam ſcimus fontis prope venam,
Et Colonatum, necnon Thotnámque beatum
Ob Saluatorem proprium fudiſſe cruorem.

V. Martyrij cauſa hæc fuit. Kilianus Epiſcopus Gozbertum Ducem admonuit non licere ſibi coniugio frui vxoris fratris ſui. Dux in procinctu ſuſcipiendæ expeditionis aduersùs hoſtes erat, pollicitus eſt poſtquàm rediiſſet inuentâ opportunitate ſe libenter ea impleturum, quæ vir Dei rogabat. *Hæc verò cùm ad aures Geilanæ perueniſſent* [b], *nefanda mulier callidâ meditatione perquirebat, qualiter ſine populari ſtrepitu & vulgi cognitione Sanctos viros perderet. Armabatur namque impatientiâ iræ & libidinis furore. Et quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ ſubminiſtrat, inuenti ſunt duo miniſtri crudelitatis, qui promitterent ſe ſatisfacturos Geilanæ deſideriis, datis ſibi muneribus mi-*

[b] Caniſ. Tom. 4. Sur. d. 8. Iul.

Digitized by Google

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

ſerrimæ executionis. Atque ita factum eſt, vt accepto præmio nefandi operis peruenerint ad votum fæmineæ crudelitatis. Solebat namque beatiſſimus Martyr Kilianus poſt paruam dormitionem neceſſitatis ad ſtudium vigilare propenſæ orationis. Quadam verò nocte cùm leues ſomnos carperet ſanctus Kilianus, itaut nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formâque pulcherrimus qui diceret. Amice Kiliane, ſurge, nolo te diutiùs laborare, vno duntaxat certamine tangeris, & ſic iugiter victor mecum eris. His dictis abſceſſit. Euigilans autem egregius vir intelligens diuinam ſibi adeſſe viſitationem, conuocatis fratribus, inquit. Fratres euigilemus, citò aderit Dominus & pulſabit ianuam, cauendum ergo eſt, ne nos ſomno torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus eſt, ne ſi defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Illis itaque circa medium noctis orationibus vacantibus, carnifices ſtrictis gladiis locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cùm ſacer vir intuitus eſſet, ait. Amici, ad quid veniſtis? implebitis præceptum, conſummabimus curſum. His dictis interfecti ſunt, ibíque terræ mandati, ne quis ſcire poſſet, quid factum foret. Veſtimenta quoque, cum quibus diuina officia peragebant, ſacríque libri cum eis defoſſi ſunt, ne quod indicium necis eorum deprehendi poſſet, ſed clàm diſceſſiſſe putarentur causâ ſolitæ peregrinationis. Erat tamen quædam nobilis mulier, Burgunda nomine, quæ à principio prædicationis eorum ſanctis adhæſerat viris, habens cellulam iuxta Oratorium Sanctorum, quò faciliùs diuinis laudibus intereſſe valeret. Hæc intenta vigiliis, quæ facta fuerint, diligenti ſtudio inueſtigauit, recedentibúſque carnificibus linteolo fuſum ſanguinem Sanctorum collegit, ac terræ diligenter infodit, vigiliis & orationibus vacans, vbi Sanctorum corpora obruta nouerat, excolebátque locum veneratione, quâ poterat, licèt ſilenter, ne, ſicut poſteà factum eſt, Geilanæ iuſſu remoueretur. Eadem ſceleratiſſima mulier ſtratis quoque plancis ſtabulum equorum in loco, vbi Martyres humati erant, fieri iuſſit, ne quo indicio ſacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his qui tunc fuere, poſteris relatum, quòd animalia ibi ſtabulata ſuper ſepulchra Martyrum nec ſtercora nec vrinam iacerent, honorem Martyribus exhibentia, &c. *Contigit autem vt Dux* Gozbertus *peractâ militiâ reuerteretur ad locum, vbi ſanctos viros dimiſerat. Quos cùm non inueniſſet, ſtudioſè cœpit perquirere, quando & quâ causâ receſſerint, quóue abierint. Eius enim vxor veneno malitiæ fœdata, aliquando rubore perfuſa, aliquando pallore depreſſa, aliquando confidentiâ roborata, diuerſos anfractus nequitiæ ſuæ fraudibus prætendebat dicens non ſe eos cuſtodiſſe, neque cuſtodes adhibuiſſe; quando voluerant, veniſſe; quando ſibi placuit, receſſiſſe, quò peregrinationis ſuæ ſeruarent propoſitum. Quem fœminea verba non emolliunt? quem à ſtatu rectitudinis non retrahunt? Credulus itaque verbis coniugis Princeps aliquantulùm cœptâ inquiſitione quieuit. Sed enim iuxta Dominicam vocem nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non ſciatur. Cùm ea quæ facta fuerint paulatim obliuioni traderentur, vnus eorum, qui ſanctos viros gladio inuaſerant, ſubitò à dæmone arreptus ingenti voce clamare cœpit. Kiliane, acriter me perſequeris, ſiquidem igne conſumor, quod feci celare non poſſum, video mihi imminere gladium ſanguine tuo reſperſum. Talia diu vociferans & propriis ſe dentibus lanians à præſenti migrauit in æternam pœnam. De talibus quippe ſcriptum eſt. [Duplici contritione contere eos Domine.] Alter verò mortis Sanctorum conſcius, in rabiem verſus, gladio ſemet appetiit, effuſíſque viſceribus per tormenta præſentis temporis ad æterna peruenit. Non multò pòſt & ipſa bellua* Geilana *dæmonibus arrepta, quantâ poterat voce clamabat. Iuſtè torqueor, quæ ſanctis viris cruciatus paraui. Acriter inſtas Kiliane, ignem accendis Kolomanne, fomenta miniſtras Tonane. Sufficiat vobis viciſſe, nimis veſtras vlciſcimini iniurias. A calice Kiliane diceris, ſed valdè amara pocula mihi infundis. His dictis miſerabiliter vexabatur, itaut à multis vix teneri poſſet. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatum diabolo paratum peruenit. His ita geſtis, aiunt Gozbertum à propriis ſeruis interemptum, filiúmque eius Principatu deiectum, cognatos affinéſque eorum à contribulibus talia perpeſſos, vt vix alia eis rei publicæ dignitas in eadem prouincia manſerit.* Hettanus tamen ipſius Gozberti filius, ſi Martinus

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

Crucius [a] vera ſcribit, *Templum extruxit in monte iuxta vrbem, D. Virgini Mariæ*, ideóque locus ille etiam nunc appellari ſolet *mons & arx noſtræ Dominæ*. Quamuis beatus Kilianus à Conone Papa ordinatus ſit Epiſcopus, & apud Wirziburgum ſiue Herbipolim, vbi Chriſtianam fidem præcipuè docuit, Martyrium conſummarit, Epiſcoporum Wirziburgenſium ſiue Herbipolenſium Catalogo non aſcribitur, quia conſecratus eſt Epiſcopus, vt quocumque vellet proficiſceretur Euangelium gentibus annunciaturus. Nec aliud innuebat Geilana cùm aiebat eum ſociósque *cùm voluerant, veniſſe; quando ſibi placuit, receſſiſſe, quò peregrinationis ſuæ ſeruarent propoſitum*. Quamobrem inter Antiſtites Herbipolenſes primum locum occupat ſanctus Burcardus, de quo verba facturi ſumus ſuis locis.

[a] De reb. Sueuic. part. 1. lib. 10. c. 10.

VI. EPISCOPI VIRODVNENSES.

Obierunt hòc anno Gerebertus Epiſcopus Virodunenſis & Auitus Aruernenſis Epiſcopus. Sedit Gerebertus annos viginti quatuor. Ei ſucceſſit Armonius ex Abbate Theologienſi, ſedítque annos duodecim, vt obſeruat Waſburgius [b]. Auitus, teſte Auctore coætaneo in vita [c] ſancti Boniti, Diœceſim Aruernicam rexit *ter quinis ferè amplius annis*, id eſt, tribus luſtris, quæ annos quindecim conficiunt, non integris, ad Deum enim migrauit duodecimo Kalendas Februarij, cùm annum in Pontificatu decimum-quintum abſolueret. Illo die celebratur in Breuiario & Miſſali Claromontano. Sepultus fuit in Eccleſia ſancti Venerandi, deinde tranſlatus ad proximam ſancti Illidij Baſilicam. Lege Sauaronem. Eo Pontifice, in finibus Epiſcopatuum Aruernenſis ac Lemouicenſis feliciter ex hac vita deceſſit Gonſaldus inſignis Anachoreta, de quo ſic Auctor Martyrologij Gallicani Nonis Nouembris. *In Aquitania, ſancti Gonſaldi Anachoretæ. Qui vernanti in ætate ad B. Benignum Aruernorum Epiſcopum ob celebritatem ſancti nominis profectus, ſub eius magiſterio deuoti Chriſto famulatûs rudimenta didicit ac peregit. Hócque à beato Præſule diuinis moribus informatus, cùm prorſus cæleſtia ſpiraret, ne terrenis aſpectibus vel affectibus inficeretur, ſe vulgari hominum conſortio ſubducens, tranſtulit ad aſperrimum termini Lemouicenſis montem, quem fulgore ſuæ ſanctitatis repletum, proprio demum nomine, quo & hodie cenſetur, inſigniuit. Illic enim abſtractus ab omni mundi contagio, ſeſe totum ad diuina erexit, ſedulo pietatis cultu Chriſto ſeruiens, donec ieiuniis, vigiliis, orationibus ſanctiſque aliis quibuſque exercitationibus confectus, victor de carne ac dæmone, quocum frequenter aperto Marte conflixit, ad coronam ſtrenuis ſpei Chriſtianæ pugilibus repoſitam ouans euolauit. circiter tempora ſancti Agathonis Papæ & Theodorici I. Francorum Regis.*

[b] Lib. 2.
[c] Ap. Bolland. d. 15. Ian.

ARVERNENSES.

GONSALDVS ANACHORETA.

EPISCOPI ANICIENSES.

Sanctus Benignus non Aruernorum ſed Anicienſium Epiſcoporum Catalogo inſcribi debet. Adminiſtrabat Anicienſem Diœceſim medio ſeptimo ſeculo, cùm Martinus Papa Romæ ſedebat. Ei ſucceſſit beatus Agrippanus, tum Dulcidius qui creditur ad initium octaui ſeculi perueniſſe. Præſules Aruernorum illis temporibus hi fuerunt. Progolus Epiſcopus erat Aruernorum anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo, cùm Martinus Papa Pontificatum obtinere cœpit. Progolum ſecuti ſunt, ſanctus Geneſius, Felix, Gairoaldus, ſanctus Praiectus, ſanctus Auitus. Hic Aruernenſi Cathedræ inſedit annis ferè quindecim, ordinatus fuit Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, migrauítque in cælum duodecimo Kalendas Februarias, anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo. Geſſit igitur Epiſcopatum regnante Theodorico Tertio, qui Regnum poſt fratrem Childericum Secundum ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum tenuit, & Theodoricus Primus appellatur à Sauſſaio & aliis pleriſque, qui minùs accuratè de rebus Francicis ſcribunt, Regibus Francorum eos duntaxat, quibus Lutetia paruit, accenſendos rati. Vt autem totus Epiſcopatus Auiti cum Principatu Theodorici Tertij, ſic & cum eodem Epiſcopatu Auiti coincidit totus Pontificatus Agathonis Papæ, qui ſedere cœpit anno Chriſti DCLXXIX. mortuúſque eſt anno Chriſti DCLXXXII.

ARVERNENSES.

Auitus

Digitized by Google

Auitus ægrotus obtinuit à Theodorico Rege, vt Bonitus frater, de quo mentionem ſæpè fecimus, in Epiſcopatum Aruernenſem ſibi ſuccederet. *Languore correptus, ad extremum vſque eſt deductus, cernénſque ſuæ migrationis imminere diem, diuino afflatus Spiritu, acceptóque conſilio, ſibi Eccleſiâ concordante, virum Dei*, nempe Bonitum fratrem ſuum *ſibimet ſucceſſorem, ſuæque Sedis digniſſimum indicat Sacerdotem. Eodem tempore ſub Theoderico Principe Pippinus Regni Primatum tenens, atque curam Palatij gerens, cunctáque gubernacula ſuo diſponebantur arbitrio. Cúmque vir Dei ſupradictus germanus eius relationem pro auctoritate adipiſcenda Regia direxiſſet, & illi ei petitionem ſibi commiſſam peroraſſent; ita fauente Domino cuncta proſpera meruerunt, vt ex Regio iuſſu eiúſque Præcepto idem roboraretur conſenſus. Domino enim Princeps hæc imperante peregit, qui Eccleſiæ ſuæ profuturum Paſtorem atque aduersùs rabiem immanis belluæ defenſorem parabat. Vnde negare non valuit quia ſcriptum eſt. [Cor Regis in manu Dei.] Qui cum gaudio regreſſi, vota ſua ad effectum cum magna alacritate perduxerunt, & Præſulatûs Cathedrâ beatum virum ſublimarunt ſumma cum gratia & lætitia cunctorum.* Hæc Auctor coætaneus in vita ſancti Boniti. Quamuis autem idem Bonitus poſteà iudicarit hanc electionem ſacris legibus & ſancitæ à Patribus diſciplinæ non ſatis conſentaneam, séque Pontificatu abdicarit vt ſuo loco dicemus, certum eſt Auitum, quòd *diuino afflatus Spiritu* id egerit, in illa ſucceſſoris deſignatione nihil noxæ admiſiſſe.

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16. VII. BONITVS FIT EPISC. ARVERN.

VIII. Qualem ſe Bonitus in Epiſcopatu geſſerit, Author vitæ, qui ſe coætaneum imò teſtem oculatum ſatis prodit his verbis mox recitandis, *cognouimus* & *ingreſſi ſumus*, ita deſcribit. *Suſcepto Epiſcopatu non ſe arbitratus eſt ſuſcepiſſe honorem ſed onera, vnde ſui curſûs augmentauit laborem, in ieiuniis videlicet & vigiliis perſiſtens atque pernoctans, necnon lectioni ſilentióque, ac remotis, maximéque Quadrageſimæ tempore, ita ſtudens vt non ſolùm Sacerdotem digniſſimum crederes, ſed & monaſticam vitam degere dignè prædicares. Biduo triduóque metam explebat ieiunij, nonnumquam verò quatriduanum eum agere cognouimus. Quodam tempore cùm nimio caloris æſtu fatigari Sacerdos cerneret populum, itaut magnorum fluminum aluei ſiccitatis ſqualore torrerentur, vir Dei hoc cernens, & ſuæ formidans ciuitatis periculum, velut bonus Paſtor ſui gregis ab Omnipotente Domino depoſcit remedium. Exinde monens, vt more Niniuitarum omnes ad Eccleſiam conuenientes, & iuxta quod vnicuique virtus valebat, aut tridui biduíue ieiunium peragentes, Domini miſericordiam ſupplices exorarent, qui verò neutrum cauſâ fragilitatis valebant explere decretum, in pane & aqua vel tantùm vſque Solis occubitum cum cordis contritione ieiunium explerent, in tantùm eius fidei fauens extitit diuina clementia, vt cùm iuxta morem Eccleſiæ crux foras egrediens, & eam manu Dei Sacerdos geſtaret, nec mora, vbi beati Leuitæ & Martyris Laurentij Eccleſiam ingreſſi ſumus, & ibi quæ Dei ſunt peregiſſet Sacerdos, ſubitò pernici curſu, flante Auſtro, aëris ſerenitatem nubium conglobatio texit. Quid dicam? Eâdem nocte in tantùm aquarum ſunt onere ponderatæ viæ, vt ex imbrium inundatione vix aliâ die Dei Sacerdos cum plebe valeret recedere. Qui cùm tanta difficultatis ſui itineris vidiſſet obſtacula, Sacerdotum ſibi adſtantium fidei conſtantiam pius explorator aggreditur. Quid, inquit, vobis videtur? En adſpicitis quòd difficilis nobis præ imbre extat egreſſus. Nonnulli inquiunt. Melius eſt nobis abſque labore intra Eccleſiæ ambitum cum pſallentium modulatione contineri, quàm tantæ effuſionis vim ſubire. Tunc conuerſus ad reuerentiſſimum Bobonem atque venerabilem Magnilocenſis * Monaſterij Abbatem, ait ad eum. Tu quidem, inquit, conſilium euidenti aſſertione exprome. At ille, vt ei ſemper moris erat, conſtantiſſimè intulit dicens. Etſi tanta Domini nobis non merentibus miſericordia ſubuenit, non ſolùm nos oportet in cœptis perſiſtere, ſed noſtrum magis ampliare laborem. Vir autem ſanctiſſimus, gauiſus quòd ſibi congruens deprompſiſſet conſilium, magis ac magis plebem, tam ipſe quàm etiam per eumdem virum, vt perſeueranter agerent admonere inſtantiùs ſtudebat. Ipſe verò iuxta morem quatridui ieiunio in oratione pernoctans humillimus atque abiectus peregit. Lacrymarum ei gratia in ſacro non*

* *Manlieu.*

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

deerat officio, ita vt amphibali ſummitas, quâ caput tegebatur, ex profuſione earum madida videretur. Sed inter hæc erat Dei Sacerdos peregrinorum lætus ſæpiſſimè conuiua, & iuxta Apoſtolum, non præponebat pauperi diuitem, neque aureum habentem annulum, ſed præponebat ſordidam veſtem geſtantem. A largitate verò eleemoſynæ, quantùm in ipſo erat, nullum vacuum à ſe ire ſinebat. Sacerdotum fratrúmque flagrans amore, Canonum ſæpè per collationem Presbyteris normam tradebat, & vt caſtè dignéque viuerent crebriùs admonebat. Plebi reliquæ per dignos Sacerdotes declamando prædicabat, vt timerent ſupplicium, ad cæleſtem

ABBATES MAGNILOCENSES.

patriam anhelarent. Bobo Abbas Magnilocenſis, cuius hîc mentio fit, Euodio illius loci primo Abbati ſucceſſit, & anteceſſit Adelphium, cuius hortatu vita Sancti Boniti ſcripta fuit ab Auctore coætaneo.

TILLO CHARVS BONITO EP.

Fuit & Bonito Epiſcopo percharus Tillo ſeu Paulus, qui regimine Solemniacenſis Monaſterij ſponte abdicato penetrarat ad fines Aruernorum, vbi ab obitu S. Eligij ſolitariam primùm, deinde Cœnobiticam vitam egerat, Monachis *ad tricenum numerum* congregatis, extructóque Monaſterio, quod *Braggecte* nuncupauit, vt fuſiùs enarrat Auctor vitæ [a]. Vtrùm poſterioris huiuſce Monaſterij, priuſquàm Sollemniacum repeteret, Abbas quoque fuerit, haud palàm eſt. Videtur Abbatis munus obiiſſe, abſtinuiſſe nomine.

ITEM MENELEVS ABB. MENATENSIS.

Fuit etiam percharus Bonito Meneleus Abbas Menatenſis in Aruernia, de quo fuſiùs ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum diſſeremus.

IX. In Chronico Epiſcoporum Traiectenſium ad Moſam ſeu Leodienſium, quod Ægidius Bucherius à Baptiſmo Clodouei Magni ad annum vſque Chriſti milleſimum duodequinquageſimum texuit, obitus ſancti Trudonis refertur hoc anno, nono Kalendas Decembris, cùm annos quinque ac ſexaginta vixiſſet. Huic opinioni ſuffragatur Aubertus Miræus in Faſtorum Belgicorum Anacephalæoſi Chronologica. Nec ab ea computatione diſcrepat Theodoricus Abbas, dum eum obiiſſe tradit [b] *nono Calendas Decembris, Romæ octuageſimo-quinto Papâ Sergio, Traiecti præſidente Sancto Lamberto, Francis dominante Theodorico, illuſtris Reginæ Bathildis filio.*

SANCTI TRVDONIS OBITVS,

Eius ſepulturam ita deſcribit Donatus. *Tulerunt autem diſcipuli eius corpus venerabilis Patris feretro imponentes cum canticis & hymnis ſpiritualibus thuribuliſque & thymiamatibus in Eccleſiam quam ipſe ædificauerat in honore Sancti Quintini Martyris & Sancti Remigij Confeſſoris, in qua illi honorificè locum ſepulturæ parauerant. Cùm ergo tempus adeſſet quo pretioſum corpus flentibus cunctis qui aderant ſepulturæ traderetur, inenarrabilis ſuauitatis odor illam Eccleſiam cum denſiſſima nube repleuit, quæ etiam per vnius ferè horæ ſpatium perdurauit.* Colitur in Tabulis Eccleſiaſticis nono Kalendas Decembris. Multis poſt obitum miraculis inclaruit, & ægris in dies ad eius tumulum concurrentibus factum eſt paulatim, vt incolarum augeretur numerus & opulentia, tenuíſque vicus poſito antiquo Sarchinij nomine in claram vrbem euaderet ex viro Sancto Trudonopolim appellatam.

X. MONASTERIA,

Præter Sarchinienſe Monaſterium, quod in Epiſcopatu Traiectenſi poſitum erat, aliud in Diœceſi Tornacenſi, prope Brugas, vbi cœtus octoginta Monachorum floruit, ab eodem Trudone conſtructum ac reditibus dotatum legitur, quod à ſitu loci Brugenſe non immeritò vocaueris. Sors vtriuſque non eadem fuit. Brugenſe, vt Antonius Sanderus libro [c] ſecundo rerum Brugenſium in Flandria Illuſtrata teſtatur, *tempore Danicæ ac Nortmannicæ depopulationis, barbarico furore euerſum, originem dedit duobus Abbatialibus Cœnobiis Eechouttenſi ſcilicet virorum & Trudonenſi virginum, ex reliquiis & bonis prioris Monaſterij, temporis ſucceſſu, excitatis.* Abbatum, qui priori eidem Cœnobio ante Nortmannorum irruptionem præfuerunt, interciderunt nomina. Stat autem etiamnum Sarchinienſe Monaſterium, & Abbates illius loci à primo conditu ad noſtram vſque ætatem vitæ ſancti Trudonis in floribus Eccleſiæ Leodienſis à Bartholomæo Fiſeno ſubiunguntur.

SVCCESSORES,

Ex illo Catalogo ſufficiet hoc loco notaſſe, quòd Nomenclator beatum

a Ap. Bolland. d. 7. Ian.

b Ap. Sur. d. 23. Nou.

c Cap. 9.

Digitized by Google

AN. CH. 689.

THEODOR. III. R. 16.

Trudonem agnoſcit Sarchinienſis Cœnobij primum auctorem rectorémque ſanctiſſimum, eíque ſubrogat Lotharium, qui nomine Præpoſiti contentus illud Monaſterium ad annum vſque ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum gubernauit, tum Grimonem, qui auctus fuit Abbatis dignitate & viuebat adhuc anno Chriſti quadrageſimo-quinto ſupra ſeptingenteſimum.

XI. Sub ſancti Trudonis & Lotharij Præpoſiti diſciplina per multos annos apud Sarchinium vixit, qui poſteà in Arduenna ſylua Monaſterium Andainenſe conſtruxit Beregiſus, vt ſuo loco dicturi ſumus. Hunc vtriuſque Monaſterij monumenta natum tradunt in vico, cui nomen Spangium in Condruſto ſiue in Prouincia Condruſorum. Cæſar [a] Condruſos agnoſcit *de gente ac numero Germanorum, qui ſunt inter Eburones Treuiróſque*. Condruſorum territorium à poſteris Conduſtrum & Conduſtrium appellatum. Illius regionis vrbes nunc primariæ, Cinacum, Dionantum & Huyum. Spangium, vbi natus Beregiſus, hodie ignotum eſt. De Beregiſi patre nihil ad nos peruenit, matri nomen Berilla. Lege Molanum [b] in Natalibus Sanctorum Belgij & Fiſenum [c] in floribus Eccleſiæ Leodienſis.

[a] Lib. 6. de bell. Gall.

BEREGISI PATRIA ET PARENTES.

[b] d. 2. Oct.

[c] d. 2. Oct.

XII. Hæc tempora videtur attigiſſe Deſiderius Abbas Ruiriacenſis, qui Monaſticen in Longoretenſi Monaſterio ſub Abbate ſancto Sigiranno didicerat. Apud Menardum [d] dicitur claruiſſe *ſub Dagoberto, Clodoueo Secundo & eius filiis*. Sed abradendum eſt nomen Dagoberti, quia Deſiderius adhuc adoleſcens erat cùm ad beatum Sigirannum ſe contulit, & prima Longoretenſis Cœnobij fundamenta ſub Clodoueo Secundo iacta ſunt. Hiſce obſeruationibus facilè inducimur, vt credamus ſanctum Deſiderium obiiſſe ſub Pontificatu Agoſeni & Principatu Theodorici. *Cùm iam meta laborum adeſſet, paucis diebus antequàm moreretur, vt ipſe fratribus narrauit, ei viſi ſunt ſanctus Ioannes Baptiſta & ſanctus Paulus Apoſtolus, qui eum ad ſempiternam illam nullíſque ſeculis intermorituram gloriam inuitantes, & coronam cæleſtibus margaritis rutilantem prætendentes dixerunt hac coronâ eum in Regno Dei eſſe donandum. Imminente obitu conuocatos diſcipulos ad mutuam charitatem & Regulæ obſeruantiam adhortatus eſt, & decimoquarto Kalendas Nouembris ex hoc mundi cæno ad cælum traductus eſt. A ſuis ſepultus eſt in Baſilica ſanctæ Mariæ eiuſdem Cœnobij*, nempe Ruiriacenſis in Diœceſi Biturica. Hæc Menardus ex monumentis Monaſterij, quod olim Longoreti, hodie ſancti Sigiranni nomen gerit. Vt autem beatum Sigirannum ex albo Monachorum Benedictinorum expunximus, ſic & ſanctum Deſiderium eius diſcipulum ex eodem Catalogo delendum arbitramur.

[d] Lib. 2. obſeru. d. 19. Oct.

DESIDERIVS ABB. RVIRIACENSIS.

XIII. Sancti Firmini Ambianenſis quondam Epiſcopi ac Martyris Inuentionem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo retulimus, quia illo anno Idus Ianuariæ in diem Dominicum inciderunt, pari ratione ſancti Firmini Ambianenſis quondam Epiſcopi ac Confeſſoris Tranſlationem, quia quarto eaſdem Idus facta eſt, conſignandam putamus hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, qui literâ Dominicali C præditus fuit. Sanctus Firminus Confeſſor patrem habuit Fauſtinum, quem ſanctus Firminus Martyr baptizauit. Hinc coniicere licet quonam tempore ſederit. Eius memoria Kalendis Septembris à Molano in additionibus ad Vſuardum ita commendatur. *Ambianis, tranſitus ſancti Firmini Epiſcopi & Confeſſoris*. Eius Tranſlatio notatur quarto Idus Ianuarias in Martyrologio Gallicano, pertinétque ad Pontificatum beati Saluij in cuius vita hæc leguntur [e]. *Sed & ſanctos Dei, Firminum Epiſcopum & Confeſſorem, Aceum quoque & Aceolum Martyres Chriſti, in crypta orientali verenter condidit, & decenter exornauit*. Saluius duas Ambiani Baſilicas erexit, alteram nomine Principum Apoſtolorum, in qua reliquias ſancti Firmini Confeſſoris collocauit, vnde & illa ſancti Firmini nomen accepit, alteram beatiſſimæ Virginis, in qua poſuit corpus ſancti Firmini Martyris. Vetus enim Breuiarium Ambianenſe quarto Kalendas Nouembris hæc habet in feſto ſancti Saluij. *Duas Ambiani Baſi-*

TRANSLATIO S. FIRMINI CONFESSORIS EP. AMBIANENSIS.

[e] Ap. Bolland. d. 11. Ian.

Digitized by Google

licas conſtruxit; alteram nomine ſanctorum Petri & Pauli, quæ nunc ſancti Firmini Confeſſoris dicitur, alteram ſanctæ Mariæ Virginis, in quam beati Firmini Martyris corpus ſuo tempore inuentum tranſtulit. Sanctorum Acei ſiue Acij & Aceoli ſiue Acioli, quorum mentio fit in vita ſancti Saluij, celebris eſt memoria Kalendis Maiis apud Molanum in additionibus ad Vſuardum. *Ambianis, beatorum Martyrum Acij & Acioli, qui religioſis fulgent miraculis.*

XIV. SALVIVS EPISC. AMBIAN. MIRACVLIS CLARET,

In vita ſancti Saluij ſequuntur nonnulla de Mummolo Patritio, quæ pertinent ad vitam ſancti Saluij Albigenſis, vt monuimus ſuprà. Subiiciuntur inſignia miracula. Saluius, cùm ſuam Diœceſim viſitationis gratiâ peragraget, cæcum à parentibus oblatum Crucis ſignaculo mox illuminauit. Guadonis nobiliſſimi viri filiam energumenam, vxorem paralyticam priſtinæ ſanitati reſtituit, & in tanti beneficij memoriam à Guadone villam nomine Vicitatum, quæ quinque millibus ab vrbe Ambianenſi diſtabat, accepit *perpetualiter poſſidendam, vbi etiam Eccleſiam conſtruxit.* Puerulum quoque ſurdum ac mutum ſanauit baptizauítque. *Factum eſt autem, vt per aliquot dies vi febrium teneretur, quâ ingraueſcente tota penè ciuitas dæmonum inſtinctu igne cremabatur, hac de re populi ad eum confluebant orantes ſe iuuari, qui tribuens eis ſudarium ſuum iuſſit igni opponi, ad cuius præceptum ignis confeſtim extinguitur, ciuitas ſaluatur, nociua dæmonum poteſtas effugatur.* Hoc poſtremum miraculorum fuit, *nam tali cum gloria*, vt Auctor vitæ proſequitur, *beati Confeſſoris Chriſti Saluij felix anima carneâ mole* v. *Kal. Nouembris ſoluta, Sanctorúmque choris in cælo eſt ſociata.* Poſtridie feſtum agunt Ambianenſes, quia quinto Kalendas Nouembres memoria beatiſſimorum Apoſtolorum Simonis & Iudæ celebratur.

MORITVR.

XV. SVCCEDIT THEODEFRIDVS EX ABBATE CORBEIENSI.

Sanctum Saluium exiſtimamus ad Deum hoc anno migraſſe, quia ſucceſſit ei Theodefridus ex Abbate Corbeienſi, Monaſteriúmque Corbeienſe poſt Theodefridum rexit Abbas Chrodegarius, cui mortuo ſubrogatus eſt Erembertus ſuffragante Theodorico Rege, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum ſecundum incidit. Hæc autem probantur ex Regio Diplomate, quod alio loco recitabimus integrum. *De ſacroſancto Monaſterio nuncupato Corbeia in pago Ambianenſe conſtructo*, inquit Theodoricus Rex, *ad Regalem noſtram præſentiam Monachi & viri Dei venientes, Serenitatis noſtræ Clementiæ auribus ſuggeſſerunt, vt dum & venerabilis vir Chrodegarius Abba, ſecundùm conſuetudinem humanæ fragilitatis, de hac luce ad Dominum migraſſe dignoſcitur, quem Apoſtolicus vir Dominus & Pater noſter Theodefredus Epiſcopus, dum & ille onus Pontificale meruit accipere, per noſtram voluntatem & Præceptionem ad regendum ac dominandum Monaſterio ſupraſcripto conſtituit, cum relatione & conſenſu totius Congregationis ipſius Monaſterij petierunt, vt liceret eis ſecundùm eorum electionem, & ſecundùm ſanctum Priuilegium, quod ſuprà loco ſancto ex Regali munificentia & Sacerdotum conceſſione indultum eſt, de ſemetipſis eligere Rectorem. Et dum eorum petitio noſtræ Serenitati congrua eſſe & rationabilis in omnibus videretur, venerabilem virum Erembertum, qui in ipſo Monaſterio fuit nutritus, ipſi homines cum voluntate ſupradicti Pontificis Domni Theodefredi Epiſcopi elegerunt*, &c. Hæc verba, *cum voluntate ſupradicti Pontificis Domni Theodefredi Epiſcopi*, innuunt Theodofridum Ambianenſem Epiſcopum fuiſſe, eóſque falli, qui vel illum expungunt è catalogo Ambianenſium Antiſtitum, vel accenſent Epiſcopis Albigenſibus. Quid enim neceſſe fuit, vt ad electionem Abbatis, qui Corbeiæ in ſecunda prouincia Belgica Diœceſíque Ambianenſi præeſſet, accederet ex remotiſſimis Aquitaniæ primæ partibus ſuffragium Albigenſis Epiſcopi? Trithemius in viris illuſtribus [a] Ordinis ſancti Benedicti Theodofridum Epiſcopum Albianenſem dixit. Wion qui Ambianenſem reſtituere debuerat, in ligno [b] vitæ interpretatus eſt Albigenſem. Inde factum eſt vt Chenutius & Robertus locum illi dederint inter Epiſcopos Albigenſes, nec ab ea ſententia receſſerint Ferrarius [c], Sauſſaius [c] & Bollandus [c]. Hic meritò redarguit Chenutium & Robertum,

a Lib. 4. c. 109.

b Lib. 2. c. 37.

c c c d. 26. Ian.

Digitized by Google

quòd eundem Theodofridum in Epiſcopatu Albigenſi proximum Sancti Saluij ſucceſſorem conſtituerint. Nam Gregorius Turonenſis [a], cui fides haberi debet, ad annum Childeberti decimum, Guntchramni viceſimum-quartum, id eſt, Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum Sancto Saluio Deſideratum ſubrogauit hoc modo. *Poſt obitum Sancti Saluij hoc anno Deſideratus Albigenſibus Epiſcopus datus eſt.* Deinde Conſtantius Albigenſis Pontifex teſte Flodoardo [b] ſubſcripſit Concilio Remenſi, quod habitum eſt anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto, cùm nondum condita eſſet Corbeia, cui primus Abbas præfuit Theodofridus ex Monacho Luxouienſi. Meliùs Sammarthani Theodofridum Eccleſiæ Ambianenſi reſtituunt, eúmque ſcribunt immediatè ſucceſſiſſe Sancto Saluio, cuius obitum hoc anno conſignauimus.

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

a L. 8. c. 22. b L. 2. c. 5.

XVI. Sanctus Saluius obiit Ambiani, ſepultúſque fuit in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis quam conſtruxerat. Eius reliquiæ multis pòſt annis ad vicum Monaſteriolum tranſlatæ ſunt. Sic enim ſcribit Auctor vitæ. *Beati Confeſſoris Chriſti Saluij felix anima carneâ mole v. Kal. Nouembris ſoluta, Sanctorúmque choris in cælo eſt ſociata. Corpus verò eius in Eccleſia beatæ Virginis Mariæ eſt conditum. Sed creſcente deuotione fidelium, multorum iam curriculis annorum labentibus, Monaſteriolo vico tranſlatum, ibíque digno cum honore claris coruſcantibus ſignis decenter eſt exornatum, vbi meritis eius obtinentibus beneficia conſequuntur.* Hugo Menardus, cuius obſeruationes ad Martyrologium Benedictinum in lucem anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vndetriceſimo prodierunt, Sancti Saluij reliquias aſſeruari teſtatur à Monachis Monaſteriolenſibus in capſa bracteis argenteis obducta. Tranſlationem illam exiſtimamus factam temporibus Heligaudi ſiue Helgoti, qui medio nono ſeculo Pagos ſeu Comitatus, Ambianicum, Pontiuenſem, Bononienſem, Teruannenſem, Thurnhemicum & Lenſenſem rexit, & vt Nortmannorum incurſiones reprimeret, excisis dumis in finibus pagi Bononienſis erexit oppidulum, quod egregiè muniuit, ornauítque poſteà Monaſterio, vnde loco nomen Monaſteriolum, & Cœnobio propter Sancti Saluij reliquias Sanctus Saluius * de Monaſteriolo. Anonymus igitur, qui vitam Sancti Saluij ſcripſit, prædictæque Tranſlationis meminit, ab eiuſdem Saluij ætate procul abfuit, ideóque facilè lapſus eſt in eos quos redarguimus errores, & vitæ Sancti Saluij Ambianenſis nonnulla ex Actis Sancti Saluij Albigenſis inſeruit. Ab eadem Saluij Ambianenſis ætate remotiores erant ij, qui Sanctum Saluium Cœnobij Monaſteriolenſis Abbatem dixerunt, & hoc Cœnobium coniectarunt illud eſſe Monaſterium, quod idem Saluius, priuſquàm mundum eiuraret, ſub titulo Sanctæ Mariæ Virginis ac Principis Apoſtolorum, conſtruxit dotauítque. Piiſſimus hic Antiſtes nomen Saluij meritò geſſit, ærumnoſis enim grande fuit & ſalutare perfugium. Quibus luxata membra, quóſque ſana mens deſtituerat, ab eo indubitatam opem perceperunt teſte Malbranco [c].

* *Saint Sauue de Montreuil.*

c L. 5. c. 5.

XVII. Airardus Carnotenſis Epiſcopus, cuius mentionem ad annum præcedentem in Synodo Rotomagenſi fecimus, obiit hoc anno, ſedit enim annos duntaxat quatuor, vt Nomenclatores [d] tradunt, quibus Haigrandus eſt & Hilgradus. Succeſſit in Epiſcopatum Agathius, quem iidem Nomenclatores Pontificatum annis ſeptem, Sammarthani anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio tenuiſſe teſtantur.

d Democh. Rolliard. Chenut. EPISCOPI CARNOT.

XVIII. Illis temporibus, dum Pippinus Alpaidem vxorem ſuperinductam deperibat, Plectrudis coniux legitima morabatur apud Coloniam in Capitolio ſeu Palatio Agrippinenſi, vbi inſigne Monaſterium virginum in honorem ſanctiſſimæ matris Dei condidit, atque ampliſſimis muneribus auxit & dotauit. Illic religioſè piéque vixit cum Noitburge nepte ſua ex ſorore, donec à Pippino ad meliorem frugem conuerſo reuocata eſt. Non deſunt Scriptores rerum Brabanticarum, qui Noitburgem Pippini Maioris-

PLECTRVDIS MON. B. MARIÆ CONDIT COLONIÆ, IBIQVE VIVIT CVM NEPTE NOITBVRGE.

AN. CH. 689. THEODOR. III. R. 16.

domûs ac Plectrudis filiam vocent. In eorum numer ſunto Hadrianus Barlandus [a] & Petrus Diuæus [b]. At ea Plectrudem non matrem ſed materteram habuit, vt ex manuſcripto Codice refert Surius [c], &, teſte Molano [d], *propriæ Eccleſiæ, quæ Natalem eius celebrant, affirmant claruiſſe Coloniæ in Monaſterio beatæ Mariæ, quod Plectrudis non mater, ſed matertera conſtruxit.* Pippinus ex Plectrude præter Drogonem & Grimoaldum filios, quos veteres Annaliſtæ commemorant, nihil prolis ſuſcepit.

[a] Cap. 3. [b] Lib. 3. [c] D. 31. Oct. [d] D. 31. Oct.

XIX. Ægidius Gelenius libro tertio [e] de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine, vbi agit de Eccleſia Collegiata beatæ Mariæ Virginis in Capitolio Agrippinenſi, laudat Plectrudem, quòd de mariti ſalute deſperans, conuaſatis theſauris, à conſortio aulæ recedens, Agrippinenſe Capitolium, habitationem & palatium Maiorum-domûs apud Auſtraſios, in Aſceterium Chriſtianarum virginum commutarit, vt cùm ope non poſſet, votis alienis reatum Pippini coniugis expiaret, additque eam rem in tabulario Capitolino his verſibus exprimi, qui næuo non carent, dum Plectrudem Reginam vocant longè magnificentiori quàm par eſt titulo.

[e] Syntagm. 9.

Plectrudis Regina dolens, animúmque reſumens,
Sat cautè geſſit, gazis habitíſque receſſit,
Pergit Agrippinam, diſponendo libitinam,
Mundum deſpexit, Dominóque fidelis adhæſit,
Ac inibi clauſtrum ſtatuens multùm pretioſum,
Hócque puellarum titulando, Roſámque Roſarum,
Eligit ipſa piam Patronam ritè Mariam,
Prædia multa parat, clauſtro magnalia donat,
Hæc circumſpexit, per ſingula ſtrenua rexit.

XX. ROLANDVS ABB. S. VINCENTII CENOMANENSIS.

In Hiſtoriali Compendio manuſcripto Abbatiæ ſancti Vincentij Cenomanenſis, quod Tomo ſuperiore iam citauimus, Rolandus illius Monaſterij poſt Goſcelinum Abbas hoc anno commemoratur.

---

690. THEODOR. III. R. 17.

ANNVS CHRISTI 690.

THEODORICI III. R. 17. 10.

I. ANGLI XII.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, duodecim Angli, qui ſub Egberto Preſbytero Monaſticam vitam in Hibernia non exiguo tempore egerant, ab eodem Egberto ex Hibernia in Friſiam miſſi ſunt. Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ multa comminiſcitur, Egbertum fingit Archiepiſcopum Eboracenſem, & ab eo non ex Hibernia ſed ex Anglia directos vult diuini verbi præcones, qui Friſiis Euangelium ſtrenuè prædicarent. Sed his refragatur Beda mox citandus. Pippinus, ſi Vbboni Emmio [f] fides eſt, citeriore Friſiâ Franciæ adiectâ Radbodóque trans Fleuum ſubmoto, ſtatim nuncios in Angliam direxit, & ab Egberto eximiæ pietatis viro petiit doctores, qui erudiendæ Friſiorum genti atque à dæmonum cultu abducendæ præfici poſſent. Angliæ loco Hiberniam ſi reponas, ad verum propiùs accedet hæc nuperi Scriptoris ratiocinatio, quæ Pippini Francorúmque gloriæ plurimùm conducit, explodenda tamen, quia Beda, cùm de duodecim viris ab Egberto in Friſiam miſſis ſermonem inſtituit, legationis à Pippino præmiſſæ nullam mentionem facit, imò eos, vt iuſſi fuerant, in Friſiam primùm adueniſſe teſtatur, id eſt, in eam Friſiæ partem, quæ Radbodo Regi parebat, vnde poſteà diuertentes ad Pippinum, gratanter ab eo ſuſcepti ſunt, directíque in Friſiam citeriorem, quam eidem Radbodo nuper eripuerat.

[f] L. 4. rer. Friſic.

Digitized by Google

Beda, non tantùm exſpatiatus eſt in virtutes ſancti Egberti, ſed & ſtudium commendauit quo ferebatur, vt gentes Germanicas, adhuc gentilibus erroribus occæcatas, Euangelij luce illuſtraret, déque Wigberto primùm, tum de Willebrordo ad Friſones miſſo ſic ſcripſit [a]. *Eo tempore venerabilis & cum omni honorificentia nominandus famulus Chriſti & Sacerdos Ecgbertus, quem in Hybernia Inſula peregrinam ducere vitam pro adipiſcenda in cælis patria retulimus, propoſuit animo pluribus prodeſſe, id eſt, inito opere Apoſtolico verbum Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant, gentibus euangelizando committere. Quarum in Germania plurimas nouerat eſſe nationes, à quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxiſſe noſcuntur, vnde hactenus à vicina gente Britonum corruptè Germani nuncupantur. Sunt autem Freſones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boruchtuarij. Sunt etiam alij plures iiſdem in partibus populi, paganis adhuc ritibus ſeruientes, ad quos venire præfatus Chriſti miles circumnauigatâ Britanniâ diſpoſuit, ſi quos fortè ex illis ereptos Sathanæ ad Chriſtum transferre valeret. Vel, ſi hoc fieri non poſſet, Romam venire ad videnda atque adoranda beatorum Apoſtolorum ac Martyrum Chriſti limina cogitauit. Sed, ne aliquid horum perficeret, ſuperna illi oracula ſimul & opera reſtiterunt. Siquidem electis ſociis ſtrenuiſſimis, & ad prædicandum verbum idoneis, vtpote actione ſimul & eruditione præclaris, præparatíſque omnibus quæ nauigantibus eſſe neceſſaria videbantur, venit die quadam mane primo ad eum vnus de fratribus, diſcipulus quondam in Britannia, & miniſter Deo dilecti Sacerdotis Boiſili, cùm eſſet idem Boiſil Præpoſitus Monaſterij Mailroenſis ſub Abbate Eata, referens ei viſionem quæ ſibi eâdem nocte apparuiſſet. Cùm expletis (inquiens) Hymnis matutinalibus in lecto membra depoſuiſſem ac leuis mihi ſomnus obrepſiſſet, apparuit magiſter quondam meus & nutritor amantiſſimus Boiſil, interrogauítque me an eum cognoſcere poſſem. Aio. Etiam, tu es enim Boiſil. At ille, Ad hoc, inquit, veni vt reſponſum Domini Saluatoris Ecgberto afferam, quod te tamen referente oportet ad illum venire. Dic ergo illi, quia non valet iter quod propoſuit implere. Dei enim voluntas eſt, vt ad Columbæ Monaſteria magis docenda pergat. Erat autem Columba primus Doctor fidei Chriſtianæ tranſmontanis Pictis ad Aquilonem, primúſque fundator Monaſterij, quod in Hu Inſula multis diu Scottorum Pictorúmque populis venerabile manſit. Qui videlicet Columba nunc à nonnullis, compoſito à cella & Columba nomine, Columcelli vocatur. Audiens autem verba viſionis Ecgbertus præcepit fratri qui retulerat, ne cuiquam hæc alteri referret, ne fortè illuſoria eſſet viſio. Ipſe autem tacitus rem conſiderans veracem eſſe timebat. Nec tamen à parando itinere, quo ad gentes docendas iret, ceſſare volebat. At poſt paucos dies rurſum venit ad eum præfatus frater dicens, quia & eâ nocte ſibi poſt expletas matutinas Boiſil per viſum apparuerit, dicens. Quare tam negligenter ac tepidè dixiſti Ecgberto quæ tibi dicenda præcepi? At nunc vade, & dic illi. Quia velit nolit debet ad Monaſteria Columbæ venire, quia aratra eorum non rectè incedunt, oportet autem eum ad rectum hæc tramitem reuocare. Qui hæc audiens, denuò præcepit fratri, ne hæc cuiquam patefaceret. Ipſe verò tametſi certus eſt factus de viſione, nihilominùs tentauit iter diſpoſitum cum fratribus memoratis incipere. Cúmque iam naui impoſuiſſent quæ tanti itineris neceſſitas poſcebat, atque opportunos aliquot diebus ventos expectarent, facta eſt nocte quadam tam ſæua tempeſtas, quæ perditis nonnullâ ex parte his quæ in naui erant rebus, ipſam in latus iacentem inter vndas relinqueret. Saluata ſunt tamen omnia quæ erant Ecgberti & ſociorum eius. Tum ille quaſi Propheticum illud dicens, quia propter me eſt tempeſtas hæc, ſubtraxit ſe illi profectioni & remanere domi paſſus eſt. At verò vnus de ſociis eius vocabulo Wictbertus, cùm eſſet & ipſo contemptu mundi ac doctrina ſcientiâ inſignis (nam multos annos in Hybernia peregrinus Anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) aſcendit nauem, & Freſiam perueniens, duobus annis continuis genti illi ac Regi illius Radbedo verbum ſalutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros inuenit auditores. Tunc reuerſus ad dilectæ locum peregrinationis, ſolito in ſilentio Domino vacare cœpit, & quoniam externis prodeſſe*

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17. II.

[a] L. 5. cc. 10. 11.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

ad fidem non poterat ſuis ampliùs ex virtutum exemplis prodeſſe curabat. Vt autem vidit vir Domini Ecgbertus, quia nec ipſe ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Wigbertus illas deueniens in partes quicquam proficiebat, tentauit adhuc in opus verbi mittere viros ſanctos & induſtrios, in quibus eximius Wilbrordus Presbyterij gradu & merito præfulgebat. Qui cùm illò aduenissent (erant autem numero duodecim) diuertentes ad Pippinum Ducem Francorum, gratanter ab illo ſuſcepti ſunt, & quia nuper citeriorem Freſiam, expulſo inde Radbedo Rege ceperat, illò eos ad prædicandum miſit, ipſe quoque imperiali auctoritate iubens, ne quis prædicantibus quicquam moleſtiæ inferret, multíſque eos, qui fidem ſuſcipere vellent, beneficiis attollens. Vnde factum eſt opitulante gratiâ diuinâ, vt multos in breui ab idololatria ad fidem conuerterent Chriſti.

III. Apud Auctorem Hiſtoriæ Suibertinæ, capite quinto, cuius initio notatur annus ab Incarnatione Dominica ſexcenteſimus octogeſimus-ſeptimus, narrantur duæ celebres in Friſiam ex Anglia profectiones, vna Wilfridi, altera Wigberti, ſed prior ex Anglia ſuſcepta eſt, poſterior ex Hibernia. Porrò, cùm prædictus annus ad Wilfridum in Friſiam temporibus Adalgiſi Regis profectum referri non poſſit, neceſſe eſt ad Wigbertum referatur. Peruenit igitur in Friſiam Wigbertus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, *genti illi ac Regi illius Radbedo duobus annis continuis*, vt præcitatus Beda loquitur, verbum ſalutis prædicauit, & in Hiberniam ad Egbertum reuerſus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, hoc eſt, eodem anno quo Franci Traiectum cum tota citeriore Friſia ſubegerunt. Radbodus Wigbertum cum Vulfranno & aliis Euangelij prædicatoribus è ſuis ditionibus expulit, quia bellum contra Pippinum gentémque Chriſtianam geſturus timebat præcipuè, ne viri Chriſtiani rituúmque Chriſtianorum doctores tumultus domeſticos in Friſia ſuis concionibus excitarent. Ob infructuoſum Wigberti reditum Egbertus ingemuit plurimùm, ſed animo non cecidit, *tentauit adhuc in opus verbi mittere viros ſanctos & induſtrios, in quibus eximius Wilbrordus Presbyterij gradu & merito præfulgebat.* Hi teſte Bedâ numero fuerunt *duodecim*. Colganus in obſeruationibus ad Acta [a] ſancti Suiberti notat multas alias ſimiles *duodenariorum ſociorum* miſſiones ante & poſt ætatem ſancti Egberti ex Hibernia prodiiſſe, recitátque duodecim ex longè potiori numero, quas conſule ſi lubet.

[a] d. 1. Mart.

IV. Ab Auctore Hiſtoriæ Suibertinæ, duodecim Apoſtolici viri, quos Egbertus in Friſiam direxit, hoc ordine recenſentur. *Fuerunt hi miſſi, Willebrordus, Swibertus, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Winibaldus, Lebuinus, duo Ewaldi, Werenfridus, & ego minimus omnium Marcellinus, qui hanc Hiſtoriam, ſicut & ſancti Willebrordi, conſcripſi. Omnes præfati Presbyteri & Sacerdotes fuerunt, ac ſanctiſſimus Adelbertus Leuita, filius Regis Deirorum, qui pro Chriſto dimittens regale patrimonium, cum prædictis electus à ſancto Egberto, amore Chriſti, peregrinum non recuſauit exilium.* Beda, poſtquàm de Wilbrordi ſociorúmque profectione in Germaniam locutus eſt, addit [b] horum exemplo permotos fuiſſe duos Hewaldos, vt eandem peregrinationem ſimili prædicandæ fidei Chriſtianæ zelo inflammati ſuſciperent. *Horum*, inquit, *ſecuti exempla duo quidam Presbyteri de natione Anglorum, qui in Hybernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciam antiquorum Saxonum, ſi fortè aliquos ibidem prædicando Chriſto acquirere poſſent. Erant autem vnius ambo ſicut deuotionis ſic etiam vocabuli, nam vterque eorum appellabatur Hewaldus, eâ tamen diſtinctione, vt pro diuerſa capillorum ſpecie, vnus niger, alter albus Hewaldus diceretur.* De Lebuino ſeu Liafwino vel Liatwino, quòd multis annis poſt ſancti Willebrordi mortem elapſis, ad Gregorium Vltraiectenſem Epiſcopum ex Anglia venerit, teſtis eſt in vita ſancti Lutgeri vetus Auctor à Chriſtophoro Browero ſub Othelgrini nomine publicatus. *Venit*, inquit, *& alius homo Sanctus, Liafwinus nomine, ex Anglorum gente, Domino vocante, adductus, petiítque*

[b] Lib. 5. c. 11.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

petiítque à Gregorio demonſtrari ſibi locum diuinitus commendatum. Gauiſus ille de diuina clementia direxit eum in confinium Francorum & Saxonum iuxta fluuium Iſalam, ad locum qui dicitur Dauentre *, *dans ei comitem & cooperatorem verbi Dei, ſeruum Domini Marchellum, & ipſum ex Anglorum genere à Sancto Wilbrordo à pueritia enutritum.* Hic autem non alius eſt à Marchelmo ſeu Marcellino, cuius lucubrationem multis interpolationibus mendíſque deprauatam fuiſſe conquerimur. Puer ſanctis inſtructus moribus ac literis imbutus eſt à Willebrordo, ad cuius ſcholam longè poſt Radbodi Regis mortem WItraiectum adductus eſt, vt inferiùs ex eius ætate conſtabit. Acca venit aliquando in partes Friſiæ, & apud Willebrordum commoratus eſt, ſed cùm Wilfrido Antiſtite ſuo, quem in Italiam tunc euntem comitabatur, ſic enim de illo Beda [a]. *Reuerendiſſimus Antiſtes Acca ſolet referre, quia, cùm Romam vadens apud ſanctiſſimum Friſonum gentis Epiſcopum Willibrordum cum ſuo Antiſtite Wilfrido moraretur, crebrò eum audiret*, &c. Idem Beda [b] de Wigberto narrat, quòd cùm genti Friſiorum ac Radbodo Regi verbum ſalutis *duobus annis continuis* prædicaſſet, nec vllum tanti laboris fructum apud barbaros auditores inueniſſet, *tunc reuerſus ad dilectæ locum peregrinationis*, id eſt, in Hiberniam ad Egbertum, *ſolito in ſilentio Domino vacare cœpit, & quoniam externis prodeſſe ad fidem non poterat, ſuis ampliùs ex virtutum exemplis prodeſſe curabat*, illum autem in Friſiam cum Willebrordo rurſus profectum eſſe non prodit. Scimus vnum è Willebrordi ſociis, quem Auctor [c] Hiſtoriæ Suibertinæ Wigbertum appellat, in Foſiteſlandia Inſula Martyrio coronatum fuiſſe, ſed eum Wigberti nomine nemo veterum Scriptorum nuncupauit. Winibaldus & Willibaldus nondum nati erant, cùm Willebrordus ex Hibernia in Friſiam ſoluit. Id ex eorum geſtis patebit infrà. Vtrùm Werenfridus in Germaniam cum Willebrordo venerit, an ſeriùs ad illum acceſſerit, haud liquet. E ſociis igitur vndecim, quos interpolator Marchelmi ſeu Marcellini Willebrordo in Friſiam proficiſcenti tribuit, duo tantùm ſuperſunt, Suibertus Preſbyter & Adalbertus Diaconus, de quibus certò conuenire poſſimus. Nomina ceterorum, qui Willebrordum ex Hibernia ſecuti ſunt, penitus ignorantur.

* Deuenter.

[a] Lib. 3. c. 13.

[b] Lib. 5. c. 10.

[c] Cap. 7.

V. EX HIBERNIA PROFICISCVNTVR IN FRISIAM.

Tempus, quo Willebrordus eiúſque ſocij ex Hibernia in Friſiam transfretarunt, in Hiſtoria Suibertina variis Characteribus inter ſe benè conuenientibus nec reiiciendis ita deſignatur. *Preparatis omnibus, quæ tantis viris neceſſaria videbantur, mox præfati duodecim egregij Dominici gregis arietes, ſupernâ comitante clementiâ, proſpero vento celeriter in Wiltenburg ſiue Traiectum aduehuntur, anno ſcilicet ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo, pontificante Romæ Apoſtolico viro ſancto Sergio Papâ, anno ſuo tertio, imperante piiſſimo Imperatore Iuſtiniano, ac regnante in Anglia Glorioſo Alfrido Rege Nordhumbrorum, qui Catholicas Eccleſiæ regulas ſequi ſemper & amare deſiderabat, Epiſcopante in Eccleſia Colonienſi Aldewino X Epiſcopo eiuſdem Eccleſiæ.* Anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo illigatur annus tertius Sergij Papæ, qui Pontificatum iniit vertente anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo. Ioannis Quinti Papæ temporibus, vt Anaſtaſius ſcribit, Iuſtinianus Auguſtus, defuncto Patre Conſtantino Pogonato, regnare cœpit *initio menſis Septembris, Indictione decimâ-quartâ*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto. Nec aliam Chronologiam init Beda [d], cùm affirmat Ceduallam Occidentalium Saxonum Regem interiiſſe *anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octogeſimo-nono; ſub die duodecimo Calendarum Maiarum; Indictione ſecundâ; imperante Domino Iuſtiniano piiſſimo Auguſto, anno eius Conſulatûs quarto; Pontificatum tenente Apoſtolico viro Domino Sergio Papâ, anno ſecundo.* Pulſus eſt autem in exilium Iuſtinianus, vt Græcorum Annales aſſerunt, anno Imperij ſui decimo, itaut dubium eſſe non poſſit, quin Imperium anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo tenuerit. Eodem anno regnabat apud Nordhumbros Alfridus, nam teſte Bedâ [e] Regnum ſuſcepit anno Chriſti ſexcenteſimo o-

[d] Lib. 5. c. 7.

[e] Lib. 4. c. 26. Lib. 5. c. 19.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

togeſimo-quinto, vitámque clauſit anno Chriſti ſeptingenteſimo-quinto Denique Diœceſim Colonienſem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo regebat Aldewinus Epiſcopus, qui Stephano ante annos decem ſucceſſerat. Inter Epiſcopos autem Colonienſes decimus perperam numerarur, duodecim enim ex iis, qui præceſſere, iam nobis innotuerunt hoc ordine, Maternus, Euphratas, Seuerinus, Euergiſlus, Aquilinus, Simoneus, Charentinus, Ebregiſilus, Remedius, Cunibertus, Bocaldus, Stephanus, Aldewinus. Idcircò textûs ſuprà recitati pars hæc poſtrema, *Epiſcopante in Eccleſia Colonienſi Aldewino X. Epiſcopo eiuſdem Eccleſiæ*, ſic videtur reſtituenda, *Epiſcopante in Eccleſia Colonienſi Aldewino Epiſcopo eiuſdem Eccleſiæ, anno* x. itaut annus Chriſti ſexcenteſimus nonageſimus ſiue annus tertius Sergij Papæ non comparetur cum decimo Epiſcopo Colonienſis Eccleſiæ, ſed cum anno decimo Aldewini Epiſcopi, quem longè plures quàm nouem anteceſſerunt illius ciuitatis Antiſtites. Hæc ad ſtabiliendam Chronologiam. Quæ geſta ſunt in Friſia, nunc exploremus.

VI. ERVDIVNT FRISIOS CITERIORES.

[a] Lib. 5. c. 11.

Audiendus imprimis Beda [a]. *Egbertus tentauit adhuc in opus verbi mittere viros ſanctos & induſtrios, in quibus eximius Wilbrordus Presbyteri gradu & merito præfulgebat. Qui cùm illò*, id eſt, in Friſiam, *aduenissent, (erant autem numero duodecim) diuertentes ad Pippinum Ducem Francorum, gratanter ab illo ſuſcepti ſunt, & quia nuper*, ſiue anno proximè elapſo, *citeriorem Freſiam, expulſo inde Radbedo Rege, ceperat, illò eos ad prædicandum miſit, ipſe quoque imperiali auctoritate iuuens, quis prædicantibus quicquam moleſtiæ inferret, multíſque eos, qui fidem ſuſcipere vellent, beneficiis attollens. Vnde factum eſt opitulante gratiâ diuinâ, vt multos in breui ab idololatria ad fidem conuerterent Chriſti.* Ex illo textu colligimus Willebrordum cum comitibus in Friſiam appuliſſe, id eſt, in vlteriorem Friſiam, quæ penes Radbodum Regem remanſerat, atque inde, cùm nihil proficerent, ad Pippinum diuertiſſe, qui gratanter eos ſuſcepit, & in Friſiam citeriorem, quam nuperrimè ſubegerat, ſtatim direxit proſperrimo ſucceſſu, nam pleroſque regionis incolas ab idolorum cultu reuocarunt. Quapropter quæ ſequuntur ex Hiſtoria Suibertina deſcripta, quadam egent emendatione. *Poſtquàm illò*, nempe in Friſiam, *aduenissent, ordinauerunt & inſtituerunt inter ſe eandem conuerſationem, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Apoſtolis & Diſcipulis Chriſti, in quibus nullus eorum ex his, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia. Intrantes ergo Traiectum* * *& citeriorem Friſiam, vbique conſtanter Chriſtum euangelizabant. Sed parum primò profecerunt, eò quod Friſones eſſent homines indomabiles, duræ ceruicis & barbaræ mentis, magis idolis quàm Chriſto ſeruire gaudentes. Et non ſolùm arroganter aſpernabantur eos & legem Chriſti, ſed atroci morte ipſos opprimere, niſi deſiſterent, minabantur. Quod attendentes ſancti Sacerdotes, ipſis charitatiuè condolentes, deuoto corde precabantur Deum, quatenus gentibus illis, ad quas miſſi erant, tantam gratiam conferre dignaretur, illuminando corda eorum, vt abominatis idolis eorúmque cultu, ſpretis phanorum fatuitatibus & auguriorum fallacioſis blandimentis crederent in eum, ne tam formoſas perſonas inſatiabilis tartarus voraci fauce abſorberet, & in perditionem ſecum traheret.* Quicquid enim vituperij Friſiis hîc attribuitur, id de ſolis incolis vlterioris Friſiæ ſeu de Friſiis vltra Fleuum ſub poteſtate Radbodi degentibus intelligi debet, quibus relictis Willebrordus eiúſque comites Pippinum adierunt, à quo benignè ſuſcepti ſunt directíque protinus in citeriorem Friſiam, ſiue ad Friſios cis Fleuum ſub Theodorici Francorum Regis imperio poſitos, quorum copioſam multitudinem ad Chriſti fidem perduxerunt. Godefridus Henſchenius in Commentario Hiſtorico Geſtorum Suibertinorum [b] diſputat de ſitu Friſiæ citerioris, & an Vltraiectum in ea ſitum fuerit in dubium reuocat, allato textu ex vita ſancti Willebrordi quam Alcuinus conſcripſit. Nomine citerioris Friſiæ, quam Beda Radbodo Regi ademptam teſtatur, exiſtimat vel eas terras comprehendi

* *Vtrech.*

[b] D. 1. Mart.

quæ nunc Hollandiæ Comitatu continentur, vel illum Brabantiæ Geldriæ-que & ciſrhenanæ Cliuiæ tractum qui circa Moſam Vahalímque tenditur, aitque citeriorem Friſiam Gallis fuiſſe, quæ ad Moſam flumen pertingebat, Anglis verò, quæ nunc Hollandia. Vt Hollandiam interpretetur, obſeruat Bedam Anglum fuiſſe ſuámque Hiſtoriam Eccleſiaſticam de gente Anglorum in Anglia exaraſſe; vt tractum Vahali ac Moſæ propinquum intelligat, nullâ fretus probabili coniecturâ de ſuo gratis ſubdit, quòd *fortaſſis Friſones* tractum illum terrarum *Regno Franciæ auulſum tenuerant.* In vtraque opinione Vltraiectum, ſeu Traiectum, vt Beda & Alcuinus vocant, negat ad citeriorem Friſiam & ad Francos pertinuiſſe. In eam rem citat Alcuinum, qui de Willebrordo in Friſiam cum comitibus appulſo ſic in eius vita diſſerit. *Vir Dei cum ſociis nauigauit, donec proſpero curſu ad oſtia Rheni fluminis vela depoſuit, ibíque optatâ telluris ſtatione refocillati ſunt, & mox ad Caſtellum Traiectum, quod in ipſa fluminis ripa ſitum eſt, peruenerunt, in qua etiam poſt aliquod tempus, Deo donante & verbo fidei creſcente, idem ſanctus Willebrordus Sedem Epiſcopatûs ſui habuit. Sed quia eadem gens Friſonum, in qua idem ædificatum eſt Caſtellum, cum Rege ſuo Radbodo paganis adhuc ritibus ſordnit, viſum eſt viro Dei Franciam contendere, ac Ducem illorum adire Pipinum, virum ſtrenuum, triumphis clarum & moribus probum. Qui eum cum omni honore ſuſcipiens, ſed nolens tanto Doctore ſe vel ſuam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni ſui præuidit, quò potuiſſet idololatriæ ſpinas extirpare, & puriſſima verbi Dei ſemina per munda noualia abundantiùs ſpargere, vt impleret Propheticum præceptum.* [*Nouate vobis nonalia, & nolite ſerere ſuper ſpinas.*] Quicquid Alcuinus hoc loco ſcribat, Vltrajectum in citeriore Friſia ſitum erat, pertinebátque ad Regnum Francorum. Id apertè colligitur ex Beda [a], qui de primordiis Eccleſiæ Traiectenſis hæc habet. *Donauit ei*, nempe Willebrordo, *Pipinus locum Cathedræ Epiſcopalis in Caſtello ſuo illuſtri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg, id eſt, oppidum Wiltorum, linguâ autem Gallicâ Traiectum vocatur.* Hæc initia Epiſcopatûs Vltraiectini, vt ex eodem Beda probabimus, ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum referri debent. Atque inde liquet Alcuinum in eo grauiter etiam errare, quod eadem Vltraiectini Pontificatûs exordia in tempora Caroli Martelli poſt Pippini Herſtallij mortem reiicit. Idem Alcuinus Willebrordo duodecim ſocios tribuit, vndecim Beda, cuius auctoritas circa res ſub finem ſeptimi ſeculi geſtas Alcuino propter antiquitatem præſtat. Quod attinet ad Friſiæ diuiſionem, citerior cis Fleuum erat, vlterior trans Fleuum.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

[a] L. 5. c. 11.

VII. S. ALDEGVNDIS TRANSLATIO.

Reliquiæ ſanctæ Aldegundis, cuius obitum tertio Kalendas Februarias anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto conſignauimus, è Curte * Solra Malbodium * hoc anno tranſlatæ ſunt. Iſta enim Tranſlatio facta eſt Aldetrude Abbatiſsâ Malbodienſe Monaſterium adminiſtrante, celebratúrque quot annis Idibus Nouembris. Porrò totis annis duodecim, quibus regimen Malbodienſium virginum penes Aldetrudem fuit, Idus Nouembris, quibus litera B præfigitur, in diem Dominicum, quo Tranſlationes huiuſcemodi propter vberiorem feſtiuitatem fieri ſolent, bis duntaxat inciderunt; ſemel eodem quo beata Aldegundis mortua eſt anno, poſt Chriſtum videlicet natum ſexcenteſimo octogeſimo-quarto qui propter biſextum præditus fuit duabus literis Dominicalibus C & B; iterum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo qui præditus eſt litera Dominicali B. Vt autem prædictam Tranſlationem huic potiùs anno quàm ſexcenteſimo octogeſimo-quarto illigemus, ſuadet Hucbaldus, de ſepultura enim & Tranſlatione ſanctæ Aldegundis ita ſcribit. *Sepulta eſt in villa ſuæ quondam ditionis, vbi animam reddidit Creatori ſuo, vocabulo Curtiſſolra, vbi ſuus vterque parens, ac ſoror poſteà Waldetrudis, ſepulti ſunt. In quo loco, multo iacuit tempore, quoad, Chriſto donante, coprus eius tranſlatum eſt in municipium Melbodium.* Hæ verò

* *Court-Solre.*

* *Maubeuge*

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17. voces, *multo tempore*, Aldegundem innuunt haudquaquam eodem anno & mortuam & tranſlatam eſſe, deſignant enim interſtitium multò longius, quàm quod à tertio Kalendas Februarij ad proximas Idus Nouembris intercedit.

VIII. In Codice Audomarenſi hæc de Tranſlatione ſanctæ Aldegundis leguntur. *Sepulta eſt amantiſſima Chriſti Virgo, ſponſa Domini, habitaculum Spiritûs Sancti, in villa ſua quondam ditionis, vbi animam reddidit Creatori ſuo, vocabulo Curtiſſolra, vbi vterque ſuus parens tumulati eſſe dicuntur. Poſt hæc à Rege inclyto Sigeberto atque beatiſsima Virgine Aldetrude Abbatiſſa tranſlatum eſt corpus eius in municipium Malbodium, quod ipſa, vt in titulo chartularum comperimus, à fundamento conſtruxerat, vbi vernat eius memoria, ac miraculis coruſcat magnis, & prodigiis floret eximiis.* At nomen Sigiberti Regis, qui ante annos ſex ac triginta deceſſerat, abeſt à Codice Giſleniano, vt Bollandus [a] in prolegomenis ad vitam ſanctæ Aldegundis obſeruauit, in eóque Codice mentio fit ſolius Aldetrudis, quæ Malbodienſe Monaſterium annis duodecim poſt Aldegundem materteram rexit.

[a] d. 30. Ian.

IX. Aliæ celebrantur Tranſlationes ſanctæ Aldegundis, quarum nonnullas, quantùm ad noſtrum inſtitutum pertinebunt, ſuis locis attingemus. Interim ex prælaudatis Bollandi prolegomenis accipe, quantæ venerationi quantóque patrocinio ſint Reliquiæ ſanctæ Aldegundis. *In maiore Malbodienſi Baſilica, ſancta Aldegondis nomini dicata, eius ſanctiſſima oſſa aſſeruantur arca argentea incluſa & perquàm affabrè facta; ſeparatim in alia magni pretij capſa conditum illius eſt caput. Extat iuxta maiorem Baſilicam vetus alia ædes & minor, quæ vulgò vetus Monaſterium * appellatur; in ea ſancta Aldegondis conditum corpus fuiſſe exiſtimatur in ſacello, quod eidem ſacrum eſt, ſúbque ara veluti excauatum ſepulchrum viſitur, quod venerabundi ſubeunt quidam, Diuæ aduersùs morbos præſidium implorantes. Quæ verò illius patrocinio pelluntur mala, ſunt cancer, mamillarum apoſtemata & exulcerationes, dolor capitis, ſcabies, angina, febres, quæ aquâ fontis Malbodio vicini crebrò curantur. Energumenis denique ſæpenumerò opem attulit.*

* *Vieux Monſtier.*

PATROCINIVM.

X. Creſcente fidelium Auenionenſium numero, *factum eſt vt vnica non poſſet omnes capere Baſilica, quam ob rem pius Pontifex* Agricolus *propriis ſumptibus aliam intra muros iuſsit ædificari Eccleſiam paræcialem, quaſi munitiſſimam turrim in medio vineæ, ad quam egregios operarios Monachos non paucos ex Cœnobio Lerinenſi, vbi prima ſuæ perfectionis iecerat fundamenta, curauit acciri, quòd ex regulari ordine ſuauiſſimum quendam fructum voluptatis acciperet, quibus & Abbatem præfecit, & prædia liberaliter aſſignauit. Inſuper conceſſo chartarum priuilegio, vt nihil deeſſet ſeruis Dei neceſſarium, quod ex annuis redditibus ad illos facilè non perueniret. Peracta ſunt hæc Theodorici Regis tempore, Sergio Summo Pontifice, circa annum Domini ſexcenteſimum nonageſimum.* Hæc Auctor vitæ. Tunc Lerinenſi Monaſterio præerat Amandus Abbas, de quo Vincentius Barralis in Chronologia Lerinenſi ſic diſſerit. *Beatus Amandus ſummâ pudicitiâ & innocentiâ decoratus regimen Monaſterij Lerinenſis auctore Deo ſortitus eſt, qui omnia Monaſteria Occidentis illuſtrabat, exemplis videlicet & doctrinâ, ſub cuius regimine exaucta eſt plurimùm Lerinenſium incolarum deuotio, itaut trium millium ſeptingentorum Monachorum numerum vir ſanctus habuiſſe legatur. Ad locum itaque illum concurrebat hominum penè incredibilis multitudo, cuius vita meritis inclyta memorabilis habetur, eiúſque feſtum decimo-quarto Calendas Decembris in ſancta Eccleſia digno honore celebratur.*

AGRICOLVS EPISC. AVENION. CONSTRVIT ECCLESIAM.

AMANDVS ABBAS LERINENSIS.

XI. Auctor Neuſtriæ piæ obſeruat Scriptores reperiri, qui ſanctos Philibertum & Aichardum eodem anno mortuos affirment, quamuis de anno non conueniant, ídque alij contigiſſe dicant anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, alij anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Neutrum putamus obiiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto. Aichardum exiſtimamus Philiberto multos annos ſuperſtitem fuiſſe. Nobis autem haud parum

PHILIBERTVS ABBAS OBIT.

Digitized by Google

probabile videtur Philibertum hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, in cælum migraſſe *tertiodecimo Calendas Septembris*, quo die celebris eius memoria recolitur in Tabulis Eccleſiaſticis. Vitam clauſit in Herio Inſula, vbi Monaſterium ab Anſoaldo Epiſcopo Pictauienſi fundatum regebat. Vixit annos plùs minùs ſeptuaginta. Eius obitus ab Angelo indicatus eſt Aichardo Abbati Gemmeticenſi, qui ſi ſenex ad Deum tranſiit, vt Fulbertus Auctor vitæ teſtatur, certè multos annos beato Philiberto ſuperſtes fuit. Vt antè ſub beato Philiberto, ſic etiam ſub Aichardo Abbate florentiſſima ſpargebatur fama Monaſterij Gemmeticenſis. Erat hæc familia nongentorum Monachorum. Vno die, media pars ab Angelo priùs deſignata migrauit in cælum. Tot Aſcetarum felicem exitum fuſiori ſtylo proſecutus eſt Fulbertus iam laudatus. Turbæ adeò beatæ ſociatus eſt & Aichardus Abbas *decimoſeptimo Calendas Octobris*. At quonam id anno contigerit, manet incompertum. Certè Aichardus ad annum ſaltem Chriſti ſeptingenteſimum decimum-octauum peruenit, Monachatum enim ſub eius diſciplina profeſſus eſt Hugo Pippini Herſtallij nepos, qui laicus illo anno adhuc erat, vt patebit infrà.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

LAVS MONASTERII GEMMETIC.

XII.

Ad hæc tempora pertinent initia celebris Monaſterij, quod Leufredus in Ebroicenſi Diœceſi conſtruxit ad Aucturam * fluuium medio itinere inter Ebroicas & Caſtrum Gallionis * in eodem loco vbi ſancto Audoeno Rotomagenſi Epiſcopo Clippiacum eunti Crux olim cum multo ſplendore apparuit. Cùm Leufredus eò venit, Anſbertus in Rotomagenſi Cathedra ſedebat. Anonymus enim, quem Vincentius Barralis [a] publici iuris fecit, in vita ſancti Leufredi ſic ſcribit. *In diebus illis Domnus Ansbertus in Rotomagenſi vrbe Pontificatum gerebat. Hic frequenter egregium virum Sidonium & ſanctum Leufredum ad familiare colloquium inuitans, de acquirendis Deo animabus cum eis tractabat. Factum eſt intereà, vt hortatu Præſulis & Beati Sidonij ad natale ſolum vir Domini reuerteretur, vt in patria ſua homines in via erroris ambulantes ad lumen veritatis reduceret, cuius rei ipſe magis quàm alius ſufficiens eſſet. Egreſſúſque vrbe, Spiritu Sancto duce, deuenit in fines Madriacenſis pagi ad locum quidem virtutibus inſignem, nullis tamen habitaculis adornatum.* Subiungit hic Auctor viſionem Crucis in aëre apparentis oblatam ſancto Audoeno Rotomagenſi Epiſcopo Clippiacum proficiſcenti, ſupráque deſcriptam Audoeno Sedem Rotomagenſem tunc obtinente. Deinde narrationem hoc modo proſequitur. *Hunc locum vir Dei Leufredus poſt aliquot annos deceſſionis ſancti Audoeni Archiepiſcopi inuiſere tentauit. Viſóque loco, amœnitate eius, (eò quòd eſſet aquarum nemorúmque & vinearum fertilitate iocundus) miraculorum quoque prodigiis, quæ ibi fiebant, plurimùm lætificatus, domum ſacram Domino Deo ibi conſtruere accelerauit in honorem ſcilicet viuificæ Crucis, & Sanctorum Apoſtolorum, ac præcipui Confeſſoris Chriſti Audoeni Pontificis. Atque in eo loco altare poſuit, vbi Crux ſemitarum apparuerat. Sed & poſt modicum tempus congruentibus habitaculis eandem cellulam cinxit, atque Monachorum conuerſatione nobilitauit. Siquidem ex diuerſis partibus ad eum confluebant, qui poſſeſſiones agrorum ſuorum vendentes, pretia ante pedes eius, ſecundùm normam primitiuæ Eccleſiæ deferebant, vt diſtribueretur omnibus prout cuique opus eſſet. Alij autem de facultatibus ſuis eundem locum ditare certabant, vt de redditibus rerum ſuarum per futura tempora ſerui Dei inibi habitantes neceſſaria acciperent. Dici non poteſt quantâ celeritate locum ſuum Dominus exaltauerit, ita in breui ſpatio multi, pompâ ſeculari abdicatâ, conuerſi ſunt ad Dominum.* Huic Cœnobio nomen primùm fuit Crux ſancti Audoeni per aliquot ſecula, poſteà Crux ſancti Leufredi ad hodiernum vſque diem. De pago Madriacenſi, vbi ſitum hoc Monaſterium, noſtrâ ætate ſcripta ſunt multa, cùm à Dubouchero in vera [b] Franciçæ Domûs Origine, tum à Ioanne Iacobo Chiffletio in Lampadibus [c], vt vocat, Hiſtoricis ad Vindicias Hiſpanicas. Pagi topographiam edidit, & accuratis obſeruationibus, quas veteres chartæ ſuppeditarunt, illuſtrauit Dubou-

* Eure.

* Gaillon.

[a] In Chronol. Lerin.

LEVFREDVS CONDIT MONASTERIVM.

[b] Part. 2. c. 2.

PAGVS MADRIACENSIS.

[c] Lampad. 2.

VBI SITVS.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

* de Poiſſy. * Cailly. * Attinuille. * Condé. * Bourdonné. * Fauerolet. * la Vegre. * Villepreux * le Vexin.

VNDE SIC DICTVS,

* la Maudre * Mareüil. * Maizieres.

chetus. Pagis Pariſino, Carnotenſi, Ebroicenſi, Vilcaſino & Pinciacenſi * conterminum fecit Madriacenſem, eique præter prædictum Monaſterium attribuit Calliacum * ad ſiniſtram Aucturæ ripam; Adtanauillam *, Condatum * & Burdoniacum * ad amnem Vegram; Madriacum & Maroilum ad Madriam fluuium; Fauerolas *; Eccleſiam ſancti Dionyſij, necnon Aqualinæ ſyluæ partem Occidentalem vbi Eccleſia ſancti Leodegarij. Pagus igitur Madriacenſis alluebatur Sequanâ, Aucturâ, Vegrâ *, Madriâ & riuo qui Villam * Petroſam rigat. Per hunc riuum ac Madriam diſterminabatur à pago Pinciacenſi, per Sequanam à Vilcaſino *, per Aucturam à Carnotenſi, trans Aucturam autem Ebroicas verſus protendebatur. Nomen traxit à Madriaco vulgò *Maray*, vt à Mederiaco deriuatum eſt *Meru*, à Mederico *Méry*. Situm eſt Madriacum ad amnem Madriam *, qui Nealpham Aquoſam rigat, deinde riuum è Villa Petroſa lapſum recipit à dextra, tum lambit Maroilum *, & apud Macerias * in ſiniſtram Sequanæ ripam egeritur. Chiffletius Madriacenſi pago nec ab oppido Madriaco nec à fluuio Madria nomen inditum putat, ſed à copioſo madramine ſeu materiamine, hoc eſt, ab apta ædificiis & pergulis materia, quam ſylua Aqualina pagenſibus præbebat. Madramen Latinis eſt materia, Hiſpanis *madera*, Gallis *marrein*. In antiquis Legibus veteribúſque Chartis materia, materiamen & madramen vſurpantur promiſcuè. Materia ſic in Lege Baiuuariorum [a]. *Si quis alicuius materiam in ſylua, aut propter inimicitias vel inuidiam truncauerit, vel læſerit*, &c. Materiamen ſic in lege Salica [b]. *Si quis in ſylua alterius materiamen furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulauerit*, &c. Et in Lege Ripuariorum [c]. *Si quis Ripuarius in ſylua communi, ſeu Regis, vel alicuius locata, materiamen vel ligna ſiſſa abſtulerit*, &c. Madramen ſic in Charta Chrodegangi Metenſis Epiſcopi. *Donamus ad nouum Sartum medietatem de illa ſylua, vbi illi fratres, vel illorum homines, madramen poſſint facere.* Sed nobis multò magis arridet prior etymologia, quam mutuati ſumus à prælaudato Dubouchето. Nobis etiam minimè placet Chiffletius, vbi de ſylua loquitur, quæ materiamen ſeu madramen incolis Madriacenſis pagi præbebat, illam enim vocat *Equilinam* ac veriùs *Eſculinam* appellandam cenſet, nec vllâ ratione ſuam ſtabilit opinionem. Non ignoramus ſyluam illam in Chronico Sigeberti Gemblacenſis & in Actis S. Arnulphi Martyris *Aquilinam* dici, *Equalinam* in charta Pippini Regis, *Æqualinam* in charta Caroli Magni, & *Eulinam* in charta Ludouici ſeptimi. Miſſis autem tot appellationibus, quæ ſuis probationibus deſtituuntur, lubentiſſimè Dubouchето ſuffragamur, qui ſyluam *Aqualinam* ab aquis ita nominatam tradit, ſuámque ſententiam vel ex eo præualidè confirmat, quòd eadem ſylua etiamnum ab incolis vernaculâ linguâ nuncupetur *la foreſt Aiueline*, quia veteribus Francis aqua erat *Aiue*, & aquarium *Aiuier*, vnde etiam promanarunt hæc vocabula, *Aiuiere* & *Aiguiere*. Ceterùm in Aqualina ſylua multæ ſunt paludes plurimíque fontes è quibus varij ſcaturiunt amnes, itaut etymo ſuprà laudato ſua ratio minimè deſit. Illius ſyluæ pars Orientalis ad pagum Pariſienſem pertinebat, ad Madriacenſem Occidentalis, vt dictum eſt ſuprà. Quapropter Sigebertus [d] beatum Arnulphum *in ſylua Pariſiorum Aquilina* quieſcere teſtatur, & quoniam locus ille, cui nomen hodie * ſancti Arnulphi, ſitus eſt in Diœceſi Carnotena, Breuiarium Pariſienſe [e], cùm laudes beati Arnulphi celebrat, illius corpus *in ſylua Aquilina agri Carnotenſis*, vt Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-quartum [f] iam notauimus, tumulatum ſic aſſerit. *Corpus diuino nutu, medio itinere, fixum ſtetit, & in ſylua Aquilina agri Carnotenſis, loco, qui nunc ſanctus Arnulphus dicitur, honorificè humatum eſt.*

[a] Tit. 11. c. 7.
[b] Tit. 8. c. 4.
[c] Tit. 76.

SYLVA AQVALINA.

VNDE SIC DICTA.

[d] In Chron. ad an. 513.
* S. Arnoul.
[e] D. 18. Iul.
[f] Nom. 41.

XIII. AMATVS ABB. BROILENSIS OBIT.

Inter fragmenta, quæ Coluenerius ad laudem ſancti Amati in notis ad Chronicon [g] Cameracenſe ex libro argenteo manuſcripto Eccleſiæ Duacenſis eiuſdem ſancti Amati publicauit, hæc leguntur. *Anno* DCXC. *celeber*

[g] Lib. 1. c. 22.

habetur tranſitus ſacratiſſimi Amati Senonenſis Epiſcopi, cuius corpus B. Maurontus in Eccleſia S. Petri apud Menrinillam honorificè tumulauit, quod ab eodem poſteà eleuatum eſt, & tranſlatum in alia Eccleſia propinqua, quam in honore ipſius S. Epiſcopi idem Maurontus fabricari fecit & dedicari, vel vt ipſemet Coluenerius ex Lectionario manuſcripto prædictæ Duacenſis Eccleſiæ reponit, *quam in honore Dei Genitricis Mariæ & ipſius S. Epiſcopi*, id eſt, Amati, *idem Maurontus fabricari fecit & dedicari.* De illa Tranſlatione agemus infrà ſuo loco. AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

XIV. Amatus Senonenſis Epiſcopus, de quo ſæpè locuti ſumus, è Sede pulſus per multos annos exulauit, Vltano Abbati Peronenſi primùm, deinde Mauronto Abbati Broilenſi traditus in cuſtodiam. Cùm autem Peronâ Broilum duceretur, in itinere tantis miraculis inclaruit, vt annuente Rege, qui ſe nimis credulum calumniatoribus præbuerat, factus ſit Abbas Broilenſis in locum Mauronti, qui ſponte Monaſterij regimen abdicauit. Vixit apud Broilenſes annis quatuor. Qualem in adminiſtratione Cœnobij ſe geſſerit, docet Anonymus [a] in eius vita quam ſic claudit. *Totis viribus illic Domino ſanctè & religiosè inſeruiens, ſubditis de ſe præbuit humilitatis exempla, tam verborum doctrinâ & inſtitutione, quàm vitæ ſimplicis eximiâ puritate. Habebat verò iuxta templum cellulam, orationis causâ illic extructam, vbi cæleſtibus inhians, tanquam in quadam æternæ quietis ſpecula diuinorum contemplationi vacabat, & quia diu vita actuoſæ laboribus inſudarat, proximis ſuis pro viribus miniſtrans, iam contemplationi ſic inhærebat, vt vni viuens Deo, mundo mortuus videretur. Tandem vt iam emeritus miles labore omni abſolueretur, à Domino vocatus in pace quieuit. Fecerat autem adhuc viuens ferream catenam ſanè immanem, eâque corpus ſuum conſtrinxerat. Hæc derepentè ab eius exanimi corpore ſoluta, multis attulit remedia ſanitatis, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum.*

[a] Ap. Sur. d. 13. Sept.

XV. In prælaudatis fragmentis, quæ Coluenerius allegauit, Amatus *anno ab Incarnatione Domini* DCLXV Senonenſi Eccleſiæ præſidet; *anno* DCLXXVIIII eijcitur à Pontificali Sede; *anno* DCXC feliciter ad Deum tranſit. De mortis anno conſentimus. At aliis annis exordium cùm Pontificatûs tum exilij conſignamus. Emmo Amati deceſſor apud Bedam [b] in viuis ſupereſt anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo; Amatus, teſte Auctore vitæ [c] gerit Epiſcopatum ſub Theodorico, ſub Childerico, iterùm ſub Theodorico in Regnum reſtituto, Theodoricus autem in Neuſtriam & Burgundiam Clotario fratri ſucceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo, eodémque anno Principatu à Childerico fratre ſpoliatus eſt, ergo Amatus Epiſcopales Infulas anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono ſuſcepit, vt ad illum annum Tomo ſuperiore diximus. Idem Amatus in exilium pulſus eſt à Theodorico Regna Neuſtriæ Burgundiæque poſt Childerici fratris mortem rurſum conſecuto. Childericus extinctus eſt autumnali tempore, cùm annus à Chriſto nato ſexcenteſimus ſeptuageſimus-tertius numerabatur. Apud Anonymum [d], qui vitam ſancti Amati retulit in literas; apud Baldericum, qui multa de eiuſdem Amati exilio ac morte in Chronico [e] Cameracenſi ſcripſit, nulla fit Ebroini mentio, quem Marchantius libro primo Flandriæ deſcriptæ in Mergemo, Sanderus Tomo ſecundo Flandriæ illuſtratæ in Mauronti villa, aliique Neoterici præcipuum auctorem exilij Amato irrogati conſtituunt. Ea res nos impulit, vt eiectionem Amati ſub initium anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi ſeptuageſimi-quarti collocaremus, cùm Ebroinus in Theodorici Regis amicitia nondum eſſet. Opinioni noſtræ non parum fauet diuturnitas exilij, nam ſi Theodoricus, vt Ebroino acquieſceret, illud imperauit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, cur Amatus ſublato è viuis Ebroino exulare non ceſſauit?

[b] Lib. 4. c. 1.
[c] Ap. Sur. d. 13. Sept.
[d] Ap. Sur. d. 13. Sept.
[e] Lib. 1. c. 22.

XVI. In vulgato Sigeberti Chronico ter mentio fit ſancti Amati Senonenſis Epiſcopi, ſemel ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum, iterum ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum, ter-

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

tiò ad annum Chriſti ſexcenteſimum-nonageſimum. In genuino Sigeberto, quem Miræus euulgandum curauit, Amatus ne quidem nominatur.

XVII. Apud Sigebertum ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum hæc vulgò legi ſolent. *Amatus Epiſcopus Senonenſis à Rege Theoderico graui & irreuocabili diu exilio tribulatur.* Deſiderantur autem in editione Miræi, nec cenſeri poſſunt à Sigeberto ſcripta, palàm enim illius Chronologiæ refragantur. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto, quem Sigebertus quartum ſiue vltimum Lotharij ſeu Clotarij Tertij vocat, *Lotharius Rex Francorum moritur, & Theodericus frater eius ab Ebroino Maiore domûs in Regnum ſublimatur.* Anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, quem Sigebertus primum Theodorici Regis appellat, *Theodericus Rex propter inſolentiam Ebroini à Francis repudiatur, & frater eius Hildericus, qui in Auſtria regnabat, à cunctis ad regnandum euocatur.* Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, quem Sigebertus duodecimum ſeu poſtremum Hilderici ſeu Childerici nominat, *Theodericus Regno reſtituitur.* Atque hinc conſtat Theodoricum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo haud regnaſſe, annúmque illum in opinione Sigeberti, vt verè in illius Chronico notatur, quintum Hilderici ſeu Childerici Regis extitiſſe.

XVIII. In Sigeberti Chronico ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum hæc occurrunt. *Sanctus Amatus à Theoderico Rege conſilio Ebroini exiliatur.* Abſunt autem ab editione Miræana, nec conueniunt cum textu ſuprà recitato, qui eandem Amati eiectionem refert ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum.

XIX. In eodem Chronico ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum hæc habentur. *Sanctus Audoenus Rothomagenſis Epiſcopus, ſanctus Amatus, Theodorus Archiepiſcopus Anglorum obierunt.* Ibi verò ſic legit Miræus. *Sanctus Audoenus Rothomagenſis Epiſcopus obiit. Theodorus Archiepiſcopus Anglorum obiit.* Si quæſtionem hîc moueremus de tempore, quo Theodorus Anglorum Archiepiſcopus interiit, extra Franciam præſcriptóſque limites diuagaremur. In Audoeni Rotomagenſis Antiſtitis obitu, quem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio conſignauimus, à Sigeberto diſcrepamus integro ſeptennio, tanti diſſidij rationem alibi reddidimus nec ducimus repetendam. Super anno, quo beatus Amatus ad Deum migrauit, cum Interpolatore Sigeberti conuenimus, non quòd eius auctoritas nos moueat, ſed quòd Tabulæ Duacenſes ac Senonenſes, Coluenerius, Demochares, alíique Scriptores ita faciendum doceant.

XX. Sanctus igitur Amatus ex hoc ſeculo migrauit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Colitur Idibus Septembris. Multis poſt mortem miraculis inclaruit. *Quibus auditis*, inquit Molanus [a], *Theodericus Rex, ad ſepulchrum veniam perpetrati in eum facinoris flagitauit, & multas poſſeſſiones ad alimoniam ſeruorum Dei eidem contulit.* Succeſſit in Monaſterij Broilenſis adminiſtrationem Maurontus, qui, teſte eodem Molano, *ad honorem eiuſdem Præſulis* Amati, *ſui etiam patrimonij multa prædia, per chartarum inſtrumenta, aſſignauit.*

[a] D. 13. Sept.

SVCCEDIT MAVRONTVS.

XXI. Iacobus Guiſius in Annalibus Hannoniæ & Andreas Marchianenſis ab eo citatus aſſerunt hoc circiter anno ædificatum à Pippino Monaſterium ſancti Ioannis Baptiſtæ in Caſtro Valentianenſi. Quidam ante decennium à Theodorico Rege prima Cœnobij fundamenta iacta volunt, cùm bellum aduersùs Dagobertum patruelem in Auſtraſia gereret. *Vtcunque ſe res habeat*, inquit Coluenerius [b], *primùm illud Moniales inhabitaſſe conſtat. Hæ tenuerunt vſque ad annum Domini* 749. Idem Auctor ex tabula ſeu membrana, quæ cereo Paſchali quot annis appendi ſolita erat, annum Domini milleſimum quadringenteſimum viceſimum-nonum cum anno *à mutatione Monialium in Canonicos ſeculares ſexcenteſimo* LXXX. *& ab ordinatione Canonicorum ſecularium in Canonicos Regulares quadringenteſimo* XIX comparat. Secundùm

MON. S. IOANN. BAPTISTÆ FVNDATVR VALENTIAN.

[b] In not. ad Balder. l. 2. c. 30.

Digitized by Google

cundùm quam computationem prior mutatio anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-nono; poſterior anno Chriſti decimo ſupra milleſimum facta demonſtratur. AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

XXII. EPISCOPI LVGDVNENSES.

In Lugdunenſium Epiſcoporum Catalogis medius inter Iſaacium & Godinum ponitur ad hunc annum Lebuinus ſeu Leboynus aut Loboinus, cuius Pontificatus haud diuturnus fuit, nam Godinus ſeu Goduuinus, vt ex Beda [a] probabimus, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio iam ſedebat.

[a] L. 5. c. 9.

XXIII. WINNOCVS CELLAM CONDIT IN MONTE VIRIDI.

Circa hæc vltima Theodorici Regis tempora, Quadanocus, Ingenocus, Madocus & Winnocus Monachi Sitiuenſes in alium locum ab Abbate Bertino miſſi videntur, vt Cellam illic ſacris occupationibus congruentem erigerent, vnde poſteà directi ſunt ad prædium *Wormholt*, vbi nobile Monaſterium extruxerunt. Hæ diuerſæ manſiones in vita ſancti [b] Winnoci ſic perſtringuntur. *In Morinorum ſeu Taruanenſium regione beatus Bertinus in ornamento Eccleſiæ Dei erat lapis pretioſus, in Sithiu Monaſterio merito & officio Abba. Tanti patris regimini viri illi, quos diximus, deuoto ſe obſequio ſubdiderunt. Cúmque eos inter ipſa conuerſionis primordia culmen perfectionis iam attigiſſe miraretur, locum eis, in quo ſingulariùs Domino vacarent, attribuit, vtque Cellam illic ſacris occupationibus congruentem extruerent, imperauit. Parent imperio, conſtruendo incumbunt ædificio. Locus ille in Morinorum territorio ſitus, vſque in præſentem diem Mons ſancti Winoci vocatur, vbi illi viri Dei aliquandiu degentes, & ſe mundo, & ſibi mundum crucifixerunt. Habebat tum ſanè mater Eccleſia egregium membrum ſuum, virum illuſtrem Hermarum, tam opibus quàm moribus præclarum. Hic pro adipiſcenda in terra viuentium portione, Deo ſanctóque Winoco quoddam ſui iuris obtulit prædium, quod Vorombolt ab incolis vocitatum, vſitatiſſimum ad nos vſque ſeruat vocabulum. Adiacet ea poſſeſſio cuidam fluuiolo in Taruanenſium & Flandrorum confinio, habétque pingue ſatis ſolum & fertile frugum. Eò autem Abbas Bertinus deſtinatis Dei famulis operam dat conſtruendis ſeruorum Dei habitaculis, in quibus & Chriſtus pauperibus chariùs exciperetur, & Monaſticus ordo ſecretiùs atque deuotiùs excoleretur. Viri ergo Dei, in militiam Chriſti ſuccincti lumbos mentis, imperio ſe iubentis accommodant, iniunctúmque opus maturare contendunt.* In illo textu nullus occurrit Character Chronologicus. At aliunde annum ediſcimus, quo Hermarus ſiue Hademarus prædictum ſui iuris prædium in erectionem Cœnobij tranſcripſit, necnon annorum interuallum, quod ab aduentu Winnoci cum ſociis in Monaſterium Sitiuenſe ad initia vſque Woromholtani Cœnobij interceſſit. Hademari donatio, cuius mentionem Molanus [c] in Natalibus Sanctorum Belgij, Miræus in Originibus Benedictinis [d], Malbrancus libro quarto [e] de Morinis, Sanderus in Auctario [f] ad Tomum ſecundum Flandriæ illuſtratæ, aliíque fecerunt, anno primo Childeberti Tertij Regis conſignata reperitur, & apud eundem Sanderum à primo Winnoci in Monaſterium Sitiuenſe aduentu ad annum vſque primum Childeberti Tertij Regis numerantur anni viginti. Primus autem annus Childeberti Tertij Regis, vt ſuo loco probaturi ſumus, cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto coincidit, ergo Winnocus ad Bertinum Monaſterij Sitiuenſis Abbatem ànno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto perrexit. Id aſſeruimus Tomo ſuperiore, noſtrámque Chronologiam ex eo quoque confirmauimus, quòd teſte Malbranco [g] Winnocus Sitiuenſe Monaſterium adiit anno decimo poſt obitum ſancti Iudoci, quem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto ex hac vita ſublatum demonſtrauimus.

[b] Ap. Sur. d. 6. Nou.

[c] D. 6. Nou.
[d] Cap. 31.
[e] Cap. 34.
[f] In Abb. S. Vvinoci.
[g] L. 4. c. 4.

XXIV.

Non deſunt, qui Winnocum velint in Monaſterio Sitiuenſi permanſiſſe, donec regnante iam Childeberto Tertio directus eſt à Bertino Abbate in villam *Wormhoult*, vbi finem viuendi fecit Abbatis officio laudabiliter functus. Aduersùs huiuſcemodi Scriptores Acta ſancti Winnoci ſatis eſt ſuperiùs allegaſſe, quorum Auctor Winnocum è Monaſterio Sitiuenſi in locum

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

primò deducit, vbi Cellam conſtruit, deinde ab illa Cella in prædium *Woromholt*, vbi Monaſterium erigit. Haud aliter cenſent, qui Geſta Sancti Winnoci poſteris temporibus in literas retulerunt, Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij, Albertus in Armorica ſancta, Malbraneus libro quarto de Morinis, Sanderus Tomo Secundo Flandriæ illuſtratæ in Berga ſancti Winnoci. Tota difficultas in eo conſiſtit, vt viginti annorum intercapedo, quæ à Winnoci aduentu in Monaſterium Sitiuenſe ad initia vſque Woromholtani Cœnobij interceſſit, duas diuidatur in partes, quarum alteram Winnocus apud Montem Viridem, alteram apud Woromholtum tranſigat. Malbrancus [a] partes æquales conſtituit, alij faciunt inæquales; rurſum hi duas in claſſes diſtribuuntur; alij enim Winnocum pauciores annos in Monaſterio Sitiuenſi, plures in Monte Viridi manſiſſe volunt; alij ſecus. In opinione Malbranei Winnocus è Monaſterio Sitiuenſi, cùm annos decem ibi degiſſet, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto cum tribus ſociis egreditur. Qui citiùs è Cœnobio Sitiuenſi digreſſum contendunt, illi locum ei tribúſque comitibus, *vt Cellam illic ſacris occupationibus congruentem extruerent*, & *ſingulariùs Domino vacarent*, à Bertino tunc Abbate Sitiuenſi conceſſum obſeruant, cùm eos inter ipſa conuerſionis primordia culmen perfectionis iam attigiſſe miraretur. Qui verò Winnocum eiúſque ſodales diutiùs in Monaſterio Sitiuenſi quàm in Cella Montis Viridis verſatos affirmant, ij non dubitant de mirabili illorum profectu, ſed aſſerunt in vſu non fuiſſe, vt è Monaſterio quis in ſecretiorem locum, vbi *ſingulariùs* Domino vacaret, ab Abbate dimitteretur, niſi Regularis diſciplinæ longis exercitiis probatus eſſet, aiúntque moram decennio maiorem ad illud opus requiſitam fuiſſe. Deinde, quia Winnocus in Monte Viridi *aliquandiu* degiſſe dicitur, illum multò diutiùs in Cœnobio Sitiuenſi quàm in prædicto Monte degiſſe concludunt. Hanc poſtremam opinionem lubenter amplectimur, & Winnoco eiúſque ſociis, Quadanoco, Ingenoco & Madoco, cùm per annos circiter quindecim in Monaſterio Sitiuenſi ſub Abbatis Bertini diſciplina vixiſſent, locum, *in quo ſingulariùs Domino vacarent*, ab eodem Abbate Bertino attributum exiſtimamus.

[a] Lib. 4. c. 21.

XXV. Locus ille in paluſtri Morinorum territorio nec procul ab Oceano ſitus, in montem virore ſuo gratiſſimum aſſurgebat, vnde nomen inditum Groenenbergæ & Grunobergæ, ſeu Montis Viridis, donec ab ipſius Winnoci nomine Winnocimontium ac Winnociberga ſeu Mons aut Berga ſancti Winnoci vocari cœpit. Illic *viri Dei aliquandiu degentes*, *& ſe mundo*, *& ſibi mundum crucifixerunt*, vt Anonymus [b] in vita ſancti Winnoci teſtatur. Illinc autem ſeſqui-lapide vix aberat vir opibus moribúſque præcellens Heremarus, qui *prædiolum* [c] illis in eo Monte conceſſit, quaſi maioris munificentiæ præludium, de qua poſt quinquennium ad annum primum Childeberti Tertij Regis locuturi ſumus.

[b] Ap. Sur. d. 6. Nou.

[c] Malbranc. lib. 4. c. 34.

XXVI. In eadem Diœceſi Morinorum ad Thenam * fluuium, qui ſiniſtram Quantiæ * ripam ſubit, florebat Blangiacum illuſtre puellarum Monaſterium, cui Bertha fundatrix ac prima præerat Abbatiſſa. Quinto Idus Ianuarij, currente tum literâ Dominicali B, facta eſt hoc anno Templi dedicatio. Nihil ad pietatem magnificentiámque defuit. *Compoſitis omnibus, quæ ad ornatum ordinémque Monaſterij conſeruandum poſcebat piiſſima Bertha, conuocauit in vnum venerabiles Epiſcopos ad præſcriptum Monaſterium dedicandum.* Anonymus in ipſius Berthæ vita manuſcripta nominat *ſanctum Ansbertum Rotomagenſem Archiepiſcopum; venerabilem Rauengarium, in cuius parochia antè relatum Monaſterium ſitum eſt, Teruanenſem Epiſcopum; ſanctum Amandum Tungrenſem Epiſcopum; Sanctum quoque Walaricum & ſanctum Gerinum de ciuitate Pariſij; ſanctum Siluinum aduenam Epiſcopum de Tholoſa venientem; ſanctum Leodegarium Epiſcopum & futurum Martyrem; ſanctum quoque Richarium; & ſanctum Eligium; ſanctum etiam Pharonem de Meldis ciuitate; ac ſanctum Autbertum Ca-*

* *Le Ternois.*

* *Le Canche.*

BLANGIACUM DEDICATUR.

Digitized by Google

meracenſem Epiſcopum. Malbrancus [a], cùm aduerteret ex illo Præſulum catalogo non paucas enaſci difficultates, quia ſancti Epiſcopi Amandus, Leodegarius, Eligius & Autbertus, ſanctíque Abbates Walaricus & Richarius pridem obierant, nec inter Epiſcopos Pariſienſes Gerino locus erat, eorum nomina prætermiſit, & præcitatum Anonymi textum in hunc modum ſenſúmque retulit. *Eccleſiaſticorum è cœtu adfuere, Ansbertus Rothomagenſis Archipræſul, Pariſienſis & Tungrenſis Epiſcopi, Pharo Meldorum Epiſc. S. Demandus Epiſcopus Londinenſis, Epiſcopus Nouiomenſis & Tornacenſis, Epiſcopus Cameracenſis & Atrebatenſis, Abbas ſancti Richary, Abbas ſancti Walerici, Siluinus aduena Epiſc. de Tholoſa, vt ait vitæ Scriptor, qui omnes veluti firmiſſimæ Galliarum columnæ vno eodémque tempore Blangiacum aduolarunt, & vnico Rauengario, etſi refreganti, omne conſecrationis munus, quod eius ineſſet parœciæ locus, detulerunt.* Antequàm vlteriùs progrediamur, de ſingulis hîc diſputandum, explorandúmque an Malbrancus Anonymum benè correxerit. AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

[a] Lib. 4. c. 20.

XXVII. Apud Anonymum & Malbrancum agmen ducit Anſbertus Rothomagenſis Archiepiſcopus. Sancto Audoeno in munus Archiepiſcopale ſucceſſit Anſbertus. Ea ſuper re nulla difficultas, ſed anni, quos Audoenus ſedit, non parum controuertuntur. Omnes penè Chronographi, qui noſtrâ ætate nomen aliquod adepti ſunt, Audoenum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto Pontificalibus Infulis donatum aſſeruerunt. Ab hac quoque ſententia non receſſit Malbrancus, ſed eiuſdem Audoeni Præſulatum, qui quadraginta trium annorum & aliquot menſium fuit, annis vno & triginta circumſcripſit, ipſúmque Audoenum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo ex hac vita ſublatum affirmauit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſecundum, quo Templum Blangiaci dedicatum ſcripſit, Anſbertum in Rothomagenſi Cathedra ſedentem nanciſceretur. Aliter Pontificatum Audoeni computamus, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium, itaut anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, quo Malbrancus dedicationem Templi Blangiacenſis conſignauit, Anſbertum Epiſcopum nondum fuiſſe cenſeamus. Quominus autem idem Anſbertus anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, cui prædictam dedicationem illigamus, Rotomago Blangiacum adierit, nihil videtur obfuiſſe, tunc enim Eccleſiæ præerat Rotomagenſi nec adhuc exulabat. Locorum tamen diſtantia nonnihil ſcrupuli mouet. Quid enim neceſſe fuit Metropolitam Rothomagenſem extra prouinciam ſuam proficiſci, vt Templi dedicationi intereſſet apud Morinos in Belgica ſecunda faciendæ?

XXVIII. Secundo loco, Anonymus Rauengarium recenſet Taruannenſem Epiſcopum in cuius Parœcia ſeu Diœceſi ſitum Blangiacum. Meminit eiuſdem Rauengarij Malbrancus. At non leuis eſt ſuper eo Pontifice difficultas. Audomarus ſedere cœpit exeunte Dagoberti Principatu, vitámque clauſit anno pòſt triceſimo-primo, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo. Hæc ſuis locis probata. Plerique tamen Neotericorum, in quorum numero Malbrancus, Audomari Pontificatum ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum prorogant, & vt Drancium eiúſque ſucceſſores Bainum & Rauangerium in catalogo Morinenſium Antiſtitum retineant, eos aiunt ob Audomari cæcitatem ſuffraganeos tantùm ſiue adminiſtratores Morinenſis Epiſcopatûs fuiſſe, vel illius Epiſcopatûs alteram Sedem tenuiſſe Bononiæ, Audomaro in altera Taruannæ ad exitum vſque perſiſtente. Subtilis vtraque interpretatio. Malbrancus priorem amplectitur, caput enim duodequadrageſimum libri quarti de Morinis, quo mortem Audomari fusè deſcribit, ſic inchoat. *Ad magni Præſulis vitæ metas veniendum eſt, quas ſi ad annum partæ ſalutis ſexcenteſimum nonageſimum-quintum ſtatuam, octauum agente Sergio, Childeberto Imperij quartum ineunte, Pipino nonum, Scriptorum ampliſſimum torrentem ſequar. In hac tempora cæcitatem ſuam*

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

perduxiſſe ſemper conſtans fuit Morinorum ſententia, & quamuis aliorum Epiſcoporum ſedulis laboribus res Eccleſiæ gererentur, quantùm tamen per oculorum abſentiam licuit, ſuis partibus nunquam defuiſſe comprobant monumenta. Malbrancum alius torquet ſcrupulus, quia Folquinus Audomaro Drancium, Drancio Bainum, Baino Rauangerium, Rauangerio Erkenbodum ſic ſufficit. *Erkenbodus Taruannenſis Eccleſiæ ſublimatur Epiſcopus, Rauangerij ſucceſſor in ordine factus, qui & ipſe ſucceſſor extiterat Baini Præſulis, ſucceſſoris Drancij, qui poſt B. memoriæ Præſulem Audomarum Taruannenſis Eccleſiæ ſuſceperat Pontificatum.* Teſte autem eodem Malbranco Drancius ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum vixit, eiúſque ſucceſſor Bainus Epiſcopatum ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum gubernauit, ita-ut Rauangerius anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo, quo Malbrancus Templum Blangiacenſe dedicatum affirmat, Infulas Pontificales geſſiſſe minimè videatur. Auctor ille difficultatem nouit, útque eâ ſe expediret, Rauangerium ſeu Rauengarium anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, quia Drancius tunc ægrotabat, finxit ordinatum Epiſcopum, qui ſuffraganeas vices egit ſuperſtite Drancio, necnon ſedente Baino, donec ipſe poſt Baini ſeceſſum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo factus eſt Taruannenſis Epiſcopus. Mira ſanè res! Iuxta Malbranci calculum tres inueniuntur Epiſcopi, qui ſimul anno Chriſti DCLXXIV. curam vnius Eccleſiæ gerunt, Audomarus Epiſcopus, Drancius Audomari cæci ſuffraganeus æger, Rauengarius ipſius quoque Drancij ſuffraganei ægri ſuffraganeus, quódque magis adhuc ſtupendum, anno Chriſti DCLXXXII. quo Scriptor ille Templum Blangiacenſe dedicatum contendit, ſimul occurrunt Audomarus Epiſcopus, Bainus Audomari cæci ſuffraganeus, Rauengarius ipſius quoque Baini benè valentis ſuffraganei ſuffraganeus. In rei adeò inſolitæ probationem duo præcipuè citantur Auctores, Aigradus qui vitam ſancti Anſberti Rotomagenſis Epiſcopi conſcripſit, & Anonymus qui vitam ſanctæ Berthæ Blangiacenſis Abbatiſſæ literis commendauit. Apud Aigradum Concilio Rothomagenſi, quod ab Anſberto Epiſcopo celebratum eſt, ſubſcribunt Epiſcopi ſexdecim, deinde hi quatuor Abbates, *Celſus Abba, Audomarus Abba, Scladio Abba, Boſochindus Abba.* Sed Audomarum illum Abbatem, qui Synodo poſt Epiſcopos inter Abbates ſubſcribit, nec inter ipſos Abbates primum locum tenet, quis eundem credat cum Audomaro Morinorum Epiſcopo? Apud Anonymum in Actis ſanctæ Berthæ Rauengarius Templum Blangiacenſe dedicat. Id autem, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo vt Malbrancus opinatur, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo geſtum eſt vt exiſtimamus, in Baini Pontificatum incidit, cui Rauengarius in Epiſcopatum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo ſucceſſit. Non inficiamur Baſilicam Blangiacenſem, quæ ſita eſt in Diœceſi Taruannenſi, ab Epiſcopo Diœceſano dedicatam fuiſſe, ſed Diœceſi Taruannenſi Rauengarium tunc præfuiſſe diffitemur. Anonymus in vita ſanctæ Berthæ videtur Epiſcopi nomen reticuiſſe, quod ſciolus poſteà malè ſuppleuerit adiecto Rauengario, cùm ibi Bainum ſcribere deberet. In Actis igitur ſanctæ Berthæ, vel nomen Epiſcopi Taruannenſis penitus abrade, vel Rauengarij loco Bainum eius deceſſorem reſtitue, ne cum Malbranco cogaris ab antiqua Morinenſium Epiſcoporum ſerie rectâque Chronologia procul recedere. Porrò idem Chronographus, quod obiter obſerua, non tantùm in annis Taruannenſium Antiſtitum, ſed etiam in annis Regum conſignandis plurimùm peccat. Exemplum dabimus haud longè petitum. In textu ſuprà citato, vbi agitur de morte ſancti Audomari, quæ quinto Idus Septembris contigit, annus Chriſti ſexcenteſimus nonageſimus-quintus, quocum per menſem Septembrem annus ſecundus Childeberti Tertij Regis componi debet, perperam numeratur annus illius Regis quartus, quia Malbrancus

Theodorici Principatum vitámque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum prorogat, ipſiúſque Theodorici filios regnaſſe cum patre comminiſcitur, nempe Clodoueum Secundum per quadriennium ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo, tum Childebertum Tertium ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo. Agemus infrà de vtroque ſuis locis. AN. CH 690. THEODOR. III. R. 17.

Tertio loco, Anonymus inter Præſules, qui dedicationi Templi Blangiacenſis interfuerunt, nominat *ſanctum Amandum Tungrenſem* ſeu Traiectenſem *Epiſcopum.* Nomen Amandi prætermiſit Malbrancus. Quis enim ad talem anachroniſmum non obſtupeſcat. Amandus Tungrenſem, ſeu potiùs, vt tum loquebantur, Traiectenſem Epiſcopatum iniit anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo, dimiſitque anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo. Succeſſit Remaclus, tum Theodardus, deinde Lambertus, qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo, vixitque poſt Blangiacenſem dedicationem diu ſuperſtes. Amandus autem vitam ſuam ad annos vſque nonaginta produxit, obiitque longæuus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono. Ergo ſi Tungrenſis ſeu Traiectenſis Epiſcopus Blangiacenſi dedicationi præſens adfuit, is non fuit alius à Lamberto, cuius Martyrium ſuo loco deſcripturi ſumus. XXIX.

Quarto loco, Anonymus ponit *ſanctum Walaricum*, Malbrancus *Abbatem ſancti Walerici.* Sanctus Walericus ex hac vita ſublatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-tertio. Monaſterium, quod prope oſtium Somonæ conſtruxerat, poſt eum rexit Blitmundus qui vitam clauſit regnante Clodoueo Secundo, tum Ragimbertus de cuius ſucceſſoribus per multa ſecula nihil legimus. Rectè igitur Malbrancus expunxit ſanctum Walericum, & eius loco repoſuit Abbatem Monaſterij quod ab eodem ſancto Walerico nuncupationem accepit, ſed illius Abbatis nomen exprimere non potuit, quoniam Abbatum, qui Ragimberto proximè ſucceſſerunt, periit memoria. XXX.

Quinto loco, Anonymus collocat *ſanctum Gerinum de ciuitate Pariſij*, Malbrancus Epiſcopum Pariſienſem interpretatur, & quia Pariſienſem Epiſcopum, qui Gerinus vocetur, haud reperit, abſtinet ab illius nomine. Deſcripta eſt ex Codice Blangiacenſi lectáque à Bollando vita ſanctæ Berthæ Blangiacenſis, vbi non *Gerinus* inuenitur ſcriptus, ſed *Germanus* Pariſienſis Epiſcopus, inſigni prorſus mendo, nam ſanctus Germanus, qui Pariſienſem Eccleſiam rexit, obiit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, vt Tomo ſecundo ad illum annum obſeruauimus. In Catalogis Epiſcoporum Pariſienſium, quos Demochares, Chenutius, Auctoréſque Galliæ Chriſtianæ & Antiquitatum Pariſinarum ediderunt, poſt Agilbertum, de quo multa Tomo priori diximus, hi proximè ſubſequuntur, Sigofridus, Turnaldus, Adulphus & Bernecharius, ſolis tantùm nominibus noti, excepto quòd in Gallia Chriſtiana [a] Turnaldus *ex Abbate ſancti Dionyſij ad Epiſcopalem Cathedram aſſumptus* perhibetur. Seuertius ſanctum Ceranum poſt Adulphum interſerit. De ſancto Cerano, qui Cerannus quoque ſeu Ceraunus aut Ceraunius appellatur actum Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum decimum-quartum [b], in Nomenclatura enim Pariſienſium Epiſcoporum locus ei tribuendus inter Simplicium & Leudebertum, quorum ille ad annum Chriſti ſexcenteſimum primum in literis Gregorij Magni commendatur, hic anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto Synodum Remenſem ſuâ ſubſcriptione communiuit. Vtrùm Turnoaldus ex Abbate Epiſcopus, an ex Epiſcopo Monachus, tum Abbas factus ſit, inueſtigabimus infrà, cùm ad illius Pontificatum peruenerimus. Antiqua deſunt monumenta Pariſienſium Epiſcoporum, quæ nos doceant, quot annis ſinguli Præſulatum geſſerint ad Hugonem vſque, qui poſt annum Chriſti DCCXXII Rector Eccleſiæ Pariſienſis eſſe cœpit. Seuertius XXXI.

[a] Robert. Sammarth.

[b] Num. 36.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

annos ſingulorum Pontificatuum partitur, ſed id abſque veterum auctoritate pro lubitu facit, nec mediocriter vituperandus eſt, quod ſanctum Ceraunum Adulpho ſiue Aldulpho ſubiiciat. Fatetur annum ignorari quo ſanctus Agilbertus ad Deum migrauit, ait tamen probabile ſibi videri quòd *Sigofridus ſedit ab anno ſexcenteſimo octuageſimo-ſexto, & finiit circa annum 695.* Deinde Turnaldum Epiſcopum agnoſcit *ad annum* vſque *ſeptingenteſimum-nonum.* Ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta conſtat, quòd Ebroinus ad Martinum Ducem nuncios anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo direxit *Ægilbertum ac Regulum Remenſis vrbis Epiſcopum.* Hadrianus Valeſius [a] *Ægilbertum*, cui prædicta Hiſtoria nullum Titulum attribuit, eundem conſtituit cum Agilberto Pariſiorum Epiſcopo, qui teſte Bedâ [b] *ſenex & plenus dierum obiit.* Certè Agilbertus peruenire potuit ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, vt ad illum annum ſub finem Tomi prioris iam ſcripſimus; fortè peruenit & ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum, vt Seuertius arbitratur. Quicquid ſit, Sigofridus Agilberti ſucceſſor ſedebat anno Chriſti DCXC. cùm Templi Blangiacenſis facta eſt dedicatio.

[a] Lib. 22.

[b] Lib. 3. c. 3.

XXXII. Sexto loco, Anonymus nominat *Siluium aduenam Epiſcopum de Tholoſa venientem.* Anonymo ſuffragatur Malbrancus. At Siluinus Epiſcopus in Belgium ſeriùs venit. De illo fuſiùs agemus ſub Chilperico Tertio Rege.

XXXIII. Septimo loco, Anonymus nuncupat *Leodegarium Epiſcopum & futurum Martyrem*, omittit Malbrancus, nec immeritò, Leodegarius enim, vt Tomo ſuperiore dictum eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo Martyrium conſummauit.

XXXIV. Octauo loco, Anonymus ponit *ſanctum Richarium*, Malbrancus *Abbatem ſancti Richarij.* Sanctus Richarius Centulenſis Monaſterij conditor ac primus Abbas ineunte Theodorici Tertij Principatu vitam clauſit, ſed ante multos annos in eremum ſeceſſerat curâ Cœnobij priùs in Ocioaldum tranſmiſsâ, de quo dubium moueri poteſt, an ſuperſtes in viuis eſſet cùm Blangiacenſis Eccleſia dedicabatur. Rectè igitur Malbrancus expunxit ſanctum Richarium, & illius loco repoſuit Abbatem Monaſterij, quod hodie nuncupationem ab eodem ſancto Richario gerit, nec illius Abbatis nomen vſurpauit, quia ignotum.

XXXV. Nono loco, Anonymus recenſet *ſanctum Eligium.* Malbrancus non auſus eſt ſanctum Eligium nominare, quem ſciebat à multis annis mortuum priuſquàm Templum Blangiacenſe dedicaretur, Sedium tamen, quas Eligius Epiſcopus inſedit, nomina retinuit, & Præſulibus, qui Blangiacenſis Eccleſiæ dedicationi interfuerunt, *Epiſcopum Nouiomenſem & Tornacenſem* annumerauit. Sanctus Eligius, qui Nouiomenſis ſimul ac Tornacenſis Epiſcopus fuit, ex hac vita diſceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo, ſucceſſit ſanctus Mummolinus, qui Pontificatum annis ſex ac viginti tenuit, obiitque anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, tum Hautcarius de quo recurret ſermo. Si Baſilica Blangiacenſis anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo dedicata eſt vt Malbrancus opinatur, Diœceſes Nouiomenſem & Tornacenſem tunc regebat Mummolinus, ſi verò iuxta noſtrum calculum illa dedicatio in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum reiici debet, prædictas Diœceſes tunc adminiſtrabat Hautcarius Mummolini ſucceſſor.

XXXVI. Decimo loco, Anonymus profert *ſanctum Pharonem de Meldis ciuitate.* Malbrancus non recedit ab Anonymo. Sed neutri fides habenda. Pharo enim, vt Auctor vitæ teſtatur, *fuit in Epiſcopatu à Clotario Rege vſque ad Childericum*, obiitque Childerico Secundo Monarchiam Francorum obtinente, vt Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum ſecundum probauimus. Pharoni ſucceſſit Waldebertus, tum Hildeuertus, qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, & ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum peruenire potuit.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

Vndecimo loco, Anonymus refert *ſanctum Autbertum Cameracenſem Epiſcopum*, cuius nomen à Malbranco reticetur, Diœceſes verò nominantur *Cameracenſis & Atrebatenſis*. Bollandus [a] in Commentario [b] vitæ ſancti Siluini Epiſcopi præuio, manuſcriptam ſanctæ Berthæ Blangiacenſis fundatricis vitam allegat, in qua Cameracenſis Epiſcopus, de quo nobis hîc inquirendum, non *Autbertus* ſed *Elbertus* appellatur. At in Atrebatenſium Cameracenſiúmque Epiſcoporum nomenclatura quis locus Elberto? Vindicianus, qui poſt Autbertum proximus ſedit, factus eſt Epiſcopus Atrebatenſis & Cameracenſis anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo, diúque poſt Blangiacenſem dedicationem vixit. XXXVII.

[a] d. 17 Febr.
[b] Num. 20.

Denique apud Malbrancum occurrit *S. Demandus Epiſcopus Londinenſis*. Sed quis ille? In Codice Blangiacenſi, ex quo Bollandus vitam ſanctæ Berthæ deſcriptam legit, non inuenitur Demandi nomen, nec in Londinenſium Epiſcoporum vel Sanctorum catalogo. XXXVIII.

Idem Bollandus in prædicto Commentario [c] vitam ſanctæ Berthæ poſt annum Chriſti milleſimum centeſimum triceſimum-nonum ſcriptam tradit. Auctor, cùm Epiſcopos Abbatéſque complures ad Blangiacenſem dedicationem conueniſſe legiſſet, aut pro Eccleſiæ more ac ſanctæ Berthæ dignitate conuenire debuiſſe putaret, celebriores aliquot percenſuit, quos circa ea tempora vixiſſe exiſtimabat. Quia ignarus erat Chronologiæ, lapſus eſt in multos errores & anachroniſmos, quos correximus, vt ſcias quinam illorum locorum Epiſcopi Abbatéſve fuerint, cùm facta eſt Blangiacenſis Templi dedicatio. XXXIX.

[c] Num. 22.

Res mira tunc contigit, quam Anonymus in eadem ſanctæ Berthæ vita ſic enarrat. *Epiſcopus, in cuius Diœceſi actum eſt, interrogauit ſi omnia adeſſent dedicationi neceſſaria. Reſponſum eſt à piiſſima Bertha cuncta adeſſe. Tunc ille. Affer, inquit, hyſſopum vt præparetur vſui neceſſario. Et illa. Huc vſque neſciebamus, Pater, ſi de illo aliqua neceſſitas huic operi adiungeretur. Et ille. Sine hyſſopo, ait, nullomodò aliquis noſtrûm contra conſtitutionem nobis à Patribus traditam aliquam Eccleſiam dedicare præſumit, ne ordo miniſterij noſtri canonicis conſtitutionibus contraïre vel repugnare videatur, ac propter hoc vituperabilis eſſe iudicetur. Igitur beatiſſima Bertha nimio terrore percuſſa anguſtiari cœpit, quòd ad conuentum talium ac tantorum virorum dedicatio Baſilicæ elongaretur. Oratorium igitur celeriter ingrediens, & toto ſe corpore in terram ſternens expertum præſidium Domini Sanctorúmque ſuffragia intentè ſignificabat, dicens; tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt, de neceſſitatibus meis erue me, Domine, & cetera ad hanc deprecationem conuenientia. Dum verò beata Bertha aliquantulùm moram in Eccleſia egiſſet, Bainus Epiſcopus* (in exemplari malè Rauengarius) *paululum irâ commotus ſimul cum ceteris Epiſcopis infecto negotio redire diſpoſuit. Intereà verò, dum beata Bertha in oratione iacebat proſtrata, acceſſit vna ex ancillis, quæ ei familiariùs ceteris ſeruiebat, pauimentum pede fricans, ac ſignis quibuſdam, in quantum auſa erat, Dominam de oratione excitare nitens. Piiſſima verò Bertha ſe ab oratione aliquantulùm erigens inquiſiuit quidnam vellet. Et illa. Ecce, inquit, Domina mi, homo nuper adueniens ad portam reſidet, hyſſopum venalem deferens. Tunc illa ex intimo cordis Deo laudes & gratias referens ait. Dei ſunt hæc dona, non hominis. Venit ibidem alius nuncius, qui illam grauiori mœrore percuſſit inferens venerabiles Epiſcopos Baino* (perperam Rauengario) *inſtigante receſſiſſe. Illa autem. Potens eſt, inquit, Deus, in quem confido, per eandem viam reducere illos, miſſóque citiſſimè nuncio poſt illos intimauit de mirabili dono Dei. Quod illi audientes reuerſi ſunt ſub omni feſtinatione pœnitentiam agentes, eò quòd ſine conſenſu illius nondum perpetratâ dedicatione diſceſſerant. Beata verò Bertha affata eos dixit. O prouidi Paſtores, ô egregij Rectores Eccleſiaſticorum gregum, vt quid me vnam ex ouiculis Chriſti tam ſubitâ abſentiâ ſolam relictam voluiſtis. Cui aiunt. Ne cauſeris, Domina, Dei enim prouidentiâ actum eſt, vt exinde multò glorioſiùs magnificeris. Dei autem inſpiratione adunati vnà cum Clero & populo multo dedicaue-* XL.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17. *runt ipſum Templum in lætitia atque veneratione maxima in honore Genitricis Dei Mariæ quinto Idus Ianuarij.* Cur Rauengarij loco Bainum eius deceſſorem reſtituamns, expoſuimus ſuprà.

XLI. Idem Auctor, quoniam à Blangiacenſis Monaſterij conditu mox ad eius dedicationem tranſit, Bertham eiúſque filias Gertrudem & Deotilam poſt eandem dedicationem ſtatim velatas affirmat. Sed eas Monaſticen citiùs amplexas eſſe iam oſtendimus. Fortè licèt ab aliquot annis velatæ fuiſſent, velamen ab Epiſcopis, qui conuenerant ad dedicandam Eccleſiam, denuò in auguſtiori ſolemnitate poſtularunt acceperúntque. Textus talis eſt. *Poſt peractam verò dedicationem rogauit beata Bertha præfatos venerabiles Epiſcopos tam ſibi quàm filiabus ſuis dicare atque imponere velamina, ac diuinis iugiter mancipare miniſteriis. Velata eſt igitur piiſſima Bertha glauco velamine vnà cum duabus nobiliſſimis filiabus ſuis ac Deo deuotis, Gertrude videlicet veneranda & Deo dilecta Deotila. Nam Geſta cæleſtis ſtemmatis gemma, Geſa quoque digniſſima Dei margarita, in albis pretioſiſſimas Domino animas reddiderunt. Præfatæ verò duæ vno ardore conuerſæ optimo propoſito bonæ conuerſationis exemplum piiſſimæ matris imitantes ſtudioſè contra diaboli occultas inſidias decertauerunt, ac fortiter perſtiterunt à Domino in perpetuum coronandæ. Emma autem in laico habitu bonæ indolis ætatem gerens charè nutriebatur cum omni diligentia inter ceteras ſorores ſuas. Sancta autem ac piiſſima Bertha commendauit ſeipſam humili deuotione Dei ſeruitio omniúmque Sanctorum patrociniis vnà cum nobiliſſimis ac Deo chariſſimis filiabus ſuis Gertrude ſcilicet ac Deotila. Quicquid etiam poſſeſſionis aut patrimonij habere viſa eſt, ad Blanziaci amœniſſimum Monaſterium firmiſſimè ſub teſtificatione plurimorum tradidit famulatui diuino mancipandum, & inibi Deo ſeruientibus in perpetuum poſſidendum.*

XLII. GRATVS EP. SEDVNENSIS. EPISCOPI DARANTASIENSES. Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia Salutienſis Epiſcopus in Hiſtoria Chronologica Regionis [a] Pedemontanæ, vbi ſeriem Epiſcoporum Sedunenſium texit, ad hunc annum meminit Grati, quem Amato, de quo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [b] Tomo ſuperiore locuti ſumus, proximè ſucceſſiſſe fas eſt opinari. De annis Metropolitarum Darantaſienſium, cui Sedunenſes Epiſcopi ſubſunt, non ita determinatè loqui licet. A Concilio enim Cabilonenſi, quod regnante Clodoueo Secundo celebratum eſt, ad ætatem vſque Ioannis Octaui Papæ, in Darantaſienſium Pontificum Nomenclaturis nulla deprehenditur epocha, quoniam ſola hodie ſuperſunt vndecim Epiſcoporum nomina, qui medij ſederùnt inter Baudomerem, qui Synodum Cabilonenſem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto ſuâ ſubſcriptione communiuit, & Teutrandum ſeu Teutrannum cui Ioannes Octauus Papa quarto Idus Iunij, Indictione vndecimâ, id eſt, anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo-octauo, literas inſcripſit. Illi autem Antiſtites in prælaudata Pedemontanæ Regionis Hiſtoria Chronologica ſic enumerantur. *Emiterius, Widenardus, Ioannes, Leodrandus, Aubertus ſiue Vmbertus, Bonimundus ſiue Roſimundus, Erruſino ſiue Ermino, Poſſeſſor, Eodebertus ſiue Rodoabertus, Andreas, Audax.* Ad ſuperiorem Tomum, quem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo clauſimus, pertinuerunt Emiterius & Widenardus; ad præſentem verò pertinent quatuor proximi ſucceſſores, Ioannes videlicet, Leodrandus, Aubertus ſiue Vmbertus, & Bonimundus ſiue Roſimundus, in quatuor enim Pontificatus commodè partieris annos duos & ſeptuaginta, quos à morte Dagoberti Secundi Regis ad Regnum vſque Pippini Breuis numeramus.

[a] Cap. 44.
[b] Num. 25.

XLIII. LANDRADA ABBATISSA BELISIENSIS OBIT. Fiſenus [c] mortem Sanctæ Landradæ circa hunc annum collocat in floribus Eccleſiæ Leodienſis. Landrada puellarum Cœnobio, cui nomen Beliſia, præerat à multis annis. *Illa Sanctum Epiſcopum Lambertum accerſiri præcepit, vt in morte quoque eius frueretur colloquiis, cuius in vita iucundabatur ſemper conſiliis. Accepto triſti nuncio Sanctus ſenex omnibus ſe expedit, viámque*

[c] D. 8. Iul.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

que dum maturat, Landrada interim de haccorruptibili domo in æternitatem tranſmigrat. Sed nunquam voto fraudatur cui ad deſiderium charitas adminiculatur. Nam in eundo Pontifex ingruentibus tenebris laſſos artus humi dum deponit, dulci viſione iucundatur. Semiuigilanti & velut in ecſtaſim rapto quadam graui maieſtate venerabilis virgo apparuit, & ſenilem arguens tarditatem, ſolitâ & familiari collocutione de mora reprehendit, cur ſcilicet abeunti myſteria ipſe ſuis manibus non tradiderit, cur oculos non clauſerit, pedes & manus ipſe non compoſuerit, cur ſudarium ipſe non ſuperduxerit, & cetera quæ illius ſunt horæ & officij. Ille excuſans negligentiam & prætendens obedientiam, præuenit, ait, ô virgo, officium neceßitas, quod tibi noſtra debebat infirmitas, cetera quæ ſuperſunt, tuum eſt præſcribere ex imperio, meum erit facere ex debito, præcipuè de ſepulchri loco. Et illa, arrectis, inquit, oculis cælum ſuſpice, & quò ſe extendat per medium lucis nimbum Crucis ſignum diligenter intende. Lambertus totum ſe in viſionem extendens, & velut quoſdam fulguris tractus quo poterat conatu ſequens, notat locum Crucis fulgore deſignatum, cum admonitione virginis ita dicentis. Hîc ſepulturæ locus, hîc cinerum meorum erit tumulus vſque in diem quâ iuſſit Dominus. Hac iucundâ illius demonſtratione, iſtius attentione virgo cælis recipitur, Epiſcopus à ſomno erigitur, & relegens viſionis ſuæ libellum, feſtinato & præter vires curſu delatus Belyſiam, inuenit eos iam agentes de ſepulchro intra Eccleſiam. Expletâ oratione, Epiſcopali facundiâ plebem ſuam alloquitur, poſtremò de reuelatione ad eum facta ſermonem ingreditur. Submurmurant ſtatim vniuerſi, & necdum perorantem clamore tumultuario impediunt & velut impugnant. Hîc, aiunt, fuit conſecrata & prælata, eius opibus hæc creuit Eccleſia, hîc per eam puellaris adoleuit turba. Hîc cæcos illuminauit, hîc claudos erexit, hîc omnibus incommodis ſe oppoſuit. Tu ipſe hîc ſtudiorum eius adminiculator, tu virtutum atteſtator, ipſiúſque huius Eccleſiæ conſecrator. Non eſt Epiſcopi, populum lædere; non eſt Paſtoris, oues velle ſpoliare. Perſuaſibilis & facetè ornata viſio, vt quam viuam tenuimus, mortuam amittamus. Nullum hoc pietatis, nullum hoc officium humanitatis, ſanctam à nobis dimittere, virtutum operatricem aliis relinquere. Age tua pro officio, cetera nos curabimus pro tempore & negocio. Hac tumultuaria plebis Lambertus permotus pertinaciâ, facile eſt, inquit, præeſſe ciuibus, ſed difficile placere omnibus; obedire quidem oportuit Deo magis quàm hominibus, ſed certus cùm ſim nihil poſſe mutari de omnibus quæcunque voluerit Dominus, ſciens & prudens manum in flammam mitto, & voluntati veſtræ interim me præbeo. Sic ad votum populi virgo ſepelitur, ſed Epiſcopo nihil de priſtina ſolicitudine imminuitur. Sciebat enim faciliùs elementa poſſe mutari, quàm Landradam mentiri. Ieiunium ſibi indicit, orationes cum ieiuniis continuat, demúmque exacto triduo in concione pro re pauca declamat. Dei, inquit, voluntati nolle obedire, contra torrentem brachia eſt extendere, ideóque tempus iam eſt, de veſtro quoque vt pendeat iudicio, quid illa nobis dudum expoſita ſibi velit noſtra viſio. Ocularia fides adhibeatur tumbæ virginis, vt omnis ſuper hoc negocio ſcrupulus amoueatur. Acclamatur ab omnibus, pedibus eunt in ſententiam, & apertâ tumbâ, non modò corpus, ſed neque ipſe reperitur corporis loculus. Expallent tacito murmure ceteri, ſolus Epiſcopus Deo gratias agens, & vt filios paternè demulcens, quia, inquit, iam quieuit diffidentia, experiamur nunc, quid poßit Dei magnificentia. Prædux ipſe viam arripit, populus comes ſecum Winſterhouum vſque percurrit. Ibi relegens ſuæ illius viſionis indicia & oſtenſæ Crucis veſtigia, effoßâ humo, virginis glebam cum ipſo ſarcophago inueniunt tranſportatam, eo ordine, eâ decenti reuerentiâ locatam, vt nulli ſit dubium, Angelorum id effeciſſe miniſterium. Hoc tam admirabili ſpectaculo, tanquam potatis æterni illius deliciis paradiſi, aliquandiu iucundati, digna cum veneratione deuotis manibus terram reponunt, & deficientes in ſeipſis cetera omnipotenti Deo committunt. Poſt huius Angelicæ ſepulturæ indicium, tantâ ſe illic vbertate diffudit cæleſte beneficium, vt nuſquam copioſiùs effluxerit diuini muneris ſtillicidium. Hæc Theodoricus Abbas in vita beatæ Landradæ. Sed Beliſiæ nihilo inferior ſanctæ virginis gloria permanſit in multas ætates. Eius enim excultæ diſciplinâ ſacratæ Deo Sodales Monaſticen magnâ gloriâ retinue-

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

runt, ex quo nomen loco perſeuerat *Munſter Bilſen*, vt diſtinguatur à vicino oppido *Bilſen* dicto. Eſt hodie Collegium nobilium Canonicarum à ſiniſtris viæ quâ Tungris Traiectum ad Moſam itur, vt Miræus & Fiſenus obſeruarunt. Colitur ſancta Landrada octauo Idus Iulij, quo die deceſſit.

XLIV. S. Hadelini obitus, [a] d. 5. Febr.

Floruit in eadem Diœceſi Traiectenſi Hadelinus Cellenſis Monaſterij primus inſtitutor, cuius obitus propter Scriptorum inopiam anno certo conſignari nequit. Etenim, vt Bollandus in prolegomenis ad illius vitam [a] ſcribit, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, aut fortaſſis ſexcenteſimum nonageſimum, aut etiam diutiùs ſuperſtes fuit. Adoleſcens erat annorum circiter viginti, cùm ſanctum Remaclum in Arduennam abeuntem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto comitatus eſt. Quot annos vixerit; vtrùm Canonicos apud Cellas an Monachos congregarit, vtrùm Abbas an Eremita dici debeat, haud liquet. Super ætate nihil audemus pronuntiare. Monachos primùm apud Cellas ab eo inſtitutos ſuadent Monaſticæ vitæ tyrocinium ſub Remaclo Abbate poſitum & Cellarum ſitus Monachis opportunior quàm Canonicis. Illum tamen opinamur Abbatis titulo abſtinuiſſe, quia vitam potiùs Eremiticam duxit quàm Cœnobiticam. *Cellenſes, apud quos*, vt Molanus affirmat, *in Diui Hadelini Eccleſia Præpoſitura remanſit, pingunt eum vt Eremitam quia Eremiticam vitam apud eos egit, eo videlicet in loco, vbi in hunc vſque diem ſepultura eius cernitur, ſuperextructâ ædiculâ, quam in memoriam Eremiticæ eius vitæ Anachoreta inhabitat.* Monachis Cellenſibus ſucceſſerunt Canonici. Tempus iſtius mutationis ignoratur.

Translationes,

Anno Chriſti milleſimo trecenteſimo triceſimo-ſeptimo Canonici, cùm à domino Cellenſi multùm opprimerentur, clàm cum feretro & corpore ſancti Hadelini Leodium aufugerunt. Erat enim Eccleſia Cellenſis vna ex Abbatiis ſancti Lamberti. Quare Adolphus de Marca * Leodienſis Epiſcopus, habito Capitulari conſilio, corpus ſanctum cum Canonicis miſit Viſetum *, quod ad Moſæ ripam ſitum eſt inter Leodium & Traiectum, nouiſque tunc muris & turribus vallabatur.

* de la Marck.

* Vueſet.

Imagines.

Sanctus Hadelinus à Viſetenſibus aliter pingitur quam à Cellenſibus. Viſeti enim pingitur *in veſte Doctorali longa, coloris nigri, geſtans in manu pedum, cui ſupereminet Crux, eique Cruci columba inſidet.* A Leodienſibus in collecta diei, doctor fidei vocatur. Lege Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, tertio Nonas Februarij, quo die ſanctus Hadelinus obiit, colitúrque multis in locis.

XLV. Epiſcopi Veſontion.

Ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, quo Claudius Epiſcopus, vt Monachus in Cœnobio Condateſcenſi fieret, Epiſcopatum Veſontionenſem dimiſit, ad Gedeonis vſque Pontificatum, cuius initium anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo triceſimo-quinto conſignandum videtur, effluxerunt anni circiter quatuor & quinquaginta. Tempore illo ſeptem ſederunt Epiſcopi, Felix, Tetradius, Albo, Wandelbertus, Euroldus, Aurulcus, & Herueus. Quot annos ſinguli ſederint haud liquet. Euroldus *anno duodecimo ſui Epiſcopatûs* exceſſit è viuis. Wandelbertus *parui temporis interuallo ſiue aliquantulo tempore* Pontificatum geſſit. Herueus Epiſcopali officio *aliquandiu* perfunctus eſt. De ceterorum annis nihil compertum habemus. A recto tamen computo non multùm nos aberraturos arbitramur, ſi duodecim annos Euroldo, tres Wandelberto, totidem Herueo tribuamus, ac reliquos ſex & triginta ſic in quatuor partiamur Epiſcopatus, vt annos nouem Felici, totidem Tetradio, necnon Alboni & Aurulco aſſignemus. Si valet hæc coniectura, vitam clauſerunt Felix hoc anno, Tetradius anno Chriſti DCXCIX, Albo anno Chriſti, DCCVIII, Wandelbertus anno Chriſti DCCXI, Euroldus anno Chriſti DCCXXIII, Aurulcus anno Chriſti DCCXXXII, Herueus anno Chriſti DCCXXXV.

XLVI. Felix Epiſcopus infeliciſſimis fuit moribus; patrimonium Chriſti decoxit improbiſſimè; Canonicorum Collegium, virtutum anteà ſcholam & officinam pietatis, in vitiorum omnium & luxûs academiam conuertit. Tanta

Digitized by Google

quippe ipſius vel incuriâ, vel prauo exemplo, in Canonicos irrepſit morum licentia, vt ſub eius Pontificatu non tantùm ex regularibus ac vitæ communi addictis in proprietarios, ſed etiam è caſtis in obſcœnos, ex piis in ſacrilegos, ex Clericis demum in milites euaſerint. Ita infelix ille Paſtor commiſſum ſibi gregem non pauit virenti doctrinæ religioniſque gramine, ſed lethali veratro & noxiis vitiorum herbis quaſi veneno infecit. Hinc ſcandala in ciuitate; hinc contentiones & iurgia; hinc etiam conflictus & cædes in Clero & populo, adeò vt nonnulli ciues aliquando grauiter à Canonicis læſi, cùm ventum eſſet ad manus, ingentem eorum ſtragem ediderint. In eo tumultu Felix ſibi timuit, veritúſque, ne in ſe quoque fieret impetus, agente quodam Comite, quem manuſcriptus Codex apud Ioannem Iacobum Chiffletium in Veſontione [a] ſiue in Metropoli Sequanorum illuſtrata, *Comitem Montis-Beligardi* vocat, clam ſubductus eſt è ciuitate, & ad ſuperiores partes Burgundiæ ſeceſſit. Ex quo fertur nullam vnquam diem (ſiue id æternæ calamitatis prælibatio fuit, ſeu potiùs paterna miſerentis Dei animaduerſio) ſine graui aliquo dolore ac mœrore tranſegiſſe. Ob hanc autem ortam morum in Clero diſſolutionem factum putat prælaudatus Auctor, vt nonnulli Canonici melioris mentis ad ſancti Pauli Monaſterium vitæ ſtrictioris ergò ſe conferrent. Vnde in Necrologio ſancti Pauli multos huiuſmodi legas, ſancti Pauli redditos Canonicos ex ſancti Ioannis Canonicis; & hunc inter alios. x. *Kal. Martij, obiit Manaſſes Eccleſiæ ſancti Ioannis Decanus, noſter redditus, & hic regulariter ſepultus.* AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

[a] Part. 2. n. 19.

XLVII. TETRADIVS.

Tetradius ſeu Tetrardus, qui Felici ſucceſſit, corruptiſſimam quoque vitam duxit. Tunc malum, quod ſub deceſſore natum erat, longiùs ſerpſit, Clerus omnis atque omnis Ordo diſciplinam abiecit. Sacrarum familiarum bonis nimio luxu diſſipatis res Eccleſiaſtica deuenit in eas anguſtias, vt teſte apud eundem Chiffletium [b] antiquo illius æui Scriptore, *Eccleſia Iuſſani Monaſterij, Eccleſia ſancti Marcellini*, id eſt, Eccleſia ſanctorum Martyrum Petri & Marcellini, *Eccleſia ſancti Petri* Apoſtoli *quæ ſita eſt in medio ſuburbij, Eccleſia ſancti Pauli, & Eccleſia ſanctorum Ferreoli ac Ferrucij, in quibus ſingulis fuerant olim Congregationes*, vix ſuum quæque Sacerdotem ſuſtentare poſſent.

[b] Part. 2. n. 30.

XLVIII. MONAST. HOHEMBVRG.

Gaſpar Bruſchius in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ, vbi de Truttenhuſio ſermonem facit, ad hunc annum primordia Hohenburgenſis ſiue Altitonenſis Cœnobij ſic refert. *In ſummitate & apice montis famoſiſſimi ac amœniſſimi eſt Altitona, vel, vt Germanicè vocant, Hohenburgenſe Monialium ſanctæ Odyliæ Monaſterium ſpacioſiſſimum ampliſſimúmque, quod anno Domini* 690, *ſub Childerico Francorum Rege, ab Adelrico Ethicone ſanctæ Odyliæ patre, Regio in Alſatia Præfecto, eiuſdémque Childerici conſanguineo in ſuperiori Ehenheymio, ciuitate Alſatiæ, curiam ac ſedem ſuam Ducalem habente, inchoatum, ac arce Regiâ in domum Dei conuerſâ conditum, ampliſſimíſque prouentibus annuis munificentiſſimè donatum eſſe legitur.* Eadem poſt Bruſchium, quem citat, ſcribit Martinus Crucius parte primâ [c] rerum Sueuicarum, ſitúmque prædicti Monaſterij paulò diligentiùs obſeruat, illud enim conſtructum ait *in monte altiſſimo & celeberrimo Alſatiæ, qui 4 milliaribus ab vrbe Argentina diſtat, & ſanctæ Otiliæ vel Odiliæ iugum, Vogaſíque montis caput nuncupatur.*

[c] Lib. 10. c. 10.

XLIX.

In vtroque illorum Auctorum conſpiciuntur næui multùm deformes. Odilia patrem habuit Athicum ſiue Ethiconem, auum Leutharium, Duces Alamanniæ. Falluntur, qui Proceres illos Auſtraſios cum Neuſtraſiis confundunt, Athicum cum Adalrico, Leutharium cum Leudeſio Erchinaldi filio. Leutharius regnantibus in Auſtraſia, Sigiberto Tertio, Clodoueo Secundo, Clotario Tertio, & Childerico Secundo, Dux Alamannorum fuit, eíque in Ducatum ſeu Præfecturam Alamanniæ ſucceſſit Athicus filius, Childerico Secundo Auſtraſiæ tum Rege, regnauit autem in Auſtraſia Childericus ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſi-

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17. mum ſeptuageſimum-tertium, vnde redarguas Bruſchium, quòd Hohenburgenſe Monaſterium *anno Domini 690 ſub Childerico Francorum Rege* inchoatum ſcribat, anno enim Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo Monarchia Francorum penes Theodoricum Tertium erat.

L. De Odiliæ patre & auo vide quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [a]. De matre quid ſentiamus, paucis accipe: Sanctæ Odiliæ vitam in duobus Codicibus manuſcriptam legimus. Vtrobique mater eius vocatur Berehſinda, & Sigrandæ ſeu Sigradæ, quæ ſancti Leodegarij mater extitit, ſoror *aſſertione plurimorum* dicitur. Hæc opinio non diſplicet.

[a] Nu. 4. 5.

LI. Caue autem, ne quam Bruſchius aliíque affinitatem inter Childericum Regem & Odiliam finxerunt, inde profectam putes. Leodegarius Auguſtodunenſis Epiſcopus, vt Anonymus in eius vita ſcribit, fertur dixiſſe Childerico, *quòd Regina, quam habebat coniugem, filia ſui eſſet auunculi.* Inde occaſio pleriſque fortè data, vt Bilihildem, quæ Childerico Regi nupſit, ex Leodegarij matertera vel amita natam opinarentur. Certè Anonymus, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium [b] iam obſeruauimus, non de Leodegarij ſed de Childerici Regis auunculo locutus eſt. Childericus enim filiam auunculi ſui, ſiue auunculum in propria ſignificatione ſiue pro patruo vſurpes, legitimè ſibi ſociare non potuit in vxorem. Alij Bilihildem & Berſwindam ſorores faciunt; ſancti Leodegarij neptes ex ſorore prædicant; nuptáſque volunt, Bilihildem Childerico Regi, Berſwindam Athico patri Odiliæ. Berſwindam, quam ſancti Leodegarij neptem ex ſorore non inficiamur, duxit Adalricus, Leudeſij filius, Erchinaldi nepos. Cetera, quæ de Berſwinda circumferuntur, fabuloſa ſunt, hæc enim nec Odiliæ patri nupſit, nec Bilihildi Reginæ ſoror fuit aut amita vel matertera.

[b] Num. 2.

LII. NASCITVR, Odilia lucis vſuram accepit regnante tunc apud Francos Childerico Secundo, ſiue, vt Auctor vitæ ſcribit, *temporibus Hildrici Imperatoris.* Vixit annos tres ſupra centum, obiítque Pippino tum Rege, vt Ioannes Ruyrus [c] ex veteribus monumentis in ſanctis Antiquitatibus Voſagi montis teſtatur. Ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo quo Childericus Secundus in Auſtraſia regnare cœpit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodeſeptuageſimum quo Pippinus Rex vitam clauſit, effluxerunt anni centum & octo. Natam igitur Odiliam putamus anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo, denatámque anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo ſexageſimo-quinto. Si valet hic computus, agebat annum ætatis circiter duodetriceſimum, cùm ab eius patre Athico fundatum eſt Monaſterium Hohenburgenſe, nec ab hoc calculo recedent ea, quæ de variis eiuſdem Odiliæ peregrinationibus mox dicemus.

[c] Part. 2. l. 4. c. 10.

LIII. A natiuitate fuit cæca. Quantùm doloris inde pater conceperit, præter Auctorem vitæ manuſcriptum, teſtantur Richerius in Chronico [d] Senonienſi & Ruyrus in Antiquitatibus [e] Voſagenſibus. CÆCA, *Pater vt audiuit quia cæca nata erat, turbatus eſt in ſeipſo dicens, quia pro aliquo delicto eueniſſet, cogitans vt eam occidi præcepiſſet, dixit ad coniugem ſuam. Nunc cognoſco, quia in aliquo Deum iratum habeo, quia hoc euenit michi, antè nulli ex genere meo contigit. Iuſſit ergo vt occideretur. Mater verò eiuſdem filiæ reſpondit dicens. Domine mi, noli eſſe triſtis, cognoſco quia iudicium Dei manifeſtandum eſt, quia ipſe Chriſtus reſpondebat diſcipulis ſuis de cæco nato interrogantibus dicens, [quia hic neque peccauit neque parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.] Ipſe verò nolebat per hæc verba conſolationem habere, ſed magis ac magis in corde ſuo dolebat, ſi hæc puella viueret, dixítque iterum ad coniugem ſuam, magnam ſibi verecundiam eſſe, quòd filia eius viſu oculorum fruſtrata eſſet. Et ideo præcepit ei, vt aliquem ſibi familiarem ſatageret quærere, per quem ipſa puella occideretur, aut in eum locum duceretur, vbi manifeſtaretur nuſquam. Mater verò magnis anguſtiis circum-*

[d] L. 1. c. 14.
[e] Part. 2. l. 4. c. 1.

data, iuſſionem mariti non ſponte perficiens, huc illúcque animo fluctuare cœpit, AN. CH.
ignorans quid filiæ ſuæ facere debuiſſet, tandémque animo ſuo diiudicauit melius 690.
eſſe, vt eam in peregrinationem mitteret, vel in aliquod latibulum, quàm per con- THEO-
ſilium morti traderetur, & obnixè ſtudebat Dominum deprecari, vt conſilium ſuæ DOR III.
gratiæ per Spiritum Sanctum ei oſtendere dignaretur, qui mœrentium conſolator R. 17.
eſſe cognoſcitur. Tunc Domini inſpirante gratiâ recordari cœpit cuiuſdam fœminæ quam ab infantia familiariter in domo ſua nutrierat, ſed propter aliquod delictum eo tempore de domo ſua eiecta erat. Sed iam marito coniuncta filiam cum viro ſuo poſſidebat. Domina verò eius audiens eam iam filiam habere, memórque priſtinæ familiaritatis miſit nuncium, vt eam ad ſe magna cum feſtinatione acceſſiret. Quæ imperium ſuæ dominæ gratulanter amplectens, quod per nuncium mandauerat, velociter ad eam peruenit. Poſtquàm ergo ſe mutuò viderunt, domina eius cum magna triſtitia ei cuncta replicando retulit, quæ vel qualiter dominus eius ſuper filiam ſuam mandauerat. Ipſa autem famula vt audiuit quomodo domina eius contriſtabatur, multùm dolori eius condolens dixit ad eam. Domina mea, Deo cara, nolite mœrore affici propter filiam tuam, quia ipſe Dominus, qui eam ſecundùm voluntatem ſuam creauit, potens eſt etiam in ea reſtaurare quod imperfectum eſt. Quòd ſi veſtræ placuerit voluntati, tradite eam mihi ad alendum, meum enim erit, Domino annuente, perducere eam ad perfectam ætatem. Tunc venerabilis domina, conſolatione ſuſceptâ, accepit puellam, & tradidit in manus ancillæ dicens. Tibi eam do ad nutriendum, & Domino meo Ieſu Chriſto commendo. Tunc ipſa gratulanter acceptâ puellâ remeauit in domum ſuam, & nutriuit eam ferè per annum integrum, vſquedum ipſi vicini ſermocinarentur, cuius filia hæc eſſet, quam ipſa tam honorabiliter nutriret. Nutrix autem eorum agnitione compertâ verborum, magno timore perculſa, quia hoc palàm fieri timebat quod occultare cupiebat, miſit nuncium, & intimauit dominæ ſuæ qualiter vicini eius loquerentur. Ipſa autem ei remandauit, vt latenter properaret transfugere in alium locum qui Palma vocabatur, ibíque ſecum ipſam puellam occultaret, aſſerens ſe ibi habere quandam amicam, quæ illi neceſſaria, quibus indigeret, largiretur. Tunc iuſſionibus eius latenter obtemperans ad conſignatum peruenit locum, & in eodem Cœnobio puellam educauit, donec cuidam Epiſcopo B. Erharto de partibus Bawariorum Dominus in viſione mandauit dicens. Vade ad quoddam Monaſterium, quod dicitur Palma, & ibi inuenies puellam à natiuitate cæcam; accipe eam & baptiza in Nomine Trinæ Maieſtatis, imponens ei nomen Odilia, & continuò poſt Baptiſmum viſum recipiet. Ipſe ergo præceptum ſibi iniunctum implere feſtinans properè ad præfatum peruenit locum, ac omnia, ſicut oſtenſum ei fuerat, inuenit. Tunc accepit ipſam puellam, & ſecundùm BAPTIZATVR,
mandatum ſibi datum eam in fontem ſanctificatum immerſit, & cùm eam à fonte ſancto eleuaret, & oculos ipſius chriſmate liniret, illicò ligaturis oculorum laxatis clarè intendebat in faciem Antiſtitis. Sanctus ergo Dei famulus ingenti gaudio repletus dignas Deo laudes ac gratias retulit, & eidem Congregationi quomodo in viſione ei omnia oſtenſa ſunt patefecit, ammonens & exhortans ancillas Chriſti, vt ſtrenuè diligentérque curam virginis Deo conſecratæ niterentur habere, &c. Patri autem eius cælitus oſtenſum eſt, quòd filia ſua, quam interimi decreuerat, & quomodo per Epiſcopum ſacro fonte abluta viſum recepiſſet. Antiſtes autem ignorans, quòd patri illius hæc omnia reuelata fuiſſent, dum in patriam rediret, miſſo nuncio ad prædictum Ducem ei omnia quæ geſta erant intimauit, obſecrans enixè vt diſſenſionem, quæ inter ſe & filiam eius, diabolo incitante, erat, Deo opitulante diſrumperet, & in concordiam redire feſtinaret. Huc vſque Auctor vitæ ineditus.

Vbi & à quo baptizata ſit Odilia, non omnes conueniunt. Auctori proximè citato Paulus in vita ſancti Erhardi ſiue Erharti Epiſcopi ſic aſtipulatur. *Eo tempore Duci Ethiconi* ſiue Athico *filia cæca naſcebatur, quo comperto pater erubeſcens, execrabilem in filiam dedit ſententiam, ſcilicet vt capite plexa relinqueret vitam. At cùm materna ſuper filia quaterentur viſcera, patris crudelitatem matris fruſtrabatur pietas, datámque nutrici filiam in Monaſterio Palma* LIV.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODR. III. R. 17. *ſecretò eam nutriri præcepit.* Et paulò pòſt. *In partibus ergo Bauariæ, cæleſtibus intento B. Erhardo reuelatum eſt, vt ad Rheni fluminis partem repedaret, puellam baptizaret, ac cæcam illuminaret. Qui iubentis vocem obedientiæ pede ſecutus ad deſtinata peruenit loca. Quæſitam ergo & oblatam cùm vidiſſet puellam, genas rigatus lacrymis, cum graui ſuſpirio manus oculóſque leuauit ad Deum, cúmque diu multúmque tacitâ prece cordis diuinam laudaret, magnificaret ac benediceret clementiam, tandem in verba vocem ſubminiſtrans; lux, inquit, vera, Ieſu Chriſte, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, pietatis tuæ rorem inſtilla famulæ tuæ, corde corporéque illam illuminans. Deinde poſt fidei ſacræ rudimenta dato nomine, pro geſtu rerum, Othilia, quod interpretatur Deus Sol, cùm ſacrâ fontis eam immerſiſſet vndâ, & poſt cetera dixiſſet, ipſe te illuminet in anima & corpore (ò virtus admiranda, Sanctíque Patris merita!) ſecundùm vocem ac voluntatem in terra petentis, virtus agebat in cælo præſidentis. Nam hactenus ignota feneſtras frontis lucis irrupit iucunditas, & Deo vero Sole illuminante per impoſitionem manûs S. Erhardi plenam natiuitatis perfectionem tandem puella ſortita eſt.* Eadem compendioſiùs ſcribit abbreuiator Pauli. Locum, vbi Ottilia Baptiſmum ſuſcepit, determinatè non notat Conradus de monte Puellarum; prouinciæ tantùm, in qua res peracta eſt, Alſatiæ videlicet nomen vſurpat, aſſeritque Ottiliam illic ab Erhardo Epiſcopo baptizatam fuiſſe. In Breuiario Eccleſiæ Auguſtanæ, quod à Paulo Quinto Summo Pontifice approbatum eſt, & in moderno eiuſdem Eccleſiæ Breuiario, Erhardus Epiſcopus diuinâ reuelatione iuſſus è Bauaria proficiſcitur ad Rhenum, & Ottiliam lauacrum regenerationis flagitantem baptizat. Auctores ſuprà nominatos cum prælaudatis Breuiariis publicauit Bollandus ad diem octauum Ianuarij, quo feſtum ſancti Erhardi celebratur.

LV. Paulus eiúſque abbreuiator non diſſimularunt alia legi in vita ſancti Hildulphi Treuirenſis Epiſcopi, nempe quòd idem Hildulphus baptizarit Othiliam, & Erhardus Hildulphi frater eam de fonte ſacro leuarit. Paulus enim textui ſuprà citato hæc ſubiunxit. *Quia in beati Hildolphi vita ſcriptum eſt ipſum* Hildolphum *eam* Othiliam *baptizaſſe, iſtúmque ſanctum virum* Erhardum *eam de fonte leuaſſe, negligenter hunc locum relinquere viſum non eſt, ſed admonere, quid horum verius ſit, de ſancta Othiliæ vita quærendum.* Et abbreuiator Paulum hoc loco ſic contraxit. *In vita tamen Hildolphi legitur, quòd ipſe eam* Othiliam *baptizarit, beatum verò Erhardum eam de ſacro fonte leuaſſe.* Non inficiamur illa commemorari in vita ſancti Hildulphi. *Eodem tempore*, inquit Auctor [a] iſtius vitæ, *quo ſancta hæc & germana luminaria,* Hildulphus & Erhardus fratres, *mutuæ conuerſationis vinculo connecterentur, defertur eis cuiuſdam Heſticonis* ſiue Ethiconis aut Athici *Ducis filia, à natiuitate cæca, atque, vt eius miſereantur, mœſti rogauerunt parentes, quam cùm ſancti Patres cognouiſſent eſſe gentilem, factam priùs catechumenam Domino commendarunt, & pro ea humiliter deprecati ſunt. Poſteà verò S. Hildulphus eam baptizauit. Quam de more Eccleſiæ S. Erhardus de ſacro fonte excipiens, iam mente & corpore illuminatam nominauit Odiliam.* Sed & ipſiuſmet Pauli ſuperiùs allegati conſilio quænam illarum opinionum verior eſſet, *de ſancta Othiliæ vita* quæſiuimus.

[a] Ap. Sur. d. 11. Iul.

LVI. Qui vitam ſancti Hildulphi conſcripſit, in rebus, quæ ſpectant ad Baptiſmum ſanctæ Odiliæ, non eâ dignus eſt fide, quâ præcitatus Anonymus, qui ſanctæ Odiliæ vitam in literas retulit, ídque, vt obſeruatum ſuprà, conſtat ex eorum etiam iudicio, qui poſteris vitam ſancti Erhardi commendarunt, nec priuata deſunt argumenta, quibus hæc ſententia fulciatur.

LVII. Primò, locus, vbi Odilia baptizata eſt, in vita ſancti Hildulphi perperam dicitur is fuiſſe, in quo *ſancta & germana luminaria,* Hildulphus & Erhardus, *mutuæ conuerſationis vinculo connecterentur,* Medianum videlicet Monaſterium, quod Hildulphus Epiſcopatu Treuirenſi ſponte abdicato conſtruxerat. Illuc enim Erhardus ad fratrem è Baioaria ſæpè proficiſcebatur. Non

Digitized by Google

alium locum deſignat Richerius, apud quem libro primo [a] Chronici Senonienſis hæc leguntur. *Cùm B. Hydulphus in hac ærumnoſa peregrinatione debilem duceret vitam, & fama ſuæ conuerſationis longè latéque diffunderetur, cognouit vir ſanctus Erardus Epiſcopus eius germanus ipſum in hac Voſagi ſolitudine peregrinari. Qui quantocyùs iter arripiens ad partes iſtas, vt fratrem, quem videre deſiderabat, inueniret, acceſſit, quem diu quæſitum in Monaſterio, quod iam ædificauerat, inuenit, qui eum ingenti gaudio ſuſcipiens, vitam pluribus diebus duxere cæleſtem. Cùm verò hæc ita ſe haberent, contigit cuiuſdam nobilis filiam cæcam ad Monaſterium dictum deportari, quam pater eius Ethico nomine, quia cæca nata fuerat, necari præceperat.* In vita autem ſanctæ Odiliæ & in vita ſancti Erhardi, Monaſterium, in quo baptizatur Odilia, non Medianum vocatur ſed Palma, nec virorum eſt vt Medianum ſed fœminarum, quibuſcum Odilia enutritur, permanétque poſt ſuſceptum etiam Baptiſmum, donec ad paternam domum à fratre reuocatur.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

a Cap. 14.

LVIII. Secundò, in vita ſancti Hildulphi, puella à natiuitate cæca defertur à parentibus, qui ſanctos Patres, Hildulphum & Erhardum, *vt eius miſereantur, mæſti* rogant. At ſi filiam ambo parentes Athicus & Berehſinda ſupradictis Epiſcopis curandam obtulerunt, cur illam baptizatam ac ſanatam pater domum ſecum non reduxit? Abſentibus inſciíſque parentibus Odilia baptizata eſt, lumenque oculorum recepit. Id apertè docent Paulus in eius vita & Richerius in Chronico Senonienſi. Paulus, vbi agit de lætitia, quâ perfuſi ſunt ij, quibus in notitiam miraculum tam illuſtre venit, nullam Athici mentionem facit. *Fit*, inquit, *gaudium ingens circumquaque miraculum cognoſcentium; Pater*, id eſt, Erhardus Epiſcopus, *ad cælum laudibus tollitur, puella beatificatur, mater* Berehſinda *conſolatur, virtus diuina prædicatur.* Huius Auctoris mentem non benè aſſecutus eſt abbreuiator, & illam phraſin, *Pater ad cælum laudibus tollitur*, quæ de Erhardo Epiſcopo ſummis laudibus poſt ſanatam Odiliam ad cælum euecto intelligi debet, malè reddidit, perperámque ad Athicum Odiliæ patrem ſic detorſit. *Gaudent ergo cuncti & mirantur vniuerſi; pater exultat, mater conſolatur, diuina virtus ab omnibus laudatur.* Odiliâ illuminatâ, mulier, quæ rogatu matris, clam patre, puellam nutriendam ſuſceperat, matrem de miraculo certiorem fecit, patrem nequaquam, memor odij quod ille in filiam aliàs conceperat. Quàm prudenter nutrix egerit, probauit euentus. Auditâ filiæ illuminatione pater iram non depoſuit, filium enim, quòd ſorori reditûs auctor fuiſſet longo pòſt tempore verberauit, imò interemit, vt dicemus infrà. Faceſſant igitur ij, qui lectâ ſancti Hildulphi vitâ præualidum ſe nactos argumentum putant, vt Odiliam eidem Hildulpho & Erhardo à patre Athico & matre Berehſinda oblatam audacter obſtinatéque aſſeuerent.

LIX. Tertiò, in vita ſancti Hildulphi, Odilia dicitur gentilis, illiúſque parentes mœſti ſanctos Epiſcopos Hildulphum & Erhardum non rogant vt eam baptizent, ſed *vt eius miſereantur*, id eſt, vt cæcitatis miſereantur quâ laborat. In vita autem ſanctæ Odiliæ, parentes eius ob Chriſtianos mores plurimùm commendantur. Laudatur pater, quòd vxore nondum ductâ, *cùm iuſtus eſſet, vitámque Religioſam in laico habitu quamuis poſitus ducere cupiens, Dei inſpirante gratiâ cogitare cœpit, vt aliquem locum habitabilem ad Domini miniſterium implendum prepararet*, cúmque locum reperiſſet in præcelſi montis cacumine ſitum, *cui nomen ab altitudine vrbium Houmburch erat, mox inibi Eccleſiam, & cetera ædificia, quæ militantibus Chriſto neceſſaria ſunt, ædificari ordinauit.* Laudatur mater, quòd erat matertera ſancti Leodegarij Auguſtodunenſis Epiſcopi, & *quamuis lege coniugali ligata foret, tamen eleemoſynis & ceteris iuſtitiæ operibus dedita, necnon & ſanctarum paginas Scripturarum libenter audiens, Deo ſtudebat illibatum exhibere ſeruitium.*

LX. In rebus igitur, quæ ſpectant ad Baptiſmum ſanctæ Odiliæ, ſtandum ab Auctore vitæ ſuprà citato. De tempore, quo baptizata eſt, nihil audemus

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

aſſerere. Erhardus Epiſcopus, qui Boioarios erudiebat, ad fratrem ſuum Hildulphum in eremo latitantem non ſemel ſe contulit. Primam profectionem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo [a] conſignauimus. Ambo fratres ſimul manſerunt *per annos aliquot continuos*, ſi fides eſt vitæ S. Hildulphi à Bollando [b] allegatæ. Conradus *annos aliquot continuos* interpretatur *quatuordecim annos* in vita ſancti Erardi, ſed Erardum, qui Boioariorum conuerſioni ſedulus incumbebat, à Boioaria per annos quatuordecim abſuiſſe non arbitramur. Meliùs à Paulo hæc abſentia exprimitur *diebus ſat multis*, & ab Anonymo Pauli abbreuiatore *aliquantis diebus*. Erhardus, cùm in Boioariam reuerſus eſſet, diuinâ reuelatione mandatum accepit, *vt ad Rheni fluminis ripam repedaret, puellam baptizaret, ac cæcam illuminaret.* Verba ſunt Pauli in ſancti Erhardi vita. Nec diſſimilia ſcribit Conradus. *Reuelatum eſt*, inquit, *ei*, nempe Erhardo, *diuinitus, vt de Bauaria ad Rheni fluminis partes, videlicet in Alſatiam, ſe transferret, filiámque Ducis Eticonis* ſiue Athici *cæcam natam baptizaret, & diuinâ iuuante gratiâ tam corporaliter quàm ſpiritaliter illuminaret.* Inde colligimus Odiliam baptizatam fuiſſe cis Rhenum in Alſatia intra fines Diœceſeos Argentoratenſis, vbi tunc ſitum puellare Monaſterium, cui nomen Palma.

[a] Num. 12.
[b] In not. ad vit. S. Erard. d. 8. Ian.

LXI. Quot annos Erhardus poſt baptizatam Odiliam ſuperſtes vixerit, haud liquet. Tres Auctores vitæ, quos, vbi occaſio ſe dedit, vnà cum Breuiariis Auguſtanis allegauimus, ab Odiliæ Baptiſmo ſtatim ad ipſius Erhardi mortem tranſeunt. *Hinc*, id eſt, ex Alſatia, quò ſe contulerat vt Odiliam baptizaret, *vir Dei reuerſus eſt in Bauariam*, inquit Conradus, *& in ciuitatem Ratisbonam, vbi ſpecialiter ad inferius Monaſterium in honore venerabilis Dei Genitricis fabricatum conuerſatus eſt, ſanctitate puriſſimâ & deuotione mundiſſimâ delectatus, tunc temporis in virginea diligentia, quâ Deo & Virgini glorioſè diu noctúque ſeruierunt & ſeruire ſtuduerunt inibi famulæ Deo dicatæ canonicæ cælibis vitæ. Tantùm autem eundem locum dilexerat pius Pater, vt propriis manibus ſuis ibidem iuxta Monaſterium puteum aquæ dulcis foderat*, &c. *Cùm itaque vir diuinitus iugum Domini continuaſſet in hac valle lacrymarum, vt diuina gratia ipſum iuberet carnis tunicam exuere, & ciues patriæ cæleſtis Spiritu Sancto feliciter adire, infra Baſilicam ſupradicti Monaſterij ad latus Septentrionale tumulatus eſt, & ibidem poſt obitum ſuum crebris claruit, & hodie claret miraculis.* In multis Martyrologiis celebris eſt ſancti Erhardi memoria ſexto Idus Ianuarij. Variis nominibus appellatur, Erardus, Erhardus, Erhartus, Erchardus, Erehardus, Netardus, Errardus & Arionardus.

LXII. Odilia ſuſcepto Baptiſmo, non ſtatim ad paternam domum reuocata eſt, quamuis, vt ex eius vita retulimus & ex vita ſancti Erhardi confirmare eſt, Erhardus Epiſcopus Athicum Ducem per literas quamprimùm hortatus eſſet, vt quam filiam propter cæcitatem, quam culpa non meruit, priùs exoſam habuerat, iam propter ſanitatem, quam vera ſalus Chriſtus reddiderat, amore complecteretur. In eodem Monaſterio, vbi baptizata fuerat, diu permanſit, donec diabolo incitante odium incurrit quarumdam mulierum, cúmque malè haberetur, per epiſtolam queſta eſt apud fratrem, qui patrem ſic dicitur allocutus. *Nihil aliud poſtulo, niſi vt filiam veſtram, quæ nunc in extera gente omnium ſuorum deſtituta parentum conſiſtit ſolatio, reuocari & veſtræ præſentiæ præſentari faciatis.* Pater his verbis vehementiùs exaſperatus filio præcepit, *vt hac de re omnino reticeret*, filiam enim, quam à natiuitate cæcam viderat & propter cæcitatem iuſſerat enecari, nolebat in conſpectum ſuum admittere. Quid poſteà frater in gratiam ſororis egerit, Codex manuſcriptus in eiuſdem Odiliæ vita ſic perſequitur. *Bonæ autem indolis adoleſcens dolori ſororis ſuæ compatiens, patre ignorante, miſſo curru & ceteris, quæ iter facientibus neceſſaria erant, fecit eam in proprium reuerti locum. Eodem autem Duce vnà cum filio & ſuis hominibus conſedente in edito eiuſdem vrbis loco, qui ob etymologiam ipſius nominis Houmburch dicitur, contigit vt Odilia ſponſa Chriſti in*

Manet in Monaſterio.

Digitized by Google

ti in curru ſedens, ſicut illis temporibus mos erat eundi, cum turba copioſa aduèniret, ſicut ei frater diſpoſuerat. Ipſe verò eleuatis ſuis obtutibus cernens multitudinem illam percunctatus eſt quidnam hoc eſſet. Tunc adoleſcens reſpondit quòd filia eius Odilia eſſet. Et ipſe inquit. Quis tam ſtolidus & temerarius fuit, qui eam reuocare præſumpſit ſine meo iuſſu? Frater autem animaduertens, quòd iam latere non potuiſſet hoc quod fecerat, patri reſpondit. Ego famulus tuus arbitrans quòd in opprobrium nobis proueniret, ſi in tanta paupertate permaneret, multùm illius afflictioni compaſſus reuocaui eam. Sed nunc, pater, hoc mihi indulge, quia ſcio me nimis ſtultè egiſſe, quòd eam ſine tuo reuocare præſumpſi imperio. Sed ipſe, heu! malè iracundiâ deuictus, baculo, quem manu geſtabat, puerum percuſſit duriùs quàm ſibi voluntati eſſet. Tunc adoleſcens ex eodem ictu in ægritudinem decidit, vitámque finiuit.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

LXIII. MORTVO FRATRE

Mortuo filio, pater agendæ pœnitentiæ ſedulò vacauit. Idem enim Auctor in vita filiæ ſic pergit. *Pater verò immanitatem reatûs ſui conſiderans, ſemetipſum in lamentatione & abſtinentia affligere ſtuduit, & longa ſuſpiria trahendo dixit. Væ mihi miſero, quia filium meum interimendo superni iram Iudicis incurri. Ac deinceps vſque ad obitum ſuum in Monaſterio perſeuerans eum ſibi placare nitebatur dignis pœnitentiæ fructibus, & Sanctorum limina frequentando in ſpiritu contrito & corpore macerato eorum interceſſionem implorabat.* Monaſterium, in quo dicitur *vſque ad obitum ſuum* perſeueraſſe, nobis non aliud videtur ab Ebersheimenſi *, quod ſub annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimumquintum fundauit, & ad ſummum ſplendorem euexit ex Cella minoris nominis à Dagoberto Secundo Rege quondam erecta in memoriam filij à mortuis ſuſcitati. Gabriel Bucelinus parte ſecundâ Germaniæ ſacræ de illo Cœnobio ſic ſcribit. *Fundatum pro Ordine S. P. Benedicti ab Ethicone ſiue Attico Duce*, &c. *ſub A. C.* 685. *etſi iam antè Cella ibidem erecta eſſet Monachorum à Dagoberto Rege in memoriam reſuſcitati à S. Arbogaſto ex mortuis filij, qui eo ipſo loco in venatione ab apro percuſſus interierat, inde etiam petitâ nominis impoſitione. Ceterùm Ethico ad ſummum ſplendorem euexit, vt potior fundator habeatur.* Idem Ethico Monaſterium Hohenburgenſe poſt quinquennium ædificauit teſte eodem Auctore, nec ab ea ſententia recedit Codex noſter in vita ſanctæ Odiliæ, vbi legimus Odiliam poſt fratris mortem cum Monacha, quæ venerat è Britannia, *multo tempore* in Monaſterio permanſiſſe, donec pater Cœnobium Hohenburgenſe cum omnibus appendiciis in manibus eius tradidit. *Tunc*, id eſt, poſtquàm frater Odiliæ vitam clauſit, pater *supernâ diſponente clementiâ recordatus eſt abiectionis filiæ ſuæ, eámque ad ſe accerſiri præcepit. Quæ cùm accerſita veniſſet, aliquid mitiùs erga eam agere volens tradidit eam ſanctæ Moniali, quæ de Britannico territorio erat, & conſtituit cotidie ei dare ſtipendium vnius ancillæ. Ipſa autem cum gratiarum actione hoc ipſum accipiens, in ipſo Monaſterio, multo permanſit tempore, nichil alíud habens quàm quòd vna ancillarum habere conſueuit.* Et paulò pòſt. *Sancta autem virgo eodem ſtipendio contenta, multo tempore in Monaſterio erat, nichil aliud habens, quòd nec pater eam vocauit, nec ipſa non vocata ad eum ire præſumpſit. Sed cùm iam ſuperna pietas lucernam ſuam ſuper candelabrum ponere decreuiſſet, vt intrantes domum lumen cernerent, accidit vt quadam die farinam in vaſculo ſubter pallio, quo circùm amicta erat, portanti pater intra ſepta Monaſterij obuiaret, iámque rigidâ depoſitâ mente per diuinam inſpirationem eam allocutus eſt dicens. Filia mea chariſſima, vnde venis, & quò ire cupis, vel quid portas? Ipſa autem ſubſiſtens reſpondit. Parum farinæ ego, domine, fero, vt ex ea aliquid cibi faciam ad recreandos egenos. Ipſe autem, noli, inquit, contriſtari quòd hactenus in peregrinatione duxiſti vitam, quia Domino annuente in proximo eſt vt hoc exſuperes. Ac idem Monaſterium cum omnibus appendiciis in manibus eius tradidit.* Hæc poſtrema verba ſubindicant Odiliam, ſtatim ac frater eius occubuit, ab Ethicone patre, qui pœnitentiâ compungi cœpit, miſſam fuiſſe Hohenburgum, vbi vitam cum nonnullis Monialibus egit, donec ipſa magnificentiſſimi Monaſterij, quod

* *Ebersheimb Munſter.*

TRADITVR MONIALI BRITANNÆ.

Digitized by Google

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 17.

hoc anno ibidem ab eodem Ethicone conſtructum eſt, facta fuit prima Abbatiſſa.

LXIV. Filij necem dolorémque patris ex ea conceptum Richerius in Chronico Senonienſi ſic perſtringit. *Pater iratus baculo, quem fortè tunc manu tenebat, iuuenem percutiens, & filium trucidauit, & hereditatis ſuæ ſucceſſorem amiſit. Videns autem idem vir nobilis ſe ſuo orbatum herede, admodum ipſe indoluit.* Si fides eſt huic Auctori poſt luctuoſam illam filij cædem nulla Ethiconi ſiue Attico Duci proles maſculina ſuperfuit, ſed ex vita ſanctæ Odiliæ manuſcripta, quam ſæpè citauimus, conſtat eidem Duci ſuperſtitem vixiſſe filium nomine Adalbertum, cui tres filiæ fuerunt, Eugenia, Atalia & Gunlindis, quæ ſe amitæ ſuæ Odiliæ, vt alio loco fuſiùs dicemus, diſciplinæ tradiderunt. Auctor enim ſic ſcribit. *Odilia habebat fratrem, nomine Adalbertum, qui habebat tres filias, quarum vna Eugenia, alia Atalia, tertia Gunlindis dicebatur. Quæ audientes opinionem ſanctæ virginis cogitarunt & ipſæ per caritatem Dei mundum relinquere & amitæ ſuæ ſe diſcipulatui mancipare*, &c. *Illa autem, vt audiuit earum deſiderium, libenter eas ſuſcepit, diligentérque edocuit.* Certè vt in vita ſancti Erhardi ſuperiùs allegata, Paulus, vbi de Baptiſmo ſanctæ Odiliæ ſermo habendus eſt, monet ſtandum potiùs ab Auctore, qui totus in conſcribenda ſanctæ Odiliæ vita fuit, quàm ab eo qui ſemel in ſancti Hildulphi vita mentionem eiuſdem ſanctæ Odiliæ fecit; ſic eundem Auctorem vitæ ſanctæ Odiliæ, vbi narratio de fratre eiuſdem ſanctæ Odiliæ inſtituenda eſt, Chronographo Senonienſi, qui ſanctæ Odiliæ eiúſque fratris obiter meminit, hoc loco præferendum cenſemus. Præter Auctorem, quo hactenus vſi ſumus, alius vitam ſanctæ Odiliæ conſcripſit, íſque non contemnendus, vixit enim ſynchronus Odiliæ, ſuámque ætatem poſtremâ operis periodo ſic indicauit. *Hanc*, nempe Odiliam, *multi noſtrorum viderunt, & ego infelix præ nimia incuria, cùm nec Deo intenderem nec Sanctis, tanto me bono priuaui, quod vtique conabor reſarcire, ſi ad memoriam eorum, qui poſt nos venturi ſunt, glorioſa merita & actiones mirabiles beatiſſimæ Odiliæ per hac chartarum monumenta conſignauero, & in imitationem eius, quantùm imbecillitas mea patitur, excitauero, vt eius precibus ad regna polorum peruenire mereamur, vbi cum Chriſto regnat in ſecula ſeculorum.* Hic autem Auctor exequiis Ethiconis ſiue Athici Ducis & Berehſindæ ſeu Bruſwindæ coniugis, duos eorum filios Ethiconem & Adalbertum interfuiſſe teſtatur. *Venerunt*, inquit, *ad exequias parentum, Ethico Dux & Adalbertus Dux pariter, Ethiconis & Bruſwindæ glorioſiſſima progenies, qui magno eiulatu ſuper cadauera parentum proſtrati, non poterant præ nimio dolore à lachrymis temperare. Dum hæc agerent, B. Odilia ſeſe incluſerat taliter, vt neque manducaret neque biberet, ſed & continuâ maſtigatione corpus ſuum dilaniaret.* Et paulò pòſt. *Ecce repentè lux magna locum, in quo ſe abdiderat, circumfulſit, vidítque animam venerabilis Ethiconis, quam Angeli & vir quidam habitu religioſo in cælum deducebant cum ingenti gloria. Gratias ergo agens Deo miſericordi, qui preces ſuas non contempſerat, aperto oſtio egreſſa eſt cum ſororibus ſuis & ceteris virginibus, quæ cum illa erant, & poſt multa verba conſolationis fratres ſuos Ethiconem & Adalbertum ad propria dimiſit, qui lætantes repatriauerunt propter miſericordiam, quam Deus fecerat domino Ethiconi.* Huius Auctoris fragmenta, inter Alſaticæ familiæ probationes, ex peranti quo Codice, omni ferè ex parte mutilo, & quàm peſſimè habito, quem à Piſtorio *le Begue* Secretario Sereniſſimi Principis Caroli Lotharingiæ Ducis acceperat, primus publicauit Hieronymus *Vignier* noſtræ Congregationis Preſbyter, & ex variis Scriptoribus intulit, non Athico modò ſed etiam Adalberto eius filio, præter liberos ſuprà nominatos, alios quoque non paucos vtriuſque ſexûs fuiſſe, de quibus alibi commodiùs diſſeremus. Interim quæ proximè dicta ſunt, ad refellendum Chronographi Senonienſis textum ſuperiùs deſcriptum ſatis ſupérque ſufficiunt.

LXV. Athicus ad ſe reuerſus, pœnitentiâque ductus Odiliam filiam intimo amo-

Digitized by Google

re dilexit, arcem Hohenburgenſem in Cœnobium puellare conuertit, *ac idem Monaſterium*, vt Codex manuſcriptus in vita ſanctæ Odiliæ toties allegata teſtatur, *cum omnibus appendiciis in manibus eius tradidit, obſecrans eam, vt vnà cum ſancta Congregatione Dominum ſedulè pro ſuo facinore interpellaret.* AN. CH. 690.

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

ANNVS CHRISTI 691.
THEODORICI III. R. 18. 11.

I. ACTA SS. LANDELINI ET VRSMARI A QVIBVS SCRIPTA.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo ſanctus Vrſmarus cùm Abbatis tum Epiſcopi titulo exornatus eſt. Eius Acta cum Geſtis ſancti Landelini nonnihil connexionis habent. Proinde priuſquàm ad difficultates hoc loco ſoluendas aggrediamur, de ætate & exiſtimatione Auctorum, quibus ad illam diſcuſſionem vſuri ſumus, operæpretium videtur nonnulla præmittere.

II. Vitam ſancti Landelini, quam ex Codice manuſcripto non ſemel citauimus, in literas retulit Auctor ſuppar, qui prologum ſui operis ita clauſit. *Ex his, quæ mihi veridicorum narratione comperta ſunt, aliqua incipiam enarrare.*

III. A Fulcuino in Geſtis Abbatum Lobienſium quinque primi Lobienſes Abbates hoc ordine recenſentur, Vrſmarus, Erminus, Theoduinus, Theodulfus, Anſo. Hic regnante Carolo Magno Cœnobium Lobienſe viginti quatuor annis rexit; priuſquàm Abbas fieret, libellum de vita ſancti Vſmari ſcripſit, inſcripſitque Theodulfo tunc Abbati; ſcripſit & alium libellum de vita ſancti Ermini, qui Lobienſe Monaſterium poſt ſanctum Vrſmarum gubernauit. Iſta conſtant ex eodem Fulcuino [a], apud quem hoc ipſius Anſonis elogium inuenitur. *Anſo hunc* Theodulfum *ſequitur in regimine, vir bonus & ſanctus, Abbas tantùm non Epiſcopus, regens idem Cœnobium ſub iam præfato Domino Karlo viginti quatuor annis. Erat autem idem Anſo & pro capacitate ingenij ſui literis ſtudens. Exſtat libellus vitæ ſancti Vrſmari ad prædeceſſorem eius Theodulfum Epiſcopum ab eo conſcriptus; item & ſancti Ermini alius; in quibus quidem veritas Hiſtoriæ, quantùm à ſimplicis eloquentiæ viro deſcribi potuit, amplectenda eſt, de confuſione autem verborum & dictorum non noſtrum eſt iudicare, quæ illis tanta ineſt, vt incertum ſit, vtrùm ad inſinuanda quæ nouerat minùs licèt eruditè quantùm ad ſeculares fuerit proclinis, an pro excellentia Geſtorum ſponte paruipenderit regulas artis. Et hic ſub præfato obiit Karlo eo quo idem Imperator factus eſt anno.* Hic Auctor Theodulfum *Epiſcopum* vocat, Anſonem *Abbatem tantùm non Epiſcopum*, quidam enim ex Lobienſibus Abbatibus, vt ſuis locis obſeruabimus, Epiſcopali dignitate gauiſi ſunt, alij nequaquam.

[a] Cap. 9.

IV. Ratherius Monachus quondam Lobienſis, poſteà Veronenſis Epiſcopus, decimo ſeculo vixit, Anſonis ſuprà memorati lucubrationem præ manibus habuit, eámque vtpote rudem & inconditam multis in locis expoliuit elegantiore ſtylo, deinde Fulcuino tunc Abbati Lobienſi tranſmiſit, vt ex ſcriptis ipſorummet Ratherij & Fulcuini patet. Sic enim ſcribit Ratherius [b] in præfatione vitæ ſancti Vrſmari præfixa. *Apud venerabilem nuper ſanctæ Cumanæ Eccleſiæ iuſto Dei iudicio exulans Epiſcopum, reperi libellum, pauca de virtutibus continentem Domini ac ſpecialis patroni noſtri, Sancti videlicet Vrſmari Epiſcopi; continentia rerum quidem, auro obrizo topazióque præferenda, locutionis verò ſolæciſmis ita pro ſui modulo refertiſſima, vt noſſe difficile fuerit, vtrùm ſcriptoris negligentiâ, an dictatoris id contigerit inſipientiâ. Quod cùm non parum pro tempore nos offendiſſet, curauimus ea eiuſdem operis ſolummodò corrige-*

[b] Ap. Sur. d. 18. Apr.

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

re vitia, quibus aut in ſenſu lectoris naufragare poterat intellectus, aut quæ nimiâ ſui deformitate faſtidium ingererent audientibus. Simplex autem, &, vt ita dicamus, penè ruſticus cùm totus ſermonis textus altum videri poßit ſapientibus, à nobis ideò minimè penitus viſus eſt commutandus, quia & ſanctarum authores ſcripturarum ferulas contemnere nouimus Grammaticorum, & doctrinam ſimplicem piſcatorum, quàm ſophiſmata Philoſophorum, Deo magis placuiſſe in ſaluatione conuerſarum vbique cernimus nationum. Epiſtolaris verò præfatio cuiuſdam Anſonis, ſancti, vt credi poteſt, non adeò diſerti viri, quam eidem ſuo operi præpoſuit, omittenda viſa eſt omnino, vt ipſa quoque Authoris in ea lateat omnimodis intentio. Et Fulcuinus in libro [a] de Geſtis Abbatum Lobienſium. *Libellum etiam vitæ ſancti Vrſmari, cùm Cumis exularet ibi reperit, quem ſolæciſmis refertum emendauit nobíſque tranſmiſit.*

[a] Cap 20.

V. Idem Fulcuinus Abbas Lobienſis Geſta Lobienſium Abbatum ad ſuam vſque ætatem in capita tria & quadraginta digeſſit; egit in primo de ſancto Landelino, de ſancto Vrſmaro in quatuor ſubſequentibus, necnon eius eleuationem capite decimo, miracula capitibus viceſimo-quinto, triceſimo ac reliquis enarrauit.

VI. Vitam ſancti Landelini ab Anonymo conſcriptam, de qua ſuprà, mutato paſſim ſtylo publicauit ſuperiore ſeculo Laurentius Surius cum libello Ratherij de vita ſancti Vrſmari ſuperiùs etiam laudata.

VII. De ſanctis Landelino & Vrſmaro multa quoque ſcripſerunt alij recentiores, Molanus in Natalibus ſanctorum Belgij, Gazetus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij, Miræus in Faſtis Belgicis, Fiſenus in Floribus Eccleſiæ Leodienſis.

VIII. Anonymus ſuppar de bonis, quæ Landelinus Cœnobiis, Lobienſi, Alnenſi & Waſlarenſi, contulit, ita diſſerit. *Horum quidem duorum*, Alnenſis videlicet & Waſlarenſis, *magnis ditauit commerciis habitacula, ſed Laubias Regiis honorauit muneribus, ac villarum famulorúmque copiâ repleuit. Quidquid etiam piorum Regum munificentiâ paßim per Francorum adquiſiuit Regna, præfato Lobienſi Cœnobio delegauit, vt veneranda fratrum Congregatio ibi Deo ſeruiens non egeret his, quæ Monachis feruntur eſſe congrua.* In hoc textu Surius [b] *piorum* loco legit *priorum*, ideóque ſuo ſtylo ſic Anonymum expoſuit. *Quidquid enim ſuperiorum Regum liberalitate & munificentiâ paßim per Francorum adquiſiuit Regna.* Per *piorum* autem ſeu *priorum* vel *ſuperiorum* Regum munificentiam neceſſe eſt liberalitas intelligatur illorum Regum, qui poſt Clodoueum Iuniorem ſeu Secundum in Francia regnarunt, Landelinus enim ſub eodem Clodoueo & manui prædatoriæ ſe ſociauit, & ad meliorem frugem reuerſus prima Lobienſis Monaſterij fundamenta iecit. Nos Clodouei Iunioris ſucceſſores interpretamur ipſius Clodouei filios, quorum poſtremo regnante Landelinus Lobium reliquerit adierítque Criſpinium, vbi Monaſterium conſtruxit, cuius primordia prælaudatus Anonymus ſic commendat.

[b] d. 15. Ian.

IX. *His itaque geſtis, atque præſcriptis locis*, Lobio videlicet, Alnâ & Waſlaro *honorificè ſtructis, fratribúſque illic Chriſto militantibus neceſſariis victibus affatim attributis, Dei, vt credimus, inſtinctu ac prouiſione in alium commigrauit locum, qui eſt ſitus ſuper fluuium Hon, adiacétque ei ſylua nuncupata Amblidgis, ibíque cum duobus diſcipulis, Adeleno ſcilicet & Domitiano, extirpare cæpit adiacentia virgulta, vt ibidem quoque ſibi ac ſuis conſtrueret dignum habitationis locellum. Quo quidem tempore mirum dicturus ſum. Cùm autem inſtanter laborarent, &, vt ſolet fieri, cappæ eorum ſuper arboris truncum iacerent poſitæ, contigit vt ſuperueniens dominus loci illius, ſyluámque ſuam extirpare inueniens, cappas eorum, quaſi pro vadio auferens abire inciperet. Sed mira Omnipotentis Dei clementia adeſt ſtatim inuocata. Nam dum idem homo greſſum verteret abeundi, mox omnibus membris ſtupefactus & velut in ſpecie mortis deprehenſus in ſua pœna ſenſit quòd non rectè circa ſeruos Dei ageret. Prouolutus ergo eorum pedibus rogat ſibi veniam dari*

INITIA MONASTERII CRISPINIENSIS.

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

commiſſi ſceleris, cappáſque ſuas vt reciperent magnis cœpit vocibus precari, ſimúlque vouens quòd eiuſdem ſyluæ medium Deo per manus traderet Sancti, ſi pius Dominus, quod iniquè egerat, donare dignetur. Mox mirum in modum à beato Landelino priſtinæ ſanitati redditus, diuiníque verbi prædicatione edoctus ad propria eſt cum pace reuerſus. Vir autem Domini gratias agens, quòd ſibi vbique diuina adeſſet miſericordia conditoris, conſtruxit ibidem Oratoriolum in honore beati Martini, & illic cum ſupradictis diſcipulis Hymnis diuinis precibúſque vacans, benignitatem cotidie exorabat Domini. Quodam autem die Sanctus Dei Sacerdos Landelinus omnia circumquaque luſtrans loca reperit fontem ibi deeſſe, quo fratres aquam ſuis vſibus haurire debuiſſent. Factâ autem oratione, baculo ſuo, ictu terram percuſſit vno, ſtatímque fons miræ profunditatis atque ſuauitatis ebulliuit, qui & criſpantibus vndis decurrere cœpit. Illicò ob rem, quæ accidit, locum illum Criſpinium nominauit. Cœperunt igitur nonnulli auditâ eius ſanctitate, è diuerſis partibus ad eum cateruatim confluere, & adunata eſt non minima populi multitudo in eodem loco. At vir Deo plenus multitudini miſceri fugiens, ſolitudinem præ omnibus ſeculi rebus habens caram, ne ſcilicet multorum actiones ſuæ mentis à ſtatu rectitudinis hebetarent obtutum, non longè à loco eodem ſecedens ſequeſtratâ manſione demoratur. In eo autem loco, vbi fluuius in ſeſe fontis Criſpini colligit ſinum, in honore Sancti Petri Apoſtolorum Principis condens Eccleſiam, inter ipſos, vt ita dicam, ſupernos Angelorum choros, etſi necdum viſione carnis, mentis tamen contemplatione conuerſabatur, dicere valens cum Apoſtolo. [Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt.] Hæc initia fuerunt Monaſterij Criſpinienſis inter Montes Hannoniæ & Valentianas. A recta Chronologia longiſſimè abeſt Fiſenus in Floribus Eccleſiæ Leodienſis, dum Cœnobiorum Lobienſis & Criſpinienſis primordia refert, illius [a] ad annum Chriſti circiter ſexcenteſimum vndequadrageſimum, huius [b] ad annum Chriſti circiter ſexcenteſimum quinquageſimum.

X. Landelinus Monaſterij Criſpinienſis fundamenta poſuit, Lobienſi Cœnobio nondum confecto. Sic enim prælaudatus Anonymus de conſtructione Lobienſis Monaſterij ſcribit in eiuſdem Landelini vita. *Profectus eſt in pagum nuncupatum Haynau, in locum ſuper fluuium Sambram ſitum, qui ex nomine riuuli decurrentis in præfatum flumen vocatur Laubacus, & ibi conſtruxit ſibi & diſcipulis ſuis monaſteriales habitationes, & quod illic auxiliante Deo feliciter cœpit, poſtmodum à ſucceſſoribus, qui per eius miniſterium in loco eodem aggregati ſunt, feliciter eſt peractum.* Et Fulcuinus in geſtis Abbatum Lobienſium, poſtquàm Landelinum Monaſterij Lobienſis primum fundatorem agnouit, addit illum Deo præordinante Lobiis demigraſſe, vt *alteri*, nempe Vrſmaro, *quandoque ſubſecuturo* locus vacaret. *Eccleſiam*, inquit [c], *ſibi pro tempore conſtituens, deflebat quibus anteà oblectabatur, manuum labore victum quærens, laſciuiámque carnis ieiuniis & vigiliis domans, & exercebatur ſummo mentis conamine in his quæ ſunt Dei, vt omnes mirarentur videntes commutationem dexteræ Excelſi. Talibus igitur exercitiis, pluribus ad id ſtudij confluentibus ſpeculum factus eſt, ſícque fundator extitit primus, ſed præordinatio, de qua præpoſuimus, Dei, qui non omnibus iudicia ſua manifeſtat, iudicia enim tua, ait Pſalmiſta, abyſſus multa, voluit beatum Landelinum Lobiis demigrare, vt alteri quandoque ſubſecuturo locus vacaret, ne vtique ſuper alterius fundamentum ædificia ſtrueret, & detrimentum pateretur, aut ne merita tanta duorum vnius loci anguſtiâ artarentur. His fortè præſcius beatus Landelinus Lobiis demigrans, Criſpinium petiit.* Hunc Fulcuini textum magna ex parte ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum [d] iam examinauimus, faſsíque ſumus Landelinum relicto Lobio Criſpinium migraſſe, ſed negauimus primum in Lobienſium Abbatum catalogo locum Vrſmaro concedendum eſſe, vel ſpatio temporis haud modico Lobium Abbate poſt Landelini diſceſſum caruiſſe, imus enim in eorum ſententiam, qui curam Monaſterij Lobienſis à Landelino, cùm fundamenta Cœnobij Criſpinienſis iacienda ſuſcepit, Vrſmaro demandatam credunt.

[a] In S. Landel. d. 15. Iun.
[b] In S. Hildulf. d. 23. Iun.
[c] Cap. 1.
[d] Num. 13.

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

XI.

Eſt & alius error apud eundem Fulcuinum, Monaſteria enim, Alnam & Waſlare, quæ Landelinus erexit vt Tomo ſuperiore [a] probauimus, ab Vrſmaro conſtructa ſic pronuntiauit [b]. *Monaſterium quoque in Alna * ipſe conſtruxit, & Lobiis ſubiecit. Monaſterium quoque dictum Waſlare versùs Teoraciæ * ſaltum, in finibus Faniæ ædificauit, cui & Dodonem præfecit, virum admodum ſanctum, vtpote à ſe inſtructum, qui aliquantiſper inibi demoratus, eremum concupiuit, extructâque in eodem Faniæ ſaltu cellulâ, cum permiſſu pij Patris & licentia vitâ vixit in ea theoricâ, vbi poſteà multis virtutibus clarus migrauit ad Dominum; corpus autem eius tranſlatum eſt ad Monaſterium * Waſlare dictum, vbi nunc requieſcit debitâ veneratione.* Rationem, cur Fulcuinus Vrſmarum impenſiùs quàm Landelinum laudet, expoſuimus ſuprà [c]. Porrò Cœnobium Waſlerenſe poſt Fulcuini tempora dirutum fuit, & corpus ſancti Dodonis hodie quieſcit in Prioratu Laubienſis Abbatiæ, qui vulgò Monaſterium * in Fania nuncupatur teſte Miræo in Faſtis Belgicis.

[a] Ad an. 657. nn. 10. & ſeqq.
[b] Cap. 4.
* *Aulne.*
* *La Tieraſche.*
* *Vvalers.*
[c] Ad an. 686. n. 24.
* *Monſtier en Faigne.*

XII. VRSMARVS FIT ABB. LOBIENSIS.

Cùm Landelinus relicto Lobio Criſpinium adire, ibique ad vltimum vſque vitæ diem commorari decreuiſſet, euocatus eſt Vrſmarus, qui curam Lobienſis Monaſterij ſuſciperet. Qua de re Fulcuinus ita ſcribit [d]. *Beatus Vrſmarus virtutum exercitiis omnibus clarus, cui Lobias Apoſtolatûs locum deſignauerat Dominus, à Pippino iam dicto Principe euocatus, idem Monaſterium regendum ſuſcepit per Hildulfi interuentum, qui erat vnus de Proceribus Regni maioribus, cuius indicia meritorum fuerunt puer ille & panis matri in oromate præmonſtratus, & ſcanſio illa beata ſcalæ à terra cælo tenus, quæ omnia quantùm beato viro congruunt, ex actibus eius cognoſcimus.*

[d] Cap. 2.

XIII. In hoc textu tria ſunt obſeruanda. Primum ſpectat ad ætatem Vrſmari; ſecundum ad modum quo regimen Monaſterij Lobienſis adeptus eſt; tertium ad viſiones quæ futuram eius ſanctitatem præſagierunt.

XIV. Primò, Vrſmarus *à Pippino Principe* Lobias euocatur, id eſt, poſt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, quo commiſſum eſt prælium Textricianum. Apud Sigebertum [e] Vrſmarus Cœnobium Lobienſe gubernandum ſuſcipit anno Chriſti duodeſeptingenteſimo, regnante Childeberto Tertio. Non placet illa dilatio. Magis arridet opinio Fiſeni [f], qui Vrſmarum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo creatum Lobij Abbatem ſic aſſerit. *Inuitatus ſecundâ illius*, nempe Vrſinari, *famâ Hildulfus Dux Pipino Heriſtallio Galliarum Prætorio Præfecto autor fuit, vt Lobium illi commendaret. Landelinus id ante plures annos condiderat, ſanctiſſimâque inſtruxerat diſciplinâ, ſed eo velut in cunis relicto Criſpinium ſeceſſerat. Annuit Pipinus, obtinuítque vt Sergius Pontifex Romanus anno ſexcenteſimo nonageſimo-primo creatum Lobij Abbatem Epiſcopatu inaugurari mandaret.* Agemus infrà de Vrſmari Epiſcopatu. Lobium Liptinis * Regio Palatio vicinum erat. Franciſcus Vinchantius in Annalibus Hannoniæ [g] teſtatur aſſeruari chartam, quâ Dux Hildulphus Monachis Lobienſibus villam ipſam Lobienſem cum omnibus appendiciis contradidit, addítque extare Diploma datum Liptinis hoc anno, decimo-ſexto Kalendas Decembris, quo Pippinus Maior-domûs eandem donationem ab Hildulpho factam confirmauit.

[e] In Chron.
[f] d. 18. Apr.
* *Leſtines.*
[g] Lib. 3. c. 15.

XV. Secundò, Vrſmarus regimen Monaſterij Lobienſis *per Hildulfi interuentum* adipiſcitur. Id conſtat ex Fulcuino [h], Sigeberto [i], Molano [k], Miræo [l], Fiſeno [m]. Hildulfus duas potiſſimùm ob res commendatus inuenitur; nempe quòd illius interuentu Waldetrudis Caſtrilocum, vt in eo monte Monaſterium conſtrueret, ſibi compararit; & Vrſmarus Cœnobium Lobienſe, quod Landelinus antè fundauerat, regendum ſuſceperit. Natus erat annos triginta quinque, cùm piæ Waldetrudis conſilia promouit; annos ſeptuaginta, cùm Vſmarum Laubias euocandum curauit, vixit enim annos ſex & octoginta, vitámque clauſit anno Chriſti ſeptimo ſupra ſeptingenteſimum.

[h] Cap. 2.
[i] Ad an. 698.
[k] d. 23. Iun.
[l] d. 23. Iun.
[m] d. 25. Iun.

XVI. EIVS SANCTITAS VISIONIBVS PRÆMONSTRATA.

Tertiò, viſiones, quæ futuram Vrſmari ſanctitatem indicarunt, breuiter

Digitized by Google

attinguntur à Fulcuino, fuſiùs à Ratherio ſic explicantur. *Beatus Vrſmarus Epiſcopus, bonorum omnium præconio dignus, pago Theoracenſi & villâ quæ vocatur Fleon, oriundus, à Domino eſt electus per prædeſtinationem, priuſquàm ſeculo daretur per originem. Grauidæ namque matri eius de eo, apparuit quidam venerandus ſenex per viſum, in manu ſua tenens puerulum, pronunciánſque, accipe, inquit, hunc puerulum, nutriens eum. Magna verò fames eandem tunc temporis oppreſſerat regionem. Reſpondens verò mulier ait ſeni. Vnde hoc faciam, domine, cùm deſit mihi panis, ob magnitudinem, quam patimur, famis? At ille dedit ei panem valdè candidum, dixitque ei. De hoc pane nutries illum. Quem cùm accepiſſet mulier, creuit inter manus eius magnus valdè. Tunc mulier inquit. Iſtud quod video, quid ſignat, domine? Cui ille, filium, inquit, es paritura, qui de regno aliquam Chriſto lucrifaciet partem. Quod poſteà verum fuiſſe ipſo ore monſtrauit & opere. Tantam ſiquidem à Domino gratiam eſt conſecutus, vt omnes pabulo verbi diuini reficeret, qui ad eum gratiâ colloquendi venirent. Iterum autem mater eius depreſſa ſomno, aliam viſionem vidit continuò. Scalam quippe contra ſe ſtare videbat, cuius cacumen cælos tangebat, per quam idem puer ſcandens cælum ingrediebatur. Ipſa verò eundem vſque ad ſcalæ eſt proſecuta cacumen, ſed ſequi, vt aſſerebat, potuit, conſequi omnino non potuit. In ſe itaque reuerſa cognouit illicò hæc veraciter omnia ſuum, quem clauſum vtero detinebat, præfigurare filium. Hæc & his ſimilia quamplurima de proprio mater cognouit filio, & ante Natiuitatem & poſteà, quæ prolixum eſt enarrare per ſingula. Exultans itaque in Domino mater aiebat. Scio certiſſimè, quòd Dei operante clementiâ magnus erit filius meus quem geſto, & felicem me talis nati ſuſceptione profiteor.* AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

XVII. Præter illa tria, quæ ſuperiùs expoſita ſunt, inueſtigandum quoque videtur, cur Fulcuinus in textu, quem examinamus, Lobias *Apoſtolatûs locum* Vrſmaro à Domino deſignatum dicat. *Apoſtolatûs* voce ſignificatur Epiſcopatus. Vrſmarus enim Abbatis ſimul & Epiſcopi titulo gauiſus eſt, nec Epiſcopus primùm dictus eſt à Fulcuino, nam talis anteà prædicabatur à Ratherio quem ſuprà citauimus, &, vt admodum probabile videtur, ab Anſone quem Ratherius expoliuit. Fulcuinus de Vrſmari Epiſcopatu hæc habet alio loco [a]. *Quare eum Epiſcopum fuiſſe dicimus, ſæpè à nobis quæſitum eſt, nam textus deſcriptionis ipſius vitæ Epiſcopum eum fuiſſe docet, locum autem, vel tempora ordinationis eius, vel à quibus ordinatus ſit, omni modo ſilet, ſed & in chartis ſub eius tempore factis ac perantiquis membranarum petatiolis, quæ continentur in Eccleſiæ noſtræ Archiuis, inſcriptum eum inuenimus ſub nomine Epiſcopi & Pontificis. Varia de hoc eſt ſeniorum noſtrorum relatio, dicentibus quibuſdam, quòd prædicandi gratiâ, vt competebat tunc rudimentis nouellæ fidei, ad compeſcendos ſuperfluos ritus gentis barbaricæ Epiſcopus fuerit ordinatus; quod factum quoque de ſancto Amando legimus; quibuſdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinonémque ſuam ratione quadam tuentibus, quòd videlicet locus Regius, Regiâ munificentiâ conſtructus, Regio, vt dictum eſt, Palatio contiguus, ſcilicet Liptinis, nulli committeretur, niſi priùs ordinatus eſſet Epiſcopus, quam dignitatem & in pleriſque ſucceſſorum eius duraſſe, in ſubſequentibus dicemus. Quid horum verius ſit, Lectoris arbitrio committimus, nec in vtramuis partem ſancto viro derogamus, dum quidquid horum ſit, eum fuiſſe Epiſcopum non denegamus.* Prior ratio poſteriori præſtat.

[a] Cap. 3.

CVR DICTVS EPISCOPVS.

XVIII. Si vera ſunt quæ de Landelino apud Surium [b] leguntur, idem Landelinus, priuſquàm Laubias ſe conferret, à Martino Papa Epiſcopus eſt ordinatus, non quidem vt determinatæ Diœceſi præeſſet, ſed vt Euangelium quocumque vellet loco paganis annuntiaret, vnde data forſan occaſio, vt Vrſmarus aliíque Abbates Lobienſes Epiſcopali quoque titulo cohoneſtarentur. De Landelino apud Criſpinium commorante ſic Surius. *Iam verò à beato Martino Romano Pontifice ordinatus, diuinæ prædicationis vomere Criſpinium excolebat.* Ter Romam ad Apoſtolorum limina profectus eſt Landelinus, poſt primam peregrinationem ab Autberto Epiſcopo Cameracenſi factus eſt Diaconus,

[b] d. 15. Iun.

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 18.

poſt alteram ab eodem Epiſcopo promotus eſt ad Preſbyteratum, poſt tertiam adiit Laubacum, ibique Monaſterium inchoauit. Ergo ſi fuit ordinatus à Martino Papa, ordinatus fuit Epiſcopus cùm Romam tertiò perrexiſſet. Ceterùm textus proximè citatus, vt alibi iam monuimus, abeſt à vita ſancti Landelini manuſcripta.

XIX. POSTREMA GESTA SS. LANDELINI ADELINI ET DOMITIANI.

Landelinus, cùm Vrſmarus Lobium euocatus eſt, erat fermè ſeptuagenarius, natus eſt enim ineunte Dagoberti Principatu. Quot annos deinceps egerit, propter inopiam & incuriam Scriptorum ignoratur. Vltimos illius labores, mortem ac ſepulturam ſic exponit Auctor vitæ manuſcriptus. *Viſum prætereà eſt beato Landelino, vt ſupradictos diſcipulos Adelinum & Domitianum diſcretis manſionibus abſentare deberet, quamuis & ipſi per diuini verbi miniſterium lucrum animarum Domino ſuis quique locis augmentarent, ipſéque velut auidiſſimus veræ Philoſophiæ amator contemplationi cæleſtium liberiùs vacaret. Locauit igitur ſanctum Adelenum procul à ſuo Monaſterio propè leucâ vnâ ſuper fluuium Hon, Domitianum verò ex altera parte quaſi leucis duabus ſuper fluuium Hagnaum. Quibus auxiliante supernâ clementiâ peractis, ſancta & immaculata Chriſti hoſtia, multiplici contuſione, ignîſque examinatione, more holocauſti, diuinis iam iámque immolanda conſpectibus, ſanctus videlicet & verè Deo dignus Sacerdos Landelinus ipſi, vt ita fatear, cæleſti iam propinquabat altario. Cùm enim Omnipotens Deus pro laboribus, quibus cotidie deſudabat, remunerare eum iam decreuiſſet, ſenilia membra, quæ prolixâ carnis huius contriuerat anguſtiâ, modicâ cæperunt pulſari febriculâ. Accerſitis itaque vndique fratribus indicat ſe iam corporis ergaſtulo debere reſolui*, & aliquot ſermonibus eoſdem fratres adhortatus mox *ſuper cineres ac cilicium ſtratus, adſtantibus, quos Chriſto adquiſiuerat, chariſſimis filiis, animam bonorum actuum floribus adornatam ad Angelorum direxit gloriam. Diſcipuli autem honorificè egregij magiſtri venerabile corpus in eodem ſuo Cænobio tradiderunt ſepulturæ.* Nomen ſancti Landelini relatum fuit in Tabulas Eccleſiaſticas decimo-ſeptimo Kalendas Iulij.

XX. De beati Landelini diſcipulis ac peregrinationum comitibus Adeleno & Domitiano nihil addendum habemus, niſi quòd vnà cum magiſtro ſuo quieſcunt Criſpinij, celebrantúrque in Faſtis Belgicis, hic decimo Kalendas Iulias, ille quinto eaſdem Kalendas.

XXI. VRSMARI RES PRÆCLARE GESTÆ.

Vrſmarus Abbas, vt ſuprà diximus, Epiſcopatu inauguratus eſt, non quòd peculiarem Diœceſim obtinuerit rexeritue, ſed vt apud gentes, quæ deorum cultui nondum renuntiarant, ſi fidem Chriſti ſuſciperent, Epiſcopalia munera exerceret. Nobilem illam prouinciam, vt Fiſenus [a] in eius encomio teſtatur, iniit animo haudquaquam diſpari. Ædificia, quæ Lobij pendebant interrupta, perficienda curauit, alia quoque adiecit. Inter has autem conſtructiones potior cura fuit diſciplinæ illius confirmandæ perficiendæque, cuius ibi fundamenta iecerat Landelinus. Cui cùm illam, quam rei dignitas poſtulare videbatur, operam nauaſſet, in omnem latè Teoraſciam Menapiorúmque regionem immenſo diuinæ gloriæ ſtudio excurrit. Et quâ præditus erat mirabili arte dicendi, Chriſtianam ſapientiam populis illis tum rudioribus adeò feliciter tantóque fructu explicauit, vt vtriuſque gentis Apoſtolum celebrarit poſteritas. Sancti Præſulis virtutem multis prodigiis ſupra naturæ leges perpetratis Deus ornauit, dæmonibúſque præſertim fecit terribilem. Verùm glorioſius in eo nihil & dignius admiratione, quàm accuratiſſima mentis illius ad omnem recti honeſtatem compoſitio.

[a] d. 18. Apr.

XXII. MIRACVLA

Inſigne miraculum, quod à Ratherio Laubienſi quondam Monacho narratur [b], circa hæc tempora ſub initium Pontificatûs ab eodem Vrſmaro geſtum eſt aliquot annis poſt obitum ſanctæ Aldegundis. *Habebat Sanctus Pontifex neptem in Monaſterio Malbodienſi, quam ipſe paruulam commendauerat Sanctæ Aldegundi. Quæ poſtquàm fuiſſet adulta, orta eſt quædam in eius collo ſæua nimis infirmitas, quæ gutteria dicitur ſermone Gallico. Adſtruebant verò Medici, quòd aliter curari nequiret niſi carne inciſâ cum vncino ferreo*

[b] Ap. Sur. d. 18. Apr.

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODR. III. R. 18.

ferreo foras morbus traheretur. Hoc autem illis facere cogitantibus, contigit ſuperuenire Sanctum Domini Pontificem. Qui accerſito ad ſe medico interrogauit eum dicens. Dic mihi, vtrúmne valeas ſanare eam. At ille ait. Nequeo niſi cum vncino ferreo carne inciſâ morbum foras traham. Audiens autem vir Dei hoc, omnino facere prohibebat, quia oppidò eam diligebat, & periculoſum hoc valdè eſſe cernebat. Verùm imponens manum ſæpiùs ſuper vulneris locum dicebat. Vide, filia, ne patiaris tibi ferrum imponi. Credo enim in Domini pietate, quia ipſe te liberabit ab hac infirmitate. Nocte verò eâdem vir Sanctus vberrimas preces fudit ad Dominum ob eius ſalutem. Luceſcente verò die alterâ, à ſtrato ſoſpes ſurrexit puella intantùm, vt nec veſtigium infirmitatis remaneret in ea. Superſedemus aliis miraculis, quæ Ratherius in eius vita fusè deſcripſit.

XXIII. ABBATES CORBEIENSES

Hiſce poſtremis Theodorici Regis temporibus obiit Chrodegarius Abbas Corbeienſis, cui ſucceſſit Erembertus, vt hoc ipſiuſmet Theodorici Præceptum probat [a]. *Theodericus Rex Francorum, Epiſcopis & viris illuſtribus. Decet Regalem Clementiam, vt non ſolùm gubernacula Regalis culminis prouideat, ſed & regimina Eccleſiarum & Monaſteriorum pro Dei intuitu & mercedis noſtræ augmento, ſolerti curâ prouidere, vt pax Eccleſiarum & ſecura libertas Monachorum Domino Omnipotenti militantium per omnia conſeruetur. Et de ſacro-ſancto Monaſterio nuncupato Corbeia in pago Ambianenſe conſtructo, ad Regalem noſtram præſentiam Monachi & viri Dei venientes, Serenitatis noſtræ Clementiæ auribus ſuggeſſerunt, vt dum & venerabilis vir Chrodegarius Abba, ſecundùm conſuetudinem humanæ fragilitatis, de hac luce ad Dominum migraſſe dignoſcitur, quem Apoſtolicus vir Dominus & Pater noſter Theodefredus Epiſcopus, dum & ille onus Pontificale meruit accipere, per noſtram voluntatem & præceptionem ad regendum ac dominandum Monaſterio ſupraſcripto conſtituit, cum relatione & conſenſu totius Congregationis ipſius Monaſterij petierunt, vt liceret eis ſecundùm eorum electionem, & ſecundùm ſanctum Priuilegium, quod ſuprà loco ſancto ex Regali munificentia & Sacerdotum conceſſione indultum eſt, de ſemetipſis eligere rectorem. Et dum eorum petitio noſtræ Serenitati congrua eſſe & rationabilis in omnibus videretur, venerabilem virum Erembertum, qui in ipſo Monaſterio fuit nutritus, ipſi homines cum voluntate ſupraſcripti Pontificis Domini Theodefredi Epiſcopi elegerunt, noſtra Clementia ipſis Monachis conceſſiſſe comperitur, ſicut ſuggeſſerunt. Præcipientes ergo per hanc Præceptionem Serenitatis noſtræ & auctoritatis Regalis conceſſimus, & omnino iubemus, vt ſupraſcriptus venerabilis vir Erembertus Abbas & Rector Monaſterij Corbeienſis in omnibus ſit conſtitutus, & ſicut bonus Paſtor ea quæ vtilia ſunt ad opus Monaſterij & ad regimina Monachorum prouideat, & regat, & erudiat, & mereatur audire vocem Domini dicentis. [Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.] Et vt taliter agat, ideo noſtra Clementia ei indulſit, vt habeat poteſtatem de tota Congregatione ipſius Monaſterij, vel de eorum hominibus in eorum terris commanentibus, vel de eorum rebus & poſſeſſionibus, mobilibus & immobilibus, ſicut ſancta Regula docet, & ſanctus Ordo Monachorum dinoſcitur eſſe conſeruandus. Itaut de die præſenti, omnibus temporibus vitæ ſuæ ſecundùm Dei voluntatem & ſecundùm ſanctum Ordinem dominatum accipiat, & ipſa ſancta Congregatio ſub illo conſtituta preces aſſiduas ad aures reuerentiſſimas Maieſtatis Domini pro nobis, & pro ſtabilitate Regni noſtri iugiter fundat. Et vt hoc Præceptum firmius habeatur, quod pro Dei timore indulſimus, auctoritate præcelsâ manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter decreuimus roborare.*

[a] Tom. 1. Concil. Gall.

PRÆCEPTVM REGIVM PRO MONAST. CORBEIENSI.

XXIV. EPISCOPI AMBIANENSES.

Theodofrido ſeu Teudofredo vel Theofrido aut Theodefredo Epiſcopo, cuius mentio fit in ſuperiori Diplomate, locum poſt Sanctum Saluium dedimus in Ambianenſium Antiſtitum Catalogo, monuimúſque errare pleroſque recentiores, qui pro Ambianenſi Pontifice Albigenſem ſcribunt. In horum numero ſunt Wion, Sauſſaius & Bollandus, qui Sanctum appellant, & ad Deum migraſſe tradunt ſeptimo Kalendas Februarij. De

AN. CH. 690. THEODOR. III. R. 18.

anno nihil occurrit. Supererat adhuc in viuis, cùm vita Sanctæ Bathildis exarabatur, vt hæc indicant [a] verba. *Venerabilis Domna Baltidis Monaſterium, quod vocatur Corbegia, in Ambianenſi parochia ſuo opere conſtruxit, vbi venerabilis vir Teudofredus, nunc enim Epiſcopus, tunc verò Abbas magno gregi fratrum præfuit.* Poſt Eremberti electionem in Abbatem Corbeienſem multos annos haud vixit. Erat enim tunc ſexagenario maior, vtpote qui factus eſſet primus Abbas Corbeienſis anno Chriſti circiter ſexcenteſimo quinquageſimo-ſeptimo. Succeſſit Bertmannus ſeu Verſimannus, de quo nihil præter nomen in Nomenclaturis Ambianenſium Epiſcoporum legimus; tum Dominicus, qui ſuperſtes in viuis erat anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, vt ad illum annum ex Tranſlatione ſancti Lamberti obſeruaturi ſumus.

[a] Ap. Bolland. d. 26. Ian.

XXV. IONATVS ABB. MARCHIANENSIS OBIT.

Ionatus Abbas Marchianenſis hoc circiter anno vitam clauſit. Regimen enim Monaſterij Marchianenſis penes ſolas Moniales fuit *per annos trecentos triginta tres vel circiter*, id eſt, ab ipſius Ionati obitu vſque ad annum Chriſti milleſimum viceſimum-quartum, quo pulſæ ſunt eædem Moniales ſubſtitutis in earum locum Monachis Vedaſtinis cum Abbate Lietuino. Lege fragmentum Chronici Marchianenſis editum à Miræo in Originibus Benedictinis [b]. Ibi aduertes Lietuinum Cœnobio Marchianenſi præfuiſſe *nouem annis*, & Albericum Lietuini ſucceſſorem obiiſſe *anno milleſimo quadrageſimo octauo*, poſtquàm idem Monaſterium rexiſſet *annos quindecim*. Ionatus migrauit ad Deum Kalendis Auguſtis. Sancto igitur Amando ſuperſtes vixit annos duodecim menſéſque ferè ſex. Nec ab ea computatione diſcrepat Chronicon Elnonenſe, cuius Auctor hæc de ſancto Ionato ſcribit. *Amando, liminibus Apoſtolorum viſitatis, Elnonenſem repetente locum, Marchianas Ionatum repetiſſe reperimus, vbi poſt mortem etiam Beati Amandi, aliquot luſtris*, id eſt, duobus luſtris, totidémque annis ac menſibus ferè ſex, *regulariter viuens, diuerſos vtriuſque ſexûs ad religionem induxit & caſtitatem. Eius feſtiuitas agitur Kalendis Auguſti.* Quamquam non dubito, quin Anonymus ille per has voces, *aliquot luſtris*, ſex intellexerit luſtra, id eſt, annos triginta, ab obitu ſancti Amandi, quem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo conſignat, vſque ad mortem ſancti Ionati, quæ hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo-nonageſimo-primo, contigit.

[b] Cap. 20.

XXVI.

Sepultus fuit ſanctus Ionatus in Eccleſia Marchianenſi. Leguntur hi verſus in ambitu chori.

Diui Ionati corpus hic ſanctiſſimum
Reconditur, qui primus hanc rexit domum.
Cum eo poſita ſunt corpora trium virginum,
Felicitatis, Cordulæ, Victorinæ.
Clotſendis inter quas locum occupat ſacrum,
Cuius parens Rictrudis inclyta extitit.
Huc Chriſtiani ferte greſſus concitos,
Eis preces imo daturi pectore.
Illi viciſſim, ſat ſcio, precibus piis
Reddent benignum ſupplices vobis Deum.

XXVII. MONACHI MARCHIANIS ABSCEDVNT.

Poſt ſancti Ionati mortem, Monachi, quos rexerat, Marchianis abſceſſerunt, totúmque Monaſterium Monialibus ceſſit, quibus Clotſendis à triennio præerat Abbatiſſa.

XXVIII. EX BACCHI TEMPLO FIT SACELLVM B. MAGDALENÆ PROPE NOVESIVM.

Hoc anno, iuxta Noueſium, ſi Petrus Merſſæus Cratepolius in Annalibus [c] Archiepiſcopatûs Colonienſis rectè ſcribit, Templum, quod hactenus Bacchi dictum fuerat à paganis, ad honorem Dei conſecratum eſt, & ſanctæ Mariæ Magdalenæ ſacellum cœpit appellari, Colonienſis Eccleſiæ curam tunc gerente Abelwino Epiſcopo.

[c] Num. 11.

XXIX. RODINGVS ABBAS QVONDAM BELLILOCENSIS OBIT.

Hoc eodem anno, decimo-quinto Kalendas Octobris, ad Deum feliciter migrauit Rodingus Abbas quondam Bellilocenſis in Argonna, de quo ſuprà

Digitized by Google

non ſemel locuti ſumus. Annum agebat ætatis nonageſimum-ſeptimum, ſi bene ante quinquennium illius Acta correximus, quæ procul dubio indigent emendatione. *Vir Dei*, ait Hugo Menardus [a], *ad metam laborum peruenit, decimum-ſeptimum ſupra centeſimum* (repone ſeptimum ſupra nonageſimum) *annum agens. Angelus cuſtos ei diem & horam obitûs ſignificauit, de quibus Stephanum Abbatem* Bellilocenſem *& Monachos certiores fecit, qui nullâ interpoſitâ morâ eum inuiſerunt, & humi iacentem in cinere inuenerunt. Eis imperauit, vt poſt mortem corpus ſuum in Monaſterio ante altare S. Ioannis Baptiſtæ ſepelirent, noluit enim ante obitum transferri, quamuis id ſummoperè Monachi exoptarent, & ſupremâ ſuis benedictione datâ 17. Septembris animam reddidit Creatori. Affuit Epiſcopus Virdunenſis Armonius, affuit & quidam Monachus Theologienſis ab Angelo admonitus. Corpus ſacrum delatum eſt in Belli Loci Monaſterium, vbi vix triduo pôſt ob turbam ægrotorum, qui vndique veniebant, ſepeliri potuit ante altare S. Ioannis Baptiſtæ, ſicut ipſe præceperat.* Hæc pluribus exponuntur in Codice Catalaunenſi, quem apud eundem Menardum conſule ſi lubet. Sancti Rodingi, ſiue, vt vocat, ſancti Grodingi meminit Waſburgius [b], ſed perperam ſcribit eum in Gallia natum eſſe, mortuúmque Aggrebardo illius conſanguineo Virodunenſi tum Pontifice, quocum in adoleſcentia nutritus eſſet.

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

[a] Lib. 2. obſeruat. d. 17. Sept.

[b] Lib. 2. in Epiſc. 17.

XXX. PERPETVVS EPISC. AVSCIENSIS OBIT. SVCCEDIT LEOTHADIVS.

Hoc anno Perpetuus Epiſcopus, cùm Auſcienſem Eccleſiam ſeptemdecim annis adminiſtraſſet, è vita diſceſſit. Succeſſit Leothadius, qui ſedit annos ſeptem ac viginti, migrauítque in cælum decimo Kalendas Nouembris anno Chriſti duodeuiceſimo ſupra ſeptingenteſimum. Lege quæ de Pontificum Auſcienſium Chronologia Tomo ſuperiore diſputata ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [c], quo Perpetuus in Epiſcopatum Erchoaldo ſeu Drocoaldo ſucceſſit.

[c] Num 103. & ſeqq.

XXXI.

De Leothadio Epiſcopo ſic Auctor Martyrologij Benedictini, decimo Kalendas Nouembris. *In Nouempopulonia, ſancti Leothadij Epiſcopi & Confeſſoris.* Ad quem locum ſic Hugo Menardus in ſuis obſeruationibus [d]. *Fuit primò Abbas Moyſſiacenſis in territorio Cadurcenſi, inde Auſciorum Archiepiſcopus & Nouempopuloniæ Primas. Floruit anno ſeptingenteſimo vigeſimo, vt refert Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. Eius feſtum annotatur vigeſimo-tertio Octobris die in Calendario Cluniacenſi. Cænobium Moyſſiacenſe anteà incæptum perfecit, vt habetur in vita ſancti Deſiderij Epiſcopi Cadurcenſis.*

[d] Lib. 2.

XXXII.

In illo Menardi textu quatuor ſunt obſeruanda. Leothadius, vt in vita ſancti Deſiderij Cadurcenſis Epiſcopi legitur, Cœnobium Moyſſiacenſe perficit; fit Abbas eiuſdem loci; deinde Auſciorum Archiepiſcopus & Nouempopulaniæ Primas renuntiatur; & teſte Roberto floret anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo. De ſingulis diſtinctè diſſerendum.

XXXIII. AN PERFECIT MONASTERIVM MOSSIACENSE.

Primò, Menardus, vt Moſſiacenſe Monaſterium à Leothadio perfectum probet, textum ex vita ſancti Deſiderij ſic allegat. *Tempore ſuo*, id eſt, tempore Deſiderij Cadurcenſis Epiſcopi, *Religio floruit. Nam Moyſſiacenſe Cænobium paulò antè Regiis expenſis initiatum, tempore ipſius à viris laudabilibus Ausberto & Leothadio completum eſt competenter.* Eundem textum Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-ſecundum [e] ex Codice Moſſiacenſi ſic protulimus. *Ignominioſum, vt putabatur, Monachorum genus omnes omnino ſpernebant. Deſiderij autem tempore hac ſecta Cadurca intrauit, huius ſub die hac religio adoleſcere cæpit. Nam & Moſſiacenſe Cænobium paulò antè Regiis impenſis initiatum, huius tempore à viris laudabilibus Ansberto & Leochadio competenter expletum eſt.* Menardus, vt auctoritatem opinioni ſuæ conciliet, Leochadium in Leothadium deflectit. Id anteà iam præſtiterat Robertus, apud quem *Leotadius* & *Leocadius* promiſcuè leguntur. At ratio temporis nos docet Leochadium, qui perficiendo Moſſiacenſi Monaſterio diligentem operam ſub Deſiderij Pontificatu nauauit, alium eſſe à Leothadio Epiſcopo qui Diœceſim Auſcienſem rexit. Deſiderius enim Cadurcenſis Epiſcopus anno Chriſti

[e] Num. 6.

Digitized by Google

ſexcenteſimo vndequinquageſimo in cælum migrauit, Leochadius autem Auſcienſis Epiſcopus ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum, id eſt, ad annum ab obitu prædicti Deſiderij ſexageſimum nonum, peruenit.

XXXIV. An Abbas Mossiacensis.

Secundò, Menardus Leothadium, priuſquàm ad Epiſcopatum Auſcienſem promoueretur, Abbatem Moſſiacenſem fuiſſe ſcribit. Id etiam mutuatur à Roberto, quem Sammarthani quoque ſequuntur. Hæc autem ſententia, cuius auctor Robertus, Leochadium, qui ſedente tunc apud Cadurcum Epiſcopo Deſiderio munificentiſſimus erga Moſſiacenſe Monaſterium fuit, confundit cum Leothadio Epiſcopo, qui Diœceſim Auſcienſem ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum ſtrenuè gubernauit. Sic igitur Leothadium à Leochadio diſtinguimus, vt Leochadium, quem vetus ſcriptor in vita Sancti Deſiderij laudauit, exiſtimemus Abbatem fuiſſe Moſſiacenſem, vitámque cum morte commutaſſe eodem fermè tempore, quo Leothadius in Auſcienſi Cathedra ſedere cœpit. Leochadio forſan in adminiſtrationem Monaſterij ſucceſſit Paternus, quem Robertus Abbatem quoque Moyſſacenſem vocat, eundémque facit cum Patricio Epiſcopo, qui poſt Leothadium Infulas Auſcienſes geſſit.

XXXV. An Archiepiscopus et Primas.

Tertiò, Menardus Leothadium Auſciorum Archiepiſcopum & Nouempopulaniæ Primatem vocat. Leothadio neuter illorum titulorum conuenit. Tunc enim ſtabat Ciuitas Eluſatium, Metropolis prouinciæ Nouempopulanæ, & Auſcienſis Epiſcopus Eluſano Metropolitæ ſuberat.

XXXVI. Confunditur cum Leochadio.

Quartò, Menardus ait Leothadium floruiſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, citátque in teſtem Robertum, qui de Leothadio hæc tantùm ſcripſit. *S. Leotadius vel Leocadius* 720. *ex Abbate Moyſſacenſi.* Breue illud elogium. Ex eo tamen retinendæ tantùm hæ duæ voces, *S. Leotadius*, cæteræ verò ſunt abradendæ, quoniam Hiſtoriæ veritati refragantur. Leotadius enim ſeu Leothadius alius extitit à Leocadio ſeu Leochadio, deinde nec Abbas vnquam fuit Moyſſacenſis ſeu Moſſiacenſis, nec Epiſcopatum Auſcienſem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo ſuſcepit geſsítue.

XXXVII. Baldericus in Chronico Cameracenſi à morte Sancti Amati Senonenſis quondam Epiſcopi, quâ caput viceſimum-ſecundum libri primi claudit, ad Martyrium beatæ Maxelendis, quod capite ſequenti commemorat, ſic tranſit, *ſub hoc ferè tempore quædam virgo in territorio Cameracenſi*, &c. Anno priori felicem ſancti Amati ex hoc ſeculo tranſitum conſignauimus, Martyrio beatæ Maxelendis in annum proximè ſequentem reiecto. Super anno, quo beatus Amatus Broilenſis tunc Abbas obiit, Tabulas Auctoréſque complures allegauimus qui nobiſcum conſentiunt. Annum, quo Mexelendis necem ſubiit, ex prædicto Balderico colligimus, anno enim poſt Martyrium tertio factam affirmat eiuſdem Sanctæ Tranſlationem, quæ Kalendis Nouembris notatur, illis autem Kalendis præfigitur litera D, quæ Dominicalis fuit toto anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo-quarto. Hæc obiter ad confirmandam Chronologiam, narrationem Martyrij nunc accipe.

XXXVIII. Martyrium S. Maxelendis.

Sub hoc ferè tempore, quo videlicet Amatus Abbas Broilenſis ex hac vita migrauit, *quædam virgo* Maxelendis *in territorio Cameracenſi, nobiliſſimis orta natalibus, circumuenta eſt à quodam iuuene* Harduino *non ignobilis generis, ſed ignobilis animi, vt eius coniugio iure matrimonij copularetur. Quæ dum nec auro, nec gemmis, nec vllo ornamentorum genere frangi potuiſſet, quominùs virginitatis propoſitum laxaret, & more nobilium fæminarum viro potenti iungeretur, nec parentes ſuos ſuper huiuſmodi conſilium audire vellet, deſperato iuuenis amore, captâque opportunitate, quâ puellam paternis ædibus ſolam poſſet offendere, aſſumptâ ſecum nefandorum turbâ ſociorum, domum omnem circumuallaue-*

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

runt, & factâ irruptione domum omnem perſcrutati ſunt, tandémque loculum, in quo virgo latebat, curioſiùs contemplantes, inuentam violenter traxerunt vſque ad locum, vbi nunc conſtructa eſt, vt poſt triennium probabimus, *Baſilica in honore omnium Sanctorum, præcipuè quidem ſancti Vedaſti, necnon & veneratione ipſius ſacræ virginis. Tunc funeſtus carnifex, dentibus frendens, euaginato gladio percuſſam interfecit. Qui mox vt ſanguinem virginis vidit, iuſto Dei iudicio cæcus factus eſt. Sepultáque eſt in Baſilica beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſanctique Sulpicij Confeſſoris, quæ conſtructa eſt in villa quæ vocatur Pomeriolas.* Martyrium ſubiit *tertio Nonas Nouembris*, vt Franciſcus *Doreſmieux* in vita ſancti Vindiciani [a] teſtatur, colitur tamen Idibus, quo die ſepultam poſt aliquot à Martyrio dies arbitramur.

[a] Ap. Henſchen. d. 11. Mart.

XXXIX. Miræus Sigeberto abiudicat hanc de beatæ Maxelendis Martyrio periodum, quæ in vulgato Sigeberti Chronico ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum legitur. *In territorio Cameracenſi virgo Dei Maxelendis pro voto virginitatis Harduinum amatorem ſuum fugiens, ab eo martyrizatur, qui mox excæcatus, poſt triennium ab ea illuminatur.* Non defuerunt tamen è Neotericis, qui ſolo Sigeberti Interpolatore nixi Maxelendem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo palmâ Martyrij donatam ſcriberent, eorúmque numerum auxit etiam ipſemet Miræus in Faſtis Belgicis [b]. At meliùs apud Baldericum Maxelendis Martyrio coronatur eodem ferè tempore, quo beatus Amatus apud Broilum ex hoc ſeculo migrat, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Illam enim, cùm Vindicianus Epiſcopus in Cathedra Cameracenſi iam ſedebat, natam ſic docet Auctor vitæ [c]. *Tempore illo, quo ſanctus Vindicianus à ſancto Vedaſto octauus Cameracenſi ſeu Atrebatenſi Eccleſiæ præſidebat, ſancta Maxellendis in eadem Cameracenſi prouincia inclytis admodum parentibus & generis nobilitate & ſpectatâ religione claris, patre Humlino, matre Ameltrude, orta eſt feliciter, ſed feliciùs renata.* Vindicianus autem Epiſcopatum anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo ſuſcepit, vt ſuo loco probauimus [d]. Atque inde etiam Henſchenium corrige, qui ſanctæ Maxellendis Martyrium anno quarto Theodorici Regis illigauit in notis ad vitam ſancti Vindiciani.

[b] d. 13. Nou.
[c] Ap. Sur. d. 13. Nou.
[d] Ad an. 669. n. 10.

XL. In prælaudata ſanctæ Maxellendis vita, vir, cui virgo à parentibus deſponſata eſt, Harduinus vocatur, vt & apud Baldericum [e], vbi de eiuſdem beatæ Maxellendis Tranſlatione ſermonem inſtituit. Locus Martyrij Calderiacum * nuncupatur, eſt in pago ſeu territorio * Cameracenſi, diſtátque tribus milliaribus à Cameraco, totidem à Caſtro * Cameraceſio. Villa * Pomeriola, quæ ſepulturam præbuit, vnius horæ ſpatio diſtat ab eodem Caſtro, Landracum * versùs, & nomen, vt Coluenerius in notis ad Baldericum veriſimile cenſet, à pomorum copia trahit. Centuriatores [f] Magdeburgenſes, quibus odio ſunt votum Virginitatis & Catholica de Virginitatis merito doctrina, Maxellendem *pſeudo-martyrem* appellant nullâ ratione ſuperadditâ.

[e] Lib. 1. c. 24.
* *Caudri.*
* *Le Cambreſis.*
* *Cateau en Cambreſis.*
* *Pommereul.*
* *Landrecy.*
[f] Centur. 7. c. 12.

XLI. Sanctam Saturninam, cuius ætas ignoratur, hoc loco ſanctæ Maxellendi coniungemus, vtpote eodem Martyrij genere conſpicuam, & à Balderico in Chronico Cameracenſi pariter commendatam. Barala * & Sancti *, duo ſunt vici in territorio * Oſiacenſi, ſibi inuicem vicini iuxta Marquionum *, medio ferè itinere inter Cameracum & Atrebatum. Apud Baralam, *Monaſterium Canonicæ Congregationis extitit à Clodoueo quidem Rege, vt ferunt, conditum, & à beato Vedaſto in honore ſancti Georgij conſecratum. Illic enim brachium eiuſdem Martyris habebatur. Hoc autem locupletiſſimum & venerabile, columnæ marmoreæ, & antiqua pulchra ædificia, quæ adhuc ſuperſunt, fuiſſe teſtantur.* Hæc Baldericus [g], qui locum deſcripſit, vt eum ob oculos habuit. Recentior Coluenerius [h] ait aut nullum aut tenuiſſimum Monaſterij veſtigium cùm apud Baralam tum apud Sanctos ſupereſſe, notátque parochiales Eccleſias Baralæ ac Sanctorum, dicatas eſſe, illam *Sancto Georgio*

* *Barale.*
* *Sains.*
* *d'Oiſy.*
* *Marquion.*
[g] Lib. 1. c. 11.
[h] In not. ad c. 11. lib. 1.

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODOR. II. R. 18.

Martyri, ſub patronatu Abbatis Aquicinctini, hanc *ſanctæ Saturninæ Virgini & Martyri, ſub patronatu Capituli Metropolitani beatæ Mariæ Cameracenſis*. Martyrium autem ſanctæ Saturninæ ſic enarrat Baldericus [a]. *Apud Sanctos, (id loco vocabulum) puellarum Baſilica, vbi ſancta Saturnina quieſcit, traditur extitiſſe. Porrò hæc virgo de Germania præclaris natalibus orta, à pueritia ſuam virginitatem Domino vouit, quam cùm parentes iuxta ritum ſæcularem maritare diſponerent, integritatem pudoris cœleſti ſponſo ſeruare malens, viriles thalamos procul abhorruit. Videns autem quia aut voluntati parentum non poſſet reſiſtere, aut proterui ſponſi appetitum euadere, à paternis ædibus latenter egreſſa, fugam iniit, & ad hanc viciniam vſque perueniens iuxta prædictum vicum curſum vitæ Martyrio conſummauit. Nam vir ille, cui pacta à parentibus erat, palantem vſque ad ipſum locum perſecutus eſt, Quem cùm poſt tergum virgo venerabilis eminùs proſpexiſſet, tota intremuit, & quomodo ſe morſibus infeſtantis beſtiæ eximeret, neſcit. Quid enim faceret? Mox vti erat animal ſimplex, paſtoribus, qui illic gregem paſcebant, abſcondenda ſe interſerit, talitérque quærentem latere æſtimauit. Quod tamen iuuenis aucupatus, vt lupus eſuriens ſuper innocentem ouiculam irruit, euaginatóque gladio decollauit. Quæ mox, vt antiquitas relatorum audet aſſerere, proprium caput manibus ſumpſit, populóque ſpectante vſque in Eccleſiam quæ in ipſa villa, in honore Sancti Remigij aderat, deportauit. Ad cuius ergo venerationem à fidelibus Chriſtianis facto Monaſterio, puellaris Congregatio delegatur, ſed prædictis cauſis intercipientibus*, id eſt, irruptionibus Nortmannorum, *ad vnius Presbyteri obſequium redigitur. Eſt autem antiqua relatio, quod longo poſt tempore Saxones, incertum quâ cauſâ, ad hanc viciniam deuenerunt, & per ipſum vicum tranſeuntes, auditâ quidem ſacrâ opinione, partem corporis ſacræ Virginis aſportarunt.* In Tabulis Eccleſiaſticis colitur ſancta Saturnina pridie Nonas Iunij.

[a] L. 2. c. 12.

ET S. SATVRNINÆ.

XLII. Ferreolus Locrius eodem anno, quo Martyrium beatæ Maxelendis virginis, initia quoque collocauit Haſnonienſis Monaſterij, quod Ioannes vir nobilis illius loci dominus eiúſque ſoror Eulalia conſtruxerunt, & Vindicianus Epiſcopus poſt aliquot annos pridie Kalendas Maij conſecrauit. Franciſcus *Doreſmieux*, in vita Sancti Vindiciani [b], poſtquàm Haſnonienſis Monaſterij Baſilicam ab eodem Vindiciano Epiſcopo conſecratam dixit, ad Martyrium beatæ Maxelendis ſic tranſit, *eodem anno, tertio Nonas Nouembris, inauditum contigit facinus, quod hîc paucis memorare libet.* Godefridus Henſchenius in notis ad eandem vitam annum illum interpretatur quartum Theodorici Regis, comparátque cum anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo-tertio. Annum Theoderici Regis quartum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo illigauimus. Cur in numerandis annis Theodorici Regis Chronologiam Henſchenianam ſex annis anteuertamus, expoſitum eſt ſuprà. Sed Haſnonienſis Eccleſiæ dedicatio, quam Miræus [c] Locrius [d], aliique pridie Kalendas Maij factam affirmant, haud incidit in annum Chriſti vel ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſeptimum vel ſexcenteſimum octogeſimum-tertium, neuter enim præditus fuit literâ Dominicali A, quæ pridie Kalendas Maij ponitur in Kalendario, & Dominicalis fuit toto anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo-primo. Interpolator apud Sigebertum Maxelendem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo palmâ Martyrij coronatam tradit. Miræus in Originibus Benedictinis, vbi de Monaſterio Haſnonienſi ſermonem facit, eodem anno prima illius Cœnobij fundamenta conſignat. Adſtipulantur Locrius in Chronico Belgico [e], Vinchantius in Annalibus Hannoniæ [f]. In eam rem circumferuntur hi verſus [g].

Si cupis Haſnony ſtructores noſcere Templi,
Hæc metra pertracta, ſic ſuccedent tua vota.
Inclyta progenies Eulalia, ſícque Ioannes,
Frater hic, illa ſoror, germani mente fideli,

[b] Ap. Henſchen. d. 11. Mart.

HASNONIENSIS MONASTERII DEDICATIO.

[c] In Origin. Benedict.
[d] In Chron. Belgic. ad an. 670.

[e] Ad an. 670.
[f] L. 3. c. 15.
[g] Ap. Mir. & Locr.

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

Huius præſentis ſtatuunt fundamina Templi.
Tunc humanati Verbi dum voluitur annus
Qui ſexcentenus quoque ſeptuagenus habetur.
Cunctis expletis aduenit Vindicianus
Antiſtes Cameracenſis, Templúmque dicauit
Altithrono Domino, cuius nos luſtrat imago,
Cæli Clauigero, Doctori Gentis amæno.

A prima Monaſterij Haſnonienſis incœptione, donec Eccleſia conſecraretur, annos vnum ac viginti effluxiſſe non exiſtimamus. Quicquid autem ſit de tempore quo iacta ſunt Monaſterij fundamenta, Baſilica dedicata eſt hoc anno, Theodorici Regis duodeuiceſimo, pridie Kalendas Maij, die Dominico, currente literâ Dominicali A. Tunc in Cœnobium introducti ſunt Monachi, quibus Ioannes Abbas præfuit, & Moniales, quarum regimen Eulalia Abbatiſſa Ioannis Abbatis ſoror ſuſcepit. Id Franciſcus *Doreſmieux* diſtinctis verbis in vita ſancti Vindiciani iam laudata ſic docet. *Ioannes Toparcha Haſnonienſis, Eulaliæ ſororis piiſſimæ opibus adiutus, cùm in contractu inſigne Monaſterium extruxiſſet, vocatus eò fuit Vindicianus, qui Eccleſiam conſecraret, ſimúlque ſelectos viros & mulieres intra Cœnobij iſtius clauſtra introduceret, vt nimirum in eo ſacro loco ſeparatim habitarent Deóque militarent. Quod à beato Vindiciano magnâ celeritate, alacríque quamplurimorum Eccleſiaſticorum & ſecularium hominum concurſu peractum eſt.* De Martianis aliiſque ſimilibus Monaſteriis iam locuti ſumus, quæ duas in partes ita diuidebantur, vt in vna Monachi, ſemotæ Moniales in altera conſiſterent. Vtrumque ſexum Deo in Haſnonienſi Cœnobio famulantem ſic commendat Vates ſuprà citatus. XLIII.

Deſine mirari hîc ſexum duplicem famulari;
Namque Ioannis & Eulaliæ præclara propago
Cœnobium rexit, cœtum ſuper æthera vexit.
Hic locus enituit rigidi ſeruator honeſti,
Vſque dies Carli durans, cognomine Calui,
Induperatoris, Regis quoque Francigenarum.

Abbates Haſnonienſes ad incurſionem vſque Nortmannorum à Vinchantio & à Sammarthanis hoc ordine recenſentur, Ioannes, Aldo, Sauericus, Geroldus, Godefridus, Walterus, Amadeus & Audulfus. De tribus tantùm, quorum poſtremus Sauericus, agemus hoc Tomo. Vinchantius Abbatum Haſnonienſium Chronologiam ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo exorditur; Ioannem ipſius Monaſterij conditorem ac primum Abbatem, poſtquàm Cœnobitis annos ſeptemdecim præfuiſſet, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo mortuum tradit; Aldonem Ioannis fratrem ac ſucceſſorem ex hac vita ſublatum affirmat anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo; ſubdítque Sauericum vtriuſque propinquum ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum vixiſſe. Sequuntur eandem Chronologiam Sammarthani. Nituntur iſti Scriptores auctoritate Iacobi Meyeri, qui de Martyrio Maxelendis virginis & dedicatione Monaſterij Haſnonienſis in Annalibus [a] Flandriæ ſic ſcripſit. *Anno* DCLXX. *in Cameracenſibus Maxelendis virgo Chriſti ab proco quodam ſuo, quod aſſentire illi nollet, interfecta. Haſnonienſe Cœnobium ab Vindiciano Epiſcopo Cameracenſi dedicatum.* Eodem anno, quo beata Maxelendis Martyrium ſubiit, Haſnonienſe Monaſterium ab Epiſcopo Vindiciano dedicatum fuiſſe non inficiamur, ſed contendimus neutrum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo contigiſſe. Meyerus, vt ſanctæ Maxelendis Martyrium anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo conſignaret, impulſus videtur ab Interpolatore Sigeberti, quem ſuprà refutauimus, Maxelendis enim, vt ex eius vita probauimus, in lucem edita eſt Vindiciano Epiſcopatum iam adepto, Vindicianus autem anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo in Pontificali Cathedra ſedere cœpit. Quod attinet ad Haſnonienſis Monaſterij dedica- XLIV. ABBATES.

[a] Lib. 1.

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

tionem, hæc, quia pridie Kalendas Maij facta eſt, in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum non incidit, qui præditus fuit literâ Dominicali F. Vt beatæ Maxelendis cædem, ſic & Haſnonienſis Eccleſiæ dedicationem in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum reiiciendam arbitramur. Ab illo anno ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum quo Sauericus Abbas obiit, effluxerunt anni vnus & octoginta, quos in tres Præſulatus ita partiemur, vt annos ſeptemdecim Abbatialis præfecturæ, quos prælaudati Nomenclatores aſſignarunt, Abbati Ioanni conſeruemus, Aldoni Ioannis fratri nouemdecim tribuamus, Sauerico quadraginta quinque.

XLV. ABBATISSÆ. Abbatiſſarum Haſnonienſium Catalogus non extat integer. A Monaſterij enim conditu ad irruptionem vſque Nortmannorum, Monialibus præfuerunt Abbatiſſæ nouem, ceterarum autem memoriâ penitus extinctâ, trium duntaxat, Eulaliæ videlicet, Bertrudis & Ermentrudis, ſuperſunt apud Vinchantium nomina. Cœnobij fundatrix primáque Abbatiſſa fuit Eulalia Ioannis Abbatis ſoror. Hæc Monialium cœtum annis ſeptemdecim rexit, eódemque, quo Ioannes frater, obiit anno, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum dicturi ſumus.

XLVI. * *Haſnon.* SITVS. Haſnonium * autem ſiue Haſnum ſitum eſt inter Martianas & oppidum Amandinum, dexteræ Scarpi ripæ inſidet, in Diœceſi Atrebatenſi, quamuis extra fines Atrebateſij poſitum ſit pertineátque ad hodiernum Hannoniæ Comitatum. Lege Miræum in Originibus [a] Benedictinis, Locrium in Chronico [b] Belgico & Henſchenium in notis ad vitam [c] Sancti Vindiciani.

[a] Cap. 29. [b] Ad an. 670. [c] D. 11. Mart.

XLVII. ITERIVS EP. NIVERNENSIS. Ioannes Chenutius in ſerie Niuernenſium Epiſcoporum ad hunc annum ſic ait. *S. Iterius anno 691. Sedebat Pontificatûs S. Sergij Papæ & regni Theodorici I. Franciæ Regis tempore.* Theodoricum, quem illius nominis Tertium appellamus, primum vocat, quia loquitur in eorum opinione qui Catalogos Regum Francorum ſic contexunt, vt Reges, qui Pariſiis regnarunt, ſolos in ſuis Indicibus recenſeant. Ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum peruenit Rex Theodoricus Clodouei ſecundi filius, &, vt ex prædictis conſtat, annus quartus Sergij Papæ cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo comparari debet, eâque ratione tres Characteres Chronologici, quibus hoc loco Chenutius vtitur, rectè ſimul conuenire deprehenduntur. Claudius Robertus paulò plura ſcribit de Sancto Itherio ſic. *S. Itherius. In Breuiario Bituricenſi 25. Iunij. At in Niuernenſi, Aurelianenſi, notatur feſtum 8. Iulij, vbi quieſcere dicitur Noienni *, qui vicus illi natalis, Diœceſis Senonenſis, A. C. 691. Habet Eccleſiam Collegialem Soliaci * ad Ligerim.* Eadem leguntur apud Sauſſaium [d] in ſupplemento Martyrologij Gallicani & apud Sammarthanos in auctiore Gallia Chriſtiana. Meminit etiam Sancti Itherij Wido Coquillius in Hiſtoria Niuernenſi, vbi catalogum Niuernenſium Antiſtitum edit. In Breuiario Niuernenſi, quod ſuperioribus Tomis nonnumquam citauimus, laudatur beatus Iterius, quòd *omnium liberalium artium ſcientiâ inſtructus, vitæ ſanctitate & diuinitus ſibi collatâ gratiâ ſanitatum conſpicuus, adeò horum gloriam declinauit, vt quoſcumque ſanaret, admoneret ne cui dicerent, ipſe verò loca quæuis abditiſſima quæreret, vt ibi lateret incognitus;* deinde quòd factus vrbis Niuernenſis Epiſcopus, *in eius ciuitatis ingreſſu quemdam artubus contractum ſanitati reſtituit, dæmoniacum vnum à dæmone liberauit.*

* *Nogent entre la Buſſiere & Montargis.* * *Sully.* [d] D. 8. Iul.

XLVIII. DORESTADENSES ERVDIVNTVR. Quæ Suibertus, antequàm Epiſcopus ordinaretur, in vicis *Duerſtat* & *Hagenſtein* egiſſe memoratur, ea, quoniam ſolo Hiſtoriæ Suibertinæ Scriptore nituntur, nec reiicit, nec reprobat Henſchenius aliis veteribus teſtimoniis deſtitutus. Suibertus, vt ex Beda ſuo loco probabimus, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio Pontificales Infulas ſuſcepit; in Friſiam, vt dictum eſt ſuprà, cum ſociis anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo

geſimo appulerat. Ad hunc igitur annum, qui poſt eorum aduentum in Friſiam primus, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimus nonageſimus-primus numeratur, referendæ nobis videntur res in vico *Duerſtat* geſtæ; ad ſequentem, res actæ in villa *Hageſtein*. Vtramque narrationem ex Hiſtoria Suibertina mutuabimur, ſublatis quibuſdam mendis, quæ pſeudo-Marcellinus inuexit, additiſque nonnullis obſeruationibus, quæ nobis viſæ ſunt & vtiles & neceſſariæ. AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

Quod olim oppidum ad Rhenum in antiquorum Batauorum Inſula Romani *Batauodurum*, poſteri *Doreſtatum*, *Doreſtadum*, *Dorſtatum*, *Durſtadium*, *Duerſtat*, *emporium Doreſtatis*, *Vicum-Doreſtadum* dixerunt, incolæ hodie *Wiick te Duerſtede* vocant. Locus ille dicitur in Hiſtoria Suibertina *duobus* diſtare *milliaribus à Traiecto ad Orientem*. Auctor, vt Henſchenius obſeruat, milliaria ſumit, non Romana vel Anglica, licèt Anglus videri velit, nam hæc ſunt octo ſtadiorum; neque Belgica aut Gallica, licèt lucubrationem ſuam Gregorio Traiectenſi Epiſcopo homini Gallo inſcribat, nam hæc ſunt ſtadiorum quatuor ac viginti, qualia à pedite decurri horæ vnius ſpatio, ſeu viceſimâ-quartâ parte diei naturalis poſſunt, & talia Traiectum inter & Doreſtadum ſunt quatuor; ſed Weſtphalica ſeu Germanica, quæ duplo maiora ſunt. Traiecto Doreſtadum profectus eſt Suibertus cum nonnullis è ſociis; duos nominat Hiſtoria Suibertina, Werenfridum ſcilicet & Marcellinum; at certiſſimum eſt Marcellinum multò ſeriùs ex Anglia veniſſe, de Werenfrido non ita liquet, huius igitur nomen retinebimus, alterum expungemus. Expungemus & annum à Natiuitate Domini ſexcenteſimum nonageſimum-quintum, neque enim ad illum annum differri poteſt iter, quod Suibertus nondum Epiſcopus Traiecto Doreſtadum ſuſceperit. XLIX.

Præmiſſis hiſce obſeruationibus, quid Willebrordus eiúſque ſocij cùm Traiecti, tum Doreſtadi geſſerint, accipe ex eadem Hiſtoria Suibertina. *Conuenerunt ad Caſtrum Traiectenſe, quod pridem Wiltemburg dicebatur, quod in poteſtate Orientalium Francorum eo tempore fuit & permanſit, vbi dudum imperante Heraclio Cæſare inclytus Dagobertus Rex Franciæ conſtrui fecit Eccleſiam in honore S. Thomæ Apoſtoli, quam non multò pòſt præduræ ceruicis Friſones ſolo tenus deſtruxerunt. In quo loco, prope ruinam illius prioris Eccleſiæ S. Thomæ ſuperædificauerunt in honore S. Crucis Oratorium, in quo renatiui fontis conſecrarunt Baptiſterium, vt Chriſti fideles, ob defenſionem Caſtellani Traiectenſis *, ſecurum illic haberent acceſſum, ad ſuſcipiendum ſacri Baptiſmatis Sacramentum. Deinde præfati Sacerdotes, attendentes meſſem quidem multam, operarios verò paucos, inierunt more Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti, bini & bini, trini & trini, adiunctis ſibi aliquot neophytis, in diuerſis Germaniæ Prouinciis fidem Chriſti gentibus denunciaturi. Inter quos S. Swibertus, glorioſus Sacerdos Chriſti, diuini amoris igne feruidus, venit eodem tempore cum Werenfrido & ...... in grandem vicum, dictum Duerſtat, qui vicus refertus fuit cæremoniis, ornatúſque diuerſis idolorum templis, duobus diſtans miliaribus à Traiecto ad Orientem, vbi dum prædicaret Chriſtum verum Deum, qui vitam æternam in ſe credentibus daret, admonens vt ſimulacrorum vanos & inanes contemnerent cultus, eò quòd idola, quæ pro diis colebant, repleta eſſent dæmoniis, & nihil ſalutis habere, nec ſuis cultoribus auxilium conferre poſſe affirmaret, ſtatim à paganis & idolorum Sacerdotibus capitur & grauiter verberatur, clamantibus & dicentibus. Blaſphemator iſte noſtram prophanat legem, deos noſtros omnipotentes dæmonia affirmat, populum ſeducit, crucifixum ſolum Deum verum audacter prædicat, & niſi occidatur aut effugetur, cultus deorum noſtrorum euacuabitur, & paternæ traditiones exterminabuntur. His dictis, clamore omnium tenetur & in carcerem mittitur vt alterâ die occultè trucidaretur. Non enim palàm audebant ipſum occidere, quoniam vicus erat ſub ditione Chriſtianorum Francorum.* At nocte per Angelum eductus eſt è cuſtodia circa galli cantum. *Pagani verò & præcipuè ſacerdotes ido-* L.

* *D'Vtrech.*

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

lorum alterâ die audientes liberationem illius, vacillare cæperunt de impotentiâ idolorum, laudantes virtutem Chriſti. Ipſe verò alterâ die conſtantiſſimè prædicans, multos in ſtuporem vertit, & ad Chriſtum conuertit, & nemo iniecit manus in eum. Quo myſterio peracto, cùm Traiectum cum ſociis *perueniſſet, omnia per Angelum patrata ſecum in Duerſtat, confratribus enarrauit, qui vnanimi voce, flentes præ gaudio, benedixerunt Deum.*

LI. EMMA THEODORICI R. CONSANGVINEA NVBIT SVEBHARDO CANTIÆ R.

Ad hunc annum referri debent, quæ narrantur in vita manuſcripta Berthæ Blangiacenſis Abbatiſſæ. *Rex Anglo-Saxonum limina ſancti Petri inuiſere cupiens Romam petiit, qui inde ad patriam redeundo Theodericum Regem magnificis muneribus ditauit, Excellentiámque illius obnixè flagitare ſtuduit, quatinus ſibi Emmam, filiam videlicet beatiſſimæ Berthæ, conſanguineam ſuam concederet in coniugium, quod & impetrauit, miſſis namque nunciis Regalibus vnà cum prædicto Waraclino iuſſit ſibi dari Emmam filiam beatæ memoriæ Sigifridi ad ſponſalem thalamum. Acceptâ itaque nobiliſſimâ coniuge lætus ad propria rediit.* Actum ſuprà de conſanguinitate, quæ Bertham inter ac Theodoricum Regem intercedebat.

LII. In textu præcitato reticetur nomen Regis, cui collocata in matrimonium Emma. Malbrancus [a] Swaradinum appellat, exiſtimátque *eundem eſſe cum Swebheardo, quem Ioannes Stow in Anglicis ſuis ad annum 698. tradit regnaſſe in parte Cantij cum Withredo.* Vnde Malbrancus Swaradini nomen acceperit, haud ſcimus. Notior eſt Swebheardus ſeu Suebhardus, de quo ſic Beda [b], vbi agit de Berechtwaldo Archiepiſcopo. *Electus eſt quidem* Berechtwaldus *in Epiſcopatum anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, die primo menſis Iulij, regnantibus in Cantia Wichtredo & Suebhardo.* Malbrancus in Tabula Chronologica, quam Tomo primo de Morinis præfixit, nuptias Emmæ conſignandas ait anno Chriſti vel ſexcenteſimo nonageſimo-primo vel ſequenti. Priorem numerum amplexi ſumus, quia Theodoricus, quo regnante nupſit Emma, vitam cum morte commutauit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo.

[a] Lib. 4. c. 33.

[b] Lib. 5. c. 9.

LIII. Sententiæ noſtræ refragatur Michaël Alfordus in Annalibus [c] Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ. Nam, ſi benè ratiocinatur hic Auctor, Wichtredus Egberti quondam Regis filius, qui poſt obitum Edrici fratris in Cantiam ab aliquot annis ſuccedere debuerat, è priuata fortuna emergere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, ſéque anno ſequenti in Regnum aſſeruit, Inæ Occidentalium Saxonum Regis irâ placatâ, promiſsâque ingenti pecuniæ ſummâ. Duobus ad confirmandam opinionem Scriptoribus vtitur, Bedâ proximè allegato & Willielmo Malmeſburienſi cuius hæc tantùm verba citat ex libro primo [d] de Geſtis Regum Anglorum. *In tam deſperatis rebus Cantiæ ſexennio circiter à regia ſucceſſione claudicatum: ſeptimo demùm anno Withredus filius Egberti, cùm apud ſuos inuidiam preſſiſſet induſtriâ & apud hoſtes pacem locaſſet pecuniâ, magnâ ſpe ciuium allectus in Regem, voti compotes fecit.*

[c] Tom. 2. ad an. 692. n. 3.

[d] Cap. 1.

LIV. Ex verbis Bedæ ſuprà recitatis liquet Wichtredum & Suebhardum *in Cantia* regnaſſe *anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, die primo menſis Iulij*, ſed eos illo anno Regnum auſpicatos eſſe non ſcribit Beda. Imò teſte eodem Bedâ Wichtredus regnare cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, Regnum enim *per triginta quatuor & ſemis annos* tenuit, obiítque nono Kalendas Maias anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto. Clariſſimus eſt ad illum annum hic Bedæ [e] textus. *Anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo viceſimo-quinto (qui erat annus ſeptimus Oſrici Regis Nordan-Humbrorum qui Coenredo ſucceſſerat) Victredus filius Ecgberti Rex Cantuariorum defunctus eſt nono die Kalendarum Maiarum: & Regni, quod per triginta quatuor & ſemis annos tenebat, filios tres, Edilbertum, Eadbertum & Aldricum, reliquit hæredes.*

[e] Lib. 5. c. 24.

LV. Idem Auctor de Regibus, qui poſt Lotharium ſeu poſt annum Chriſti

Digitized by Google

ſexcenteſimum octogeſimum-quintum in Cantio regnarunt, ſic loquitur [a]. *Anno, qui eſt ab Incarnatione Dominicâ ſexcenteſimus octogeſimus-quintus, Lothere Cantuariorum Rex, cùm poſt Ecgbertum fratrem ſuum, qui nouem annis regnauerat, ipſe duodecim annis regnaſſet, mortuus erat octauo Idus Februarij. Vulneratus namque eſt in pugna Auſtralium Saxonum, quam contra eum Edric filius Ecgberti aggregarat, & inter medendum defunctus eſt. Ac poſt eum idem Edric anno vno ac dimidio regnauit. Quo defuncto Regnum illud per aliquod temporis ſpatium Reges dubij vel externi diſperdiderunt, donec legitimus Rex Victred, id eſt, filius Ecgberti, confortatus in Regno, religione ſimul & induſtriâ gentem ſuam ab extranea inuaſione liberaret.* AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

[a] Lib. 4. c. 26.

LVI. De rebus, quæ mortem Edrici Regis ſecutæ ſunt, fuſiùs diſſerit Willielmus Malmeſburienſis. *Nec Edricus ſucceſſu tyrannidis longùm gloriatus eſt, ſed citra biennium Regno & vitâ ſpoliatus, patriam lacerandam hoſtibus expoſuit, continuò enim quidam Cedwalla cum fratre Mollone, aliàs ſanè bonus & efficax digladiabile odium in Cantuaritas ſpirans, quantis potuit conatibus prouinciam inuaſit, olim diuturnâ pace feriatam, ſed tunc inteſtino bello diſſidentem, impunè ſibi ceſſuram arbitratus, ſed non ita vt ſperabat imparatos aut animi vacuos prouinciales offendit; ſiquidem poſt multa incommoda vicatim & oppidatim accepta, tandem animati ad manus veniunt, congreſſúque ſuperiores Cedwallam in terga vertunt, fratréque Mollone in tugurium quoddam compulſo domunculam ipſam ſuccendunt. Ita Mollo, dum erumpendi in hoſtem deeſſet audacia, & totis circa tectum habenis regnarent incendia, inter flammas halitum eructauit. Non tamen Cedwalla deſtitit, aut à prouincia pedem retulit, quin dolorem ſuum crebris accolarum diſpendiis ſarciret, reíque vltionem in ſucceſſorem Inam transfunderet. In tam deſperatis rebus Cantia ſexennio circiter à Regia ſucceſſione claudicatum: ſeptimo demùm anno Withredus filius Egberti, cùm apud ſuos inuidiam preſſiſſet induſtriâ, & apud hoſtes pacem locaſſet pecuniâ, magnâ ſpe ciuium allectus in Regem, voti compotes fecit. Domi enim ciuilis, & bello inuictus Chriſtianam Religionem ſanctiſſimè coluit, poteſtatem ampliſſimè porrexit, &, vt nihil felicitati deeſſet, poſt 33. annos longæuus (quod mortales beatiſſimum putant) ſuperſtitibus eiſdémque hæredibus liberis tribus, fato functus eſt.*

LVII. Edricus Cantij Rex, vt ex Beda & Willielmo Malmeſburienſi ſuprà citatis liquet, obiit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto. Matthæus Weſtmonaſterienſis vt obitum Lotharij, ſic & Edrici mortem vno anno tardiùs retulit, Lotharium enim anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto, Edricum ſiue Eadricium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, mortuos aſſeruit. Deinde bella poſt Edrici ſiue Eadricij mortem enata ſic perſtrinxit. *Poſt cuius*, nempe Eadricij, *obitum, Regnum illud extranei inuaſerunt. Ceduuella enim Rex & frater eius Mollo prouinciam illam ingreſſi, nullo obſiſtente, eam deprædati ac depopulati ſunt. Quæ ſæuitia per triennium durauit, donec Mollo præfatus inanis gloriæ cupidus, immaturâ morte præuentus, vitam terminauit.* Hic Auctor bella, quæ poſt Edrici Regis mortem *per aliquod temporis ſpatium* apud Bedam in Cantia duraſſe perhibentur, triennio determinatè circumſcripſit, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum, quo Wichtredus & Suebhardus Regnum auſpicati ſunt, vt ex Beda iam probauimus.

LVIII. Porrò Matthæus Weſtmonaſterienſis, licèt in aſſignando initio Principatûs, quem Wichtredus & Suebhardus fratres in Cantia geſſerunt, cum Beda conueniat, non caret næuo, quia vitam Mollonis ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum prorogat. Beda enim huic opinioni palàm refragatur, ſi tres Characteres Chronologici, quibus vtitur, attentè perpendantur. Primò teſtatur [b] Altfridum Ecgfrido fratri in Regnum Nordan-Humbrorum ſucceſſiſſe *anno qui eſt ab Incarnatione Dominica ſexcenteſimus octogeſimus-quintus.* Deinde anno Regis Altfridi tertio, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo, Ceaduallam Occidentalium Sa-

[b] Lib. 4. c. 26.

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18. xonum Regem è Britannia Romam profectum ſic affirmat [a]. *Anno Regni Altfridi tertio, Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum, cùm genti ſuæ duobus annis ſtrenuiſſimè præeſſet, relicto Imperio propter Dominum Regnúmque perpetuum venit Romam; hoc ſibi gloria ſingularis deſiderans adipiſci, vt ad limina Beatorum Apoſtolorum fonte Baptiſmatis ablueretur, in quo ſolo didicerat generi humano patere vitæ cæleſtis introitum; ſimul etiam ſperans, quia mox baptizatus, carne ſolutus ad æterna gaudia iam mundus tranſiret. Quod vtrumque vt mente diſpoſuerat, Domino adiuuante completum eſt. Etenim illò perueniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die ſancto Sabbati Paſchalis, anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octuageſimo-nono, & in albis adhuc poſitus, langore correptus, duodecimo Kalendarum Maiarum die ſolutus eſt à carne, & beatorum eſt conſortio ſociatus in cælis.* Poſtremò, de Ceaduallæ ſucceſſore, quem *Huu* vocat, Inam Malmeſburienſis, Weſtmonaſterienſis, aliíque appellant, hæc paulò pòſt ſubiungit. *Abeunte autem Romam Ceaduallâ ſucceſſit in Regnum Huu, de ſtirpe Regia.* Verùm quis ſibi perſuadeat Inam Ceaduallæ ſucceſſiſſe, ſuperſtite in viuis Mollone ipſius Ceaduallæ fratre? Priùs igitur obiit Mollo, quàm Ceadualla Romam proficiſceretur. Quapropter Malmeſburienſis capite de Regibus Cantuarienſium iam citato, poſtquàm Mollonis incendium enarrauit, rectè ſubdit de Ceadualla. *Non tamen Cedwalla deſtitit, aut à prouincia*, id eſt, à Cantio, *pedem retulit, quin dolorem ſuum crebris incolarum diſpendiis ſarciret, reíque vltionem in ſucceſſorem Inam transfunderet.* Et capite de Regno Weſt-Saxonum, primam Inæ Regis expeditionem ſic deſcribit. *Prima illi in Cantuaritas expeditio, in quos nondum de incendio Mollonis ira deſremuerat. Prouinciales parumper reſiſtere auſi, mox omnibus tentatis, & viribus in ventum effuſis, cùm nihil in pectore Inæ, quod ignauiæ conduceret, reperiſſent, diſpendiorum ſuorum intuitu deditioni conſulere, tentant Regium animum muneribus, ſollicitant promiſſis, nundinantur pacem triginta millibus auri marcis, vt pretio mollitus bellum ſolueret, metallo præſtrictus receptui caneret. Quâ ille pecuniâ ſusceptâ, delicti gratiam fecit, in Regnum reuerſus.* Eadem de re ſic Weſtmonaſterienſis. *Ina Rex Occidentalium Saxonum, caſtrorum aciebus terribiliter ordinatis, combuſtionem Mollonis cognati ſui vindicare diſpoſuit. Rex verò Canciæ Withredus humiliter obuiam veniens, magnam pecuniæ ſummam pro nece iuuenis dedit, & ſic*

Lis finita fuit, pax confirmata reuixit.

Lib. 5. c. 7.

LIX. Litem illam Weſtmonaſterienſis *anno gratiæ* DCXCIII. terminatam ſcribit, ſed vt caſum Mollonis, ſic & expeditionem Inæ ſeriùs differt. Standum à partibus Bedæ, qui ceteris auctoritate præualet, palámque docet Wichtredum & Suebhardum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo Regnum auſpicatos eſſe. Nihil igitur obeſt, quominùs hoc anno, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo-primo, Emmam Suebhardo Cantiæ Regi nuptam aſſeramus, ſuperſtite tum Theodorico Francorum Rege. Fuit infauſtum illud coniugium, quia *cum ancillis dicti* Suebhardi *Regis*, vt Anonymus in vita ſanctæ Berthæ perſequitur, *fuit quædam faſcinatrix, nomine Theida, quæ faſcinatione ſuâ auertit dominum ſuum à recto coniugio, vt magis illam adamaret, ac dominam Emmam odioſam execraret. Quod & maleficiorum incantationibus actum eſt.*

LX. * Liuray. GEREBALDVS EP. BAIOCENS. OBIT. Auctor Neuſtriæ Piæ, cùm agit de Liberiaco * celebri olim apud Baiocas Monaſterio, Gerebaldum eiuſdem loci conditorem laudat, aítque illum Rotomagenſi Concilio interfuiſſe ac tertio pòſt circiter anno in cælum migraſſe, ſed quia Synodum Rotomagenſem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo conſignat, felicem Gerebaldi ex hoc ſeculo tranſitum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo octogeſimo-quinto illigat. Acta eſt Synodus Rotomagenſis anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo. Id dilucidè ſuo loco probatum. Si Gerebaldus Baiocenſis Epiſcopus Synodo Rotomagenſi tres circiter annos ſuperſtes vixit, rebus huma-

Digitized by Google

nis exemptus eſt vertente anno Chriſti circiter ſexcenteſimo nonageſimo-primo. Sepultus fuit in Monaſterio Liberiaco. Colitur ſeptimo Idus Decembris apud Molanum in additionibus ad Vſuardum & apud Sauſſaium in Martyrologio Gallicano. Robertus Cœnalis libro ſecundo [a] de re Gallica commendat *campum floridum*, qui ſancti Gerebaldi interuentu in media hyeme virore illuſtratus eſt; commendat & *Gerebaldinam* * *petram*, cui ſanctus Gerebaldus innixus quieuit. AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18.

a Perioch. 4.

* *Le Perron S. Gerbold.*

LXI. SVCCEDIT FRAMBOLDVS.

Sancto Gerebaldo ſucceſſit in Epiſcopatum Baiocenſem Framboldus inſignis quoque ſanctitate. Scriptor enim proximè citatus vndecim Epiſcopos è Baiocenſibus catalogo ſanctorum adſcriptos recenſet, Exuperium, Reginobertum, Ruphinianum, Lupum, Mauucum, Patricium, Conteſtium, Vigorem, Gereboldum, Framboldum & Geretranum. Sex ex illis, Exuperius, Reginobertus, Ruphinianus, Lupus, Mauucus & Conteſtius, priùs ſederunt, quàm Baiocæ in Francorum poteſtatem deuenerunt. Alij quinque, cùm ad noſtros Annales pertinerent, à nobis non fuerunt omiſſi. De ſingulis breuiter in hunc modum idem Cœnalis. *Patricius indigena. Vigor patriâ Atrebas. Gereboldus alienigena. Framboldus Sanctitatis opinione præfulgens. Eodémque Sanctimoniæ titulo clarus Geretranus.* Actum de illorum ætate ſuis locis, non enim eodem ordine, quo floruerunt, à Cœnale commemorantur, idque obiter te monitum volumus.

LXII. ABBATES S. GERMANI PARISIENS.

Apud Aimoinum, vt editus eſt à Guillelmo *Paruy* & à Iacobo *du Breul*, caput quadrageſimum-ſeptimum libri quarti ſic clauditur. *Childeranno autem diem obeunte, Hunfridus curam Monaſterij Sancti Germani accepit.* Iſtud caput additamentum eſt ad Aimoinum, deſumitúrque ex capite duodequinquageſimo libri, cui Titulus *Geſta Regum Francorum*, vbi tamen Abbatum, qui Monaſterio ſancti Germani prope Pariſios præfuerunt, nulla mentio. Additio enim plurimorum capitum, quæ quadrageſimo-primo libri quarti Aimoiniani ſubiuncta ſunt, aucta quoque eſt interpolationibus non paucis, quæ totæ pertinent ad Cœnobium ſancti Germani, deſúntque in Seguierano Codice manuſcripto. Ceterùm mortem Childeranni Abbatis & Hunfridi ſubrogationem hoc loco collocamus, quia proximè ſequitur apud vulgatum Aimoinum mors Theodorici Regis, de qua ſermonem faciemus anno ſequenti.

LXIII.

Malbrancus auctoritate Matthæi *Deſprets* Taruannenſis Archidiaconi fretus Reliquias ſancti Silæ, qui Paulo Apoſtolo ſocius olim itinerum fuit, hoc anno Româ Taruannam delatas affirmat [b]. Bainus Taruannenſis Epiſcopus, vt Romam proficiſceretur, ab Angelo monitus viæ ſe dedit, à Sergio Papa ſuſceptus eſt honorificentiſſimè, dimiſsúſque cum plurimis muneribus, inter quæ præcellebant inſignes ſancti Silæ Reliquiæ, quas in proximum Taruannæ vicum citiſſimè detulit, ibíque ſubſtitit aliquandiu, donec in primarium vrbis Templum celebriore pompâ deportarentur. Eò deinceps quot annis plebs concurrere ſolita, quoties feſtum ſancti Silæ recurrebat. In Tabulis autem Eccleſiaſticis tertio Idus Iulij celebris eſt ſancti Silæ memoria.

b Lib. 4. c. 31.

BAINVS EP. TARVANN. ROMA TARVANNAM DEFERT RELIQVIAS S. SILÆ.

LXIV. AVGET RES EPISCOPII.

Ceterùm Bainus Epiſcopus, qui tanto ſtudio Diœceſim ſuam rebus ſacris ditauit, temporales Epiſcopij prouentus haud neglexit, imò locupletiùs in dies auxit. Eccleſiæ ſuæ prædia Liſas inter ac Diuerniam in Bononeſo comparauit, quæ exculta in Taruannenſis Epiſcopi frugem ita deinceps excreuerunt, vt in pagum inſignem abierint, acceptóque primigenij Auctoris nomine *Baingahem*, id eſt, Baini domicilia fuerint nuncupata. Pagus ille, quia ſitus eſt in Bononeſo, poſt Taruannæ excidium ad Epiſcopum Bononienſem attinuit & hodie pertinet. Ab eodem Baino Epiſcopo nomenclaturam videtur duxiſſe, qui ſupra Taruannam ad Agnionis alueolum aſſidet pagus, nomine *Bainghen*.

Digitized by Google

AN.CH. 692.
THEO-DOR. III. R. 19.

ANNVS CHRISTI 692.
THEODORICI III. R. 19. 12.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, Theodorici Regis duodecimo, Pippinus eiúſque vxor Plectrudis Baſilicam ſanctorum Apoſtolorum prope Metas conſtructam, in qua beatus Arnulphus auus ipſius Pippini quieſcebat, inſigni munificentiâ locupletarunt. Annum illum Theodorici Regis duodecimum cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo componunt Sammarthani [a], nec aliam computationem ineunt Henſchenius aliique, qui Childericum Secundum è viuis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono ſublatum affirmant, quoniam initium ſexdecim annorum, quorum ſpatio Fredegarius Principatum Dagoberti Magni circumſcripſit, non à die quo Rex Auſtraſiorum à Clotario Secundo patre conſtitutus eſt, ſed ab ipſius Clotarij morte ducendum falsò ſibi perſuadent. Diſtinguendus duplex Theodorici Tertij Principatus, Neuſtraſianus, cuius exordium à morte Childerici Secundi repetitur, & Auſtraſianus, cuius principium ſumitur à morte Dagoberti Secundi. Fugit omnes fermè Scriptores hæc diſtinctio, quia Regnum Dagoberti Secundi perpaucis hactenus innotuit. In rebus tamen Neuſtraſianis ac Burgundicis attendendus Principatus Neuſtraſianus, cuius anni numerantur à morte Childerici Secundi, & in Auſtraſianis Principatus Auſtraſianus, cuius anni à morte Dagoberti Secundi colliguntur. Ad Auſtraſiam pertinet Pippini Maioris-domûs ac Plectrudis coniugis donatio, de qua nobis hîc ſermo. Duodecimus igitur Theodorici Regis annus, quo conſignatur, numerandus à morte Dagoberti Secundi, quam, ſub finem Tomi ſuperioris, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo illigauimus. Alij donationem, de qua nunc agimus, vel omiſerunt omnino, vel factam crediderunt anno duodecimo Theodorici poſt Childericum Secundum regnantis in Neuſtraſia, quia vel Principatum Dagoberti Secundi penitus ignorarunt, vel eiuſdem Dagoberti Secundi mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum ſeptimum reiiciendam cenſuerunt. Godefridus Henſchenius [b] in hac poſtrema opinione verſatur. Ita verò ſentit, quoniam vt obitum Dagoberti Magni, propter Fredegarium malè intellectum, integro ſexennio ſeriùs retulit quàm par erat, ſic & mortem Childerici Secundi, quam anno poſt obitum Dagoberti Magni triceſimo-quinto commemorandam ſciebat, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono conſignauit, eâdem ſex annorum diſcrepantiâ perdurante. Miramur Henſchenium non aduertere, quòd inter bellum, in quo Dagobertus Secundus occubuit, & pugnam Textricianam, in qua Pippinus Neuſtraſios vicit, ſpatium temporis interceſſit multò amplius, quàm vt in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, quo certatum ad Textricium, mors quoque Dagoberti Secundi credatur incidiſſe. Maneat igitur indubitatum, quòd in charta Pippini Maioris-domûs ac Plectrudis mox recitanda duodecimus Theodorici Regis annus de Regno Auſtraſiæ capiendus eſt componendúſque cum anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo. Madaurenſis Epiſcopus ipſam Chartam in Hiſtoria [c] Metenſium Pontificum ſic publicauit. *Ego Pipinus & vxor mea Plectrudis, cogitantes de ſalute noſtrâ, vt à Domino pro paruis magna, & cæleſtia pro terrenis recipere poſſemus, donauimus pro remedio animæ noſtræ, ſeu pro æterna requie acquirenda, ac ſolidè tradidi-*

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt. in Abbat. S. Arnulphi.

[b] In Diatriba de trib Dagob l. 2. c. 16 & in Exegeſi de Geneal. R R. Dagobertinorum. c. 2.

[c] L. 2. Epiſc. 29.

Digitized by Google

*mus ad Baſilicam ſanctorum Apoſtolorum, iuxta vrbem Mettis conſtructam, vbi Dominus & auus noſter Arnulphus in corpore requieſcit, villam proprietatis nomine, vocabulo Nogaretum *, ſitam in pago Wabrinſe; manſum videlicet indominicatum cum omnibus adiacentiis ad ſe pertinentibus, tam in adificiis quàm in campis, pratis, ſiluis, & incultis, mancipiis vtriuſque ſexûs ibi commorantibus, vel quicquid in memorata villa hactenus viſus ſum poſſediſſe, totum & ad integrum, vt à die præſenti & deinceps, vniuerſa ad locum ſanctum ſupranominatum, ſub poteſtate ſeruorum Dei qui ibidem vel ſunt vel futuri ſunt, vbi ad præſens videtur præeſſe venerabilis vir Romulus Abbas, deueniant, & de noſtro iure in eorum perpetualiter tranſeant hæreditatem, quo videlicet eiſdem ſeruis Dei pro nobis ſeu progenie noſtra propenſiùs intercedentibus, ad præſentis vitæ tramitem fæliciùs, dirigente Domino, percurrere, & æternæ gloriæ poſtmodum participes valeamus exiſtere. Quòd ſi quiſpiam de hæredibus noſtris, ſeu qualibet alia perſona vel poteſtas contra hanc donationem noſtram venire, aut aliquatenus infringere temptauerit; imprimis & vltionem Dei & ſanctorum eius incurrat, & quod repetit, non valeat euindicare. Actum in villa Hielſio publicè, ſub die* X. *Kalendas Martij. Anno* XII. *Regni Domini Theodorici Regis.*

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

* *Nauroy.*

PIPINVS MVNIFICVS ERGA TVMVLVM S. ARNVLFI, REVOCATA IAM PLECTRVDE.

II. MONAST. METENSE SS. APOSTOLORVM.

Eccleſia, in qua beati Arnulphi corpus, anno poſt eius obitum fermè reuoluto, propè Metas à Goerico Epiſcopo tumulatum eſt, antiquis temporibus Baſilica ſanctorum Apoſtolorum, Baſilica ſancti Ioannis Euangeliſtæ, Baſilica ſancti Iacobi Apoſtoli, Baſilica ſanctorum Apoſtolorum Ioannis & Iacobi dicta reperitur, poſteà ipſiuſmet ſancti Arnulphi nuncupatione inſignis fuit. In veteribus monumentis, quæ citantur ab Epiſcopo Madaurenſi [a], propter operis ſtructuræque venuſtatem ſic commendatur. *Erat eadem Eccleſia, vt refert antiqua authoritas, ſuper omnes Eccleſias totius regionis illius nobiliſſimè & venuſtiſſimè fabricata & conſtructa, marmoreis ſubnixa columnis, & ſuper columnas tabulæ marmoreæ erant, & ſuper tabulas marmoreas erant lapides marmorei diuerſis naturalibus coloribus inſerti. Extendebatur hæc iunctura lapidum infra Monaſterium ſuper columnas in dextra, & in læua parte, in fine vſque in finem ipſius Monaſterij. Erant inſuper lapides pretioſi ſuperpoſiti capitibus columnarum, qui contra radios Solis & claritatem lampadarum nimio ſplendore rutilabant. Depicta etiam erat tota eadem Eccleſia infra Monaſterium variis & nobilibus coloribus, auro & argento, opere mirifico decentiſſimè colorata.*

[a] L. 1. Epiſc. 4.

III. Prima huiuſce Baſilicæ fundamenta poſita ſunt à ſancto Patiente Epiſcopo Metenſi, deceſſore Victoris, qui Metenſem Diœceſim regebat, cùm Euphratas Agrippinenſis Epiſcopus in Agrippinenſi Concilio depoſitus eſt, anno Chriſti circiter trecenteſimo quinquageſimo-ſecundo, vt Tomo primo [b] probatum eſt. Perierunt Abbatum nomina, qui prædictæ Baſilicæ ſeu Monaſterio ſanctorum Apoſtolorum ante tempora Theodorici Tertij Regis præfuerunt. Omnium, quorum memoria hodie ſupereſt, antiquiſſimus occurrit Romulus, cuius mentio fit ad hunc annum in charta ſuperiùs deſcripta. Clericis Abbas illius loci tunc præerat. Id colligitur ex Regio Diplomate [c], quo Chilpericus Tertius villam cum omni integritate tradit *ad Baſilicam S. Domni Arnulphi vel ſanctorum Apoſtolorum, vbi ipſe pretioſus in corpore requieſcit, hoc eſt, ſub oppidum Metenſium ciuitatis, vbi venerabilis vir Leutbertus Abba vnà cum norma plurima Clericorum deſeruire videntur.*

[b] Ad an. 455. n. 14.

CLERICOS HABET SVB ABBATE ROMVLO.

[c] In Hiſt. Metenſ. l. 2. Epiſc. 33.

IV. Ex prædicta charta, quâ Pippinus & Plectrudis ſuam erga Monaſterium Sancti Arnulphi ſeu Sanctorum Apoſtolorum teſtati ſunt liberalitatem, conſtat eos ſimul vixiſſe anno duodecimo Theodorici Tertij regnantis in Auſtraſia, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo. Pippinus igitur Plectrudem iam reuocarat Alpaide dimiſſâ, quæ Monaſticen magnâ pòſt integritate coluit. Vt Pippinus & Alpais à vitio reſipiſcerent, ſuis hortationibus non ſegniter inſtitit Lambertus Traiectenſis Epiſcopus, de quo poſteà ſparſæ fabulæ, quas infrà refellemus. Pippinus aliquot annos in adulterio duxit, duos enim ex Alpaide filios ſuſcepit Carolum & Chil-

Digitized by Google

AN. CH. 691. THEODOR. III. R. 18. debrandum. Vt Plectrudis repudium anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo conſignaremus, ſuaſit ætas Caroli, qui vitam finiuit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo factus iam quinquagenarius. Vt autem vltra triennium Pippinum Alpaidis contubernio vſum credamus nihil cogit. Regnante Childeberto Pippinum & Plectrudem ſimul degiſſe multa tradunt antiqua monumenta, quæ ſuis locis allegabimus. Alpais apud Orpium * in Monaſterio pœnitentiam tunc agebat. Orpienſe Monaſterium in Diœceſi Traiectenſi * vel ſancta condidit Adilia, vel Pippinus, vel Alpais. Adeò diuerſæ reperiuntur opiniones. Rurſum Sanctam Adiliam, cuius nomen in Martyrologio Benedictino pridie Kalendas Iulij celebratur, alij ſororem Sancti Bauonis conſtituunt, alij nequaquam, itaut nec conſtet de tempore, quo prædictum Monaſterium cum Abbatiſſæ titulo gubernauit. Orpium, quod olim ad Epiſcopatum Traiectenſem Alpaidis ætate pertinebat, Diœceſi Namurcenſi, quam Paulus Quartus Summus Pontifex anno Chriſti milleſimo quingenteſimo vndeſexageſimo erexit, hodie attribuitur. Ibi nec extructi nec euerſi Cœnobij ſupereſt vllum indicium. In illo tamen loco Monaſterium fœminarum floruiſſe conſtans eſt omnium opinio, licèt de conditore diuerſa prodantur, nec quo caſu perierit inueniatur ſcriptum. Cœnobium Adilia fortè inchoauit, auxerunt ædificiis ac reditibus Pippinus & Alpais, poſtquàm eos peccati pœnituit. Illuc euocatæ Moniales è Monaſterio Niuellenſi ſeu Niuigellenſi, cuius prima fuit Abbatiſſa Gertrudis, ipſius Pippini matertera, de qua Tomis ſecundo ac tertio diſſeruimus. Bartholomæus Fiſenus flores publicauit Eccleſiæ Leodienſis ſiue vitas vel elogia Sanctorum & aliorum qui *illuſtriori virtute* Diœceſim illam exornarunt. Egit de Sancta Adilia pridie Kalendas Iulij, quo die ſolennis eſt apud Orpienſes eius memoria. Celebrauit & Alpaidem pœnitentem decimo-quinto Kalendas Octobris, illo tamen die mortuam ne credas, dies enim quo extincta eſt, vt & annus, ignoratur. Cur autem hic Auctor Alpaidem ad diem præcitatum laudarit, hæc occurrit ratio. Alpaidis impudicitiæ necem Sancti Lamberti Martyris imputauit, ideòque Sanctum Lambertum Martyrem & Alpaidem pœnitentem eodem die commendauit, nempe decimo-quinto Kalendas Octobris, quo die Beatus Lambertus Martyrium paſſus eſt. At longè antequàm Lambertus Epiſcopus interimeretur, Alpais ſeſe in Monaſterium abdidit præteritæ vitæ fœditatem expiatura, imò Lambertus, qui Traiectenſem tunc Epiſcopatum adminiſtrabat, vbi Landæ, Orpium & Niuellæ, ſimul cum Willebrordo aliiſque viris pietate inſignibus plurimùm allaborauit, vt Pippinus anteactæ vitæ pœnitentiâ ductus Plectrudem reuocaret, reiectâ quam ſuperinduxerat Alpaide. De Lamberto Epiſcopo déque Pippino Maiore-domûs ac Plectrude vxore ſermo ſæpiùs recurret. Id autem vnum de Alpaide poſt eius ſeceſſum è Pippini comitatu narratur, quòd in Orpienſi Monaſterio vitam religioſè clauſit, priore turpitudine damnatâ, relictóque poſteris egregiæ pœnitentiæ documento.

* *Orp.*
* *de Maſtrich.*

ORPIENSE MON.

ALPAIS FIT MONIALIS.

PIE MORITVR.

V. Obiit hoc eodem anno Theodoricus Rex. Vixit annos vndequadraginta, regnauit vndeuiginti. Coniugem duxit *Chlothildem*, cuius mentio fit in Geſtis [a] Regum Francorum. Hanc Reginam quidam binominem faciunt, quia Theodoricus in epitaphio, quod apud Atrebatum legitur & à nobis infrà deſcribetur, cum vxore *Doda* ſepultus aſſeritur. Alij duplex Theodorici coniugium ſtatuunt, vnum cum Clotilde, alterum cum Doda. Super liberis eiuſdem Regis non minor eſt controuerſia. Plerique duos tantùm filios, Clodoueum & Childebertum, ei tribuunt; alij tertium addunt nomine Clotarium. Rurſum quidam Clodoueum ex Clotilde, Childebertum ex Doda, natos aiunt; alij vtrumque ex Clotilde, Clotarium ex Doda. Nullius apud nos eſt auctoritatis quod circumfertur epitaphium Theodorici. Cur à nobis adeò contemnatur, exponemus ſuo loco. Theodoricus

[a] Cap. 49.

THEODORICI R. OBITVS.

VXOR.

doricus vnam tantùm vxorem ſibi ſociauit, nomine Clotildem, quæ tres ei filios, Clodoueum, Childebertum & Clotarium, peperit. Clodoueum & Childebertum Theodorici filios fuiſſe docet Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Obiit Theudericus Rex, regnauítque annos* XIX. *Chlodoueus filius eius puer Regalem Sedem ſuſcepit, ex Regina nomine Chlothilde progenitus. Nec multò pòſt ipſe Chlodoueus Rex puer mortuus eſt, regnauítque annos* II. *Childebertus autem frater eius, vir inclytus, in Regno ſtatutus eſt.* Alius item Anonymus in Francorum Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta. *Mortuus eſt Theodoricus Rex*, &c. *Chlodoueum filium eius paruulum elegerunt in Regnum. Non poſt multos verò annos prædictus Rex Chlodoueus ægrotans mortuus eſt*, &c. *Childebertus frater eius in Regnum reſedit.* Necnon Auctor [b] breuiſſimi Chronici à primo Francorum ortu ad filios vſque Ludouici Pij Auguſti. *Theodorico mortuo, Chlodouechus filius eius ſucceſſit. Huic quoque poſt duos annos mortuo, Childebertus frater eius, vir inclytus, in Regnum ſucceſſit.* Præter Clodoueum & Childebertum, de quibus poſt tot Auctores nulla poteſt eſſe còntrouerſia, Clotarium quoque Theodorici filium fuiſſe teſtantur duo Codices, Thuanus & Bruxellenſis in nota, quam eruditiſſimus Petrus *Delalande* Diplomati Chilperici Regis in gratiam Monaſterij Corbeienſis edito ſubiecit. Præterea, vt idem Auctor obſeruat, Albericus prædictum Clotarium Dagoberti patruum in ſuo Chronico vocat, eóque titulo eundem Clotarium declarat Theodorici filium, fratrémque Childeberti, qui pater extitit Dagoberti Iunioris, vt ſuo loco dicturi ſumus. Tres autem hoſce fratres ex eadem matre, cui nomen Clotildis, natos facilè colligimus, Clodoueus enim, qui natu maximus fuit, in Geſtis [c] Regum Francorum iam citatis, *ex Regina nomine Chlothilde progenitus* ſcribitur, & eadem Clotildis Theodorico marito ſuperſtes vixit, ſubſcripſit enim Præcepto Regio, quod Clodoueus eius filius tertio Kalendas Iunij, anno primo Regni ſui emiſit rogatus à Bertino Abbate, vt donationes ad illum vſque diem Sitiuenſi Monaſterio factas confirmaret. Illius Diplomatis meminit Malbrancus in Chronologia [d] Tomi primi de Morinis, & libro quarto, capitibus viceſimo-ſeptimo & quinquageſimo-quinto.

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

[a] Cap. 49. LIBERI.

[b] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

[c] Cap. 49.

[d] Ad an. 691.

VI.

Erchanbertus, cùm Francia Rege deſtituta eſſet, & Carolus Maior-domûs vices Regis ageret, Breuiarium Regum Francorum ac Maiorum-domûs conſcripſit. In illa lucubratione, vt adularetur Carolo Regnum ambienti, Theodoricum Clodouei Secundi filium alióſque Francorum Reges, qui poſt pugnam Textricianam & cædem Bertharij Maioris-domûs ſiue poſt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum regnarunt, iniquiore ſtylo carpſit, vt ad illum annum iam obſeruauimus. *Exhinc*, inquit, *Reges nomen, non honorem habere cœperunt. Quibus tamen, vbi conſtitutum fuerat, victus erat exuberans, cuſtodiáque iugis erga illos habebatur, ne aliquid iure poteſtatis agere poſſint.* Longè alios ſe præſtiterunt hi Reges Francorum, vt patebit infrà. De ſingulis enim acturi ſumus ſuis locis. Orta tamen inde fabula, quæ compluribus Francorum Regibus ſocordiam & amentiam affinxit. Eginhardus integro poſt Erchanbertum ſeculo vitam Caroli Magni literis commendauit, cùm abnepotes Caroli Martelli Regno Francorum potiebantur. Initio ſui operis affirmauit multos è Merouæadis Regibus ab auorum fortitudine deſciuiſſe, qui Regio tantùm nomine precarióque vitæ ſtipendio, quod à Maioribus-domûs acciperent, ac villâ perparui reditûs contenti, crine profuſo barbâque ſubmiſſâ, ſolio reſidebant, vmbratilémque dominantium ſpeciem repræſentabant. *Gens*, inquit, *Merouingorum, licèt in illo*, nempe Childerico, *finita poſſit videri, tamen iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in ſe clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia Regni penes Palatij Præfectos, qui Maiores domûs dicebantur, & ad quos ſumma Imperij pertinebat, tenebantur, neque Regi aliud relinquebatur, quàm vt Regio tantùm nomine contentus, crine profuſo, barbâ ſubmiſſâ,*

FABVLA DE RR. FRANCORVM.

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret, Legatos vndecunque venientes audiret, eiſque abeuntibus reſponſa, quæ erat edoctus, vel etiam iuſſus, ex ſua velut poteſtate redderet, cùm præter inutile Regis nomen & precarium vitæ ſtipendium, quod ei Præfectus Aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprij poſſideret, quàm vnam & eam perparui reditûs villam, in qua domum, ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes, atque obſequium exhibentes, paucæ numeroſitatis habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis, & bubulco ruſtico more agente trahebatur. Sic ad Palatium, ſic ad publicum populi ſui Conuentum, qui annuatim ob Regni vtilitatem celebrabatur, ire, ſic ad domum redire ſolebat. At Regni adminiſtrationem & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac diſponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat. Deinde aſſeruit Pippinum, qui Childerico Regi ſubrogatus eſt, velut hæreditario iure Maiorem domûs fuiſſe, quia pater eius Carolus auúſque Pippinus eodem functi fuerant Magiſtratu. *Regni adminiſtrationem & omnia quæ vel domi vel foris agenda ac diſponenda erant, Præfectus Aulæ procurabat. Quo officio tum cùm Childericus deponebatur, Pippinus pater Karoli Regis iam velut hæreditario iure fungebatur. Nam pater eius Karolus eundem Magiſtratum à patre Pippino ſibi dimiſſum egregiè adminiſtrauit.* Auctor Annalium Fuldenſium, qui deſinunt in anno Chriſti octingenteſimo octogeſimo-ſecundo, de Regibus Francorum *ex antiqua Merouingorum ſtirpe* ſic loquitur ad A. C. ſeptingenteſimum quinquageſimum-primum. *Reges quidem dicebantur, ſed poteſtas Regni tota apud Maiorem domûs habebatur, excepto quòd Cartæ & Priuilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum qui Rex dicebatur plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti ſedens, ſemel in anno à populis viſus, publica dona ſollemniter ſibi oblata arripiebat, ſtante coràm Maiore domûs, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent adnuntiante, ſícque Rege domum redeunte, cetera Regni negotia Maior domûs adminiſtrabat.* Monachus Metenſis, cuius opus in anno Chriſti tertio ſupra nongenteſimum deſinit, Pippinum Herſtallium, cui plurimùm adulari ſtudet, poſt bellum Friſicum ad A.C. ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum hoc exornat encomio. *Singulis annis in Kalendis Martij generale cum omnibus Francis ſecundùm priſcorum conſuetudinem Concilium agebat. In quo ob Regij nominis reuerentiam eum, quem ſibi ipſe propter humilitatis & manſuetudinis magnitudinem præfecerat, præſidere iubebat, donec ab omnibus Optimatibus Francorum donariis acceptis, verbóque pro pace & defenſione Eccleſiarum Dei & pupillorum & viduarum facto, raptúque fœminarum, & incendio ſolido decreto interdicto, exercitui quoque præcepto dato, vt quacumque die illis denunciaretur, parati eſſent in partem, quam ipſe diſponeret, proficiſci. His peractis Regem illum ad Mamaccas villam publicam cuſtodiendum cum honore & veneratione mittebat. Ipſe verò præcinctus robore, comitante diuino auxilio, Regnum Francorum interiùs iuſtitiâ & pace, exteriùs prudentiſſimis conſiliis atque inuictis armorum præſidiis, auxiliante Domino, gubernabat. Confluebant autem ad eum circumſitarum gentium legationes, Græcorum ſcilicet & Romanorum, Langobardorum, Hunorum quoque & Sclauorum, atque Sarracenorum. Exierat enim fama victoriæ & triumphorum eius in omnes gentes, vt meritò propter virtutem & prudentiam eius cunctæ circumſitæ nationes amicitiam illius magnis oblatis muneribus implorarent. Quos ille clementer ſuſcipiens maioribus remuneratos donis ad propria dirigebat. Ipſe quoque haud ſegniùs opportuno tempore Legatos ſuos pro vtilitatibus Imperij ſui per diuerſas regiones dirigens, pacem & amicitiam circumpoſitarum gentium cum maximo fauore impetrabat.*

VII. Eginhardus & Auctor Annalium Fuldenſium, indicem Regum, quos ſocordiæ & ignauiæ accuſant, ineunt à Chilperico, qui Dagoberto prædicti Theodorici nepoti ſucceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, id eſt, anno poſt Pippini Maioris-domûs mortem proximo. Vt credamus Eginhardum & Auctorem Annalium Fuldenſium in ea verſari ſententia, ſuadet Monachus Egoliſmenſis, qui poſt Eginhardum vitam Caroli Magni ſcripſit. Nullum enim conuitium promit aduersùs Reges, quorum tempo-

Digitized by Google

ribus Pippinus Maioratum Regiæ domûs geſſit. De Theodorico, Clodoueo Childeberto & Dagoberto ſic loquitur. *Poſt Theudericum Regem regnauit Clodoueus filius eius. Poſt Clodoueum regnauit Childebertus Iunior frater eius. Poſt Childebertum Iuniorem regnauit Dagobertus Iunior, filius eius.* Deinde hæc proximè ſubiungit. *Poſt Dagobertum defecit genus Regale à prudentia.* Monacho Egoliſmenſi ſuffragatur alter Anonymus, qui de Merouingis Regibus in vita ſancti Genulfi [a] ſic ſcripſit, Capetouingis iam regnantibus. *Poſt Theodoricum Clodoueus filius eius regnauit, cui Childebertus Iunior, frater eius, ſucceſſit. Iſque ſucceſſorem filium habuit Dagobertum Iuniorem. Poſt hunc verò Dagobertum Regale genus à prudentia defecit.* Monachus Metenſis præ manibus habuit Eginhardum & Auctorem Annalium Fuldenſium. Vtroque infenſiorem ſe præbuit aduerſùs Reges Merouingos & inclinatiorem erga Pippinum. Eo conſilio iuit in opinionem aut potiùs adulationem Erchanberti, ſocordibúſque & ignauis Merouingicæ familiæ Regibus annumerauit Theodoricum qui Textriciano prælio ſuperſtes vixit, & quotquot poſt ipſum ex eadem ſtirpe regnarunt. A Monacho Metenſi non receſſit Fulcuinus Abbas Lobienſis, qui decimo ſeculo geſta Lobienſium Abbatum à primo Cœnobij conditu ad ſuam vſque ætatem complexus eſt tribus ac quadraginta capitibus, &, vt Continuator literis tradidit, *obiit anno Dominicæ Incarnationis* DCCCCXC. Nam capite ſecundo ſui operis, vbi de ſancto Vrſmaro ſermonem fecit, ſuper eo negotio mentem ſuam ſic aperuit. *Nec defuerunt adiutores & cooperatores in prædicti loci augmentatione quamplures, licèt nomina eorum exciderint, temporibus Clotarij filij Clodouei, qui regnauit annis* IV. *ſed & fratrum eius, Hilderici ſcilicet Regis Auſtraſiorum, & Theodorici, quem Pippinus debellauit in Textricio, ſibíque ſubiugauit, ſub ſéque Regnum finire permiſit, poſt annum Regni ipſius Theodorici decimum-octauum, Clodouei quoque filij Theodorici, qui regnauit annis duobus, ſed & fratris eius Childeberti cognomento Iuſti, qui regnauit annis* XVII. *necnon & Dagoberti filij eiuſdem Childeberti, qui regnauit annis quinque, qui omnes regnauerunt ſub præfato Principe, Regni tantùm eis nomine manente.* AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

[a] Lib. 1. c. 4.

VIII. Lapſu temporis aucta calumnia. Nam præter Robertum *Gaguin* & Claudium *Fauchet*, vix quemquam è recentioribus Auctoribus inuenias, qui Regum ignauorum Catalogum non altiùs quàm à Theodorico Dagoberti Magni nepote repetat. *Per Theoderici incuriam atque ſecordiam*, inquit Gaguinus [b], *res Francorum deterior facta eſt, quippe cùm reſpublica Cubiculariis Regiis & Præfecto Palatij liberè crederetur, Regi verò per inertiam mos inoleuit Palatio, niſi ad Calendas Maij, non ingredi; moderationem omnem aliis permittere; oſtendere ſe populo, vno duntaxat die. A quo ſalutatus & muneribus donatus, cùm & ipſe reciproca populo dona exhibuiſſet, domum abire, ibíque toto anno incolere.* Et Falcetus [c], poſtquàm vetus Chronicon laudauit, in quo Pippinus ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-nono regnaſſe dicitur, monuit reſtituendum annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, textúmque, qui Pippinum regnaſſe perhibet, ſic accipiendum eſſe, vt Pippinus, qui Regium titulum numquam geſſit, non regnaſſe ſed ignauis Regibus imperaſſe cenſeatur. In Annalibus Nazarianis, qui deſinunt in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, Pippinus ita commendatur. *Anno* DCCVII. *Pippinus ſenior regnare cœpit*, eóque loci reponendus videtur annus DCXXCVII, interiecto duplici x.

[b] Lib. 3. c. 4.

[c] Lib. 5. c. 15.

IX. In Chronicis [d] Francorum ex Archiuo præcipuè Monaſterij San-Dionyſiani ab Auctore collectis, qui Carolo Septimo & Ludouico Vndecimo coætaneus vixit, Reges Morouingici, quotquot poſt Clotarium Tertium extiterunt, inertiæ ſocordiæque accuſantur. Paulus Æmilius [e] & Bernardus *du Haillan* [f] eandem opinionem amplexi ſunt. *Quo defuncto*, nempe Clotario Tertio, inquit Æmilius, *& Regum gloria intermortua eſt.*

[d] To. 1. lib. 4. c. 25.

[e] Lib. 1. in Clotar. III. R.

[f] Lib. 3. in Clotar. III. R.

X. Ipſum Clotarium Tertium ſocordibus Regibus annumerant Nicolaus *Gilles* [g] in ſuis Chronicis, Ioannes *du Tillet* [h] in Chronico epitomato Re-

[g] In Clotar. III.

[h] In Clotar. III.

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

gum Franciæ, Nicolaus *Vignier* in epitome rerum Francicarum [a], Franciſcus *de Belleforeſt* in ſuis Annalibus, Dionyſius *Petau* in Rationario Temporum [b], Michael *de Marolles* [c] in Hiſtoria Regum Francorum, & *du Verdier* [d] in epitome Hiſtoriæ Francicæ. Audi Petauium. *Obijt Chlodoueus* (is Clotarij Tertij pater ac deceſſor fuit) *eodémque tempore Erchenualdo Palatij Præfecto mortuo, Franci Ebruinum ſubſtituunt crudelitate ac perfidiâ famoſum hominem. Quo ex tempore ſolutis in luxum & inertiam Francorum Regibus ad Palatij Præfectos paullatim rerum ſumma peruenit; cùm per eos adminiſtrarentur omnia, Reges verò ſolo contenti nomine, Regiâ ſe continerent; nec niſi ſemel quot annis Calendis Maiis in conſpectum populi venirent. Quod & Græcorum in Annalibus legitur cum hac ineptiſſima fabula: Francorum Reges, porcorum inſtar, ſetoſum tergum habuiſſe, appellatóſque ideo trichorachatos.* Fabulam illam habet in ſua Chronographia Theophanes, cuius textum infrà recitabimus. Interim obſerua Petauium & alios, qui Catalogum inertium Regum à Clotario Tertio ducunt, niti Sigeberto, qui ſeculo vndecimo Chronicon ſcripſit, vbi hæc leguntur [e] *Clodoueus Rex Francorum obiit, & Lotharius filius eius ſuccedit, & quatuor annis regnat. Huius Maior-domûs poſt Erchanoaldum fuit Ebroinus. Abhinc Francorum Regibus à ſolita fortitudine & ſcientia degenerantibus, Regni potentia diſponebatur per Maiores-domûs, Regibus ſolo nomine regnantibus, quibus moris erat Principari quidem ſecundùm genus, & nihil agere vel diſponere quàm irrationabiliter edere & bibere, domíque morari, & Kalendis Maij præſidere coram tota gente, & ſalutare & ſalutari, obſequia & dona accipere & rependere, & ſic ſecum vſque ad alium Maium permanere*, ſiue, vt Miræus reponit, *habitare.*

XI. Plerique Clodoueum Clotarij Tertij patrem, eiúſque fratrem Sigibertum, Dagoberti Magni filios, numero Regum ignauorum accenſent. In ea ſunt opinione, Ioannes [f] *de Serres*, Scipio [g] *Dupleix*, Hadrianus *Valois* [h], N. *de Prade* [i], Ioannes *de Buſſieres* [k], Honoratus *Bouche* [l]. *Apparet*, ait Valeſius, *Dagoberti filios, Sigibertum ac Clodoueum Francorum Reges à virtute & prudentia Maiorum plurimùm degenerauiſſe, ac tum primùm Maiores-domûs ſub ſpecie adminiſtrationis Palatij Regnum ipſum adminiſtrauiſſe, ac nudo inaníque nomine Regio pueris Principibus relicto, ſummam virium potentiámque Regalem occupauiſſe.* Et Buſſierius, poſtquàm exequias Dagoberti Magni deſcripſit, de poſterorum moribus quid ſentiat, breuiter ſic exponit. *Hactenus Reges moderati ſunt Franciam, nam deinceps ad nouam ſtirpem cæteri vmbræ Regum & ſimulachra, turpi otio mollíque ignauiâ deſides, quaſi ſub ferula, Magiſtros Palatij rectores paſſi ſunt, verè indigni, qui fortiſſimam gentem regerent, cùm ſe ipſi non regerent.*

XII. Omnium portentoſiſſimè Ioannes *Maan* in altera Hiſtoriæ Turonenſis parte, quæ Concilia complectitur, ignauorum Regum ætatem ad annos fermè trecentos prorogat. In notis enim ad Synodum Namnetenſem ait literatos homines incuriâ negligentiâque laboraſſe *totis ferè trecentis annis, quæ ignauorum Regum Franciæ dicitur ætas.* At ne totis quidem trecentis poſt Merouei mortem annis regnarunt Merouedæ, quia Meroueus anno Chriſti quadringenteſimo quinquageſimo ſexto vitam clauſit, & Pippinus anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſecundo regnare cœpit.

XIII. Miramur tanto numero repertos è noſtratibus, qui malitioſæ mendacíque infamationi fidem adhiberent, & antiquos Francorum Reges tam facilè calumniarentur. Animum maior adhuc ſubit admiratio, quòd vt eiuſmodi calumniâ non Franciam modò, ſed vniuerſum Orbem complerent, opera ſua Maximis Principibus cùm exteris tum Francis, Celſiſſimo Duci Brunſwicenſi, Sereniſſimo Principi Daniæ, Præcellentiſſimo Familiæ Borbonicæ Proto-Principi, Proto-Nobiliſſimo Delphino, Chriſtianiſſimis Regibus, HENRICIS III. & IV. LVDOVICIS XIII. & XIV. inſcripſerunt.

[a] L. 1. c. 38.
[b] Part. 1. l. 8. cap. 2.
[c] In filiis Clodouei II.
[d] In Clotar. III.
[e] Ad an. 662.
[f] In Clodoueo II.
[g] In Dagob. I.
[h] Lib. 20.
[i] L. 3. c. 3.
[k] Lib. 3 n. 15.
[l] In Hiſt. Prouinc. l. 5. ſect. 1. c. 10.

Digitized by Google

Tomo ſuperiore, cuius materiam Dagobertus Magnus eiúſque duo filij Sigibertus Tertius & Clodoueus ſecundus, ac Nepotes quatuor, Dagobertus ſecundus, Clotarius Tertius, Childericus ſecundus & Theodoricus Tertius ſuppeditarunt, operam in iiſdem Dagoberti Magni filiis ac nepotibus ab ignauiâ ſocordiâque vindicandis haud duximus inſumendam, quia nihil ob mentem noſtram obuerſabatur, quod illis de Regibus adeò ſiniſtrè cogitandum ſuaderet. Ne tamen ſilentium noſtrum cauſæ ſuæ fauere credant aduerſarij, placet hic paucis obſeruationibus ab vnoquoque prædictorum Regum ſuſpicionem inertiæ remouere. AN. CH. 692. THEODOR. II. R. 19. XIV. RR. FRANCORVM VINDICANTVR A CALVMNIA.

Rectè Belloforeſtius [a] cladem Meroueadarum ex eo profectam monet, quòd plerique Regnum adipiſcerentur cùm infantes pueriue eſſent, & ex hac vita tollerentur cùm adhuc adoleſcerent aut ætatem virilem vix attigiſſent. XV. [a] L. I. c. 37.

Sigibertus Tertius, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-tertium [b] notauimus, ſpontaneâ Dagoberti Magni ceſſione nondum quadrimus in Auſtraſia regnare cœpit. Patrem amiſit ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo octauo, cùm annum Principatûs quintum, ætatis nonum adhuc ageret. Poſt biennium, vbi annum octauum dominationis, vndecimum vitæ iniit, rebellem expertus eſt Radulfum, cui præfecturam ſiue adminiſtrationem Turingiæ commiſerat. In eo bello ſtrenuè ſe geſſit & vltrà quàm vndecim annorum pueritia ferebat, Rhenum cum copiis traiecit, interfuit prælio, victus nihil animi remiſit, in tentoriis cum exercitu pernoctauit. Lege Fredegarium [c]. Hic Auctor narrationem ſuam ſic orditur. *Cùm anno* VIII. *Sigibertus regnaret, Radulphus Dux Toringiæ vehementer contra Sigibertum rebellandum diſpoſuiſſet, iuſſu Sigiberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitum gradiendum banniti ſunt. Sigibertus Renum cum exercitu ſuo tranſiens, gentes vndique de vniuerſis Regni ſui pagis vltra Renum cum ipſo adunatæ ſunt.* Deinde infelicem certaminis exitum in adoleſcentiam ſeu pueritiam Sigiberti ſic reiicit. *Hoc prælium ſine conſilio initum eſt. Hac adoleſcentia Sigiberti Regis patrauit, cùm alij eodem die vellent procedere ad bellum, & alij in craſtino, nec vnitum habentes conſilium.* Tum pugnam deſcribit. Poſtremò, quid victor Radulfus, quid Sigibertus victus egerit, paucis ſubiungit. *Radulphus patratâ victoriâ in caſtrum ingreditur. Sigibertus cum ſuis fidelibus graui amaritudinis mærore adreptus, ſuper equum ſedens, lacrimas oculis prorumpens, plangebat quos perdiderat.* Et paulò pòſt. *Sigibertus eâdem nocte, nec procul ab ipſo caſtro, in tentoriis cum ſuo manſit exercitu.* Fredegarius ad annum vſque Sigiberti Regis decimum, qui vitæ fuit decimus-tertius, res in Auſtraſia geſtas perſequitur. Tunc nondum quieſcebat Thuringia. Quid inſecutum ſit, Sigebertus Gemblacenſis in eiuſdem Sancti Sigiberti vita ſic declarat. *Quia cum ætate ei robur & induſtria accreuit, non anteà ab inimicorum inſecutione deſtitit, quàm ſuperbiam eorum domuit, & Thuringos, qui inſtinctu Radulphi rebelles erant, ſub iugo dominij ſui victos & confuſos reflexit.* Abhinc pacificè tranquilléque ad obitum vſque regnauit. An ignauum, an ſocordem appellabis Regem, qui, cùm puer annorum vndecim eſſet, in remotiſſima ditionum ſuarum prouincia prælium cum perduellibus conſeruit, profligatúſque nec animo ceſſit, nec deſtitit ab hoſtium perdomandorum conſilio, donec factus eſt voti compos tantâ nominis ſui gloriâ, vt deinceps & Auſtraſios, quandiu vixit, in officio continuerit, & vicinas gentes, quæ bellicoſiſſimæ erant, ab irruptionibus in fines Francorum faciendis deterruerit? XVI. [b] Num 1. SIGIBERTVS TERTIVS. [c] Cap. 87.

Quidam, vt Sigibertum inertem & Grimoaldo Maioridomûs obſequentiſſimum oſtendant, aiunt ab eo, cùm vxorem à multis annis duxiſſet nec prolem haberet, Childebertum ipſius Grimoaldi filium, vt in Auſtraſiam ſuccederet, adoptatum fuiſſe, ſi liberos ipſe non reliquiſſet. In illam rem allegant Sigebertum Monachum Gemblacenſem, qui de Sigiberto Rege, de XVII.

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

Grimoaldo Maioredomûs, déque Childeberto Grimoaldi filio ſic in ipſius Sigiberti vita diſſerit. *Quia Grimoaldum Maiorem-domûs ſibi in omnibus fidelem, morigerum & cooperatorem eatenùs expertus erat, filium eius Childebertum Regni Auſtraſiorum hæredem delegat, hoc tamen propoſito conditionis tenore, ſi ipſum contingeret ſine liberis obire. Rex quidem, vtpote futurorum neſcius, quod tunc ſibi videbatur, ex temporis conuenientia fecit; poſteà verò filium genuit, quem nomine patris ſui Dagobertum vocauit, & priori teſtamento ad irritum redacto, hunc nutriendum commiſit Maioridomûs Grimoaldo, vt eius potentiâ contra omnes tutus ſublimaretur in Auſtraſiorum Regno.* Hæc ſi vera crederentur, maximo vituperio dignus haberetur Sigibertus, qui Clodoueo fratre ſpreto hæredem è familia extranea nec Regia ſibi delegiſſet. At Monacho Gemblacenſi, qui multò ſeriùs ſcripſit, hoc loco nulla fides habenda. Sigibertus obiit Kalendis Februariis, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto; vixit annos tantùm viginti quatuor, regnauit vnum ac viginti. Multos ei filios attribuit vetus Auctor, qui literis vitam ſancti Boniti Aruernorum Epiſcopi ſynchroni commendauit. Dagoberti nomen in Hiſtoriis exprimitur, quem, cùm orbatus eſt patre, puerum aliquot iam annorum extitiſſe conſtat ex ætate liberorum quos ſuſcepit. Hæc autem ſatis ſuperque probant eos falli, qui Sigibertum & Hymnichildem, priuſquàm eis liberi naſcerentur, nouem [a] annis coniugatos fuiſſe, Sigibertúmque propter vxoris ſterilitatem de adoptando filio cogitaſſe tradunt. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum [b], & Trithemium aſpernare, qui Sigibertum *anno Regis Clodouei ſexto* de prolis poſteritate vult deſperaſſe, annum enim ætatis decimum-quartum adhuc agebat Sigibertus, cùm Clodoueus frater annum in Principatu ſextum iam numerabat.

[a] Ver. lect. in Clodoueo II.

[b] Num. 5.

XVIII. Clodoueum Secundum æquè ac Sigibertum eius fratrem facile eſt à calumnia vindicare. Clodoueus anno ætatis quarto regnare cœpit, obiit anno Regni duodeuiceſimo, vixit igitur annos duntaxat vnum ac viginti. Hæc ex Fredegario, ex Anonymo qui vitam ſanctæ Bathildis conſcripſit, & ex aliis Auctoribus coætaneis patent. Fredegarij Chronicon in anno quarto Clodouei Regis deſinit. De Clodoueo poſteà tres ſcripſerunt Anonymi, quorum lucubrationes hoc loco multis fabulis deprauantur. Antiquiſſimus is eſt, qui *Geſta Regum Francorum* ſub Theodorico Kalenſi publicauit. Sequitur Monachus San-Dionyſianus, qui res à Dagoberto eiúſque filio Clodoueo geſtas in literas ſub Carolo Magno vel ineunte Ludouici Pij Principatu retulit. Poſtremus eſt is, qui ab exitu Chronici, quod Fredegarius edidit, ad principium Hiſtoriæ, quam Childebrandus Comes exarandam curauit, hiatum annorum quadraginta ſupplere voluit ſex capitibus, quæ genuino Fredegarij Chronico ſubiecta reperiuntur. Quid ſinguli de Clodoueo ſcripſerint, inquirendum eſt, Neoterici enim, vt eidem Clodoueo contumeliam facerent, illis præcipuè Scriptoribus nixi videntur.

XIX. CLODOVEVS SECVNDVS. Clodouei Principatum Continuator Fredegarij breuiſſimè ſic depingit. *Chlodoueus itaque in Regno pacem habuit abſque bello.* Hic Auctor Geſta Regum Francorum & lucubrationem Monachi San-Dionyſiani præ manibus habuit, phraſique præcitatâ prædictum expreſſit Monachum, qui caput vltimum operis ſui ſic inchoauit. *Hdowius itaque Rex cunctis diebus abſque bellis pacem habuit.* Hæc ſunto. An Clodoueus iners & ſocors habendus, quia pace potitus eſt quandiu regnauit? Num potiùs eius prudentiæ fortitudinique tribuendum, quòd nec domeſtico nec extero bello fuerit inquietatus? At procul à vero diſſident Monachus San-dionyſianus & Continuator Fredegarij, Clodoueus enim varia bella ſtrenuè feliciterque geſſit. Sanctus Aquilinus, qui Pontificatum Ebroicenſem poſteà ſuſcepit, in caſtris Clodouei Regis *triennio & menſibus ſex* meruit *aduerſùm barbaros, qui in extremis Regni Francorum finibus cœperant efferatis animis inſoleſcere*, vt Auctor

Digitized by Google

vitæ teſtatur [a]. Acta quoque beati Geremari, quorum fragmenta iam publicauit [b] Andreas Ducheſnius, in Codice manuſcripto legimus. Ibi de Sancto Amalberto ſancti Geremari filio refertur, quòd *rediens de Waſconia cum Rege, graui infirmitate percuſſus ægrotare cœpit, vnde morbo ingraueſcente euadere non potuit, ſed ſurripiente mortis articulo vitam corporis amiſit.* Rex, in cuius comitatu Amalbertus è Waſconia redibat, non alius eſt à Clodoueo, cuius nomen in eadem beati Geremari vita non ſemel occurrit. Inertiæ ac ſocordiæ non conuenit hæc Clodouei Regis in Waſconiam profectio, id eſt, ad vltimos vſque Regni limites, vt eos tutaretur ab incurſione vicinarum gentium, ſiue eorumdem fortè barbarorum, *qui*, prout ex Actis Sancti Aquilini nuperrimè citatis liquet, ab aliquot annis *in extremis Regni Francorum finibus cœperant efferatis animis inſoleſcere.* Clodoueum Regem arbitramur ex Aquitania quamcelerrimè rediiſſe propter Auſtraſiæ tumultum, qui poſt Sigiberti Regis obitum exortus eſt, cùm Grimoaldus Maior-domûs Childebertum filium ſuum in ſolio collocare ſtatuit. Res proſpero ceſſit exitu. Clodoueus de Grimoaldo déque Childeberto triumphauit, capto Grimoaldo, exauctoratóque Childeberto Monarchiam Francorum adeptus eſt, obiítque poſt aliquot menſes, annos natus vnum duntaxat ac viginti. Regi adhuc adoleſcenti quid defuit, vt Maioribus ſuis in adoleſcentia poſitis æquipararetur aut anteponeretur?

[a] Ap. Sur. d. 19. Octobr.
[b] Tom 1 Collect. Hist. Franc.

XX. Non mediocri laudi Clodoueo cedit, quòd Auſtraſiâ potitus Monarchiam Francorum ad obitum vſque tenuerit. Id decoris à Clotarij Senioris exceſſu nulli Regum contigerat. Tantam Clodoueo gloriam inuiderunt Neoterici. Childericum Auſtraſiæ Regem priùs conſtitutum, quàm Clodoueus eius pater moreretur, literis prodiderunt, Æmylius, Gillius, Trithemius, Tillius, Haillanus, Serrius, Dupleixius, Petauius, Pradius, Marollius, Verdierius. E tribus Clodouei filiis Childericus erat ætate medius. Cur patre ſuperſtite, prætermiſſóque fratre Clotario Rex Auſtraſiæ factus ſit, rationem hanc Dupleixius excogitauit, quòd Auſtraſij Clodoueum ob inertiam deſpicerent, & Neuſtraſij Clotarium filiorum, quos idem Clodoueus ſuſceperat, natu maximum ſibi Burgundionibúſque poſt patrem dominari vellent. At expertem ignauiæ Clodoueum res præclarè geſtæ ſupráque recitatæ ſatis oſtendunt, cúmque eiecto pſeudo-Childeberto in Auſtraſia regnaſſe palàm docet Flodoardus [c], vbi de Niuardo Remenſi Epiſcopo ſic ſcribit. *Præceptum etiam immunitatis à Childeberto Rege*, Grimoaldi filio, *ſuper teloneis & quibuſdam tributis Eccleſiæ Remenſis obtinuit. Cui Ludouicus quoque Rex*, ſeu Clodoueus, *ſub Eccleſiæ ſuæ nomine res quaſdam in Malliaco * ſuper fluuium Vidulam, quas quibuſdam infidelibus ſuis eiectis receperat, auctoritatis ſuæ Præcepto conceſſit.* Atque id quoque ſufficiat aduersùs Henſchenium & Labbeum, qui Sigibertum Clodoueo fratri ſuperſtitem vixiſſe contendunt.

[c] Lib. 2. c. 7.
* Mailly ſur la riuiere de Veſle.

XXI. Non deſunt, qui Clodoueum anno Regni decimo-ſexto in amentiam incidiſſe ſcribant. Huius aſſertionis Auctores præcipui Monachus San-Dionyſianus qui geſta Dagoberti Clodouéique Regum in literas retulit, & Anonymus qui Fredegarium ſex auxit capitibus. Opus ſuum prædictus Monachus ſic abſoluit. *Hludowius itaque Rex cunctis diebus abſque bellis in Regno pacem habuit, ſed fortunâ impellente quondam in extremis vitæ ſuæ annis ad ſupradictorum Martyrum*, Dionyſij videlicet ac ſociorum, *corpora quaſi causâ orationis venit, volénſque eorum pignora ſecum habere, diſcooperire ſepulchrum iuſſit. Corpus autem beati & excellentiſſimi Martyris atque Pontificis Dionyſij intuens, minùs religiosè, licèt cupidè, os brachij eius fregit & rapuit, confeſtímque ſtupefactus in amentiam decidit. Tantúſque terror & metus ac tenebræ locum ipſum repleuerunt, vt omnes qui aderant timore maximo conſternati, fugæ præſidium peterent. Poſt hæc verò vt ſenſum recuperaret, villas quaſdam ad ipſum locum tradidit. Os quoque quod de ſancto corpore tulerat, auro ac gemmis miro ope-*

Digitized by Google

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

re veſtiuit, ibíque repoſuit. Sed ſenſum ex aliquantula parte recuperans, non autem integrè recipiens, poſt duos annos vitam cum Regno finiuit. Apud Fredegarij Continuatorem res eadem breuiſſimè ſic notatur. *Chlodoueus itaque in Regno pacem habuit abſque bello. In extremis verò vitæ annis amens effectus, vitâ caruit, regnauítque annos* XVIII. Clodoueum autem expertem amentiæ probant ea, quæ poſt Sigiberti fratris obitum prudenter æquè ac ſtrenuè in Auſtraſia geſſit. Spargendæ in vulgus fabulæ hæc cauſa fuit. Clodoueus *anno* [a] XIIII. *Regni ſui abſidam, infra quam prædictorum Chriſti Martyrum Dionyſij ac ſociorum eius corpora requieſcunt, quam inclytus Rex pater ſuus deſuper argenteo tegumento deuotiſſimè foris operuerat, quorumdam ſuaſione & conſilio ipſum argentum deſuper prædicta abſida pauperibus Chriſti & egenis, quia, vt fertur, eo tempore fames valida inerat, erogari præcepit, & inſuper Aigulfo Abbati, cui tunc cura Monaſterij ipſius commiſſa erat, præceptum huiuſmodi dedit, quatinus ipſe Abba hoc cum timore Dei fideliter ſtuderet adimplere.* Facinus illud pleriſque Monachorum, præcipuè Dionyſianis, quorum maximè intererat, plurimùm diſplicuit, nec mirum, noſtrâ enim ſuperioríue ætate multis Scriptoribus haud placuit. A nobis autem probatum eſt ratis Clodoueum, qui diſtribuendi pauperibus argenti curam omnem Aigulfo Abbati commiſit, animo nihil aliud intendiſſe quàm vt egenis opem ferret, ipſóſque Sanctos, ſi conſulerentur, ſuas illas opes in beneficium pauperum largituros, qui vitam ipſam in viuis dum agerent lubentiſſimè profudiſſent. Summoperè laudandum Ioannis Tillij ſuper eo negotio iudicium. *Fames*, inquit, *maxima Galliam inuaſit, cui vt ſuccurreretur, Clodoueus aurum & argentum, quo ædem D. Dionyſij Dagobertus pater impensè magnificéque ornauerat, arripit & aufert, & egentibus piè diſtribuit. Propterea aiunt Regem inſaniiſſe, ac mente captum per reliquum vitæ tempus diuinâ numinis vindictâ. Certè ſi pauperum gratiâ ſubmouit, ſapienter & religiosè fecit, quamuis illum vitâ defunctum mentis impotem finxerint, eò ſpectantes, ne poſteri Principes hoc ſibi exemplum in diripiendis Eccleſiæ facultatibus ad imitandum proponerent, non ſolùm in egentium inopia, ſed in ſuis etiam aliquando negotiis. Contrà verò ſi aliâ motus cupiditate, quàm vt fame pereuntium neceſſitati bona dilargiretur, quæ ad ſubſidium pauperum Eccleſiæ dicata donatáque ſunt, equidem ſtatuo indignum & nephàrium ſacrilegium eſſe.* Porrò Clodoueum vt ab inertia ſic ab amentia vindicamus, quia vtramque, ne apud Auſtraſios regnaret, obfuiſſe volunt Dupleixius aliíque Neoterici.

[a] Monach. San-Dionyſ. cap. 50.

XXII. Clodoueus, cùm annos vnum ac viginti vixiſſet, rebus humanis exemptus eſt, relictis è Bathilde Regina tribus filiis, Clotario, Childerico & Theodorico. Nonnulli vetere Legendario Sanctorum & quibuſdam Chronicis freti duos addunt omnium minimos, aiúntque illos per abſentiam patris, qui Bathildis piiſſimæ coniugis hortatu Hieroſolymam profectus ſit totámque Palæſtinam ſuæ poteſtati ſummiſerit, Regno Franciæ cum Regina matre præfuiſſe, deinde exauctoratâ Bathilde ſolos imperaſſe, atque eò deueniſſe audaciæ, vt cum Clodoueo ipſo ex Aſia reuerſo & ob ignominiam vxori illatam multùm irato manus conſeruerint, prælióque captos ac matris iuſſu variis tormentis debilitatos atque eneruatos, tum impoſitos naui ſecundo flumine delatos ad locum, vbi poſteà conditum ſit Gemeticenſe Monaſterium, in quo pœnitentiam delictorum egerint vitámque clauſerint cœtui Monachorum adſcripti. Putidiſſimi commenti, quamuis à quibuſdam crediti, nullam mentionem facere ſtatueramus, ſed placuit conſilium mutare, quoniam è Neotericis inuenti ſunt, qui præcipuum argumentum, quo prædictam fabellam refellerent, ab inertia Clodouei petendum duxerunt, aſſeruerúntque ad expeditionem vltra mare ſuſcipiendam animum ei viréſque defuiſſe. Clodoueus nec animo, nec viribus caruit. In bellis Aquitanico & Auſtraſiano fortiter admodum ſe geſſit. Sub exitum vitæ totâ potitus eſt Franciâ. Viuere deſiit, cùm adhuc adoleſceret. Si longiorem vitam duxiſſet, res grandiores, quàm Auctores fabularum texuerunt, facturus

Digitized by Google

turus videbatur. Omnium igitur argumentorum, quibus commentum ſuprà recitatum confutare poſſis, validiſſimum tibi ſuppeditabit ætas Clodouei. Quis enim ſibi perſuadeat, Regi, qui annos vnum duntaxat ac viginti vixit, quinque filios fuiſſe, quorum duobus minimis adminiſtrationem Regni reliquerit in Aſiam ad ſubigendam Palæſtinam cum exercitu profecturus?

XXIII. CLOTARIVS TERTIVS.

Clotarius filiorum natu maximus in Francorum Monarchiam Clodoueo patri ſucceſſit. Apud Anonymum, qui Geſta Regum Francorum conſcripſit, & apud Continuatorem Fredegarij regnat annos tantùm quatuor. *In his diebus*, inquit Auctor [a] prædictorum Geſtorum, *Chlotharius Rex puer obiit, regnauítque annis quatuor.* Et Continuator [b] Fredegarij. *Hiſce diebus Chlotharius Rex à valida febre correptus obiit in iuuentute, regnauítque annos quatuor.* Plures annos Regni non attribuunt, Gaguinus, Æmylius, Gillius, Tillius, Belloforeſtius, Haillanus, Falcetus, Serrius, Dupleixius, Bucherius, Petauius, Pradius, Buſſierius, Marollius, Bouchius, Verdierius. Atque inde non parua nos ſubit admiratio, quomodo tot ex modernis illis Scriptoribus Regem inertiæ ac ſocordiæ accuſent, qui, ſi quatuor tantùm annos regnauit, octo vix vixit. Etenim Clodoueus pater, ſi ſuperſtes in viuis fuiſſet, annum ætatis ſuæ viceſimum-quintum cum anno quarto Clotariani Regni comparaſſet, annum enim ætatis quartum adhuc agebat cùm regnare poſt Dagobertum patrem cœpit, obiítque anno ſui Principatûs duodeuiceſimo. Præter antiquos Scriptores, qui ſanctorum Leodegarij & Wandregiſili vitas literis commendarunt, veteres inueniuntur Chartæ, quæ Clotarij Principatum ad annum vſque decimum-quartum prorogant, vt Labbeus, Henſchenius & Valeſius iam obſeruarunt. Eſto. Clotarius annum Regni ſui decimum-quartum, ætatis ſuæ duodeuiceſimum attigerit, *nullâ re*, vt Æmylius loquitur, *niſi (quod præcipuum eſt) feſtâ pace nobilis*, an idcircò ſocors & iners habendus? Regi infra annum ætatis decimum-octauum conſtituto non infima laus eſt quietè pacificéque regnare, nec Bathildi vituperio verti debet, quòd, licèt poſt Clodouei mortem è re Francorum id eſſe potiſſimùm cenſuiſſet, vt tria Regna, quæ Monarchiam Francicam conſtituebant, penes vnum remanerent, tamen orto in Auſtraſia tumultu, cùm Clotarius puer annorum nouem eſſet, Childericum alterum filium Auſtraſiis Regem præfecit.

[a] Cap. 45.
[b] Cap. 93.

XXIV. CHILDERICVS SECVNDVS.

Super Childerici Principatu quatuor circumferuntur opiniones. Prima eſt Æmylij, Gillij & aliorum ſuprà nominatorum, qui Childericum Auſtraſiæ Regem inſtituunt patre Clodoueo in viuis ſuperſtite. Secunda eſt Belloforeſtij, Valeſij, Buſſierij, Mezerai, qui, ſublato è viuis Clodoueo Rege, duos ex eius filiis in paterna Regna ſucceſſiſſe tradunt, Clotarium in Neuſtraſiam ac Burgundiam, Childericum in Auſtraſiam. Tertia eſt Henſchenij & Labbei, qui Sigibertum Auſtraſiæ Regem Clodoueo fratri ſuperſtitem fuiſſe volunt, & eiecto pſeudo-Childeberto Grimoaldi filio Childericum in Auſtraſiæ ſolio collocant, Clotario fratre Regna Neuſtraſiæ ac Burgundiæ iam obtinente. Quarta eſt Chronographi Carolo Septimo & Ludouico Vndecimo Regibus coætanei ac Falceti, qui poſt Clotarij Tertij mortem, Childericum Auſtraſiæ, Theodoricum Neuſtraſiæ ac Burgundiæ, Reges agnoſcunt. Nullam illarum opinionum probamus, quia Clodoueus Secundus, qui Sigiberto fratri ſuperuixit, & Clotarius Tertius, qui eidem Clodoueo patri ſucceſſit, Monarchiâ Francorum potiti ſunt, Clodoueus ad obitum vſque, Clotarius ad annum vſque dominationis ſuæ quintum, quo fratri Childerico ceſſit Auſtraſiam. Vetus Anonymus [c], cuius auctoritate Chronologiam noſtram confirmamus, ſeptem annos à morte Sigiberti Regis vſque ad Childerici Principatum enumerat, & Childerico Regi quatuordecim annos attribuit, vtroſque ſcilicet incompletos; obiit enim Sigibertus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto; Childericus verò

[c] Tom. I. Collect. Hiſt. Franc.

AN.CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

Regnum ſuſcepit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, vitámque cum morte commutauit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Extat eiuſdem Childerici Præceptum datum anno Regni octauo, cùm Bilihildis ei iam nupſiſſet. Atque inde colligimus Childericum nec patre Clodoueo ſuperſtite, nec ab obitu Clodouei patris, aut ab exauctoratione pſeudo-Childeberti, cùm Clotarius frater in Neuſtraſia Burgundiâque regnaret, Regnum iniiſſe. Patrem enim Clodoueum amiſit tres duntaxat annos natus, & in eorum ſententia, qui Sigibertum Clodoueo fratri menſes aliquot ſuperfuiſſe contendunt, annos tantùm quatuor natus erat, cùm apud Auſtraſios eiecto pſeudo-Childeberto regnare cœpit.

XXV. Qui Childericum ſocordem atque ignauum dicunt, Auctores non legerunt coætaneos, à quibus in literas relata eſt vita Sancti Leodegarij. Childericus adoleſcens *pro ſua ætate* Regnum Auſtraſianum adeò benè adminiſtrauit, vt poſt Clotarij fratris obitum, qui Regna Neuſtraſiæ Burgundiæque tenuerat, in Regem à pleriſque Neuſtraſiorum ac Burgundionum ſit expetitus aduersùs Theodoricum, quem Ebroinus Maior-domûs Clotario fratri ſubrogare cupiebat. *Clotarius Rex*, inquit Vrſinus, *exceſſit è viuis. Tum verò beatus Leodegarius Epiſcopus id audiens, celeritate ad Palatium profectus eſt, & cum aliis de Rege conſtituendo tractare cœpit. Cúmque comperiſſent Childericum Auſtraſiorum Regem adoleſcentem pro ſua ætate Regnum optimè adminiſtraſſe, quædam Francorum*, id eſt, Neuſtraſiorum ac Burgundionum, *pars eum voluit habere Regem. Sed Ebroinus, qui Maior-domûs fuerat ſub Rege Clotario, Theodoricum germanum cupiebat ſubſtituere fratri in Regno.* Tunc Childericus annos natus erat ſeptemdecim, Clotario fratri ſuperſtes vixit annos quatuor, obiitque natus annos vnum duntaxat ac viginti. In Geſtis [a] Regum Francorum & in Continuatione [b] Fredegarij vituperatus inuenitur, quòd *leuis* & *citatus nimis* eſſet, quódque omnia perageret *incautè*, & gentem Francorum *in ſeditionem* mitteret. Sed hæc ad ignauiam ſocordiámque non accedunt, & ætati adhuc iuniori poſſunt condonari. Lege vitam Sancti Leodegarij, multa in ea reperies, quæ te docebunt de Childerico perperam falſóque publicari, quòd ſocors & iners eſſet, ſemélque quot annis in publicum ſtatuto die prodiret.

[a] Cap. 45.
[b] Cap. 95.

XXVI. Poſt Childerici mortem, Dagobertus Sigiberti quondam Regis filius in Auſtraſiam reuocatus eſt, & paternarum ditionum magnam partem tunc recepit, maiorem poſteà recuperaturus; in reliqua verò Francia regnauit Theodoricus prædicti Childerici frater.

XXVII: DAGOBERTVS SECVNDVS. Dagobertus quinque circiter annorum puer erat, cùm orbatus eſt Sigiberto patre. In illa ætate nec ignauiæ nec ſocordiæ debet inſimulari, quòd in Hiberniam ablegatus ſit à Grimoaldo Maiore-domûs, qui Childebertum filium ſuum per inſignem tyrannidem in Auſtraſiæ ſolio collocauit.

XXVIII. Super eiuſdem Dagoberti reditu duplex eſt opinio. Vna eſt Labbei, qui Dagobertum ſuperſtite in viuis Childerico Rege ex Hibernia rediiſſe, ſpontaneâque Childerici ceſſione partem Auſtraſiæ obtinuiſſe tradit. Altera eſt Valeſij, Henſchenij, Mezeræi, qui Dagobertum poſt Childerici mortem ex Hibernia reuerſum ſcribunt. Poſterior magis placet. Dagobertus annos natus tunc erat quatuor circiter ac viginti. Liberos in Hibernia iam ſuſceperat. Paterni Regni partem tantùm recepit, quam poſteà dilatauit, magíſque dilataſſet, niſi bello extinctus fuiſſet aduersùs Theodoricum, qui ciuitates aliquot Auſtraſiæ retinebat, infeliciter geſto. Iſtius belli mentionem facit Auctor coætaneus in vita Sanctæ Salabergæ. *Nuper*, inquit, *ciuile bellum inter Reges Francorum Theodoricum & Dagobertum circa illos fines*, nempe Lingonum, de quibus loquitur, *eſt actum.* An quia prælio victus fuit & in manus hoſtium deuenit Dagobertus, poſtquàm in ſuarum ditionum adminiſtratione prudenter ac ſtrenuè per annos ſeptem ſe geſſiſſet, idcircò ſocors & iners apud poſteros haberi debet?

Digitized by Google

AN. CH. 692.

THEODOR. III. R. 19.

XXIX. *Theodoricvs Tertivs.*

Theodoricus Tertius, licèt de Dagoberto Secundo triumpharit à pleriſque Catalogo Regum ignauorum inſeritur, vtrùm tamen ab initio Principatûs an poſt Textricianam pugnam reum ignauiæ ſe primùm præbuerit, haud conueniunt calumniatores. Theodoricus Clodoueum patrem bimulus amiſit. Tunc Monarchia Francorum ad Clotarium fratrem natu maximum deuoluta eſt egregio ſanè conſilio, vt tria Francorum Regna ſocietate iungerentur ac penes Monarcham eſſent. Auſtraſij poſt quinquennium tumultuati Childericum Regem acceperunt, Neuſtraſiâ Burgundiâque Clotario relictis. Puer annorum ſeptem tunc erat Theodoricus, nec ei per ætatem adeò teneram quidquam moliri licuit, vt in conſortium Principatûs à fratribus adſciſceretur. Annos ſexdecim natus erat, cùm Clotarius frater viuere deſiit, per illud tempus Neuſtriam Burgundiámque ſibi quorumdam ope tentauit aſſerere, nec vllum in illo conatu ſignum inertiæ ſocordiæue manifeſtauit. Mortuo Childerico filióque Chilperico in cunis adhuc poſito in ſpem maiorem erectus, cùm ſolus è tribus Clotarij Tertij filijs ſupereſſet, Monarchiam Francorum ambiuit, votorúmque compos poſt ſedatos Neuſtraſiæ tumultus euaſiſſet, niſi Dagobertus Sigiberti Auſtraſiani quondam Regis filius ex Hibernia reuerſus partem Auſtraſiæ ſibi vendicaſſet. Inde natum inter patrueles bellum difficile, cùm Theodoricus Monarchiâ Francorum potiri vellet, Dagobertus vniuerſam Auſtraſiam, paternam videlicet hæreditatem ſibi olim ereptam repoſceret. Neuter inertem ſe ſocordémue præbuit. Ventum eſt ad certamen in finibus vtrarumque ditionum, victoria penes Theodoricum ſtetit. Illâ Dagoberti clade ſuperiorem Tomum clauſimus. Atque hæc ſufficiant, vt à Regibus, quorum Geſta Tomo illo complexi ſumus, ignauiæ ſorcordiæque ſuſpicionem omnem remoueas.

XXX. De reliqua ſtirpe Merouеadarum, vt ſperamus, agemus hoc Tomo. Singulos Reges ab inertia deſidiâque, quam moderni Scriptores illis per calumniam exprobrant, vindicabimus ad annos, quibus regnare deſierunt. Initium hoc loco faciemus à Theodorico Tertio, cuius obitus in hunc annum, à Chriſto nato ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum, incidit.

XXXI. Extincto Dagoberto Secundo Theodoricus Tertius tria Regna Francorum tenuit. Bellis ciuilibus per aliquot annos vexatus eſt, cùm Auſtraſios inter & Neuſtraſios pax vix coaleſceret. Ad Textricium infelici pugnauit exitu, prælio ipſe interfuit, vt veteres Anonymi teſtantur in Geſtis [a] Regum Francorum, & in Hiſtoria [b] iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta. Bellicoſum Regem, cui ſæpè prælianti nunquam animus, felicitas ſemel defuit, ignauiæ voluptatibúſque deditum in Palatio tanquam in exilio delituiſſe falſò nuperus ſcripſit Auctor, vt Pippinum Herſtallium eiúſque poſteros adulatione turpiſſimâ proſequeretur, nec aliud conſilium mentibus ceterorum inſedit, qui prædictum Theodoricum reliquóſque Merouеadas inertiæ ſocordiæque accuſarunt. In dubium minimè reuocandum, quin Theodoricus, vt beatus Eligius olim prædixerat, auguſtiſſimè ad obitum vſque regnarit. *Vbi ad vltimum Occidui locum peruenit*, ait Eligius [c] de Stella quæ Theodoricum repræſentabat, *tantam claritatem ſuarum lampadarum profudit, vt potiſſimam Solis claritatem ſuperare videretur.* Et paulò pòſt viſionem illam de Theodorico ſic exponit. *Solus Monarchiam Regni indeptus dilatabitur ſuper omnes affines ſuos atque magnificabitur.*

[a] Cap. 48.
[b] Cap. 100.
[c] Ap. Audoen. in vit. S. Eligij.

XXXII. *Epitaphivm Theodorici examinatvr.*

Atrebati in Monaſterio Sancti Vedaſti legitur epitaphium Theodorici Regis, & præter nomen Dodæ Reginæ, locum, quo ſepulta iacet cum Theodorico coniuge, deſignat. Addit & annum, quo Theodoricus Rex vitam clauſit. At annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum perperam notat, nec vllam auctoritatem ſibi conciliare poteſt, quoniam opus eſt Auctoris longè recentioris, componitur enim octo verſibus Leoni-

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19. nis ob inſignes hemiſtichiorum rhythmos adeò excellentibus, vt illud poſt ætatem Leonij Regularis ante annos circiter quingentos in Abbatia San-Victorina prope Pariſios Canonici credamus exaratum. Eſt autem tale.

Rex Theodoricus ditans vt verus amicus
Nos ope multimodâ, iacet hîc cum coniuge Doda.
Regis larga manus & Præſul Vindicianus
Nobis Regale dant & ius Pontificale.
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum ſciet hunc, qui quatuor addet.
Quâ legis hac horâ, Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum ſtat vita Dei famulorum.

XXXIII. CHRONOLOGIA RR. FRANCORVM. Hoc loco ſtabilienda Regum Francorum Chronologia. Vetus Anonymus, qui Geſta Regum Francorum publicauit, à nece Childerici Regis ad obitum vſque Childeberti Iuſti numerat annos duodequadraginta, quos in tres Principatus ita partitur, vt Theodorico Childerici fratri nouemdecim, duos Clodoueo Theodorici filio, Childeberto Clodouei fratri ſeptemdecim attribuat. Alter Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi retulit in literas, opus ſuum orditur à cæde Dogoberti Regis Auſtraſiæ, & & ab illa nece vſque ad prædicti Childeberti mortem recenſet annos vnum ac triginta, quos in partes tres ita diuidit, vt quatuordecim Theodorico, quatuor Clodoueo, Childeberto tredecim aſſignet. A neutro in annorum ſumma diſſentimus. Annos duodequadraginta colligimus à Childerici cæde, quam anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio conſignauimus, vſque ad mortem Childeberti, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo interiiſſe conſtanter aſſerunt Annales Nazariani qui deſinunt in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, & Petauiani qui deſinunt in anno Chriſti octingenteſimo. Similiter annos vnum & triginta numeramus à nece Dagoberti, quem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo interfectum diximus, vſque ad Childeberti mortem, quæ anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo contigit. Eſt tamen inter ambos Anonymos in annorum partitione non parum diſcrepantiæ, & vt Hiſtoria Francorum cum Geſtis Regum Francorum conueniat, in illa Hiſtoria Theodorico Regi ſubſtrahendi ſunt anni duo, totidem Clodoueo, addendíque quatuor Childeberto. Fortaſsè cùm alij prædictâ Francorum Hiſtoriâ freti Clodoueum annos quatuor, tredecim Childebertum, alij Geſtis Regum Francorum innixi Childebertum ſeptemdecim regnaſſe ſcriberent, inde factum eſt, vt recentiores exiſtimarint Childebertum ſimul imperaſſe cum Clodoueo, & vtroſque Auctores inter ſe facilè conciliatum iri, ſi Childeberto in Principatu anni ſeptemdecim à morte Theodorici Patris, tredecim ab obitu Clodouei fratris attribuerentur. At in Geſtis Regum Francorum non tantùm anni ſeptemdecim Childeberto, ſed etiam duo Clodoueo conceduntur, itaut à morte Theodorici Regis vſque ad obitum Childeberti non anni ſeptemdecim, vt illi volunt, ſed vndeuiginti colligantur. Stamus ab iiſdem Geſtis. Auctor enim, quamuis ex aliis multas fabulas collegerit, & à nobis ſæpè neglectus ſit, res ſui temporis haud minùs accuratè ſcripſit quàm alter Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis exarauit. Deinde Geſtis Regum Francorum ſuffragantur monumenta publica, quorum mentionem faciemus ſuis locis. Mortuus eſt igitur Theodoricus hoc anno, *regnauítque annos* XIX, vt Auctor prælaudatorum [a] Geſtorum & Erchanbertus teſtantur, à nece videlicet Childerici, regnauit enim nouemdecim annos in Neuſtria & Burgundia poſt Childericum fratrem, duodecim in Auſtria poſt Dagobertum patruelem.

[a] Cap. 49.

XXXIV. CLODOVEVS III. R. FRANCORVM. Clodoueus Theodorici Regis filius natu maximus patri ſucceſſit. *Puer* vocatur in Geſtis [b] Regum Francorum, *puerulus* in Francorum [c] Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta. Ætate tamen grandior erat, quàm vt hoc anno iux-

[b] Cap. 49.
[c] Cap. 101.

Digitized by Google

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

ta vocabulorum ſignificationem aut puer aut puerulus dici debeat, nam Dagobertus eius nepos ex Childeberto fratre mortuus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, cùm prolem iam ſuſcepiſſet.

XXXV. An Childebertus cum Clodoveo fratre regnavit. Ansbertus Ep. Rotomag. exulat.

Conradus Abbas Vrſpergenſis hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, Clodoueum & Childebertum Theodorico patri ſucceſſiſſe tradit. De anno, quo Clodoueus poſt Theodoricum patrem regnare cœpit, non diſſentimus. At Childebertum regni conſortem fuiſſe diffitemur. Exiſtimamus optaſſe pleroſque Proceres, vt quod ſæpè factum fuerat, denuò fieret, ambóque fratres inter ſe regnum diuiderent, vnus Auſtriæ præeſſet, alter Neuſtriæ ac Burgundiæ; huic autem conſilio reſtitiſſe Pippinum, cui facilius erat adminiſtrationem totius Franciæ ſub vno quàm ſub duobus Regibus retinere. Videtur Aigradus ad haſce Primatum diſcordias alluſiſſe, cùm iurgiorum inter Anſbertum Rotomagenſem Antiſtitem & Pippinum Maiorem-domûs exortorum cauſam ſic retexuit. *Cùm inter Principes Francorum ſæua eſſet exorta diſcordia ob multiformem Regni diuiſionem, callidus humani generis hoſtis malignorum contra Dei famulum ſæuire fecit inuidiam, qui Pipino Principi fraudulenter ſuggererent præfatum virum ſanctum* Anſbertum *aduersùs eum contraria tractaſſe conſilia.* Pulſus eſt in exilium Anſbertus, ablegatúſque in Monaſterium ad Sabim amnem in Hannonia ſitum, cui nomen Altus mons. *Accuſatus*, inquit Aigradus, *apud ipſum Principem præfatus Pontifex Sanctus, iuſſu eiuſdem exilio deportatur in Altum montem Monaſterium, quod eſt ſitum in territorio Haonauno ſuper Sambræ fluuium. Cui tempore illo præerat venerabilis Halidulphus Abba. Nullo extante crimine, humiliter exilij ſubiit ærumnas.*

XXXVI. Agricoli Ep. Avenion. pietas.

Hoc anno Agricolus Auenionenſis Antiſtes cùm *duos circiter & triginta annos*, in Epiſcopali cura, ingenti Chriſtianæ plebis fructu & incremento exegiſſet teſte Auctore [a] vitæ, *in futurum præcauens de poſtrema die, patris Magni exemplo, cœpit impenſiùs cogitare. Ac primùm rogauit Abbatem Monaſterij, quod extruxerat, vt ſe ex hac vitâ digreſſum & viam patrum ingreſſum, orationum, ſacrificiorum precioſiſſimi Corporis & Sanguinis Domini quæ Deo libantur, quotidie participem faceret. Iuſſit prætereà in ſua Eccleſia Epiſcopali, datis in eum finem prouentibus annuis quotidie pro anima ſua auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium ſolemni ritu decantari. Atque etiam voluit horas Canonicas & diuina officia, myſteria deinceps in eadem Eccleſia eodem modo quo ſolerent in Monaſteriis alternis videlicet cantibus recitari.* Superuixit annos octo, & *numquam deſtitit prudens Paſtor ad illam ſe horam comparare, in qua beati ſunt ſerui illi quos Dominus inuenit ſic facientes.*

[a] Ap. Sur. d 2. Sept.

XXXVII. Citruinus Ep. Albigens. Bertrandus Abb. Castrens.

In Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſium hæc leguntur. *Anno 692. Citruinus epiſcopabat. Bertrandus abbatiabat.* Tunc Albiga, quam ſub Ricardo Epiſcopo Citruini deceſſore Rex Wiſigothorum Eruigius initio ſui Principatûs anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo ceperat, in Francorum poteſtatem nondum redierat. Quapropter in commemorandis rebus, quas Citruinus Albigenſis Epiſcopus & Bertrandus Abbas Caſtrenſis geſſerunt, hoc loco non immorabimur.

XXXVIII. Willebrordus it Romam.

Hoc eodem anno Willebrordus Preſbyter è Friſia citeriore Romam profectus eſt. Qua de re ſic Beda [b]. *Primis ſanè temporibus aduentûs eorum in Friſiam, mox vt comperit Wilbrordus datam ſibi à Principe*, id eſt, à Pipino Maiore domûs, *licentiam ibidem prædicandi, accelerauit venire Romam, cuius Sedi Apoſtolicæ tunc Sergius Papa præerat, vt cum eius licentia & benedictione deſideratum euangelizandi gentibus opus iniret: ſimul & Reliquias beatorum Apoſtolorum ac Martyrum Chriſti ab eo ſe ſperans accipere, vt dum in gente, cui prædicaret, deſtructis idolis Eccleſias inſtitueret, haberet in promptu Reliquias Sanctorum, quas ibi introduceret, quibúſque ibidem depoſitis conſequenter in eorum honorem; quorum eſſent illa ſingula, quæque loca dedicaret. Sed & alia perplura, quæ tanti operis negotium quærebat, vel ibi diſcere, vel inde accipere cupiebat.* Primam hanc Willebrordi profectionem in Italiam Marcellinus in vita ſancti Suiberti &

[b] Lib. 5. c. 12.

Digitized by Google

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

Alcuinus in vita ipſiuſmet Sancti Willebrordi tacuerunt. Hoc autem anno ſuſceptam fuiſſe colligimus ex Beda, Suibertum enim, de cuius promotione ad Epiſcopalem dignitatem anno proximo acturi ſumus, Epiſcopum per Willebrordi abſentiam ordinatum teſtatur [a].

[a] Lib 5. c. 12.

XXXIX. SVIBERTVS ERVDIT HAGENSTEINENSES.

Interim idem Suibertus, vt anno priori Doreſtadenſes, ſic & Hagenſteinenſes hoc anno Chriſtianam fidem edocuit. Id narrauit auctor vitæ. Sed Interpolator vocabula quædam regionum vſurpauit, quæ nondum erant in vſu, meminit enim Hollandiæ & Teiſterbandiæ, quarum nomina multò tardiùs audiri cœperunt, eoſdem quoque ſocios, quos Suiberto Doreſtadum proficiſcenti dederat, in villam *Hagenſtein* abeunti attribuit, Warenfridum ſcilicet ac Marcellinum, quorum poſteriorem abrademus, vtpote quem longè ſeriùs è Britannia in Francorum ditiones appuliſſe conſtat.

XL. Res igitur à Suiberto in citeriore Friſia poſt reditum è vico Doreſtado præclarè geſtas vulgatus Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ ſic proſequitur. *Seceſſit deinde in diuerſos vicos & villas per Friſiam & Hollandiam ac Teiſterbandiam, cunctis palàm conſtanter Chriſtum euangelizans. Et quamuis multa contraria inter ipſos Gentiles in diuerſis locis perpeſſus fuiſſet, & æquanimiter toleràſſet, tamen diuino functus auxilio, ſalutiferâ ſuâ exhortatione populum multum ad agnitionem fidei Chriſti perduxit. Eodem anno demùm peruenit cum Werenfrido & ...... in Orientalem partem Principatûs Hollandiæ, in qua erat villa diſtans à Traiecto ad Auſtrum per vnum milliare, dicta Hagenſtein, vbi cùm, inſigni die quodam ſolennitatis gentilium, Chriſtum conſtanter prædicaret, affirmans & concludens, quanta ſigna miraculorum ſequerentur credentes in eum, feſtinanter volentes hoc experiri gentiles, illuc cum magno cœtu conglomerati obtulerunt & adduxerunt ei quendam adoleſcentem, Giſelbertum nomine, ab vtero materno cæcum natum, clamantes & dicentes, vt fidem illius Dei crucifixi, ab ipſo tam conſtanter prolatam, veridicis confirmaret actibus, illuminando illum cæcum in nomine eius, vt crederent in ipſum; ſin autem, ipſum tanquam inimicum deorum & deſtructorem paternarum traditionum repentè cum ſuis trucidarent. Mox Sanctus Swibertus iuſtâ neceſſitate compulſus flectit genua ſua ad Dominum. Neque verò fides ſua fefellit eum. Nam ſurgens ab oratione, fiduciam magnam habens in Chriſtum, ſignum Sanctæ Crucis faciens ſuper oculos cæci, conſtanter ſonorâ voce dixit. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei, quem prædico, præcipio tibi, vt videas & confitearis Creatorem tuum. Quo dicto protinus, cooperante diuinâ clementiâ, adoleſcens aperiens oculos ſuos clarè vidit, & optato gaudens lumine, Deo gratias agens, lætos cunctos effecit & ſtupidos, prouolutúſque pedibus Sancti Swiberti clamauit dicens. Non eſt alius verus Deus, quàm Ieſus Chriſtus, Creator cæli & terræ, quem iſte ſeruus eius ob ſalutem noſtram prædicat. Perculſi admiratione & obſtupefacti gentiles hæc noua videntes & audientes tumultuare contra Sanctum Swibertum deſierunt, & compuncti cum flamine idolorum eiuſdem villæ, veniam protinus ignorantiæ ſuæ precabantur. Quos Sanctus Swibertus, coram Deo & hominibus magnificus Sacerdos, perſuaſionibus ſcripturarum in fide confirmauit. Et factum eſt gaudium magnum in eâdem villa, & eâdem die magnificatum eſt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti ab vniuerſis. Multos inſuper ex eis credentes in Chriſtum purgauit à pernicioſiſſima ſuperſtitione idololatriæ fonte baptiſmatis. Alterâ verò die, conuocato omni populo cum cæco illuminato in phano idolorum, prædicauit eis piè Chriſtum & fidem Catholicam. Intantùm verò Chriſtus aperuit corda eorum, vt omnes ferè credentes in Deum voluntariè, eliminatâ ſpurcitiâ idolorum, redegerint phanum deorum in Eccleſiam Dei, quam poſteà idem Sanctus Swibertus .... ordinatus Epiſcopus conſecrauit in honorem Dei & glorioſæ Virginis Mariæ. Cuius miraculi fama cùm percrebuiſſet veridica per vicinitatem, multi pagani cæcum illuminatum cognoſcentes, ſequebantur ipſum prædicantem, & audientes verbum Dei ex ore eius, crediderunt; nonnulli & baptizabantur ab eo.*

XLI. Antonius Sanderus libro tertio [b] rerum Gandauenſium, Indicem Abbá-

[b] cap. 3.

tum Blandinienſium ſic orditur. *Sanctus Florbertus, obiit 639. S. Ioannes, 658. Baudemundus, 730. Ferrecus, 752. Hatta, 758. Cæleſtinus, 765.* Deinde in Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ, ſermonem de ſex primis illis Abbatibus Blandinienſibus longè copioſiorem facit, ſeruatâ nihilominùs eâdem Chronotaxi, quæ certè multis in locis eget emendatione. Præcipuum mendum ex eo proficiſcitur, quòd Chronographus Blandinienſis mortem Sancti Amandi, quam in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum nonum reiicimus, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo collocat. Secundùm noſtram computationem, quam variis argumentis confirmauimus, migrarunt in cælum, Sanctus Florbertus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, Sanctus Ioannes anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Quot autem annos in Abbatiali Præfectura Baudemundus egerit, haud ſcimus. Neque enim nobis perſuademus eum vixiſſe ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum, aut cùm Ferreco ſucceſſore Monaſterio præfuiſſe per annos quatuor ac nonaginta, cùm ex eodem Chronographo, qui plurimùm à ſemetipſo diſcrepat, conſtet Cœnobij Blandinienſis adminiſtrationem penes Abbatem Cæleſtinum fuiſſe *multis diebus, vſque ad id tempus, quo diſſenſio inter Carolum & Ragenfridum facta eſt*, id eſt, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-nonum, quo Carolus Ragenfrido penitus profligato nonnullos eiecit Abbates, quos infenſos ſibi vel nouit vel ſuſpicatus eſt. Ab obitu Sancti Ioannis ad expulſionem vſque Cæleſtini effluxerunt anni duntaxat duo ſupra quadraginta, quos in tres Præfecturas, Baudemundi, Ferreci & Cæleſtini, commodè partiaris. Hattam enim, qui medius inter Ferrecum & Cæleſtinum in Catalogo ſuprà citato ponitur, ex albo Blandinienſium Abbatum iam expunximus. A recta Chronologia fortè non aberrabis ſi quindecim annos Abbati Baudemundo, totidem Ferreco, duodecim Cæleſtino tribuas, id eſt, ſi Baudemundi obitum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, Ferreci mortem anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo ſeptimo, Cæleſtini exauctorationem anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-nono conſignes.

ABBATES BLANDINIENSES.

XLII. His circiter temporibus ab Anſberto Auguſtodunenſi Epiſcopo baptizatus eſt Eucherius, qui Pontificatum Aurelianenſem poſteà ſuſcepit ſtrenuéque geſſit, vt ſuis locis dicemus. Huius vitam primigenio ſtylo publicauit [a] Ioannes Bollandus ex tribus Codicibus manuſcriptis, quorum vnum antiquo ac quadrato charactere exaratum apud ſe habebat, alterum mutuatus erat è celebri Monaſterio Sancti Maximini propè Treuiros, tertium acceperat à Canonicis Regularibus Sancti Auguſtini propè Bruxellam in Rubea Valle degentibus. Illâ lucubratione ſæpiùs vſuri ſumus. Hîc ea tantùm deſcribemus, quæ ſpectant ad Eucherij parentes, ortum ac Baptiſmum. *Fuit vir vita venerabilis & Deo dignus, Eucherius nomine, ex parentibus ortus ſecundùm ſeculi dignitatem nobilibus, &, vt credimus, Deo acceptis, qui talem in ſeculo genuerunt prolem, cuius ortum, cùm à veraciſſimis viris ſeu ab germanis ſuis, quæ in Cœnobio Sanctarum Monacharum ſito iuxta vrbem Aurelianorum, normâ ſanctitatis precellunt, fatentibus didicimus, humanis auribus inſerimus. Nocte quadam ipſius Sancti genitrix, dum de Eccleſia, matutinis hymnis tranſactis, ad domum ſuam rediſſet, proprium cubiculum ingreſſa, & in ſtrata ſuo declinata, mox ſoporata eſt, cernens nihilominùs ſecus thorum ſuum virum adſtantem veſtibus niuei candoris indutum, capitis canitie ſplendidum, oculis inſtar gemmarum ſplendentium coruſcantem atque ſibi dicentem. Aue Deo dilecta, benedictum in vtero tuo ferens puerum, & ſcias eum in hac vrbe à Deo futurum electum Antiſtitem. Cui venerabilis mulier, obſecro te, inquit, vt largiaris benedictionem tuam ex ore tuo ſuper me, priuſquàm diſcedas à me, intueor enim vultum tuum veluti Angelicum. Ait illi Angelus. Rectè quidem cernis, ego enim Angelus Dei ſum miſſus ab eo, vt benedicam prolem, ſed quia eſt in vtero tuo, & quoniam ammonenti ambiguitatem*

[a] D. 20. Febr.

Digitized by Google

AN. CH. 692. THEODOR. III. R. 19.

EVCHERIVS BAPTIZATVR.

non oppoſuiſti, ſed mox à Deo credidiſti, benedicam te & ſemen tuum ortum ex hac die. At illa expergefacta immenſas ſanctiſſimæ Trinitati laudes conferebat, atque viro ſuo tanta reuelationis gaudia per ordinem pandit. Ille verò hæc audiens timore cum gaudio ſuffultus in gratiarum actione rei expectabat euentum. Quo orto, atque ſecundùm tempus competenter accreſcente, propter honorem diuinæ reuelationis, quam priùs ab Angelo Dei didicerat, Epiſcopo cuidam, nomine Anſberto, qui tunc temporis in Auguſtudunenſi vrbe ſanctitatis officij gratiâ fungebatur, regenerandum Domino ſacris fontibus obtulit. At ille cum gratulatione accipiens, eum regenerauit, atque propriis manibus de ſacra vnda ſuſcepit, ſeptiformi Spiritu imbuit, ipsúmque cum honore, vt dignum fuit, maximo remeare ad genitores permiſit. Eucherius igitur natus eſt Aurelianis, habuítque duas ſorores, quæ cælibem vitam in Monaſterio virginum iuxta eandem vrbem profeſſæ ſunt. Florebat autem tunc apud Auguſtodunenſes Anſbertus Epiſcopus, Ermenarij, qui poſt beatum Leodegarium ſedit, proximus ſucceſſor, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum [a] iam probauimus aduersùs eos, qui ſanctum Præiectum ex Aruernenſi Cathedra perperam traducunt ad Auguſtodunenſem, atque Auberto ſiue Anſberto in Auguſtodunenſium Pontificum Catalogo proponunt. Quot annos Anſbertus ſederit, manet incompertum. Ei ſucceſſit in Epiſcopatum Auguſtodunenſem Vaſconus, huic Amator; de vtroque præter nomen nihil legitur.

[a] Num. 7.

EPISCOPI AVGVSTODVN.

---

693. CLODOVEI III. R. 1.

ANNVS CHRISTI 693. CLODOVEI III. R. 1.

I. VVLFRANNVS OBIT.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, ſanctus Vulfrannus ex hac vita diſceſſit in Monaſterio Fontanellæ, decimo-tertio Kalendas Aprilis. *Prænoſcens ex diuina reuelatione diem ſuæ reſolutionis inſtare, quibuſdam fratribus hoc idem ſtuduit manifeſtare, deinde acriùs cœpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus corporis moleſtiâ agitari, ſed inter hæc & conditori gratias agere & fratres publicè & priuatim non deſinebat docere. Tandem igitur languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingraueſcente, ſeptimâ, vt ſibi diuinitus promiſſum fuerat, die, poſtquàm ſe Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniuit, ſolutam ergaſtulo carnis ſanctam animam reddidit. Obiit verò venerandus Pontifex* XIII. *Calendarum Aprilium die, ſepultúſque eſt primò quidem in Eccleſia beati Pauli Apoſtoli, ſed inde poſtmodum tranſlatus in Baſilicam ſancti Apoſtoli Petri, poſitúſque in Orientali parte, vbi ſignis & miraculis etiam nunc coruſcat Præſule Chriſto.* Hæc in eius vita Ionas editus ab Henſchenio [b]. Textus verò Surianus talis eſt. *Cùm docendo verbum Dei in præfata prouincia degeret occupatus, diuino admonitus oraculo rediit ad venerabile Cœnobium Fontanellæ, quia ſuæ reſolutionis diem iam proximè inſtare cognouerat, ſicut ipſe quoque tempore eodem nonnullis, ſed verbis obſcurioribus, quæ poſteà manifeſtè intelligerent, ſolitâ ſibi benigniſſimâ dilectione pandebat. Quibuſdam hoc idem etiam manifeſtè reuelabat. Reuerſo autem eo ad Cœnobium Fontanellæ, acri cœpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus eâdem corporis laborabat moleſtiâ, in quo toto ipſo tempore & conditori gratias agere, & fratres publicè ac priuatim non prætermittebat docere. Admonebat namque eos, vt virtutem dilectionis & pacis ad inuicem & ad omnes ſeruarent. Inſtituta quoque diſciplina regularis, quæ à ſanctæ recordationis Patre Wandregiſilo didicerant, vel in ipſo viderant, in Patrúmque præcedentium factis ſine dictis inuenerant, indefeſſâ inſtantiâ ſequerentur. Denique ſubiunxit diem ſui obitûs in proximo imminere. Cúmque hæc & huiuſmodi plura ſancta*

[b] d. 20. Mart.

Digitized by Google

ſanctæ exhortationis verba inter ſacra Miſſarum ſolemnia eis loqueretur, atque perceptâ eius benedictione de ſuo tam cito receſſu triſtes flentéſque exiſterent, rediit ad ſtratum, quod iuxta Eccleſiam ſancti Stephani Martyris in manſiuncula ſua fratres ei præparauerant. Ibíque languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingraueſcente, ſeptimo, vt ſibi diuinitus promiſſum fuerat, die, poſtquam obitum ſuum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniuit, ſoluta ab ergaſtulo corporis anima ſancta, ducentibus Angelis, æternæ felicitatis gaudia & conſortia ciuium petiit ſupernorum. Obiit verò venerandus Pontifex XIII. *Calendarum Aprilium die, anno Dominicæ Incarnacionis* DCCXX. *Sepultúſque eſt, primò quidem in Eccleſia beati Pauli Apoſtoli iuxta Sacerdotem Domini Wandregiſilum, in dextera parte, in quo loco iacuit per annos* IX. *Sanctus quoque Pater Wandregiſilus requieuit in eadem Baſilica annis* XL. *Anſbertus annis* XI. *Tranſlati quoque ſunt indè in Baſilicam beati Petri Apoſtoli à ſancto Baino Epiſcopo vrbis Taruennæ & rectore Fontanellenſis Cœnobij, ſub anno regiminis ſui* V. *qui erat annus ab Incarnatione Domini* DCCXXIX. *Qui ita integri ab omni corruptione cum veſtimentis, quibus induti fuerant, reperti ſunt, quaſi eodem die ſepulturæ fuiſſent traditi. Hæc ergo dies, cunctorum votis præſtolata, aduenerat; Sacerdotes, Monachi, Clericorúmque chori vnà cum fidelibus aderant plebibus; tunc cum hymnorum laudibus tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantiæ odor prodiit, vt mirâ dulcedine non ſolùm in Eccleſia circumſtantem populum, verùm & in atriis ſitam repleret plebem. Illati ſunt autem in Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, & poſiti in abſida eiuſdem in Orientali parte, vbi ſignis & miraculis coruſcant Præſule Chriſto.* Innuit hic textus Vulfrannum, cùm poſt annos quinque prædicationis ex Friſia rediiſſet, rurſus in eandem regionem profectum eſſe, nec ex ea reuerſum, quin diuino priùs admonitus oraculo diem ſibi mortis imminere reſciiſſet. Huic autem aſſertioni multùm repugnat quòd cùm opus prædicationis in Friſia *per annos quinque infatigabiliter* peregiſſet, *ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis coronam expectabat æternam*, vel, vt habet editio Henſcheniana, *cùm per aliquot annos ſanctæ prædicationis opus infatigabiliter peregiſſet, ad præfatum Fontinellæ Monaſterium ſeceſſit, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis, in manſione ſibi à fratribus præparata, coronam expectabat æternam.* Habet alios etiam næuos textus Surianus, quia ſancti Vulfranni mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum, Tranſlationem in annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimumnonum reiicit. Verùm illa de Tranſlatione ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quartum faciemus, atque ex eiuſdem Tranſlationis epocha non inualidum eruemus argumentum, vt ſanctum Vulfrannum hoc anno in cælum migraſſe comprobemus, oſtendamúſque pleroſque falli qui volunt eum in terris ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum vixiſſe. Interim ab anno Chriſti circiter ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo Gericus Epiſcopus Eccleſiam Senonenſem prudenter adminiſtrabat. Erat autem Gerico nepos Ebbo nomine, qui, quando auunculus in Epiſcopatum Vulfranno Frontanellam ſecedenti ſucceſſit, pueritiam agebat, & circa hunc annum, in quem prædicti Vulfranni mors incidit, Monachum in Cœnobio ſancti Petri Viui Senonis induit. Huius præclari viri primordia Clarius in ſuo Chronico ſic perſtringit. *Fuit ex Caſtro Tornodorenſi* * *natus, & eiuſdem pagi Comes & Dominus, à parentibus tamen diuinâ prouidente clementiâ literis ad imbuendum traditus, quibus, dante Deo, ſodales omnes, quos in ſcholis habebat, ſuperauit, & ſapientiâ & eloquentiâ præceſſit. Vbi autem parentibus orbatus eſt, ad regimen Caſtri & pagi, quod ſibi hæreditario iure competebat, adclamatus, latenter fugit, & in Monaſterio ſancti Petri Viui ſub Abbatis imperio Deo militauit.* Abbatis, qui Monaſterio tunc præerat, nomen interiit. Huic ſucceſſit ipſemet Ebbo, *in proceſſu* enim *temporum*, vt idem Chronographus proximè ſubiungit, *mortuo ipſius loci Abbate, Abbas factus eſt.*

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. I.

EBBO MONACHVS S. PETRI VIVI EX COMITE TORNODORENSI.

* *Tonnerre.*

AN. CH. 692. CLODDOVEI III. R. 1.

II. Willebrordus ex Italia nondum redierat, cùm Suibertus, vt Epiſcopus ordinaretur, è Friſia citeriore in Britanniam transfretauit. Annum, quo res geſta eſt, indicat Beda, nam poſtquàm rationes expoſuit, propter quas Willebrordus Romam profectus eſt, hæc proximè ſubiungit. [a]. *In quibus omnibus cùm ſui voti compos eſſet effectus, ad prædicandum rediit. Quo tempore fratres, qui erant in Freſia verbi miniſterio mancipati elegerunt ex ſuo numero virum modeſtum moribus & manſueto corde Suidbertum, qui ex eis ordinaretur Antiſtes; quem in Britanniam deſtinatum ad petitionem eorum ordinauit Wilfridus Epiſcopus, qui tunc fortè patriâ pulſus in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat Epiſcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro, ſed necdum Berthwaldo ſucceſſore eius, qui trans mare ordinandus ierat, ad Sedem Epiſcopatûs ſui reuerſo.* Anteà de Theodori Epiſcopi morte déque ſucceſſoris electione atque ordinatione ſic locutus fuerat [b]. *Anno poſt hunc, quo Ceadualla Romæ defunctus eſt, proximo, id eſt, ſexcenteſimo nonageſimo Incarnationis Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ Archiepiſcopus, ſenex & plenus dierum, id eſt, annorum octoginta & octo, defunctus eſt. Succeſſit autem Theodoro in Epiſcopatu Berechtwaldus, qui electus eſt quidem in Epiſcopatum anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, die primo menſis Iulÿ, regnantibus in Cantia Wichtredo & Suebhardo. Ordinatus autem anno ſequente, tertio die Kalendarum Iuliarum, Dominicâ, à Godwino Metropolitano Epiſcopo Galliarum, & ſedit in ſede ſua pridie Kalendarum Septembrium Dominicâ.* Currebat tum litera Dominicalis E.

a Lib. 5. c. 12.

SVIBERTVS ORDINATVR EPISCOPVS.

b Lib. 5. cc. 8. 9.

III. Erroris igitur redarguendus, qui Suibertinam Hiſtoriam deprauauit, & Suiberti ordinationem in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum reiecit. Suam autem narrationem, quæ multis in locis eget emendatione, ſic inſtituit. *Creſcente quotidie numero fidelium, prædicantibus cum magna deuotione præfatis prædicatoribus, cùm credentibus gratiam Baptiſmi quicumque ex eis erant Sacerdotali gradu præditi miniſtrarent, nec Eccleſias conſecratas haberent, ad quas populum conuerſum conuocare & diuina celebrare & complere poſſent, communi decreto omnium Confratrum & Neophytorum, duos ex eis in Epiſcopos conſecrandos elegerunt, qui populo Friſonico præeſſent verbo prædicationis, & Eccleſias dedicarent, & Ordines ſacros celebrarent, vtpote Sanctum Willebrordum, inter omnes merito præfulgentem, & Sanctum Swibertum virum corde manſuetum, Scripturis ſacris & Eccleſiaſticis diſciplinis apprimè inſtructum. Sanctus verò Swibertus ad Britanniam ſiue Angliam perrexit cum Acca & duobus Ewaldis cæteríſque nonnullis Neophytis, & ego Marcellinus cum eis. Venimus autem in conuentum Eboracenſem in Vigilia Sancti Laurentÿ pretioſi Martyris, à quo, & præcipuè à parentibus & amicis gratioſè recepti fuimus. Tandem tendentibus duobus Ewaldis Confratribus noſtris de licentia Sancti Swiberti versùs Hiberniam, promiſſione factâ vt nos ſequerentur ad Germaniam, quantò citiùs poſſent, migrauit Sanctus Swibertus nobiſcum ad Sanctum Wilfridum tunc Epiſcopum Merciorum, Sancto Egberto Archiepiſcopo Eboracenſi depreſſo graui infirmitatis incommodo, expoſuítque ei cauſam, quatenus ex petitione fratrum in Friſia ab eo Epiſcopus conſecraretur. Sanctus verò Wilfridus glorioſus Epiſcopus, vbi proſperatum ei opus Euangelÿ inter Friſones comperit, magno gaudio exultauit in Domino, eò quòd ſcintillam Orthodoxæ fidei ſuccenderat in mentibus multorum, & numerus credentium quotidie, ſpretis abominandis idolis, augmentaretur; atque ipſum cum magna lætitia & ſolennitate conſecrauit Epiſcopum in feſto Sancti Bartholomæi Apoſtoli, anno ſcilicet ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo-quinto, vocatis ad ſe in miniſterium ordinationis aliis duobus Epiſcopis. Quo conſecrato, dum remitteret ipſum, confortans & exhortans dixit Sanctus Wilfridus. Dilecte frater, nullus te labor aut maledicorum hominum linguæ & manus barbarorum deterreant, & noli timere eos, qui corpus occidunt, animum autem occidere non poſſunt, ſed omni inſtantiâ omníque feruore, quæ inchoaſti, Deo authore conſtanter perage, ſcis enim quòd magnum laborem maior æternæ retributionis gloria ſequetur. Et oſculans remiſit ipſum cum ſociis in miniſterium Dei, retento ſecum Accâ, dilecto Presbytero & conſocio noſtro, quem in Epiſco-*

Digitized by Google

pam Auguſtaldenſis ſiue Lindisfarnenſis Eccleſiæ conſecrauit. Sanctus verò Wille- AN. CH.
brordus eodem anno Pipinum Principem adiit, & cum illo longo tempore permanens 693.
detentus ab eo, tandem anno ſequenti Romam mittitur ad Sanctum Sergium Papam, CLODO-
vt ibidem ab ipſo Epiſcopus conſecraretur genti Friſonum. Quod ita, vt petierat, VEI III.
completum eſt ab Incarnatione Domini anno ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, anno R. I.
primo Leonis Imperatoris Romanorum. Sed Sanctus Swibertus ordinatus fuit anno
quarto Iuſtiniani piiſſimi Imperatoris. Ordinatus autem fuit Sanctus Willebrordus
in Eccleſia Sanctæ Cæciliæ Virginis & Martyris Archiepiſcopus Friſonum in die Na-
talis eiuſdem Virginis, ſcilicet Cæciliæ.

Primò falſum eſt, *communi decreto omnium Confratrum & Neophytorum, duos* IV.
ex eis, Willebrordum ſcilicet & Suibertum electos eſſe qui conſecrarentur
Epiſcopi, nam Willebrordus procul aberat, vtpote profectus in Italiam,
quò rurſum poſt triennium ſe contulit vt Epiſcopus ordinaretur.

Secundò, Swiberto in Britanniam abeunti comites perperam tribuun- V.
tur Acca, duo Ewaldi & Marcellinus. Lege quæ de illis iam ſcripta ſunt
ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum [a]. [a] Num. 4.

Tertiò, Wilfridus, qui Suibertum ordinauit Epiſcopum, non erat Mer- VI.
ciorum Epiſcopus, ſed *tunc fortè patriâ pulſus*, vt Beda ſuprà citatus teſta-
tur [b], *in Merciorum regionibus exulabat.* Lege quæ Tomo ſuperiore de illo [b] Lib. 5. c. 12.
dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodequadrageſimum [c]. [c] Num. 91.

Quartò, Egbertus malè vocatur Archiepiſcopus Eboracenſis. Hoc enim VII.
anno, quo Suibertus ordinatus eſt Epiſcopus, Eccleſiam Eboracenſem re-
gebat Boſa, vt aliâ occaſione ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum
octauum [d] probauimus. [d] Num. 92.

Quintò, Wilfridus Accam *in Epiſcopum Auguſtaldenſis ſiue Lindisfarnen-* VIII.
ſis Eccleſiæ non conſecrauit. Obiit Wilfridus *anno Imperij Hoſredi quarto*, vt
Beda [e] ſcribit, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo nono. *Suſcepit verò*, teſ- [e] Lib. 5. c. 20.
te eodem Auctore [f], *pro Wilfrido Epiſcopatum Haguſtaldenſis* (Marcellino Au- [f] Lib. 5. c. 21.
guſtaldenſis) *Eccleſiæ Acca Presbyter eius*, qui ſuperſtes in viuis erat anno
Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, cùm Beda Hiſtoriæ ſuæ finem im-
poſuit, hic enim vltimo capite ſui operis ſic diſſeruit de quatuor Epiſcopis,
qui totidem Diœceſes in Regno Nordanhumbrorum tunc adminiſtrabant.
Prouinciæ Nordanhumbrorum, cui Rex Ceolwf præeſt, quatuor nunc Epiſcopi Præ-
ſulatum tenent; Wilfridus (is cognomento Iunior vt à ſuperiore diſtinguatur)
in Eboracenſi Eccleſia; Edilwaldus in Lindisfarnenſi Eccleſia; Acca in Haguſtalden-
ſi Eccleſia; Pechtelmus in ea, quæ candida caſa vocatur, quæ nuper multiplicatis fi-
delium plebibus, in Sedem Pontificatûs addita, ipſum primum habet Antiſtitem.
Porrò, cùm Suibertus ordinatus eſt Epiſcopus, Diœceſes Haguſtaldenſis &
Lindisfarnenſis erant diſtinctæ. Tunc in Nordanhumbrorum Regno tres ſe-
debant Pontifices, Boſa, Ioannes & Eadbertus, Eboracenſi Eccleſiæ præerat
Boſa, Ioannes Haguſtaldenſi, Lindisfarnenſi Eadbertus. *Anno Dominicæ In-*
carnationis ſeptingenteſimo-quinto, vt idem Beda [g] teſtatur, *Alfridus Rex Nor-* [g] Lib. 5. c. 19.
danhumbrorum defunctus eſt. Succeſſit Oſredus eius filius. Mox rediit ab exi-
lio Wilfridus, & *in Epiſcopatum Haguſtaldenſis Eccleſiæ* receptus eſt [h] tranſla- [h] Beda l. 5. c. 3.
to Eboracum Ioanne, qui Boſæ nuperrimè mortui locum teneret. Wilfri-
do ſuperuixit Ioannes, qui *cùm præ maiore ſenectute minùs Epiſcopatui adminiſ-*
trando ſufficeret, ordinato in Epiſcopum Wilfrido (is cognomento Iunior) *Pres-*
bytero ſuo, ſeceſſit ad Monaſterium quod dicitur in ſylua Deirorum, ibíque vitam Deo
dignâ conuerſatione compleuit [i]. Wilfridus autem Iunior in viuis ſuperſtes erat [i] Beda l. 5. c. 6.
anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, vt dictum eſt ſuprà. En igi-
tur catalogus Epiſcoporum Eboracenſium, Haguſtaldenſium & Lindisfar-
nenſium, quorum mentio in Hiſtoria Bedæ reperitur. Eccleſiam Eboracen-
ſem rexerunt, Paulinus, Cedda; Wilfridus Senior, Boſa, iterum Wilfri-
dus Senior, iterum Boſa, Ioannes, Wilfridus Iunior. Eccleſiæ Lindisfar-
nenſi præfuerunt, Eata, Cudbertus, Wilfridus, Eadbertus, Edilwaldus.

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 1.

Eccleſiam Haguſtaldenſem adminiſtrarunt, Tumbertus, Cudbertus, Eata, Ioannes, Wilfridus, Ioannes iterum, iterum Wilfridus, Acca. Ergo hic Acca nec ordinatus fuit Epiſcopus à Wilfrido, nec Epiſcopus *Haguſtaldenſis ſiue Lindiſfarnenſis* dici debet, quia ſeparatæ erant Diœceſes Haguſtaldenſis & Lindisfarnenſis, nec ab vno gubernabantur Antiſtite. Prædictorum Epiſcoporum accuratam ſeriem aliâ occaſione iam edidimus [a].

a Ad an. 638. n. 91.

IX. Sextò, Suibertus non ordinatus fuit Epiſcopus *anno quarto Iuſtiniani piiſſimi Imperatoris*, ſed anno eiuſdem Imperatoris octauo, vt patet ex iis, quæ de eodem Iuſtiniano ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum [b] iam dicta ſunt.

b Num. 5.

X. Beda [c], cur Suibertus in Merciorum regionem ad Wilfridum illic exulantem profectus ſit vt ab eo Pontifex ordinaretur, rationem hanc affert, quòd *eo tempore non habebat Epiſcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro, ſed necdum Bertwaldo ſucceſſore eius, qui trans mare ordinandus ierat, ad Sedem Epiſcopatûs ſui reuerſo.* Hic Bertwaldus, vt idem Auctor teſtatur [d], *electus eſt quidem in Epiſcopatum anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, die primo menſis Iulij, regnantibus in Cantia Wichtredo & Suebhardo. Ordinatus autem anno ſequente, tertio die Kalendarum Iuliarum, Dominicâ, à Godwino Metropolitano Epiſcopo Galliarum.* Hic autem Godwinus, quem Beda Metropolitanum Epiſcopum Galliarum vocat, non alius eſt ab Epiſcopo Lugdunenſi, quem Nomenclatores Gudinum, Goduinum, Godinum & Gadinum appellant ſufficiúntque Lebuino cuius mentionem ante triennium fecimus.

c Lib. 5. c. 12. GODWINVS EP. LVGDVN. d Lib. 5. c. 9.

XI. In Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum, Beda capite duodecimo libri quinti, duas Willebrordi profectiones in Italiam diſtinguit. A priore ſic ipſum caput orditur. *Primis ſanè temporibus aduentûs eorum in Freſiam, mox vt comperit Wilbrordus datam ſibi à Principe* Pipino *licentiam ibidem prædicandi accelerauit venire Romam, cuius Sedi Apoſtolicæ tunc Sergius Papa præerat.* Et paucis interiectis addit Willebrordum eo rediiſſe tempore, quo Suibertus in Britanniam transfretauit, vt à Wilfrido Pontifex conſecraretur. *Cùm ſui,* inquit, *voti compos eſſet effectus, ad prædicandum rediit. Quo tempore fratres, qui erant in Freſia verbi miniſterio mancipati, elegerunt ex ſuo numero virum modeſtum moribus & manſueto corde Suidbertum, qui eis ordinaretur Antiſtes. Quem Britanniam deſtinatum ad petitionem eorum ordinauit Reuerendiſſimus Wilfridus Epiſcopus.* Poſteriorem Willebrordi profectionem poſteà ſic deſcribit. *Poſtquàm verò per annos aliquot in Freſia, qui aduenerant, docuerunt, miſit Pipinus, fauente omnium conſenſu, virum venerabilem Wilbrordum Romam, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, poſtulans vt eidem Freſonum genti Archiepiſcopus ordinaretur. Quod ita, vt petierat, impletum eſt anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto.*

WILLEBRORDVS REDIT EX ITALIA.

XII. Vnam tantùm Willebrordi profectionem in Italiam, vt Epiſcopus ordinaretur, in eius vita commendauit Alcuinus. De illa quoque ſola ſermonem habet Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ, cui ſi fides eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto Suibertus, vt Pontifex conſecraretur, in Angliam tranſiit, Willebrordus verò perrexit ad Pipinum Maiorem-domûs, à quo Romam miſſus eſt anno ſequenti, remeauítque in Friſiam anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo, cùm Suibertus Euangelium in ea regione viciníſque locis *per annum & multò ampliùs* poſt ſuum è Britannia reditum iam prædicaſſet. At teſte Bedâ Suibertus ordinatus eſt Epiſcopus hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, eodémque tempore Willebrordus in Friſiam reuerſus eſt ex Italia, quam alterâ vice poſt triennium adiit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum dicturi ſumus.

XIII. Regnante Clodoueo, lucis vſuram accepit Sancta Bilhildis, cuius vitam ex Breuiario Moguntino Surius [e] & Serarius [f] publicarunt. Initium tale eſt.

e d. 27. Nou. f Lib. 2. rer. Mogunt. c. 30. BILHILDIS NASCITVR.

Digitized by Google

AN. CH. 693. CLODOVEI III, R. I.

Tempore, quo Clodoueus Francorum potiretur imperio, fuit in Orientali Francia oppido Hocheimio vir clariſſimus, Iberimus nomine, qui ex Mechtrida coniuge ſua, Bilhildem filiam ſuſcepit. Quâ ætate cùm in Gallia atque Germania gentilium etiamnum ſuperſtitio apud pleroſque vigeret, parentes beatæ Bilhildis occultè Chriſtianorum ſacris fauebant. Quo factum eſt, vt in ipſis infantiæ annis filia Wircenburgum delata, ibidem Catechumena quidem facta ſit, ſed Baptiſmum tamen non conſecuta. Cetera ſuis locis perſequemur. Serarius anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo viceſimo quarto vitam illam notis illuſtrauit, quas duobus capitibus [a] complexus eſt. Placet hîc eas exſcribere quæ textui ſuprà recitato lucem afferre & auctoritatem conciliare poſſunt. *Extat*, inquit, *in eius*, nempe ſanctæ Bilhildis, *Monaſterio manu ſcriptus pergamenus liber, quo eiuſdem vita refertur copioſiſſimè, linguâ quidem Germanicâ, ſed vetuſtiore, quàm quæ Moguntinis hodie vernacula. Manus autem & exſcriptio centum ſolummodò annorum eſt, cùm illa in fine notetur Abbatiſſæ ſtudio ac iuſſu facta anno Domini* CIↃIↃV. *Auctor aſſcriptus nullus, qui ſe tamen fuiſſe indicat poſt Dom. annum* CIↃCCXLII. *cùm de mutatione, quæ in Cœnobio tum facta eſt, loquitur quaſi de re quam non viderit, quæque antiquior ſit, citátque interdum vetuſtiores rerum, quæ ad Cœnobium illud ſpectant, commentarios. In ea verò vita ſcribitur, 1. Patrem S. Bilhildis vocatum fuiſſe Iberium, matrem Mathildim, ſummæ vtrumque nobilitatis, qui ad Mœnum arcem, fundos, & dominatum peramplum habuerint in loco, qui Wirtzburgo non procul eſt, & vrbs tunc erat vocata Hocheimum. 2. Ex his natam primogenitam S. Bilhildin, tum ſorores duas alias Hildegardin & Reinhardin; omnes à Chriſtianis boniſque parentibus Chriſtianè ac benè educatas; voluiſſe ſuam omnes virginitatem Chriſto Domino dicare, & poſteriores quidem duas dicaſſe, ſanctam verò Bilhildin maioris cuiuſdam boni ſpe ad nuptias impulſam fuiſſe, prout infrà tangetur. 3. Eandem adhuc tenellam infantulam ad propinquam Wirceburgenſem Dominam ac Ducem à parentibus, cùm iſta id peteret, miſſam fuiſſe, & ibidem baptizanda cùm eſſet, baptizatam tamen ob cauſſam, quæ ignoratur, non fuiſſe.*

[a] Lib. 2. rer. Mogunt. cc. 31. 32.

XIV.

EPISCOPI MOGVNTINI.

Bilhildi fuit Auunculus, nomine Sigebertus, qui Pontificatum Moguntiacenſem gerebat, cùm illa marito ſuo ac prole extinctis Moguntiam commigrauit, vt Auctores iam laudati teſtantur. In catalogis Epiſcoporum Moguntiacenſium deſideratur hic Sigebertus. Nam poſt Lupoaldum, qui Concilium Remenſe cum aliis Epiſcopis anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto celebrauit [b], ſequitur Richbertus, tum Geroldus, qui, prout Serarius libro ſecundo [c] rerum Moguntiacarum ſcribit, *Carolo Martello, eiúſque poſteà filio Carlomanno Francis imperante*, id eſt, Maioratum Regiæ domûs gerente, *Moguntinam inſedit Cathedram*. Serarius [d] Richbertum à Sigeberto non diſtinguit. Vt vnum faciliùs è duobus conflet, Richbertum in Rigbertum & Sigebertum in Sigbertum primò deflectit, deinde vt è Sigberto Rigbertum aut contrà Sigbertum è Rigberto effictum perſuadeat, obſeruat ex Ponto Heutero [e] Zeigenberthum olim vocatum, qui poſteà Sigenberthus nominatus, & propter ſimilitudinem literarum Z & R facilem eſſe migrationem ex vna in alteram, addítque etiamnum hodie in vſu eſſe quædam germanorum dialectos, quæ literas R & S permutent, vt dum pro *frieren*, id eſt, gelare, dicunt Weſtphali *frieſen*. At cùm poſt Concilium Remenſe, donec Carolus Martellus ſibi Maioratum Regiæ domûs arrogaret, effluxerint anni nonaginta, rectè Sigebertum alium à Richberto conſtitues, & ſpatium annorum nonaginta commodè partieris in tres Pontificatus, Lupoaldi videlicet qui Præſulatum paulò ante Synodum Remenſem ſuſcepit, Richberti qui Pontificatum poſt eundem Lupoaldum geſſit, & Sigeberti quem Bilhildis ex ſorore neptis poſt obitum ſui mariti ſuæque prolis adiit. Anni, quibus extincti ſunt Lupoaldus & Richbertus, probè ſciri non poſſunt. Nihil autem repugnat, quominùs ſub Clodoueo Tertio, cùm Bilhildis nata eſt, Sigebertus in Epiſcopali Cathedra ſediſſe cenſeatur. De

[b] Flodoard l. 2. cap. 5.

[c] Cap. 20.

[d] Lib. 2. rer. Mogunt. c. 19.

[e] Cap. 3. de Orig. Habſpurg.

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 1. illo recurret ſermo. Falluntur qui Richbertum Moguntiacenſem Epiſcopum, Sigeberti deceſſorem, cum Rigoberto Epiſcopo Remenſi confundunt. Ætas refragatur.

XV. Apud Miræum in Natalibus Sanctorum Belgij, *quarto Calendas Maij* recolitur *Eleuatio* Sancti Amati *per Bainum* Taruannenſem Epiſcopum *facta*. Ex diei Charactere Eleuationem illam ſeu Tranſlationem hoc anno, qui prædictus fuit literâ Dominicali E, factam colligimus. Sanctus Amatus Senonenſis quondam Epiſcopus, cuius obitum ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum ex libro argenteo manuſcripto Duacenſis Eccleſiæ retulimus, ſepultus fuit primùm à Mauronto *in Eccleſia Sancti Petri apud Menriuillam*, poſteà tranſlatus eſt in aliam Eccleſiam propinquam, *quam*, vt prælaudatus liber habet, *in honore ipſius Sancti Epiſcopi*, vel, vt Georgius Coluenerius in notis ad Chronicon Cameracenſe ex Lectionario manuſcripto prædictæ Duacenſis Eccleſiæ reponit, *quam in honore Dei Genitricis Mariæ & ipſius Sancti Epiſcopi, idem Maurontus fabricari fecit & dedicari.* Tranſlationem illam, de qua nunc agimus, Ioannes Buzelinus, in Annalibus Gallo-Flandriæ ſub finem libri ſecundi ſic deſcribit. *Mauronto vitam intra Broylenſis Monaſterij ſepta ducenti de cælo ſignificatur, ſancti Amati corpus in eam, quam recens ædem ſtruxerat, deportandum eſſe, ibique collocandum honorificè. Quòd ergo dignitate ac virtute conſpicuo viro ad eam rem opus eſſet, Bainum Taruannæ Morinorum Pontificem orat, vt operam præſtet eam, ad cuius Epiſcopatum pertinebat Menriuilla, ſiue, vt alij volunt, Minariacum, intra cuius fines ſitum erat Aſceterium Broylenſe. Non cunctatur ille Menriuillam iter capeſſere; ibi quantâ poteſt pompâ delatum è veteri loco Diui Amati corpus nouâ ſede collocat. Ac tunc quanti Amatum faceret, Chriſtus Ieſus eo maximè tempore patefecit, cùm ſe videndum pleriſque feſtiuitatem celebrantium præbuit, palàm multis Angelorum circumfluentibus. Simúlque vis ingens ſanandi permultis auxilio fuit, reddita enim lux cæcitate damnatis, ſolata contractorum membra, patefactæ ſurdorum aures.* Minariacum à Menriuilla diſtinguendum ſuprà monuimus [a].

TRANSLATIO S. AMATI.

[a] Ad an. 686. n. 51.

XVI. Hic annus, qui poſt Chriſtum natum ſexcenteſimus nonageſimus-tertius numeratur, partim cum anno primo Clodouei Regis, partim cum anno ſecundo componitur, ad quem illorum pertineat menſis Iunius huius anni, non liquet; quia menſis ignoratur quo Clodoueus regnare cœpit. Quicquid ſit; die viceſimâ quintâ Iunij vel hoc anno vel ſequenti, cùm annus ſecundus Clodouei Tertij Regis numerabatur & Papolenus Abbas Cœnobiis Malmundarienſi ac Stabulenſi præerat, ab eodem Clodoueo emiſſum eſt hoc Regale Præceptum, quod è Tabulario Stabulenſi Godefridus Henſchenius in Diatriba [b] de tribus Dagobertis publicauit. *Chlodoueus Rex Francorum illuſtri Aerico Duci & Charievio Comiti. Quoties inter anteriorum Regum Celſitudinem & Congregationem ſanctam Monachorum per inſtrumenta chartarum de qualibet re facta fuerit commutatio, oportet ſcripturarum ſeriem inter partes per noſtram Præceptionem conuenire. Ideo vir Apoſtolicus Dominus & Pater noſter Papolenus Epiſcopus Clementiam Regni noſtri ſuggeſſit, eò quòd Domnus noſter & Auunculus*, id eſt, Patruus, *Childericus quondam Rex vnà cum anteceſſore ſuo Domno Remaglo Epiſcopo quondam vel ſuis Monachis, vbi ipſe ad Monaſteria Malmunderio & Stabulao cuſtos eſſe videtur, locella aliqua commutaſſent. Vnde accepit pars Domni & Auunculi noſtri Childerici quondam Regis locellum, cui nomen Athetaſis, cum hominibus ibidem commanentibus, & omne peculiare eorum vel terras eorum, quas excolere videntur, his nominibus, Radefrido cum nepotibus ſuis, Berthramno, Giſloberto, Aganulfo, item Radefrido, Sigofrido, Rigoberto. Proipſa re in commutatione ipſe Pontifex accepit de fiſco noſtro locellum, qui dicitur Maipa cum hominibus ibidem commanentibus, his nominibus, Adolino, Altone, & Winſgario, cum terris, quas excolere videntur, & omne peculiare eorum, vt hæc pars ipſi Pontifici & ſuis Monachis in perpetuo tempore debeant permanere. Vnde & commutationem ipſius Principis etiam ſuis manibus roboratam nobis in præſenti oſtendit re-*

PRÆCEPTUM PRO MON. STABULENSI ET MALMUND.

[b] Lib. 2. c. 18.

Digitized by Google

legendam. Quod pro firmitate ſtuduimus petitiones eorum pleniùs circa ipſa Monaſteria vel Congregationem ſanctam confirmari Præceptum. Cui nos hoc beneficium præſtitiſſe vel confirmaſſe & in omnibus conceſſiſſe cognoſcite. Præcipientes enim, vt quidquid conſtat per inſpectam ipſam commutationem ipſius Principis iuſtè & rationabiliter inter ipſum & glorioſum Domnum Remaglum iam dictum Pontificem fuit commutatum aut concambiatum, tam terris, curtibus, caſis, campis, pratis, ſyluis, aquis, aquarúmue decurſibus, mancipiis, ædificiis, vel reliquis rebus atque corporibus, Domnus & Pater noſter Papolenus Epiſcopus ad partem iam dicta Monaſteria Malmundario & Stabulaco per noſtrum Præceptum pleniùs confirmato perennis temporibus habeat confirmatum atque indultum. Et vt hæc Præceptio noſtris & futuris temporibus firmiorem obtineat vigorem, manûs noſtræ ſignaculo ſubter eam decreuimus adfirmare. Signum Chlodouei Regis. Data quando fecit menſis Iunius dies XXV. *anno* II. *Regni noſtri. Namucho recognoui.* AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. I.

XVII. In hoc Clodouei Præcepto Papolenus *vir Apoſtolicus* & *Epiſcopus* appellatur. Ordinatus enim eſt Epiſcopus, non quidem vt certam ac determinatam Diœceſim regeret, ſed vt Euangelium gentibus prædicaret. Similia iam occurrerunt inferiúſque occurrent exempla. Non deſunt, qui corpus Sancti Symmetrij Martyris Româ in Galliam Belgicam ab hoc Abbate Papoleno delatum tradant, ſed illam Tranſlationem antiquiori Papoleno, qui Sancto Remaclo ſynchronus vixit, adſcribendam putamus, vt Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum diximus.

XVIII. Ad Clodoueum Regem his circiter temporibus contulit ſe Claudius Abbas Iurenſis, vt in illius vita teſtatur Anonymus apud Chifflетium [a] his verbis. *Videns beatiſſimus Pater in dicto Monaſterio magnum Monachorum numerum, diſpoſuit recuperare oblationes olim dicto Monaſterio per Reges & Principes factas. Vnde primò huius rei cauſâ perrexit Pariſios ad Regem Clodoueum, cuius prædeceſſores (Reges ſcilicet Burgundiæ & Franciæ) dona ſeu penſiones largiſſimas prædicto obtulerant Monaſterio. Apud dictum Regem ipſa dona ſeu penſiones repetiit; qui Rex benignè confeſſus eſt ſe debere, & ſoluere teneri dicto Monaſterio & fratribus ibidem Deo deſeruientibus, pro ſupplemento victûs & veſtitûs dictorum fratrum, ſummam quinquagintà modiorum tritici & quinquaginta modiorum horrei & quinquaginta librarum denariorum argenti. Deum teſtor, quòd ego propriis oculis vidi & legi in Archiuis dicti Monaſterij inter alias chartas vnam, diuerſis ſignis & characteribus ſignatam, ſuper dictas ſummas confectam, ſic incipientem. Clodoueus Francorum Rex, omnibus præſentem paginam lecturis, ſalutem. Acceſſit ad nos vir Venerabilis Claudius, &c. Et non ſolùm Monachis, qui tunc in ipſo Monaſterio in magno numero erant, neceſſaria adminiſtrabat, verùm etiam pauperibus Chriſti & omnibus aduentantibus alimenta ſufficienter diſtribui faciebat. Non eſt noſtrum enarrare, quatenus vir ipſe beatiſſimus ipſum Monaſterium augmentauit. Nam ſi de temporalibus libeat fieri ſermonem, Eccleſias ipſius Monaſterij muniuit pretioſiſſimis indumentis, vaſis, Crucibus, & candelabris aureis & argenteis, libris decentiſſimis, pannis ſericis. Sanctorum verò Reliquias repoſuit in capſis argenteis, lapidibus pretioſis adornatis; Monaſterium & domos ipſius ædificiis decenter reparauit & auxit, iura alienata recuperauit. In ſpiritualibus verò dici non poteſt, quantùm Monaſterium auxerit. Nam libri Sermonum eius, redditi fratribus, ex quibus cognoſci poteſt, qualis in doctrina fuerit, ſed inſuper ex Scripturis ipſius Monaſterij, & potiſſimè beati Ruſtici (qui ſub beato viro in Monaſterio officio Prioris clauſtralis functus, poſt ipſum Abbas extitit) poteſt videri, quales fratres ſub ipſo Sancto fuerint. Patrator verò miraculorum fuiſſe dignoſcitur, de quibus extant libri conſcripti.* Agemus de illius obitu ad annum quartum Childeberti Regis, qui poſt Clodoueum fratrem regnauit. Lege quæ de Claudij ætate dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum [b].

[a] In Veſontion. part. 2. c. 14.

CLAVDIVS ABB. CONDATESCENS. ADIT CLODOVEVM R.

[b] Num. 27.

XIX. Godefridus Henſchenius in Commentario præuio [c] vitæ Sancti Sigiberti Regis Auſtraſiorum & in Exegeſi [d] de Genealogia Regum Dagobertinorum, ad hunc vſque annum vitam Regnúmque Theodorici Tertij pro-

[c] D. 1. Febr.

[d] Num. 15.

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 1.

rogat, ad annum verò ſequentem in Diatriba [a] de tribus Dagobertis. Haud ita variat in anno, quo Clodoueus Tertius obiit, vbique enim conſtantiſſimè ſcribit hunc anno Chriſti duodeſeptingenteſimo interiiſſe. Longè aliam inimus Chronologiam, nam Clodoueo Tertio duos duntaxat annos in Principatu tribuimus, eóſque ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum numeramus. Argumenta, quibus nitimur, expoſuimus anno ſuperiori, quo mortem Theodorici Tertij conſignauimus; rationes, quas Henſchenius opponit, hoc loco diluemus.

[a] Lib. 2. c. 17.

HENSCHENII CHRONOLOGIA REFELLITVR.

XX. Vt ad hunc vſque annum, à Chriſto nato ſexcenteſimum nonageſimum-tertium, vitam Regnúmque Theodorici Tertij perducat, non eodem ſemper modo ratiocinatur. In Commentario præuio vitæ ſancti Sigiberti citat Annales Metenſes, & Hiſtoriam Francorum, iuſſu Childebrandi, conſcriptam; obſeruat in prædictis Annalibus pugnam ad Textricium anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo referri, tertio pòſt anno mortem Theodorici Regis conſignari; obſeruat apud Anonymum [b], qui prædictam Francorum Hiſtoriam exarauit, Theodoricum annis regnare quatuordecim, eóſque auſpicatur ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, quo Childericum Secundum ex hac vita ſublatum affirmat. In Exegeſi de Genealogia Regum Dagobertinorum, omiſſis Annalibus Metenſibus, ſolam Francorum Hiſtoriam ſuprà memoratam ex Codice manuſcripto Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ allegat, annóſque Regni ſeptemdecim, quos ille Codex Theodorico Tertio tribuit, numerat à morte Clotarij Tertij, quam arbitratur in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſextum incidiſſe. Sic enim ibi ſcribit de Theodorico Tertio. *Regnauit, vt ait Auctor Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi conſcriptæ (ſecundùm veriſſimam lectionem Codicis M S. qui olim Petauij fuit, nunc eſt Sereniſſimæ Chriſtinæ Sueciæ Reginæ) annis* XVII, *à morte Clotarij fratris primogeniti numerandis.*

[b] Cap. 101.

XXI. In refutanda Metenſis Annaliſtæ Chronologia non immorabimur. Id enim iam præſtitimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, quo pugnam ad Textricium commiſſam antiquiores Auctores produnt. Anonymus, qui manum calamo iuſſu Childebrandi Comitis admouit, Hiſtoriam Francorum exorſus eſt à cæde Dagoberti Secundi Regis, & ab illa nece, quam anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo illigauimus, ad obitum vſque Childeberti Tertij, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo mortuum veteres Annaliſtæ teſtantur, annos recenſuit vnum ac triginta, quos in partes tres ita diuiſit, vt quatuordecim Theodorico, quatuor Clodoueo, Childeberto tredecim aſſignarit. Nuſquam igitur annos Regni, quos Theodorico Tertio tribuit, vel à nece Childerici Secundi, vel à morte Clotarij Tertij numerauit, nec, ſi numerauit, annos ſcripſit, aut quatuordecim vt editiones vulgatæ retinent, aut ſeptemdecim vt Codex Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ reponit. Nam nec anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto Clotarius Tertius, nec anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono Childericus Secundus interiit. Clotarius Tertius è viuis ſublatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo, Childericus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio vitam clauſit. Vtrumque Tomo priore comprobatum.

XXII. Integro ſexennio Henſchenium in obitu Dagoberti Magni præuertimus. Ex textu Fredegarij, de cuius computatione non conuenimus, enatum diſſidium. Apud Fredegarium [c] Dagobertus regnat annis ſexdecim, quos Henſchenius auſpicatur à morte Clotarij Secundi, nos ſexennio citiùs à die quo Dagobertus ab eodem Clotario patre Rex Auſtraſiæ conſtitutus eſt. Poſt Dagobertum Magnum regnauit Clodoueus Secundus, tum Clotarius Tertius. Plerique, quos Henſchenius ſequitur, Clodouem aiunt annis duodeuiginti regnaſſe, ſed vt eos conciliare poſſemus cum Anonymo, qui vitam

[c] Cap. 79.

Digitized by Google

vitam ſanctæ Bathildis in literas retulit, & annorum ſeptemdecim ſpatio AN. CH.
Principatum Clodouei circumſcripſit, annos octodecim interpretati ſumus 693.
incompletos. Atque inde aucta rurſum diſcrepantia, quæ, cùm priùs annorum ſex eſſet, deinceps fuit annorum ſeptem in obitu cùm Clodouei Secundi, tum Clotarij Tertij. Nam iuxta noſtros calculos Clodoueus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, Clotarius Tertius anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono, iuxta computationem Henſchenianam Clodoueus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo, Clotarius Tertius anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto moriuntur. Iam verò, ſi mors Clotarij Tertij conſignatur anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono, vt verè conſignanda eſt, eique Theodoricus frater, vt Henſchenius ex Codice Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ contendit, ſuperſtes annis ſeptemdecim vixit, obitus eiuſdem Theodorici cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto coincidit. Id autem à vero prorſus alienum, Theodoricus enim pugnæ Textricianæ ſuperfuit, quæ commiſſa eſt anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, vt probatum ſuprà. Corruit igitur argumentum, quod Henſchenius deſumpſit ex Codice Reginæ Sueciæ.

CLODOVEI III. R. I.

XXIII. Clotario Tertio ſucceſſit in Burgundiam & Neuſtraſiam Childericus frater ab aliquot annis Rex Auſtraſiæ iam conſtitutus. Super annorum numero, quos Childericus Secundus in Burgundia & Neuſtraſia regnauit, cum Henſchenio non conuenimus. Hic enim Clotario Tertio Childericum fratrem triennio tantùm, nos quadriennio ſuperſtitem conſtituimus auctore Vrſino coætaneo, qui vitam ſancti Leodegarij ſcripſit. Abhinc diſſidium, quod inter nos & Henſchenium ſeptem annorum fuerat ab obitu Clodouei Secundi, denuò factum eſt annorum ſex vt erat anteà, mortem enim Childerici Secundi, quam Henſchenius in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum reiecit, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio illigauimus. Porrò Theodoricus Tertius, ſi poſt annum illum à Chriſto nato ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium, quo Childericus Secundus extinctus eſt, annos vixit quatuordecim, vt Henſchenius ex vulgatis exemplaribus Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ colligit, obiit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, quo pugnatum ad Textricium. Pugnæ autem Textricianæ, vt omnes conſentiunt, ſuperfuit aliquot annis Theodoricus. Ergo Anonymus in Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, cùm annos Regni quatuordecim Theodorico tribuit, eorum initium aliunde quàm à morte Childerici Secundi deducit. In Geſtis [a] Regum Francorum, poſt Childericum Secundum regnat Theodoricus Tertius annos vndeuiginti, tum Clodoueus Secundus annos duos, deinde Childebertus Tertius annos ſeptemdecim. Eo calculo à morte Childerici Secundi ad obitum vſque Childeberti Tertij numerantur anni duodequadraginta. Noſtræ Chronologiæ nihil conuenientius excogitari poteſt, quia Childericum Secundum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio mortuum aſſerimus, & Childeberti Tertij mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum veteres Annaliſtæ coniiciunt. Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi ſcribendam ſuſcepit, annos vnum ac triginta colligit ab exordio ſuæ lucubrationis ad obitum vſque Childeberti Tertij, ſuum enim opus orditur à morte Dagoberti Secundi, ſiue ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, quo Theodoricus Tertius de Dagoberto Secundo triumphauit, & vniuerſâ Francorum Monarchiâ potiri cœpit. In Geſtis igitur Regum Francorum, Theodoricus Tertius, cùm poſt Childerici Secundi mortem annos vndeuiginti regnat, vitam cum morte commutat anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, & in Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, cùm vniuerſam Francorum Monarchiam per annos quatuordecim obtinet, moritur anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, itaut Henſchenius, ſi Theodoricum Tertium anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio mortuum pertinaciùs aſ-

[a] Capp. 49. 50.

AN. CH. firmet, in ſua cauſa neutro iſtorum computorum vti poſſit.

693. CLODOVEI III. R. I.

XXIV. In Diatriba [a] de tribus Dagobertis, idem Henſchenius, vt Theodorici Tertij mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum differat, allegat Chronicum Vedaſtinum, Albericum & epitaphium ipſiuſmet Theodorici, ſed his omiſſis, quorum auctoritas penè nulla eſt, opinionem ſuam validiùs confirmaſſet ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, quæ Theodoricum Monarchiâ Francorum per annos quatuordecim potitum teſtatur. At cur hoc loco Geſta Regum Francorum, quæ Theodoricum poſt Childericum fratrem annis vndeuiginti regnaſſe tradunt, Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ præferenda ſint, expoſuimus anno ſuperiori, cùm de Theodorici Tertij morte verba fecimus.

[a] Lib. 2. c. 17.

XXV. Henſchenius, vbi Theodoricum Tertium anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio mortuum putauit, Clodoueum eius filium quinquennio regnaſſe ſcripſit, vbi verò Theodoricum anno Chiſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto mortuum cenſuit, Clodoueum eius filium quadriennio regnaſſe dixit, & ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto Theodoricum ex hac vita ſublatum ſentiret, Clodoueum Tertiùm anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-octauo mortuum conſtantiſſimè pronuntiauit. Auctores in vtramque opinionem citat. Pro Clodouei quinquennio in Commentario præuio vitæ Sancti Sigiberti profert breuiſſimum Chronicon à Clotario Secundo Rege ad Pippini vſque mortem ab Andrea Ducheſnio [b] ex Codice Tiliano publicatum, in quo de Clodoueo Tertio hæc leguntur. *Clodoueus regnauit annos* IV. *obiit in* V. Profert & Annales Metenſes, in quibus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium mors Theodorici Tertij commemoratur, tum commendatur eius filius ac ſucceſſor Clodoueus, quòd *dum quartum annum in Regno compleuiſſet, innocentem vitam finiuit.* Pro Clodouei quadriennio, in Diatriba [c] de tribus Dagobertis Hiſtoriam iuſſu Childebrandi ſcriptam allegat, in qua Clodoueus annos quatuor regnaſſe dicitur. At ſtandum nobis videtur à Geſtis Regum Francorum, quæ Clodouei Regnum vltra biennium non extendunt, vt obſeruatum anno ſuperiori, quo Clodoueus Theodorico Tertio patri ſucceſſit.

[b] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

[c] Lib. 2. c. 18.

XXVI. Ex prædictis obiter nota quid diſcriminis inter Chronologiam noſtram & Henſchenianam poſt Childerici Secundi mortem intercedat. Diſcrepantia, quæ ſex annorum fuit in morte Childerici Secundi, vnius tantùm eſt anni vel annorum duorum in obitu Theodorici Tertij, deinde quatuor annorum in obitu Clodouei Tertij, tandem in obitu Childeberti Tertij penitus tollitur. Ad annum enim Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum, quo Childebertus Tertius obiit, in gratiam cum Henſchenio redimus poſt diuturnum diſſidium, quod anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo ab obitu Clotarij Secundi cœpit. Hæc autem ſtudioſiùs inueſtiganda duximus, vt ſcias non tantùm quot annos ſinguli Reges regnarint, quamuis id maximi momenti ſit, vt res geſtæ ſuis locis optimè collocentur, ſed etiam quot annos ſinguli vixerint. Super ætate enim Dagoberti Tertij, cuius obitus in annum Chriſti decimum-quintum ſupra ſeptingenteſimum incidit, grandis ad illum annum quæſtio mouebitur, quia Theodoricum Quartum ſeu Kalenſem, quem Dagoberti Tertij filium agnoſcimus, Henſchenius Dagoberti Secundi filium dicit, additque Dagobertum Tertium rebus humanis exemptum fuiſſe, cùm cælebs eſſet & adhuc impubes.

XXVII. CHARTÆ REGIÆ PRO MONASTERIO S. ARNVLPHI. Inter monumenta inſignis Monaſterij prope muros Metenſes ſiti, in quo beatus Arnulphus Metenſis quondam Epiſcopus à Goerico ſucceſſore tumulatus fuit, occurrit Indiculus chartarum, quas in gratiam eiuſdem Cœnobij Reges Francorum emiſerunt. Tres enumerantur à totidem Regibus è ſtirpe Merouingica datæ, à Clodoueo videlicet, à Dagoberto & à Chilperico. Verùm, cùm tres regnauerint Clodouei, totidemque Dagoberti,

Digitized by Google

neс pauciores Chilperici, quinam ex illis auctores prædictarum chartarum fuerint, manet inueſtigandum. Andreas *Valladier*, Abbas prælaudati Monaſterij, quæſtionem iam mouit ſoluítque in lucubratione [a], cui titulus, Auguſta Baſilica Sancti Arnulphi, reiectíſque aliis Regibus æquiuocis tres chartas, de quibus inquirimus, editas pronuntiauit, vnam à Clodoueo Tertio, alteram à Dagoberto Clodouei Tertij nepote ex Childeberto fratre, tertiam à Chilperico eiuſdem Dagoberti proximo ſucceſſore. Corpus Sancti Arnulphi in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum collocatum eſt anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſecundo, cùm duo regnabant filij Dagoberti Magni, Sigibertus Tertius apud Auſtraſios, apud Neuſtraſios & Burgundiones Clodoueus Secundus. E viuis ab anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quarto iam exceſſerat Chilpericus Primus, auus Dagoberti Magni. Vitam quoque anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo clauſerat Chilpericus Secundus, Dagoberti Magni nepos ex Chariberto fratre. Quapropter Chilpericus Rex, qui beatum Arnulphum in Baſilica Sanctorum Apoſtolorum iam quieſcentem laudat in ſuo Diplomate, cenſeri non debet alius à Chilperico Tertio, qui Monarchiam Francorum poſt Dagobertum Tertium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ad annum vſque Chriſti DCCXXI. per annos quinque cum dimidio tenuit. Haud ita facilè de Clodoueo déque Dagoberto iudicium ferri poteſt, quia beati Arnulphi Reliquiis in Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum prope Metas iam delatis Auſtraſiâ potiti ſunt duo Clodouei duóque Dagoberti, Clodoueus Secundus ab anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quintum, Dagobertus Secundus ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, Clodoueus Tertius ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum, Dagobertus Tertius ab anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum. Ratione tamen habitâ rerum Auſtraſianarum, quas ſuis locis ſub Clodoueo Secundo & Dagoberto Secundo narrauimus, lubenter annuimus Andreæ Valladiero, qui determinatè prædictarum chartarum alteram Clodoueo Tertio, alteram Dagoberto eiuſdem Clodouei nepoti ex Childeberto fratre, id eſt, Dagoberto Tertio, attribuit. Dolemus vtramque deſiderari; tertiam, quam Chilpericus emiſit, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſeptimum, quo data eſt, integram deſcribemus. Clodoueus Tertius, qui Theodorico Tertio patri in Monarchiam Francorum anno priori ſucceſſit, biennio tantùm regnauit, vnde admodum probabile ſit hoc anno conceſſam ab eo chartam, quâ ſuam pietatem erga Monaſterium Sanctorum Apoſtolorum teſtatus eſt. Tunc illi Cœnobio præerat Abbas Romulus, de quo iam locuti ſumus ad annum vltimum Theodorici Tertij Regis.

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. I.

[a] Lib 5.

XXVIII. Obſerua Dagobertum & Chilpericum, quos Tertios ſui nominis appellamus, à Valladiero Secundos nuncupari, quia vt omiſit Chilpericum Secundum, qui breuiſſimo temporis ſpatio poſt Charibertum Secundum patrem, Dagoberti Magni fratrem, in Aquitaniæ parte regnauit, ſic & penitus ignorauit Dagobertum Secundum, Sigiberti Tertij Auſtraſiæ quondam Regis filium, qui poſt Childerici Secundi patruelis mortem reuerſus ex Hibernia partem non modicam paterni Regni recepit. Obſerua & Chilpericum Tertium, quem Childerici Secundi filium fuiſſe oſtendemus, ab eodem Auctore perperam dici fratrem Clodouei Tertij, patruúmque Dagoberti cui proximè in Regnum ſucceſſit.

XXIX. BLIDRAMNVS EP. VIENNENSIS. Ado in ſuo Chronico, vbi agit de Anaſtaſio Imperatore, déque Regibus Francorum, Clodoueo quem Chlotharium vocat, & Childeberto, Theodorici filiis, Blidramnum Viennenſem Metropolitam iiſdem temporibus floruiſſe docet his verbis: *Blidramnus Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Adonem

Digitized by Google

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 1.

Boſcius in Antiquitatibus Viennenſibus [a] ſic expreſſit. *Defuncto ſancto Deodato beatus Blidianus ſucceſſit, Theodoſio faſces Imperij ſuſtinente, Francorúmque Monarchâ Clodoueo Iuniore ac poſt eum ipſius fratre Childeberto.* Vt Rege Theodorico Pontificatum Deodati, ſic Blidramni ſeu Blidiani ſucceſſoris Epiſcopatum Regibus Clodoueo & Childeberto prædicti Theodorici filiis conſignandum facilè credimus. At apud Adonem & Boſcium corrigenda Imperatorum Chronologia, quia non tantùm Theodoricus Rex Francorum, ſed & eius filij ac ſucceſſores Clodoueus & Childebertus è vita priùs exceſſerunt quàm Philippicus imperaret. Obiit Childebertus decimo-octauo Kalendas Maij, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo. Philippicus eodem anno exeunte cœpit imperare, tenuítque Imperium ad Vigiliam vſque Pentecoſtes anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-tertij. Philippico ſucceſſit Anaſtaſius, cuius Imperium duobus annis aliquótque menſibus circumſcribitur. Hæc aliâ occaſione fuſiùs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum explicabuntur. Poſt Anaſtaſium imperauit Theodoſius in textu Boſcij ſuprà nominatus.

[a] Cap. 4.

XXX. ABBATES WELTENBVRG.

Tomo tertio Metropolis Saliſburgenſis extat Abbatum Catalogus, qui Monaſterio Weltenburgienſi præfuerunt. De illius Cœnobij conditu ac primo Abbate Viſundo actum ad annum Chriſti quingenteſimum nonageſimum. Succeſſores ad hunc vſque annum à Chriſto nato ſexcenteſimum nonageſimum-tertium recenſentur Iſingrinus, Arnolphus, Berchtoldus, Iuota, Mathildus, Poppo, Rudhardus, Tuto; ponuntúrque Iſingrinus anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-quinto, Arnolphus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptimo, Berchtoldus anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſexto, Iuota anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-quarto, Mathildus anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, Poppo anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto, Rudhardus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo, Tuto anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, tum Hagano hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio.

XXXI. In vita ſancti Sacerdotis, quam à Bernardo Guidonis olim ſcriptam Stephanus Baluzius & Philippus Labbeus noſtrâ ætate publicarunt, bis mentio fit Clodouei Regis, & in vtroque textu Clodoueus Magnus deſignatur, quo regnante Sacerdos dicitur Pontificatum geſſiſſe. Sed, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſecundum [b] iam monuimus, Sacerdos Clodoueo Magno ſynchronus haud vixit, imò longè poſt obitum Clodouei Secundi natus eſt, & Clodoueo Tertio Monarchiam Francorum obtinente nondum erat Epiſcopus. Rectè in diſquiſitione ſeculi, quo ſanctus Sacerdos Lemouicenſis Epiſcopus vixit, Stephanus Baluzius ſtatuit *tanquam rem certam* floruiſſe eundem ſanctum Sacerdotem temporibus Clodouei Tertij, *ſub finem ſeptimi ſeculi & ſub initium octaui, id eſt, circa annum* DCC. Clodoueus Tertius ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum regnauit. Tunc Sacerdos adoleſcentiam omnibus virtutum generibus præditam ſub Capuano illuſtri Cadurcenſium Epiſcopo gerebat. De vtriuſque ætate ſermo rurſum recurret.

[b] Num 63.

SACERDOS ADOLESCENS.

XXXII. FVLCO ABB. GANDENSIS OBIT.

In Abbatum Gandenſium ſeu Bauonianorum Catalogo, quem Antonius Sanderus in Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ texuit, Fulco tertius Abbas illius loci tollitur è viuis quarto Nonas Decembris, anno decimo-quarto ſui regiminis, id eſt, hoc anno, nam Monaſterij Præfecturam poſt Aldebertum ſiue Adalbertum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono ſuſcepit, vt Tomo priori dictum eſt.

XXXIII. WILFRIDVS SVCCEDIT.

Fulconi ſucceſſit Wilfridus, cuius temporibus idem Auctor duas eleuationes Sanctorum, vnam ſancti Amandi, alteram ſancti Bauonis, à ſancto Eligio Nouiomenſi ac Tornacenſi Epiſcopo factas ſcribit. At ſanctus Eligius ad Deum priùs migrauit, quàm Wilfridus Abbas fieret, imò priuſ-

Digitized by Google

quàm beatus Amandus ex hoc ſeculo tolleretur. De Sanctis, quorum corpora beatus Eligius è terra leuauit, ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum [a] conglobatim egimus. Sancti Bauonis mentionem fecimus, nequaquam ſancti Amandi, quia beatus Amandus ſancto Eligio annos viginti ſuperſtes vixit, beato Bauoni annos decem ſanctus Eligius. Obierunt enim, beatus Bauo anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo, beatus Eligius anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo, beatus Amandus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono. Corpus ſancti Bauonis, vt Molanus teſtatur [b], eleuatum eſt *Calendis Auguſti*. Si Kalendæ iſtæ in diem Dominicum inciderunt, pertinuerunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum, quoniam ex annis decem, quibus beato Bauoni ſanctus Eligius ſuperuixit, ſolus ille per menſem Auguſtum literâ Dominicali C præditus fuit. Tunc autem Monaſterij Gandenſis adminiſtratio penes Florbertum Abbatem erat, cui ſucceſſit Aldebertus, tum Fulco, deinde Wilfridus, cuius temporibus Reliquiæ ſancti Amandi ex Oratorio Principis Apoſtolorum, vbi quieſcebant, in Eccleſiam ſancti Stephani nuperrimè conſtructam translatæ ſunt, vt anno ſequenti fuſiùs exponemus. Sed iſta Tranſlatio, quæ facta eſt octauo Kalendas Nouembris, differt ab Eleuatione, quæ *duodecimo Kalendas Octobris* apud Molanum [c] conſignatur.

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 1.

[a] Nu. 9. 10.

[b] d. 10. Octob. in S. Bauone.

[c] d. 6. Febr. in S Amando.

XXXIV.

Duplicem ſanctæ Odiliæ vitam, vnam hactenus ineditam, alteram ex parte ab Hieronymo Vignierio noſtræ Congregationis Presbytero publicatam, vtramque optimæ notæ citauimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum, quo Athicus Odiliæ pater Hohenburgenſe Monaſterium erexit, ſuæque filiæ cum omnibus appendiciis tradidit. Ab illa donatione ad obitum vſque Athici non multùm temporis interceſſit. Sic enim habet Codex ineditus. *Pater idem Monaſterium cum omnibus appendiciis in manibus eius tradidit, obſecrans eam, vt vnà cum ſancta Congregatione Dominum ſedulè pro ſuo facinore interpellaret. Et non poſt multo viuens tempore, diem ſortitus eſt extremum.* Mortem & exequias Athici ſiue Ethiconis & Berehſindæ ſeu Bruſwindæ coniugis ſic perſequitur Codex editus à Vignierio. *Dum igitur Dux Ethico & Bruſwinda vxor eius, poſt piam conuerſationem ad longos annos perueniſſent, tandem volente Domino, vterque magno pietatis inſtinctu cum beatiſſima Odilia eorum filià vitam finire, ſummo ardore flagitauerunt, quod diligenter exoptantes tandem in montem, qui Altitona dicitur, peruenerunt. Sed vix elapſi ſunt aliquot menſes, quòd venerabilis Princeps Ethico dulciter animam efflauit, conſolante eum & roborante B. Odiliâ. Domina autem Bruſwinda nono poſt maritum die ſimiliter expirauit, & ſine vllo morbo, cùm eſſet in ſacello B. Iohannis. Interim venerunt ad exequias parentum Ethico Dux & Adalbertus Dux pariter, Ethiconis & Bruſwindæ glorioſiſſima progenies, qui magno eiulatu ſuper cadauera parentum proſtrati, non poterant præ nimio dolore à lachrymis temperare. Dum hæc agerent, B. Odilia ſeſe incluſerat taliter, vt neque manducaret neque biberet, ſed & continuâ maſtigatione corpus ſuum dilaniaret. Cùm enim in oratione eſſet, vidit præfatum parentem ſuum Ethiconem, nimio ardore miſerabiliter conſumptum propter quædam peccata quæ ei exciderant, & maximè quia eam abiecerat propter cæcitatem, nec inter alios ſuos liberos volebat eam reputare, quia cæca nata erat. Cogitans ergo B. Odilia quòd ipſa præcipuè in cauſa eſſet, cur venerabilis parens in hac flamma cruciaretur, ſciens quia Dominus miſericors exaudiebat eam, & non deſpiciebat preces eius, intercluſit ſe, & iureiurando erga Dominum ſe obſtrinxit, quòd non manducaret, neque biberet, quoadúſque tormentis, quibus torquebatur pater eius, liberaretur. Itaque in tanta inedia & corporis maceratione quinque dies abſumpſerat, cùm ecce repentè lux magna locum, in quo ſe abdiderat, circumfulſit, viditque animam venerabilis Ethiconis, quam Angeli & vir quidam habitu religioſo in cœlum deducebant cum ingenti gloria. Gratias ergo agens Deo miſericordi, qui preces ſuas non contempſerat, aperto oſtio egreſſa eſt cum ſororibus ſuis & ceteris virginibus, quæ cum illa erant, & poſt multa verba conſolationis fratres ſuos Ethiconem & Adal-*

ATHICI DVCIS OBITVS.

bertum ad propria dimiſit, quæ lætantes repatriauerunt, propter miſericordiam quam Deus fecerat Domino Ethiconi. Eandem Odiliæ pietatem erga patrem ſic commendat Auctor ineditus. *Ipſa per reuelationem ſanctam agnouit, quòd pater eius in pœnali loco eſſet propter peccata, pro quibus in hoc ſeculo dignum pœnitentiæ fructum non fecit. Tunc illa ingenti mœrore propter interitum ſui patris vallata, in vigiliis, in orationibus, in ieiuniis pro eo Dominum deprecari ſtuduit, recolens eum dixiſſe diſcipulis ſuis. [Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis & fiet vobis.] Cùm verò ſuperna pietas famulam ſuam de tanto mœrore conſolari vellet, ipsâ orante in ſecreto latere ipſius montis, ſuper quem Monaſterium ſitum eſt, & illic ſe tantò ardentiùs quantò liberiùs pro abſolutione ſui patris affligente, aperto cælo tanta lux cælitus emiſſa ſuper eam in oratione proſtratam emicuit, vt quædam pars eiuſdem cellæ ex eodem ſplendore emicuiſſet, vóxque ad eam facta eſt. Odilia Deo dilecta, iam angorem afflictionis à te compeſce, quia remiſſionem peccatorum patri tuo à Domino impetraſti. Ecce ab infero liberatus in choro Patriarcharum collocandus ab Angelis ducitur. Beata autem Odilia hoc audiens mox intulit, dicens. Gratias tibi ago, Domine, quia me indignam non meis meritis, ſed tuâ bonitate exaudire dignatus es.*

XXXV. Ne præcitati Scriptores inter ſe diſſentire tibi videantur, Athici pœnitentiam ac receſſum in Monaſterium ſic interpretare. Athicus cellam, quam Dagobertus Rex, huius nominis Secundus, apud *Ebersheim* extruxerat, in magnificentiſſimum Cœnobium virorum conuertit, ibíque præcipuam manſionem ad obitum vſque fecit, inde raró diſcedere ſolitus, vt vel adiret loca pignoribus Sanctorum illuſtria, vel Odiliam filiam apud Hohenburgum Abbatiſſam inuiſeret. Ætate grandæuo mortíque proximo placuit ire Hohemburgum, ibíque vitam claudere, vt locus poſteris eſſet indicio, quòd anteacti facinoris pœnitentiâ tactus ſit, filiámque paterno, vt decebat, amore dilexerit.

XXXVI. Apud Martinum Crucium [a], qui Munſterum & Bruſchium citat, Etico ſiue Athicus ſua bona quadripertitò diſtribuit, vnam partem tradit *ad fundationem Sancti Stephani Monialium Argentinæ*, alteram *ad fundandum Monaſterum Ebershaimenſe iuxta Seleſtadium* *, tertiam *Cœnobio Sanctæ Otiliæ*, quartam *conſanguineis ſuis Eberhardo & Maſoni*. Porrò Sebaſtianus Munſterus libro tertio de Germania, vbi de Murbacenſi Monaſterio diſſerit, in prædictæ partitionis confirmationem Chronicon Ebersheimenſe ſic allegat. *Fuit Ergkonaldus ſummus Magiſter in curia Regis Dagoberti poſt annum Chriſti 631. qui & ipſe reliquit filium Leodiſium, ſuccedentem quoque in officio Magiſterij. Reliquit poſt ſe Leodiſius filium Atticum, quem alij vocant Eticonem, qui duxit vxorem ſororem Reginæ, quæ & Sancti Leodegarij ex ſorore neptis fuit, vnde Rex motus tradidit illi Ducatum Alemanniæ, qui continebat Alſatiam, Sueuiam, & ſuperiorem Germaniam. Habuit autem Etico reſidentiam ſuam iuxta Regalem villam Ehenheim in arce Hohenburg, Latinè Altitona, quæ nunc appellatur mons Sanctæ Otiliæ. Hic ante mortem ſuam diſtribuit bona ſua in quatuor partes, vnam deſtinauit ad fundationem Sancti Stephani in Argentina, aliam deſignauit ad fundationem Monaſterij Ebersheimenſis iuxta Seleſtadium, tertiam ordinauit pro Monaſterio Sanctæ Otiliæ, quartam verò reliquit conſanguineis ſuis Eberhardo & Maſoni.* In illo textu multa de Athici ſiue Ethiconis vxore, patre & auo, necnon de Rege Dagoberto fabuloſè narrantur, fidémque cùm Ebersheimenſis Chronici tum Munſteri & aſſeclarum eleuant. Certè diſtributionem bonorum ſuorum, quæ venit in quæſtionem, numquam fecit Ethico. Plures enim filios reliquit, è quibus Ethico & Adalbertus Duces in eius exequiis ſuprà nominati. Cœnobia quidem Ebersheimenſe & Hohemburgenſe, quæ conſtruxerat, largiſſimè ditauit, ſed partem ſuarum poſſeſſionum nec conceſſit Monaſterio Sancti Stephani quod ſeriùs ab Adalberto eius filio conditum eſt, nec tradidit conſanguineis ſuis, ſiue, vt Lazius & Vignierius interpretantur, nepotibus ſuis, Eberhardo & Maſoni, quibus Ethiconem

[a] de reb. Sueuic. p. 1. l. 10. c. 10.

* *Schleſtat.*

TESTAMENTVM EXAMINATVR.

aliósque quos habebat filios, anteferre debuit antetulitque. AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. I.

Athico Alamanniæ Duci Berchſinda coniux ſeptem liberos peperit; mares quinque, fœminas duas. Patri ſuperfuerunt filiæ Odilia & Roſwinda, ſuperfuerunt & Duces Ethico & Adalbertus quos eius exequiis interfuiſſe conſtat, necnon Bataco Comes omnium natu minimus; alij duo mares obierunt patre adhuc ſuperſtite, alter, cuius nomen ignoratur, à patre vulneratus occubuit, alter appellatus eſt Hugo. Septem hæ proles Athici Ducis in Tabulis Genealogicis Alſaticæ familiæ recenſentur hoc ordine, Ethico & Adalbertus Duces Alamanniæ, Odilia Hohenburgenſis Abbatiſſa, Odiliæ frater, cuius nomen interiit, Roſwinda, Hugo & Bataco Comites. De Ethicone, Adalberto, Odilia, & eorum fratre quem pater ictu baculi interemit, locuples mentio fit in Actis eiuſdem Sanctæ Odiliæ ſuprà citatis. Roſwindæ meminit Ruyrus in Antiquitatibus Voſagenſibus[a]. Hugonem fratrem fuiſſe Sanctæ Odiliæ & *ante parentes ſuos* defunctum eſſe teſtatur Auctor coætaneus in vita Sanctæ Odiliæ, cuius fragmenta Vignierius noſter euulgauit. Bataconem eiuſdem Odiliæ fratrem commendat Ruyrus in prælaudatis Antiquitatibus[b]. Hic Auctor inter Athici filios Hugonem tertio loco, quarto Bataconem nominat, eos enim tantùm numerat qui prolem reliquerunt, omittítque illum qui cæſus à patre interiit vxore nondum ductâ. Super ætate Ethiconis & Adalberti Ducis Alamanniæ màior eſt difficultas, alij enim Ethiconem natu grandiorem Adalberto conſtituunt, ſecus alij. Prior opinio magis placet, quia in actis Sanctæ Odiliæ Auctor coætaneus, quem Vignierius ex Codice Piſtorij *le Begue* publicauit, vbi de exequiis Athici Ducis vxoríſque Berehſindæ diſſerit, Ethiconem Adalberto præponit. *Venerunt*, inquit, *ad exequias parentum, Ethico Dux & Adalbertus Dux pariter, Ethiconis & Bruſwindæ glorioſiſſima progenies, qui magno eiulatu ſuper cadauera parentum proſtrati, non poterant præ nimio dolore à lachrymis temperare.* XXXVII. LIBERI.

[a] Part. 2. l. 4. cc. 8. 16.

[b] Part. 2. l. 4. cap 16.

De Alamannis & Sueuis multa pereruditè ſcribit Hadrianus Valeſius libro viceſimo-quarto[c] rerum Francicarum. Imprimis obſeruat alteros alterorum nomine promiſcuè, ſæpiùs tamen Sueuos tum appellatos fuiſſe. Deinde Alamanniam in plures Ducatus ſeparatam teſtatur, iſtiúſque partitionis duas rationes affert; primam, quòd Alamannia maior viſa ſit, quàm vt vni Duci tota committeretur; alteram quòd Alamanniæ Duce mortuo, filij eius Præfecturam ſeu Ducatum iuxta beneplacitum Regis inter ſe diuiderent. XXXVIII. ALAMANNIA IN PLVRES DVCATVS DIVISA.

[c] Ad an. 730.

Prior ratio facilè probatur. Eodem enim tempore, cùm Odilia Hohenburgenſi Monaſterio præeſſet, Alamanniæ Præfectura penes Duces è tribus familiis valdè diuerſis oriundos fuit. Alamanniæ Duces, è quorum ſtirpe erat Odilia partem Alamanniæ Rheno adiacentem rexerunt, & habitâ ratione hodiernæ Alſatiæ dicti ſunt à Neotericis Duces Alſatiæ, Leutharius auus Odiliæ ſub Sigiberto Tertio Rege, Dagoberti Magni filio floruit teſte Fredegario[d]. Paulò citiùs, regnante vel Dagoberto Sigiberti Tertij patre, vel auo Clotario Secundo, noua prouincia facta eſt ex parte veteris ac propriè dictæ Alamanniæ circa ripas Nicri * ac Mœni * iacente, *quam modò Germanico nomine Auſtriam & Oſtrofranciam, modò Franciam Orientalem, atque etiam Teutonicam, quòd in Germania poſita eſſet, nonnumquam Franciam vocauere; nunc Franconiam vulgò appellant; quas Francorum ante occupatam ab eis Galliam, veteres trans Rhenum ſedes fuiſſe, multi antiquitatis ignari ac regionis nomine decepti falsò exiſtimauerunt*[e]. Illam Alamanniæ partem cum Ducis titulo gubernauit Gozbertus, cuius mentionem ex Actis Sancti Kiliani Martyris ad annos Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum octauum & ſexcenteſimum octogeſimum-nonum fecimus. Quatuor illius prouinciæ Duces ex eadem familia memorantur hoc ordine, Ruodus, Hetanus Senior, Gozbertus, & Hetanus Iunior, qui filius fuit Gozberti, nepos Hetani Senioris ac prone- XXXIX.

[d] Cap. 89.

* Le Nekar.

* Le Mein.

[e] Ap. Valeſ. lib. 24.

Digitized by Google

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 1.

pos Ruodi. Reliquæ Alamanniæ præfuit Dux Gottefridus, qui ſtetit à partibus Theodorici Tertij Regis aduersùs Pippinum Herſtallium, vitámque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum-nonum produxit. In hoc Alamanniæ Ducatu Gottefridum anteceſſerunt Bertholdus & Vehus, de quibus ſic Martinus Crucius parte primâ [a] rerum Sueuicarum. *Inuenio fuiſſe Duces vel Principes Sueuiæ Bertholdum & Vehum, deinde Gotfridum.* Hunc ſecuti Wilarius, Lantfridus, Theobaldus & Wattilo, de quibus infrà.

[a] Lib. 11. c. 2.

XL. Poſterior ratio confirmatur ex partitione, quam inierunt Athici Ducis filij, Ethico & Adalbertus, quorum ille Sedem Præfecturæ ſeu Ducatûs poſuit in oppido, quod de illius nomine *Ettenheim* etiamnum in hodierna Briſigoia * nuncupatur, hic autem in villa *Konighous*, Latinè Curia Regia, quæ Straſburgo tunc adeò vicina erat, vt hodie intra illius vrbis ambitum comprehendatur.

* *Le Briſgau.*

XLI. Cæterùm ex prædictis obſerua turpiter eos hallucinari, qui Ducatum Alamanniæ ſeu Sueuiæ, quo gauiſus eſt Athicus, comparant cum Alſatia, Sueuia, ſuperiorique Germania, ſuámque opinionem præualidè munitam putant, ſi Chronicis Ebersheimenſibus à Sebaſtiano Munſtero citatis innitantur.

694. CLODOVEI III. R. 2.

ANNVS CHRISTI 694.
CLODOVEI III. R. 2.

I. BERTOENDVS EPISC. CATALAVNENS. PRIVILEGIVM CONCEDIT MON. DERVENSI.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, cùm Clodoueus Rex in viuis ſuperſtes erat, agebátque annum in Principatu ſecundum, die decimo-quinto menſis Februarij datæ ſunt Remis literæ, quarum præcipuæ clauſulæ, vt Camuzatus in notis ad Hiſtoriam ſancti Bercharij teſtatur, in compendium redactæ & contractæ in Indice titulorum Deruenſis Chartarij ſic continentur. *Priuilegium datum à Bertoendo Epiſcopo Cathalaunenſi ad rogatum claræ memoriæ Clodouæi Regis & Pippini Maioris domûs Regiæ, in quo idem Epiſcopus dat nobis electionem Abbatis & Abbatiſſæ, tam in noſtro quàm in puellari Monaſterio, qui etiam priùs dedit nobis in villa noſtra & aliis circùm vicinis omnimodam iuriſdictionem nihil ſibi retinens præterquàm benedictionem Abbatis & Abbatiſſæ, confectionem Chriſmatis, collationem Ordinum & Pœnitentiales.* Poſt Arnonium ſiue Arnolſum, qui Synodo Rotomagi celebratæ anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo interfuit, in Cathedra Catalaunenſi ſedit Bertoendus Epiſcopus. Priuilegium ab eo conceſſum Monaſteriis Deruenſibus, non differt à formula Marculſi [b]. Id indicant clauſulæ ſuprà recitatæ. Bertoendus ſibi retinet *benedictionem Abbatis & Abbatiſſæ, confectionem Chriſmatis, collationem Ordinum & Pœnitentiales.* Apud Marculſum ab Epiſcopo Diœceſano promouetur in Abbatem is quem vitæ meritis congruentem omnis Congregatio Monachorum elegit; idem Epiſcopus Diœceſanus Chriſma conficit concedítque Monachis; ab eodem quoque Epiſcopo Diœceſano ſacros gradus accipiunt Monachi, quos Abbas omníſque Congregatio poſtulant ad Eccleſiaſticos Ordines promoueri; idem etiam Epiſcopus Diœceſanus Monachos contumaces, quos Abbas corrigere non poteſt, pœnitentiæ ſubiicit coercétque. Textum Marculſi, quem alio loco deſcripſimus [c], ſuperuacaneum eſſet hîc denuò repetere. Priuilegium Bertoendi datum eſt Remis. Ciuitas autem Remorum eſt Metropolitana, Epiſcopóque Remenſi Metropolitano ſubeſt Epiſcopus Catalaunenſis. Hinc colligimus Deruenſe Priuilegium conceſſum fuiſſe Synodo Epiſcoporum congregatâ.

[b] Lib. 1. c. 1.

[c] Ad an. 651. n. 18.

Talia

Digitized by Google

AN. CH. 694.

CLODOVEI III. R. 2.

Talia enim Priuilegia ſanciri conſueuerant in Synodis, ideóque multorum Pontificum ſubſcriptionibus muniebantur, vt ex aliorum Priuilegiorum editione & ex ipſa Marculfi formula conſtat.

II. Deruenſi Monaſterio præerat tunc Abbas Synaulius, de quo poſt mortem ſancti Bercharij iam locuti ſumus [a]. Catalogus Abbatum Deruenſium, quem Andreas Duchesnius in notis ad epiſtolas [b] Petri Venerabilis publicauit, contra Chronologiam plurimùm peccat. Auctor enim Regium Præceptum, quod Childericus Francorum Monarchiam adeptus in gratiam Monaſterij Deruenſis apud Compendium anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo conceſſit, perperam conſignat anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto, quo Childericus apud ſolos Auſtraſios imperabat. Præterea ſcribit Priuilegium à Bertoendo Catalaunenſi Epiſcopo conceſſum fuiſſe Synaulio Deruenſi Abbati, regnante Childeberto Rege Theodorici fratre, anno Verbi Incarnati ſexcenteſimo nonageſimo-tertio. At Childebertus non frater ſed filius Theodorici fuit, Regnúmque non iniit ante hunc annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum, quo fratri Clodoueo ſucceſſit vt infrà dicturi ſumus, & titulus qui Deruenſi Priuilegio in indice chartarum Deruenſium præfigitur, nomen oſtentat Clodouei Regis, ipſúmque Priuilegium datum eſt Remis die decimo-quinto menſis Februarij, anno ſecundo Clodouei Regis, id eſt, hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto. Textus Catalogi talis eſt. *Anno Verbi Incarnati* DCXCIII. *data eſt Abbati Synaulio emunitas & Priuilegium à Berthoendo Cathalaunenſi Epiſcopo, rogatu Childeberti Regis fratris Theoderici iam dicti.* Sic autem eſt corrigendus. *Anno Verbi Incarnati* DCXCIV. *data eſt Abbati Synaulio emunitas & Priuilegium à Berthoendo Cathalaunenſi Epiſcopo, rogatu Clodouei Regis filij Theoderici iam dicti.* Plura non legimus de Synaulio Abbate. Perierunt ſucceſſorum nomina.

[a] Ad an. 685. nn. 18. 21.
[b] Lib. 1 ep. 27.

SYNAVLIVS ABB. DERVENSIS.

III. In prælaudato Bertoendi Priuilegio mentio fit duplicis Monaſterij, quorum alterum virorum eſt in Epiſcopatu Catalaunenſi, alterum puellarum in Diœceſi Tricaſſina, vnde quæſtioni locus eſſe poteſt, quomodo Bertoendus benedictionem ſibi reſeruarit tam Abbatis in ſuo Epiſcopatu, quàm Abbatiſſæ in aliena Diœceſi. Acceſſit procul dubio conſenſus Epiſcopi Trecenſis. Exemplum ſimile iam occurrit [c] in Monaſteriis Malmundarienſi & Stabulenſi, quæ Cuniberto Colonienſi Epiſcopo annuente dicata ſunt ab vno eodémque Remaclo Traiectenſi * Pontifice, quamuis Malmundarium pertineret ad Diœceſim Colonienſem, Stabulaus ad Traiectenſem. Qua de re ſic Notgerus in vita ſancti Remacli. *Rex, quia Eccleſiæ recèns ædificatæ, Epiſcopali benedictione indigebant, beatum Remaclum accerſiens, tam eam*, nempe Malmundarienſem, *quæ erat Colonienſis parœciæ, annuente venerabili Cuniberto Epiſcopo, quàm illam, quæ noſtræ*, id eſt Traiectenſis, *Diœceſis eſt, ab eo voluit ſolenniter conſecrari.*

[c] Ad an. 653. n. 14.
* *de Maſtrich.*

IV. Poſt conceſſum prædictum Priuilegium quot annos Bertoendus Epiſcopus in Catalaunenſi Cathedra ſederit, haud ſcimus. Succeſſit Chanigus ſeu Chanigus vel Camingus ſiue Comingus aut Gamingus, tum Felix Secundus, deinde Scaricus, quem ad Regnum vſque Pippini peruen iſſe arbitramur. Lege Democharem, Chenutium ac Robertum, quibus Carolus Rapinius in Annalibus Eccleſiaſticis Diœceſeos Catalaunenſis & Sammarthani in auctiore Gallia Chriſtiana fruſtrà refragantur ex Chamigo ſeu Gamingo & Felice vnum Felicem cognomento Chamigum ſeu Gamingum conflantes.

EPISCOPI CATALAVNENSES.

V. Obiit hoc anno Rex Clodoueus, regnauit enim *annos* II, & Childebertus eius frater, cuius mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum incidiſſe ſuo loco probabimus, Regnum poſt eum tenuit *annos* XVII, vt docet vetus Anonymus [d], qui Geſta Regum Francorum regnante Theodorico Kalenſi conſcripſit. Cur Auctorem illum hoc loco in ſtabilienda Regum Francorum Chronologia ceteris præferamus, expoſuimus ſuprà. Suf-

CLODOVEVS R. OBIIT.

[d] Cc. 49 50.

AN. CH. 694. CLODOVEI. III. R. 2.

fragatur Erchanbertus, qui Breuiarium Regum Francorum & Maiorum domus publicauit ſuperſtite in viuis Carolo Martello. Adſtipulantur & Genealogiæ Regum Francorum editæ ab Andrea Ducheſnio [a], quarum vna deſinit in Pippino, altera in filiis Ludouici Pij, necnon Fulcuinus Abbas in Geſtis [b] Abbatum Lobienſium.

[a] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.
[b] Cap. 2.

VI. Clodoueus morbo conſumptus eſt, vt Auctor Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ tradit [c]. Deceſſit abſque prole. Vixit annos circiter vndeuiginti. Quòd nihil arduum ipſe ſuſceperit, id nec inertiæ nec ſocordiæ tribuendum, ſed vitæ Principatuíque nimiùm breuibus condonandum. *Innocentem*, inquit Monachus Metenſis, *vitam finiuit. Pippinus verò nihilominùs Regem pro eo fratrem ipſius Hildebertum conſtituit. Illis quidem nomina Regum imponens, ipſe totius Regni habens priuilegium cum ſumma gloria & honore tractabat.* Hæc ille adulatorio erga Pippinum ſtylo. Childebertus hæreditario iure fratri ſucceſſit; applaudentibus Epiſcopis ac Proceribus Regni. *Vir inclytus* & *iuſtus* in Geſtis Regum Francorum, rurſum *vir inclytus* prædicatur in Genealogia Regum Francorum iam laudata, quæ deſinit in filiis Ludouici Pij, necnon *iuſtus* in Geſtis Abbatum Lobienſium à Fulcuino conſcriptis [d]. Regnum adeptus mox vxorem duxit, ex qua ſuſcepit Dagobertum, qui anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto vitam clauſit Theodorico filio in cunis relicto.

[c] Cap. 101.
SVCCEDIT CHILDEBERTVS FRATER.
[d] Cap. 2.

VII. In Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, res initio Regni Childebertini geſtæ ſic enarrantur [e]. *Drocus à Pippino genitore eruditus Ducatum Campanenſem accepit. Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maior-domûs Palatij ſuper Francos*, id eſt, ſuper Neuſtraſios & Burgundos, *electus eſt, fuítque vir mitiſſimus, omni bonitate & manſuetudine repletus, largus in eleemoſynis, in orationibus promptus. Pippinus contra Ratbodum Ducem gentilem Friſionum gentis aduersùs alterutrum bellum intulerunt, caſtro Doreſtate, illic belligerantes inuicem. Pippinus victor extitit, fugatóque Radbodo Duce cum Friſionibus, qui euaſerant, idem Pippinus cum multis ſpoliis & præda reuerſus eſt.*

[e] Cc. 101. 102.
DROGO FILIVS PIPPINI DVX CAMPANIÆ.

VIII. Erant Pippino ex Plectrude vxore legitima duo filij, Drogo ſeu Drocus & Grimoaldus. Ambo educabantur in ſpem potiundi Maioratûs, vt poſt patrem ille Auſtraſiæ, hic Neuſtraſiæ Burgundiæque præficeretur. Mortuo autem Nortberto, qui poſt Pippini reditum ex Neuſtria in Auſtriam vices Maioris-domûs in aula Theodorici Clodoueíque per annos decem geſſerat, Pippinus haud cunctandum ratus Grimoaldum filium ſuum Palatij Neuſtraſiani rectorem conſtituendum curauit. *Childebertus vir inclytus*, inquit Anonymus [f] in Geſtis Regum Francorum, *in Regno ſtatutus eſt. Eo quoque tempore Nortbertus mortuus eſt. Grimoaldus quoque Pippini Principis filius iunior in aula Regis Childeberti Maior-domûs effectus eſt.* Et paulò pòſt [g]. *Erat ipſe Grimoaldus Maior-domûs pius, modeſtus & iuſtus.* Fallitur Erchanbertus, cùm ſcribit Grimoaldum Maiorem-domûs conſtitutum fuiſſe, *quia ipſe Pippinus ægrotare cœperat, quâ infirmitate & moritur.* Obiit enim Pippinus multò ſeriùs ſub Dagoberto Rege, poſtquàm multa grauiáque bella ſub Childeberto Rege, Dagoberti patre, feliciter confeciſſet. Drogo, qui natu grandior erat Grimoaldo fratre, manſit in Auſtràſia cum patre Pippino, & Ducatum Campaniæ ad Auſtraſiam pertinentis accepit Maior Auſtraſiani Palatij futurus, ſi patri ſuperſtes aliquando viueret. Quia Pippinus ampliſſimas opes in Auſtraſia poſſidebat, & potiore atque antiquiore in Auſtraſios quàm in Neuſtraſios auctoritate præualebat, ſors Drogonis felicior ac ſecurior viſa eſt. Cur autem hic ab Annalium Metenſium Scriptore Dux Burgundionum vocetur, haud capimus. Nam qui Regna Neuſtriæ ac Burgundiæ ſimul vnita regeret, vnus Maior-domûs præfici iampridem conſueuerat. Chartam, in qua Drogo ſe *Ducem Burgundiorum* dicit, recitabimus inferiùs examinabimúſque ad annum Chriſti octauum ſupra ſeptingenteſimum, quo eundem Drogonem mortuum tradunt Annales Nazariani, Pe-

GRIMOALDVS ALTER PIPPINI EX PLECTRVDE FILIVS MAIOR-DOMVS IN NEVSTRIA.
[f] Cap. 49.
[g] Cap. 50.

Digitized by Google

AN. CH. 694.

CLODOVEI III. R. 2.

GVNDREMARVS ABB. S. GERMANI PARIS.

tauiani ac Tiliani. Ceterùm inter varias interpolationes, quibus auctæ ſunt additiones ad quartum librum Aimoini, duæ leguntur capite duodequinquageſimo eiuſdem libri. Prima ſic poſt Nortberti mortem. *Hunfrido Abbate hominem exeunte, Gundremarus vir ſtrenuus regimen Eccleſiæ Sancti Germani eſt ſortitus.* Altera ſic poſt mortem Drogonis. *Defuncto his diebus pia memoriæ Gundremaro Abbate, Tedelmarus Paſtorale ſumpſit officium.* Gundremarus igitur, quem & Gaudremarum, Gandremarum & Guandremarum ſcriptum legimus, Monaſterium Sancti Germani prope Pariſios per annos quatuordecim rexit, ab hoc videlicet anno quo Nortbertus obiit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum octauum, quo Drocus ſeu Drogo Pippini filius ex hac vita ſublatus eſt.

IX.

BELLVM FRISICVM.

SWIBERTVS E BRITANNIA REVERSVS MVLTAS DICAT ECCLESIAS.

Monachus Metenſis bellum Friſicum eodem quo Clodouei mortem anno conſignat. Radbodus Friſiorum Rex, vbi reſciit Clodoueum Francorum Regem è viuis diſceſſiſſe, facilè ſibi perſuaſit opportunum tempus offerri, quo Francos adoriretur. Factâ igitur in citeriorem Friſiam irruptione prope Doreſtadum cum Pippino infeliciter pugnauit. Hoc prælio citerior Friſia Francis, quibus ab aliquot annis parebat, penitus aſſerta eſt. Vlterior verò Friſia ſub Radbodi poteſtate permanſit, nec liber in hanc aditus, quandiu Rex ille vixit, Doctoribus Euangelij patuit. Intereà Suibertus Epiſcopus è Britannia reuerſus totam regionem, quæ poſteà Teiſterbandiæ nomen accepit, veræ fidei documentis imbuit, & multas in ea Baſilicas dedicauit, quas vulgatus Auctor vitæ ſic recenſet, *Eccleſiam Sancti Vincentij Martyris in Zandwich prope Tielam; in Arkel, in honorem Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ; in Hoernaer, in honorem Sancti Dionyſij Areopagitæ; in Stoenreford; in Anthueſden; in Aelborc; in Wondrichen; in Ghieſen; in Riiſwich; in Almkerch; in Malſem, in Erkum, in Aueſaet, & in pluribus aliis locis.* Id autem non vnius ſed multorum opus annorum fuit.

X.

ÆRMENLANDVS ABB. ANTRENSIS PRÆCEPTVM REGIVM OBTINET A CHILDEBERTO R.

Childebertum Regem adiit Paſquarius Namnetenſis Epiſcopus. Paſquarium comitatus eſt Ærmenlandus Abbas Antrenſis. Vtrumque Rex ſingulari prorſus beneuolentiâ ſuſcepit, & à Paſquario rogatus pro Cœnobio Antrenſi Præceptum emiſit. Quibus de rebus Auctor Synchronus in vita manuſcripta Sancti Ærmenlandi ſic diſſerit. *Tunc demùm* Paſquarius Epiſcopus *ad aulam Regiam ſecum beatum Ærmenlandum ducens, Regis Childeberti eum cum Monaſterio & Monachis ex eo tuendum tradidit manibus; æterna verò retributionis intuitu iſdem Francorum Rex ſuum tunc Præceptum beato Ærmenlando de eodem Monaſterio & rebus eius fecit, vt nulla dominatio alicuius poteſtatis Monachis in eo conſtitutis aliquam inquietudinem ingerere præſumeret, ſed Regali perpetuâ freti defenſione abſque alicuius impedimento liberè pro eo totiuſque Regni eius pace Chriſti deprecarentur clementiam. Tunc vir Domini amicitiis Regis honoratus reuerſus eſt ad Monaſterium. Cœperunt iam ex eo tempore multi è ſeculo conuerſi in eius ſe Cœnobio regularibus tradere diſciplinis, aliique ſuas ſoboles ibidem Deo offerre feſtinabant. Quibus omnibus diſciplinam cœleſtis vitæ laudabiliter beatus Ærmenlandus verbo actúque tradebat, vſquedum magnis virtutibus atque numero grex ibi Chriſti auctus eſt. Qui ita perfectè ſub tanto degebant Patre, vt fama Sanctitatis eorum longè latéque peruolaret, & in eorum operibus omnes, quicumque audirent, Patrem eorum magnificarent in Cœlis Deum.*

XI.

CLARET MIRACVLIS. PER REVELATIONEM DISCIT MORTEM MAVRONTII ABBATIS GLANNENSIS.

In eadem vita ſequuntur varia prodigia, quæ Sanctum Ærmenlandum Prophetiæ miraculorúmque donis illuſtrem commendant. Ceteris omiſſis vnum duntaxat deſcribemus. *Quadam nocte dum iſdem beatiſſimus Ærmenlandus in Oratorio ſolito maneret inſomnis, atque contemplationis cœleſtis gratiâ in baſilica Beati Petri Apoſtoli pernoctando vigilaret, vidit animam venerabilis viri Maurontij Abbatis ex Monaſterio Sancti Florentij, quod vocatur Glanna, triginta à ſuo Cœnobio ſequeſtrato paſſuum millibus, vinculo reſolutam corporis ad æthereum deferri ab Angelis thronum. Quam cùm diutiùs fuiſſet intuitus, ſignum dedit, atque in vnum fratribus collectis cum ſummo charitatis affectu præcepit, vt illius exi-*

Digitized by Google

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2. *tum orando Domino commendarent. Ipſi verò iuſſa ſancti Patris alacri implentes obedientiâ deuotiſſimè pro anima prædicti Mauronty ad Dominum fuderunt preces. Cœperant tamen omnes mirari, cùm tantâ terrarum intercapedine Monaſteria ab inuicem dirempta eſſent, quomodo vir Domini animam eius corporis reſolutam nexu videre potuiſſet. Sed ne quid dubietatis in eorum reſideret mentibus, ſequenti die perſcrutatorem illuc dirigere diſponebant, qui huius rei cauſam diligentiùs perquireret. Fratres autem de prædicto Monaſterio ſancti Florentij præueniendo directionis abſtulerunt laborem, qui orbitatem ſuam de Patris Maurontij obitu nuntiauerunt. Fratres autem magnâ eis ſicuti in mœrore poſitis affectione animi compatientes conſolationis ferebant hortamina, ac denuò de hora exitûs ſui Patris percunctari cœperunt, & eâdem horâ ipſóque momento eorum relatione didicerunt eum migraſſe, quo beatus Ærmenlandus eius fratribus indicauerat obitum.*

XII. Monaſterium ſancti Florentij, quod olim Glanna, hodie vetus * ſancti Florentij Monaſterium appellatur, ſitum eſt ad ſiniſtram Ligeris ripam intra fines Diœceſis Andinæ, nec procul à Namnetica. Nomen accepit à ſancto Florentio, quem beatus Martinus Turonenſis olim Epiſcopus Preſbyterum ordinauit. In Martyrologio Gallicano legitur hoc elogium ſancti Florentij decimo Kalendas Octobris. *Ipſo die, Lugduni, ſancti Florentij Presbyteri, quem ortu Pictauienſem ſanctus Martinus conſecrauit cæleſtibus indiciis ac miraculis conſpicuum, à quo ille diuertens, ne ob ſuſceptam inuitè dignitatem decus honoris perciperet, in locum à frequentia ſemotum proſiliens, ad littus Ligeris venit, vbi erat ſpelunca ſerpentibus plena, quos oratione fugauit, hîcque conſiſtens cælo defixus, precibus, ieiuniis, vigiliis, Chriſti ſeſe addixit obſequiis. At cùm puerum aquis fluuij præfocatum matri mœrenti viuum reddidiſſet, veritus ne facti fama ſibi vigili pareret exiſtimationem, ſtatione dimiſſâ Lugdunum ad latendum contendit, vbi è ſtadio mortis digreſſus, æternam ad patriam, quam quærebat, à ſuperno Rege euocatus eſt ſenio quidem confectus, at meritis (quod ipſo nomine præferebat) valdè florens & ornatus.*

* S. Florent le Vieil.

XIII. VVLGATA SS. FLORIANI ET FLORENTII ACTA EXAMINANTVR. Circumferuntur Acta manuſcripta ſanctorum Floriani & Florentij, quæ multis ſcatent mendis, & in errorem pleroſque Neotericorum adduxerunt. Diuiduntur in quatuor libros, quorum primus Martyrium ſancti Floriani, ſecundus res à ſancto Florentio poſt ſancti Floriani paſſionem geſtas, tertius & quartus miracula complectuntur poſt ſancti Floriani mortem oſtenſa.

XIV. Florentius & Florianus patriâ Norici, variis cruciatibus ab Aquilino Præſide vexati perhibentur, cùm Imperatores Romanorum adhuc ethnici plebem Chriſtianam immaniſſimâ crudelitate dilaniabant. *Factum eſt in illis diebus, cùm ſacrilegorum Principum præcepta apud Noricum Ripenſe delata eſſent, adminiſtrans ea Aquilinus Præſes cœpit vehementer inquirere Chriſtianos. Et comprehenſi ſunt Sanctorum numero* XL. *Qui dum eſſent vnanimiter certantes, & multis cruciati ſuppliciis, miſſi ſunt in carcerem. Quorum igitur Confeſſionibus glorioſis Beatus Florentius & Florianus gaudentes ſuccedere, (nam ipſi apud Ethium ciuitatem habitantes audierant quæ fiebant apud Lauriacum) dixerunt ad ſuos. Fratres, oportet nos Lauriacum ambulare ad Præſidem, & pro Chriſti nomine diuerſa perpeti ſupplicia. Tunc valedicentes ſuis arripuerunt iter. Cùm veniſſent igitur non longè à Lauriaco ingreſſi ſunt pontem. Sed dum flumen illud pertranſiſſent, obuiauerunt quibuſdam olim ſibi mundanæ militiæ ſociis, videlicet cum quibus anteà militauerant. Cúmque ſancti viri eos quid peterent interrogarent, attoniti admirantéſque dicunt eis. Numquid non audiſtis præcepta Imperatorum, quæ venerunt ad Præſidem iubentia omnes homines diis exhibere libamina, qui verò id agere noluerint, variis interire ſuppliciis? Audientes autem hoc beati ſerui Dei dixerunt. O fratres & commilitones, cur alios quæritis? nam & nos Chriſtiani ſumus; euntes ergo nuntiate Præſidi quòd Chriſtiani ſumus, locum etiam deſignate in quo commoramur,* &c. *Crudelitatis ergo miniſtri comprehendentes eos duxerunt ad Præſidem, dicentes. Vt quid alios quærimus? nam & principes officij noſtri Chriſtianos ſe profitentur. Tum Præſes ait. Florenti & Floriane, quid eſt quod de*

Digitized by Google

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

*vobis dicitur? venite, ſacrificate diis, ſicut & ego, & commilitones noſtri, vt nobiſcum viuatis, & non ſecundùm præcepta Imperatorum pœnas luatis. Tunc beati viri Florentius & Florianus dixerunt. Hoc nos nullatenus ſumus facturi, quod autem tibi præceptum eſt exerce. Tunc Præſes vehementi commotus furore præcepit, vt vel inuiti ſacrificarent. In cælum igitur ſancti viri Florentius & Florianus clamantes dixerunt. In te, Domine Deus noſter, ſperamus, & te negare numquam volumus, &c. Præſes in furorem conuerſus iuſsit eos fuſtibus cædi, &c. Cùm ergo cæderentur, leuauerunt vultum ſuum in hilaritate, veluti in gaudio & lætitia magna conſtituti. Præſes igitur ſcapulas eorum acutis confringi ſerris præcepit. Hoc facto, beati viri ampliùs glorificabant Deum, & ſe ſemper Chriſtianos confitebantur. Tunc iniquiſsimus Præſes, cùm ſe ſuperatum vidit, dedit in eos ſententiam, & iuſsit eos duci ad flumen, nomine Aniſum *, & de ponte in illud præcipitari quarto Kalendas Maij. Iámque crudelia ſæuiſsimi Præſidis complentur imperia. Ducuntur enim viri Sancti ad locum, vnde iuſsi ſunt in mortem præcipitari. Cúmque vincti ducerentur à militibus, venerunt ſubter quandam arborem, vbi ab itinere fatigati reſederunt, & ſomno grauati pariter obdormierunt. Tunc Angelus Domini per viſum apparuit beato Florentio, dicens. Frater Florenti, non eſt tibi data corona Martyrij, ſed eris conſors Confeſſorum. Surge igitur & perge in partes Galliarum, & ibi oſtendam tibi locum habitationis tuæ, futurum eſt enim vt à beatiſsimo Antiſtite Martino in ciuitate Taronica accipias ordinationem. Ecce, beato Florentio expergefacto, diſſoluta ſunt vincula eius. Tum idem cautiùs vocans beatum Florianum, narrauit ei omnia quæ per viſum ſibi fuerant indicata. Beatus igitur Florianus intelligens hoc diuinitus ſancto Florentio fuiſſe reuelatum, ait illi. Fac ſicut præcepit tibi Dominus, compleat Omnipotens Dominus dies tuos in bonum, & confirmet te in voluntate ſua, & ad vitam perducat æternam, vbi ego merear te videre cum gaudio, &c. Beatus igitur Florianus peruenit ad Martyrium gaudens huiuſmodi ſententiam ſibi diuinitus datam, exultánſque in vitam æternam, quam promiſit Dominus diligentibus ſe, ita hilaris pergebat, quaſi ad lauacrum duceretur. Cùm autem perueniſſent ad pontem, vnde fuerat iuſſus præcipitari, ligauerunt lapidem ad collum eius, quo in profundum dimergeretur. Tum Beatus Florianus deuotè milites, qui eum tenebant, cœpit rogare, vt orandi aliquantum ei ſpatium concederent. Stans igitur contra Orientem & manus ſuas in cælum extendens dixit. Domine Ieſu Chriſte, ſuſcipe animam meam. Orauit quaſi horæ vnius ſpatio, &c. Præcipitauerunt de ponte in fluuium, & ſtatim crepuerunt oculi eorum. Fluuius quidem ſuſcipiens Chriſti Martyrem expauit, eleuatíſque vndis ſuis in quodam loco eminentiori ſuper quoddam ſaxum corpus eius depoſuit. Cùm intereà diuino annuente fauore adueniens Aquila corpus ſancti viri cœpit exanime alis ſuis admodum protegere, &c. Beatus igitur Florianus manifeſtauit ſe cuidam fœminæ totâ mente Deo deuotæ, certis ei indiciis locum deſignans, vbi corpus ſuum traderet ſepulturæ. Hæc ergo mulier viſione compertâ iungit quæ poteſt animalia, & ad flumen vſque properauit, & corpus ſanctum cum omni reuerentia vehiculo impoſuit. Propter timorem autem gentilium virgultis & frondibus illud inuoluit, veluti videretur hæc quaſi ad hortum claudendum ducere. Cùm autem hæc mulier beati viri corpus ad deſignatum duceret locum, contigit vt improuiſè ad eundem perueniret. Sed eà longiùs cupiente procedere, factum eſt vt laſſarentur animalia, quaſi præ nimio Solis ardore, itaut ampliùs non valerent progredi. Tum mulier angore animi multùm tribulans cœpit Dominum totis viribus exorare, vt ei ſuâ miſericordiſsimâ pietate ſubueniret. Mox quidem in eodem loco fons affluentiſsimus erupit, qui in teſtimonium eius vſque hodie permanet, oſtendens quoniam ibi diuina adnuntiatio virum Sanctum ſepeliri iuſſerat. Ibi igitur mulier eum ſecretè propter imminentem & amaram perſecutionem cum omni feſtinatione ſub terra depoſuit. In quo loco miracula fiunt magna, &c.*

* Ens.

Hæc deſcripta ſunt ex libro primo.

A nobis autem partim reputantur vera, partim falſa. Quæ de Sancti Floriani Martyrio narrata ſunt, in dubium vocari non debent. Illius enim paſſio ſic in Tabulis Eccleſiaſticis quarto Nonas Maij conſignatur. *Lauria-* XV.

AN. CH. 693. CLODOVEI III. R. 2.

*ci * in Norico Ripenſi, Sancti Floriani Martyris, qui ſub Diocletiano Imperatore, Aquilini Præſidis iuſſu, ligato ad collum ſaxo in flumen Aniſum præcipitatus eſt.* At Sancto Floriano nihil commercij fuit cum beato Florentio, claruerunt enim temporibus longè diuerſis. Apud Surium [a] ſatis prolixè deſcribitur Martyrium Sancti Floriani, nec vlla mentio fit Sancti Florentij. A Surio non diſſentiunt Auctores Bauari. Sic enim Auentinus [b]. *Infinita hominum millia per prouincias cunctas & vrbes pro Chriſto quotidie occiſa ſunt, alij in flumen præcipitati, alij ſecti, alij exuſti ſunt. Tum apud nos, & in prouinciis, quas Boij incolunt, interempti ſunt, Diuus Maximilianus Archimyſtes Laureacenſis, Florianus Tribunus cum quadraginta militibus.* Fuſiori ſtylo Brunnerus [c]. *Quadraginta laureas nihilo inferiores iis, quæ cælo lapſæ quadraginta Sebaſtenos Martyres coronarunt, Laureacenſis ager quadraginta militibus impoſuit. Hos, Chriſtianæ pietatis causâ, Aquilinus Norici Riparij Præſes, Laureaci comprehenſos in carcerem coniecerat. Quod cùm Florianus, qui Caciæ oppido* (Ethium vocat Auctor Actorum) *Tribunus milit. præerat, cognouiſſet, ad ſpem tam nobilis triumphi excitatus, indignum cenſuit, peiori ſe, quam commilitones ſuos iure viuere, qui eadem ſub Chriſto ſtipendia feciſſet, ratus, ſi quiſquam ad coronam vocandus eſſet, neque ſe præteriri poſſe, certè frontem ſuam nunquam ad* IESV *nomen erubuiſſe. Ergo in publicum progreſſus, vltrò lictoribus ſe obtulit, & heus, inquit, carcer numerum ſuum non habet, qui ſi Chriſtum colentibus debetur, ego primus ligandus fui; obſequio & fide in Imperatorem meum nunquam ceſſi militibus Tribunus; &, ſi ex merito agitur, aliquid ſupra vincula merui, aut certè meruiſſe videri volo, ſacramentum, quod Chriſto dixi, idem nunc votum meum eſt; vri, vinciri, ferróque necari, deliciæ ſunt Chriſtianorum; & adoranti Crucem turpe eſt, non poſſe vulnus oſtendere. Hæc cùm plenus animi, ſuíque prodigus ſanguinis diceret, raptus ad Aquilinum Præſidem, quòd in ſententia perſeueraret, fuſtuarium ſemel iterúmque, ſcapularum etiam lacerationem, & candentes vncos Chriſtianâ conſtantiâ paſſus, Anaſſo tandem flumine merſus eſt. Ferunt lictorem, qui, ſuſpenſo de ceruice ſaxo, Martyrem in aquas præcipitauit, illicò oculis orbatum; corpus Martyris neque mole ſuâ, neque molaris pondere depreſſum, fluctibus etiam poſt mortem innatauit, ſaxóque applicitum tantiſper hæſit, donec religioſa fœmina, Valeria nomine, alitis ſacrum pignus inumbrantis tuentíſque indicio proditum corpus tumulo intulit. Ita fortiſſimus vir per flammas & vndas Deum ſecutus vtrique Elemento imperat; nam & iugis ſalubrium aquarum fons, ad tactum ſacri corporis proſiliiſſe fertur, & ignium furori in tecta graſſantium Floriani nomen hodiéque opponitur; multíſque documentis, omni æuo, oſtenſum eſt, tutelam hanc ædibus contra flammas ſaluti fuiſſe: quadraginta eius commilitones, per varia crudelitatis exempla tracti, laceratis corporibus, fidem integram inuictóſque animos ad triumphum ſecum aſportarunt.* Et Adlzreitterus [d]. *Crudeliſſimè ſæuitum eſt Laureaci in Chriſtianos, per Aquilinum virum Conſularem Norici Ripenſis præfectum, ídque imperante Diocletiano. Primi quæſtionibus fuere ſubiecti quadraginta, pari cum Sebaſtenis militibus numero, qui glorioſo Martyrio fuerunt defuncti: Laureacenſes noſtri illaturi cælo laureas, variis fuere tentati cruciatibus. Eiuſce rei fama mox exciuit Florianum ad ſpem pulcherrimi triumphi. Erat ille militum Tribunus in ſtatiuis Caciæ oppidi. Inde Laureacum aduolans velut ad glorioſam arenam, ſe vltrò profeſſus eſt Chriſtianum, & lictoribus obtulit vinciendum. Quid enimuerò, aiebat, minùs, quàm mei commilitones merui? Si crimen eſt Chriſto ſacramentum dixiſſe, non ſum illis innocentior; ſin virtus eſt, cur mihi negetur præmium? vnà omnes ſub Chriſti ſignis ſtipendia meruimus, liceat ſimul pro Chriſto certare. Non decet Tribunum pugnam defugere, cùm milites deſcendunt in arenam. Nec illis, nec mihi, qui vnà ſub Cruce militamus, Crux eſt erubeſcenda, in qua noſter Imperator triumphauit. Erit noſtra ſors tantò glorioſior, quantò propior honoribus Regis immortalis: cum eo iuuabit ferre ludibria, verbera, vulnera, denique ipſam mortem. Talia palàm magno ardore dicentem, miniſtri barbaræ crudelitatis traxere ad Aquilinum. Cùm thus diis adolere iuſſus, immotus in Chriſti fide perſtaret, damnatus eſt ad fuſtuarium,*

* Lorch.

[a] D. 4. Maij.

[b] Lib. 2.

[c] Lib. 4. n. 3.

[d] Part. 1. l. 5. nn. 23. 24.

Digitized by Google

ad diram ſcapularum excarnificationem, ad ignitas vngulas. Hæc cùm animum verè fortem nihil percellerent, in profluentem Anaſſum præcipitatus eſt, ſaxo ad collum alligato. Lictor, qui Martyrem deiecit in flumen, illicò videndi vſum amiſit. Corpus ductu mirabili in prominens ſaxum enatauit, vbi tamdiu ab alite defenſum hæſit, quoad Valeria pia matrona cælitus admonita, inde elatum, tumulo mandauit. Eum in modum miles Chriſti fortiſſimus; per ignem & aquam, ad ſuauiſſimum Regis ſui complexum euolauit, à quo id beneficij conſecutus eſt rebus mortalium, vt inuocatus graſſantes in tecta flammas compeſcat. Ferunt, ſacro corporis ipſius contactu, terram dediſſe fontem apprimè ſalutarem. Inuictus quadraginta ſociorum manipulus eâdem, quâ Florianus conſtantiâ, poſt toleratos immanes cruciatus, inſuperabiles animas cælo tranſmiſit. Nullum ibi verbum de Sancto Florentio, quem Auctor Actorum ait admonitum diuinitus, vt relicto Norico proficiſceretur in Gallias, vbi poſteà Presbyter à Sancto Martino Turonorum tunc Epiſcopo ſit ordinatus.

XVI. Hinc aliud aſſumitur telum, quo Acta ſuperiùs deſcripta rurſum impetuntur. In Martyrologio Romano, Sanctus Florianus Martyrio coronatur *ſub Diocletiano Imperatore.* Apud Surium *in diebus Diocletiani & Maximiani Imperatorum.* Apud Brunnerum *circa annum* CCXCVII. Nec ab illo computo recedit Adlzreitterus, affirmat enim Sancti Maximiliani pro fide certamen contigiſſe *circa annum Chriſti* CCLXXXIIX. & paſſionem Sancti Floriani *nono poſt anno* conſignat. Auentinus, cui minùs credendum, agonem Sancti Floriani ſeriùs refert poſt mortem Conſtantij Chlori, cùm Conſtantinus, eius filius ac ſucceſſor, iter in Italiam cum Maxentio pugnaturus nondum ſuſcepiſſet. Diocletianus Imperator decimoquinto Kalendas Octobres Chalcedone renunciatus eſt anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo-quinto, & Maximianum Cæſarem anno ſequenti dixit. Idem Maximianus ex Cæſare leuatus eſt Imperator Kalendis Aprilibus anno Chriſti ducenteſimo octogeſimo-ſeptimo, purpurámque vnà cum Diocletiano depoſuit Kalendis Aprilibus anno Chriſti trecenteſimo quinto. Eâdem horâ Conſtantius, qui Cæſar fuerat, Auguſtus eſt nuncupatus, obiitque Erâ trecenteſimâ quadrageſimâ-quartâ, ſiue anno Chriſti trecenteſimo ſexto. Hæc probauimus in Apparatu Chronologico, quem primo noſtrorum Annalium Tomo præfiximus. Sanctus Martinus in Epiſcopatum Turonenſem Beato Lidorio ſucceſſit anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo-primo, vitámque mortalem clauſit anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo-ſeptimo. Vtrumque Tomo primo ad annum Chriſti duodequingenteſimum [a] prolixâ diſſertatione demonſtrauimus, cùm de Sancti Voluſiani Turonenſis Antiſtitis exilio ac Martyrio, déque Chronologia Turonenſium Epiſcoporum ageremus. Effluxerunt igitur à paſſione Sancti Floriani, ſiue ab anno Chriſti ducenteſimo nonageſimo-ſeptimo, vſque ad beati Martini Pontificatum anni quatuor & ſeptuaginta. Quis ſibi perſuadeat Florentium in virili ætate poſitum, vtpote qui ſemper in Actis ante Florianum Tribunum militum ab Aquilino Præſide & ab ipſomet Actorum Auctore nominetur, è Norico in Gallias abiiſſe, ibique poſt annos ad minimum LXXIV. ordinatum fuiſſe Presbyterum? Rerum à Florentio, toto illo LXXIV annorum interuallo, geſtarum nulla commemoratur, quis ad tantum Auctoris ſilentium non obſtupeſcat?

[a] No. 6. & ſeqq.

XVII. At ne damnari videatur inauditus, legenda tibi proponemus ea, quæ Martyrium ſancti Floriani ſubſecuta ſcripſit. Librum primum Paſſione ſancti Floriani clauſit, alterum ſic auſpicatus eſt. *Factum eſt autem poſt beati Martyris Floriani exceſſum, cùm beatus Florentius Angelo reuelante commonitus in partes Galliarum pergeret, peruenit ad fluuium Rhodanum ad portum qui dicitur Lucdunum, inuenítque ibi nauem ſine gubernatore, erat enim vndique fracta. Volens igitur vir ſanctitate plenus quantocyùs ad Miſſam feſtinare, nam dies Dominicus erat, intrauit in eam & facto Crucis ſigno ait. Deduc me, Domine, in voluntate tua. Et mox ſine gubernatore flumen illud tranſmeauit, Angelus quippe Domini*

Digitized by Google

AN.CH. 694. CLODOVEI III. R. 2. *cuſtodiuit eum. Cúmque ad ripam fluminis perueniſſet, inuenit hominem à dæmonio vexatum, quem etiam ob iſtiuſmodi cauſam alij vinctum tenebant. Quod videns beatus Florentius fraterno tactus dolore, genu flexo in conſpectu Domini, totis viribus deprecabatur Domini pietatem, vt eum expulſo dæmone ſanitati redderet, factóque ſuper eum Crucis ſigno ſanus effectus eſt. Multa quidem & alia miracula in eodem itinere per eum Dominus oſtendit. Eo igitur tempore iam matris Eccleſiæ in Turonica ciuitate Sedem beatus Martinus Antiſtes glorioſiſſimè triumphans tenebat. Huic ergo Angelus, quo duce beatus Florentius iter agebat, in viſu reuelauit, quòd idem vir talis aduena ad eum veniret, præcepítque ei, eiuſdem faciem oſtendens, vt eum in Sacerdotali Ordine conſtitueret. Intereà beatus Florentius peruenit Turonus ciuitatem, ſicut ei diuinâ adnuntiatione fuerat præceptum, introiuítque in templum, in quo beatus Martinus Deo militans ſedebat, & ad terram proiectus orauit. Tunc exurgens ab oratione venit ante beatum Martinum, petiítque ab eo benedictionem. Vt autem eſt illum intuitus beatus Martinus, illicò cognouit eum eſſe quem Angelus Domini ei per viſum oſtenderat. At vir beatus ſuſcepit eum cum gaudio, & mox deduxit eum in Secretarium, memor ſermonis Domini, quo ait.* [*Domus mea, domus orationis vocabitur.*] *Cœpit autem eum interrogare Antiſtes glorioſus, vnde eſſet, cauſámque itineris necnon affectum voluntatis. Et narrauit ei omnia beatus Florentius, quæ erga eum acta erant, quídque in animo gereret. Comperto autem beatus Martinus, quòd vir ſanctæ deuotionis eſſet, & diuinâ adnuntiatione ad ſe veniret, multùm eum dilexit, & cum ſumma reuerentia cuſtodiuit. Erat quidem dies tertius ante ordinationem. Et ecce in die ordinationis facto officio, ſicut mos eſt, ordinauit eum Sacerdotem.*

XVIII. Hac narratione lectâ, cenſebíſne Florentium ſancti Floriani Martyris, qui ſub Diocletiano & Maximiano Auguſtis paſſus eſt, in Norico ſocium extitiſſe? Florentius ab Angelo monitus è Norico quantocyùs diſcedit, in Gallias rectà proficiſcitur, Lugdunum deuenit, atque inde Turonos, vbi tertio poſt aduentum die Preſbyter ordinatur à ſancto Martino tunc illius ciuitatis Antiſtite. Quis annos ſeptuaginta quatuor, aut etiam plures, in illo itinere fateatur inſumptos? Auctor ipſe vult Florentium, poſtquàm à beato Floriano ſeparatus eſt, annos vixiſſe tres duntaxat & ſexaginta, ſub finem enim libri ſic ſcribit. *Anni autem vitæ huius ſanctiſſimi viri* Florentij *fuerunt* CXXIII. *Sed poſtquàm à beato Florentio ſeparatus eſt, vixit annis* LXIII, *dies ſuos in pace feliciter agens.* Hæc autem computatio ſtare non poteſt, à Martyrio enim ſancti Floriani, quod ſub Diocletiano Auguſto contigit, vſque ad beati Martini Pontificatum, cuius initium in annum Chriſti trecenteſimum ſeptuageſimum-primum incidit, anni plures quàm tres & ſexaginta præterierunt.

XIX. PATRIA ET ÆTAS S. FLORENTII. Aſſentimur igitur iis, qui Florentium Gallum ac Pictauienſem conſtituunt, eúmque, multis annis poſt Martyrium ſancti Floriani iam elapſis, editum in lucem affirmamus. Patriam deſeruit, vt Turonis Preſbyter à beato Martino Turonenſi tunc Epiſcopo fieret. Sedit ſanctus Martinus annos viginti ſex ab anno Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo-primo ad annum vſque Chriſti trecenteſimum nonageſimum-ſeptimum; Florentium promouit ad Preſbyteratum medio circiter Pontificatu, certè non exeunte, nam Florentius, vt in eius Actis legitur, *habebat conſuetudinem*, vt *ſingulis annis* Epiſcopum Martinum adiret. Quot annos Florentius vixerit, haud ſcitur. Eius vitam fortè non malè circumſcripſeris illo annorum numero, quo fingitur Floriano Martyri ſuperuixiſſe.

XX. SECESSVS AD MONTEM GLANNAM. Quomodo ſeceſſerit ad montem, quem Glannam, Glonnam & Glomnam vocant, Auctor Actorum ſic tradit. *In quo Ordine*, nempe Sacerdotali, *degens, dum totâ mente & aſſiduis precibus exorabat, vt ei ſicut per Angelum ſuum reuelauerat, locum vbi habitaret oſtenderet, quâdam ergo nocte, antequàm ad Matutinum Officium ſurgeret, demonſtrauit ei Dominus locum habitationis ſuæ. Eſt quidem locus prope alueum Ligeris, ſcilicet quaſi medio miliario, & in eo ſpelunca,*

Digitized by Google

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

lunca, vbi multi inerant ſerpentes magni & minores, éſtque nomen ipſius Glomna. Cognito itaque reuelatione diuinâ habitationis ſuæ loco pergit ſecus ripam Ligeris, donec ad eundem venit. Tunc videns montem, cognouit quia ipſe eſt locus quem ei Angelus Domini per viſum oſtendere dignatus eſt. Móxque prope montem accedens reperit ibi multos ſerpentes, & genu flexo deprecabatur Dominum dicens. Domine, qui eduxiſti me de terra natiuitatis meæ, & demonſtraſti mihi locum, in quo habitarem ſecundùm voluntatem tuam, fac mihi locum hunc quietum à diabolo & ab eius poteſtate & à ſerpentibus qui ibidem commorantur, vt nulli deinceps nocendi poteſtatem habeant, & ſtatim relicto monte ſerpentes fugerunt. Poſtquàm autem diuinâ annuente clementiâ eundem locum à diabolica emendauit immunditia, fecit ibi vir ſanctus Oraculum in honore beati Petri Apoſtoli, aliorúmque Apoſtolorum plurimorúmque Sanctorum. In quo loco per orationes eiuſdem beati Florentij multas virtutes Dominus operari dignatus eſt ad laudem & gloriam nominis ſui.

XXI. INITIA MONAST. GLANNENSIS.

Abhinc Glanna locus celebris eſſe cœpit. Ibi vitam primùm duxerunt Eremitæ, deinde Monachi cum Abbate. Porrò Abbatum, quorum nomina ſuperſunt, antiquiſſimus habetur Maurontius, cuius animam in cælos ab Angelis deferri vidit Æmenlandus primus Abbas Antrenſis. Colitur [a] ſanctus Maurontius quinto Idus Ianuarij. De ſucceſſoribus altum ſilentium vſque ad tempora Caroli Magni.

[a] Gall. Chriſt. Tom 4.

XXII. Vt Maurontio Abbati Glannenſi, ſic & Paſquario Epiſcopo Namnetenſi ſuperſtes vixit Æmenlandus Abbas Antrenſis, de quo recurret ſermo. Sancti Paſquarij memoriam celebrant Namnetenſes ſexto Idus Iulias. Huiuſce Pontificis vitam in Armorica ſancta deſcripſit Albertus ex Breuiario Namnetenſi & ex Actis ſancti Æmenlandi, ſed in Characteribus Chronologicis, quos inſeruit, aberrauit plurimùm. Beati Præſulis ortum anno Chriſti ſexcenteſimo tertio, aſſumptionem ad Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, mortem anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo collocauit; aduentum verò Æmenlandi ex Cœnobio Fontanellenſi Namnetas anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-tertio, & Antrenſium Eccleſiarum dedicationem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto retulit. Lapſus eſt in errores adeò graues, & ab ipſis Lamberti Fontanellenſis Abbatis temporibus tam longo interuallo receſſit, quia catalogum Namnetenſium Antiſtitum à Roberto in Gallia Chriſtiana vulgatum ſecutus eſt, exiſtimauítque Paſquarium in Epiſcopatum ſucceſſiſſe Leobardo, qui teſte Flodoardo [b] Synodum Remenſem, anno Chriſti, vt probauimus, ſexcenteſimo viceſimo-quinto congregatam ſuâ ſubſcriptione communiuit. Peruenit ſanctus Paſquarius ad Principatum vſque Childeberti, quem huiuſce nominis Tertium appellamus, Secundum plerique, quia Regum duntaxat, qui Pariſiis & in Neuſtria regnarunt, indicem texunt, ideóque prætermittunt Childebertum, Clotarij Primi ex Sigiberto filio nepotem, qui dictus eſt à nobis Childebertus Secundus, duóque tantùm Regna tenuit, Auſtriæ videlicet ac Burgundiæ, dum Neuſtria vel Chilperico vel eius filio Clotario Secundo ſubiacebat. Childeberto Tertio, cuius obitus in annum Chriſti vndecimum ſupra ſeptingenteſimum incidit, annos Regni ſeptemdecim tribuendos eſſe iam monuimus. Eo regnante migrauit in cælum beatus Paſquarius; quonam autem anno, manet incomperttum.

[b] Lib. 2. c. 5.

PASQVARIVS NAMNETENSIS EP. QVANDO MORTVVS.

XXIII. SVCCEDIT AGATHEVS.

Sancto Paſquario in Epiſcopatum Namnetenſem ſucceſſit Agatheus, ſi tamen hic Epiſcopi nomine dignus haberi poteſt. Recenſetur ab Auguſtino à Paſſu & à Seuertio Auguſtinum ſecuto, necnon à Sammarthanis. Vocatur Agathius in Codice Thuaneo apud Robertum. Omittitur ab aliis Nomenclatoribus. Memoratur in vita manuſcripta ſancti Æmenlandi, quocum talem congreſſum habuit in Antrenſi Monaſterio. *Temporibus ſancti viri Æmenlandi erat quidam vir inclytus nomine Agatheus, duarum vrbium, Namnetica ſcilicet & Redonica, Comes, locúmque Epiſcopatûs in prædictis occupans vrbibus. Hic Antrinſem Inſulam orationis gratiâ & vt cum viro Dei loqueretur adiit.*

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

Qui benignè ab eo ſuſceptus eſt. Oratione verò expletâ eum de ſuis actibus increpans, ſanctíſque inſtruens monitis, melioris vitæ tramitem eum arripere hortabatur. Poſt verba verò prædicationis humanitatis gratiam ei exhibens in refectorium eum ſecum duxit, calicémque meri ei dari iuſſit. Qui cùm mediam eius partem bibiſſet, calicémque fratri deferenti reddere voluiſſet, Sacerdos Dei vt adhuc biberet hortatus eſt, eleuatâque rurſum dexterâ ſecundò ſuper prædictum calicem ſignum impreſſit Crucis; necdum manum retraxerat, & ecce ſubitò calix ita repletus eſt, vt vbertim exundans ex eo vinum ſuper brachia prædicti viri effunderetur. Tunc iam dictus Agatheus indignum ſe confeſſione tanti exiſtimans Sacerdotis, citiſſimè ad pedes eius tremebundus cecidit, poſtulans eum pro ſuis interuenire erratibus, sicque, per exterius miraculum, eius, de qua antè infidus dubitat, cognoſcere compulſus eſt animi ſanctitatem, completáque eſt ſententia Apoſtoli in eo dicentis. [Signa non fidelibus ſed infidelibus dantur.] Patet namque ideo prouidentiâ Dei id actum miraculum, vt bruta mens, quæ prædicationis igne non caleſiebat, vel perculſa miraculo, timoris anxietate compelleretur emendationi operam dare. Nam ex eo tempore minùs crudelis apparuit.

XXIV. Agatheus in Cathedra Namnetenſi poſt Sanctum Paſquarium ſedit, Epiſcopatúmque geſſit regnante tunc Childeberto Tertio. Hæc colliguntur ex Actis Sancti Ærmenlandi ſuprà citatis. Nec audiendus eſt Auguſtinus à Paſſu, in cuius catalogo poſt Paſquarium medij collocantur Salapius anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto, & Eufronius anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo. Salapius enim, qui Chaddonem Archidiaconum ad Synodum Cabilonenſem anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto direxit, in Pontificatu Taurinum, Harconem & Paſquarium anteceſſit. Abradendus autem ex albo Namnetenſium Epiſcoporum Eufronius, qui Leobardo in Synodo Remenſi ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-quintum ex Hiſtoria Flodoardi [a] noto rectè præmittitur à Roberto & à Sammarthanis, nec alius ſtatuitur à Sofronio cuius meminimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum decimum [b] ex vita Sancti Columbani à Iona Monacho conſcripta. De ſucceſſore Agathei nulla eſt difficultas. Agatheo enim Amithonem ſubrogant Nomenclatores, quotquot ipſum Agatheum Namnetenſem Epiſcopum agnoſcunt, Auguſtinus videlicet à Paſſu, Seuertius, Robertus, Sammarthani. Amithonis geſta manſerunt obſcura, nomen variis modis effertur, Roberto enim eſt *Amito* & *Anno* in Gallia Chriſtiana, *Amno* Alberto in Armorica Sancta.

CATALOGVS EPISC. NAMNET. EXAMINATVR.

[a] Lib. 2. c. 5.

[b] Num. 3.

XXV. Auguſtinus *du Pas*, aliíque qui catalogo Namnetenſium Epiſcoporum Agatheum inſcripſerunt, nullam eiuſdem Agathei mentionem fecerunt in nomenclatura Redonenſium Antiſtitum, tamen in Actis Sancti Ærmenlandi ſuprà iam citatis vterque ei Præſulatus aſſeritur, nec de vno potior eſt ratio quàm de altero, ſic enim ſcribit Auctor. *Erat quidam vir inclytus, nomine Agatheus duarum vrbium, Namnetica ſcilicet & Redonica, Comes, locúmque Epiſcopatûs in prædictis occupans vrbibus.* Omnes Nomenclatores Duriotero Epiſcopo Redonenſi, cuius obitum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto [c] conſignauimus, ſubiiciunt Guillelmum, Guillelmo Moderandum. Auctor Armoricæ Sanctæ Guillelmum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto mortuum tradit, ceteri teſtantur illum anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo in viuis adhuc ſuperſtitem fuiſſe. Priorem ſententiam tuemur, quia Synodo Rotomagenſi Deſiderius Guillelmi ſucceſſor anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo interfuit. Sancto Deſiderio ſucceſſit Agatheus, deinde Moderandus. In Namnetenſium Epiſcoporum indice Robertus ita ſcribit de Agatheo ſiue Agathio. *Agathius vocatus, ſed non conſecratus, Cod. Thuano.* Id autem exiſtimamus alienum prorſus à vero, quia Moderandus annos tantùm tredecim ſedit, & Epiſcopatum dimiſit regnante iam Chilperico Tertio, qui Regnum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ſuſcepit. Certè quæcumque commemo-

[c] Num. 1.

AGATHEVS DVAS OCCVPAT ECCLESIAS.

Digitized by Google

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

rantur de Agatheo, fidem omnem ex ſolis Actis beati Ærmenlandi mutuantur. At ex eorumdem Actorum textu ſuprà recitato patet Agatheum duarum ciuitatum, Namneticæ videlicet ac Redonenſis, Epiſcopum fuiſſe, diúque præfuiſſe vtrique Diœceſi, venit enim in Antrenſem Inſulam, habitóque cum Ærmenlando Abbate colloquio, crudelitatem quâ priùs in Diœceſanos vſus fuerat, multùm temperauit, *ex eo tempore*, inquit Auctor prædictorum Actorum, *minùs crudelis apparuit.* Cùm de Sancto Deſiderio Redonenſi Epiſcopo nihil legatur poſt annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum, in dubium autem vocari non poſſit, quin Paſquarius Namnetenſis Epiſcopus ſub Childeberto Tertio claruerit, qui Regnum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ſuſcepit, Cathedram Redonenſem ab Agatheo primùm occupatam arbitrare, deinde & Namnetenſem retentâ quoque Redonenſi.

XXVI. MODERANDI RES GESTÆ ANTE PONTIFICATVM.

Bertrandus Argentræus in Hiſtoria Britannica non pauca ſcripſit de Sancto Moderando, plura collegit Albertus de Monte Relaxo in Armorica Sancta. Breuiter res duntaxat ante Pontificatum ab eo geſtas hîc attingemus. Natus eſt Moderandus anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-primo, cùm Durioterus Redonenſis Epiſcopus in viuis adhuc ſuperſtes erat. Multum inclaruit ſub Willelmo Durioteri ſucceſſore, à quo primùm in Clerum adſcriptus eſt, poſteà per gradus Eccleſiaſticos promotus ad Preſbyteratum. Patri ſuo à ſe longè diſſito noctu apparuit, intentauítque minas adeò graues, vt eum à prauo conſilio ſuperinducendæ coniugis, legitimâ ſuperſtite, reuocarit. Agemus infrà de illius Pontificatu. Interim hæc ſufficiant de Ærmenlando Abbate Antrenſi, déque Epiſcopis Redonenſibus, qui eidem Ærmenlando Synchroni vixerunt.

XXVII. SCOPILIO EP. AVTISSIODORENSIS OBIT. SVCCEDIT TETRICVS EX ABB. S. GERMANI.

Hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, diſceſſit è viuis Scopilio, cùm Autiſſiodorenſem Pontificatum tenuiſſet annos octo. Succeſſit Tetricus ſeu Treticus menſe Decembri, nam Martyrium ſubiit decimo quinto Kalendas Aprilis poſtquàm ſediſſet annis quindecim ac menſibus tribus. *Hic* teſte Chronographo [a] Autiſſiodorenſi, *fuit vir mitiſſimus & omni bonitate ornatus. Ante Epiſcopatum extitit Abbas Monaſterij Sancti Germani, in quo officio poſitus talem tantúmque ſe exhibuit, vt meritò ab omnibus ſummo frequentaretur ſtudio. Erat enim largus, pius, caſtus, atque miſericors. Deo igitur fauente omnis populus à minimo vſque ad maximum diuinâ inſpiratione permoti cum in Pontificum ordinem elegerunt. Sícque à Baſilica Sancti Germani extractus, Deo dignus Pontifex eſt electus & ordinatus Sacerdos. Cœpit enim mox accepto Sacerdotio prædicationibus inſiſtere, Eccleſiámque ſibi à Deo commiſſam ſpiritaliter erudire.* Factus eſt autem Abbas Sancti Germani Quintilianus, *cuius pater* dictus etiam *Quintilianus Monaſterium Miteretenſe conſtruxit, ac rebus propriis ditauit, Xenodochiúmque Brittonum Romam pergentium ibidem eſſe conſtituit*, vt idem Chronographus teſtatur [b]. Agemus iterum de Quintiliano ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum, quo factus eſt Epiſcopus Autiſſiodorenſis ex Abbate Sancti Germani.

[a] Cap. 24.

QVINTILIANVS FIT ABB. S. GERMANI. MONAST. MITERETENSE.

[b] Cap. 29.

XXVIII. ANSBERTVS EP. ROTOMAG. LICENTIAM OBTINET REDEVNDI AB EXILIO.

Poſt Clodouei mortem euecto ad ſolium fratre Childeberto, cùm rerum nouandarum nulla eſſe videretur occaſio, non defuerunt qui Pippino ſuggererent, vt Anſbertum Rotomagenſem Epiſcopum in Alto monte apud Hannonios exulantem grauioribus pœnis affligeret. Anſbertus, vbi certior hac de re factus eſt, Halidulphum Alti montis Abbatem rogauit, vt innocentiæ patrocinaretur legatione ad Pippinum ſuſceptâ. Lubenter itineri ſe commiſit Abbas, & à Pippino, quæcumque poſtulauit, obtinuit factâ etiam Anſberto, ſi vellet, ad Sedem propriam reuertendi facultate. Quo de negotio ſic Aigradus in ipſius Anſberti vita. *Hoſtis antiquus aduersùs virum Dei* Anſbertum *accendit inuidiam malignorum, qui prædicto Principi* Pippino *iterum moliebantur ſuggerere, vt maiora ei inferret exilij detrimenta. Quapropter præfatum venerabilem Patrem Halidulphum acccerſiens idem præclarus Paſtor, ad prædic-*

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

tum excellentiſſimum Principem vnà cum aliis viris venerandis direxit, ſatisfaciens humiliter eius animi voluntati, adiiciens etiam ſe non ſuâ ſponte Epiſcopatûs ſuſcepiſſe gradum, ſed iuſſione Principum & electione ciuium humiliter ſuſcepiſſe illud miniſterium. Quapropter pergens prædictus Cœnobij Pater ad eumdem inclytum Principem, ſuperno iuuamine fretus, petita conciè impetrare meruit. Reminiſcens etiam idem Princeps propinqui ſui, ſancti Patris Wandregiſili, ſub cuius ſancta diſciplina præfatus ſanctus Pontifex Anſbertus olim regulari ordine alitus fuerat, quæcumque perperam geſta fuerant, clementer indulſit, inſuper & ad Sedem propriæ vrbis reuertendi licentiam tribuit. Sed ne hoc fieret, diuinâ vocatione præuentus eſt, vt in ſequentibus dicemus. Pippinus, quæ ſibi diſplicuerant, *perperam geſta* ſentiebat, tamen cùm ſolo tuendæ auctoritatis deſiderio flagraret, vbi nihil à Magnatibus ſibi timendum duxit, Anſberto Epiſcopo reditum ad Eccleſiam Rotomagenſem facilè permiſit. Quid ſecutum ſit, anno ſequenti narrabimus ex eodem Aigrado.

XXIX. TRANSLATIO SANCTI AMANDI.

Hoc anno, menſe Octobri, cùm à die quo ſanctus Amandus obiit, annus decimus-ſextus volueretur, eius corpus ex Oratorio Principis Apoſtolorum, in quo quieſcebat, ad Eccleſiam ſancti Stephani nuperrimè conſtructam tranſlatum eſt ab Epiſcopo Tornacenſi. Qua de re ſic Anonymus editus à Surio [a] poſt vitam ſancti Amandi ab Abbate Baudemundo conſcriptam. *Corpus ſacroſanctum beati Amandi in Cœnobio, quod idem Sanctus ædificauerat, atque Elnonis vocabulum indiderat, debito fidelium honore ſepultum eſt, non tamen in ipſa quâ nunc requieſcit Baſilica, ſed in altera, quæ adhuc ſupereſt, Principis Apoſtolorum Petri nomine dedicata. Quæ quoniam pro ſui paruitate tanti Præſulis tumulo viſa fuit incongrua, atque etiam ſecundo ſexui propter Monachorum habitacula inacceſſa, frequenti religioſorum virorum conuentui viſum eſt aliam magnitudine præſtantem debere ædificari, quæ & vtrique ſexui ac confluenti illicò ſufficeret multitudini populari. Ad quam venerandus Chriſti Confeſſor, qui tunc ſupererat, Eligius corpuſculum ſancti Patris ſextodecimo poſt tranſitum anno integrum & omnimodis incorruptum ſeptimo Calendas Nouembris tranſtulit, &, vt tunc moris erat, altiùs telluri commendauit.* At ab obitu ſancti Eligij Tornacenſis Antiſtitis, in cuius Diœceſi ſitum erat Monaſterium Elnonenſe, iam effluxerant anni triginta quinque. Miramur idem Eligij nomen legi cùm in fragmento Chronici Elnonenſis edito à Miræo [b], tum apud Milonem Monachum Elnonenſem in Sermone de Tranſlatione ſancti Amandi. Conſtat enim ſanctum Eligium obiiſſe regnante Clotario Tertio, & ſanctum Amandum ſuperſtitem vixiſſe vſque ad Principatum Theodorici, qui poſt Childericum prædicti Clotarij ſucceſſorem regnauit. Expuncto igitur Eligio reſtituendus eſt Hautgarius, qui poſt Mummolinum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimoquinto mortuum ſedit, aut ipſius Hautgarij ſucceſſor Gunduinus, neque enim compertum habemus quot annos hi Præſules in Epiſcopatu tranſegerint.

[a] d. 6. Febr.

[b] In Orig. Bened. c. 20.

XXX.

Milo in Sermone de Tranſlatione S. Amandi obſeruat ſeptimo Kalendas Nouembres debito cum honore Dedicationem ſacræ Baſilicæ, Tranſlationem Beati Amandi, & Epiſcopalis honoris Aſſumptionem celebrari. *Rationem*, inquit, *vt credimus, hodiernæ feſtiuitatis reddidimus, ac quid in ea colimus, vtcumque his pauciſſimis ſermonibus explicauimus, ſacra videlicet Dedicationem Baſilicæ, atque Tranſlationem in ipſam Pontificis Chriſti Amandi memorabilem. Prætereà vt etiam veneranda huius ſolennitas diei trino non indecora ſit calculo, tertia ſupradictæ celebritati cauſa cucurrit, Epiſcopalis ſcilicet honoris Aſſumptionem, quia reuerendum Patronum noſtrum hodiernâ die venerabiliter recolimus ordinatum, atque ſaluti plurimorum supernâ dirigente clementiâ Pontificem cælitus datum.* Eadem in Martyrologio Benedictino breuiùs enuntiantur. *Septimo Calendas Nouembris, Traiecti Ordinatio ſancti Amandi; & Elnone Cœnobio Tranſlatio corporis ipſius ab Eccleſia ſanctorum Petri & Pauli in Eccleſiam ſancti Stephani protomartyris agente ſancto Eligio Pontifice, & Dedicatio eiuſdem Baſilicæ.* Diſſentit Marty-

Digitized by Google

rologium manuſcriptum Leodienſe ſancti Lamberti, quod à Bollando in commentario præuio vitæ ſancti Amandi citatum reperies. Ibi enim Ordinatio ſancti Amandi, Tranſlatio corporis in Eccleſiam ſancti Stephani & Dedicatio eiuſdem Eccleſiæ non ſeptimo Kalendas Nouembris ſed octauo eaſdem Kalendas recoluntur. Stamus ab hocce Martyrologio Leodienſi, quia dies octauus ante Kalendas Nouembris in Kalendario notatur literâ D, literâque Dominicali D præditi fuerunt annus Chriſti ſexcenteſimus vndequinquageſimus, quo conſignauimus Ordinationem ſancti Amandi, & annus Chriſti ſexcenteſimus nonageſimus-quartus quo corpus ſancti Amandi in Eccleſiam ſancti Stephani tranſlatum eandémque Baſilicam dedicatam fuiſſe contendimus. Elnonenſes Monachi, in quorum numero fuit Milo, cùm falsò ſibi perſuaſerint ſanctum Amandum obiiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, Tranſlationem corporis ac Dedicationem Eccleſiæ coniiciunt in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſextum, atque in diem ſeptimum ante Kalendas Nouembris, qui Dominicus fuit literâ E per menſem Octobrem biſſextilis illius anni currente. Præтereà iidem Monachi ſexto Kalendas Nouembres Ordinationem ſancti Amandi ſpecialiter recolunt, in Martyrologio enim Benedictino hæc leguntur. *Sexto Calendas Nouembris, Elnone Monaſterio, feſtum Ordinationis ſancti Amandi Epiſcopi.* Sed iſta Ordinatio nec ſexto, nec ſeptimo Kalendas Nouembris, ſed octauo eaſdem Kalendas peracta eſt, idémque dicendum de Tranſlatione ſancti Amandi in Eccleſiam ſancti Stephani déque Dedicatione eiuſdem Baſilicæ. Hoc igitur anno, eodem die, octauo videlicet Kalendas Nouembris, dedicata eſt Elnone Baſilica ſancti Stephani, in eámque tranſlatæ ſunt ſancti Amandi reliquiæ.

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

XXXI. S. ANDREÆ ABB. ELNONENS.

Sanctus Andreas Abbas quondam Elnonenſis, qui prope ſanctum Amandum in eodem Oratorio ſancti Petri ſeu Beatorum Apoſtolorum quieſcebat, cum eodem ſancto Amando in nouam ſancti Stephani Baſilicam tranſlatus eſt anno poſt eius obitum ſexto, ſiue anno poſt mortem ſancti Amandi decimo-quinto completo aut decimo-ſexto inchoato. Sic enim de vtroque ſcribit Chronographus Elnonenſis. *Amandus nonageſimo ætatis ſuæ anno, in Eccleſia Diui Andreæ ante altare glorioſæ Virginis Mariæ* VIII *Idus Februarij, ſpiritum Deo reddidit, & in Eccleſia beatorum Apoſtolorum, quam recenter dedicauerat ab obitu die quarto honorificè ſepelitur, in qua annis ferè* XVI *incorruptus & incontaminatus requieuit. Poſt cuius felicem obitum beatus Andreas eius ſucceſſor & filius duobus ferè luſtris in humanis agens, miraculis coruſcus terram linquens aſtra petiit, ſepultus iuxta Patris ſui veſtigia anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo*, vel potiùs iuxta noſtram computationem ſexcenteſimo duodenonageſimo. *Poſt aliquot tamen annos cum corpore beati Amandi, inde tranſlatus eſt ad grandiorem Eccleſiam Diuo Martyri Stephano dedicatam. Ad cuius ſepulchrum diuina clementia, meritis eius, languoribus plurimorum ſalutem contulit. Huic ſucceſſit beatus Ioannes à beato Amando Blandinij Abbas conſtitutus. Huius temporibus conſtructa eſt Eccleſia beati Stephani maior propter crebra beati Amandi miracula, & beati Amandi corpus in eam transfertur per beatum Eligium anno ab obitu eius* XV. Hic Auctor, quia ſanctum Amandum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo mortuum ſupponit, obitum ſancti Andreæ refert anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo. Reticet autem diem, quo vterque tranſlatus eſt in Eccleſiam ſancti Stephani. Si reticuiſſet & nomen Epiſcopi, qui ſanctas reliquias tranſtulit, haud lapſus eſſet in errorem eò certè grauiorem, quòd nominauit Eligium, cùm Mommoleni, qui poſt Eligium ſedit, anteà meminiſſet ſuperſtite adhuc in viuis Amando. Ioannem appellat Elnonenſem Abbatem, ſancti Andreæ ſucceſſorem, in cuius tempora Tranſlatio ſancti Amandi in Eccleſiam ſancti Stephani eiuſdémque Baſilicæ Dedicatio inciderunt. De nomine non diſputabimus, ſed negabimus fuiſſe Blandinienſem illum Abbatem nomine Ioannem, quem beatus Amandus ſancto Florberto ſuc-

Digitized by Google

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

ceſſorem conſtituit. In præfecturam enim Blandinienſem Ioanni illi ante Sanctum Amandum mortuo ſubrogatus eſt Baudemundus, qui vitam Sancti Amandi ſcripſit, & quia Tranſlationis anno poſt mortem Sancti Amandi decimo-ſexto factæ nullam mentionem iniit, creditur hoc opus elucubraſſe, imò vitam clauſiſſe, Sancti Amandi corpore in Eccleſiam Sancti Stephani nondum tranſlato.

XXXII. S. MAXELENDIS MARTYRIS.

Facta eſt & hoc anno Kalendis Nouembribus Tranſlatio Sanctæ Maxelendis, de cuius Martyrio ſermonem ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum fecimus. *Triennio verò expleto*, inquit Baldericus, aut potiùs triennio ferè expleto, biduum enim ad expletionem triennij defuit, *poſt paſſionem eius*, beatæ videlicet Maxelendis, *quædam matrona nobilis, nomine Amaltrudis, voce diuinâ commonita eſt, vt beatum Vindicianum Cameracenſem Epiſcopum adire deberet, vt ipſe cum Clero ſuo ac plebe vicina ſacrum corpus ad locum interfectionis cum ſumma veneratione referret, quia locum illum Dominus ſignis & miraculis clarificare diſpoſuerat. Quod beatus Pontifex, mox vt referentis verba audiuit, implere curauit. Porrò Harduinus, qui eam interfecerat, licèt miſerrimè, & cum ignominia, adhuc in cæcitatis ſuæ tenebris viuebat. Qui vt ſacrum virginis corpus ad locum memoratum referri audiuit, damnans & recognoſcens peccatum ſuum, obuiam corpori ſe iubet duci, & ante feretrum ſe proſtrauit. Ad quem mox vt ſacri corporis baiuli peruenerunt, lumen recepit, currénſque ad Epiſcopum narrauit quanta ſibi acciderant. Ex præſentis igitur occaſione miraculi, Epiſcopus verbo dato ad populum, ſanctum corpus in Eccleſia ſuprà memorata ſepeliuit.* Hæc Baldericus in Chronico [a] Cameracenſi. Beata Martyr apud villam Pomeriolam *, quæ ſpatio vnius duntaxat horæ à Caſtro * Cameraceſio diſtat, in Baſilica Principum Apoſtolorum Sanctíque Sulpicij Confeſſoris hactenus quieuerat. Inde tranſlata eſt ad locum Martyrij, cui nomen Calderiacum *. Situm eſt autem Calderiacum in pago ſeu territorio Cameracenſi, tribúſque miliaribus à Cameraco, totidem à prædicto Caſtro Cameraceſio diſtat. Illic Humlinus Sanctæ Maxelendis pater, vt in eiuſdem prælaudatæ Martyris vita legitur [b], erexit, ſuíſque facultatibus dotauit inſignem Eccleſiam, in qua Vindicianus Epiſcopus *Clericos & religioſas fæminas conſtituit, vt deinceps, vt par erat, omni tempore debitum ibi officium perſolueretur.* Baſilicam illam, in qua beata Maxelendis poſt primam Tranſlationem diu iacuit, *in honore omnium Sanctorum, præcipuè quidem Sancti Vedaſti, necnon & veneratione ipſius ſacræ Virginis*, conſtructam teſtatur Baldericus [c]. *Ceterùm*, inquit Molanus [d], *Natalitius dies Martyris eſt Idibus Nouembris: Tranſlationis, ipſis Kalendis*, Imò Natalitius dies Martyris eſt tertio Nonas Nouembris; dies Depoſitionis, Idibus; dies Tranſlationis, ipſis Kalendis.

[a] Lib. 1. c. 24.
* *Pommereul.*
* *Cateau en Cambreſis.*
* *Caudri.*
[b] Ap. Sur. d. 13. Nou.
[c] Lib. 1. c. 23.
[d] 13. Nou.

XXXIII. EPISCOPI AVGVSTANI.

Obiit hoc anno Manno Auguſtanus Epiſcopus, ſucceſſit Wicho. Hic teſte Gabriele Bucelino [e] ſedit annos nouemdecim, quos interpretare incompletos, vt explicuimus Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſextum, vbi Chronologiam Auguſtanorum Antiſtitum ad ætatem vſque Caroli Magni ſtabiliuimus [f].

[e] Part. 1. German. ſacr. in Auguſtan. Epiſc. n. 5.
[f] Nu. 26. & ſeqq.

XXXIV. EMMA REGINA CANTII MORITVR.

Hoc eodem anno Emmam Cantiæ Reginam deceſſiſſe, ſepultámque eſſe in Monaſterio Blangiacenſi putamus. *Miſit piiſſima Bertha* Blangiacenſis Abbatiſſa, inquit Auctor vitæ, *exploratorem quemdam nimiæ ſagacitatis & induſtria virum, qui ad tranſmarinas partes tranſfretans diligenti examinatione perquireret, qualiter cum filia ſua* Emma *ageretur. Quíque in habitu peregrini iter peragens venit ad aulam Regis ac reperit dominam Emmam ante ianuam ſtantem, non vt Nobilitatis illius excellentia exigebat, ſe habentem, ſed auerſi Regis impietate, Regali dignitate, proh dolor! abiectâ, contra animi ſui votum quædam ſatis vilia & inhoneſta peragentem. Propiùs itaque accedens, aue, inquit, mi Domina Emma. Illa verò eum intuita dixit. Ad quid tu, homo, tam audacter Palatium Regis infectus prorumpis? Ille verò reſpondit. Paupertatis & inopiæ meæ ratio exigit, Domina Regina Emma, Celſitudini tuæ aliqua & paucilla verba, ſi auſcultare*

Digitized by Google

AN. CH. 694. CLODOVEI III. R. 2.

digneris, enumerare. Domina autem Emma intellexit illum eſſe de ſua regione, paululum ſecedens dedit ei locum ſuam legationem recitandi. Et ille, Mater tua, ait, Sancta Bertha recluſa miſit me ad te perquirere, qualiter ſit erga Dominationem tuam, ne meæ paruitati celare velis, ſed qualicumque modo erga te contineat ſe res, edicito, vt renunciare poſſim Matri tuæ. Illa autem ex intimo cordis ſuſpirans, lacrymáſque vberrimas fundens dixit. Breuior hora breuem rationem cogit edicere. Tu autem ſoſpitatis prouidus narrator intentiſſimè deprecare clementiam Dominæ ac piiſſimæ matris meæ, quatinus nullo modo mihi quamuis indignæ denegare dignetur, quin ad me vſque properent Falcardus & Gonduinus cum aliis fidelibus ſuis, qui me hinc ad maternum conſpectum deducere non differant, vt quæ per longa tempora in iſtis calumniis preſſa ſubiaceo, viſâ eius incolumitate aliquantulum reſpirare merear. Nuncius verò id quod iuſſus fuerat agiliter explebat. Directi ſunt autem Nuncij ſub omni feſtinatione à piiſſima Bertha, ad vltramarinas Saxoniæ partes. Petitâ autem licentiâ Regis & impetratâ piam matrem inuiſendi, Domina Emma aſcendit nauim. Dum itaque per alta maris nauigarent, febre correpta grauiter infirmabatur, ingraueſcente quoque moleſtiâ corporali, antequàm littus aſcenderent, defuncta eſt, miſſoque agili nuncio ſanctiſſimæ Berthæ nunciatum eſt. Præfata denique Abbatiſſa. vt conſpexit dilectam filiam ſuam tam lugubri morte defunctam, iuſſit præparari feretrum, & omnia tali vſui neceſſaria, omnémque Congregationem Sanctimonialium adiuncto cœtu Clericorum, omni etiam ſubſequente familiâ ad deferendum corpuſculum venerandæ filiæ ſuæ vſque ad locum magnum paratum. Illuc enim vſque de clauſtro progrediens præcepit diſcooperire feretrum, multâ turbâ circumſtante populi. Quod vt actum eſt, eleuatâ voce ait. O filia amantiſſima, nunc oculi mei conſpiciunt te, ſed proh dolor! oculi tui me conſpicere nequeunt. Mira res, cunctis, qui adſtabant, aſpicientibus, oculi eius aperti ſunt, conſpexítque matrem ſe reſpicientem. Tunc plurimis lacrymarum fontibus pro tali miſeratione effuſis, pſalmodiæ etiam cantu ex more abundantiſſimè completo, ducta eſt ad locum ſepulchri, ac humata in Baſilica Blanziaci Cœnobij. Per clauſtrum, de quo Bertha progreſſa dicitur, vt Emmam filiam ſepeliret, Auctor præcitatus nouum clauſtrum intelligit, in quod Bertha ſe recepit Monaſterij curâ in Deotilam filiam transfusâ, ſed eget emendatione, multa enim ordine præpoſtero commemorat, vt obſeruatum ſuprà non ſemel. Agemus anno ſequenti de ſpontanea Berthæ Abbatiſſæ abdicatione, cui Deotila in adminiſtrationem Monaſterij ſucceſſit.

SEPELITVR IN MONAST. BLANGIACENSI.

ANNVS CHRISTI 695.
CHILDEBERTI III. R. 1.

695. CHILDEBERTI III. R. 1.

I. EWALDI MARTYRIO CORONANTVR.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto Ewaldi fratres Martyrium in Saxonia Friſiæ finitima conſummarunt. Illos Willebrordi eiúſque comitum, de quorum aduentu in Friſiam ante quinquennium locuti ſumus, exemplo prouocatos, vt populos Rheno vicinos adhuc idololatras ad Chriſti fidem conuerterent, ex Hybernia veniſſe docet Beda [a]. *Horum*, inquit, id eſt, Willebrordi ac ſociorum, *ſecuti exempla duo quidam Presbyteri de natione Anglorum, qui in Hybernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciam antiquorum Saxonum, ſi fortè aliquos ibidem prædicando acquirere poſſent. Erant autem vnius ambo ſicut deuotionis, ſic etiam vocabuli. Nam vterque eorum appellabatur Hewaldus, eâ tamen diſtinctione, vt pro diuerſa capillorum ſerie, vnus niger, alter albus Hewaldus diceretur. Quorum vterque pietate religionis imbutus, ſed niger Hewaldus magis ſacrarum literarum erat*

a Lib. 5. c. 11.

Digitized by Google

AN. CH. 695. CHILDEBERTI III. R. 1.

ſcientiâ inſtructus. Ex hoc Bedæ loco corrigendus Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ, qui perperam ſcribit Ewaldos ex Hyberna primùm in Friſiam cum Willebrordo ac Suiberto, deinde ex Friſia cum Suiberto in Angliam, tum permittente Suiberto ex Anglia in Hyberniam profectos eſſe, ac paulò pòſt ex Hybernia, vt polliciti fuerant, ad Suibertum rediiſſe, qui nuperrimè in Friſiam ex Anglia remearat.

II. Ewaldos quinto Nonas Octobris interemptos affirmat Beda [a], ſed annum, quo id contigit, haud notat. At hic annus, qui ſancti Willebrordi promotionem ad Archiepiſcopalem dignitatem præceſſit, ponitur in fragmento hiſtorico, quod Andreas Ducheſnius [b] à Dagoberto Primo vſque ad Pipinum Regem publicauit. Excuſus quidem in vulgatis exemplaribus habetur annus DCCXXIV, ſed vitioſè, tum quia viuebat eo tempore Pipinus, cuius mors incidit in annum Chriſti DCCXIV, tum quia hæc de ſancto Willebrodo proximè ſubiiciuntur. *Sequenti anno ſanctus Willebrodus à Sergio Papa Archiepiſcopus ordinatus, genti Friſonum prædicans, virtutibus floruit.* Et ſanctum Willebrodum ſeu Wilbrordum Romæ anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto à Sergio Papa ordinatum Archiepiſcopum conſtat ex Bedâ [c] & ex Hiſtoria Suibertina. Sic igitur legendum in prædicto fragmento. *Eius*, nempe Pippini, *temporibus duo Angli Presbyteri Ewaldi, dum Saxonibus prædicarent, Martyrio coronati, & miraculis declarati, ab ipſo Coloniæ tumulati ſunt anno Domini* DCXCV.

[a] Lib. 5. c. 11.

[b] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

[c] Lib. 5. c. 12.

III. De Sanctorum Ewaldorum Martyrio, inuentione ac ſepultura copioſè ſcribit Beda [d]. Martyrium ſilentio prætermittemus, quia paſſi ſunt in Saxonia. De inuentione ac ſepultura hæc accipe ex eodem Scriptore. *Cùm perempta eorum corpora, amni*, id eſt, Rheno, *à paganis eſſent iniecta, contigit vt hæc contra impetum fluuij decurrentis per quadraginta ferè millia paſſuum ad ea vſque loca, vbi illorum eſſent ſocij, transferrentur. Sed & radius lucis permaximus, atque ad cælum vſque altus, omni nocte ſupra locum fulgebat illum, vbicumque ea perueniſſe contingeret, & hoc etiam paganis qui eos occiderant intuentibus. Sed & vnus ex eis in viſione nocturna apparuit cuidam de ſociis ſuis, cui nomen erat Tilmon, viro illuſtri, & ad ſeculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat Monachus, indicans quòd eò loci corpora eorum poſſet inuenire, vbi lucem de cælo terris radiaſſe conſpiceret. Quod ita completum eſt. Inuenta namque eorum corpora, iuxta honorem Martyribus condignum, recondita ſunt. Et dies paſſionis vel inuentionis eorum congruâ illis in locis veneratione celebratur. Denique glorioſiſſimus Dux Francorum Pipinus vbi hæc comperit, adducta ad ſe eorum corpora condidit cum multa gloria in Eccleſia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum.* Colonia iampridem ditionis erat Franciçæ. Infra illam ciuitatem ſecundo Rheno nauigantibus occurrebant ad dexteram Saxones, tum Friſij. Fleuus Friſios in citeriores & vlteriores diuidebat, illi Francis ab aliquot annis acceſſerant, hi Radbodo Regi Chriſtianis infenſo morem gerebant. Saxonum aliud erat regimen, de quo ſic Beda [e] eodem capite, quo Martyrium vtriuſque Ewaldi deſcribit. *Non habent Regem iidem antiqui Saxones, ſed Satrapas plurimos ſuæ genti præpoſitos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter ſortes, & quemcunque ſors oſtenderit, hunc tempore belli ducem omnes ſequuntur & huic obtemperant. Peracto autem bello, rurſum æqualis potentiæ omnes fiunt Satrapæ.* Colonienſis Epiſcopus tunc erat Giſo, qui teſte Cratepolio vir pius fuit ac honeſtus, iacetque ſepultus apud ſanctum Seuerinum.

[d] Lib. 5. c. 11.

SEPELIVNTVR COLONIÆ.

[e] Lib. 5. c. 11.

REGIMEN SAXONVM.

GISO EPISC. COLONIENSIS.

IV. Willebrordus Pippinum hoc anno conuenit, ab eóque detentus eſt vſque in annum ſequentem, quo miſſus eſt Romam, vt Epiſcopus Friſonum à Sergio Papa conſecraretur. Qua de re ſic Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ. *Sanctus Willebrordus eodem anno Pipinum Principem adiit, & cum illo longo tempore permanens, detentus ab eo, tandem anno ſequenti ab illo Romam mittitur ad ſanctum Sergium Papam, vt ibidem ab ipſo Epiſcopus conſecraretur genti Friſonum.*

WILLEBRORDVS ADIT PIPPINVM.

Ineunte

Digitized by Google

Ineunte hoc anno, Anſbertus Rotomagenſis Epiſcopus, cùm itineri ſe accingeret, vt ab exilio ad Eccleſiam ſuam reuerteretur, in morbum incidit. *Sentiens verò ex reuelatione diuina, diem vocationis ſuæ imminere (nam & Angelicam ſuper hoc meruit viſitationem) miſit iterum ad prædictum religioſum Principem Pipinum humilem petitionem, vt licitum foret eius corporis membra ad Cœnobium referri Fontanellenſe, vbi dudum regulari ordine Domino militauerat. Qui eius annuens petitioni, vt ita liberè fieret, extemplò conceſſit. Et licèt pauci cum eo intereſſent è ſuis, plurimùm tamen confortabantur à Domino, quia valdè minùs indigebat idem Pater humano ſolatio, qui fruebatur Angelico obſequio. Die enim quinto Iduum Februariarum, imminente vocationis ſuæ horâ, conuocans fratrum cohortem, celebrari ſibi ſacra fecit Miſſarum ſolennia. Deinde perceptione Corporis & Sanguinis Domini ſe muniens, ac ſanctæ Crucis vexillo ſe cunctóſque circumadſtantes ſignans, ſomno vltimo excepto, in mortis quiete dormiens tranſiit feliciter è mundo, & ab Angelicis choris anima eius ſancta, generoſa, ſincera, & ab omni contactu mundi incontaminata, in conſortium Sanctorum & felicitatis perpetuæ, in perpetuum collocanda, ſuſcepta eſt.* Hæc Aigradus, quocum de die natalitio ſancti Anſberti conueniunt Martyrologia. Notatur annus Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimus nonageſimus-quintus apud eundem Aigradum in textu quem referemus infrà. Colligitur idem annus ex Chronico Fontanellenſi, vbi annus ab obitu ſancti Anſberti nonus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto comparatur. Poſt ſancti Anſberti mortem perpauci effluxerunt anni, donec illius vitam ſcripſit Aigradus Monachus Fontanellenſis. Hic enim lucubrationem ſuam, vt ex procemio conſtat, dedicauit Hiltberto eiuſdem Monaſterij Abbati, cuius obitus in annum Chriſti ſeptingenteſimum incidit. At illo anno nondum vſus inualuerat, vt Francici Scriptores annos ab Incarnatione Dominica numerarent. Hinc coniicimus textum, iuxta quem ſanctus Anſbertus anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto mortuus aſſeritur, non ab Aigrado ſed ab eius Interpolatore ſcriptum fuiſſe. Neutiquam tamen putamus alienum à fide, quia variis Characteribus, quos ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quartum exponemus, aliunde nixum animaduertimus.

AN. CH. 695. CHILDEBERTI III. R. I.

V.

ANSBERTVS EP. ROTOMAG. OBIT.

VI.

Exequias ac primam ſancti Anſberti Tranſlationem ſic proſequitur Aigradus: *Cùm poſt lauationem corporis ad induendum illud ventum eſſet, inueniunt in poplitibus genuum & brachiorum cubitis, ob prolixam precum inſtantiam, obduratam cutem. Sícque quod egerat viuens, mortificans membra ſua, caro pandebat defuncta. Itaque ſanctum illud corpus magnâ fidei ambitione veſtitum eſt, ac deſuper linteis ceratis obuolutum, quia ipſe prædixerat hoc ſibi à Domino impetratum fore, vt oſſa ſua in prædictum Fontanellenſe Cœnobium tumulanda deferrentur. Sicut enim ſanctis altaribus Chriſti aſſiſtere conſueuerat, ita indui eum fratres curarunt. Sed cùm ſudarium cerâ litum capiti eius imponere vellent, viſus eſt aperuiſſe oculos, effigiem præferens viuentis, itaut aliqui dicerent eum eſſe rediuiuum. Nam adſpectus faciei eius multùm erat roſeo perfuſus colore. Quidam verò dicebant, pro ſudario cerâ imbuto quaſi indignatum eſſe. Viderunt enim non ſine ſua gloria gloriam Dei in Sancto ſuo triumphantem. Nam & illa exequiarum religio, fidei deuotio erat. Et tam lætum erat talem habuiſſe Patronum, quàm graue talem amiſiſſe. Poſteà ſepelierunt eum cum decore & honorificentia ſumma. Cùm verò ſeptem decémque dierum orbita finiretur, Legati, qui ad præfatum Principem directi fuerant, reuerſi ſunt licentiâ ab eo acceptâ, vt licitum eis foret eum transferri quò ipſius decreuerat voluntas, nullo eius ſanctæ ordinationi reſiſtente. Cúmque ſepulchrum illius aperuiſſent, & putarent venerabile illud corpus ob tam prolixi temporis interuallum iam fætere, tanta ſuauiſſimi fragrantia odoris inde manauit, quaſi diuerſis aromatum floribus ac balſami guttulis omnis repleretur Eccleſia. Et cùm fratres, qui ad eum viſendum ex propria prouincia aduenerant cum his, quos ſecum in exilio habuerat, ablatis ab eo veſtibus, cum quibus in ſepulchro reconditus fuerat, mutare eas vellent, nouis eum indumentis indui cupientes, veluti fecerunt, inuenerunt in brachiis*

TRANSFERTVR FONTANELLAM.

AN. CH. 695. CHILDEBERTI III. R. 1.

eius ſignum Dominicæ Crucis, roſei coloris ſimilitudinem gerens, vt patenter cunctis daretur intelligi, quia cuius arma viuens portauerat in corde, eius ſtigmata defuncti monſtrarentur in corpore. Indutum deinde veſte Pontificali, poſitúmque in lectica, prælatis ante ipſum aromatibus & incenſo, ſuſceperunt illud venerabile corpus ciues qui aduenerant Rotomagenſes, Monachíque Fontanellenſes, ſicque pretioſum geſtantes onus, ouantes flentéſque arripiunt iter. Comitabatur etiam prædictus venerabilis Halidulphus Abbas cum plurima ſuorum frequentia Monachorum ac plebe vniuerſa vtriuſque ſexûs, cum ſanctæ Crucis vexillis diuerſis cereíſque ac lampadibus, Hymnorum nihilominùs Canticorúmque diuinorum carmina in eius laude dulci modulatione canentes, & in diſſonis diuerſarum linguarum choris amorem conſonum habentes, quia vt valdè lætum erat talem habuiſſe Paſtorem, ita ſuaue talem recepiſſe Patronum. Et cuius oſſa ſancta venerabiliter geſtabant in terris, in cæleſtibus eius ſibi patrocinia confidebant adeſſe. His fidelium turmis populorum pretioſi Confeſſoris venerabile corpus ſtipatum & Canticis honoratum, vſque ad Fontanellenſe perlatum eſt Cœnobium. Halidulphus tamen venerabilis Abbas, vnà cum comitibus ſancti itineris, qui ſibi famulabantur, vſque ad Venittam villam Regiam, quæ ſita eſt in pago Bellouacenſi ſecus fluuium Iſeram, cum ingenti reuerentia proſecutus. Ibi hodie oppidum Sancti Lupi * ad Iſaram ſiue Oeſiam fluuium.

* *Saint Leu ſur Oyſe.*

VII. In itinere ab Alto Monte ad Venittam, paralytica priſtinam ſanitatem recuperauit *in villa quæ dicitur Solemnium, ſuper fluuium Saue in territorio Haunan.* Locus ille dicitur etiamnum *Solem* ad fines Cameraceſij & Hannoniæ, alluitúrque fluuio, qui variis nominibus *la Salle*, *la Selle* & *la Saune* nuncupatur, & Caſtellum Cameraceſium cum vicis Solemnio, Sauſoio, Haſpra & Noiella præterlapſus inter Buchainum & Valencenas in dexteram Scaldis ripam influit.

VIII. Vbi peruentum eſt ad villam Venittam, *illic affuerunt obuiam Sancti Præſulis corpori comprouinciales vrbis Rotomagenſis Epiſcopi, & Sanctorum Cœnobiorum Patres cum venerabili Domini Clero, propinquíque eiuſdem Sancti Pontificis, ac innumerabile vulgus vtriuſque ſexûs cum deuotione magna, cœperúntque ante illud ire pſallendo, indéque Halidulfus venerabilis Abbas cum comitibus itineris ſui, ad proprij reuertitur Cœnobij habitacula.* Verba ſunt Aigradi. Metropolitanæ Sedi Rotomagenſi ſuberant ſex Epiſcopatus, Baiocenſis, Abrincenſis, Ebroicenſis, Sagienſis, Lexouienſis & Conſtantienſis. Sex illis Diœceſibus iidem adhuc præerant Epiſcopi, qui Concilio Rotomagenſi ante annos ſeptem interfuerant, iique omnes corpori Sancti Anſberti occurrere potuerunt excepto duntaxat Aquilino Ebroicenſi Epiſcopo, qui cæcus erat & ætate grandæuus, obiítque hoc anno Pontificatûs ſui quadrageſimo ſecundo, vt dicemus infrà. De Halidulfo Alti Montis Abbate nihil ampliùs recurret. Nomina ſucceſſorum ad decimum vſque ſeculum ob crebras barbarorum incurſiones hodie deſiderantur.

IX. Mulier quæ vexabatur à dæmone, tacto pallio, quo Reliquiæ Sancti Anſberti tegebantur, ſanata eſt *in Fraxinido * villa, quæ ſita eſt in pago Bellouacenſi.* Locum illum alij Freſnetum vocant in Decanatu Pontenſi. *In eadem villa Eccleſia in honorem Sancti Anſberti Epiſcopi à fidelibus eſt ædificata, eiúſque grabatum in eadem Eccleſia multo tempore manſit, ſignáque virtutum ob merita eiuſdem Sancti ibidem fiunt diuina.* Alia mulier, cùm in loco, cui nomen Paldriacus, in territorio Rotomagenſi, linteum tetigiſſet, quo venerabile corpus operiebatur, liberata eſt à ſpiritu immundo. *Locus verò, in quo Omnipotens iſtud fecit miraculum, erat patrimonium quorumdam illuſtrium virorum, Bertholdi ſcilicet & Radamaſti, diſtans à Cœnobio Fontanella milliaribus quatuor. Fertur verò quia cùm inde eleuare corpus ſanctiſſimum conarentur ita manſit immobile, quaſi clauis ac retinaculis ferreis ſaxo niteretur ingenti. Cúmque moueri non poſſet, talia poſſeſſor loci Radamaſtus intuliſſe dicitur. Euge, Anſberte, ſerue Chriſti fidelis, collocatus inter agmina Chriſticolarum memento noſtri, quos in vita dilexiſti, quóſque ſeculi impugnant gaudia. Hic iam nobis te Chriſtus reducit, idcircò hoc prædium*

* *Freſnoy.*

offero Omnipotenti Deo, tibíque, Præſul Sanctiſſime, cedo per cuncta ſeculorum curricula. Ipſe verò Radamaſtus, vir honoratus, eiúſque frater Bertholdus cuncta, quæ poſſederant in prædiis ac mancipiis, extemplò deſerunt, ac beato Antiſtiti Ansberto, ſéque ſimul Cœnobio tradunt Fontanellæ. Sícque iugum libertatis excutiunt, ac iugum Dominicæ ſeruitutis ſubditis ceruicibus illicò ſuſcipiunt, Monachicum pariter aſſumentes nomen & habitum. In præfata verò poſſeſſione eorumdem virorum, ſcilicet in via publica ac dilapidata (id eſt, *lapidibus ſtrata*, vt Surius mutatâ phraſi ſcribit) *quæ iuxta eam iacet, ac Rotomagenſem deducit ad vrbem, vbi ſanctiſſimi Pontificis Ansberti venerabile pauſauerat corpus, in honore & memoria ipſius à fidelibus Crux ponitur lignea, vbi infirmi à diuerſis languoribus, Domino largiente, meritis Sancti Ansberti, plura frequenter perceperunt ſanitatum munera. Peruenientes denique cum corpore eius, qui eum transferebant, ad Cœnobium Fontanellam, intulerunt illud in Eccleſiam Sancti Apoſtoli Pauli. Poſteà verò acceſſit venerandus Abbas Hilbertus ad venerabile corpus, aſſumptis ſecum probatæ vitæ fratribus, ac merito ſanctitatis ornatis, æſtimans illud ob tam prolixi interuallum temporis (nam dies triceſimus inſtabat) ſubitò fœtere. Cúmque ſanctum illius caput velamine opertum denudaſſent, tanta ſuauitatis fragrantia inde manauit, veluti ſi diuerſorum aromatum ac thymiamatum odoribus vniuerſa compleretur Eccleſia. Nam & facies illius ita in ruborem erat verſa, quaſi in ſopore eſſet, viuentis effigiem gerens. Multi quidem ſancti Præſules & Patres venerandi, reliquúmque vulgus, contemplati ſunt, quia vniuerſis, qui affuerant, fuit permiſſum hoc cernere ſtupendi miraculi ſignum. Deinde cum omni diligentia & timore in ſindone munda ac pallio inuolutum eius venerabile corpus poſuerunt in ſepulchro, quod eidem præparauerant in eadem Eccleſia Sancti Pauli Apoſtoli, cum laudibus, iuxta ſanctiſſimi Patris Wandregiſili ſepulchrum ad eius læuam, die quinto Iduum Martiarum, ſub anno ſexcenteſimo nonageſimo-quinto Incarnationis Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti.* Hic annus non indicatus fuit ab Aigrado, retinendus eſt tamen, quia nititur aliis Auctoribus, nec audiendi ſunt Ordericus [a] aliíque qui ſanctum Anſbertum in Cathedra Rotomagenſi ſediſſe volunt annis duodeuiginti, loquuntur enim in opinione Fridegodi, qui ſanctum Audoenum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo ex hac vita ſublatum finxit.

AN. CH. 695. CHILDEBERTI III. R. 1.

[a] L. 5. ad an. 1080.

X. Quod ad diem attinet, primam hanc ſancti Anſberti Tranſlationem alij ſexto Kalendas Martias, alij quinto eaſdem Kalendas referunt. Pro priori ſententia Martyrologium manuſcriptum Bruxellenſe, pro poſteriori Floriatium manuſcriptum citat Bollandus. Ambæ opiniones facili negotio conciliari poſſunt. Monachi Fontanellenſes exceperunt corpus ſancti Anſberti ſexto Kalendas Martias, illúdque poſtero die in ſepulchro depoſuerunt.

XI. Præter miraculum ſuprà recitatum, quod Deus operari dignatus eſt Paldriaci, cùm venerabiles reliquiæ in eo loco requieſcerent, donec ad Monaſterium Fontanellæ deferrentur, obſeruat Aigradus mulierem, quæ per multos annos contracta extiterat, illic priſtinæ ſanitati redditam fuiſſe ſexto Idus Aprilis, eundémque locum, vbi Crux lignea primùm poſita fuerat, quinto Kalendas Martij frequentiſſimo populorum concurſu celeberrimum euaſiſſe, exornatúmque fuiſſe inſigni Baſilicâ, quam Hilbertus Abbas Fontanellenſis erigendam ſtatim curauit. *Circa diem*, inquit, *pauſationis ſiue aduentûs eius ad eundem locum, quod eſt quinto Idus Martij, ad honorem & interceſſionem eius plebes innumeræ pia Domino ſolenniter perſoluunt vota, vigiliarum videlicet ac diuinorum hymnorum donorúmque diuerſorum cum deuotione ſumma. Atque ibidem per merita ipſius multa aſſiduè fiunt miraculorum ſigna, quæ ſui enormitate*, id eſt, magnitudine, *relatoris tranſcendunt ſcientiam. Redeunte autem tempore, die ſexto Iduum Aprilium, vbi ſanctæ Crucis vexillum fuerat erectum, mulier quædam, quæ per multa annorum curricula contracta extiterat, cum fide recta ad eundem pergens locum, priſtinæ ſanitati eſt reddita, tellúſque, quam diu debiles non preſſerant greſſus, eſt ſtupefacta, ſe ab inualidis quondam tam ſubitò contingi veſtigiis. Sequenti quoque tempore in præfato loco Eccleſia eſt conſtructa in*

Digitized by Google

AN. CH. 695. CHILDEBERTI III. R. I.

honore ſancti Ansberti Præſulis, auguſto & polito opere, à venerabili Hilberto Abbate, ſucceſſore eiuſdem ſancti Patris in ordine regiminis. Anſberto ad Epiſcopatum Rotomagenſem aſſumpto, Hilbertus factus eſt Abbas Fontanellenſis, vt dictum eſt ſuprà, vixítque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum, interim mortuo Anſberto ſucceſſit in Epiſcopatum hoc anno Reginaldus, cuius mentio fit in vita ſancti Vulfranni.

REGINALDVS FIT EP. ROTOMAGENSIS.

XII. AQVILINVS EP. EBROICENSIS OBIT. [a] Breuiar. Ebroic. SVCCEDIT DESIDERIVS. [b] Ap. Sur. d. 19. Oct.

Obiit & ſanctus Aquilinus Ebroïcenſis Epiſcopus hoc anno, Præſulatûs ſui quadrageſimo ſecundo [a], ſucceſsítque Deſiderius non ignotus Anonymo qui vitam ſancti Leufredi Abbatis conſcripſit. Sancti Aquilini nomen decimoquarto Kalendas Nouembris inſcribitur Martyrologiis, Romano & Gallicano, feſtum tamen in Eccleſia Ebroïcenſi celebratur decimoquinto Kalendas Martij. Res ab eo geſtas ſcripſit Monachus Benedictinus, inſcripſítque Audoeno eiuſdem Ordinis Monacho, vt conſtat ex ipſius operis prologo [b], cuius initio hæc leguntur. *In corpore noſtræ Congregationis honeſto valdè & vtili membro domino Audoeno, inter ceteros penè vltimus frater, quicquid cælo dignum mens ſana in Domino arbitratur.* Iſta verò ſub finem. *Tuis igitur precibus obſecundans, opus aggrediar, faciámque quod beatus Legiſlator noſter,* id eſt, ſanctus Benedictus, *etiam de grauibus & impoſsibilibus imperiis ſiue iuſſis præſcribit.* Alludit Auctor ad caput duodeſeptuageſimum Regulæ Benedictinæ, cui titulus, *ſi fratri impoſsibilia iniungantur.* Quid enim Monachus ille tunc agere debeat, ita docet ſanctus Benedictus. *Si cui fratri aliqua fortè grauia aut impoſsibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientia. Quòd ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere, impoſsibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo aut reſiſtendo vel contradicendo. Quòd ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perdurauerit, ſciat iunior ita ſibi expedire, & ex caritate confidens de adiutorio Dei obediat.*

XIII. SIDONIVS ABB. [c] Lib. 2. obſeruat. d. 14. Nou.

Verùm Sidonius Abbas, qui ſanctis Audoeno & Anſberto chariſſimus fuit, hiſce temporibus ſuperfuerit in viuis, probè ſciri non poteſt. De illius obitu ac ſepultura hæc refert Menardus [c] ex vita manuſcripta. *Vir Domini Sidonius, multis virtutibus cumulatus ad Chriſtum migrauit* 18 *Calendas Decembris*, quo die celebris eſt eius memoria in Kalendario Monaſterij Fiſcanenſis, & in Martyrologiis Gallicano ac Benedictino. *Sepultus eſt in Eccleſia, quam in ſuo Monaſterio condiderat, in quo diu viguit regularis obſeruantia, donec à Normanis, qui Duce Haſtingo ſe in Gallias effuderant, ſolo æquatum eſt.* Verùm ſancto Anſberto, cui chariſſimus quoque fuit, ſuperuixerit Condedus Preſbyter, haud ſcimus. Annum, quo migrauit in cælum, nulla produnt monumenta. Valdè munificum ſe præbuit erga Fontanellenſe Monaſterium, vt dictum eſt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-tertium, quo ſanctus Anſbertus ſancto Audoeno in Epiſcopatum Rotomagenſem ſucceſſit. Eremita vocatur in Appendice [d] ad Chronicon Fontanellenſe. Sancto Audoeno diu ſuperſtes vixit. Obiit duodecimo Kalendas Nouembris, eóque die colitur in Martyrologio Benedictino. Sepultus eſt in Eccleſia ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quam dudum in Inſula Balſinnaca conſtruxerat.

[d] Cap. 7. CONDEDVS PRESBYTER.

XIV. [e] Cap. 24. CONCILIVM AVTISSIODOR. II.

Tetricus Autiſſiodorenſis Epiſcopus *primo anno ordinationis ſuæ*, vt Chronographus Autiſſiodorenſis teſtatur [e], *habito Concilio conſtituit qualiter Abbates, vel Archipresbyteri in Eccleſia ſancti Stephani diuinum perſoluerent officium. Taliter verò ordinauit, vt deſeruirent.*

Kalend. Ianuarij, 1. Hebdomadâ, Baſilica ſancti Germani.
2. Hebdomadâ, Baſilica ſancti Amatoris.
3. Hebdomadâ, Baſilica ſancti Petri.
4. Hebdomadâ, Baſilica Monaſterij ſancti Iuliani.
Kalend. Februar. 1. Hebdomadâ, Baſilica ſancti Mariani.
2. Hebdomadâ, Baſilica ſancti Euſebij.

Digitized by Google

3. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Martini.*
4. *Hebdomadâ, Baſilica ſanctæ Mariæ.*
Kalend. Martij, primâ Hebdomadâ, Baſilica ſancti Nazarij.
2. *Hebdomadâ, Monaſterium Longoretenſe.*
3. *Hebdomadâ, Monaſterium Seſſiacenſe.*
4. *Hebdomadâ, Scolius Vicus.*
Kalend. Aprilis, primâ Hebdomadâ, Bacerna Vicus.
2. *Hebdomadâ, Vendoſa & Gaugiacus.*
3. *Hebdomadâ, Nauteriacus & Licaiacus.*
4. *Hebdomadâ, Tauriacus.*
Kalendis Maij, primâ Hebdomadâ, Chora Vicus.
2. *Hebdomadâ, Corcedomus & Oratorium ſancti Memmij.*
3. *Hebdomadâ, Troia & Cornacus & Auciacus.*
4. *Hebdomadâ, Varciacus.*
Kalend. Iunij, primâ Hebdomadâ, Bargiacus & Nantoniacus.
2. *Hebdomadâ, Maſſua.*
3. *Hebdomadâ, Condida.*
4. *Hebdomadâ, Dactriacus & Soliacus.*
Kalend. Iulij, primâ Hebdomadâ, Nouus Vicus.
2. *Hebdomadâ, Brioderus.*
3. *Hebdomadâ, Giemus & Larderus.*
4. *Hebdomadâ, Blanoilus.*
Kalend. Auguſti, primâ Hebdomadâ, Clerici Dominici.
2. *Hebdomadâ, Eliniacus.*
3. *Hebdomadâ, Baugiacus.*
4. *Hebdomadâ, Tauriacus.*
Deſunt Hebdomadæ menſis Septembris.
Kalend. Octobris, primâ Hebdomadâ, Clerici Dominici.
2. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Germani.*
3. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Amatoris.*
4. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Petri.*
Kalend. Nouembris, primâ Hebdomadâ, Domiciacus.
2. *Hebdomadâ, Monaſterium ſancti Iuliani.*
3. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Mariani.*
4. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Euſebij.*
Kalend. Decembris, primâ Hebdomadâ, Baſilica ſanctæ Mariæ.
2. *Hebdomadâ, Baſilica ſancti Martini.*
3. *Hebdomadâ, Baſilica ſanctorum Geruaſij & Protaſij.*
4. *Hebdomadâ, Monaſterium Longoreti & Seſciaci.*

XV. *Hac conſtitutione roboratâ conſtituit vt Abbates Presbyteri cum Clero ad ſupraſcriptum officium peragendum conuenientes ex Dominico Cellario ab Oeconomo Eccleſiæ ſtipendium ſufficiens accipiant, ſi verò tardi occurrerint, aut negligenter apparuerint,* XL *dies à vino abſtineant. Vicedominus autem, aut Cellarius, ſi quod iure miniſtrare debent, in aliquo ſubſtraxerint, retruſi in Monaſterium per annum dimidium pane & aquâ contenti debitam pœnitentiam perſoluant.*

XVI. Chrotbertus ſeu Bertus Epiſcopus Turonenſis obiit hoc anno, cùm ſediſſet annos triginta. Radulphus *Monſnyer* [a] in iuribus Eccleſiæ Martinianæ propugnatis literas citat, in quibus Ibbo Turonenſis Epiſcopus ita loquitur. *Inſpecta ipſa Priuilegia, tam deceſſoris noſtri Chrotperti Berthoni, quàm & Adeodati Papæ Vrbis Romæ.* De auctoritate illarum literarum, quæ Chrotpertum vnum eundémque cum Berthono conſtituunt, alibi diſputabimus. Hîc tantùm obſerua prædictum Monſnyerum errare, cùm ex præcitato textu Berthonum ſeu Berthonem, quem ceteri Bertum appellant, alium à Chrotperto conſtituit. Ioannes *Maan* in Hiſtoria Sanctæ & Metropolitanæ Eccleſiæ Turonenſis, Bertho, quem à Chrotberto perperam diſtinguit, an-

[a] Cap. I.

EPISCOPI TVRONENSES.

AN. CH. 695.
CHILDEBERTI III. R. 1.

nos in Pontificatu triginta tribuit [a]. De ſucceſſore nulla difficultas. Illum omnes Pelagium aut Peladium vocant, ſed ſuper annorum numero, quos idem Pelagius eiúſque ſucceſſores in Epiſcopatu tranſegerunt, non eſt talis conſenſus. Opinionem noſtram hoc locò paucis explicabimus.

[a] Part. 1. n. 33.

XVII. Ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto, quo mortem Chrotberti ſeu Berti conſignamus, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum, quo Pontificatum ab Auberto initum Chenutius, Seuertius, Robertus & Sammarthani teſtantur, effluxerunt anni ſeptem & quinquaginta, quos in ſex Pontificatus ſubſequentes ita partiemur. Pelagius ſeu Peladius ſedit [b] *annos quatuor & menſes quatuor* obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo. Euartius ſiue Euaricus ſedit [c] *annos nouem*, obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo nono. Ibbo ſiue Ibo ſedit [d] *an.* 8. obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo. Guntrannus ſedit [e] *annis quindecim & duobus menſibus*, obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo. Dido ſedit [f] *an.* 1. *menſ.* 1. obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio. Raimbertus ſeu Ragimbertus ſedit *an.* 18. *menſ.* 5. malè in exemplaribus Chenutij, *an.* 28. obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſecundo. Hæc ſingulatim ſuis locis fuſiùs exponemus.

[b] Maan part. 1. num. 34.
[c] Idem ibid. n. 35.
[d] Chenut. Seuert.
[e] Maan. p. 1. n. 37.
[f] Chenut.

XVIII. VALTERIVS EP. ALETENSIS OBIT.

Obiit & hoc anno in eadem Prouincia Lugdunenſi tertia Valterius ſeu Galterius Epiſcopus, cùm annos duodecim in Aletenſi Cathedra ſediſſet. Succeſſoris electionem in annum ſequentem Auctore Armoricæ Sanctæ innixi reiiciemus.

XIX. WAMBERTVS ET HOMBVRGA EVNT ITERVM ROMAM.

Ioannes Malbrancus in notis ad caput quadrageſimum libri quarti de Morinis, Wambertum & Homburgam, de quibus ſæpè verba fecimus, cùm Romam iterum profecti eſſent, hoc anno mortuos & apud Renticam in Monaſterio Sancti Dionyſij à Bertulpho Abbate illius loci ſepultos tradit. Qua de re ſic Anonymus [g] in vita eiuſdem Sancti Bertulphi. *Vir illuſtris Wambertus vnà cum coniuge ſua æquè illuſtri peregrè profectus iter, quod Romam reſpicit, denuò eſt aggreſſus, & poſt longa terrarum emenſa ſpatia, Apoſtolica tandem ad patrocinia peruenit. Vbi tam ipſe quàm venerabilis coniux eius magnâ animi & corporis deuotione corpus humo, cælo animum dedere, & precibus, ſuſpiriis, lacrymis, Sanctorum ſe commendant ſuffragiis. Nec illud ſilendum, quòd antequàm viam ingrederentur peregrinationis, fideliſſimo ſuggeſſere Bertulpho, vt vbicumque eos diem vltimum claudere perciperet, illuc ad deportanda eorum corpora accurreret: hoc votis omnibus ſitientes, vt nec etiam poſt mortem tam fidelis famuli obſequio priuarentur, nec adiutorio fraudarentur. Contigit itaque eos, adoratis in Vrbe maxima Sanctorum pignoribus domum repedaſſe, & inter eundum morbo febrium laboraſſe.*

MORIVNTVR.

Qui tandem in villa iuris ſui Falcomberga manſionem accepere, atque per dies languore inualeſcente humanis rebus exempti ſunt. Quorum obitum B. Bertulphus vt famâ vulgante comperit, tantos ac tales ſe amiſiſſe magno cum fletu ingemuit, ex quorum vita etiam ſua pendebat, & quibus in hac vita nihil pretioſius aut carius habebat. Nec facilè in famulo Dei dolor de illorum amiſſione conquieuit, quamquam eos de morte ad vitam tranſitum feciſſe crederet. Sed dum hinc quidem de eorum amiſſione gemeret, hinc verò de felici eorum requie gauderet, ex eo quòd ſalubriter gaudebat, temperandum credidit hoc, quod ægrè dolebat.

SEPELIVNTVR A BERTVLPHO ABBATE RENTICENSI.

Móxque fidelium turmis vnà cùm Eccleſiæ Miniſtris ſibi iunctis ad deportanda eorum corpora, ſicut in mandatis acceperat, iter arripuit. Quæ cùm ſubſequentibus & præcedentibus vtriuſque ſexûs turmis fideliter tranſtuliſſet, & ad prædium ſui iuris Renticam perueniſſet, in Oratorio, olim ab eis conſtructo, corpora tumulis, animas commendauit cælis. Falcomberga * infra Renticam ſita eſt ad Ennenonem ſiue Agnionem * amnem, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum [h] iam obſeruauimus.

[g] Ap. Bolland. d. 5. Febr.
* *Foucquebergue.*
* *Aa.*
[h] Num. 8.

XX. In eodem Epiſcopatu Taruannenſi inchoatum eſt hoc anno Monaſterium

Digitized by Google

Woromholtanum, de cuius initiis conſulendi, Molanus [a] in Natalibus Sanctorum Belgij, Miræus [b] in Originibus Benedictinis, Malbrancus libro quarto [c] de Morinis & Sanderus in Auctario ad Tomum ſecundum Flandriæ illuſtratæ, vbi ſeriem Abbatum Sancti Winnoci inſtituit. Omnes in eam rem conſentiunt, citántque Diploma, quod *actum* legitur *in Sithiu Monaſterio, Kalendis Nouembris, anno primo Hildeberti Regis.* Childeberto Regnum Francorum adepto, Hermarus ſiue Hademarus vel Heremarus, vir opibus moribúſque præcellens, prædium ſuum, quod olim *Woromholt*, hodie *Wormhout* dicitur, in Cœnobij erectionem fundationémque tranſcripſit. Hanc donationem alij Bertino Abbati Sitiuenſi, alij Winnoco in Monte Viridi cum tribus ſociis commoranti factam tradunt. Imus in priorem ſententiam, quia Winnocus, etſi cum ſodalibus Quadanoco, Ingenoco & Madoco Montem Viridem inhabitaret, ſub Bertini Sitiuenſis Abbatis diſciplina viuebat, à quo miſſus illuc fuerat cum prædictis comitibus vt *ſingulariùs Domino vacarent.* Woromholtum, quod * Penæ fluuiolo adiacet, à Gruneberga ſeu Monte Viridi vix ſeſqui-lapide, paulóque longiùs à Monaſterio Sitiuenſi diſtabat. Illuc è Gruneberga Winnocus cum ſuis ſodalibus iuſſu Bertini Sitiuenſis Abbatis commigrauit, & Woromholtani Cœnobij, cui poſteà cum Abbatis titulo præfuit, prima iecit fundamenta.

[a] D. 6. Nou.
[b] Cap. 31.
[c] Cap. 34.

INITIA COENOBII WOROMHOLT.

* *La Peene.*

XXI. Florebat etiàm in eadem Diœceſi Taruannenſi Blangiacenſe Monaſterium, vbi ſexaginta Moniales Deo famulabantur ſub Abbatiſſæ Berthæ diſciplina. Cœnobium illud & Berthæ munificentiam Anonymus in ipſiuſmet Berthæ vita ſic commendat. *Cœpit ædificare clauſtra Monaſterij decentiſſima. Conſtruxit nempe vnam extra portam Eccleſiam in honore Sancti Audomari Confeſſoris, vbi Sacerdotes & Clerici ipſius Cœnobij diuinum perſoluerent officium, aliam etiam ædificauit in honore Sancti Vedaſti, tertiam verò in honore Sancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris conſtruxit. Alias itidem ſeptem ædificauit in prædiis ſuis, quas omnes dedicare petiit in honore Sancti Martini.* Illuſtris hæc Abbatiſſa, cùm ſecretioris ac tranquillioris vitæ deſiderio teneretur, omnem Monaſterij curam in Deotilam filiam hoc anno tranſmiſit. Qua de re ſic idem Anonymus. *Tunc beatiſſima Bertha ob amaritudinem & iniuriam, quæ illi ſceleratiſſimus Ruodgarius*, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum narrauimus, *de beata Gertrude ſua amantiſſima filia ſtuduit inferre, illam Getertrudem, quæ ſenior erat ætate Deotilâ, noluit fieri Abbatiſſam, ne hominibus multùm cognita vltrà videretur, ſed venerabilis Deotila ad reuerendos mores prouecta, Abbatiſſa conſtituta eſt ac conſecrata, rexítque ſtrenuè regimen loci illius vnà cum pia ac ſanctiſſima matre annis viginti & nouem. Piiſſima itaque Bertha cupiens præſens ſeculum funditus relinquere, & ſoli Deo ſacris orationibus vacare, clauſtrum ſibi in dextera parte Baſilicæ præparari iuſſit. Quo præparato, iteratò conuocauit præfatos venerabiles Epiſcopos, quique in vnum conuenientes dedicauerunt ipſum clauſtrum, & honorificè introduxerunt eam commendantes Angelorum vigilanti cuſtodiæ, clauſtrum verò habebat feneſtram ad altare Sanctæ Crucis contiguam, vbi quotidie aduentabat Deotila Abbatiſſa veneranda vnà cum ſorore ſua beata Gertrude ſeu etiam omni Congregatione Sanctimonialium numero ſexaginta, acceptíſque à beatiſſima Bertha cibis ſpiritualibus, & diuinarum ſcripturarum fontibus refocillatæ abibant.* Mortem Deotilæ, quæ Monaſterij regimen *annis viginti & nouem* geſſit, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto conſignabimus, & mortem Berthæ, quæ Deotilæ filiæ ſuperſtes vixit, obiítque annos nata ſeptuaginta ſex, in annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-nonum reiiciemus. Hæc ad Chronologiam. Quod autem Bertha, vt ab iis in nouum clauſtrum introduceretur, dicitur conuocaſſe *præfatos venerabiles Epiſcopos*, id eſt, eos quos Anonymus ad dedicationem Templi Blangiacenſis anteà conueniſſe ſcripſit, Bainum Taruannenſem Epiſcopum interpretare cum quibuſdam è vicinis Præſulibus, & ea conſule, quæ de ſingulis Antiſtitibus,

ABBATISSÆ BLANGIACENSES.

Digitized by Google

AN. CH. 695. CHILDEBERTI III. R. 1.

quos idem Anonymus in ipſius Berthæ vita nominauit, ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum in dedicatione Blangiacenſi connotauimus.

XXII. [a] Ap. Bolland. d. 7. Ian. TILLO REDIT AD MONAST. SOLLEMNIAC.

His circiter temporibus, Tillo, qui & Paulus, relicto *Braggecte* Monaſterio quod in Aruernia conſtruxerat, repetiit Sollemniacenſe, cuius adminiſtrationem quondam ſuſceperat euocato in Ardennam Remaclo Abbate, dimiſerátque ſublato ex hac vita ſancto Eligio. *Quodam tempore*, inquit Auctor vitæ [a], *venit in deſiderio ei, vt Monachos Sollemniacenſis Monaſterij, quibus iam dudum præerat, viſitaret. Deinde cùm quadam nocte pauſare cœpiſſent fratres, magnâ grauitate ſomni ſunt oppreſſi, itaut ipſe relicto Monaſterio cum duobus diſcipulis iter arriperet ad ſupradictum Cœnobium. Vbi cùm perueniſſet, cum gaudio à fratribus eſt receptus, quia numquam eum in hoc ſæculo cernere cogitabant, & ita iugiter oblationem immolabant augmentationis, vt propago beatitudinis in palmite, & palmes fructiferam ſalutem emanaret. Quis valet enarrare, quantâ alumnus Chriſti Tillo deuotione, quantâque humilitate in prædicto Monaſterio inter fratres incederet. Præerat autem ſub iiſdem diebus venerabilis Abba Childomarus.*

XXIII. ABBATES SOLLEMNIAC.

Abbates Sollemniacenſes è Commentariis Ioannis Cordeſij ſic recenſentur à Roberto. *S. Rumaſilus, Dagobertus, Childemerus, Papolenus, Childemanus, Gundobertus.* A Sammarthanis ſic. *S. Rimaſilus, Dagobertus, Childemnus, Papolenus, Childemarus, Gundobertus.* Qui Roberto *S. Rumaſilus*, Sammarthanis *S. Rimaſilus*, is nobis fuit ſanctus Remaclus, qui Sollemniacenſe Monaſterium à primo conditu ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quintum laudabiliter rexit, donec aliò euocatus eſt à Sigiberto Tertio Rege. Sancto Remaclo ſucceſſit Tillo de quo loquimur, ſed audito quòd beatus Eligius ex hac vita migraſſet, in eremum ſtatim ſeceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo. Tunc Abbas factus eſt Dagobertus. Dagobertum excepit Childemerus ſeu Childemnus; tum Papolenus; deinde Childomarus, Roberto Childemanus, Sammarthanis Childemarus. Hi quatuor Abbates, Dagobertus, Childemnus, Papolenus, Childomarus, Sollemniacenſe Monaſterium annis circiter ſeptem ac triginta gubernarunt, agemus enim poſt triennium de Gundeberto Childomari ſucceſſore.

XXIV. [b] Ad an. 686. EPISCOPI SILVANECT.

Ad hunc annum peruenit Autbertus Epiſcopus Siluanectenſis, ſi ſedit annos vnum & quinquaginta, vt Carolus Iaulnæus [b] in Hiſtoria Siluanectenſium Epiſcoporum ſcribit. Rebus humanis ereptus eſt maior nonagenario, colitur quinto Idus Februarij, qui dies obitûs fuit. Illius Reliquiæ in Eccleſia Collegiata ſancti Reguli prope maius altare cuſtodiuntur. Amandus in Epiſcopatum ſucceſſit ſanctitate quoque conſpicuus.

XXV. SACERDOS FIT DIACONVS.

Sacerdos, de quo ſæpè iam locuti ſumus, his circiter temporibus ad Diaconatum promotus eſt, cùm annos natus eſſet viginti quinque, ſi benè ſuper illius ætate iam ratiocinati ſumus. Ordinatus eſt à Capuano Epiſcopo Cadurcenſi, ſub cuius diſciplina pueritiam & adoleſcentiam omnibus virtutibus excoluit. De illius Diaconatu & Monachatu ſic Auctor vitæ. *Capuanus Epiſcopus per Angelicam admonitionem ordinauit eum Leuitam. Poſt quam ordinationem cœpit magis virtutum iubare clareſcere, & Deo per myſterium Eccleſiaſticum exteriùs & interiùs ſedulò miniſtrare, & eleemoſynas indigentibus largiùs erogare. Erat per idem tempus in præfato vico Calabro Cœnobium, in quo quadraginta & ampliùs Monachi morabantur, quibus dilectus Domini Sacerdos de propriis facultatibus ſedulò miniſtrabat, & renouatâ ibi primùm Baſilicâ, longâ iam vetuſtate penè conſumptâ conſtruxit ibidem habitacula Monachis apta. Contulit etiam eidem Cœnobio præfatum vicum Calabrum cum appendiciis ſuis. Cùm autem quadam die ex more proſtratus oraret, emiſſa eſt vox diuina ad eum dicens. O dilecte meus Sacerdos, ingredere Cœnobium nihil metuens, quia in ordinem Religionis Monaſticæ elegi te, & quoniam te vas ſanctificatum ab ipſis cunabulis exhibuiſti mihi, Angelicam cuſtodiam deputaui tibi. Ad hanc vocem cœpit continuò magnus Leuita Sacerdos Deo gratias agere, eò quòd ab eo meruiſſet cælitus confortari,*

Digitized by Google

tari, aſſumptóque Religionis habitu, propoſiti ſui normam perfectè cuſtodiuit in mentis puritate & morum honeſtate, ieiuniis & lectionibus ſanctis intentus. His operibus & humilitatis priuilegio pollens, ſub Abbatis regimine per ſeptem circiter annos ante Presbyteratus ordinem Domino militauit. AN. CH. 695. DEINDE MONACHVS.

696. CHILDEBERTI III. R. 2.

ANNVS CHRISTI 696.

CHILDEBERTI III. R. 2.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, qui biſſextilis fuit prænotatúſque literis Dominicalibus B & A, Suibertus Epiſcopus Eccleſiam *in Malſen* octauo Kalendas Octobris, die Dominico dedicauit. In narratione, quam vulgatus vitæ Scriptor iniit, duæ res occurrunt corrigendæ, quia nec præſens aderat Marcellinus, qui multò ſeriùs in Galliam venit, nec ætate ſancti Suiberti audiebantur nomina Hollandiæ & Brabantiæ, quorum illud recentius, hoc poſteà deflexum ex Bracbanto tunc vſitato. Temporibus ſancti Suiberti Bracbantum eam præcipuè complectebatur regionem, quæ Schaldi Sennâque nunc concluditur, & ab Aldenarda, Gandauo, Teneramunda, Bruxellam vſque & Hallas protenditur; Flandria verò ditionem tantùm continebat, in qua viſuntur hodie Brugæ, Sluſa, Dammum, Ardemburgum, Middelburgum & Iſendicum. In dubium haud vocamus, quin Suibertus Bracbantum ac Flandriam adierit, necnon tractum illum cui poſteà nomen Hollandiæ inditum eſt. Hac obſeruatione præmiſsâ prædictam narrationem accipe, ſublato, quod è vulgato textu expungendum monuimus, Marcellini nomine. *Cùm mirificauit Dominus ſanctum Swibertum prodigiis & prædicationibus, & fauor virtutum ipſius celebri rumore Friſiam, Hollandiam, & vicinas regiones illuſtrauit, vt non ſolùm idololatræ & pagani, ſed & ſacerdotes idolorum mirarentur & ſtuperent in virtutibus & actibus eius, voluit Omnipotens Deus deorum ampliùs in mirabilibus ſuis ipſum ante conſpectum gentium glorificare. Diuinâ namque prouidente clementiâ, dum ſanctus Swibertus anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, octauo Kalendas Octobris dedicaret Eccleſiam in Malſen, in Comitatu Teiſterbandiæ, ſuper amnem Linghen dictum, contigit vt eodem die quidam generoſus adoleſcens, dictus Splinterus de Andengyn, filius primicerij de grandi vico Duerſtat, volens curioſè experiri myſterium fidei Chriſti & præcipuè actus ſancti Swiberti, de quo mira audierat, licèt ipſe incredulus & fidei ignarus eſſet, ſcapham cum tribus clientibus mane horâ ferè ſeptimâ intraret, volens videre dedicationem Eccleſiæ in Malſen, eò quòd villa Malſen diſtet à Duerſtat ad Auſtrum paruo milliari. Cúmque in medio fluminis Rheni ſiue Leccæ eſſet, & laſciuè ioculando & nauigando ſederet ſuper litus nauiculæ, incumbens ſuper mucronem ſuum, lapſu pedum ſuorum ex lubricitate nauiculæ, retrorſum cadens cecidit in aquam, quem ſtatim vorax vnda abſorbuit, & in profundum quaſi lapis deſcendit & ſubmerſus fuit. Quod cernentes ſocij & ſerui in eadem nauicula poſiti, ipſum iuuare & ei ſubuenire non valentes, dolore maximo conſternati, vtraque litora clamoribus & fletibus repleuerunt. De cuius caſu & ſubmerſione non ſolùm parentes & cognati dolebant, ſed & luctus erat omnibus, & mœrore incredibili confundebantur vniuerſi. Serui verò concito curſu fugerunt præ timore parentum & amicorum. Tandem eâdem die horâ ferè duodecimâ, à piſcatoribus in ſagena cum multo dolore inuentus, lamentabiliter portatus fuit in domum parentum, & licèt inflexibilis eſſet artubus & membris, tamen conſilio flaminum idolorum, calido impoſitus lecto defertur ad phanum ſiue templum Martis. Audierant enim, quòd Chriſtiani aliquot ſubmerſos ſiue ſubitò de-*

SVIBERTVS EP. DICAT ECCLESIAM IN MALSEN.

AN. CH. 696. CHLIDEBERTI III. R. 2.

functos in Eccleſias ipſorum portantes, vitæ priſtinæ ſacrificiis & precibus Epiſcoporum reſtituiſſent. Guntherus verò egregius miles & dominus de Andengyn, pater Splinteri ſubmerſi, properans cum familia & amicis ad templum Martis libauit funeſtum ſacrificium mactando diuerſa animalia magno deo Marti, vt pietate diuinæ potentiæ ſuæ vnicus filius ſuus reuiuiſcens ſuſcitaretur. Cúmque lugubriter mæſto & tribulato corde vſque in horam ferè ſecundam precibus & ſacrificiis incubuiſſent, & nihil ſalutis inueniſſent, deſperauit de vita ipſius eò quòd nunquam audiſſet priſcis temporibus deos ipſorum talia peregiſſe. Erant autem eodem die multi Chriſtiani in ea ciuitate, qui vt viderent finem ſequebantur funus vſque in atrium phani Martis. Qui videntes inenarrabilem dolorem Guntheri & aliorum amicorum, gaudentes de impotentia deorum vocauerunt Guntherum ſeorſum, vt Chriſtus ibi magnificaretur, ſuadentes & conſulentes ei, vt celeriter pro Sancto Swiberto Chriſtianorum Epiſcopo exiſtente in Malſen, ad quem filius ſuus equitare propoſuerat, mitteret, ipſe proculdubiò precibus ſuis reſuſcitaret eum virtute Domini Ieſu Chriſti, dummodò abrenuncians idolis toto corde crederet in ipſum. Guntherus verò his auditis, memor qualiter idem Sanctus Swibertus in eadem ciuitate captus, liberatus per Angelum fuit, & qualiter in Hagenſtein cæco nato in nomine Ieſu præſtitiſſet viſum, ſtatim animatus & illectus verbis Chriſtianorum, adiunctis ſibi aliquot honeſtis amicis ſine dilatione Malſen vſque celerrimè properauit, vidénſque Sanctum Swibertum, mox de equo deſiliens, prouolutus pedibus Sancti, oſculando manus eius, per ægra lachrymarum ſuſpiria aperuit ei triſtiſſimam mortem & ſubmerſionem vnigeniti ſui, deprecans vt ſecum dignaretur proficiſci Duerſtat, & in virtute ſalutiferi nominis Ieſu, veri Dei Omnipotentis, reſuſcitare filium ſuum, pollicens ſe cum omni familia ſua & cognatis crediturum & ſacrum Baptiſma percepturum. Sanctus verò Swibertus ipſum humaniter eleuans & honorificè ſuſcipiens benignè conſolabatur, & licèt condoluit lamentabilibus vocibus & gemitibus ipſius, tamen Deum tentare ſuper huiuſcemodi facto grandi formidans ſe piè excuſauit. Miles verò denuò amplectens pedes eius, importunè precabatur, vt ſecum pergere dignaretur amore Ieſu Chriſti Dei viui. Sícque victus eiulatu eius, & præcipuè precibus Werenfridi, ... aliorúmque Neophytorum ibidem præſentium, celeriter vectus curru cum ſociis *venit circa horam ſextam poſt Completorium in vicum Duerſtat. Erat autem turba magna congregata ad littus Rheni ſiue Lecca, præſtolantes aduentum Sancti Swiberti, dolentibus prophanis ſacerdotibus idolorum. Igitur tranſmiſſo amne Leccâ, cum iret ad defunctum cum diſcipulis ſuis, ſequenti ipſum grandi turbâ paganorum, occurrit ei domina Mechtildis mater Splinteri ſubmerſi vt inſana mulier, prouolutáque pedibus eius in publica platea clamauit dicens. Serue Dei viui ſuccurre mihi & reſuſcita filium meum in nomine Dei tui, credámque cum tota familia mea in eum, quia dij noſtri impotentes ſunt ad reſuſcitandum eum. Quam Sanctus Swibertus eleuans & conſolans, parum ingemuit. Erat autem Splinterus ſubmerſus, denuò ex templo Martis portatus in domum patris ſui, veniénſque ad præſentiam defuncti petiit vt flamines ſiue ſacerdotes idolorum dignarentur ſibi adeſſe, vt viderent virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti Dei Omnipotentis. Interim præcepit* diſcipulis, *deuotè orationibus vacare, Deíque miſericordiam implorare, vt defunctus reſuſcitaretur, & ipſe orauit. Vniuersâ igitur multitudine flente, cùm aliqui phanatici ſacerdotes pauidi, vocati per dominum Guntherum, aduenìſſent, Sanctus Swibertus ſonorâ voce, flexis genibus, lachrymarum imbre perfuſus, clamauit ad Dominum dicens. Domine Ieſu Chriſte, qui refugium factus es nobis, inclina aurem tuam ad preces noſtras, vt reueletur hominibus iſtis gloria tua, & prædicetur & glorificetur ab incredulis nomen ſanctum tuum, vt ſciant quia non eſt vana fides noſtra, nec alius Deus præter te, cuius pietas non habet finem, nec dona menſuram, & reſuſcita ad gloriam & honorem nominis tui hunc ſeruum tuum, diabolicâ fraude deluſum, vt ſciant quòd omnia idola, quæ pro diis colunt, ſtatuæ ſunt dæmonibus plenæ, videntes virtutem pietatis tuæ, credentes in te, ſaluentur. His dictis, ſurgens ab oratione, fiduciam magnam habens in Chriſtum dixit. Domine Ieſu Chriſte, mæſtorum conſolator, qui dixiſti, [omnis qui credit in me, opera quæ ego facio, &*

SPLINTERVM AQVIS SVFFOCATVM REVOCAT AD VITAM INVOCATO CHRISTI NOMINE.

AN.CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

ipſe faciet, & maiora horum faciet] *Domine piiſſime Deus, qui reſuſcitaſti ad fletum ſanctarum ſororum Mariæ Magdalenæ & Marthæ Lazarum quatriduanum mortuum, reſuſcita & hunc in nomine tuo, oſtendendo potentiam diuinitatis tuæ. Et accipiens dexteram ſubmerſi, dixit. In nomine Domini Ieſu Chriſti crucifixi Dei Omnipotentis dico tibi, vt ſurgas, & viuas, & confitearis Creatorem tuum. Statim verò defunctus aperiens oculos ſuos, & quaſi de graui ſomno ſuſpirans ſurrexit, amplecténſque pedes Sancti cum magnis ſuſpiriis dixit. Non eſt alius Deus in cælo & in terra, quàm Dominus Ieſus Chriſtus crucifixus, quem prædicat Sanctus ſeruus eius Swibertus, qui me ſuâ benignâ miſericordiâ ad preces eius ab inferis & à morte reſuſcitauit,* &c. *Tantus in platea erat clamor paganorum, reſuſcitatum videre cupientium, vt Sanctus Swibertus neceſſitate compulſus reſuſcitatum veſtibus indutum per manus duceret cum magna deuotione ad honorem Dei, vt à cunctis videretur. Quem viuum & ambulantem cernentes clamauerunt. Verè magnus eſt Deus Chriſtianorum, qui talia per ſeruum ſuum operatus eſt. Factum eſt ergo gaudium magnum coram omnibus hæc videntibus, & magnificatum eſt nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eodem tempore baptizatus eſt Splinterus reſuſcitatus, cum parentibus & cognatis & aliis, numero centum viginti ſex, demptis pueris & virginibus. Alterâ denique die, congregatâ infinitâ turbâ hominum paganorum, Sanctus Swibertus præmiſſâ oratione ad Spiritum Sanctum cum diſcipulis ſuis, vt Deus aperiret corda illorum ad ſpernendum idola & ad fidem complectendam, prædicando deduxit & declarauit eis tranſgreſſionem protoparentis noſtri Adæ, Incarnationem Verbi Dei, diabolicam idolorum inuentionem, atque infinitam miſericordiam Dei, inſuper quòd æternaliter damnabuntur, qui ſpreto vero Deo adorant idola & ſculptilia, & gloriantur in ſimulachris ſuis, ita quòd ferè pars magna ciuitatis credidit in Chriſtum. Erat autem ciuitas, licèt pagana, ſub poteſtate Chriſtianorum Principum, ſcilicet Regis Franciæ & Pippini Ducis, & tota ferè vicinitas & prouincia Chriſtianæ fidei ſubdita, vtpote Brabantia, Flandria & pars Hollandiæ, ſic quòd pagani de Duerſtat ſæpè cum Chriſtianis conuerſati, pridem multoties multa de Chriſto audierant. Manſit autem multis diebus in eadem ciuitate, vigilanti inſtantiâ prædicando fiducialiter Chriſtum paganis, confirmando Neophytos, itaut non ſolùm pagani, verùm etiam multi idolorum ſacerdotes videntes cæleſtem gratiam & miraculi magnitudinem in Sancto Swiberto, abiecto perfidiæ velamine, baptiſmi gratiam ab ipſo deuotè ſuſciperent.* Præterea Swibertus Eccleſiam *in Hagenſtein conſecrauit in honorem Dei & glorioſæ Virginis Mariæ.*

II. Hoc eodem anno Wilbrordus Romæ conſecratus eſt Archiepiſcopus Friſonum decimo Kalendas Decembres. Sic enim Beda [a]. *Poſtquàm per annos aliquot in Freſia, qui aduenerant, docuerunt, miſit Pipinus fauente omnium conſenſu, virum venerabilem Wilbrordum Romam, cuius adhuc Pontificatum Sergius habebat, poſtulans vt eidem Freſonum genti Archiepiſcopus ordinaretur. Quod ita, vt petierat, impletum eſt anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto. Ordinatus eſt autem in Eccleſia Sanctæ Martyris Cæciliæ, die natalis eius, impoſito ſibi à Papa memorato nomine Clementis, ac mox remiſſus ad Sedem Epiſcopatûs ſui, id eſt, poſt dies quatuordecim, ex quo in Vrbem venerat.* Eadem res à Marcellino ſic refertur. *Sanctus Willebrordus ab eo*, nempe Pippino, *Romam mittitur ad Sanctum Sergium Papam, vt ibidem ab ipſo Epiſcopus conſecraretur genti Friſonum. Quod ita, vt petierat, eſt completum ab Incarnatione Domini anno ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, anno primo Leonis Imperatoris Romanorum. Ordinatus autem fuit Sanctus Willebrordus in Eccleſia Sanctæ Cæciliæ Virginis & Martyris Archiepiſcopus Friſonum in die natalis eiuſdem Virginis, ſcilicet Cæciliæ.* Anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto Iuſtinianus, vt Annales Græcorum tradunt, pulſus eſt in exilium à Leontio, cùm annum in Imperio decimum ageret, cœperat enim imperare menſe Septembri, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, vt ex Bedâ [b] & Anaſtaſio [c] probauimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum [d], cùm de Willebrordi ſociorúmque profectione ex Anglia in Friſiam verba faceremus.

WILBRORDVS ORDINATVR EPISCOPVS FRISONVM.

[a] Lib. 5. c. 12.
[b] Lib. 5. c. 7.
[c] In Ioann. 5.
[d] Num. 5.

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

Leontius, quem Marcellinus Leonem vocat, exauctorato Iuſtiniano Auguſtum ſe dixit, & primus illius Imperatoris annus non malè comparatur cum hoc anno, Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, quo Willebrordus Romæ conſecratus eſt Friſiorum Archiepiſcopus die Sanctæ Cæciliæ ſacrâ.

III. ALDETRVDIS ABBATISSA MALBODIENSIS OBIT.

S. ALDEGVNDIS TRANSLATIONES VARIÆ.

Hoc eodem anno, Aldetrudis Abbatiſſa, cùm Malbodienſe Monaſterium annis duodecim prudentiſſimè rexiſſet, migrauit ad Deum quinto Kalendas Martias, quo die colitur. Sanctæ Aldegundis materteræ ſuæ Reliquias ex Curte Solra Malbodium tranſtulerat Idibus Nouembris, anno Chriſti nonageſimo ſupra ſexcenteſimum, vt ſuo loco probauimus. Altera Tranſlatio, aut potiùs Reliquiarum in aliam capſam repoſitio contigit octauo Idus Iunias, anno Chriſti milleſimo centeſimo ſexageſimo-primo, Indictione nonâ. Tertia facta eſt anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo triceſimo-nono, Indictione ſecundâ, feriâ tertiâ Pentecoſtes, ſeptimo Kalendas Iunij, ſtatutúmque eſt *huiuſmodi Tranſlationis ſolennia celebrari in memoriale perenne feriâ tertiâ in feſtis Pentecoſtes, quocumque tempore euenerit*, nunc tamen Idibus Nouembris officio duplici ſecundæ claſſis Malbodij celebratur, nullâ factâ primæ Tranſlationis memoriâ. Præter has Tranſlationes, decimo-quinto Kalendas Nouembres, quo beatus Lucas Euangeliſta colitur, fit commemoratio ſanctæ Aldegundis ob eleuationem aliquam vel Tranſlationem quæ illo die facta creditur. Fortaſſis eo tempore quo Nortmanni Galliam Belgicam infeſtabant, aliò aſportatum ſanctæ Virginis corpus, ac deinde relatum eo die. Ab illa coniectura non abit quod in manuſcripto Martyrologio Monaſterij ſancti Maximini quarto Idus Iunias habetur, *eodem die remotio Aldegundæ Virginis*. Hæc de Tranſlationibus ſanctæ Aldegundis obiter & per anteceſſum dicta ſufficiant. In Cœnobij Malbodienſis adminiſtrationem ſorori ſuæ Aldetrudi ſucceſſit Madelberta, quæ Malbodij ſub ſanctæ Aldegundis materteræ diſciplina æquè adoleuerat.

MADELBERTA ABBATISSA.

IV. CLODVLFVS EPISC. METENSIS OBIT.

Clodulfus Metenſis Epiſcopus, cui Codex ſancti Symphoriani tribuit annos Pontificatûs quadraginta cum diebus viginti, migrauit ad Deum hoc eodem anno, ſexto Idus Iunias, quo die colitur in Tabulis Eccleſiaſticis. Obiit paulò minor nonagenario, & iuxta patrem Arnulfum ſepultus fuit in Æde, quæ primùm ſancti Ioannis Euangeliſtæ, ac Sanctorum Apoſtolorum, deinde eiuſdem ſancti Arnulfi nomen accepit, vt alio loco iam obſeruauimus. Eodem Clodulfo Epiſcopo & Theodorico Tertio Rege, poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum ſuperſtes floruit Metis ſancta Waldrada Monaſterij ſancti Petri prima Abbatiſſa, de qua Martyrologium Benedictinum tertio Nonas Maij, nóſque per anteceſſum Tomo ſecundo ad annos Chriſti ſexcenteſimum decimum [a] & ſexcenteſimum decimum-quartum [b].

[a] Num. 14.
[b] Num. 12.

V. FRATER FVIT ANSIGISILI.

Sancto Arnulfo, priuſquàm in Epiſcopum Metenſem aſſumeretur, ex Doda vxore legitima nati ſunt duo filij Clodulfus & Anſchiſus ſiue Anſigiſilus. Lege quæ Tomo ſecundo dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptimum [c]. Horum filiorum natu maior erat Clodulfus, minor Anſchiſus. De vtroque enim Paulus Diaconus in libro de Metenſibus Epiſcopis ita ſcribit. *Tunc maior filius, id eſt Chlodulfus*, &c. *At verò minor filius, id eſt Anſchiſus*, &c. In variis Genealogiis ſancti Arnulfi, quas Marcus Antonius Dominicyus operi ſuo de Anſberti familia rediuiua ſubiecit, Clodulfus ſeu Flodulfus Anchiſo fratri ſemper præponitur. In omnium antiquiſſima, quæ penes Hieronymum Vignierium noſtræ Congregationis Preſbyterum olim fuit, hæc leguntur. *B. Arnulfus genuit Flodulfum, ... & Anchiſum. Flodulfus genuit Martinum, quem interfecit Ebroinus Ercriaco Palatio: poſteà verò diuinâ fauente gratiâ electus Epiſcopus & ordinatus eſt. . . . . . . Anchiſus Dux genuit de Begga ſorore S. Gertrudis Pipinum ſeniorem & Ducem*, &c. Auctor ætatem ſuam in fine ſic indicat. *Carolus Senior & Dux genuit Pipinum, quem Stephanus Romanus Pontifex conſecrauit & vnxit in Regem, qui hodie fœliciter*

[c] Num. 20.

Digitized by Google

regnat. In alia Genealogia, quæ deſcripta eſt ex Codice ſancti Germani à Pratis & in Carolo Magno deſinit, hæc habentur. *Domnus Arnulfus genuit Flodulfum & Anchiſum, Flodulfus diuinâ annuente gratiâ Epiſcopus ordinatus eſt, Anchiſus genuit Pipinum,* &c. Conſentit & Genealogia, quæ deſcripta eſt ex Codice San-Victorino & ad annum Incarnationis octingenteſimum vndeſeptuageſimum perducitur. *Arnulfus genuit Flodulfum . . . . & Anchiſum fratrem eius . . . . Flodulfus genuit Martinum, quem interfecit Ebroinus in Erciaco palatio. Anchiſus Dux genuit Pipinum Seniorem & Ducem,* &c. AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

VI. Paulus Diaconus libro iam citato, vt Anſchiſi poſteris, præcipuè Carolo Magno eius abnepoti adularetur, narratiunculam videtur finxiſſe, quâ laudauit Anſchiſum, Clodulfum vituperauit. De vtriuſque natalibus ſic primùm diſſeruit. *Venerandus iſte vir,* nempe Arnulfus, *iuuentutis ſuæ tempore ex legitimi matrimonij copula duos filios procreauit, id eſt, Anſchiſum & Chlodulfum.* Deinde paucis interiectis hæc ſubiunxit. *Cùm igitur hos duos, de quibus præmiſimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat miſericors, & ad pietatis opera ſemper intentus, vtriſque filiis ſuis cœpit ſuadere, vt ei aſſenſum præberent, quatenus omnes ſuas facultates ad vſus pauperum diſpertiret. Tunc maior filius, id eſt, Chlodulfus, ſe hoc poſſe facere, id eſt, vt portionem ſibi debitam pater largiretur, omnimodis denegauit. At verò minor filius, id eſt, Anſchiſus, fidens de Chriſti pietate ſibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet ſe libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, & prædicit ei pluriora eundem quàm reliquerat habiturum, inſuper benedixit eum, eiúſque cunctam progeniem naſcituram in poſterum. Factúmque eſt. Nam & pluriores Anſchiſo, quàm reliquerat, diuitiæ acceſſerunt; & ita in paterna eſt conſtabilita benedictio, vt de eius progenie tam ſtrenui fortéſque viri naſcerentur, vt non immeritò ad eius proſapiam Francorum tranſlatum ſit Regnum.*

VII. Ex pleriſque prædictarum Genealogiarum liquet Clodulfo, priuſquàm Metenſis Epiſcopus fieret, ex legitimo matrimonio filium fuiſſe, nomine Martinum, qui, poſt Wlfoaldi Maioriſdomûs mortem, maximam apud Auſtraſios auctoritatem cum Pippino fratre patrueli nactus eſt, vt ex tertio Fredegarij Continuatore [a] conſtat. Hic enim ſuam de Francorum Geſtis narrationem ſic inchoauit. *In Auſtria quoque mortuo Vulfoaldo Duce, Martinus Dux, & Pippinus filius Anſigiſili quondam Franci nobilis, dominabantur.* Ab illo Martino, quem Ebroinus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo per dolum interemit, nonnulli Hugonem Capetum oriundum putant, ſed multò probabilior eſt eorum ſententia qui Martinum prole caruiſſe cenſent. PATER MARTINI DVCIS. [a] Cap. 97.

VIII. Sub hoc tempus, Pipinus Maiordomûs Sarchinium cum vxore Plectrude venit *orationis cauſâ*, quoniam illic ad ſancti Trudonis ſepulchrum multa fieri miracula reſciuerat. Ea de re ſic loquitur Donatus Diaconus à nobis ſæpè laudatus, vbi de Geſtis beati Trudonis diſſeruimus. *Pipinus inclitiſſimus Maiordomûs, filius Anſigiſi, cùm crebreſcentem famam de ſancti Trudonis virtutibus audiſſet, vt erat religioſiſſimus Princeps, ad tumulum ipſius, orationis cauſâ venit. Qui ſtatim, vt erat prudentiſſimus, diuinæ ibidem virtutis præſentiam adeſſe cognoſcens, illicò deuotiſſimo mentis affectu tradidit ad tumulum ipſius quicquid habere viſus eſt in villa quæ cognominatur Ochinſala, & in altera villa quæ dicitur Ham. Inclitiſſima quoque coniunx ipſius Plectrudis pro æterna vitæ commercio altare in honore ſancti Petri argento & auro fabricare præcepit.* In Monaſterio Sarchinienſi tunc degebat Beregiſus Preſbyter, quem Pippinus & Plectrudis ſecum abduxerunt, & familiariſſimè permultos annos in ſuo retinuerunt comitatu, donec ei locum, vbi Cœnobium erigeret, in Arduenna ſylua tradiderunt. Adſtipulari non poſſumus Fiſeno [b], qui Beregiſum, eò quòd animum Pippini Principis à priſtina paulatim pietate deſciſcentis offendiſſet, honeſtæ miſſionis prætextu procul ablegatum ſcribit, idque Plectrude à marito nondum repudiatâ contigiſſe prædicat. Beregiſus enim Pippino ac Plectrudi maximæ ſemper venerationi fuit, erátque adhuc in eorum comi- PIPPINVS ET PLECTRVDIS SARCHINIVM PROFECTI ORATIONIS CAVSA, INDE SECVM ABDVCVNT BEREGISVM PRESBYTERVM. [b] d. 2. Octobr. n. 1.

Digitized by Google

AN. CH. 696. tatu, quando conſilium inierunt de condendo Monaſterio, cuius curam adminiſtrationémque ipſe ſuſcepit, vt dicemus infrà.

CHILDEBERTI III. R. 2.

IX. DESIDERIUS EP. EBROICENSIS. VEXAT LEVFREDVM ABBATEM.

Deſiderius Ebroicenſis Epiſcopus initio ſui Pontificatûs vexauit Leufredum Abbatem, qui Monaſterium in eadem Diœceſi conſtruxerat. Qua de re ſic in eiuſdem Leufredi vita vetus Anonymus, quem Vincentius Barralis in Chronologia Lerinenſi publicauit. *Per idem tempus Pontificatum Ebroicenſis Eccleſiæ Deſiderius agebat, à qua non longè, duabus ſcilicet leucis ipſe locus,* nempe Monaſterium à Leufredo ædificatum, *diſtabat. Qui cùm opinionem viri Dei audiſſet, & quia plures ab ipſo, lumine veritatis accenſi, vitam Apoſtolicam ſequerentur, zelo inuidiæ ſuperatus, quòd in Diœceſi ſua talia agere præſumpſiſſet, quadam die, conſcenſo equo, aſſumptis Officialibus ſuis, ad cellam viri Dei perrexit. Ventum eſt ad locum, & ſubitò virum Dei iniuriâ verborum exacerbauit. Sed cùm ad hæc patronus noſter immobilis perduraret, & patientiam fortiter conſeruaret, magis ac magis Epiſcopus exagitatus furore imperat ſuis, vt eum in equum leuarent, cùm ipſe vir Domini iam decreuiſſet nunquam equum aſcendere. Cúmque pariter ambularent, & cum Epiſcopus ad ciuitatem perducere conaretur, vt ibi in eum quæcunque vellet liberùs exerceret, necdum milliarium à cella hominis Dei compleuerant, cùm ſubitò equus, cui vir Dei ſedebat, in terram concidit, & dirupta ſunt omnia viſcera eius. Mirantibus cunctis Epiſcopus nimio terrore conſternatus eſt,*

RESIPISCIT. *atque leuitatem ſuam admodum reprehendit, quod virum Dei lædere præſumpſerit. Sicque ad genua eius prouolutus, indulgentiam poſtulauit. Cui vir Domini memor orationis Dominicæ placidè omnem iniuriam remiſit. Pontifex autem cum ſumma veneratione & obſequio, eum ad Cellam ſuam redire fecit. Vbi poſteà diuino adiutorio comitatus per multa annorum curricula, & verbo fidei claruit, & miraculis coruſcauit.*

X. Agathius, qui ſecundùm noſtram computationem anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo Carnotenſem Epiſcopatum ſuſcepit, & ex Sammarthanorum ſententia ſedebat anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, multi Nomenclatores [a] annos ſeptem in Pontificatu tribuunt. Eius igitur obitus hoc anno conſignandus. Porrò iacet in Abbatia Sancti Carauni. Sepultus ibi fuit ab Abbate Simone, qui Monaſterium ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo regebat. Succeſſit in Epiſcopatum Leobertus, qui iuxta veterem Codicem, quem Sammarthani laudant, ſedebat *anno* 706. geſſitque Pontificatum annis decem, vt ex multis Auctoribus ſuo loco probabimus.

[a] Democh. Rolliard. Chenut.

EPISCOPI CARNOTENSES.

XI. ALETENSES ET LEXOBIENSES.

Epiſcopatus Aletenſis, cùm poſt Valterij mortem menſes aliquot vacaſſet, Antiſtitem hoc anno habere cœpit Cadocanamum ſeu Cadocauanum, qui Pontificales Infulas annis tredecim geſſit, vt Auctor Armoricæ Sanctæ teſtatur. Obiit hoc anno in eadem Prouincia Dionyſius Lexobienſis Epiſcopus, quem idem Auctor annos tres & quadraginta ſediſſe ſcribit.

XII. Hoc anno Bertinus Abbas Sitiuenſis Rigobertum ſibi ſubſtituit, & Abbatem eſſe iuſſit. Lege Malbrancum [b]. Hic Rigobertum laudat vtpote multâ ætate multíſque virtutibus prouectum, cuius induſtriam ac ſedulitatem in arduis etiam negotiis promouendis experti ſæpenumero fuerant Aſcetæ Sitiuenſes. Eodem verò tempore quo Bertinus Sitiuenſe regimen abdicauit, abdicauit & Woromholtanum, cui Winnocum præfecit. Huic ſententiæ refragantur Acta Sancti Winnoci, quorum Auctor [c] in hunc modum ſcribit. *Cùm ſæpè memorati tres viri,* Quadanocus, Ingenocus & Madocus, *extremum clauſiſſent diem, perpetuam tranſlati in requiem, Sanctus Bertinus virum Dei* Winnocum *gregi Monachorum voluit præeſſe, quippe qui iam humiliter ſubeſſe didicerat. Erat ille quidem antedictis tribus viris ætate minor, ſed non inferior ſanctitate. Adeò enim in præcedentium Sanctorum veſtigiis inſtitit, vt in nulla eum virtute poſteriorem Eccleſia miraretur.* At Iperius Abbas [d] prolata in medium Heremari donatione, de qua locuti ſumus anno ſuperiore,

RIGOBERTVS FIT ABB SITIVENSIS.

[b] Lib. 4. c. 43.

[c] Ap. Sur. d. 6. Nou.

[d] Ap. Miræuni in Origin. Benedictin. c. 31

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

ſtatim hæc ſubiicit. *Illi conuenticulo beatus Pater Bertinus ſanctum conceſſit præeſſe Winocum, vbi, multis miraculis concomitantibus, Domino fine tenus inſeruiit.* Quibus verbis hic Auctor Winnocum Abbatem ſub ipſa Cœnobij primordia ſtatuit. De Quadanoco, Ingenoco & Madoco, quos Monachi Bertinenſes Beatis annumerant, nihil ampliùs recurret. Vtrùm quis eorum an ipſe Winnocus, priuſquàm Abbatem induerit, ceteris apud Grunebergam & Woromholtum præfuerit, apud Scriptores hodie controuertitur. Ea de re ſilent antiqui. Winnoci cauſa potior videtur, quia poſthabitis aliis, vt Abbatis officio fungeretur, electus eſt à Bertino.

WINNOCVS WOROMHOLTANVS.

XIII. De Bertini Seceſſu ſic Malbrancus [a]. *Bertiniani ſeceſſûs luculenta indicia permanſerunt. Ab Orientali parte etiamnum viſitur deſcendentibus è maioris Baſilicæ poſtico illuſtre ſacrarium B. Mariæ nuncupatum, quod etſi propter deſcenſum in cryptæ aut hypogei morem abeat, tamen luminis affatim ex ſubſequente area liberiore excipit, vnde apparet quantùm ad recentiorem fabricam aggeſta tellus. Viſitur etiam ad dexterum latus proportione ad ſacrarium illud habitâ, quaſi paruuli Cænobij ſimulachrum, non ſine periſtylio & dormitorio conclaui. Et hæc omnia antiquam Bertini redolent ſtructuram aut potiùs ſtructuræ modum: eam autem diu ante hanc initam ſolitudinem exædificaſſe, veterum monumentis traditur, cùm D. Audomarum Beatiſſimæ Virgini ſacraſſe perhibeant: vnde iam multos annos ſtetiſſe oportuit,* &c. *Ergo veriſimile eſt quandoque Bertinum, cùm per ſerias occupationes liceret, eò ſe recepiſſe, & liberiorem commentationis auram captandi gratiâ, quaſi à forenſi tumultu reſpiraſſe. Putem ergo iuxtim illic prodigioſam illam ſtetiſſe nauim* [b], *ibidémque pronuntiatum vaticinium. Hæc requies mea, &c. Namque Bertinenſe Monaſterium, quantum quantum eſt, penè meram paludem fuiſſe ex antiquorum ſcriptis ſit exploratum, vt immenſam terræ vim aggerere fuerit opus, tum vt ad figendum domicilium eſſet accommodatum, tum vt ad corpora tumulanda aptaretur. Cùm verò ipſius ædiculæ ſitus reliquis anterioribus partibus longè ſit demiſſior, quid mirum ſi eò nauigium pertigerit, cùm à paucis ſeculis & illæ & ſuperiores partes adhuc quidpiam madidi retinent. Deinde moris fuit antiquis, loci miraculis affecti memoriam ſacrariolo perpetuam ad poſteros tranſmittere. Subiit ergo Præſul amantiſſimam cellam, & eò lubentiùs, quo Virginem matrem illic daretur colere & venerari, cui velut eximiæ patronæ ſe totum addixerat. Volupe fuit eâ meditatione paſcere animum, quæ res cum filio Ieſu tranſactas repræſentaret, ſeu quæ gaudium illi è ſuanioribus incunabulis, ſeu quæ dolorem ex inflictis inſonti pœnis, ſeu quæ gloriam è cæleſtibus ac diuinis pepererunt. Hinc Bertinianis poſtmodum familiare ac ſolemne fuit Virginem orbibus diuerſa illa myſteria complectentibus, vti etiamnum cernitur, circumcinctam depingere. Ad illud igitur ſacrarium velut alter Samuel cubitare ſolitus, orationis magis quàm ſomni memor, partem exiguam nocturnæ corporis quieti tribuebat. Eâ ratione cæleſtem illam & optatam, quâ toties per grauiſſimas Cænobij occupationes fraudabatur, requiem pabulúmque ſibi viſus eſt quodammodo reſarcire. Etiam teſtati ſæpiùs non Bertiniani modò ſed & externi ſe illa in ædicula, quàm alibi, maiori religionis ſenſu fuiſſe delibutos.*

[a] Lib 4. c. 43.

DESCRIPTIO SECESSVS BERTINIANI.

[b] Vide an. 639. n. 5.

XIV. Inter vltima opera, quæ Bainus Taruannenſis Epiſcopus in ſua Diœceſi confecit, antequàm curâ Pontificatûs abdicatâ ſponte Monachus apud Fontanellam ſub Abbatis Hilberti diſciplina fieret, collocanda eſt ſepultura, quâ Sanctos Luglium & Luglianum hoc eodem donauit anno, quo Rigobertus & Winnocus facti ſunt Abbates, ille Aſcetarum Sitiuenſium, hic Woromholtanorum, vt Iacobus Malbrancus in tabula teſtatur Chronologica, quam Tomo primo de rebus Morinorum præfixit. Ferreolus Locrius perperam ait Luglium & Luglianum anno Chriſti ſeptingenteſimo floruiſſe, Bainus enim, à quo ſepulti ſunt, Epiſcopatum priùs dimiſit, Eorum vitas edidit Andreas *Herbi* Canonicus Atrebatenſis. Ex illis autem Auctoribus decerpſimus, quæ viſa ſunt ad inſtitutum noſtrum pertinere.

LVGLIVS ET LVGLIANVS FRATRES.

XV. De Luglij & Lugliani aduentu in Franciam ſic Locrius [c] in Chronico

[c] Ad an. 700.

Digitized by Google

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

Belgico. *Florent ſancti Luglius & Luglianus, Hybernorum hic Rex, iſte Archiepiſcopus; qui Theodorico Baino Morinorum Epiſcopo ſedente, Religionis ergò, patriâ emigrantes, Bononiam appulerunt, vbi ſignis variè & ſplendidè editis Teruannam concedentes, eandem ab incendio mirabiliter eripuerunt.* Iſta fuſiùs pertractat Malbrancus libro quarto [a] de Morinis, nec omittit Euentinum Bononiæ illuminatum fuiſſe inſigni miraculo, cùm à natiuitate cæcus eſſet. Rei adeò mirabilis mentio fit in quadam Proſa, quam prædictus Locrius à Canonicis Lilerianis ſic recitari ſolitam ſcribit Euentini nomine in Ementinum mutato.

[a] Cap. 39.

Propter Dei ſalutare
Tranſierunt ambo mare,
Relinquentes Patriam.
Verbum Dei prædicantes,
Atque ſignis coruſcantes,
Venerunt Boloniam.
Per hos mare ſerenatur,
Ementino lumen datur,
Et infirmis ſanitas.
Horum prece liberatur
Ab igne, quo cremabatur
Morinorum ciuitas.

XVI. Pij fratres Bononiâ egreſſi Taruannam versùs iter proſecuti ſunt, plebe Cleróque comitantibus ad quartum ab vrbe lapidem, *vbi modò mons Hulinus conſpicuus eſt.* Animos Bononienſium adeò affecerant cæco illuminato. Populum Taruannenſem in admirationem haud minorem rapuerunt igni extincto & ſalute ciuitati tanto miraculo partâ, ſed ne conſpectui paterent Taruannenſium, de quibus tam benè meriti erant, appetente Aurorâ profugerunt. Lege Malbrancum. *Ad vallem, quæ Scyredala dicitur,* vt apud Locrium Auctor vitæ tradit, *quatuor ab vrbe Morinorum Teruanna interpoſitis miliaribus, cantando per deuia nemora & inculta loca peruenerunt. Illis verò diebus, totius Morinenſis Pontificatûs territorio à Wandalorum exercitu depopulato* (Wandalorum nomine quoſlibet hoſtes Chriſtiani nominis illuc appulſos intellige) *rari remanſerant coloni, & qui ſupererant, magis in latrocinio, quàm in terræ cultura, corpora ſua exercebant. Tunc temporis enim tres fratres, latrocinio inſignes in prædicto territorio habitantes, vnus videlicet Bouo apud Butnetum *, alter verò Eſcelmus iuxta Fracſagium * habitans, tertius ſcilicet Berengerus ſecus villam Percetum * nomine refugium habens, in ſaltibus ſatellites plurimos habebant. Quos die ac nocte ad cuſtodienda nemora, & viarum tranſitus mittebant, vt pertranſeuntes veſtibus & aliis, quæ ferrent, deſpoliarent.* De tribus hiſce fratribus, Bouone, Eſcelmo ſiue Heſcelino, & Berengero ſiue Berengario, qui ſanctos Luglium & Luglianum in Diœceſi Morinenſi interemerunt, teſte eodem Locrio [b] mentio fit in monumentis manuſcriptis Aroaſienſis * Monaſterij, quod *ad Truncum Berengarij circa annum Dominicæ Incarnationis* 1090. *in ſylua Aridagamantia* conditum fuit, atque ex illius Cœnobij ſitu liquet impios illos fratres non intra Diœceſim tantùm Taruannenſem, ſed etiam per finitimas ſua latrocinia ſuámque malitiam exercuiſſe. Textus Aroſiacenſium monumentorum talis eſt. *Is locus ſuper ſtratam publicam conſtitutus, in ſiluâque Aridagamantia ſitus, quæ quidem ſilua à Caſtro quod Encra dicitur vſque ad fluuium Sambræ tunc temporis continua protendebatur, olim ſpelunca latronum fuerat, vnde & hunc quidem Truncum Berengarij, ab eiuſdem nominis latronum principe vulgò denominant, pro eo quòd poſt mortem eius ſolitos eſſe ferunt ſatellites eius trunco quem cauauerant, captos à ſe quoſlibet præſentare, infra quod quidam ex ipſis, quaſi idem Berengarius loquens, captiuis ſummam redemptionis imponebat, quam nulli minuere vel mutare liceret. Sed in Hiſtoria Paſſionis ſanctorum Luglij & Lugliani Hibernenſium, perſpicuè ſcriptum legitur, quòd iidem ſancti per*

INCIDVNT IN LATRONES.

* Bunet.
* Freſay.
* Perſy.

[b] Ad an. 1090.
* Arrouaiſe.

per has regiones tranſeuntes, per manus impiorum, prædicti videlicet Berengarij & fratrum ſuorum Bouonis & Heſcelini, & eorum complicum Martyrio fuerunt coronati. Sed quia hoc ſcelus in pago Teruanenſi fuiſſe aſſeritur perpetratum, luce clariùs apparet eoſdem impios non in hoc tantùm loco, ſed in finitimis etiam circumquaque locis, & maximè per ſtratas publicas longè latéque diſcurrentes, quamdiu licuit, ſuam exercuiſſe & protelaſſe malitiam. Malbrancus obſeruat Butnetum, vbi Bouo domicilium fixerat, hodie Lilerium * vocari, & modò *Bunet* ſyluulæ ad Lilerium nomen adhuc eſſe. * *Lilers.*

XVII. Sanctorum Luglij & Lugliani Martyrium ac ſepulturam idem Malbrancus ſic deſcribit. *Tergemini fratres*, Bouo, Eſcelmus & Berengerus, *bipedum nequiſſimi, vt viros*, nempe Luglium & Luglianum, *in proclinia tendentes conſpexere, oppidò inter frutecta latitantes, dum propiùs accedant, opperiuntur. Intereà germani de his nihil anxij, Pſalmodiæ ſolito alacriùs incumbunt. Detectis prædonum ambagibus, protinus non modò corporis exuuias, ſed corpus ipſum & animum pro Chriſti nomine profundere ſe paratiſſimos exclamant. Non ea mens ac fortitudo comitibus fuit, ſed panico quaſi terrore omnes correpti, fugâ ſibi conſulunt, vnum ſolummodò Erkenbodum*, de quo non ſemel locuturi ſumus, *infidi facinoris conſcientia pupugit, & actutum eò loci reſtituit, quo Regios fratres parum amanter deſeruerat. Nunc audentiùs exponit pectus aduerſum, quo tranſuerberato concidit, creauítque ſicariis illis vitæ deperditæ cogitationem. Verùm non abierat illa, quin viuidi oculi per dumorum cancellos attentè proſpectant, quid rerum cum Luglio & Lugliano agatur. Iam ad finem tendebat Pſalmodia, & in hunc Verſum ardentiùs, [viuet anima mea & laudabit te,] cùm ecce gladio plectuntur, ſpoliantur vitâ & veſtibus, proiecto in lacunam vtriuſque corpore ac ſine honore relicto. At impunè non abierunt immanes illæ tigrides. Qui primarius auctor ac lethi ipſius opifex cacodæmonem ſenſit in præcordia immitti, diſtendi membra, viſcera dilacerari, & ne quid ærumnoſo deeſſet, vltrices ipſæ feræ inuolant, & fœdum in modum artus diſcerpunt deuorántque; procul hinc procul diffugere commilitones, ne eodem malorum agmine inuoluantur. Quare ſaucio Erkenbodo eſt facta poteſtas ſancta corpora componendi, nulla ei de vulnere grauiſſimo cura, crura trahit animoſiùs, & multo ceſpite ex obuiis educto geminam illam victimam adoperit. Tanta eum ſalutis ſuæ fiducia tenet, vt illic totam noctem exigere, & quorumcumque, ſeu ferarum, ſeu prædonum, impetus ſuſtinere minimè detrectet. Atque hoc præclaro ſpectaculo magis animatur. Angelica turma è cælo quaſi per ſcalam Iacobicam ad viſenda corpora proclinis tendit, & obſequioſi ſpectabundo luminis ſplendore colluſtrat. Verùm ex immani imbrium ſuperfuſione ita intumuit vallis, vt aquis torrentis in morem ſibi alueum penè Lilerium vſque inuenientibus, eò auecta fuerint Martyrum corpora; ſeſquileucæ iter eſt. Res ad Bainum* Taruannenſem tunc Epiſcopum *delata, qui ab Erkenbodo tragicæ necis ſeriem edoctus cum pia illuc multitudine conceſſit. Sacra autem pignora tumulis honorificè condita, ad Caſtellum ſuum illic in propinquo ſitum deportauit. Vbi veriſimile eſt fuiſſe Ædiculam, vel ſanè à Pontifice adiectam, ad hæc enim tempora continuò quidpiam illic ſacrariolum extitit eorum nomine & honore inſignitum, atque omnino exiſtimatur Lilerium opportunâ iſtorum Patronorum, quos adhuc ſeruat, accreuiſſe beneficentiâ. Scilicet cùm illic nil niſi ſylua, Butnetum nomine, & in eius aditu illud Baini eſſet Caſtellum, totus ille tractus à loco, vbi corpora torrens depoſuit, ad Caſtellum Pontificium & à Caſtello ad Lilerium hodiernum multis domiciliis cœpit excoli. Locus pluuialis inundationis corpora excipiens, etiam ſacrarium excepit, in quo à profunda maiorum ætate ſemper degit Anachoreta, teſtis plurimarum, quæ adhuc in febrientibus maximè contingunt, ſanationum, & Heuronuille nominatur olim Herronuilla ex antiquo Theutonum etymo Dominorum villam ſignificante, quòd Principum illic reperta corpora.* Huc vſque Malbrancus, qui Tomum primum de Morinis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vndequadrageſimo publicauit.

MARTYRIO CORONANTVR.

XVIII. Feſtum Sanctorum Luglij & Lugliani ſolemne eſt apud Lilerienſes decimo Kalendas Nouembris. Id teſtatur Ferreolus Locrius in Chronico Bel-

Digitized by Google

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

gico [a]. Luglium Epiſcopum fuiſſe in Hybernia putamus, ſed nec eum Regis filium nec eius fratrem Luglianum illius Inſulæ Regem arbitramur. Ambos fratres & ex primaria Hyberniæ nobilitate progenitos exiſtimamus, vt & alios pleroſque Sanctos Hyberniæ, quos Acta vel Regum filios vel Reges appellant. Erkenbodus ſiue Erkenbodo, qui Sanctorum Luglij & Lugliani Martyrium Baino Taruannenſium Epiſcopo narrauit, Aſceta Sitiuenſis poſteà factus eſt, tum Abbas eiuſdem loci, poſtremò Taruannenſis Epiſcopus, vt ſuis lòcis dicturi ſumus.

[a] Ad an. 1470

ERKENBODVS FIT MONACHVS SITIVENSIS.

XIX.

LEVDEMARVS ABB. ORBACENSIS.

His circiter temporibus, cùm Francorum Monarchia penes Childebertum Regem erat, penes Reolum Epiſcopum Remenſes Inſulæ, Leudemarus Orbacenſis Abbas in Diœceſi Sueſſionenſi, quem Odo quidam Monaſterio expulerat, ſuo Cœnobio reſtitutus eſt à Childeberto Rege, vt hæc Flodoardi [b] verba teſtantur. Leudemarus *rexit idem Monaſterium* Orbacenſe *donec vixit. Nam licèt ab Odone quodam fuerit expulſus, à Childeberto tamen Rege poſteà reſtitutus eſt.* Superſtes vixit Reolo Epiſcopo, cuius obitus in annum Chriſti vndeſeptingenteſimum incidit.

[b] L. 2. c. 10.

SVO RESTITVITVR MONASTERIO.

XX.

CHILDEBERTVS R. MVNIFICVS ERGA ECCLES. S. LVCIANI.

His quoque circiter temporibus, cùm Childebertus Rex toti Franciæ dominabatur, idem Childebertus & Conſtantinus Bellouacenſis tunc Epiſcopus Caſtrum de * Bubulis cum Eccleſiis eiuſdem loci, Sancto Luciano Martyri, qui Bellouacenſibus Euangelium primus annuntiauit, inſigni munificentiâ tradiderunt. Huius donationis meminit Guido Bellouacenſis Epiſcopus in literis datis *ciuitate Beluacus, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptuageſimo-quinto, regnante Philippo Rege, Indictione decimâ, epactâ primâ.* Initium tale eſt. *In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Ego Guido Beluacenſis vrbis, gratiâ Dei, Præſul ad omnium incitamentum bonorum noſtris acta temporibus, fidelium notitiæ manifeſtare curaui. Quia enim ſanctam Dei Eccleſiam verbo & exemplis interiùs ædificare, rebus & alimentis exteriùs iuuare, poſſeſſionibus augmentare, ablatis redintegrare debemus, oportet vt & his indeſinenter inſiſtamus, & iſtis illa non amittamus. Vnde cùm domnus Hugo Comes de Domno * Martino ex Eccleſiis de Bubulis, quas iniuſtè tenuiſſe fatebatur, noſtram adiſſet præſentiam, quàm ſalubriùs eius animæ conſulere potuimus, nos conſuluiſſe credimus. Sanctus namque Martyr Lucianus eaſdem Eccleſias cum omni ipſius Caſtri integritate ex dono Childeberti Regis & Conſtantini Beluacenſis Epiſcopi ſibi conceſſas dudum poſſederat. Sed poſtmodum barbarorum incurſione, & impiorum, id eſt, Haſtingorum, peruaſione cuncta perdiderat. Quod ego pertractans, vt iniuſtè ablata & peruersè retenta ſancto Martyri redderet, illicò conſului & perſuaſi. Qui noſtri conſilij iuſſis obtemperans Domnum Theobaldum Monaſterij ſancti Luciani Abbatem adiit, ſuam ſuorúmque iniuſtitiam Anteceſſorum recognouit, & ipſas Eccleſias laudantibus Canonicis, quos ibi poſuerat, iuſſu noſtro & conceſſu Clericorum noſtrorum cum omnibus appendiciis ſuis ſancto Martyri tradidit.* Literas integras Petrus Louuetus [c] in Hiſtoria Bellouacenſi & Antonius Loiſelius inter probationes eidem Hiſtoriæ ſubiectas deſcripſerunt.

* *De Bulles.*

* *Dammartin.*

[c] Lib. 2. c. 17.

XXI.

EPISCOPI BELLOVACENSES.

Poſt Clementem, cuius mentionem Tomo ſuperiori non ſemel fecimus, in Catalogo Bellouacenſium Epiſcoporum apud Domocharem, Loiſelium, Chenutium, Robertum & Sammarthanos, vnanimi conſenſu ſequitur Conſtantinus ſeu Conſtantius, quem præcitatæ Guidonis Epiſcopi literæ Childeberto Regi ſynchronum conſtituunt. Clementem Bellouacenſem Epiſcopum in ſancti Eligij vita memorari iàm obſeruarunt, Loiſelius, Robertus & Sammarthani. Vitam Sancti Eligij poſt mortem Clotarij Tertij Regis, id eſt, poſt annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum cùm totius Franciæ Monarchia penes Childericum Secundum eſſet, in literas retulit Audoenus Epiſcopus Rotomagenſis, & in illa lucubratione locutus eſt de Clemente tum ſuperſtite, vt ex hoc textu quem ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum [d] iam recitauimus, liquidò conſtat. *Baſilicâ*

[d] Num. 9.

ibi conſtructâ, tecto mirificè exornato, condignum in æternum poſſidet Eligius hoſpitium. Quem videlicet locum Clemens Pontifex Beluacenſis ſub ſuo habet regimine. Vnde redarguas Robertum, qui de proximo Clementis ſucceſſore ſic ſcribit. *Conſtantius vel Conſtantinus ab anno* 515. *ad* 559. Demochares & Chenutius, licèt Conſtantinum *anno* 559 Epiſcopum quoque fuiſſe contendant, veniâ magis digni videntur, quia non aduerterunt Clementem Conſtantini deceſſorem Audoeno Sancti Eligij vitam ſcribenti coætaneum vixiſſe. Quiſquis igitur Audoenum legerit, Clementem ſub Regibus Clotario Tertio & Childerico Secundo, Conſtantinum ſub Theodorico Tertio Rege floruiſſe fatebitur. Imò ex Guidonis Epiſcopi literis, quarum initium ſuprà deſcripſimus, colligere eſt eundem Conſtantinum perueniſſe ad Principatum vſque Childeberti Regis, qui Tertius huius nominis fuit & ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum regnauit. Nam Childebertus Primus & Childebertus Secundus Clemente Conſtantini deceſſore multò antiquiores extiterunt, ſiquidem Childebertus Primus, in cuius poteſtate Bellouacum fuit, ab anno Chriſti quingenteſimo vndecimo ad annum vſque Chriſti quingenteſimum duodeſexageſimum regnauit, & Childebertus Secundus Neuſtriam, vbi Bellouacum, numquam tenuit, obiitque anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto, poſtquàm à Sigiberti patris obitu per annos vnum & viginti imperaſſet.

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

XXII. MONASTERIVM S. LVCIANI.

Quis Monaſterium Sancti Luciani condiderit, Auctores Hiſtoriæ Bellouacenſis haud probant. Illud tamen à Childeberto Rege conſtructum, deinde à Chilperico Rege reſtauratum Scriptores non pauci contendunt. Vulgaris eſt hæc opinio, quam Robertus ſic amplexus eſt. *Monaſterium S. Luciani, Ordinis Benedictini, Diœceſis Bellouacenſis, conditur à Rege Childeberto, & inſtauratur à Chilperico, ſedente Epiſcopo Dodone* 20. Eadem omnino tranſcripſerunt Sammarthani, ſi viceſimum locum Dodoni Epiſcopo in Catalogo Bellouacenſium Pontificum à Roberto attributum excipias, licèt ſuper illo numero non diffideant ab eodem Roberto, Dodonémque inter Bellouacenſes Epiſcopos viceſimum agnoſcant. Apud vtroſque vt Conſtantinus decimus-octauus, ſic Dodo viceſimus Epiſcopus Bellouacenſis notatur intermedio Rauigo. Atque inde conſtat Chilpericum Regem, quem Dodo Bellouacenſis Epiſcopus teſte eiuſdem Chilperici chartâ conuenit, non alium fuiſſe à Chilperico Tertio, qui Regnum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum tenuit. Ipſum Diploma, in quo Chilpericus Dodonem tunc Epiſcopum Bellouacenſem laudat, integrum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum regnante tunc eodem Chilperico Tertio recitabimus, interim fragmentum accipe, quod rei, quam examinamus, plurimùm lucis affert. *Notum ſit præſentibus & futuris, omnibus videlicet Agentibus noſtri Regni, quòd olim paganis irruentibus in Francorum terras*, id eſt, in terras quæ Francorum poſteà ditionibus acceſſerunt, *Eccleſiæ deſtructæ, Monaſteria quamplurima depopulata atque vaſtata ſunt, ad quæ reædificanda cùm noſter animus, ſi facultas adſit, promptus omnino fuerit, Domnus Dodo Belloacenſium venerabilis Epiſcopus atque chariſſimus noſter Ebrulphus Abbas cum aliis quamplurimis fidelibus noſtri Regni adierunt Serenitatem noſtram, obſecrantes, vt quandam Eccleſiam, quæ ab antiquis in honore beati Petri Apoſtolorum Principis & Sancti Luciani Martyris prope muros Belloacæ vrbis fuerat conſtructa, ſed poſteà quidem paganorum irruptione vaſtata atque deſtructa eſt, pro ſalute noſtra & totius noſtri Regni conſeruatione, noſtrâ munificentiâ & largitate reædificare iuberemus, & eam noſtrâ ditione nos & noſtri ſucceſſores in perpetuum tueremur. Et ideò maximè, quòd hanc eandem Eccleſiam Genitores*, id eſt, Anteceſſores, *noſtri datis quarumdam ſuarum poſſeſſionum redditibus ad meliorem ſtatum quondam reducere voluerunt, & einſmodi negotij prouidentiam iam ſuprà nominatæ vrbis Epiſcopis committentes crediderunt, ſed illi alia cupientes commiſſum hoc neglectum reliquerunt. Nos itaque ad*

Digitized by Google

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2. *id peragendum inuitat permaximè, quòd,* &c. *Igitur quia petitio iuſta & vtilis exiſtit, nos noſtram auctoritatem præſtantes, per hanc decreti noſtri paginam decernimus atque roboramus, vt Eccleſia in honore beati Petri Apoſtolorum Principis & ſancti Luciani Martyris, vbi ipſe ſanctus in corpore quieſcit, quæ eſt prope muros Belloacæ vrbis, noſtræ liberalitatis munificentiâ readificetur & vt famulatibus Omnipotentis Domini aptetur, atque Cœnobitæ Deo famulantes ibi congregentur.*

XXIII. Chartis Chilperici Regis & Guidonis Epiſcopi Bellouacenſis accuratè lectis examinatiſque, ſuper Eccleſia Monaſterióque ſancti Luciani ſic pronuntiandum arbitramur. Beatus Lucianus Martyrium paſſus eſt in perſecutione Diocletiani & Maximiani. Pace pòſt Eccleſiæ redditâ, Chriſtiani Baſilicam in honorem Principis Apoſtolorum & eiuſdem ſancti Luciani Martyris erexerunt. Hanc quinto ſeculo, priuſquàm Bellouacum in poteſtatem Francorum deueniret, ſolo adæquarunt pagani ſeu barbari, de quorum irruptione in Gallias beatus Hieronymus in ſuis ad Ageruchiam literis ita ſcribit. *Innumerabiles & ferociſſimæ nationes vniuerſas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyrenæum eſt, quod Oceano & Rheno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmatæ, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni & hoſtiles Pannonij vaſtarunt.* Quamuis enim ex Belgicæ ſecundæ ciuitatibus, quæ cladem tunc paſſæ ſunt, proximâ periodo quinque duntaxat enumerentur, *Rhemorum vrbs præpotens, Ambiani, Attrebatæ, extremíque hominum Morini* *, *Tornacus*, exiſtimamus Bellouacum eandem calamitatem expertum eſſe, quia nihil videtur obfuiſſe, quominùs prænominatæ gentes in pagum Bellouacenſem ex Ambianico, qui contiguus eſt, effunderentur. Barbaris gentibus, ex agro Bellouacenſi ſummotis Eccleſiola in honorem ſancti Petri Apoſtoli & ſancti Luciani Martyris confeſtim reparata eſt, ſed eiuſdem ſancti Luciani corpus ad tempora vſque Clodouei Secundi Regis incognitum delituit, vt patet ex vita ſancti Eligij, quam beatus Audoenus Auctor ſynchronus & omni fide dignus in literas retulit. *Ex eo*, inquit, *tempore, quo Eligius Pontifex conſecratus, & Eccleſiæ Paſtor eſt datus, ab eo nonnulla inuenta* ſanctorum Martyrum corpora *populis ſunt declarata, ex quibus primum ac ſummum Martyrem Quintinum in principio Epiſcopatûs ſui grandi inſtantiâ quæſitum, olim quoque celatum promouit palàm in publicum,* &c. *Poſt hæc ſimili modo grandi labore atque inſtantiâ inuenit in territorio Medenantenſe, vico Sacilinio, ſanctum Martyrem Piatonem, cui ſimiliter clauos prolixos ex corpore ablatos populis in argumentum monſtrauit. Corpus denique, ſicut Martyrem decuit, eleganter compoſuit, atque mauſoleum vrbanè deſuper fabricauit. Sueſſionis quoque ciuitate ſanctos Martyres & germanos Criſpinum & Criſpinianum ex quadam cryptæ prolatos mirificè compoſuit, eorúmque memoriam inſigni ornamento decorauit. Necnon & Beluacus municipio beatum Martyrem Lucianum, collegam quondam ſancti Quintini, inuentum ſimiliter fabricauit atque compoſuit.* Poſt hanc Inuentionem, cùm cultus fidelium erga beatum Lucianum Martyrem plurimùm creſceret, Reges Francorum de magnificentiore Baſilica in illius honorem erigenda cogitarunt; locum ipſum, vt de Childeberto Tertio teſtes ſunt Guidonis Bellouacenſis Epiſcopi literæ iam citatæ, Regiâ locupletarunt munificentiâ; totius operis curam Bellouacenſibus commiſerunt Epiſcopis, de quorum negligentia Chilpericus Tertius in ſuo pòſt Diplomate ſuperiùs etiam allegato queſtus eſt, ideóque præcepit, vt quod neglectum fuerat, fieret quamprimùm, & Ædicula, in qua beatus Lucianus à temporibus Clodouei Secundi Regis quieſcebat, in ſpatioſiſſimam atque auguſtiſſimam, prout Regiam munificentiam decebat, Baſilicam mutaretur.

* Teroüenne.

XXIV. Porrò quia Chilpericus in eodem Diplomate teſtatur Eccleſiam eſſe *prope muros Belloacæ vrbis in honore beati Petri Apoſtolorum Principis & ſancti Luciani Martyris, vbi ipſe ſanctus* Lucianus *in corpore quieſcit*, decernítque non tantùm vt ea *readificetur* ſiue amplificetur auguſtiórque fiat, ſed etiam *vt famulatibus Omnipotentis Domini aptetur, atque Cœnobitæ Deo famulan-*

Digitized by Google

tes ibi congregentur, vero ſimillimum videtur nondum ibi conſtitutos fuiſſe Monachos, cùm Chilpericus Tertius prædictam chartam emiſit. In aliam tamen imus opinionem, exiſtimamúſque Ebrulphum, qui Chilpericum Regem adiit, Abbatem illius loci fuiſſe. Vt ita ſentiamus, duæ res præcipuè nos impellunt, quas idem Chilperici Regis Diploma ſuppeditat. Primò, *ſanctus Lucianus Martyr Domini glorioſus Ebrulpho Abbati per viſionem apparuit, & vt ſanctum Maxianum, qui adhuc in monte Milio latebat, & illius conſortio pro Chriſto caſum de abdito ſubleuaret, & ſecum in eadem Eccleſia conderet, rogauit.* Valdè autem probabile eſt beatum Lucianum apparuiſſe Abbati Eccleſiæ in qua quieſcebat, & ad quam è monte Milio ſocium Martyrij transferendum monebat, vt qui paſſione iuncti fuerant, ſepulturâ quoque iungerentur. Deinde Ebrulphus Abbas Chilpericum Regem pro inſtauranda ſancti Luciani Martyris Eccleſia conuenit, nec illud negotium, niſi præfuiſſet eidem Eccleſiæ, tam diligenter promouiſſet.

AN. CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

XXV. Altiùs quoque repetenda Monaſterij primordia putamus, à temporibus videlicet Clodouci Secundi, quia illo regnante inuentum eſt ſancti Luciani corpus, quod annis ducentis & ampliùs incognitum latuerat, móxque Ædiculæ, in qua collocatum eſt, attributi ſunt redditus à pleriſque Chriſtianis, præſertim à Francorum Regibus, qui conſilium de conſtruenda ſplendidiſſima Baſilica iam tum inierunt, ipſius operis curâ Bellouacenſibus Epiſcopis commiſsâ. Licèt in hoc negotio negligentes admodum, vt Chilpericus Rex eis exprobrat, Bellouacenſes Epiſcopi ſe præſtiterint, Ædiculæ, in qua Reliquiæ ſancti Luciani colebantur, præpoſitus eſt Abbas cum aliquot Monachis, quorum numerus ad Principatum vſque Chilperici Regis & præfecturam Ebrulphi Abbatis exiguus perſeuerauit.

XXVI. AN MARIVS ABB. MONAST. S. LVCIANI.

Caue ne Catalogum Abbatum, qui Monaſterio ſancti Luciani præfuerunt, à Claudio Roberto in Gallia Chriſtiana publicatum ſequaris, & inter Abbates, qui Ebrulphum anteceſſerunt, ponas Marium, cuius vitam Dynamius vir illuſtris Gregorio Magno ſynchronus conſcripſit. Marius enim vixit longè ante ætatem Clodouci Secundi, nec Abbas Beluacenſis, vt quidam imperitè corruptéque ſcribunt, ſed Bodanenſis fuit. Haud procul à ciuitate Segeſteriorum * erat Monaſterium Bodanum *, quod Bobacum, Bobacenſe, Babacenſe, Bobiacenſe, Bobriacenſe, Badonenſe, Babocenſe, mendoſiſſimè Beluacenſe dictum reperitur. Ibi numeroſam Monachorum turbam rexit Marius, de cuius geſtis ac ſanctitate conſule quæ Tomo primo dicta ſunt.

* *Siſteron.*
* *Beuuons.*

XXVII. BONITVS EPISC. ARVERN. DICAT ECCLESIAM MENATENSEM, CONSTRVCTAM A MENELEO ABBATE.

His circiter temporibus, Bonitus Aruernenſis Epiſcopus Eccleſiam ſancti Martini dedicauit, quam Meneleus Abbas Menatenſis in ſuo Cœnobio conſtruxerat. A variis Auctoribus Bonitus & Bonitius necnon Bonus ac Bonifacius & Græcâ etiam appellatione, quæ Bono reſpondeat, Euſebius ſiue εὐσεβὴς nuncupatur. Poſtremum nomen gerit in vita prædicti Menelei, quæ duobus libris extat conſcripta, laudatúrque à Sauarone in Originibus [a] Claromontanis & à Menardo in obſeruationibus [b] ad Martyrologium Benedictinum. Diuerſum ab ea vita fragmentum reperit publicauítque Philippus Labbeus [c] in collectione rerum Aquitanicarum, ſed hoc opus enormi deprauatur mendo, Meneleum enim Brunichildi Reginæ ſynchronum conſtituit. Eodem tempore, quo Bonitus Epiſcopus Aruernenſem Diœceſim regebat, Cœnobio Menatenſi Meneleus Abbas præfuit, &, vt Hugo Menardus notat; *vixit circa annum ſeptingenteſimum*, certè procul ab ætate Brunichildis, quæ Sigiberto Primo nupſit anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-ſexto, vitámque clauſit anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio, vt Tomo ſecundo probatum eſt.

a In Epiſc. 30.
b Lib. 1. d. 22. Iul.
c Tom. 2. Biblioth.

XXVIII. Robertus in Gallia Chriſtiana de Menato ſic ſcribit. *Menatum, Diœceſis Claromontenſis, O. B. conditur à ſancto Meneleo & dedicatur à ſancto Bonito Epiſcopo 30. in honorem ſancti Martini, cuius Abbas 2. poſt Meneleum fuit Sauinianus,*

Digitized by Google

AN.CH. 696. CHILDEBERTI III. R. 2.

tempore ſancti Theofredi, circa A. C. 570. Et inferiùs, vbi agit de alio Cœnobio, quod à ſancto * Calmelio conditore Calmeliacenſe, & à ſancto Theofredo ſecundo illius loci Abbate Monaſterium ſancti Theofredi * dicitur, ait Theofredum Eudoni primo Abbati Calmeliacenſi ſucceſſiſſe *circa* 570. Addunt de Meneleo Sammarthani, quòd diſcipulus fuit *Odonis* ſiue Eudonis *Abbatis S. Theofridi*, id eſt, Monaſterij Calmeliacenſis, quódque Cœnobium Menatenſe conſtruxit *in valle Viridi, vbi piiſſimè vixit regnante Brunichilde, quæ Abbatiam hanc multis bonis locupletauit.* Quid autem illis de rebus ſentiamus, paucis accipe.

* Saint Carmery.
* Saint Chafre.

XXIX. ANTIQVITAS MONASTERII MENATENSIS.

Vetuſtiſſimum eſt in Aruernia Monaſterium Menatenſe. Florebat ætate Clodouei Magni, priuſquàm Aruerni in Francorum poteſtatem deuenirent. In illo Cœnobio degerunt ſanctiſſimi Monachi Auitus & Carilephus, antequàm Miciacum ad Ligerim ſe conferrent regnantibus tunc eiuſdem Clodouei quatuor filiis. Fuit & Abbas illius loci Brachio, cùm regnabat in Aruernia Sigibertus Primus, Rex Auſtraſiæ, prædicti Clodouei per Clotarium filium nepos, cui nupta Brunichildis. Nihil igitur vetat, quominùs Brunichildis Menatenſi Monaſterio plurima bona contuliſſe cenſeatur, ſed Meneleus Abbas, qui ſancti Eudonis, primi Calmeliacenſis Abbatis diſcipulus fuit, & Sanctis Bonito Epiſcopo Aruernenſi & Theofredo Abbati Calmeliacenſi Synchronus vixit, nec Monaſterium Menatenſe primus ædificauit, nec vllum à Regina Brunichilde munus accepit. Qui Meneleum & Theofredum Abbates coætaneos Brunichildi Reginæ faciunt, atque in viuis circa annum Chriſti quingenteſimum ſeptuageſimum fuiſſe volunt, ij non ſatis aduertunt Meneleum ſynchronum extitiſſe Bonito Aruernenſi Epiſcopo, & Theofredum crudeliter enecatum eſſe à Saracenis ætate Caroli Martelli. Meneleus Menatenſe Monaſterium adeò amplificauit, vt illius fundator præcipuus ac conditor à poſteris habitus ſit. Quot annis poſt dedicatam à Bonito Epiſcopo Aruernenſi Baſilicam ſancti Martini ſuperfuerit, haud produnt Auctores. Vndecimo Kalendas Auguſti celebratur in Martyrologiis Vſuardi ac Romano, ſic. *In territorio Aruernenſi, ſancti Menelei Abbatis.* Item in Benedictino, ſic. *In territorio Aruernenſi, depoſitio ſancti Menelei Abbatis.* At in Gallicano titulum Martyris ſic obtinet. *In territorio Aruernenſi, Natalis ſancti Menelei Martyris, pietatis certamine glorioſi.* De ſancti Menelei Martyrio nihil alibi legimus, nec coniectare poſſumus, quodnam ei pietatis certamen fuerit, niſi fortè cum Hæreticis ſeu Nouatianis ſeu Iouianiſtis, vtrique enim illis temporibus per Aruerniam graſſabantur, vt aliâ occaſione ad annum Chriſti ſeptingenteſimum dicturi ſumus. Ei ſucceſſit in adminiſtrationem Menatenſis Monaſterij Sauinianus, quem tempore ſancti Theofredi ſecundi Calmeliacenſis Abbatis vixiſſe non inficiamur. Primus Calmeliacenſis Abbas fuit Eudo, ſecundus Theofredus eiuſdem Eudonis ex Theofredo fratre nepos. Obiit Eudo duodecimo Kalendas Decembris, eóque die colitur in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. De anno, quo migrauit in cælum, non liquet. Superſtes erat Meneleus eius diſcipulus, qui Menatenſe Monaſterium cum Abbatis titulo tunc regebat. Eidem Meneleo ſucceſſit Sauinianus, vt obſeruatum eſt ſuprà. Vtrùm autem quemadmodum ſancto Eudoni ſanctus Meneleus, ſic & ſancto Theofredo ſancti Eudonis ſucceſſori Sauinianus ſancti Menelei ſucceſſor ſuperuixerit, haud ſcimus. Tempus enim ignoratur, quo Sauinianus è vita diſceſſit. De ſancti Theofredi Martyrio agemus ſuo loco.

SAVINIANVS ABB. MENAT. POST MENELEVM. ABBATES CALMELIACENSES.

Digitized by Google

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

ANNVS CHRISTI 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

I. WILLEBRORDVS EP. REDIT IN FRISIAM.

ANno à Natiuitate Domini ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo, Sanctus Willebrordus adeptâ iam Apoſtolicæ benedictionis authoritate, conſecratúſque Archiepiſcopus à Sancto Sergio Papa, rediit ad Germaniam, id eſt, ad citeriorem Friſiam quæ parebat Francis, & partem Germaniæ conſtituebat, quia ſita erat trans Rhenum. *Occurrens Sanctus Swibertus cum Clericis & Diſcipulis & multis Chriſtianis vſque Embricam, recepit eum cum magna honorificentia, & gauiſi ſunt in Domino. Audiénſque Sanctum Swibertum Epiſcopum conſecratum & Comitatum Teiſterbandiæ cum tota ferè Batua* *, *ac magnam partem inferioris Friſiæ prædicatione ipſius conuerſam, & Eccleſiam Traiectenſem numero fidelium valdè multiplicatam, immenſas deuotè Deo retulit laudes.* Per inferiorem Friſiam, hîc intellige citeriorem Friſiam Francis ſubditam, vlterior enim Friſia, quæ trans Fleuum Radbodo Regi parebat, Euangelij Doctores ad ſe directos in Franciam redire compulerat. Sancti Willebrordus & Swibertus Embrica * *pariter Traiectum* * *pergentes, ſtatim in fundo Baſilicæ Sancti Thomæ Apoſtoli prope Caſtrum Traiectenſe, Canonicorum Cœnobitarum conſtruxerunt Eccleſiam in honorem Sancti Martini Epiſcopi Turonenſis, in qua Sanctus Willebrordus Archiepiſcopus Friſonum Cathedralem Eccleſiam ſibi ſtabiliri iuſſit, quam per primitiuam benedictionem Sancti Willebrordus & Swibertus Epiſcopi, cum ceteris confratribus, propriis manibus conſecrauerunt.* Hæc Marcellinus. Eadem Epiſcopatûs Vltraiectini primordia ſic attingit Beda [a]. *Donauit ei*, nempe Willebrordo, *Pipinus locum Cathedræ Epiſcopalis in Caſtello ſuo illuſtri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg, id eſt, oppidum Wiltorum, linguâ autem Gallicâ Traiectum vocatur. In quo ædificatâ Eccleſiâ reuerendiſſimus Pontifex longè latéque verbum fidei prædicans, multóſque ab errore reuocans plures per illas regiones Eccleſias & Monaſteria nonnulla conſtruxit.* Ceterùm eidem Willebrordo Româ diſcedenti Sergius Papa complures Reliquias munificè conceſſit, de quibus Ioannes Schekmannus titulo primo de Monaſterio ſanctæ Mariæ ad Martyres iuxta litus Moſellæ ſic ſcribit. *Poſt longa temporum curricula per ſanctiſſimum virum Willibrordum Epiſcopum Traiectenſem Capitolium paganorum verſum eſt in Templum Chriſtianorum & Chriſti Matri conſecratum, vbi & recondidit veſtem beatæ Virginis Mariæ eiuſdem Domini Matris, quam Sergio Papâ præſtante Romæ obtinuerat cum reliquis Reliquiis, principalioribus corporis membris Sancti Sebaſtiani Martyris, & capite eius, quod recondidit in Epternacenſi, quod conſtruxerat Monaſterium.* Idem de capite ſancti Sebaſtiani teſtatur Ioannes Bertelius Epternacenſis Abbas in Hiſtoria Luxemburgenſi. De Monaſterio ſanctæ Mariæ ad Martyres anno ſequenti fuſiùs acturi ſumus. Hîc tantùm nota Baſilicam B. Mariæ ad Martyres longè ante ætatem Willebrordi conſtructam fuiſſe à Felice Treuirenſi Epiſcopo, qui ſancto Martino Turonenſi ſynchronus vixit, & à prædicto Scheckmanno in medulla Geſtorum Treuirenſium [b] ſic commendatur. *Hic Felix conſtruxit Eccleſiam miri decoris ſuper ſepulchra Thebæorum & Treuirorum Martyrum in campo Martis, in honore beatæ Virginis Mariæ, & Martyrum Thebæorum & Treuirorum, haud longè à Baſilica ſancti Iohannis Euangeliſtæ dudum per Agritium fundata. Quam quidem Eccleſiam Felix feliciſſimus fecit habere in longitudine quadringentos & decem, in latitudine centum & viginti pedes.*

* Le Betau.

* Emerick. * Vtrech.

INITIA EPISCOPATVS VLTRAIECTINI.

[a] Lib. 5. c. 11.

RELIQVIÆ WILLEBRORDO TRADITÆ A SERGIO PP.

[b] Lib. 1. c. 6.

II.

Vrſmarus Epiſcopus Abbas Lobienſis Eccleſiam ſui Monaſterij conſecra-

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

uit, *dedicans illam Domino in honore Principis Apoſtolorum Petri, ſimúlque Doctoris gentium Pauli & omnium Apoſtolorum Chriſti, cumulans templum donis, & altare multiplicibus Sanctorum patrociniis. Facta eſt autem hæc dedicatio anno, qui eſt ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus Dominicæ Incarnationis, decimo-ſeptimo Calendas Septembris, Domino in perpetuum regnante, Pippino autem Francis principante. Quam Eccleſiam nequaquam paſſus pollui cadaueribus mortuorum, fecit aliam in honore ſanctæ Mariæ in montis vertice, cui ſubiacet prædictum Monaſterium, vbi cimiterium conſtituit eſſe fidelium, & ad quam conflueret populus, nam illicitus, vt nunc quoque, niſi certo tempore, apud aliam erat fœminarum acceſſus.*

DEDICATIO ECCLESIÆ LOBIENSIS.

Hæc [a] Fulcuinus Abbas in Geſtis Abbatum Lobienſium. Hic Auctor ait [b] de ſancti Vrſmari Epiſcopatu variam ſeniorum eſſe relationem, *dicentibus quibuſdam, quòd prædicandi gratiâ, vt competebat tunc rudimentis nouellæ fidei, ad compeſcendos ſuperfluos ritus gentis barbaricæ Epiſcopus fuerit ordinatus, quod factum quoque de ſancto Amando legimus; quibuſdam dignitatem hanc loco tribuentibus, opinionémque ſuam ratione quadam tuentibus, quòd videlicet locus Regius Regiâ munificentiâ conſtructus, Regio Palatio contiguus, ſcilicet Leptinis *, nulli committeretur, niſi priùs ordinatus eſſet Epiſcopus, quam dignitatem & in pleriſque ſucceſſorum eius duraſſe, in ſubſequentibus dicemus.* Quid horum verius ſit, Lectoris arbitrio committit. Prima ratio, quam ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum iam allegauimus, nobis potior videtur.

[a] Cap 4. [b] Cap. 1.

CVR VRSMARVS ABBAS DICTVS EPISCOPVS.

* *Leſtines.*

III. Sergius Romanus Pontifex hoc anno, Pontificatûs ſui decimo, literas ad Heronem Lingonenſem Epiſcopum direxiſſe fertur. Scribendarum hæc dicitur occaſio. Cœmiterium, quod ſanctus Gregorius Epiſcopus Lingonenſis Monaſterio ſancti Benigni quondam attribuerat, Clerici Caſtri Diuionenſis ſibi vendicare ſatagebant, Papa ius Monachorum illibatum ſeruauit, ac prætereà vetuit, ne quis auderet vim vllam inferre in Clauſtro vel in Burgo ad idem Cœnobium pertinente. Vera illa eſſe non inficiamur, ſed Sergij literas, quas Auctor San-Benignianus ſuis Chronicis inſeruit, ſuppoſititias arbitramur ob vitioſum titulum vitioſámque temporis notam. Sunt enim huiuſcemodi. *Sergius gratiâ Dei Pontifex Romanus Heroni Lingonum Præſuli ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quamprimùm nobis attendendum, chariſſime, ne hoſtis malignus gregem Chriſti perturbet aliquâ occaſione. Diuionenſium namque Monachorum Martyri Benigno ſub regimine Wlfechranni Abbatis deuotè famulantium reclamatio ad nos peruenit, Clericos iamdicti Caſtri ad ſe eorum cymiterium transferre conari. Hoc quia prædeceſſoris mei Ioannis, Benedicti vtique ſucceſſoris contradicitur decretis, authoritate beati Petri & noſtrâ prohibetur ſub percuſſione anathematis. Nam ſicut Gregorius olim prædeceſſor veſter adhortatu præfati Martyris, Monaſterij ipſius conſtructor, vtriſque vnum ſanciuit, apud quos Sanctus iacet, ſaluâ concordiâ cymiterium, ita noſtræ authoritatis literæ cenſuerunt corroborandum. Quiſquis etiam à torrente, qui vtrumque Burgum diuidit, auferre ab eodem Burgo vel Clauſtro aliquid, excepto Abbate vel Monachis, præſumpſerit, ſimili ſententiâ ſe damnandum nouerit. Benè valete. Data per manus Ioannis Bibliothecarij tunc ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, anno Pontificatûs Domini Sergij vniuerſalis Papæ decimo, in ſacratiſſima Sede beati Petri Apoſtoli, Indictione ſecundâ.* Quis autem credat hoc Pontificij Diplomatis initium fuiſſe? *Sergius gratiâ Dei Pontifex Romanus.* Deinde cum anno Sergij Papæ decimo, quocum annus Chriſti ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus comparatur, non ſecunda ſed decima conuenit Indictio.

DIPLOMA SERGII PP. PRO COEMITERIO DIVIONENSI EXAMINATVR.

IV. Hoc anno ad Epiſcopatum Metenſem, qui vacabat ab obitu ſancti Clodulfi, octauo Kalendas Maias anno ſuperiore mortui, promotus eſt Abbo menſe Februario, *ſedit* enim *ann.* x. *& menſ.* I. *& dies* XXVI. & *ob.* XVII. *Kal. Maij*, vt Codex ſancti Symphoriani Metenſis à Marco Antonio *Dominicy* in Anſberti familia rediuiua publicatus teſtatur.

ABBO FIT EPISC. METENSIS.

V. Quot annos menſéſue ſinguli Tullenſes Epiſcopi ſederint, haud adeò facile

EPISCOPI TVLLENSES.

cile eſt indicare, nam poſt Adeodatum, quem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo floruiſſe diximus, in Catalogis ad tempora vſque Pippini Regis occurrunt, Ermentheus ſiue Ermethus, Magnaldus ſeu Magoldus, Dodo & Godo, ſolis tantùm nominibus noti. AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

VI. TARVANNENSES.

In tabula Chronologica, quam Malbrancus Tomo primo de Morinis præfixit, hoc anno Bainus ex Epiſcopo Taruannenſi fit Monachus Fontanellenſis, & in Syluiaco decedit Wlmarus Abbas illius loci. Baino ſucceſſit in Epiſcopatum Rauengerius. Sermo de vtroque non ſemel recurret. Multa de Wlmaro Abbate, qui tria Monaſteria in Diœceſi Morinenſi conſtruxit, iam dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum, quo Ceaduallam Occidentalium Saxonum Regem in Britannia factum Catechumenum ad ſe venientem excepit, Romámque profecturum in fide Ieſu Chriſti magis inſtruxit & confirmauit. Poſt illum Wlmari congreſſum cum Rege Saxonum, nonnulla miracula, quibus inſignis ille Abbas inclaruit, commemorat Auctor vitæ [a], deinde ſermonem ad eius morbum atque obitum ſic conuertit. *Multo iam ſenio grauatus in moleſtam corporis infirmitatem incidit, accitíſque ad ſe fratribus ſuum obitum prædixit. Poſtquàm autem hæc ad notitiam Sanctimonialium peruenerunt, quæ non longè ab eo loco morabantur, rogabant vt ſe inuiſendi copiam ipſis faceret. Verùm ille plenus Spiritu Sancto proteſtabatur, quod numquam hic eſſet eum viſura aliqua mulier. Eadem nocte feliciter obdormiuit in Domino, factúſque eſt planctus magnus & vlulatus virorum & fœminarum in eodem Cœnobio, propterea quòd tanto Paſtore orbarentur.* Wlmarus iuxta Malbranci calculum annos octoginta vixit, ſeptem duntaxat & ſexaginta iuxta noſtram computationem. Tria Monaſteria conſtruxerat, duo virorum Eekenſe & Syluiacenſe, tertium fœminarum Wilerienſe. De Syluiacenſi & Wilerienſi capiendus textus proximè citatus. Obiit enim Wlmarus apud Syluiacum, & inde vix vno lapide diſtabat Wileria, puellare Monaſterium, cui Bertanna, ſiue, vt Malbrancus [b] vocat, Herembertha, neptis Wlmari præerat Abbatiſſa. Quomodò Wlmari prophetia ſit impleta, ſubiungit Auctor vitæ iam allegatus. *Impoſito eius ſacro corpore pro more iſtius regionis ſarcophago, accurrebant Moniales illæ, cupientes vel defunctum videre, quem viuum non meruerunt viſitare. Sed nebulâ corpus eius obtegente, non niſi luminaria & faces, quæ funus antecedebant, ac turbam, quæ ſequebatur, conſpicere potuerunt, loculo, in quo ſacrum illud pignus quieſcebat, ſub illarum aſpectum prorſus non veniente, ſicut ipſe ſanctus adhuc in viuis prædixerat non ſe vnquam viſuram fœminam.* Denique locum ſepulturæ diémque mortis ſic notat. *Sepultum eſt beati viri corpus cum multa reuerentia apud Boloniam, vbi multis coruſcat miraculis. Obiit verò 13. Calendas Auguſti.* Celebratur illo die in Tabulis in Eccleſiaſticis. SanctoWlmaro quot annos ſuperſtes vixerit neptis eius Bertanna ſiue Herembertha Wilerienſis Abbatiſſa, nos latet. Hæc in Breuiario Syluiacenſi ſeu Saulmerienſi colitur decimo-ſeptimo Calendas Nouembris. Lege Malbrancum libro quarto [c] de Morinis; & in Chronologia, quam idem Auctor Tomo primo ſui operis præfixit, obſerua mentionem fieri Diplomatis Regij, per quod Childebertus Kalendis Iuniis, anno tertio Regni ſui, donationem Woromholtanam, de qua locuti ſumus ante biennium, rogatus à Bertino Abbate Sitiuenſi confirmauit.

WLMARVS ABBAS OBIT.

BERTANNA ABBATISSA WILERIENSIS.

VII. In Annalibus Boiorum apud Brunnerum & apud Adlzreitterum hoc anno Martyrium Marini Epiſcopi & felix obitus Aniani Archidiaconi referuntur, cùm vterque annos quadraginta in Boica piiſſimè degiſſet. *Hoc tenore vita illis*, inquit Brunnerus [d], *ad quadraginta annos, vſque ad Leontij Imperium fluxit; cùm ſacrificanti Marino (hic enim Epiſcopi, Anianus Archidiaconi dignitate auctus erat) diuinitus indicatum eſt, non procul illos à beati curſus meta abeſſe, iámque in vtriuſque caput coronas properari. Quâ ipſâ tempeſtate Slaui Venedi, quos vulgus Scriptorum communem errorem errantium Vandalos appellat, ſedibus ſuis effuſi, factâ in Boicam irruptione, ſpem prædæ ſecuti, etiam ad*

MARTYRIVM MARINI EP.

[a] Ap. Sur d. 20. Iul.

[b] Lib. 4. c. 28.

[c] Cap. 46.

[d] Lib. 5. n. 8.

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

Marini tugurium deuenere. Commodùm ipſe prouolutus in genua ſupplices Deo preces fundebat, etiam illis irrumpentibus immotus, vt viri conſtantia & cani capitis maieſtas propè latronibus ſæuitiem & ferrum excuſſerit; direpta deinceps viri ſupellex eſt, neminem factura locupletiorem; eóque deluſa auaritia furori langueſcenti faces admouit; fit in Marinum ipſum impetus, iubent defoſſas opes in lucem proferre, rati ſummi nominis viro grandem pecuniam, itidem vt ætatem, eſſe: ſed ille, qui ſpes omnes ſuas cælo reconditas habebat, eò digitum intendit, pollicetúrque operam, ſi viam ad æternos theſauros quærant. At enim ſobriam aſpernati Philoſophiam vrgent inſtántque, vt Chriſto eiurato, prouincialium opes, qui metu profugerant, ſibi proderet; illum Patriæ parentem habitum nihil cuiuſquam ignorare, alioqui ingrati pertinaciam ſiletnij omnibus ſe tormentis vindicaturos. Nihil ad has minas cohorruit Marinus, negauítque à ſede illa viuum ſe, à Deo verò ne mortuum quidem diſceſſurum: quâ conſtantiâ barbari in rabiem verſi, in equuleo ſuſpenſum excarnificant, nudatiſque coſtis iam propè exanguem rogo iniiciunt; hîc ille ex vetere & perpetuo voto ſuo exporrectus, inter preces etiam pro carnificibus ſuis fuſas, beatam animam exhalauit. Et obitus Aniani Archidiaconi. *Aberat Anianus morbo implicitus, cognitóque Magiſtri diſceſſu, vti & ipſe coronatus triumphantem ſequeretur, diuino epulo paſtus, iter immortalitatis ingreſſus eſt eodem die, qui* XVII. *Kal. Decembrium fuit. Corpora illorum pro præſenti copia tumulata.* Rem eandem ita deſcripſit Adlzreitterus [a]. *In edocenda Boica egregiam operam locauerunt. Dum id genus tenent inſtituti, Slaui, qui in Boiariam irruperant, ſpe prædæ, in Sanctorum latebras penetrarunt. Marino ad aram facienti Deus ſemel iterúmque animos fecerat, hortando, pergeret alacriter, propediem ipſi, iuxta & Aniano, adfore glorioſum laborum finem. Latrones in ea mortis expectatione de genibus orantem offenderunt; tum illati in eius antrum, rimari omnes angulos, veſtigare recondita; cúmque nihil, quod auaritiæ placeret, eſſet ad manum, aurum tamen ab extrema viri abſtinentiſſimi paupertate flagitant efflictim. Ille ſe olim abiectis rerum humanarum curis omnes in Deo opes collocaſſe, has ſe illis, ſi ſeriò deſiderent, monſtraturum. At illi vltima quæque minari, niſi Chriſtum eiuret, vrgere vt theſauros effodiat, tandémque poſcere, vt ſecum prouinciam obeat ad prodendas profugorum facultates, quocunque loco laterent. Vtrumque cùm ſe facere poſſe negaret, rapitur ad fidiculas, ab his ad tormenta exquiſita, ac denique ad paratos ignes, in quibus paſſis ad cælum manibus vir innocentiſſimus multa precans etiam pro ſuis interfectoribus inuictum ſpiritum exhalauit. Anianus morbo prohibitus ne adeſſet Martyri, vbi primùm eius necem reſciuit, gaudio geſtiens, ſumpto cæleſti viatico, eâdem ipsâ die, quæ fuit 17. Cal. Decemb. inter feſtas, quas ſibi accinebat ipſe, gratulationes, nullam vim paſſus, futuri ſecuram animam cælo tranſmiſit.*

[a] Part. 1. l. 7. n. 12.

VIII. Tempore Leontii Imp. Leontius, cuius nomine, Charactere velut Chronologico vſus eſt Brunnerus, apud Baronium purpuram deponit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, ſed antiqui Scriptores, quos hic Auctor non benè interpretatur, aliter ſentiendum docent. Leontius annos tres imperauit; anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto purpuram induit, depoſuit anno Chriſti duodeſeptingenteſimo. Id accuratiùs nobis inueſtigandum, vt Sancti Marini Martyrium, quod anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo conſignatur, in tempora Leontj Imperatoris iuxta Bauarorum calculos incidiſſe confirmemus.

IX. Iuſtinianus, Heraclij abnepos, poſt Conſtantinum patrem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto imperare cœpit. Hoc ex Beda [b] & ex Anaſtaſio ſiue ex vitis [c] Pontificum Romanorum iam probatum. Lege quæ dicta ſunt ad annos Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum [d] & ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum [e]. Eandem epocham confirmant Theophanes in Chronographia & Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica. Sextam enim Synodum Oecumenicam, quæ anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo coacta eſt, anno duodecimo Conſtantini Auguſti celebratam affirmant, addúntque anno pòſt quinto ſiue anno Imperij decimo-ſeptimo ſublatum è viuis eundem

[b] Lib. 5. c. 7.
[c] In Ioann. 5.
[d] Num. 5.
[e] Num. 2.

Digitized by Google

Imperatorem, cui Iuſtinianus filius in Monarchiam Romanorum ſucceſſerit. Vnum Theophanem, quem Anaſtaſius penè ad verbum deſcripſit, ſatis erit allegaſſe. Sic igitur ille ad annum Conſtantini Pogonati decimum-ſeptimum ιζ. *Hoc anno pius Imperator Conſtantinus, cùm annos ſeptemdecim imperaſſet, in pace obdormiuit. Filius autem eius Iuſtinianus Imperium collegit.* Τούτῳ τῷ ἔτει ἀνεπάη ὁ εὐσεβὴς Βασιλεὺς Κωνσταντῖνος κρατήσας ἔτη ιζ'. καὶ ἐβασίλευσεν Ἰουστινιανὸς ὁ υἱὸς αὐτοῦ. Et paulò pòſt. *Accurata quippe temporum ratio & deſignatio ſanctum vniuerſale ſextum Concilium verum Monothelitarum excidium Imperatoris Conſtantini, Heraclij pronepotis* (Anaſtaſius perperam nepotem dixit) *anno duodecimo celebratum affirmat, anno à mundi conditu ſexies milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-ſecundo: ipſumque Conſtantinum annos poſthac quinque imperaſſe*, ἡ γὰρ ἀκριβὴς ἀποσημείωσις τὴν κατὰ τῶν Μονοθελητῶν ἁγίαν οἰκουμενικὴν ἕκτην σύνοδον ἐν τῷ δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Βασιλείας Κωνσταντίνου ἐκγόνου Ἡρακλείου γενέσθαι λέγει, ἐν ἔτει ἀπὸ κτίσεως κόσμου ς ρ ο β'. καὶ ὅτι μετὰ τοῦτο ἐβασίλευσεν ὁ αὐτὸς Κωνσταντῖνος ἔτη πέντε. AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

X. De Conſtantini ſucceſſoribus hæc idem Auctor proximè ſubiungit. *Eo, nempe Conſtantino, viuis erepto, Iuſtinianus eius filius Monarchiam tenuit annos decem: eiecto Iuſtiniano Leontius tyrannide potitus annos tres: poſt hunc Tiberius, qui etiam Abſimarus, annos ſeptem regnauit, eiectúſque priùs Iuſtinianus denuò reſtitutus Imperio annos ſex.* Τελευτήσαντος αὐτοῦ ἐμονάρχησεν Ἰουστινιανὸς ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἔτη δέκα. ἐκβληθέντος δὲ Ἰουστινιανοῦ ἐκράτησεν Λεόντιος ἔτη γ'. καὶ μετὰ Λεόντιον Τιβέριος ὁ καὶ Ἀψίμαρος ἔτη ζ. καὶ πάλιν ὁ Ἰουστινιανὸς ὁ ἐκβληθεὶς ἔτη ς'. Eiectus eſt igitur Iuſtinianus anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto. Leontius Imperio potitus eſt ad annum vſque Chriſti duodeſeptingenteſimum. Tiberius, qui & Abſimarus, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto imperare deſiit. Tunc enim in Imperium reſtitutus eſt Iuſtinianus, quod iterum per annos ſex ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum adminiſtrauit.

XI. Cæſar Baronius aliam Chronologiam init. Iuſtinianum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto Patri Conſtantino ſucceſſiſſe non diffitetur; ſed exauctoratos vult, eundem Iuſtinianum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, Leontium anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, Tiberium anno Chriſti ſeptingenteſimo tertio, ipſúmque Iuſtinianum è viuis ſublatum anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, cùm pòſt reſumptum Imperium annos octo imperaſſet.

XII. Nec in anno, quo Iuſtinianus poſt Conſtantinum patrem imperare cœpit, nec in anno, quo extinctus eſt, à Baronio diſſentimus. Tamen hic Auctor vno anno Chronologiam noſtram ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum in exauctoratione Iuſtiniani præuertit, biennio ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum in exauctoratione Leontij, necnon ad annum Chriſti ſeptingenteſimum tertium in exauctoratione Tiberij. Diſſidium autem, quod annuum eſt in exauctoratione Iuſtiniani, & ex annuo bienne fit in exauctoratione Leontij, totum componit, vbi de Iuſtiniani cæde ſermonem facit. Iuſtiniani mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum reiicere cogitur, quia teſte Anaſtaſio [a], quem citat, Conſtantinus Papa, qui Conſtantinopolim ad Iuſtinianum Imperatorem profectus fuerat, *incolumis ad portum Caietæ peruenit, vbi Sacerdotes & maximam populi Romani reperit multitudinem, ac vigeſimo-quarto die menſis Octobris, indictione decimâ*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, indictione decimâ iam inchoatâ, *Romam ingreſſus eſt, & omnis populus exultauit, atque lætatus eſt. Poſt menſes autem tres lugubre nuncium perſonuit, quòd Iuſtinianus Chriſtianiſſimus & Orthodoxus Imperator trucidatus eſt, &*

[a] In Conſtantino PP.

Digitized by Google

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

Philippicus hæreticus in Imperiali promotus eſt arce. Theophanes autem in ſua Chronographia & Anaſtaſius in Hiſtoria Eccleſiaſtica Iuſtiniano, poſtquàm purpuram reſumpſit, ſex duntaxat annos Imperij tribuunt. Theophanes annum, quo Tiberius Abſimarus Imperium vitámque amiſit, anno illigat *diuinæ Incarnationis*, iuxta computationem Alexandrinam, *ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo*, id eſt, iuxta noſtros calculos anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto. Deinde inter alios titulos hunc anno ſequenti præfigit in laterculo Imperatoris. Ρωμ. Βασιλεὺς πάλιν Ἰουστινιανὸς ἔτη ϛʹ. *Rom. Imp. Iuſtinianus ſecundò ann. 6.* Et apud Anaſtaſium *imperat denuò Iuſtinianus annis ſex*, quorum tertius cum *diuinæ Incarnationis anno ſeptingenteſimo*, iuxta eandem Alexandrinam computationem, id eſt, cum anno Chriſti iuxta noſtram ſupputationem ſeptingenteſimo octauo, ſic componitur. *Diuinæ Incarnationis anno ſeptingenteſimo, anno Imperij ſui tertio Iuſtinianus pacem inter Romanos & Vulgares euertit.* Veteres hi Scriptores poſteriorem Iuſtiniani dominationem, quam Baronius ad annos octo prorogat, ſex annorum ſpatio circumſcribunt, quia cùm priorem eiuſdem Iuſtiniani dominationem annis decem, & Leontij Principatum tribus annis definiunt, de annis loquuntur completis, quos Baronius incompletos perperam interpretatur. Eos autem de annis completis loqui patet, ab obitu enim Conſtantini Pogonati ad Principatum vſque Tiberij Abſimari numerant annos tredecim, & vt annum primum Iuſtiniani *cum anno diuinæ Incarnationis* DCLXXVIII, ſic & annum primum Tiberij Abſimari *cum anno diuinæ Incarnationis* DCXCI comparant. Cur in annis Incarnationis Dominicæ computandis, Alexandrina Chronotaxis, quam ſequuntur, à nobis annis octo per illa tempora diſſideat, exponemus infrà.

XIII. Interim obſerua ſancti Marini Martyrium à Bauaris vt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo, ſic & Imperio Leontij rectè illigari, quia Leontius anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto cœpit imperare, purpurâque poſt triennium exutus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-octauo. Rectiùs tamen iſti Scriptores, quia rem extra fines Imperij geſtam enarrabant, ab Imperatoris nomine abſtinuiſſent, notámque temporis à Principatu Childeberti Tertij deſumpſiſſent, cui tanquam Francorum Monarchæ Boioaria, vbi Marinus enecatus, reliquáque Auſtraſia ſubiacebat.

XIV. Supererat in viuis Dux ſeu Gubernator Boioariæ Theodo Quartus, qui Ratiſbonæ ſanctum Emmerammum Martyrem in Baſilica ſancti Georgij ſepelierat, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-ſecundum [a] Tomo ſuperiore diximus. *Cùm* autem ſanctus Emmerammus *inſignibus erga mortales beneficiis inclareſceret, magníque ad eius tumulum concurſus fierent, Theodo*, vt Brunnerus [b] teſtatur, *ad ampliandam loci dignitatem, emaculandámque cædis, ſi qua penes ſe reſideret, noxiam, Georgij Martyris Ædem adiecto Monaſterio, & Diui Petri ipſiúſque Emmerammi nomine impoſito, auguſtiorem reddidit. Sacrorum hominum cœtui Apollonius cum religioſo imperio primus præfuit. Annum tabulæ ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum præferunt.* Cœnobium illud, teſte Adlzreittero [c], *hodiéque florentiſſimum eſt.* Extat Abbatum Catalogus Tomo ſecundo Metropolis Saliſburgenſis. Qui primo loco ponitur, Apollonius, is hoc anno munus Abbatiale ſuſcepit, anníſque tredecim geſſit. Ceterùm, quoniam apud Ratiſbonam nondum erectus erat Epiſcopatus, ſancti Emmerammi Monaſterium à Theodone Duce in Diœceſi Laureacenſi conditum dicamus neceſſe eſt.

[a] Num. 19.
[b] Lib. 5. n. 8.
S. EMMERAMMI MONASTERIVM CONDITVR.
[c] Lib. 6. n. 18.
APOLLONIVS PRIMVS ABB.

XV. Hic annus, quo Marinus Epiſcopus Martyrium in Boioaria conſummauit, & Apollonius in eadem prouincia Monaſterio ſancti Emmerammi primus Abbas præpoſitus fuit, à nobis numeratur annus poſt Chriſtum natum ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus. At qui nobis annus eſt à Chriſto nato ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus, is Theophani illiúſque interpreti

Digitized by Google

Anaſtaſio annus eſt Diuinæ Incarnationis iuxta computum Alexandrinum ſexcenteſimus vndenonageſimus. Ratio talis diſcrepantiæ videtur exponenda, quia non rarò duobus hiſce Scriptoribus vſuri ſumus. AN. CH. 697.

Theophanes Chronographiam à Georgio Abbate inchoatam proſecutus eſt. Id autem operis cur & quomodo ſuſceperit ac continuarit, in ſua præfatione ſic explicat. *Sanctiſſimi Conſtantinopoleos Patriarcha Taraſij Georgius Abbas Syncellus, vir eximius & eruditiſſimus, multis Chronographorum & Hiſtoricorum libris euolutis & non vulgari diligentiâ examinatis, compendiariam ab Adamo ad Imperatoris & Chriſtianorum perſecutoris Diocletiani tempora Chronographiam ſcripſit, diſcuſſiſque ſtudioſè temporum rationibus ad inuicem comparauit, emendauit, ac, vt nullus ante eius ætatem, ſolertiſſimè compoſuit; priſcorum inſuper Regum & nationum vniuerſarum ſtatu & regimine annotato, ſingulorúmque, quantùm licuit, obſeruatis ætatibus, ſupremarum & vniuerſalium Sedium, Romæ dico, & Conſtantinopolis, Alexandriæ, Antiochiæ & Hieroſolymorum, ſiue qui ſanis dogmatibus, ceu pabulis, Eccleſiam aluerunt, ſiue qui per vim & latronum more Principatu arrepto, hæreſum prauitate gregem infecerunt, Pontifices enumerauit, & eorum tempora & annos egregio ordine digeſſit. Enimuerò cùm vitæ termino præreptus ad propoſitum finem non potuerit opus inceptum perducere, ſed, vt præmonuimus, ſcriptis ſolummodò, quæ Diocletiani attingunt ætatem, vitam hanc mortalem deſeruit, & cum rectâ fide ad Dominum profectus, nobis velut ſincerioribus amicis, quod fuerat molitus, opus imperfectum ſimul reliquit, & vt, quæ deſiderantur, abſolueremus præbuit argumentum. Noſtrâ verò imperitiâ ſermoniſque inopiâ non ignoratâ, onus, cui vires noſtræ forent impares, ſuſtinere detrectabamus. Ille contrà plura hortatus, vt torpore omni excuſſo imperfectum opus non deſpiceremus, dedit animum, & ad illud capeſſendum manibus & perficiendum coegit. Quocirca eius monitis morem gerere compulſi, molem robore noſtro longè grauiorem ſubire, & penè dicam immenſum laborem exantlare ſuſcepimus. Multis ſiquidem voluminibus diligentiùs exquiſitis, &, quantùm facultas & ingenium dedit, examinatis, præſentem Chronographiam à Diocletiani temporibus ad Michaelis & Theophylacti eius filij Imperium, Reges inſuper & Patriarchas, necnon eorum geſta & ætates, quâ par fuit ſedulitate, ex proprio penu nil depromentes aut conferentes, in vnum congeſſimus; quin potiùs ſelectis ex veteribus Hiſtoricis vel Rhetoribus pleriſque, ſingulorum acta per annos & tempora propriis quibuſque locis pulchro ordine cuncta diſpoſuimus, vt quoto quoque anno rem geſtam vel facinus editum, ſiue in bello, ſiue in Eccleſia, ſiue in ciuili adminiſtratione, ſiue in populari ſtatu, ſiue qualibet aliâ ratione commendandum Lector in promptu habeat & in propatulo.*

CHILDEBERTI III. R. 3.

XVI. EXAMINANTVR IN CHRONOGRAPHIA THEOPHANIS.

XVII. Anaſtaſius quanta in exiſtimatione lucubrationem cùm Georgij tum Theophanis habeat, in ſua præfatione ſic exponit. *Operæpretium duxi ex Georgij ſummatim quædam, & Theophanis Chronographia plura, ſed ſuccinctè carpenda, quorum prior vſque ad Diocletianum, poſterior verò vſque ad Leonem, qui poſt Michaelem imperauit, patrem ſcilicet Ignatij, qui adhuc ſupereſt habenas Conſtantinopolitanæ tenens Eccleſiæ, prædicti operis ſui ſtylum protraxit.*

XVIII. Godefridus Henſchenius Acta Sanctorum, qui menſe Martio celebrantur, tribus Tomis complexus eſt, quorum poſtremo præliminarem Exegeſin de Chronographia Theophanis in quinque capita diſtributam præpoſuit, ac primo capite tabulas Chronicas, ſaltem quoad annos & ſeriem quinque Patriarchatuum repudiauit. Iſtius Chronographiæ duæ ſunt partes. Vna Hiſtoriam per annos digeſtam exhibet. Altera in tabulis Chronologicis conſiſtit, quibus per octo vel nouem loculos diuiſis, primùm annus Mundi, tum Chriſti Incarnati, dein Imperatoris Romani, proximè Regis Perſarum, aut Ducis Arabum poſt Perſas in Paleſtina dominantium, denique quinque Epiſcoporum præcipuorum, ſeu Patriarcharum, Romani, Conſtantinopolitani, Hieroſolymitani, Alexandrini & Antiocheni, ordo & anni continentur. Loculus Epiſcoporum Byzantinorum ſeu Conſtantinopolitanorum incipit ab anno ſexto Conſtantini Magni Auguſti. Abhinc ſingulis annis præfi-

NOTÆ CHRONICÆ SEDIVM PATRIARCHAL.

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

guntur nouem loculi, priùs autem octo duntaxat ab operis initio præfixi reperiuntur. R. P. Iacobus *Goar* Ordinis Prædicatorum Congregationis Reformatæ ſancti Ludouici Vicarius Generalis in ſuis ad Theophanem notis [a] obſeruauit Temporis Canonium & expreſſas in eo perſonas cum Hiſtoria ad Canonium idem ſubiecta frequenter non conuenire. Godefrido Henſchenio, qui mendas adeò ſtupendas in *annorum, præſertim Patriarchalium*, ſupputationes irrepſiſſe cenſuit, lubentiſſimè ſuffragamur, abiudicamúſque Theophani notas Chronologicas, quæ loculis Sedium Patriarchalium apponuntur. Francis ad ætatem vſque Theophanis nihil penè commercij cum Patriarchis Orientalibus fuit, plurimùm verò cum Romanis Pontificibus. Sed alij præter Theophanem ſuppetunt Auctores, quorum auxilio Chronologia Pontificum Romanorum rectè ſtabiliri poſſit, nec ipſemet Theophanes, cùm anni Romanorum Pontificum inueſtigantur, videtur omnino reiiciendus, nam, teſte eodem Henſchenio, *vbicumque in ipſa Hiſtoria Pontificis Romani occurrit mentio, non alium, quàm par erat, nominauit vſpiam.*

[a] Ad pag. 4.

XIX. REGG. PERSAR. ET DVCVM ARABVM.

Loculum etiam, qui primùm Reges Perſarum, deinde Duces Arabum repræſentat, abiudicauit Theophani Godefridus Henſchenius [b] nec in aliam eundum ſententiam putamus. De Arabum Chronologia fusè diſſeremus ad annum Chriſti viceſimum-primum ſupra ſeptingenteſimum.

[b] Cap. 1.

XX.

Tres reſtant annorum ſupputationes, quas Theophanes vſurpauit. Prima ducitur ab Orbe condito, ſecunda petitur ab Incarnatione Dominica, tertia ſumitur ab Imperatoribus Romanorum. Anaſtaſij autem, qui Theophanem Latinitate donauit, auctoritate perſuademur, non ſingulis annis præſignatum fuiſſe à Theophane annum ab Orbe condito & ab Incarnatione Dominica, ſed, vt ipſemet Anaſtaſius facit, ad initia duntaxat Imperatorum, & quandoque aliàs, alibi verò ſolum ſignatum Imperatoris annum, quòd eo ferè ſolo conſueſſent Hiſtorici publica ſcripta ſignare.

XXI. ANNORVM AB ORBE CONDITO.

Superuacaneum eſſet de annorum ſupputatione ab Orbe condito hîc diſputare, quoniam ad noſtræ Chronologiæ confirmationem tali ſupputatione nec hactenus vſi ſumus, nec aliquando nos vſuros arbitramur. Vt autem Chronologiam aſſequaris, quam Theophanes ab Orbis conditu deducit, obſerua duplicem ab eo calculum laudari, vnum ſecundùm Romanos ſeu Conſtantinopolitanos, alterum ſecundùm Alexandrinos ſiue Ægyptios, & poſteriorem, qui ſexdecim annis paucior eſt, loculis adſcribi, ac priori longè anteponi. *Annus*, inquit Theophanes, *quo Zeno mortuus eſt, & Anaſtaſius imperare cœpit ab Adamo 5999. apud Romanos numeratur, qui iuxta diligentiorem & veriorem Alexandrinorum calculum 5983.* Τοῦτο δὲ τὸ ἔτος ἐν ᾧ Ζήνων τέθνηκε καὶ Ἀναστάσιος ἐβασίλευσεν, ἀπὸ Ἀδὰμ μὲν κατὰ Ῥωμαίους ἔτη ͵εϡϟθ'. κατὰ δὲ τὴν ἀκριβῆ, καὶ ἀληθινὸν ψῆφον Ἀλεξανδρέων ἔτη ͵εϡπγ'. Et alio in loco, vbi de morte Leonis Iſaurici loquitur, eandem inter vtrumque calculum diſcrepantiam agnoſcit, & Alexandrinum ab Ægyptio non eſſe diuerſum ſic teſtatur. *Erat is annus à mundi conditu & ætatis Adami 6248 iuxta Romanorum computum: iuxta Ægyptios, intellige Alexandrinos, 6232.* ἔτος ἦν ἀπὸ κτήσεως κόσμου κατὰ Ῥωμαίους ͵ϛσμη'. ἀπὸ Ἀδάμ, κατὰ δὲ Αἰγυπτίους, ἤγουν Ἀλεξανδρεῖς, ͵ϛσλβ'.

XXII. ANNORVM IMPP.

Duæ res ſunt, ob quas in magno pretio nobis habenda eſt ſupputatio quam Theophanes per annos Imperatorum digerit. Hic enim calculus licèt næuo non careat, ceteris accuratior eſt, quia præiuerunt Auctores quamplurimi, quorum ſcripta vel hoc præcipuo vel hoc ſolo Charactere Chronologico fulciuntur. Nec lucubrationi noſtræ parum ſplendoris afferet, cùm propiùs ad ætatem Theophanis acceſſerimus, quoniam non parua rerum Francicarum cum Byzantinis erit connexio, ſæpéque examinandi

Digitized by Google

erunt Imperatorum Conſtantinopolitanorum anni, qui Pontificiis Diploma- AN. CH.
tibus appoſiti reperientur.

Erroneus eſt apud Theophanem annorum computus ab Incarnatione 697.
Dominica, ſed erroris Auctor Georgius Abbas, cuius Chronographiam CHILDE-
Theophanes continuauit. Georgius *compendiariam ab Adamo ad Imperatoris* BERTI III.
& Chriſtianorum perſequutoris Diocletiani tempora Chronographiam ſcripſit [a], R. 3.
σύντομον χρονογραφίαν ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Διοκλητιανοῦ τοῦ βασιλέως καὶ XXIII.
διώκτου τῶν Χριστιανῶν ἀκριβῶς συνεγράψατο. Ex eius calculo Theopha- ANNORVM AB INCAR-
nes annum Diocletiani primum, quem anno Chriſti ducenteſimo octoge- NATIONE
ſimo-ſexto illigauimus, cum anno Diuinæ Incarnationis ducenteſimo ſep- DOMINICA.
tuageſimo-ſeptimo, τῆς θείας σαρκώσεως σοζ'. comparauit. En annorum
nouem diſcrepantia, quam Tomo ſecundo iam obſeruauimus ad annum
Chriſti quingenteſimum nonageſimum-ſecundum [b], quocum annum Mau-
ricij Auguſti nonum compoſuimus, quem Theophanes annum Diuinæ In-
carnationis quingenteſimum octogeſimum-tertium φπγ'. dixit.

[a] Theophan. in prolog.
[b] Num. 8.

XXIV. Non ignoramus in annis Mauricij Auguſti computandis Baronium, Petauium, Labbeum, alióſque celebres Chronologos à nobis diſſidere, ſed ea quæ ſuis locis de Iuſtiniano eiúſque ſucceſſoribus ad Mauricium vſque ſcripſimus, Auctoribus Græcis, Francis, Italis, Africanis, Hiſpanis, Britannis, adeò innituntur, vt vnanimi conſenſu Scriptores omnium Nationum in confirmationem noſtræ Chronologiæ conſpirare videantur. Lege quæ dicta ſunt Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum viceſimum-ſeptimum [c], & Tomo ſecundo ad annos Chriſti, quingenteſimum ſexageſimum-ſextum [d], quingenteſimum ſeptuageſimum-nonum [e], quingenteſimum octogeſimum-tertium [f], & quingenteſimum octogeſimum-ſextum [g].

[c] Num. 1.
[d] Num. 53.
[e] Num. 1.
[f] Num. 45.
[g] Num. 4.

XXV. Extant apud Gregorium Magnum [h] publica monumenta, quæ Phocam euectum in Imperatorem & Mauricium cum filiis interfectum menſe Nouembri, Indictione ſextâ iam inchoatâ, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſecundo ſic teſtantur. *In Nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti per Indictionem ſextam die vigeſimâ-tertiâ menſis Nouembris, temporibus Domini & beatiſſimi Papæ Gregorij coronatus eſt Focas, & Leontia Auguſta Septimo in Palatio quod dicitur Secundianas; & occiſus eſt Mauritius Imperator cum omnibus filiis ſuis maſculis.* Eundem annum à Chriſto nato ſexcenteſimum ſecundum, qui præditus fuit literâ Dominicali G, deſignat Auctor Chronici Alexandrini, cùm Mauricium capite plexum aſſerit *die* XXVII. *Nouembris, feriâ tertiâ.* Nec in aliam it ſententiam Fredegarius [i], vbi Mauricium occiſum anno ſeptimo Theodorici Secundi Francorum Regis affirmat, nam primus illius Regis annus cum anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto conuenit. Inde autem colligimus Mauricium, qui anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-tertio imperare cœperat, Imperium tenuiſſe annis nouemdecim & aliquot menſibus.

[h] Init. l. 11.
[i] Cap. 13.

XXVI. At Theophanes, qui Cedrenum, Nicephorum, Auctorem Chronici Alexandrini ac pleroſque Neotericorum in errorem induxit, Mauricio Auguſto præter aliquot menſes annos viginti completos attribuit. Idcirçò ætate noſtrâ multi, cùm mortem eiuſdem Mauricij poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſecundum reiicere non auderent, illum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo factum Imperatorem publicarunt.

XXVII. Non repetemus argumenta, quæ variarum gentium Scriptores iique coætanei ſuppeditarunt, vt Mauricianum Imperium anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-tertio cœptum pronunciaremus. Hîc tantùm obſerua diſſidium, quod in annis Incarnationis Dominicæ ſupputandis inter nos & Theophanem intercedit, ineunte Mauricij Principatu nouem adhuc eſſe annorum, exeunte verò reduci ad annos octo, quia Mauricij Principatus vno plùs anno, quàm par eſt, à Theophane producitur. Annus Imperatoris

Digitized by Google

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

Mauricij primus, quem anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quarto illigamus, apud Theophanem eſt annus *Diuinæ Incarnationis* 575. τῆς θείας σαρκώσεως φοε΄. En diſcrepantia nouem annorum. Annus eiuſdem Imperatoris vltimus, quocum annum Chriſti ſexcenteſimum ſecundum comparamus, apud Theophanem annus eſt *Diuinæ Incarnationis* 594, τῆς θείας σαρκώσεως φϟδ΄. En octo duntaxat annorum diſcrepantia.

XXVIII. Diſcrimen illud annorum octo perdurauit regnante Focâ, tum Heraclio, eiúſque filiis Conſtantino & Heracleonâ, nepote Conſtante, pronepote Conſtantino, abnepote Iuſtiniano, necnon poſt eiuſdem Iuſtiniani exauctorationem Imperium adepto Leontio, cuius annus ſecundus Theophani eſt annus Diuinæ Incarnationis ſexcenteſimus octogeſimus-nonus, nobis annus à Chriſto nato ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus, quo Marinus Epiſcopus Martyrium in Boioaria feliciter conſummauit.

XXIX. INDICTIONVM. Indictione, quamuis illius notam cum aliis ſuo loculo non includat, vtitur etiam ſæpiſſimè Theophanes, ſed circa vſum Indictionis apud illum Auctorem id præſertim obſeruandum, quòd quoties in annis Imperatorum peccat, in Indictionibus quoque peccet neceſſe eſt.

XXX. GOVARRANVS FIT EP. LEXOBIENSIS. Hoc anno, qui proximus ab obitu Dionyſij Lexobienſis Epiſcopi numeratur, factus eſt Antiſtes eiuſdem loci Gouarranus, vt Auctor Armoricæ Sanctæ teſtatur. Ab hoc autem anno, quo Gouarranus Epiſcopatum ſuſcepit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-nonum, id eſt, vſque ad interpontificium quo Lexobienſis Eccleſia, donec anno Chriſti octingenteſimo quinquageſimo-nono Pontificales Infulæ Gratiano delatæ ſunt, per annos nonaginta laborauit, effluxerunt anni duo & ſeptuaginta. Gouarrani Pontificatum non exiſtimamus adeò diuturnum, vt tantum temporis ſpatium ſolus impleuerit, licèt in Lexobienſium Epiſcoporum Catalogo prædictus Auctor annos ei ſeptuaginta tribuat. Valdè probabile eſt Gouarrano vnum pluréſue Epiſcopos ſucceſſiſſe, quorum nomina penitus exciderint, tum ſecutum eſſe interpontificium, quod, vt dictum eſt ſuprà, durauit per annos nonaginta, ſiue vt apud Albertum in Armorica Sancta ſcribit Poëta.

Annos per centum demptis bis quinque.

XXXI. EVSTADIA ABBATISSA. Tomo ſecundo [a] egimus de Euſtadia ſiue Euſtadiola, quæ poſt coniugis obitum in ciuitate Bituricenſi Monaſterium condidit, rexitque diutiſſimè, nam ſub Pontificatu Sulpitij Pij floruit, perueníque ad tempora vſque Rocconis Epiſcopi, qui ſedere cœpit anno quinquageſimo-ſexto, poſtquàm Sulpitius Epiſcopatum dimiſit. Tomo tertio ſpontaneam Sulpitij Pij abdicationem anno Chriſti DCXLI. conſignauimus. Rochus igitur aut Rocco ſiue Rocho vel Rochonus Epiſcopatum Bituricenſem iniit hoc anno, qui poſt dimiſſam à Sulpitio curam Epiſcopij quinquageſimus-ſextus, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus numeratur.

[a] Ad an. 631. n. 25.

XXXII. EPISCOPI BITVRICENSES. In Cathedra Bituricenſi poſt ſanctum Sulpitium cognomento Pium ſederunt, Wlfolendus, Aldus, Agoſenus, Rochus. Sedit Wlfolendus annos viginti, Sanctus vocatur in Patriarchio Bituricenſi, diſceſſit ex hac vita quinto Kalendas Ianuarij, exeunte videlicet anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo. Vacauit Epiſcopatus ad menſem vſque Aprilem, Ado enim ſiue Aldus præter annôs vnum ac viginti completos ſedit ſex menſibus, obiitque octauo Idus Octobris, anno, vt ex præcedentibus patet, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo-tertio. Succeſſit Agoſenus ſiue Adolenus, qui, *poſtquàm Præſulem multa ex parte non egregium egiſſet annis quatuordecim, vitâ deceſſit vndecimo Kalend. Nouembr.* hoc vtique anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo. Datus ei ſucceſſor *Rochus vir apprimè nobilis & diuinarum Scripturarum eminentiſſimâ cognitione inſignis.* Lege Patriarchium Bituricenſe [b].

[b] Capp. 32. 33. 34. 35.

Hoc

Digitized by Google

Hoc eodem anno, vt Renatus Benedictus & Iacobus Seuertius teſtantur, AN. CH.
obiit Hellingus Meldenſis Epiſcopus, ſancti Ildeuerti, qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, proximus ſucceſſor. Tenuit Epiſcopatum annis circiter ſeptem. Vocatur à Roberto Helingus & Herlingus. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

Succeſſit in Epiſcopatum Pathaſius. Hic in omnibus Antiſtitum Meldenſium Catalogis Sanctus appellatur, dicitúrque eodem mortuus die quo fuit electus Epiſcopus. XXXIII. Apud Sauſſaium in Appendice ad Martyrologium Gallicanum hoc decoratur elogio ſub litera P. XXXIV. *S. Pathaſius Epiſcopus Meldenſis, Deo charus, vitâ priuatus memoratur ipſo electionis ſuæ die, imò morte ſubductus & ad beatam ſubuectus immortalitatem. Habet ſui nominis Eccleſiam in illa Diœceſi.* MELDENSES.

Sancto Pathaſio ſubrogatus eſt Ebregeſillus ſiue Ebrigiſillus aut Ebrigiſilus, cuius nomen ac ſanctitas in omnibus Catalogis celebrantur. XXXV. Frater fuit Aguilbertæ, quæ ſecundum locum in Nomenclatura Iotrenſium Abbatiſſarum tenet, vt ſub finem Tomi ſuperioris ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [a] notauimus. Lege Martyrologium Gallicanum pridie Kalendas Septembris. [a] Num 8.

Tunc in eodem Epiſcopatu Meldenſi florebat Eboriacus ſeu Brige, Monaſterium inſigne, cui poſteà beatæ Faræ nomen inditum. XXXVI. Huic Cœnobio præerat Edelburga Annæ Regis Orientalium filia, de qua Tomo ſuperiore [b] iam locuti ſumus. [b] Ad an. 672. nn. 18. 19. *Ipſa Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia ſeruauit, quæ cuius eſſet virtutis magis poſt mortem claruit. Cùm enim eſſet Abbatiſſa cœpit facere in Monaſterio ſuo Eccleſiam in honorem omnium Apoſtolorum, in qua ſuum corpus ſepeliri cupiebat. Sed cùm opus idem ad medium fermè eſſet perductum, illa, ne hoc perficeret, morte prærepta eſt, & in ipſo Eccleſiæ loco, vbi deſiderabat, condita. Poſt cuius mortem fratribus alia magis curantibus intermiſſum eſt hoc ædificium annis ſeptem, quibus completis ſtatuerunt ob nimietatem laboris, huius ſtructuram funditus relinquere, oſſa verò Abbatiſſæ illo de loco eleuata in Eccleſiam, quæ eſſet perfecta ac dedicata, transferre. Et aperientes ſepulchrum eius ita intemeratum corpus inuenere, vt à corruptione concupiſcentiæ carnalis erat immune, & ita denuò lotum, atque aliis veſtibus indutum, tranſtulerunt illud in Eccleſiam beati Stephani Martyris. Cuius videlicet Natalis ibi in magna gloria ſolet celebrari die Nonarum Iuliarum.* Hæc Beda [c]. EDELBVRGA ABBATISSA BRIGENSIS. [c] Lib. 3. c. 8.

Iiſdem Nonis Iuliis in Martyrologio Benedictino præter Edelburgam commendatur etiam Earcongotha ſic. XXXVII. *Eodem die, ſanctæ Edilburgæ virginis, Annæ Anglorum Orientalium Regis filiæ, & Abbatiſſæ Brigenſis, moribus ſanctiſſimæ. In eodem Monaſterio, ſanctæ Earcongothæ virginis, Ercomberti Cantiæ Regis filiæ.* EARCONGOTHA MONIALIS BRIGENSIS. Edelburgæ neptis ex Sexburga ſorore fuit Earcongotha, ſiue Eartongatha, vixit ſub materteræ diſciplina, multis virtutibus ac miraculis inclaruit. *Imminente die ſuæ vocationis cœpit circumire in Monaſterio caſulas infirmarum Chriſti famularum, earúmque maximè, quæ vel ætate prouectâ vel probitate erant morum inſigniores, quarum ſe omnium precibus humiliter commendans, obitum proximè ſuum, quem reuelatione didicerat, non celabat eſſe futurum. Quam videlicet reuelationem huiuſmodi eſſe perhibebat; vidiſſe ſeſe albatorum cateruam hominum idem Monaſterium intrare, hóſque à ſe interrogatos, quid quærerent, aut quid ibi vellent, reſpondiſſe, quòd ob hoc illò fuerint deſtinati, vt aureum illud numiſma, quod eò de Cantio venerat, ſecum aſſumerent. Ipſâ autem nocte, in cuius vltima parte, id eſt, incipiente aurorâ, præſentis mundi tenebras tranſiens ſupernam migrauit ad lucem, multi de fratribus eiuſdem Monaſterij, qui aliis erant in ædibus, iam manifeſtè ſe concentus Angelorum pſallentium audiſſe referebant, & ſonitum quaſi plurimæ multitudinis Monaſterium ingredientis. Vnde mox egreſſi dignoſcere quid eſſet, viderunt lucem cælitus emiſſam fuiſſe permaximam, quæ ſanctam illam animam carnis vinculis abſolutam ad æternæ patriæ cæleſtis gaudia deducebat. Addunt & alia, quæ in ipſa nocte in Monaſterio eodem diuinitus fuerint oſtenſa miracula. Sed hæc*, inquit Beda [d], *nos ad alia tendentes ſuis narrare per-* [d] Lib. 3. cap. 8.

Digitized by Google

AN. CH. 697. CHILDEBERTI III. R. 3.

mittimus. Sepultum eſt autem corpus venerabile virginis & ſponſæ Chriſti in Eccleſia beati Proto-Martyris Stephani, placuítque poſt diem tertium, vt lapis, quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altiùs in ipſo loco reponeretur, quod dum fieret, tantæ flagrantiæ ſuauitas ab imis ebulliuit, vt cunctis, qui aſtabant, fratribus & ſororibus quaſi opobalſami cellaria eſſe viderentur aperta.

---

698. CHILDEBERTI III. R. 4.

ANNVS
CHRISTI 698.
CHILDEBERTI III. R. 4.

I. CLAVDII ABB. IVRENSIS OBITVS.

ANNO Chriſti duodeſeptingenteſimo, ſiue anno Childeberti Regis quarto, vt Anonymus apud Chiffletium in Hiſtoria Biſuntina teſtatur, migrauit ad Deum Claudius Abbas Iurenſis in Diœceſi Lugdunenſi, poſtquàm hoc Monaſterium non annis LV. vt ille ſcribit, ſed annis duntaxat XII. rexiſſet. De Claudij ætate ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum copioſè diſputauimus, oſtendimúſque certiſſimis argumentis illum promotum fuiſſe in Abbatem ſub Ioanne Papa iſtius nominis Quinto, non autem Quarto vt idem Scriptor exiſtimauit. In Archiuis Iurenſibus fortè legit Claudium anno quarto Childeberti Regis ex hac vita diſceſſiſſe, & annorum numerum, quo tota vita conſtabat, ſoli Abbatiali dignitati perperam attribuit. Obiit Sanctus Claudius anno ætatis ſuæ quinquageſimo-ſexto, regiminis Iurenſis duodecimo, Childeberti Regis quarto, Chriſti duodeſeptingenteſimo. Anonymi textum iam recitemus. *Fuit*, inquit, *Pater beatiſſimus in dicto Monaſterio Abbas annis* LV, lege XII. *Fuit verò in hoc ſæculo vſque ad quartum annum Childeberti Regis. Nunc verò aliqua dicenda ſunt de eius glorioſiſſimo fine. Incidit in quamdam leuem infirmitatem; tertiâ autem die ſuæ infirmitatis conuocari fecit omnes fratres, quibus prolixum & luculentum fecit ſermonem, in quo miris rationibus dulciter eos monuit, primò de diuino amore, ſecundò de contemptu huius mundi, tertiò ne aliquo modo triſtarentur de eius receſſu; & videns eos vberrimè flentes, acceptâ ab omnibus pace eos è cella ſua abire præcepit, totámque exinde ſequentem noctem in orationibus peregit. Quartâ verò die cum ſuorum adiutorio in Eccleſiam perrexit, & in ipſa ſacramenta ſacræ Pœnitentiæ & Dominici Corporis totus profuſus in lachrymas veneranter recepit, & cupiens fugere pompas vrbium & honorem populorum, corpus ſuum in ipſo Monaſterio ſepeliri iuſſit, deinde ſuorum adiutorio in cellam rediit. Quintâ autem die, circa horam diei nonam, reclinatus ſuper ſcamnum, ſuper quod legendo & orando ſedere ſolitus erat, erectis ſurſum brachiis, manibus iunctis, oculis ad cælum ſuſpicientibus migrauit ad Dominum.* Colitur Sanctus Claudius octauo Idus Iunias in Martyrologiis Biſuntino ac Romano, quamquam in quodam Martyrologio Eccleſiæ Sancti Stephani apud Biſuntinos notetur eius feſtum die

SVCCESSOR. præcedenti ſeu Nonis Iuniis. Succeſſit in Monaſterij regimen Ruſticus, qui Prioris ſeu Præpoſiti officio ſub Abbate Claudio functus fuerat. Vt autem vno ictu oculi totam noſtram Chronologiam, quoad ætatem Sancti Claudij, contempleris, breuiter hîc repetemus illum in lucem editum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſecundo; præceptoribus traditum

ÆTAS. anno ætatis ſeptimo, Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo; factum Canonicum anno ætatis viceſimo, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo; creatum Epiſcopum poſt annos duodecim anno ætatis triceſimo-ſecundo, Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto; Epiſcopatu relicto profectum ad Monaſterium Iurenſe poſt ſeptennium, anno ætatis vndequadrageſimo, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo; electum Abbatem poſt quinquen-

Digitized by Google

nium, anno ætatis quadrageſimo-quarto, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo- AN. CH.
ſexto; mortuúmque anno pòſt duodecimo, ætatis quinquageſimo-ſexto, 698.
Childeberti Regis quarto, Chriſti duodeſeptingenteſimo. Circa quæ ve- CHILDEBERTI III. R. 4.
lim à te tria potiſſimùm obſeruari. Primò, iuxta veteres Catalogos ſextum
locum Sancto Claudio poſt Sanctum Nicetium in Epiſcoporum Veſontionen-
ſium nomenclaturâ ſeruauimus contra Ioannem Iacobum Chiffletium par-
te [a] Veſontionis alterâ. Deinde Sanctum Claudium ab alio Claudio Ve- [a] Cap. 24.
ſontionenſi æquè Pontifice, qui Epaonenſi Concilio ſub Sigiſmundo Bur-
gundiæ Rege ſubſcripſit, diſtinximus contra Cardinalem Baronium in no-
tis ad Martyrologium Romanum [b]. Deinde Sanctum Claudium, priuſ- [b] D. 6. Iun.
quàm in Iurenſe Monaſterium ſecederet, Eccleſiæ Veſontionenſi præfeci-
mus contra Petrum Franciſcum Chiffletium Ioannis Iacobi fratrem, qui
teſtibus Sammarthanis [c] putat eum ex Iurenſi Abbate Præſulem Biſun- [c] Gall. Chriſt. Tom. I. in Archiep. Biſontic
tinum, & ex Epiſcopo Biſuntino Abbatem Iurenſem denuò factum fuiſſe.
Hæc de Sancto Claudio ſufficiant, à quo poſteà tum Iurenſe Monaſterium,
tum oppidum nomen accepit Sancti Claudij.

II. REGINALDVS EPISCOPVS ROTOMAGENSIS OBIT.

Obiit & ex hoc anno Reginaldus Rotomagenſis Epiſcopus, qui variis
nominibus à Nomenclatoribus appellatur, ab Orderico *Ratilandus*, à De-
mochare *Ratolandus* & *Batilandus*, à Taillepiëdo *Rotlandus*, à Dadræo *Rolan-
dus* & *Raulandus*, à Chenutio *Rotolandus* & *Batilandus*, à Seuertio *Rotolandus*
& *Ratilandus*, à Roberto *Rotolandus & Rolandus*, à Sammarthanis *Radilan-
dus* ſeu *Ranilandus* & *Reginaldus*, à Pommerayio *Rotolandus*, *Rolandus*, *Radi-
landus*, *Ranilandus*, & *Reginaldus*. Sedit annos tres, vt Ordericus [d] teſta- [d] L. 5. ad an. 1080.
tur. Tres illos annos ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono ad an-
num Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum numerant Chenutius
& Seuertius, quia Gripponem, qui Reginaldo in Epiſcopatum ſucceſſit,
ipſi Reginaldo præponunt. E rebus autem, quas Reginaldus in Epiſcopatu
geſſit, ſola Ouonis in Presbyterum ordinatio literis commendata reperitur,
nec opus eſt alio argumento, vt Anſberto Reginaldum, Gripponem Re-
ginaldo ſubiicias, ac nobiſcum cenſeas Eccleſiæ Rotomagenſi Reginaldum
ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto ad annum Chriſti ſexcen-
teſimum nonageſimum-octauum præfuiſſe. In vita [e] ſancti Wlfranni hæc de [e] Ap. Sur. d. 20. Mart.
Ouone à Iona commemorantur. *Ouo lauacri ſalutaris vndâ perfuſus, atque à
præfato Pontifice* Wlfranno *Fontanellam perductus, literiſque ſacris eruditus,
poſteà Diaconus conſecratus, deinde ſequenti tempore à venerando Pontifice Regi-
naldo vrbis Rotomagenſis Presbyter ordinatur.* Ab anno Chriſti ſexcenteſimo OVO PRESBYTER.
nonageſimo-quinto, quo ſanctus Anſbertus ex hac vita diſceſſit, ad annum
vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum, quo beatus Hugo
Rotomagenſem Epiſcopatum ſuſcepit, anni colliguntur viginti-ſeptem, qui
diſtribuuntur in duos Pontificatus, Reginaldi videlicet, qui ſedit annos tres,
& Gripponis qui ſedit annos quatuor ac viginti. Reginaldus igitur, ſi
Gripponi poſtponitur, Epiſcopatum ante annum Chriſti ſeptingenteſimum
vndeuiceſimum non iniit. At Ouo longè ante illum annum ad Presbytera-
tum promotus eſt, Presbyter enim à Iona vocatur in epiſtola dedicatoria
ad Bainum tunc Abbatem Fontanellenſem, qui vitam vltra annum Chriſ-
ti ſeptingenteſimum octauum, vt ſuo loco probabimus, haud produxit.
Epiſtolam ſuam ſic orditur Ionas. *Reuerentiſſimo atque Sanctiſſimo Præſuli vr-
bis Taruennæ Abbatíque Cœnobij Fontanellæ Baino, vltimus ſeruorum Chriſti ſer-
uus Ionas. Iubet Apoſtolatûs veſtri celſitudo, vt* &c. Deinde in eadem epiſtola
ſic de Ouone ſcribit. *Penes nos ſuperſtes manet venerabilis vitæ Presbyter Ouo
ex ipſa Friſonum natione oriundus.* Ergo Reginaldus, qui Ouonem Presbyte-
rum ordinauit, locum in Catalogo Rotomagenſium Pontificum ante Grip-
ponem obtinere debet, ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto
ad hunc annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptingenteſimum, corrigen-
díque ſunt, Ordericus, Demochares, Taillepiedus, Dadræus, Chenutius,

Digitized by Google

AN. CH. 698. CHILDEBERTI III. R. 4.

GRIPPO FIT EP. ROTOMAG.

Seuertius, Robertus, Sammarthani, Pommerayius, alijque qui Reginaldum Gripponi poſtponunt. Laudandus tamen præ cæteris Pommerayius, quòd ingenuè fateatur antiquum extare Codicem manuſcriptum, in quo Reginaldus Gripponi præponitur. Præter ordinationem Ouonis Preſbyteri, res à Reginaldo Epiſcopo geſtæ penitus ignorantur, nec feliciùs actum eſt cum Grippone eius ſucceſſore.

III. Hoc eodem anno, Childeberti Regis quarto, Irmina Horreenſis Abbatiſſa multa prædia contulit Epternacenſi Monaſterio, vt conſtat ex tabulis, quas Miræus libro ſecundo [a] Diplomatum Belgicorum & in Notitiâ [b] Eccleſiarum Belgij ſic publicauit. *Domino Sancto ac venerabili in Chriſto Patri Willibrordo Epiſcopo, Irmina in Chriſto Deo ſacrata Abbatiſſa. Dum ab omnibus non habetur incognitum, quòd ego inſpirante miſericordiâ Chriſti, pro conſilio virorum Apoſtolicorum, Patrum noſtrorum, Domini Baſini & Domini Leotwini Epiſcoporum, ſeu & pro conſenſu ſororum noſtrarum Chriſto ſeruientium, quæ nobiſcum ſunt congregatæ, Baſilicas in nomine ſanctæ Trinitatis, vel in honore glorioſiſſimæ Virginis Mariæ genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu & beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli vel ceterorum Sanctorum, in villa mea propria, quæ vocatur Epternacus, ſita ſuper fluuio Sura, ſeu & Monaſteriolum ibidem ad Monachos peregrinos conuerſandum, vel . . . . . . pauperes ibidem alimoniam petendum, pro diuino reſpectu vel pro anima meæ remedio conſtruxi, & dum ſanctitas & dilectio veſtra erga me vel Monaſterium meum aſſiduè agitur. Igitur decreui apud animum meum, vt vos de rebus meis propriis in aliquo conſolari deberem, quod ita ſpontaneâ voluntate feci. Idcirco dono vobis donatúmque eſſe volo memoratas Baſilicas Sanctorum ad gubernandum vel dominandum. Itémque dono vobis ad ſupradicta loca Sanctorum, portionem meam in ipſa villa Epternaco, hoc eſt, quantumcumque ex ſucceſſione paterna vel materna mihi obuenit, tam in domibus quàm ædificiis, manſis, mancipiis, vineis, terris, campis, pratis, ſiluis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, ſeu & paſtores, vaccarios, porcarios, veruecarios, cum gregibus eorum, vel cum appenditiis ſuis, id eſt, Baidalingo, Mathoſouillare, vel portionem noſtram in Oxiuillare, exceptis hominibus illis, quos per epiſtolas noſtras ingenuos relaxauimus. Similiter dono vobis vel ad ſupradictas Baſilicas vineæ pedecuram vnam in monte * Viennenſi cum vinitore nomine Alitfrido cum omni peculiari ſuo. Iſta omnia, vt dixi, ad ipſa loca Sanctorum, vel vobis, à die præſenti tradimus atque transfundimus ad gubernandum vel ad dominandum, eâ ratione vt quidquid de re ſuperiùs memorata in Dei nomine facere volueritis, liberam & firmiſſimam in omnibus habeatis poteſtatem. Nam ſi quis contra hanc chartulam donationis meæ venire tentauerit, inferat fiſco auri libras decem, argenti pondo viginti, manente nihilominùs firmitate. Actum Treueris ſub die Kalend. Nouembris, anno* IV. *Domini noſtri Childeberti Regis. Ego Huncio in Chriſti nomine Presbyter hanc chartulam donationis, iubente Dominâ meâ Irminâ, perſcripſi, & ipſa ſubter manu propriâ vnà cum teſtibus firmauit, & qui ſubſcripſerunt in præſenti rogauit. Ego Irmina in Chriſti nomine hanc chartulam donationis relegi. Baſinus Epiſcopus. Leodowinus Epiſcopus. Theodefridus Presbyter. Waltharius Diaconus. Gangbertus Presbyter. Hudobertus Presbyter.* Hiſce tabulis duo ſubſcribunt Epiſcopi, Baſinus & Leodowinus, quem alij Leodewinum, Leotwinum, Luituuinum, Leduuinum & Lutuuinum appellant. Vterque geſſit Epiſcopatum Treuirenſem. Leotwinus Baſini nepos erat ex ſorore Gonza, viuente auunculo, ſi Miræus benè coniicit, Epiſcopus ad gentilium conuerſionem ordinatus eſt more illius æui, ſed eum potiùs exiſtimamus Epiſcopum fuiſſe Treuirenſem ſuperſtite auunculo, qui ſpontaneâ ceſſione curam Epiſcopatûs abdicarit.

[a] Cap. 4.
[b] Cap. 11.

MONASTERIVM EPTERNACENSE DOTATVR.

* Vianen.

EPISCOPI TREVIRENSES.

IV. BASINVS.

Baſinus, antequàm Epiſcopus ordinaretur, ab aliis Monachus in Cœnobio ſancti Maximini prope ciuitatem Treuirenſem, ab aliis Abbas eiuſdem Monaſterij conſtituitur. Imitatus videtur Epiſcopos pleroſque ſui temporis, qui primùm Monachi vel Abbates facti, tum Epiſcopi, poſtremò redierunt ad ſua Monaſteria dimiſſis Epiſcopatibus, vt aliis curis expediti mortis im-

Digitized by Google

AN. CH. 698.

CHILDEBERTI III. R. 4.

minentis futuræque vitæ contemplationi liberiùs vacarent. Apud Bruſchium in Abbatum catalogo, qui prædictum ſancti Maximini Monaſterium rexerunt, poſt Memilianum, quem Dagoberto Magno coætaneum oſtendimus [a], ponuntur Bernhardus, Herinnus, Baſinus Gregorio Secundo Papæ ſynchronus. Inde ſuſpicari licet Baſinum, priuſquàm ad Inſulas Treuirenſes aſſumeretur, non Abbatem ſed Monachum fuiſſe; depoſitis autem Epiſcopalibus Inſulis iterum ſeceſſiſſe in Monaſterium, vbi Monachus primùm, deinde Abbas vixerit. At Priuilegium, quod ei tunc Abbati Gregorius Secundus Papa conceſſiſſe fertur, ætatem ſapit longè poſteriorem, vt in notis ad eiuſdem ſancti Baſini vitam [b], vbi deſcriptum habetur, iam obſeruauit Henſchenius, ſatiſque probabiliter ad tempora Gregorij Papæ Quarti, alteri Baſino Abbati coætanei, reiiciendum videtur. Aliud autem argumentum haud profertur, vt Baſinus, de quo nunc agimus, Gregorio Secundo Papæ ſynchronus aſſeratur. Gregorius Secundus in Romanum Pontificem aſſumptus eſt decimo-tertio Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, Indictione decimâ-tertiâ, itaut Priuilegium, quod Abbati Baſino, *in menſe Ianuario, Indictione duodecimâ* dediſſe dicitur, ante annum Chriſti ſeptingenteſimum vndetriceſimum haud cenſeatur emiſiſſe. Baſinum ad illum annum perueniſſe non putamus. Eius vita, quam Nizo Mediolacenſis Abbas vndecimo ſeculo retulit in literas, & Vdoni Archiepiſcopo Treuirenſi poſt annum Chriſti milleſimum ſexageſimum-ſextum inſcripſit, edita eſt ab Henſchenio ad diem quartum Martij, multíſque ſcatet mendis quæ Lectorem nequaquam fugient. In illa lucubratione poſt Herwinum, quem Bruſchius Herinnum vocat, Baſinus fit Abbas ſancti Maximini; deinde ſancto Numeriano in Epiſcopatum Treuirenſem ſuccedit, Vtilrado ſancti Maximini Abbate tunc conſtituto; denique ex hac vita diſcedit regnante Childerico & Leodowino Monaſticen apud Mediolacum profeſſo. Baſinum Monaſterio ſancti Maximini cum Abbatis titulo præfuiſſe, poſteà ex illius loci Abbate Treuirenſem Epiſcopum factum eſſe non negamus; Herwino quoque ſiue Herinno in adminiſtrationem prædicti Cœnobij ſucceſſiſſe non inficiamur. At in ceteris diffidemus, quia nec Baſinum Treuiris Epiſcopum poſt Numerianum, nec Vtilradum Abbatem Cœnobio ſancti Maximini poſt eundem Baſinum immediatè præficimus, nec etiam ipſum Baſinum mortuum exiſtimamus regnante Childerico vel Leodowino Monaſticam vitam apud Mediolacum agente. Tomo ſuperiore Baſinum Hildulpho, qui Numeriano in Epiſcopatum Treuirenſem ſucceſſerat, ſuffecimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſextum; eodem autem tempore Monaſterio ſancti Maximini præpoſitum Abbatem quis credat Vtilradum, cui *Pippinus Rex Clementiſſimus Priuilegium Regali munificentiâ tradidit anno Regni ſui decimo-quarto?* Auctor, in quem inquirimus, vt Vtilradum anno Pippini Regis decimo-quarto Abbatem ſancti Maximini finxit, ſic & regnante Childerico, qui poſtremus è Regibus ſtirpis Merouingicæ fuit, Baſinum Treuirenſem Epiſcopum ex hac vita ſublatum, eíque Leodowinum ex Monacho Mediolacenſi ſucceſſorem in Epiſcopatu Treuirenſi datum affirmauit. Ex Diplomate autem quod ſuprà recitauimus, & ex altero quod mox deſcripturi ſumus, conſtat Baſinum & Leodowinum Epiſcopos floruiſſe ſimul *anno quarto Childeberti Regis*, id eſt, Childeberti Tertij, cuius pronepotem prædictum Childericum antiqui Scriptores conſtituunt. Atque inde duo certiſſimè colliguntur, nempe Leodowinum Epiſcopum fuiſſe regnante Childeberto proauo Childerici, promotúmque eſſe ad Inſulas Epiſcopales ante Baſini mortem, cùm hic Epiſcopatu ſponte ſe abdicaſſet. De anno quo Leodowinus factus eſt Epiſcopus, déque anno quo Baſinus ex hac vita diſceſſit, non liquet. Leodowinus Pontificatum anno quarto Childeberti Regis iam gerebat. Childebertus annos ſeptemdecim regnauit. Illo regnante Baſinus obiit. Id in dubium minimè vocamus,

[a] Ad an 633. n. 8.

[b] d. 4. Mart.

AN. CH. 698. CHILDEBERTI III. R. 4.

adſtipulamúrque Henſchenio, qui Childerici loco Childebertum apud Nizonem in vita ſancti Baſini reponit. Migrauit ad Deum Sanctus Baſinus *quarto Nonas Martij*, eóque die celebratur in Breuiario Treuirenſi. Sepultus fuit in Monaſterio ſancti Maximini. De Leodowino, qui poſt eum in Treuirenſi Cathedra ſedit, agemus infrà. Treuirenſes igitur Epiſcopi, qui ſub Regibus Auſtraſianis Sigiberti Tertij ſucceſſoribus ad octauum vſque ſeculum floruerunt, hoc recenſendi ſunt ordine, ſanctus Numerianus, ſanctus Hildulphus, ſanctus Baſinus, ſanctus Leodowinus. Abbatum autem, qui Monaſterio ſancti Maximini præfuerunt, mutilus eſt Catalogus. Ex illius loci Abbate Treuirenſis Epiſcopus factus eſt Baſinus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, regnante tum in Auſtraſia Dagoberto Secundo; Abbates, qui Monaſterium illud poſt eundem Baſinum gubernarunt, in vulgatis Indicibus deſiderantur ad annum vſque decimum-quartum Pippini Regis, quo Regium Præceptum in Abbatis Vtilradi gratiam emiſſum legitur. Obſerua quoque in eorumdem Abbatum Catalogo apud Bruſchium omitti Theodoricum, cuius mentionem ad annum Chriſti ſexcenteſimum Sammarthani [a] faciunt. Huic locum appoſitè reſtitues inter Hundilandum & Memilianum, qui Dagoberto Magno coætaneus viuebat.

[a] Tom. 4. Gall. Chriſt.

V. LEODOWINVS.

Leodowinus, antequàm Baſino auunculo Treuirenſi Epiſcopo ſubrogaretur, vxorem duxit, liberos procreauit, aliquot loca Sanctorum liberaliſſimè dotauit apud Treuiros, mortuâque coniuge Cœnobium in ſuo fundo, cui nomen Mediolacus *, ad Sarram fluuium in Diœceſi Treuirenſi conſtruxit, ibíque Monachum induit, vt vitæ prioris leuitatem acri pœnitentiâ dilueret. Lege Cratepolium de Archiepiſcopis Treuirenſibus [b], ſed caue ne iſtius Nomenclatoris auctoritate deceptus Baſinum, qui Leodowinum in Epiſcopatu præceſſit, Epiſcopum ordinatum credas Gregorio Secundo Papâ regimen Eccleſiæ Catholicæ tunc obeunte. Malè quoque ſuper ætate Leodowini ſeu Lutwini rationaberis ex Actis ſancti Baſini à Nizone Mediolacenſi Abbate conſcriptis. Hic enim de parentibus & ortu Lutwini ſic loquitur. *Childerico Rege Monarchiam Regni diſponente, generoſiſſima Ducíſſa Gunza, Diui Baſini germana, nupſit cuidam Senatoriæ dignitatis Primati, ex præpotentibus Francorum Regibus lineam ducenti, nomine Gerwino, ex quo ſuſcepit filium totius proſapiæ decus & ornamentum, quem in Baptiſmatis vnda, quodam oramine præſago, Lutwinum appellauere.* Childericus Secundus, ad cuius Principatum Nizo cunas Lutwini referendas putat, in Auſtraſia primùm regnare cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, deinde exeunte anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo Monarchiam Francorum obtinuit. Leodowinus vſuram lucis accepit ipſo Childerico apud Auſtraſios iam imperante, ſed Monarchiam Francorum nondum adepto, ídque apertè colligitur ex Milonis ætate, qui fuit ipſius Leodowini filius, & Remenſem Epiſcopatum, vt ſuo loco fuſiùs exponemus, temporibus Chilperici Tertij Regis occupauit. Idem Nizo, ſuper etymo Baſini & Lutwini, multa ſcribit valdè friuola, Baſinum à baſi deducit, *Luitwin* idiomate Theutonico *lucidum vinum*, interpretatur. *Bas* vocabulum Sicambricum, à quo nomen Baſini deducendum videtur, dominum ſiue herum etiamnum ſignificat. Luitwinus idem eſt ac Demophilus, *Luyd* enim populum, *Win* amicum ſiue amorem ſonat. In multis nominibus propriis illud *Win* reperitur; vt *Liebwinus* ſiue *Liefwinus*, amantis delitium ſeu dilectus amor; *Gerwinus* totus amabilis. In paraphraſi Teutonica Cantici Canticorum à Waleramo ante annos circiter quadringentos elaborata ſæpiſſimè *Win* vel *Wina* legitur, vbi Latinè eſt, *dilectus* vel *amica*. Lege Henſchenium in notis ad vitam ſancti Baſini.

* Mithlach.

[b] Num. 57.

Præter Diploma donationis pro Epternacenſi Monaſterio ſuprà recitatum, occurrit aliud hoc ipſo anno Kalendis Decembris ſub titulo Teſta-

Digitized by Google

menti conſcriptum, quod Browerus in Annalibus [a] Treuirenſibus ex Theofrido & Theoderico refert *verbis*, vt aſſerit, *paullulùm deflexis*. Miræus vtrumque confudit in notis ad Diplomata [b] Belgica. Prius enim tantùm deſcripſit, & loco Kalendarum Nouembrium, quibus datum reperitur, obſeruauit legi Kalendas Decembres apud Theofridum Abbatem Epternacenſem, qui vitam Sancti Willibrordi triginta ſex capitibus diſtinxit, floruítque anno Chriſti centeſimo ſupra milleſimum. Vix autem differunt, quia poſterius emiſſum eſt in prioris confirmationem. *Irmina in Chriſti nomine Deo ſacrata, etſi indigna, gratiâ Domini Abbatiſſa, ſana quidem, Deo propitio, ſanóque conſilio teſtamentum perſcribendum rogaui, idque negotium fratri in Chriſto meo Huncioni Presbytero mandaui. Dono itaque in præſentia tam pro remedio animæ meæ quàm pro nonnulla mercedis etiam huius in illis ſempiternis gaudiis acceſſione, Baſilicæ, Sanctæ Trinitatis, beatæ Genitricis, & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum honori conſecratæ, quæ eſt in prædio noſtro extructa Epternaco ad amnem Suram, vbi Dominus & Pater noſter in Chriſto Willibrordus Epiſcopus, rector & gubernator eſſe videtur, donatúmque eſſe iubeo, quidquid id eſt, quod ex patris ac matris ſucceſſione creuit, domos, ædificia, caſas, manſos, vineas, prata, campos, ſiluas, & horum omnium appendices, Baidelingum, Matholſingum, portionémque noſtram in Oxinuillario, cuncta, inquam, hæc lego cum paſtoribus, bubulcis, ſubulcis, opilionibus, armentariis, horum item greges, armenta, & eorum promiſcuum omne peculium, quibus tamen libertos annumerari non volo, quos per epiſtolas meas manumiſſos, ingenuos pronuntiaui, Gararium, Cuntoaldum, Archildem, Theodfridum, & alios complures. Iterum dono quidquid ad miniſterium loci quem diximus, ſubſidiúmque, paratum hactenus & à me conquiſitum eſt, tam in auro quàm argento, gemmis, veſtimentis, altarium velis, cortinis, vtenſilibus tam æneis quàm ferreis ligneíſque, omnia verò de ſententia conſilióque tam Virginum quæ mecum vnà congregatæ viuunt, quàm Apoſtolicorum virorum Baſini & Lutuuini Epiſcoporum. Ego Huncio in Chriſti nomine Presbyter, rogante & iubente Dominâ meâ Irminâ, hoc Teſtamentum perſcripſi, & ipſa ſubter manu propriâ vnà cum teſtibus firmauit. Ego Irmina hoc Teſtamentum meum relegi. Ego Lutuuinus Epiſcopus. Ego Theodfridus & ceteri ſubſignauimus. Actum Treberi, die Kalendarum Decembris, anno quarto regni D. N. Childeberti Regis.* Epternacum * à ſitu nomen ſortitur etymo Teutonico, quaſi *ſuper aquam* dicas. In Teſtamento enim ſancti Willibrordi, quod anno ſexto Theodorici Quarti Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo ſexto datum inuenitur, conſtructum dicitur *ſuper fluuio Sura, in pago Bedenſi.* Sura * læuam Moſellæ ripam ſupra Treuiros ſubit, & pagus Bedenſis nomen accipit à vico Beda, vulgò *Bitburg.*

AN. CH. 698. CHILDEBERTI III. R. 4.

[a] Lib. 7.
[b] Lib. 2. c. 4.

DOTATIO MONASTERII EPTERNACENSIS CONFIRMATVR.

* *Echternach.*

* *Le Sour.*

VII. Ad hunc annum referri debent initia celeberrimi Monaſterij, quod *infra Treuerim, ad dextram deſcendentis Moſellæ* ſitum eſt, & nomen *ſanctæ Mariæ ad Martyres* hodiéque gerit. Illic erectum olim Capitolium ſeu Palatium, vbi habitabant Præfecti Prætorio Galliarum, necnon ipſimet Imperatores quando eos in Gallias venire contingebat. Ad illum locum, cùm furor gentilium vehementiſſimè ſæuiret, Martyrio coronati ſunt quamplurimi Chriſtiani, de quibus pridie Nonas Octobris in Tabulis Eccleſiaſticis hæc leguntur. *Treuiris commemoratio innumerabilium penè Martyrum, qui in perſecutione Diocletiani ſub Rictio Varo Præſide ob Chriſti fidem vario mortis genere necati ſunt.* Tyrannus rabiem ſuam primùm in milites, deinde biduo pòſt in ciues exercuit. Vtrorumque triumphum diſtinxit commemorauítque Auctor Martyrologij Gallicani. Militum ſic, quarto Nonas Octobris. *Treuiris, Paſſio ſanctorum Martyrum Thyrſi Ducis & ſociorum militum, qui ſancti Mauricij Thebææque Legionis exempla præclara imitantes, tantâ conſtantiâ idolorum ſacrificia execrati, quantâ fide & fortitudine ſacratiſſimam Chriſti religionem profeſſi, iubente Rictio Varo piorum teterrimo in Galliis carnifice, gladiis militum ethnicorum impetiti trucidatíque ad internecionem deleti ſunt. Horum corpora feris &*

MONASTERIVM S. MARIÆ AD MARTYRES CONDITVR TREVIRIS.

CVR ITA DICTVM.

Digitized by Google

AN. CH. 698. CHILDEBERTI III. R. 4.

auibus relicta ſunt deuoranda. Ceterùm ex his innumeris Heroibus tanta multitudo ad littus Moſellæ iuxta Capitolium iugulata eſt, vt ſanguinis riuuli defluentes aquas fluuij in ſuum colorem conuerterent, & naturali claritate neglectâ peregrino magis quàm proprio colore ruberent. Porrò Deo Athletas ſuos glorificante, in honore ſanctiſſimæ Virginis & ipſorum hoc idem Capitolium dedicatum eſt, & locus, in quo agonem peregerunt, in eorum memoriam, littoris ad Martyres vocabulum accepit. Ciuium ſic, pridie eaſdem Nonas. *Treuiris, Natalis innumerabilium Martyrum, qui, in perſecutione Diocletiani, biduo poſt ſancti Thyrſi & ſociorum agonem, ſæuiente in vniuerſam ciuitatem (quæ Chriſto addicta reperta eſt) Rictio Varo Præſide vario mortis genere necati ſunt. Tanta è ſtrage qui ſuperfuerunt pauci fideles, ſacra beatorum conciuium cadauera, poſtquàm Tyrannus abiit, ſepulturæ pro poſſe mandauerunt. At cùm numero vincerentur, in puteum quemdam ingentis capacitatis iniecerunt, qui repletus ad ſummum vſque, pignora veneranda, quibus, pluſquàm fodina quæuis auro vel gemmis ditatur, ſinu ſuo excepta, abhinc repoſita in diem gloriæ conſeruauit, donec ſcilicet Felix nomine Secundus, Treuirenſis Archiepiſcopus conſtructâ grandi Baſilicâ in honorem ſanctæ Dei Genitricis, quam cognominauit ad Martyres, pretioſa eorum ſpolia in hanc omni cum veneratione inuexit ac recondidit.* Hic Felix, vt Seuerus in vita ſancti Martini Turonenſis Epiſcopi teſtatur, eidem Martino ſynchronus vixit. Addit de Felice dèque prædicta Baſilica Ioannes Scheckmannus in medulla Geſtorum Treuirorum [a]. *Poſt duodecimum annum Pontificij ſui Epiſcopali renuncians apici ſolitarius intra prædictam beatæ Virginis Mariæ Dominæ noſtræ Baſilicam contemplationi vacauit, & paulò pòſt vitam cum morte mutauit ad* VI. *Kalend. Apriles, ſepelitúrque in eadem Baſilica à latere Chori ad plagam Aquilonarem.* Hic locus tandem commutatus eſt *in Monaſticæ Congregationis domicilium virtutíſque ac literarum Scholam ab ipſo ſancto Traiectenſis Eccleſiæ primóque Archiepiſcopo, Domino Wilibrordo totius Galliæ Belgicæ Apoſtolo, temporibus Sergij Papæ, auxiliis Pipini Senioris, eius videlicet, qui Pipini puſilli auus fuiſſe legitur.* Illam commutationem notat Bruſchius in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ, factámque ait *annum Chriſti circiter* 694. Sed ſeriùs id contigiſſe vel ex eo liquet, quòd Willebrordus Friſiorum Epiſcopus Sedem Vltraiecti ſiue Traiecti ad Rhenum ante annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum non conſtituit. Vaſtatum eſt autem illud Cœnobium à Nortmannis anno Chriſti circiter nongenteſimo ſexageſimo. Quapropter Abbatum, qui cladem iſtam præceſſerunt, hodie deſiderantur nomina. Vt probè intelligas quanta olim in exiſtimatione fuerint Aſcetæ illius loci, Baſilicam beatæ Mariæ *ad Martyres* Baſilicam quoque beatæ Mariæ *ad Monachos* aliàs dictam obſerua cum Bruſchio.

[a] Lib. 2. c. 6.

VIII. WILLEBRORDVS ET SWIBERTVS EVANGELIVM PRÆDICANT.

Hoc etiam circiter annò, ſancti Epiſcopi Willebrordus & Suibertus in Friſiam citeriorem, quæ Francici Regni pars erat, & in prouinciam, quæ nomen Hollandiæ poſteà ſuſcepit, iter arripuerunt, bienniúmque integrum inſumpſerunt in erudiendis illarum regionum populis, donec vltra fines Francorum progreſſi Danis quoque Chriſtianam Religionem prædicarunt. *Cum Sacerdotibus & Clericis,* inquit vulgatus Marcellinus, *Hollandiam & Friſiam vbique peruagantes, rudem populum documentis Euangelicis informauerunt, docentes prophanum idololatriæ cultum abolendo relinquere, Catechumenos baptizauerunt, neophytos confirmauerunt, ſacros Ordines celebrauerunt, ac in pagis ſingulis Euangelium pacis cònſtanter & deuotè prædicauerunt, & per loca ſingula Presbyteros & Diaconos ordinauerunt, qui eos in verbo fidei & miniſterio baptizandi adiuuarent, maximè in magno vico Duerſtat. In quo per biennium prædicantes, totum populum ad fidem perduxerunt Chriſti, ac phana idolorum commutantes in Eccleſias Chriſti, quinquaginta duas dedicauerunt Eccleſias parochiales in eo, adiutorio Guntheri militis & aliorum amicorum.* Corruptus videtur hic locus Marcellini. Quis enim credat in vico *Duerſtat* dedicatas fuiſſe duas & quinquaginta parochiales Eccleſias? Exiſtimamus Willebrordum & Swibertum in regione

IN HOLLANDIA, FRISIA,

Digitized by Google

regione quæ nomen Hollandiæ poſteà geſſit & in Friſia citeriore, maximè AN. CH.
in vico *Duerſtat* per biennium, id eſt, vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum prædicaſſe ſucceſſu adeò felici, vt omnibus incolis ad Chriſtianam 698.
fidem conuerſis duas & quinquaginta parochiales Eccleſias in duabus illis CHILDEBERTI III.
prouinciis dedicauerint. Vt eiuſmodi ſenſum apud Marcellinum aſſequaris, illius textum ſic corrige. *Sancti Epiſcopi cum Sacerdotibus & Clericis Hollandiam & Friſiam vbique peruagantes, rudem populum documentis Euangelicis informauerunt*, &c. *per loca ſingula Presbyteros & Diaconos ordinauerunt, qui eos in verbo fidei & miniſterio baptizandi adiuuarent maximè in magno vico Duerſtat. Vbi*, nempe in Hollandia & Friſia, *per biennium prædicantes totum populum ad fidem perduxerunt Chriſti, ac phana idolorum commutantes in Eccleſias Chriſti, quinquaginta duas dedicauerunt Eccleſias parochiales, adiutorio Guntheri militis & aliorum amicorum.* Poſteà fines Francorum egreſſi Danis Euangelium Chriſti ET DANIA.
annuntiarunt. *Non ſolùm per Friſiam prædicauerunt & Thuringiam* (Surius perperam legit *Lotharingiam*, cuius nomen nondum audiebatur) *ſed & vſque in Daniam prædicando, populum multum, purgatum à barbarica gentilitatis idololatria, Orthodoxæ iunxerunt fidei. Cúmque ſic per aliquot annos feruenter Euangelici Pontifices & verbi Dei præcones pariter & continuè in diuerſis prouinciis Chriſtum annunciaſſent, redierunt & venerunt cum exultatione Traiectum* ad confratres & cooperatores verbi Dei, enarrantes illis, quanta Dominus per illos feciſſet.* Agemus de illorum reditu ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum, quo Synodum Traiectenſem celebrarunt. Vbi Surius *Lotharingiam*, Baronius [a] *Thoringiam* habet. Porrò Thuringiam interpretare Ciſrhenanam ſeu Thongriam quæ pars erat Epiſcopatûs Traiectenſis ad Moſam cui Lambertus Epiſcopus præerat; atque ad Lotharij Regnum, à quo nomen Lotharingiæ promanauit, poſteris temporibus pertinuit. Friſiæ vicinus erat Epiſcopatus Traiectenſis ad Moſam, vbi multa prædia poſſidebat degebátque frequentiſſimè Pippinus, ad quem prædictos Epiſcopos Willebrordum ac Suibertum ſæpè profectos eſſe conſtat. In vulgatis exemplaribus Hiſtoriæ Suibertinæ, prouinciis, quas prælaudati Pontifices adierunt erudierúntque, annumeratur Dacia, Baronius ad marginem ex alio Codice Daniam repoſuit. Baronianam lectionem ſecuti ſumus, quia, ætate ſancti Suiberti, Dacia prouinciam Pannoniæ conterminam ac Danubio flumini adiacentem ſignificabat, multóque ſeriùs Dacia pro Dania & Daci pro Danis vſurpari cœperunt. De Willebrordi profectione in Daniam, poſtquàm Friſonum ordinatus eſt Archiepiſcopus, teſtem locupletem habemus Alcuinum in eius vita. *Tentauit quoque idem vir Dei vltra Francorum Regni fines cæleſtis doctrinæ flumina deriuare. Nam tunc temporis Regem Friſonum Radbodum cum gente ſua paganum non timuit adire, & quocumque perrexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Friſonum Rex, licèt virum Dei humilitatis gatiâ benignè ſuſciperet, nullis tamen vitæ fomentis ſaxeum eius cor emolliri potuit. Cùm ergo apud eum vir Dei fructificare ſe non poſſe ſentiret, ad ferociſſimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum, vt fertur, regnabat Ongendus.* Friſia Franciam inter ac Daniam media tunc erat, versùs Auſtrum Franciam, Daniam Aquilonem versùs ſpectabat. Willebrordus è Francia primùm in Friſiam, deinde è Friſia in Daniam profectus eſt, quia, ne commoraretur in Friſia, prohibitus eſt à Radbodo Friſiorum Rege.

Hoc anno, qui poſt Odelardi Comitis mortem decimus-ſextus numera- IX.
tur, Berlendis eius filia, *tribus luſtris in aſperitate vitæ iam peractis*, inſigni miraculo recreata eſt in Solemnitate Paſchali, piſcis enim in carnem tunc illi mutatus aſſeritur. *Eâ*, inquit Auctor vitæ [b], *de die in diem proficiente & de virtute in virtutem aſcendente, tribus luſtris in aſperitate vitæ iam peractis, die Paſchalis Solemnitatis, contigit particulam piſcis illi ad menſam ſedenti apponi. Quæ (quod admirabile dictu eſt & quaſi incredibile) inter manus ipſius in carnem conuerſa, valdè eam perterruit, & cum vehementi ſtupore, miniſtro indignans*

R. 4.

* Vtrech.

[a] Ad an 697. n. 4.

[b] Ap. Bolland. d. 3. Febr.

BERLENDIS MIRACVLIS CLARET.

Digitized by Google

AN. CH. 698. CHILDEBERTI III. R. 4.

ait, Ignoſcat tibi Deus. Quare me ſic illudere voluiſti? Sciebas me carnem non comeſturam, & eam mihi appoſuiſti. Quo negante & obnixè iurante, intellexit hoc nutu Dei factum fuiſſe. Parúmque guſtauit, & à ſe ſubmouit, protinúſque à menſa ſurgens Eccleſiæ & orationi ad laudem ſui Creatoris ſe reddidit. Huic miraculo idem Auctor aliud proximè ſic ſubiungit. *Hoc etiam ſilentio ſupprimi indignum arbitror, quòd ille, qui ſeruos ſuos glorificare & magnificare numquam diſtulit, poculum aquæ quodam die ſolemni ſibi appoſitum, in vini ſaporem conuertit.*

X. His circiter temporibus, Tillo, qui & Paulus, Cellam prope Monaſterium Sollemniacenſe conſtruxit, in qua ſequeſtratus à fratribus reliquam vitam egit. Qua de re ſic Auctor vitæ [a]. *Sanctus ſentiens ſe ad ſenectutem propinquare, petiit beatum Abbatem Gundebertum, qui tunc Monaſterio præerat, vt propè Monaſterium, extra murum, Cellam in honore ſancti Eligij conſtrueret, vbi ſequeſtratus à fratribus Domino ſeruiret. Quam petitionem pius Abbas adimplens, quinque ſtadiis & fermè ampliùs à Monaſterio, Cellulam fieri fecit, vbi vir Dei Tillo orationi intentus numquam otium duxit, quo non aut lectioni vacaret, aut opus Chriſti perficeret, aut certè manibus aliquid operis perageret.* Variis inclaruit miraculis, quibus ſuperſedemus. Porrò Gundebertus ſeu Gundobertus locum inter Abbates Sollemniacenſes habet in Catalogo, quem Robertus & Sammarthani è Commentariis Ioannis Cordeſij publicarunt, eique proximè ſucceſſerunt *Salmon, Frotarius, Agiulfus, Ebulo Epiſcopus*, de quo poſt ſancti Ceſſatoris Epiſcopi Lemouicenſis obitum verba faciemus.

[a] Ap. Bolland. d. 7. Ian.

TILLO DEGIT IN CELLA PROPE MONAST. SOLLEMNIACENSE.

GVNDEBERTVS ABB. SOLLEMNIACENSIS.

XI. Ad hunc ſaltem annum peruenit Euſtadia ſiue Euſtadiola Bituricenſis Abbatiſſa, deceſſit enim ex hac vita ſexto Idus Maij, Roccone Bituricenſem Pontificatum iam adepto. Sedit Rocco ſeu Rochus annos quadraginta. Tanto temporis ſpatio id vnum de illo legitur, quod prædictam Euſtadiolam extra vrbem in Eccleſia ſancti Pauli ſepelierit. Sanctæ Euſtadiolæ vitam, quam Tomo ſecundo [b] iam citauimus, ex manuſcripto Codice Medij Monaſterij publicauit Philippus Labbeus [c]. In illa lucubratione hæc de prælaudatæ Abbatiſſæ ætate, obitu ac ſepultura ſcribuntur. *Iam tempus erat vt habitaculum ſuæ carnis relinqueret, nonaginta enim annorum ætatem & ampliùs habebat, & ad cæleſtem patriam migraret. Illuc igitur per opera bona feſtinans, cùm eſſet ſenex ac plena dierum, & ætatis ſuæ tempora conſummato ſplendore meritorum illuſtraſſet, cognouit horam exitûs ſui propinquare, & bonâ conſcientiâ illam exhilarante parata erat pulſanti Domino confeſtim aperire, ac Deo ex mente gratias agens & velut hoſpes nouus alienum habitaculum relinquens & ad propria vadens cum ipſarum actione gratiarum beatum exhalauit ſpiritum, qui Angelorum ſociatus choris cæleſtia regna petiuit, vbi inter ignitos lapides in cæleſtis Regis ornamento coruſcat. Igitur ex omni latere vrbis innumerabilium populorum vndique caterua confluxit, cúmque omnium eſſet infinitus animi mœror, Clericorum interruptis ſingultibus acedioſa lamentatio ſpiritales hymnos canere vix ſinebat. Intereà ventum eſt ad Baſilicam ſancti Pauli, quam ipſa dudum ſummo conſtruxerat niſu, vbi miro decore ſepulta cum glorioſo triumpho tempus Reſurrectionis expectat. Religioſus autem Bituriga vrbis Pontifex, Rocco nomine, qui enutritus in aula Regis fuerat, & in obſequio funeris B. Euſtadiolæ præſens aderat, teſtabatur ſe numquam vidiſſe tam immenſum fletum vel in obitu alicuius in Eccleſia Religioſi, vel in fine cuiuſlibet Regiæ poteſtatis. Vnde patet, hæc Dei famula quàm vtilis, quàm benefica fuit ſemper omnibus, quæ ſic amabatur & plangebatur ab omnibus. Lugebant abſentem quam non amiſerant ſed præmiſerant, ſed repentè variis infirmitatibus ſalutem reddendo ſe prodidit eſſe præſentem, dum per Dei gratiam frequenter ad ſuum venerabile ſepulchrum multis virtutibus miraculorum, vt ſol quidam, ipſa reſplenduit.* Varia ſubiiciuntur Miracula, quibus ſuperſedemus.

EVSTADIOLA ABBATISSA MORITVR.

[b] Ad an. 631. n. 25.

[c] Tom. 2. Biblioth.

SEPELITVR A ROCCONE EP. BITVRICENSI.

XII. Colitur ſancta Euſtadia ſiue Euſtadiola ſexto Idus Maias in Martyrologiis Gallicano & Benedictino. Tribus Titulis decoratur in Gallicano, dicitur enim *Deo ſacrata Virgo, fundatrix Medij Monaſterij, ac prima eiuſdem Ab-*

AN. CH. 698. CHILDEBERTI III. R. 4.

batiſſa. Monaſterium quidem condidit rexítque, ſed virgo non eſt appellanda, niſi virginis nomine, prout illud nonnumquam ab Auctoribus Eccleſiaſticis haud infimæ notæ vſurpatum obſeruauimus, Sanctimonialis intelligatur, priùs enim quàm ſeculo renuntiaret, viro nupſit, eique prolem peperit. Hæc ex eius vita conſtant. Monaſterij fundatrix ita probatur. *Monaſterium atque Cænobium dignum ædificauit ſibi ſuiſque puellis, & ex fœminarum ſexu iuxta normam Regulæ paratarum viuere magnum ibi incluſit agmen.* Abbatiſſa ſic. *Gaudebat Monaſterij mater Euſtadiola de ſancto ſtudio filiarum.* Vxor autem ac Mater ſic. *Parentes eius timentes, ne fortè recedentibus illis de mundo heres ſuccederet extraneus, cœperunt eam exhortari ac ei imperare, vt ad propagandum genus illorum nuberet, ingerentes ei dictum illud Apoſtoli; ſi nupſerit virgo, non peccabit. Erant enim opulentiſſimis valdè poſſeſſionibus atque facultatibus per Galliarum & Aquitaniæ fines nimiùm dilatati. Tamdiu ergo perſuaſerunt filiæ ſuæ, donec ipſa permiſit ſe viro legitimo ſociari, cúmque iuxta ſuos Natales ſortita eſſet honorabile connubium & thorum immaculatum, atque genuiſſet vnum ſolummodò filium, nomine Tetradium, vir eius finem vitæ præſentis faciens migrauit à ſeculo.* Et paulò pòſt. *Cùm morte viri ſui fuiſſet viduata & feruente mundi cupidine ad iterandum thalamum & opes & ætas eam vocarent, elegit magis ſpiritalibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur, ſed ad gaudia ſempiterna peruenitur, quàm carnalibus nuptiis ſubiici, quæ à lætitia ſemper incipiunt, & ad finem cum luctu pertingunt. Soluta enim à lege viri maluit Apoſtoli conſilium ſequi dicentis. Beatior erit, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium. Afflata ergo Spiritu Sancto, vt ſine mundi ſollicitudine eſſet & tota Chriſto militaret, abiecto ſeculari habitu, ſic in omnibus ſemetipſam Omnipotentis Dei ſeruitio mancipauit, vt propter Euangelium omnia ſua relinqueret.*

Hoc anno Bruno Metropolita Boioariæ, qui Diœceſes Laureacenſem & Patauienſem ſimul vnitas regebat, è vita migrauit nonagenarius, vt Wiguleus Hundius in Epiſcopis Laureacenſibus ac Patauienſibus, & Gabriel Bucelinus parte primâ Germaniæ Sacræ teſtantur. Agemus anno ſequenti de ſucceſſore. XIII. BRVNO METROPOL. BOIOARIÆ OBIT.

699. CHILDEBERTI III. R. 5.

ANNVS CHRISTI 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

ANNO Chriſti vndeſeptingenteſimo, Ærmenlandus Abbas Antrenſis, quem regnante Clotario Secundo in lucem editum notauimus, maior erat ſeptuagenario, víxque ad aliud tempus referri debent, quæ in illius vita narrantur ab Auctore ſynchrono. *Cùm ad ſenilem veniſſet ætatem, paruum Oratorium in honore Sancti Leodegarij Martyris iuxta fores Monaſterij ad Orientem vergentes * conſtruxit, in quo, relicto Paſtoralis curæ regimine, quod non ambitionis faſtu ſed neceſſitatis iniunctæ olim obedientiæ diu tenuerat, dans fratribus licentiam, vt vicarium ſibi Patrem, eius ſubſtituerent loco, ipſe deinceps ſe retruſit, vt ab omni non ſolùm ſuperfluæ quin etiam iuſtæ, quantùm fragilitas ſineret humana, neceſſitatis curæ inquietudine exutus, liberè in theoricis Domino ſoli vacaret ſtudiis. Relictâ igitur per Regis licentiam Monaſterij curâ ſine voluntate fratrum, qui de eius priuatione multo planxerunt tempore, cum quatuor fratribus idem ſitientibus votum in prædicta cella ſe reclaudens cæleſtibus inſeruiebat contemplationibus. Fratres autem ſibi Abbatem elegerunt, nomine Adalfredum, Regali annuente Præcepto, quorum electioni beatus Ærmenlandus, diuino cedens iudicio, intereſſe noluit.*

I. HERMELANDVS ABB. ANTRENSIS ABDICAT REGIMEN.

* Henſchen. *vergentis.*

SVCCEDIT ADALFREDVS.

Digitized by Google

AN. CH. 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

II. REOLVS EP. REMENSIS OBIT.

Obiit hoc anno Reolus Epiſcopus Remenſis, annos enim ſex ac viginti ſedit, vt in vita [a] ſancti Gundeberti legitur. Epiſcopatum variis reditibus auxit, ſic enim de illo Flodoardus [b]. *Hic partem villæ Ditiaci * poſitus in Epiſcopatu emit. Item manſum & campos in villari Berſiniaco *. Item manſos aliquot pluſquàm quatuor infra ciuitatem Remenſem à diuerſis perſonis & alia quadam. Item portionem de villa quæ dicitur Mons * Allonis. Item partes villarum Roſiaci & Popiaci, & alia nonnulla tam prædia quàm mancipia, eius temporibus tradidit vir illuſtris Waratus ad Eccleſias ſanctæ Mariæ & ſancti Remigij Remis; Cruciniacum * montem, Curbam * villam, cum Aciniaco * in pago Tarnodenſi. Quædam denique hic beatus Præſul Reolus ex rebus Eccleſiæ inuenitur cum quibuſdam perſonis commutaſſe, partium ſcilicet libratâ opportunitate.* Colitur [c] tertio Nonas Septembris.

[a] Ap. Renat. Benedict. d. 29. Apr.
[b] Lib. 2. c. 10.
* Dizy.
* Berſiny.
* Monſallon.
* Cruny.
* Couruille.
* Acini en Tardenois.
[c] Martyrol. Gallic.

III. EIVS LIBERI EX LEGITIMO TORO.

Reolus, vt Tomo ſuperiore iam notauimus [d], ex legitimo toro, priuſquàm Epiſcopus fieret, duas proles, Gedeonem & Odilam ſuſcepit. De Gedeone ſic loquitur Flodoardus [e]. *Reolus filium ſuum, nomine Gedeonem, de nepote ſancti Niuardi ſuſceptum, ibi*, id eſt, in Monaſterio quod beatus Niuardus apud Altum-Villare conſtruxerat, *Monachum fieri petiit, & rerum ſuarum partem ad idem Monaſterium condonauit.* De Odila ſic [f]. *Habuit* Reolus *filiam Deo ſacratam in Monaſterio, quod Ebroinus Sueſſionis conſtruxit, ſub ſancta Regula conuerſantem, nomine Odilam, quam ex legitimo ſuſceperat ante Clericatum matrimonio, cui villas quaſdam tam in pago Remenſi vel Bellonacenſi, quàm etiam in partibus Trans-ligeritanis eo tradidit iure, vt ad idem Monaſterium res ipſæ poſt eius deceſſum proficerent omni tempore.*

[d] Ad an. 673. n. 40.
[e] Lib 2. c. 7.
[f] Lib. 2. c. 10.

IV. RIGOBERTVS REOLO SVCCEDIT.

De beati Reoli ſucceſſore hæc inter alia idem Flodoardus [g]. *Domno Reolo beatus Rigobertus ſucceſſit in Epiſcopatu, eius, vt traditur, etiam carne propinquus, in Regione Ribuariorum nobili proſapiâ genitus; patre ſiquidem ex eodem pago, nomine Conſtantino; matre verò ex Porcenſi orta territorio. Vir piis moribus inſtructus & virtutum inſignibus adornatus. Qui nonnulla in Epiſcopio collapſa reperiens reparauit. Sed & Canonicam Clericis religionem reſtituit, ac ſufficientia victualia conſtituit; & prædia quædam illis contulit, necnon ærarium commune vſibus eorum inſtituit. Ad quod has villas delegauit: Gerniacam * cortem, Muſceium, Roceium, Vlſiniacum, Riuum, Curcellas *; Eccleſiam quoque ſancti Hilarij cum ſuburbio ad eam pertinente, ſcilicet vt in annua tranſitûs ſui die ſufficiens eis inde refectio pararetur; quæ ſupereſſent, ipſis communiter diuidenda cederent. Famulos quoque & eorum colonias ad neceſſaria Canonicorum ſeruitia deputauit, & eoſdem Chriſti pauperes rerum ſuarum hæredes fieri deſtinauit. Harum verò ſumma rerum in* XL *vel ampliùs manſos colligitur. Nonnullas etiam Epiſcopij villas, deſcriptis earum coloniis, ſeruitiiſque, ritè diſpoſuit. Res etiam, quibus Epiſcopium auxit, quaſdam dato pretio comparauit, vt villam nomine Cartobram * in pago Tardonenſi à Gumnoaldo, pro qua dediſſe traditur auri ſolidos quingentos, & in villa, cui nomen Turba *, manſos duos à diuerſis perſonis. Item portionem de villa quæ dicitur Campaniaca *, ſuper fluuium Vidulam, ab Hoſomo, pro qua dediſſe repetur in auro ſolid.* CXL. *Item à quadam conſobrina ſua nomine Gilſinda portionem de villa Bracaneto * ſuper fluuium Rotumnam cum mancipiis, ædificiis, & omnibus ad ipſam poſſeſſionem pertinentibus. Item ab eadem Gilſinda partem quandam de villa Bobiliniaca * ſupra fluuium Suippiam, cum domibus, mancipiis, campis, pratis, & ceteris ad eandem poſſeſſionem pertinentibus, pro quibus rebus in auro ſolidos centum inueniſſe dicitur. Quaſdam quoque res trans Ligerim non modico auri dato pondere reperitur emiſiſſe. Quædam quoque cum aliquibus perſonis inuenitur commutaſſe pro partium ſcilicet opportunitate.*

[g] Lib. 2. c. 11.
* Genicourt.
* Courcelles.
* Chartreuue en Tardenois.
* Tourbe.
* Champigny ſur la Veſle.
* Bricquenay ſur la Retourne.
* Boul ſur la Suippe.

V. Poſt beati Reoli mortem interpontificium aliquot annorum quidam collocant, quia Rigobertus teſte Flodoardo proximè citato *nonnulla in Epiſcopio collapſa reperiens reparauit.* Neque enim exiſtimant ſub ſanctis deceſſoribus Niuardo & Reolo diſciplinam adeò conſenuiſſe vt reformatione indiguerit, imò Rigobertum, Childeberto penè ad exitum Regni vergente, ad

Digitized by Google

Inſulas Remenſes promotum ex eo colligunt, quòd nullas Eccleſiæ Remenſi collatas ab eo Rege literas Flodoardus referat, ſoleat autem hic Auctor, ex Regiis Chartis, Epiſcoporum Remenſium tempora definire. Non aliter cenſet Scriptor vitæ, quem Bollandus [a] ex Codice manuſcripto S. Mariæ Boniſontis euulgauit. *Quoniam hoc*, inquit *obeunte*, nempe Reolo, *neſcitur quot annis Paſtore vacauerit Sedes Remenſis, pleraque in loco erant collapſa, quæ fuerant præcedentium Patrum ſtudio & vigore fundata, quæ cuncta vir iſte glorioſus & prudentiſſimus* Rigobertus *in priſtinum celeriùs reparauit ſtatum. Nam Canonicam Clericis Religionem reſtituit*, &c. Sed nihil vetat, quominùs Canonicos ſub præcedentibus etiam Epiſcopis à priſca inſtitutione multùm deflexiſſe ſuſpicemur, vel ob bellorum motus, quibus optimè conſtituta peſſum ire conſueſcunt, vel ob defectum peculiaris dominij, nam torpor & ſegnities ex penuria facilè irrepit. Quapropter apud Flodoardum, cui potior quàm prædicto Anonymo fides haberi debet, Rigobertus *Canonicam Clericis religionem reſtituit ac ſufficientia victualia conſtituit.* Certè nullum apud Flodoardum occurrit interpontificij veſtigium. Sancto Reolo in Epiſcopatum Remenſem ſuccedit [b] Rigobertus, & Leudemaro Abbate paulò pòſt mortuo fit etiam Abbas [c] Orbacenſis in Diœceſi Sueſſionenſi.

AN. CH. 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

[a] d 4. Ian.

ABSQVE INTERPONTIFICIO.

[b] Flodoard. lib. 2. c. 11.

[c] Flodoard. lib. 2. c. 10.

VI.

Etſi Flodoardus nullam Childeberti Regis mentionem in Rigoberti Antiſtitis encomio faciat, in dubium vocari non poteſt, quin Rigobertus regnante Childeberto Tertio Pontificatum inierit. *Fuit*, inquit Auctor vitæ à Bollando publicatus, *in diebus Childeberti, Dagoberti, Chilperici, Regum Franciæ, vir Dei Rigobertus, vrbis Remenſium mirificæ ſanctitatis Archiepiſcopus.* Childebertus annis ſeptemdecim Regnum tenuit, ab anno videlicet Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ad annum eiuſdem Incarnationis vndecimum ſupra ſeptingenteſimum. Qui Rigobertum poſtremis Childeberti Regis temporibus Pontificem factum contendunt, id agunt eo tantùm conſilio, vt poſt beati Reoli mortem interpontificium multorum annorum ſtatuant. Rationem autem, propter quam ſe fatentur adductos, vt Eccleſiam Remenſem Paſtore diu caruiſſe ſcribant, exploſimus ſuprà. Georgius Coluenerius in Catalogo Epiſcoporum Remenſium & Guilelmus Marlotus in Hiſtoria [d] Metropolis Remenſis Rigobertum illius Eccleſiæ regimini admotum volunt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto. Diſcrepamus integro triennio, quia Reolus, cui Rigobertus nullâ intercedente morâ ſubrogatus eſt, ſedit annos viginti ſex, & ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-nonum peruenit.

REGNANTE CHILDEBERTO III.

[d] Lib. 2. c. 45.

VII.

Quæ ſuperiùs deſcripta ſunt ex Flodoardo, fuſiùs in vita ſancti Rigoberti à Bollando publicata enarrantur, nec vno eodémque geſta ſunt anno, quapropter de nonnullis copioſiorem iterum ſermonem faciemus. Hic autem ad Rigoberti commendationem id vnum obſerua, quod, vt in eius vita legitur, *primus Remenſium hic Epiſcopus fertur commune eis*, nempe Canonicis, *inſtituiſſe ærarium, generaliter illorum vſibus in ſecula profuturum*, imò reuerà teſte Flodoardo, cuius potior eſt auctoritas, ærarium huiuſcemodi inſtituit, &, vt Marlotus optimè notat, *palmam meritò aliis præripuiſſe cenſendus eſt, qui ſimili per Galliam reformationi* Canonicorum *incubuerunt.* Vtrùm ad Rigoberti Pontificatum peruenerit Doda Abbatiſſa ſancti Petri, non liquet. De illa iam actum Tomo ſuperiore [e]. Remenſe Monaſterium ſancti Petri poſt ſanctam Bouam amitam gubernauit. *Præceptum immunitatis à Principe Pippino*, vt Flodoardus loquitur [f], *eidem obtinuit fieri Cœnobio*, id eſt, à Pippino tum Maiore domûs Regiæ per vniuerſam Franciam, ſiue poſt prælium Textricianum, quod anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo commiſſum eſt. Colitur ſancta Doda cum ſancta Boua Remis octauo Kalendas Maij.

ÆRARIVM COMMVNE CANONICIS INSTITVIT.

[e] Ad an. 673. n. 40.

[f] Lib. 4. c. 38.

DODA S. PETRI ABBATISSA REMIS.

VIII.

Hoc anno Bonitus Aruernenſis Epiſcopus ſponte Pontificatum abdicauit. Cur id conſilij ceperit, duæ potiſſimùm rationes afferuntur. Verebatur ne ſua electio, quam Auitus deceſſor ac frater procurarat, ſacris legibus &

BONITVS EPISC. ARVERN.

Digitized by Google

AN. CH. 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

ſancitæ à Patribus diſciplinæ non ſatis conſentanea fuiſſet; deinde remotioris ac tranquillioris vitæ ſtudio tenebatur. Talis deſcribitur ab Auctore vitæ coætaneo [a], *timens* videlicet, *ne qui à præfato eius germano* Auito *per donum ſicut acceperat, graue ſibi eueniret iudicium, necnon plùs Apoſtolicam ſequi deſiderans ſectam, qui derelinquentes patrem cum retibus cæleſte Regnum mercati ſunt.* Explodendus igitur Petrus Damiani, qui ſcriptis ad Nicolaum Secundum & Alexandrum Secundum Romanos Pontifices epiſtolis [b] Bonitum laudat, quòd Cathedram contempſerit, atque ad remotioris vitæ cuſtodiam ſe protinus contulerit *hac duntaxat occaſione perceptâ, quoniam de manu Regis, laici videlicet hominis, traditionem Eccleſiæ eum ſuſcepiſſe contigerat.*

[a] Ap. Bolland. d. 15. Ian. [b] Epp. 9. 10.

IX. Antequàm Diœceſeos curam dimitteret, Tillonem in Cella prope Sollemniacum tunc degentem conſuluit. In itinere Symmionenſe Monaſterium adiit, & ab illius loci fratribus officioſiſſimè ſuſceptus eſt, vt in eius vita commemorat Auctor coætaneus, qui vitam illic Monaſticam duxit. *Pergit ad quemdam opinatiſſimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, vt ab eo accepto conſilio, voto compleret quod mente conceperat. Quò cùm pergens Sollemniacenſe tenus, perueniſſet Symmionem, hoc Monaſterium, miro cum gaudio à fratribus, atque officioſiſſimè ſuſceptus eſt. Quo ducto ad præfatum virum Dei, magnam habentes inter ſe collationem peruenerunt ad id vnde Dei Sacerdos agebat. Percunctantes vtrobique Sancti Spiritûs igne ſuccenſi, altiori arrepto conſilio, nihil, inquiunt, melius, quàm quod temerè contra ſancta Canonum inſtituta vſurpatum eſt, declinando poſtponi. Et ille non immemor Euangelici Præcepti pollicentis. Qui reliquerit domum, aut agros, & omnia quæ poſſidet, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Tunc apud ſe ipſe definiuit, vt non ſolùm Sedem, ſed etiam patriam, parentes, res omnes exulando relinqueret.* Hæc verba ſuperiùs recitata, *Symmionem, hoc Monaſterium*, innuunt Auctorem, cùm ſcriberet, Symmionenſem ſeu Symnionenſem vel Sommonenſem Monachum fuiſſe. Patriâ ſe Aruernum oſtendit in pluribus locis & oculatum teſtem multarum rerum, quas Bonitus Pontifex in Aruernica Diœceſi piè geſſit. Calamo manum admouit impulſus hortationibus beatiſſimorum Patrum, vt appellat, Adelphij & Euteri ſiue Eucherij, quos Cæſar Baronius [c] Epiſcopos perperam vocat, Abbates enim fuerunt non Epiſcopi, vt inferiùs patebit de Adelphio, qui Boboni in regimen Magnilocenſis Monaſterij ſucceſſit. Cui Cœnobio præfuerit Eucherius, haud adeò facile eſt affirmare, ſed ſi Monachus Symmionenſis fuit is qui vitam ſancti Boniti retulit in literas, admodum probabile videtur Eucherium eiuſdem Aſceterij Abbatem in Epiſcopatu Aruernico extitiſſe.

TILLONEM CONSVLIT.

[c] Ad an. 704. n. 1.

X. Falluntur qui Tillonem in textu proximè citato Symmionenſem * Abbatem exhiberi putant. Tillo poſt ſanctum Remaclum ab anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum Solemniacenſis Abbas in Epiſcopatu Lemouicino fuit, relicto Solemniaco profectus eſt in Aruerniam, ibíque ſolitariam vitam egit, donec ab aduenis vndique confluentibus humiliter rogatus nouum extruxit Cœnobium, cui nomen Braggecte, vbi munus Abbatis per multos annos obiit; priuatam deinceps vitam cùm in Monaſterio Solemniacenſi, tum in Cella prope idem Cœnobium geſſit; Symmione verò nuſquam degit. Huius loci mentio fit in vita ſancti Boniti, non quòd illic Tillo vitam duxerit, ſed quòd illac Bonitus Epiſcopus tranſierit, cùm proficiſcebatur Sollemniacum, vt Tillonem inuiſeret conſuleretque. Monachus enim Symmionenſis, qui geſta ſancti Boniti conſcripſit, iure vituperio ſe putauit obnoxium, niſi eundem Bonitum in Monaſterio Symmionenſi *miro cum gaudio atque officiſiſſimè* ſuſceptum teſtaretur.

* *De Sommon.*

XI. Bonitus Epiſcopus apud Solemniacum miraculis inclaruit. *Cùm Reſurrectionis Dominicæ illuxiſſet dies, eum fratres petierunt, vt ei Miſſarum ageret ſe-*

CLARET MIRACVLIS.

Digitized by Google

lemnia. Sed dum, vt moris eſt, manus ad altare latice ablueret, quidam frater incommodus, nomine Auderamnus, aduenit, & ipſe Leuitam petiit, vt ex Sacerdotis manibus aquam ei ad bibendum præberet. Quâ hauſtâ ſaluti priſtinæ reſtitutus eſt, ſtatímque cum fratribus lætus ſedit ad menſam. Sed & alium itidem in eodem Monaſterio frâtrem, nomine Natolenum, cùm ex eadem aqua accepiſſet, quamplurimi eum à vi febrium aiunt eſſe ſaluatum. Diaconus, qui Bonito Epiſcopo tunc aſſiſtebat, non alius fuit ab Adelphio, qui poſteà Boboni ſucceſſit in regimen Monaſterij Magnilocenſis, & Monachum Symmionenſem ſuprà laudatum hortatus eſt, vt ſancti Boniti vitam in literas referret. Hæc enim in eadem vita leguntur, vbi narratio prædictorum miraculorum texitur. *Venerabilis Pater Adelphius, tunc Leuita, ſed nunc præfati viri Dei Bobonis, cuius ſuperiùs fecimus mentionem, ſucceſſor Monaſterij Magnilocenſis, eo tempore coram altari viro Dei* Bonito Epiſcopo *aſſiſtens Diaconi fungebatur officio.* AN. CH. 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

Bonitus Sollemniaco egreſſus, cùm in Aruerniam rediret, in itinere claudum, duóſque dæmoniacos tactu curauit. Apud exteras etiam nationes famâ miraculorum celeberrimus fuit. In Britannia, *mulier quadam erat, nomine Blanda, quæ dudum lumen oculorum amiſerat, necnon manuum ac pedum officio deſtituta manebat. Quadam namque die, cùm gentis ſuæ peregrini in domo eius hoſpitalitatis gratiâ declinaſſent, & eam ita corporis difficultate laborantem cernerent, aiunt ad eam. O mulier, ſi adſertioni noſtræ accommodares fidem, vt beati Boniti Aruernicæ vrbis Epiſcopi interuentionem apud Deum commendares, nos credimus, nec dubium eſt, quia vir ſanctus poteſt apud Dominum tuum hunc alleuiare laborem. At illa hoc audito gauiſa ſermone, foras ſe in remotiorem locum duci præcepit, ſtatímque vt ex oratione è terra ſurrexit, lumen oculorum ac membrorum recepit ſanitatem. Vidénſque erga ſe ob viri Dei meritum Domini tantæ pietatis ineſſe meritum, relicto proprio ſolo, parentibúſque, ſuíſque omnibus, ad beatum virum Aruernorum glebâ tenus peruenit. Cúmque propter vrbem penè iam peregrina graderetur, vir Domini inopinatus ei obuiam factus eſt. Ipſe autem Rubiacenſe* * *Cœnobium, quod hinc indéque montibus ſeptum ab Oriente pandit aditum, & haud procul eminet vrbi, viſendi gratiâ, conſulendíque adire properabat. Mulier in ipſo itinere, humili eum atque ſupplici voce compellans, ſe peregrinam & ob eius famam aduenisse prædixit. Cúmque ille, vt ei moris erat, indigentem cognouiſſet, paullulùm ſubſtitit, & quid vellet requiſiuit. At illa aduentûs ſui cauſſam per ordinem pandit, eúmque ſuæ ſalutis apud Omnipotentem Dominum auctorem declamat. Ille eius fidem atque deuotionem miratus, eam ſecum ad Monaſterium ire præcepit, atque Matri ipſius Monaſterij tradens ſuæque nepti in cœtu Virginum commendauit. Vbi aliquandiu degens poſt diſceſſum beati viri ad proprium repedans ſolum, id eſt, ad Britannicum rus regreſſa eſt.* Rubiacum, quod olim fœminarum celebre Monaſterium fuit, hodie Prioratus eſt Ordinis Benedictini, vt Robertus in Gallia Chriſtiana teſtatur. XII.

* *Royac.*

Reuerſus ad Sedem ſuam Bonitus *ſanctum Dei virum induſtrium atque excellentiſſimum Genealogiæque nobilis apice clarum Nodobertum petiit, vt ſibi ſucceſſor, plebiſque ſibi commiſſæ exiſteret rector, atque patriæ tutor, ſuo robore Deo iuuante conſtanter maneret. Qua de re ad Principem Regni dignos tali opere cum plebis Eccleſiæque conuenientia dirigit Oratores, id eſt, Cantinum Archileuiticæ miniſtrum, necnon reliquos eius dignos itinere comites aptauit. Qui cum ſuæ petitionis effectu ad virum Dei regreſſi, eum magno cum fauore cunctorum ſanctus Sacerdos ſuæ Cathedræ ſolio ſublimauit. His ita peractis, vir Domini in Magnilocenſi Cœnobio ſub ſancto habitu atque cultu, ſicut ſemper optauerat, aliquantùm temporis deguit.* Hæc Auctor vitæ. XIII. ABDICAT EPISCOPATUM. SECEDIT IN MONAST. MAGNILOC.

Exiſtimamus Bonitum toto anno ſequenti & ampliùs in Monaſterio Magnilocenſi manſiſſe, deinde anno Chriſti ſeptingenteſimo primo abiiſſe Lugdunum, atque in Cœnobio Inſulæ Barbaræ aliquantulùm demoratum eſſe, tum profectum in Italiam, ſuíſque precibus Ariperto Longobardorum Regi victoriam obtinuiſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo, vt XIV.

Digitized by Google

AN.CH. ad illum annum fuſè accuratéque probabimus. Atque hæc eſto ratio noſ-
699. træ Chronologiæ.

CHILDEBERTI III. R. 5.

XV. Guillelmus *de la Croix*, Acta Cadurcenſium Epiſcoporum conſcripſit, ſed à recta Chronologia plurimùm aberrauit, vbi Capuanum [a] quinto ſeculo floruiſſe, & ab anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo ad annum vſque Chriſti quadringenteſimum octogeſimum ſediſſe dixit. Duo de Capuano certa credimus & indubitata; primum quòd ſancto Deſiderio in Epiſcopatum Cadurcenſem anno Chriſti ſexcenteſimo vndequinquageſimo ſucceſſit; alterum quòd diuturno gauiſus eſt Pontificatu, quia puerum erudiuit & ad Diaconatum promouit Sacerdotem, qui poſteà factus Epiſcopus Lemouicenſem Diœceſim ſub Chilperico Tertio Rege gubernauit, obiítque ſuperſtite in viuis matre Mundana, quæ Martyrium in perſecutione Vandalica ſeu Saracenica conſummauit. Si Capuanus annos duntaxat quadraginta ſedit, ex hac vita migrauit anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, ſed vt illum anno Pontificatûs circiter quinquageſimo, ſiue anno Chriſti circiter vndeſeptingenteſimo, mortuum cenſeamus, monet nos tempus, quo Mundana Sacerdotis anteà defuncti mater palmam Martyrij conſecuta eſt. Guillelmus Crucius, quem nonnulli ſequuntur, Capuani Pontificatum annis quadraginta circumſcribit. Vt id præſtet, nulla Scriptoris auctoritate permouetur, talémque Chronologiam eo tantum init conſilio ne totidem annorum Interpontificio Cadurcenſis Eccleſia per quintum ſeculum laborare videatur. Mundana ſancti Sacerdotis mater à Saracenis enecata lauream Martyrij promeruit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto. Sacerdos eius filius, ſi ſuperſtes in viuis tunc fuiſſet, annum ætatis iuxta noſtram computationem expleuiſſet quinquageſimum quintum. Id autem multò probabilius eſt, quàm ſi Mundana dicatur Martyrium paſſa, cùm perueniſſet ad ætatem adeò decrepitam, vt nato filio nomen matris ante annos ſexaginta-quinque adepta eſſet. Ea nos ratio potiſſimùm induxit, vt Sacerdotis ortum in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum reiiceremus.

[a] Nu. 28. 29.

CAPVANVS EPISC. CADVRC. OBIT.

XVI. Monachum agebat in Calabrenſi Monaſterio Sacerdos Diaconus, cùm Capuanus Cadurcenſis Epiſcopus ex hac vita diſceſſit. De Sacerdote ſermo non ſemel recurret. De Capuano id vnum reſtat obſeruandum, quòd Sanctus in vita ſancti Sacerdotis appellatur, necnon in Breuiariis Lemouicenſi ac Petracoricenſi, quæ Guillelmus Crucius allegat. Epiſcoporum autem, qui proximè ſucceſſerunt Eccleſiæque Cadurcenſi præfuerunt, exciderunt nomina.

XVII. Hic eſt Hattæ primi Abbatis Vedaſtini annus decimus-quintus, quo *Præfecturâ Monaſterij* Blandinienſis ſeu *ſancti Petri ad muros vrbis Gandenſis auctus* ſic aſſeritur apud Aubertum Miræum in Originibus [b] Benedictinis. *Temporibus Vindiciani Epiſcopi & duodecimo anno Theodorici Regis*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quinto, *creatus eſt primus Abbas Hatta vir imprimis religioſus, ac prudens, qui poſt annum decimum-quintum regiminis, Præfecturâ Monaſterij ſancti Petri ad muros vrbis Gandenſis auctus eſt.* Ferreolus Locrius in Chronico Belgico [c] & Antonius Sanderus in Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ, quinquennem Monaſterij Blandinienſis adminiſtrationem Hattæ tribuunt, eúmque ſcribunt è viuis ſublatum, cùm *à ſuſcepto beati Vedaſti regimine, viceſimum-primum; Diui Petri, quintum annum* ageret. Abbatem factum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, mortuúmque anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo putant. At annus Theodorici Regis duodecimus, qui primus Abbatis Hattæ fuit, cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto coincidit. Deinde Hatta non fuit Abbas Blandinienſis. Abbatum enim Blandinienſium, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum [d] iam dictum eſt, Catalogus ad expulſionem vſque Cæleſtini ſic inſtitui debet, ſanctus Florbertus, ſanctus Ioannes,

ABBATVM VEDASTINORVM CHRONOLOGIA.

[b] Cap. 5.

[c] Ad an. 710.

[d] Num. 41.

Digitized by Google

AN. CH. 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

Ioannes, Baudemundus, Ferrecus, Cæleſtinus, itaut interſtitium annorum duorum & quadraginta, quod ab obitu ſancti Ioannis ad exauctorationem vſque Cæleſtini, ſiue ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum effluxit, tres poſteriores Abbates, Baudemundus, Ferrecus & Cæleſtinus occupent.

XVIII. Super Hadulpho Abbate, qui Monaſterium Vedaſtinum poſt Hattam rexit, maior eſt difficultas. De illo ſic Auctor [a] Chronici Vedaſtini. *Scribunt Epiſcopum duodecim, Abbatem vndeuiginti egiſſe annis.* Quem textum Molanus [b] in Natalibus Sanctorum Belgij, Gazetus in Atrebatenſium Epiſcoporum Catalogo, Locrius in Chronico Belgico, Coluenerius [c] in notis ad Chronicon Cameracenſe, Sammarthani in auctiore Gallia Chriſtiana ſic interpretantur, vt Hadulphum aſſerant factum Abbatem Vedaſtinum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo, deinde Atrebatenſem Epiſcopum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, & ex hac vita ſublatum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-nono, poſtquàm Monaſterium annis vndeuiginti, Epiſcopatum vnà cum eodem Monaſterio duodecim annis gubernaſſet. In Annalibus Petauianis, quorum potior auctoritas, quia deſinunt in anno Chriſti octingenteſimo, mors Hadulphi non reiicitur in annum Chriſti ſeptingenteſimum vndetriceſimum, ſed ad præcedentem ſic refertur. *Anno* DCCXXVIII. *Item Carolus fuit in Saxonia & Hadulfus Epiſcopus mortuus eſt.* Ab anno igitur Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, quo factus eſt Hatta primus Abbas Vedaſtinus, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodetriceſimum, quo beatus Hadulphus in cælum migrauit, Monachis Vedaſtinis duo tantùm prædicti præfuerunt Abbates Hatta & Hadulphus. Reſtat vt annum inueſtigemus, quo Hadulphus Hattæ ſucceſſit.

XIX. Chronico Vedaſtino accuratè examinato, nullam faciliorem commodiorémue nacti ſumus interpretationem, quàm ſi Hattam Abbatem, cuius primus annus cum anno duodecimo Theodorici Tertij Regis, id eſt, cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, coincidit, hoc anno, regiminis ſui decimo-quinto, quo factum quoque Blandinienſem Abbatem plerique finxerunt, mortuum affirmaremus; & hunc eundem annum, qui poſt Chriſtum natum eſt vndeſeptingenteſius, Abbatis Hattæ poſtremum, primum Hadulphi ſucceſſoris nuncuparemus. Habitâ enim huiuſce calculi ratione, annus Abbatis Hadulphi decimus-nonus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo illigabitur, idémque ſi primus numeretur Epiſcopatûs ab eodem Hadulpho ſuſcepti, certè duodecimus annus eiuſdem Epiſcopatûs cum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodetriceſimo componetur. Sic de Hatta Abbate aſſerentur tria, quòd anno Theodorici Regis duodecimo factus ſit Abbas Vedaſtinus ex Monacho Blandinienſi, quòd annis quindecim Monaſterium Vedaſtinum rexerit, quódque Cœnobij Blandinienſis regimini nuſquam admotus ſit. Sic & de Hadulpho ſucceſſore iuxta Chronici Vedaſtini fidem duo pronuntiabuntur, quòd *Abbatem* Vedaſtinum *vndeuiginti annis*, quòd *Epiſcopum* Atrebatenſem & Cameracenſem *duodecim annis* egerit Abbatiali Præfecturâ Cœnobij Vedaſtini neutiquam dimiſsâ. Denique ſic & Annalibus Petauianis, quod obſeruandum maximè putamus, ſua ſtabit auctoritas, & anno Chriſti ſeptingenteſimo duodetriceſimo mors Hadulphi rectè conſignabitur.

XX. Obiit igitur hoc anno Hatta primus Abbas Vedaſtinus. Super die mouetur controuerſia, *Kalendis Februariis* mortuum dicit Ferreolus Locrius [d], Claudius *Deſpretz* apud Coluenerium [e] *die* 17. *Ianuarij*. Locrio, quia Chronicon Vedaſtinum legit, lubenter aſſentimur, Deſpretzio non ita fidimus, quia multa fabuloſè de eodem Hatta ſcripſit in encomio ſancti Vindiciani, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quintum examinabimus.

HATTA ABB. OBIT.

XXI. SVCCEDIT HADVLPHVS.

Hadulphus Hattæ in Abbatiale munus ſucceſſit ex Præpoſito eiuſdem loci ſi Deſpretzio fides adhibetur. Hic autem eſt Hadulphus, *quem* teſte

[a] Ap. Locrium ad an. 717.
[b] d. 19. Maii.
[c] Ad cap. 35. lib. 1.
[d] Ad an. 710.
[e] In not. ad cap. 28. lib. 1. Chron. Camerac.

Digitized by Google

AN. CH. 699. CHLIDEBERTI III. R. 5.

[a] Lib. 1. c. 34.

FILIVS S. RAGNVLFI MARTYRIS.

Balderico [a] Chronographo Cameracenſi, *aſſerunt quidam filium fuiſſe ſancti Ragnulſi Martyris, de quo* Ragnulfo *hi, qui* temporibns eiuſdem Balderici *ſuperfuere fideles, teſtati ſunt multa ſe ad ſepulchrum eius vidiſſe miracula.* Memoriam eiuſdem Martyris celebrat Vſuardus ſexto Kalendas Iunij, & ad iſtum diem præter illa quæ ſuprà ex Balderici Chronico deſcripſimus, hæc habet Molanus. *In territorio Adartenſi ſancti Ragnulphi Martyris. Qui pater (vt fertur) ſancti Hadulphi Epiſcopi Atrebatenſis, ab Vſuardo notatur ſexto Calendas Iunij. Quibus Calendis Atrebatenſe ſancti Vedaſti Monaſterium, in quo requieſcit, memoriam eius celebrat duodecim lectionibus, ſed de communi ſumptis. Conſtat autem eum paſſum eſſe in Telu, villa ſancti Vedaſti, quæ Latinè dicitur Telodium *. Ceterùm in Diœceſis Atrebatenſis Breuiario ponitur quinto Iduum Nouembris. E quibus colligo ab Vſuardo notatum eſſe diem Natalitium, Diœceſim tamen Natalem celebrare in die eleuati corporis. Nam id aliàs ſæpè vſu venit.*

* *Teluch lez Arras.*

XXII. Hoc anno, cùm Hadulphus in Abbatem Vedaſtinum promotus eſt, Atrebatenſi Diœceſi præerat Vindicianus Epiſcopus, currebátque litera Dominicalis E. Quapropter inter multa, quæ de eodem Hadulpho Deſpretzius in encomio ſancti Vindiciani ſcripſit, hæc non improbamus. *Defuncto Hattâ, per S. Vindicianum ſubrogatus eſt in locum eius ad regendum S. Vedaſti Monaſterium S. Hadulphus, Præpoſitus eiuſdem loci, conſecratus ab eo die 31. Auguſti.* Nihil enim obeſſe potuit, quominùs Vindicianus Atrebatenſis Epiſcopus Hadulphum Hattæ Vedaſtino Abbati mortuo ſubrogaret, cúmque benediceret in Abbatem pridie Kalendas Septembris, die Dominico. Sed id negamus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo contigiſſe, licèt annus ille literam quoque Dominicalem habuerit E, citiùs enim obiit Vindicianus Epiſcopus, qui Pontificatum gerere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo, ſeditque annos duntaxat ſex & triginta, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quintum dicturi ſumus.

XXIII. Clerus Veſontionenſis, qui ſub duobus Epiſcopis, Felice videlicet & Tetradio, plurimas ſordes contraxerat, priſtinum tandem ſplendorem recuperauit ſub Albone, qui Tetradio in Epiſcopatum hoc circiter anno ſucceſſit. Hanc morum in Canonicis Veſontionenſibus mutationem ſic exponit Anonymus apud Ioannem Iacobum Chiffletium in Hiſtoria [b] Veſontionenſi. *Hæc fratrum* ſeu Canonicorum *miſera conuerſatio, temporibus iſtorum duorum Pontificum* Felicis & Tetradij, *incorrecta perdurauit, vſquequò Deus, quia tempus miſerendi eius venerat, ſuper his dignatus eſt nunc prouidere. Deſtinauit enim quemdam iuuenem, Albonem nomine, Chryſopolitanæ*, id eſt, Veſontionenſis, *Eccleſiæ Canonicum, qui aliorum non conſentiens ludibrio, ſanctæ conuerſationis ſtudium quæſiuit. Hic vir, genere nobilis, ſed fide & religione nobilior exſtitit: tantâ enim abſtinentiâ, labore & vigiliis corpus ſuum attriuit, vt grauiſſimâ & ferè continuâ ægritudine languens, Conuentum ſequi vix poſſet. Qui vitæ huius naufragia volens euitare, ad Monaſterium Luxouienſe ſe tranſtulit, vbi ab Abbate & fratribus loci benignè receptus eſt. Albo, quem diuina inſtruxerat benignitas, conſideratis Religionis & Ordinis circumſtantiis, modum tam ſagaciter retinuit, vt Adonus Prior dicti Monaſterij, ſanctitate & virtutibus quamplurimùm adornatus, & fratres dicti Monaſterij ipſum gratanter retinuiſſent (ſi voluiſſet) pro ſuæ humilitatis & modeſtiæ ſtatu. Sed ille quem Deus ſuæ Eccleſiæ Paſtorem prauiderat, ad recuperandam Eccleſiam Chryſopolitanam, & fratres eius, qui in tam prauo ſtatu conſtituti erant, acceptâ à Priore & fratribus licentiâ, ad dictam Metropolitanam Eccleſiam remeauit. Intereà Tetradius tyrannus (his ita peractis) venationibus inſeruiens, ab apro percuſſus moritur. Adeptus igitur Albo, conſentientibus ciuibus, Pontificatûs officium, fratres alloquitur, eiſque verbis benigniſſimis quid Luxouij didicerat indicauit, &, vt more illorum Religioſorum viuerent, ammonuit. Qui, quia conſuetudo altera eſt natura, reſponderunt ſe non aliter velle viuere, ſed ſicut conſueuerant orabant vt eos victitare permitteret. Videns autem Albo ſe nihil proficere, Abbatem Luxouienſem cenſuit conſulendum. Abbas verò vi-*

[b] Part. 2. n 31.

ALBO EP. VESONTION.

Digitized by Google

dens eum zelo Dei duci, ad eius roborandam bonam voluntatem, dictum Priorem Luxouienſem Adonum, ſuâ fultum auctoritate, eidem Archiepiſcopo dedit adiutorem. Venientes igitur ad noſtram matrem Eccleſiam præfati Archiepiſcopus & Prior, fratres ſatis aptè ſunt alloquuti, nunc quidem blanditiis, nunc verò terroribus, vt à diſſolutione ſua diſcedendo, ſe regulari diſciplinæ ſubmitterent, hortabantur. Qui omnino nec poteſtate, nec minùs molliri potuerunt, ſed moti ad contumelias deuenerunt. Quod cùm viderent Archiepiſcopus & Prior (ſcilicet ipſorum pertinaciam & duritiam cordis) propoſuerunt illis vnum de duobus eligendum; aut obediendo mandatis Regulæ, Deóque ſeruiendo in Monaſterio diſciplinatè viuerent, aut de Monaſterio exeuntes, quamcumque viam ſibi viuendi ſumerent. Quod illi audientes, quatuor ipſorum ſimpliciores, ſe ditioni Archiepiſcopi ſubdiderunt; alij ſtoliditate tumentes, & in ſua iuuentute confidentes, viam latam, quæ ducit ad mortem, aggreſſi ſunt. Ordinatis denique fratribus, & regulari diſciplinæ reſtitutis, Adonus Prior valedicens Archiepiſcopo, ad propria reuerſus eſt.

AN. CH. 699. CHILDEBERTI III. R. 5.

XXIV. DVPLEX GENVS CANONICORVM

Vt hunc textum probè intelligas, duo diſtingue genera Canonicorum, alij Regulares dicebantur, alij Seculares ſeu Proprietarij. Regulares inſtar Cœnobitarum viuebant; illis menſa, veſtitus, ceteráque erant communia; nemo quidquam proprium poſſidebat, loco vbi manebant, & Baſilicæ cui ſeruiebant, nomen Monaſterij tribuebatur. Proprietariis aliud erat vitæ genus ídque remiſſius, ſinguli enim ſuos habebant reditus, quibus vtebantur vt volebant. Duplex illud Canonicorum genus optimè diſtinxit Ioannes Iacobus Chifflетius, cùm obſeruauit [a] tantam Felicis Epiſcopi Veſontionenſis vel incuriâ vel prauo exemplo irrepſiſſe in Canonicos morum licentiam, *vt non modò ſub eo, ex Regularibus ac vitæ communi addictis, in Proprietarios*, quod tolerandum erat, *ſed etiam è caſtis in obſœnos, ex piis in ſacrilegos, ex Clericis demum in milites euaſerint.*

[a] Part. 2. n. 29.

XXV. ABBATES LVXOVIENSES.

Abbas Luxouienſis, quem Albo factus Epiſcopus conſuluit, non alius eſt à Sayfario, qui Priorem Adonum, virum *ſanctitate & virtutibus* adornatum, vt nouum Pontificem in bona voluntate roboraret adiuuarétque, Veſontionem direxit, Abbatem ex Priore paulò pòſt futurum. In Catalogo enim Luxouienſium [b] Abbatum poſt Ingofridum, cuius mentionem ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [c] Tomo ſuperiori fecimus, quatuor hi proximè nominantur, Cunctonus, Ruſticus, Sayfarius, Adonus.

[b] Tom. 4. Gall. Chriſt.
[c] Nn. 43. 44. 47.

XXVI. THEODORVS EP. LAVREAC. ET PATAVIENS.

Wiguleus *Hund* à *Sultzenmos* in Metropoli [d] Saliſburgenſi, vbi Catalogum Epiſcoporum Laureacenſium & Patauienſium exhibet, de Theodoro Brunonis anno præterito mortui proximo ſucceſſore ſic ſcribit. *Theodorus fit Archiepiſcopus Laureacenſis & Epiſcopus Patauienſis anno 699. Præfuit vtrique Sedi 23. annis, quibus & doctrinæ purioris ſtudium penè interciderat, & omnis diſciplina apud Clerum collapſa erat, Epiſcopo magis cumulandis opibus quàm Chriſti ouibus paſcendis operam dante.* Agemus de illius obitu ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum.

[d] Tom. 1.

XXVII. GEBERTVS ABB. WELTEMBVRG.

Tomo tertio eiuſdem Metropoleos habetur Catalogus Abbatum Weltemburgenſium, in quo Gebertus hoc anno collocatur, Haganonis, de quo locuti ſumus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium, proximus ſucceſſor. Gebertus autem Monaſterio præfuit annis decem.

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

ANNVS CHRISTI 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

I. HILBERTVS ABB. FONTANELL. OBIT. SVCCEDIT BAINVS.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo vitam clauſit Hilbertus ſiue Hilebertus Abbas Fontanellenſis, cuius nomen ſub litera H, reperitur in Appendice ad Martyrologium Gallicanum, quæ nonnullos Sanctos, quorum dies natales hactenus incerti ſunt aut incomperti, complectitur ordine alphabetico. Succeſſit in regimen Cœnobij Bainus ex Epiſcopo Morinenſi Monachus Fontanellenſis ab aliquot annis factus. Auctor Chronici Fontanellenſis caput operis ſui ſecundum ſic orditur. *Bainus Epiſcopus de ciuitate Tyroanda* * *quintus ab almifico ac cum omni honorificentiâ nominando protectore noſtro clariſſimo Sacerdote Wandregiſilo regimen aſſumit Cœnobij, ab anno videlicet ſeptimo Hildeberti gentis Francorum Regis, & XIII. Sergij Papæ, vſque ad decimum-quintum eiuſdem Regis annum, & Ioannis Apoſtolici ſecundum, qui fuit octogeſimus-octauus à Petro Apoſtolo, Exarchatûs autem Pipini filij Anſegiſili* XXI. *Dominicæ autem Incarnationis* DCCVI. *Indictione* IV. *per annos nouem.* Et paulò pòſt ita loquitur de Tranſlatione Sanctorum Wandregiſili, Anſberti & Wlfranni. *Facta eſt hæc ſancta Tranſlatio anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quarto, Indictione ſecundâ, pridie Kalend. Aprilis, feriâ ſecundâ. Nam ſolemnitas Sancti Paſchæ tertio Kalend. Aprilis tunc extitit, qui erat annus decimus glorioſi Regis Hildeberti; porrò Ioannis Papæ, qui octogeſimus à Beato Petro Romanam rexit Eccleſiam, annus primus; Baini denique Patris prædicti annus quintus, ex quo regiminis aſſumpſerat curam iſtius Cœnobij.* Hic Auctor attentè legi debet, nec in ſuis calculis caret næuo.

* Teroüenne.

II. CHRONICI FONTANELLENSIS CHARACTERES EXAMINANTVR.

Annus Chriſti ſeptingenteſimus partim anno Childeberti Regis ſexto, partim anno ſeptimo eiuſdem Regis illigatur. Bainus electus eſt Abbas anno Childeberti Regis ſeptimo iam inchoato, rexit Fontanellenſe Monaſterium annis nouem, migrauítque in cælum duodecimo Kalendas Iulias, anno Childeberti Regis decimo-quinto, Chriſti ſeptingenteſimo nono. Annus igitur, quo Bainus adminiſtrationem Cœnobij ſuſcepit, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo conuenit; annus regiminis quartus per menſem Martium cum anno Childeberti Regis decimo, Chriſti ſeptingenteſimo quarto rectè comparatur; & annus nonus præfecturæ per menſem Iunium in annum Childeberti Regis decimum-quintum, Chriſti ſeptingenteſimum nonum, incidit. Anni Baini Abbatis cum annis Dominicæ Incarnationis & Childeberti Regis ita componi debent. In annis Childeberti Regis à noſtra computatione differt Auctor ſuprà citatus, quia Baini Abbatis annum quintum per menſem Martium anno non vndecimo, vt oportet, ſed decimo Childeberti Regis illigat. Differt & in annis Incarnationis Dominicæ, quia mortem Baini conſignat *anno Dominicæ Incarnationis* DCCVI. *Indictione* IV. At quomodò ſtare poſſunt hi Characteres, ſi, teſte eodem Scriptore, Bainus Abbas fuit *per annos nouem*, & annum in adminiſtratione Monaſterij quintum, vel, vt reſtituendum iam diximus reſtituimúſque, quartum agebat *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quarto, Indictione ſecundâ, pridie Kalend. Aprilis, feriâ ſecundâ?* Obiit Bainus Abbas anno Incarnationis Dominicæ non DCCVI ſed DCCIX, Indictione non IV. ſed VII. emendandúſque eſt Auctor Chronici Fontanellenſis illo loco, ne videatur à ſemetipſo diſcrepare.

III. Idem Chronographus, vt ſuam Chronologiam validiùs firmet, aliis duo-

bùs vtitur Characteribus ; vnum petit à Maioratu ſiue Exarchatu Pippini, alterum ab annis Romanorum Pontificum. Ait Bainum ad Deum migraſſe *anno Exarchatûs Pipini* XXI. Eſt & error in hac computatione, quia viceſimus-primus annus Pippini Maioriſdomûs non cum anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, ſed cum ſeptingenteſimo octauo conuenit. Tres nominat Romanos Pontifices, Sergium, Ioannem Sextum & Ioannem Septimum. Annos ſingulorum cum annis Chriſti, Childeberti Regis, & Baini Abbatis ita confert. Annum decimum-tertium Sergij Papæ illigat exordio regiminis Baini & anno Childeberti Regis ſeptimo inchoato, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo. Annum primum Ioannis Papæ Sexti per menſem Martium comparat cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, Childeberti Regis decimo, Baini Abbatis quinto. Annum ſecundum Ioannis Papæ Septimi per menſem Iunium componit cum anno Childeberti Regis decimo-quinto, & cum anno Baini Abbatis nono, id eſt, cum anno Chriſti nono ſupra ſeptingenteſimum. Annos Sergij rectè colligit, ſecus numerat annos ſubſequentium Romanorum Pontificum. Nam *Sergius ſedit annos tredecim, menſes octo, dies viginti-tres, & ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ſexto Idus Septembris, Indictione decimâ-quintâ*, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo primo, itaut annus decimus-tertius Sergij Papæ cum anno Chriſti ſeptingenteſimo coincidat. Sancto Sergio, cuius nomen quinto Idus Septembris in Tabulis Eccleſiaſticis celebratur, ſucceſſit Ioannes Sextus, quarto Kalendas Nouembris, anno Chriſti ſeptingenteſimo primo, poſtquàm *ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum, dies viginti.* Hic *ſedit annos tres, menſes duos, dies duodecim.* Obiit igitur quarto Idus Ianuarias anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto, & annum in Pontificatu non primum ſed tertium agebat pridie Kalendas Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quarto, Childeberti Regis decimo, Baini Abbatis adhuc quarto. Poſt mortem Ioannis Sexti Papæ *ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum, dies* 18. Electus eſt igitur Ioannes Septimus Kalendis Martiis anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto. Hic *ſedit annos* 2, *menſes ſeptem, dies* 17. & *ſepultus eſt ad B. Petrum Apoſtolum ante altare Oratorÿ ſanctæ Dei Genitricis, quod ipſe conſtruxit, ſub die* 15. *Kalend. Nouembris, Indictione* 6, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo-ſeptimo. Ergo annus eius in Pontificatu ſecundus per menſem Iunium, quo Bainus ex hac vitâ diſceſſit, nec cum anno decimo-quinto Childeberti Regis, nec cum anno nono Baini Abbatis, nec etiam conuenit cum anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, quocum annus Childeberti Regis decimus-quintus & annus Baini Abbatis nonus coincidunt. Chronographus igitur Fontanellenſis, vbi mortem Abbatis Baini conſignat variis Characteribus, vt in anno Incarnationis Dominicæ, ſic & in anno Romani Pontificis fallitur. Annum ſecundum Ioannis Papæ Septimi ſub finem menſis Martij rectè comparat cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto ; ſed obitum ſancti Baini, vt in annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum, ſic & in annum ſecundum Conſtantini Papæ debet reiicere. Mortuo Ioanne Septimo *ceſſauit Epiſcopatus menſes tres.* Datus eſt ei ſucceſſor Siſinnius decimo-quinto Kalendas Februarias, anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo. Hic *ſedit dies viginti, & ſepultus ad beatum Petrum Apoſtolum ſub die* 7. *Februar. Indictione ſextâ*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo. Tum *ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum, dies* 29. Sic habet Anaſtaſius, ſed loco 29. lege 19. In Siſinnij locum ſeptimo Kalendas Aprilis electus eſt Conſtantinus, qui *ſedit annos ſeptem, dies quindecim, & ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum* V. *Idus Aprilis, Indictione* 13, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto. Sicque annus ſecundus Conſtantini Papæ per menſem Iunium in annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum incidit. Totam hanc Romanorum Pontificum Chronologiam ex Anaſtaſio mutuati ſumus. Atque inde textum Chronici Fontanellenſis de tempore quo Bainus Fontanellam rexit ita corrige. *Bainus Epiſ-*

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

CHRONOLOGIA ROMANORVM PONTIFICVM.

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6. *copus de ciuitate Tyroanda quintus ab almiſico ac cum omni honorificentia nominando protectore noſtro clariſſimo Sacerdote Wandregiſilo regimen aſſumit Cœnoby, ab anno videlicet ſeptimo Hildeberti gentis Francorum Regis, & XIII. Sergij Papæ, vſque ad decimum quintum eiuſdem Regis annum, & Conſtantini Apoſtolici ſecundum, qui fuit octogeſimus-octauus à Petro Apoſtolo, Exarchatûs autem Pipini filij Anſegiſili* XXII. *Dominicæ autem Incarnationis* DCCVIIII, *Indictione* VII, *per annos nouem.* Locum, quem Auctor illius Chronici in Catalogo Romanorum Pontificum Ioanni Septimo Papæ tribuit, ſeruauimus Conſtantino, quamuis inter vtrumque medius ſederit Siſinnius. Conſuluimus Ferdinandum Vghellum, Philippum Labbeum, alióſque recentiores, qui nomenclaturas Summorum Pontificum ad noſtram vſque ætatem ediderunt. Animaduertimus Conſtantinum inter Romanos Pontifices octogeſimum-nonum, Ioannem verò huius nominis Sextum, qui corruptè *octogeſimus à Beato Petro* in Chronico Fontanellæ dicitur, octogeſimum-ſextum conſtantiſſimè recenſeri.

IV. Si numerantur anni Childeberti Regis ab ea tantùm die, quæ annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum aperuit, totus hic annus, Chriſti ſeptingenteſimus, ad annum ſextum Childeberti Regis pertinet. Nec eò culpandus videtur Auctor [a] Chronici Fontanellenſis, quòd aſſerat *in pago Ebroicino portionem aliquam de villa, quæ vocatur Pauſu*, Baino Abbati Fontanellenſi à Leutbrando traditam fuiſſe *anno ſexto eiuſdem Regis* Childeberti.

[a] Cap. 2.

LEUTBRANDUS MUNIFICUS ERGA MON. FONTANELL.

V. *Adalfredus* Abbas Antrenſis, cuius mentionem anno priori fecimus, *maligno ſpiritu deceptus, paternitatis ius in crudelitatis conuertit tyrannidem. Cœpit namque ſua fratrúmque neceſſaria relinquens ſuperfluis occupari negotiis, & ab intimis iuſto Dei iudicio repulſus exteriora ſola errabundus ſectari. Cœpit igitur aulam ſibi ædificare neceſſariis non contentus domibus, ſed proteruiæ faſtu tumens competentem tranſgredi conatus eſt menſuram. Quo agnito beatus Ærmenlandus, cùm de ſuis plurimis eum corriperet erratibus, inter cetera dixit. Quid eſt hoc, frater, quòd, neglectis animarum lucris fratrúmque neceſſariis, ſuperuacuis occuparis rebus? Numquid tibi fratribúſque domus ad habitandum ſufficienter hic ædificata non videntur? Meis per omnia dictis intende, his contentus eſto, quia alias in iſto non ædificabis loco. Hoc autem vir Domini Prophetico afflatus ſpiritu dicebat, ſciens vltionem diuinam imminere, quæ eius iniquitatibus eodem anno terminum imponeret. Sed prædictus Adalfredus mente cæcatus verba viri Dei contemnendo ſpreuit. Crudeliter enim penuriâ alimentorum fratres affligens, eis etiam, qui cum Sancto Ærmenlando erant, conſtitutum ſubſtrahi præcepit alimentum. Quodam etiam die, cum quendam ex his, quos Beatus Ærmenlandus ſub æquo diſciplinæ moderaminè Deo educauerat, ſicuti ceteros ſolitus erat, diriſſimis iuberet percuti flagellis fratrem, vrgentibus doloribus is, qui cædebatur, beatum Ærmenlandum compellare compulſus eſt, dicens. Pater Ærmenlande, vt quid nos dignatus es viuentes relinquere? Infelix Adalfredus ampliùs eum torqueri iubens dixit. Non tuus tibi feret opem defenſionis, quem inuocas, Ærmenlandus. Et cùm tandem affectus plagis euaſiſſet, agili curſu ante fores cellæ, vbi vir Domini contemplationi inſiſtebat cæleſti, perueniens, terræ cohærens ſolo & eiulans ait. Heu mi Domine Ærmenlande, quid noſtræ iniquitatis reperiſti, vt nos ſub tantæ crudelitatis deſereres iugo? Vtinam dira mors humanis nos ſubtraheret rebus, ne tanti tyranni afficeremur malis! Cœpere etiam qui cum eo erant viro Domini intimare, quanta fratres penuria famis afficeret. Tunc ingemiſcens vir Domini ait. Silete, fratres, ſilete; ſcitote tamen eius citiſſimè accelerari interitum, nam eius contumaci vitæ nec vnius tribuetur menſis ſpatium. Quod Prophetico dictum ſpiritu declaratur. Nam idem miſer Adalfredus die tertio vidit per viſionem baculo beati Ærmenlandi ſe pro peruerſitate inobedientiæ ſuæ percuti, & vigilans cœpit, veluti ignibus cremaretur, cruciari, & ſic æternâ damnatus morte vitam iudicio Dei cum regimine infelix repentè amiſit. Fratres verò Sancti Ærmenlandi monitu, quâ erat indignus, eius cadauer ſepulturæ tradiderunt.* Hæc

ADALFREDUS ABB.

VEXAT MONACHOS ANTRENSES.

OBIT.

Digitized by Google

in vita manuſcripta Sancti Æermenlandi Scriptor ſynchronus, qui de Donato Adalfredi ſucceſſore, ſed adminiſtratione moribúſque valdè diſſimili, mox iſta ſubiungit. AN. CH. 700.

Poſt interitum Adalfredi Abbatis, conglobati ſimul fratres beatum Æermenlandum ſubmiſſis precibus exorauerunt, dicentes. Precamur Sanctitatem tuam, benigniſſime Pater, quia nos deſolatos relinquere tuâ præſentiâ maluiſti, ne nos, ſicuti olim, in electione Abbatis aberrare permittas, ſed dignum Deo elige nobis Patrem, qui iuxta tuum exemplum viam Domini nos docere queat. Flexus itaque precibus eorum iuſſit acceſſiri vnum è fratribus, quem ipſe diuinis diſciplinis inſtruens enutrierat in bonis actibus, nomine Donatum. Quem cum voluntate omnium Abbatem ordinans fratribúſque præponens edocuit, quemadmodum in ſpiritalibus temporalibúſque rebus miniſtrandis ſe ſollicitum præberet ac promptum. At ipſe Magiſtri ſequens monita, iuuamine Chriſti fretus, magiſtríque interceſſione fultus, plenus humilitatis caritatíſque gratiâ Monaſterium cunctis diebus vitæ ſuæ laudabiliter rexit. Sed eius hoc obtinuit merito, cuius prælatus eſt electione. CHILDEBERTI III. R. 6. VI.

VII. Donato Abbate Monaſterium Antrenſe feliciter adminiſtrante migrauit ad Deum ſanctus Æermenlandus. Quonam autem anno id contigerit hactenus nemo determinatè ſcripſit. Illius vitam, quæ nondum in lucem curâ Godefridi Henſchenij [a] prodierat, Tomo ſuperiore ex manuſcripto citauimus Codice, cuius vſum nec hoc Tomo nobis interdictum cenſuimus, modò illum cum Editione Henſcheniana conferremus. Eâ verò re præſtitâ, præter quarumdam vocum tranſpoſitionem, quæ ſenſui non obeſt, omnia penè ſimillima reperimus. In Characteribus Chronologicis, qui perpauci ſunt, nullum omnino diſcrimen. At Henſchenius in eorum explicatione non parum à nobis diſſidet. Hanc diſcrepantiam accipe.

[a] D. 25. Mart.

VIII. Sancti Æermenlandi vitam Auctor ſic auſpicatur. *Multorum iam per Orbem vniuerſum circumquaque Regum collis iugo Chriſtianæ Religionis ſubmiſſis, cùm fides ſanctæ Eccleſiæ, errorum caligine depulſâ, luce Euangelicæ veritatis coruſcâ, in omni ditione Clotarij Regis Francorum, tranquillâ vteretur pace, venerabilis Æermenlandus * genuinæ natiuitatis potitus exordio, ex Nouiomacenſium * incolarum nobiliſſimis parentibus, perpetuâ fruiturus, temporalem proceſſit in lucem.* Textum illum explicuimus de Clotario Secundo, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum duodetriceſimum incidit, Æermenlandúmque natum diximus exeunte Clotarij Secundi Principatu, dubium enim nobis nullomodo videbatur, quin hæc tota periodus de Æermenlandi natiuitate intelligenda eſſet. Henſchenius aliam interpretationem excogitauit; Auctorem de Clotario Tertio locutum dixit; Æermenlandum tamen, qui maturam ætatem adeptus cœtui ſe Monachorum Fontanellenſium ſub Abbate Landberto addixit, regnante Clotario Tertio in lucem editum non auſus eſt aſſerere; ſub Clodouco Secundo Clotarij Tertij patre natum affirmauit; Clotarij mentionem, quæ fit ab Auctore, tranquillámque pacem, quæ regnante Clotario indicatur, non retulit ad Æermenlandi natiuitatem, ſed ad annos, quibus idem Æermenlandus in aula Regia floruit. *Rex*, inquit, *Francorum, cùm S. Landbertus fieret Abbas Fontanellenſis, erat Chlotarius III, qui Chlodoueo II. patri ſuo anno DCLXII. vitâ functo ſubrogatus, rexit annos ferè quatuordecim, mortuus an. DCLXXV, aut initio ſequentis. Huius Chlothary ſit infrà in actis mentio, & tranquilla eo regnante pax indicatur: quæ ad annos, quibus floruit Hermelandus in eius aula ſunt referenda, non ad natiuitatem, cùm iam pridem ſub Chlodoueo patre fuerit exortus.* De tempore, quo regnare cœpit obiítue Clotarius Tertius hoc loco non diſputamus. Quæſtio enim tantùm eſt, vtrùm Clotarius, qui commemoratur in Actis ſancti Æermenlandi, cenſendus ſit Rex iſtius nominis Secundus, an Tertius; & vtrùm de annis, quibus Æermenlandus in aula Regia floruit, an de eiuſdem Æermenlandi natiuitate prior pars huius periodi capienda ſit. *Multorum iam per Orbem vniuerſum circumquaque Regum collis iugo Chriſtianæ Religionis ſubmiſſis, cùm fides Sancta Ec-*

* Henſchen. *Ermenlandus.*

* Henſchen. *Nouiomagenſium.*

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6. *cleſiæ, errorum caligine depulsâ, luce Euangelicæ veritatis coruſcâ, in omni ditione Clotharij Regis Francorum, tranquillâ vteretur pace, venerabilis Ærmenlandus genuinæ natiuitatis potitus exordio, ex Noniomacenſium incolarum nobiliſſimis parentibus, perpetuâ fruiturus, temporalem proceſſit in lucem.* Iudicet æquus Lector, vtrùm ea mens Auctoris fuerit, vt iſta periodus in duas partes ad diſtinguenda duo diuerſiſſima tempora diuideretur.

IX. Secundus Character ab Ærmenlandi Monachatu ſic petitur. *Beatiſſimus Ærmenlandus cum Regis Optimatúmque benedictione Palatio egreſſus ad Fontanellæ Monaſterium, vbi venerandus Landbertus regularis præerat Monachorum Pater, concito peruenit curſu. Conuerſionem namque in præfato expetiit Cœnobio, & ab ipſo Abbate fratribúſque omnibus effectum ſuarum obtinuit precum.* Landbertus Fontanellenſe Monaſterium annis vndecim rexit. Id Henſchenius non negat. Annos illos vndecim ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum, ſiue ab anno duodecimo Clotarij Tertij Regis ad annum vſque quintum Theodorici Tertij numeramus. Henſchenius verò, quia Fredegario, vt ſæpè monuimus, malè intellecto ſex annis integris à nobis in obitu Dagoberti Magni diſſidet, Landbertum Monachis Fontanellenſibus Abbatem præficit ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, quocum annum duodecimum Clotarij Tertij malè componit, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, quem anno quinto Theodorici Tertij perperam illigat. Ab obitu igitur Clotarij Secundi, donec Landbertus Abbas Fontanellenſis fiat, annos vndequadraginta colligimus, Henſchenius quadraginta-quinque. Nihil autem prohibet, quominus ineunte Landberti Abbatis præfecturâ Ærmenlandus annos quadraginta natus Monachum induat. Henſchenius Ærmenlandum Fontanellam profectum ait anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto, cùm annum ætatis triceſimum ageret, vtpote ſecundùm illius computationem natus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto ſub Clodoueo Secundo, quem Dagoberto patri in Regnum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto ſucceſſiſſe arbitratur.

X. Tertius Character ſumitur à conditu Monaſterij Antrenſis. Ærmenlandus annuente Landberto Abbate Fontanellenſi profectus eſt ad Paſcharium Epiſcopum tunc Namnetenſem, à quo liberam Cœnobij in Antro Inſula conſtruendi facultatem accepit. Id diximus contigiſſe biennio priuſquàm Landbertus ex Abbate Fontanellenſi Lugdunenſis Epiſcopus fieret. Henſchenius ab hac opinione non receſſit. Annum Chriſti aſſignauimus ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſextum, ille ſexcenteſimum octogeſimum-ſecundum, durante adhuc inter nos ſexennali diſſidio, de quo ſuprà.

XI. Quartus Character ducitur à Childeberto Rege, quem Paſcharius Namnetenſis Epiſcopus & Ærmenlandus Abbas Antrenſis adierunt. Childebertus ſecundùm noſtram computationem Regnum ſuſcepit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, ſecundùm Henſchenianam quadriennio ſeriùs, quia Theodorici Tertij mortem, quam anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo conſignauimus, Henſchenius in annum ſequentem reiecit, & Regnum Clodouei Tertij, quod biennio circumſcripſimus, idem Henſchenius ad quinquennium vſque prorogat. In noſtra ſententia, poſt Ærmenlandi diſceſſum è Monaſterio Fontanellenſi ad initium vſque Regni Childebertini numerantur anni duodeuiginti, quatuordecim in opinione Henſcheniana; res variæ, quæ narrantur in Actis ſancti Ærmenlandi, potuerunt intereà contingere. Childeberto Regnum ineunte, Ærmenlandus nondum ſeptuagenarius erat in noſtra ſententia, nondum quinquagenarius in Henſcheniana. Illarum autem ætatum neutra ſuſcepto ad aulam Regiam itineri refragatur.

XII. Denique Ærmenlandus *longæuitate ſenectutis defeſſus* ad Deum migrat. Henſchenius hanc ſenectutis longæuitatem ætatem annorum ſeptuaginta interpre-

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

interpretatur, ſed nihil vetat quominus eum, qui *longæuitate ſenectutis defeſſus* dicatur, ſeptuagenario maiorem obiiſſe cenſeamus. Ærmenlandus, ſi vixit annos ſeptuaginta-quinque, octauum ſeculum attigit, & ex hac vita diſceſſit vno alteróue anno poſtquàm Donatus Abbas Antrenſe Monaſterium adminiſtrare cœpit. Henſchenius, poſtquàm Ærmenlandum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto ſub Clodoueo Rege natum aſſeruit, illius obitum anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo decimoquinto ſic refert, vt, ſi quis eundem Ærmenlandum ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum, ſiue ad annum vſque ætatis ſeptuageſimum-quintum vixiſſe arbitretur, ei ſe non obſiſtere vltrò fateatur. Diſſidium, quod inter nos & Henſchenium ad annos ferè quindecim aut etiam ferè viginti in obitu ſancti Ærmenlandi excreſcit, ex Actorum iſtius Abbatis hac prima nec ſemel à nobis iam citata periodo proficiſcitur. *Cùm fides ſanctæ Eccleſiæ, errorum caligine depulsâ, luce Euangelicæ veritatis coruſcâ, in omni ditione Clotharij Regis Francorum tranquillâ vteretur pace, venerabilis Ærmenlandus genuinæ natiuitatis potitus exordio, ex Noxiomacenſium incolarum nobiliſſimis parentibus, perpetuâ fruiturus, temporalem proceſſit in lucem.* Si genuinum huius periodi ſenſum benè aſſecuti ſumus, cùm natiuitatem Ærmenlandi ſub Clotario Rege collocauimus, causâ ſumus ſuperiores; ſi ſecus, lite cadimus. Totius controuerſiæ iudicium penes Lectorem eſto. Baronius, quem nonnulli nimis fidenter deſcripſerunt, in notis [a] ad Martyrologium Romanum ait Ærmenlandi obitum in Sigeberti Chronico recenſeri *anno Domini ſexcenteſimo nonageſimo*, ſed id nec in manuſcriptis Codicibus nec in editis exemplaribus Sigeberti reperitur, addequòd illo anno nondum regnabat Childebertus, quem tamen iam Regem Ærmenlandus adiiſſe comprobatur.

[a] d. 25. Mart.

XIII. Diſſidio, quod in rebus Chronologicis verſatur, ſic expoſito, quid de obitu ac ſepultura ſancti Ærmenlandi ſcribat Auctor vitæ ſynchronus, ex manuſcripto Codice ſæpiùs laudato ſubiicimus. *Poſtquàm plurimos à prauitatibus ſuis ad fidem Chriſti conuerti fecit; poſtquàm in cella multis diebus reclauſus, orationibus ſuis, multis ægrotis ad eius Sanctitatis famam vndique confluentibus, priſtinam reddidit ſanitatem; cùm iam laudabilis eius ſenectus tantâ eniteret virtutum gratiâ, vt nihil ei perfectionis addi poſſe crederetur, Prophetico ſpiritu, quo multa futura prouidere ſolitus erat, ſuum etiam ſacrum prænoſcens obitum, nonnullis antè diebus, fratribus ſuæ tranſmigrationis certum prædixit diem. Fratres enim de eius Prophetia frequentiùs experta, ſerui Dei dictis certam adhibuerunt fidem. Eo die, quo diſſolutionem ſui prædixerat corporis in vnum collectis, exorauerunt Sanctitatem, vt ſicuti in terris eorum fuerat magiſter iuſtitiæ, ita in cælis dignaretur eſſe perpetuus interceſſionis patronus. Qui, cùm omnes, vt in ſancto perſeuerarent propoſito, moneret, Corporis ſemet Dominici Sanguiniſque ſacramento muniens, longæuitate ſenectutis defeſſus, membrorum compage protensâ, ſpiritum Domino emittens commendauit, & ſic diſcipulis flentibus, Angelis cum Virginum choris, in quorum collegio mente virgo & corpore permanſit, decantantibus, lætus ac ſi ſopore dormiens, inter verba Orationis, beatiſſimus Chriſti Confeſſor, in medio fratrum, exanime corpus linquens, tam à dolore mortis inlæſus, quàm fuerat à contagio libidinis alienus, migrauit ad Chriſtum, cum quo perpetuâ coronatus gloriâ exultat in ſecula ſeculorum. Amen. Completo itaque reuerenter à fratribus ſancti viri funere, ſancta eius membra in Baſilica ſancti Apoſtoli Pauli iuxta Oratorium ſancti Wandregiſili in abſida meridiana ſepulturæ debito cum honore tradiderunt. Dominus namque vt oſtenderet quanta ſuæ dilectionis in beato Ærmenlando fuerit gratia, multarum ad ſepulchrum eius diuerſarúmque ægritudinum tabe laborantibus, ſalutis medelam operari dignatus eſt.* Agemus infrà de illius Tranſlatione ſub Abbate Dauide Donati ſucceſſore. Sanctus Hermelandus in Martyrologiis, Romano, Benedictino & Gallicano, colitur octauo Kalendas Apriles; in Armorica Sancta*, ſeptimo Kalendas Decembres. Prælaudata Martyro-

HERMELANDVS OBIT.

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

logia nituntur Vſuardo. Exiſtimamus octauo Kalendas Apriles Natalitia Sancti Hermelandi, ſeptimo Kalendas Decembres Tranſlationem celebrari.

XIV. Super ætate Sancti Hermelandi ſiue Ærmenlandi varias quæſtiones ſuis locis enodare nobis non licuit, quin & Epiſcoporum Namnetenſium ac Redonenſium necnon Abbatum Fontanellenſium Chronologiam examinaremus. In catalogo Namnetenſium Antiſtitum inter Leobardum & Paſquarium, quorum ille anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto cum aliis Epiſcopis Concilio Remenſi ſubſcripſit [a], hic Ærmenlandum è Monaſterio Fontanellenſi, cui Lambertus Abbas tunc præerat, Namnetas venientem excepit, Taurinum & Harconem medios reſtituimus. Andreas Sauſſaius, cùm in eorum ſententia verſaretur qui Leobardo Paſcharium ſeu Paſquarium immediatè ſubrogant, & aliunde ſciret præfecturam Abbatis Lamberti multò poſteriorem fuiſſe, ne videretur pugnantia ſcribere, ſi Hermelandum aſſereret ex Lamberti Fontanellenſis Abbatis licentia Namnetas ad Paſcharium Pontificem perrexiſſe, nullam Monaſterij Fontanellenſis & Abbatis Lamberti mentionem fecit octauo Kalendas Aprilis in encomio ipſius Hermelandi, & contra fidem Actorum, quæ ſuprà recitauimus, finxit Hermelandum à Paſchario Epiſcopo inductum, vt ſeculo renuntiaret, nec Monachum priùs fuiſſe quàm Cœnobium Antrenſe in Diœceſi Namnetenſi ædificandum ſuſceperit. *In oſtio Ligeris*, inquit, *Antro Monaſterio, Sancti Hermelandi Abbatis primi huius loci & Confeſſoris, qui genere nobilis, ab ineunte ætate aulicus, Regiſque Pincerna, Paſquarij Epiſcopi Nannetenſis de mundi vilitate & vita ſolitariæ præſtantia diſſerentis prædicatione concuſſus, ſæculo valedicens Chriſti ſeſe obſequiis ex toto corde conſecrauit, fretúſque ipſius Sancti Præſulis benedictione, ipſo auſpice & duce, Inſulâ luſtratâ, quam opportunam reperit, ibidem Aſceteriolum conſtruxit, in quo ſacro Sodalitio aggregato virtutum miro odore florens, velut vitis fructifera palmites copioſos botróſque vberes diuinitus inſitæ gratiæ & ſanctitatis emiſit.* In multis Armoricæ Diœceſibus conſpiciuntur Eccleſiæ non paucæ Deo dicatæ in honorem Sancti Ærmenlandi, cuius nomen à populis effertur variâ pronuntiatione; Namnetenſibus eſt *Saint Erblain*; Redonenſibus *Saint Herblon*; Leonenſibus, Trecorenſibus & Coriſopitenſibus *Saint Herbaud*. Id appoſitè obſeruatum ab Auctore Armoricæ Sanctæ.

[a] Flodoard. l. 2. c. 5.

COLITVR SVB DIVERSIS NOMINIBVS.

XV. Agricolus Auenionenſis Epiſcopus, de cuius ætate Tomo Secundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-ſeptimum [b] diſputauimus, obiit hoc anno, poſtridie Kalendas Septembris, cùm Diœceſim per annos quadraginta gubernaſſet, vixiſſétque tres & ſeptuaginta. *Cùm extremum ſibi diem inſtaret*, ait Auctor vitæ [c], *aduocato Clero, coactóque populo, de ſua ex hoc ergaſtulo diſceſſione cum illis ſermonem habuit, de vitæ huius periculis, de vanitate infeliciſſimi ſeculi, de vitandis peccatis, de felicitate Sanctorum, poſtremò de ſucceſſore deligendo illos admonuit, cooptauítque in ſuum locum ſanctum Veredemum, qui prope vrbem in eremo vitam Angelicam, clarámque miraculis agitabat. Sciebat enim prudens Paſtor nihil eſſe morte certius, nihil incertius tempore ipſo moriendi. Quare creber in oratione peruigilabat, corpus ieiuniis macerabat, totus in rerum cæleſtium contemplationem diffundebatur, atque animum diurnis variíſque curis diſtractum, nocturnâ meditatione collectum refouebat*, &c. *Sanctorum igitur operum plenus Diuus Agricolus condito teſtamento ſanctiſſimam Virginem omnium bonorum ſuorum in ſua æde reliquit hæredem. Seruos, quibus de more vtebatur, manumitti mandauit, plenâ libertate donari, atque eum maximè qui menſæ Epiſcopali adminiſtrabat. Nec multò poſt venerabilis ſenex ſenſit aduentantem Dominum, in cuius beneplacito conquieſcens, ſummâ animi corporíſque quiete dormienti ſimilis, & placido veluti ſomno ſoporatus, animam reddidit Creatori, quæ carnis compage ſolutâ haud dubiè in æternæ claritatis abyſſum abſorpta eſt, & ſempiternæ beatitudinis gaudia penetrauit, quarto Nonas Septembris, anno Domini ſeptingenteſi-*

[b] Num. 2.

[c] Ap. Barral. in Chronol. Lerin.

AGRICOLVS EP. AVENIONENSIS OBIT.

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

mo, exeunte ætatis ſuæ ſeptuageſimo (lege, *ſeptuageſimo-tertio*) *initi Pontificatûs quadrageſimo, Childeberto Secundo Francorum Rege, Sergio Summo Pontifice.* Cur ſancti * Agricoli vitam ad annos tres & ſeptuaginta prorogemus, expoſuimus alibi. Ceteri Characteres optimè quadrant. Annus enim Chriſti ſeptingenteſimus cum anno Agricoli Epiſcopi quadrageſimo, Childeberti Regis ſexto, Sergij Papæ decimo-tertio conuenit. Quem autem Childebertum Tertium vocamus, Secundum præcitatus Auctor appellat, omiſſo Childeberto Sigiberti filio, qui Pariſiis & in reliqua Neuſtraſia numquam regnauit.

* *S. Agricol.*

XVI. Sepelitur.

De ſancti Agricoli ſepultura ſic idem Auctor. *Parantur exequiæ, deducitur ſacrum pignus ad ædem Deiparæ Virginis, effunditur ciuitas in Baſilicam, omnis ætas, ſexus omnis, flebili lamentatione, parenti optimo, duci atque æternæ ſalutis auſpici Agricolo nititur parentare atque ei publicè ſupplicare. Tandem frequentiſſimo conuentu maxima cum pompa & veneratione corpus ſanctiſſimum ad ſepulchrum delatum fuit, & ſicut ante migrationem è corpore obnixè petierat, in ſacello ſancti Petri, eo in loco qui nunc Capella Roſarij nuncupatur, ad Templum Diuæ Mariæ de Dominis, vbi cratis ferrea, quæ nunc inuiſitur cum inſcriptione eiuſdem, honorificè conditum eſt.*

XVII. Veredemus Anachoreta ſuccedit.

Colitur ſanctus Agricolus quarto Nonas Septembris. Succeſſit in Epiſcopatum Veredemus *, quem multi Veredemium vocant, alij mendosè Vendemium & Venderemum. Factus eſt Epiſcopus ex Anachoreta. *In loco, vbi ſolitariam vitam duxit, cernitur adhuc hodie Eremitorium vnâ tantùm leucâ à ciuitate Auenionenſi.* Hoc in notis ad eius vitam ſcripſit Benedictus Gononus [a] anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo viceſimo-quinto. Præualidum eruitur inde argumentum, vt Veredemum, de quo nunc agimus, diſtinguas à Veredemio Anachoreta, qui ſanctum Ægidium ad ripam Gardonis fluuij ſuſcepit erudiuítque, vt Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-primum probauimus. Qui Veredemum & Veredemium ſeu duos Veredemios Anachoretas, vnum in Epiſcopatu Auenionenſi, alterum in Vcetienſi, ſimul confundunt, ij multa perperam de ſancto Cæſario Epiſcopo Arelatenſi déque ſancto Ægidio Anachoreta commemorant. Veredemus, qui primo ab Auenione lapide ſolitarius vixit, & poſt longam Anachoreſin ad Epiſcopatum Auenionenſem aſſumptus eſt, ineunte octauo ſeculo Pontificatum geſſit. Id apud omnes conſtat. Huic autem Veredemo ſi ſanctos Cæſarium & Ægidium ſynchronos conſtituas, neceſſe eſt duos ſupponas Cæſarios Arelatenſes Epiſcopos, quorum alter Childeberto Primo Rege ſederit, alter Childeberto Tertio Rege Diœceſim rexerit Ægidio Eremitæ coætaneus. At inter Arelatenſes Epiſcopos vnus occurrit Cæſarius, qui viuebat anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-ſexto, cùm ciuitas Arelatenſis in Francorum poteſtatem ſpontaneâ Oſtrogothorum ceſſione deuenit. Ad illum Cæſarium & ad Veredemium qui prope Gardonis ripam in Vcetica Diœceſi ſolitariam vitam agebat, acceſſit Ægidius regnante Childeberto Primo. Præ ceteris Gononum ſuprà citatum miramur, quòd in vita ſancti Veredemi Auenionenſis Epiſcopi, quam *partim ex antiquis monumentis Eccleſiæ Auenionenſis, partim etiam ex Raulino Cluniacenſi viro doctiſſimo & erudito* concinnauit, attribuerit ei multa, quæ ſancto Veredemio ad Gardonis ripam Anachoretæ conueniunt, & in notis, quas eidem vitæ ſubiecit, vtrumque optimè diſtinxerit.

* *Verime. Verideme.*

[a] L. 3. de Vit. PP. Occident.

Distinguitur a Veredemio Anachoreta Vceciensi.

XVIII. Berlendis Monialis obit.

Hoc anno, qui poſt Odelardi Comitis mortem duodeuiceſimus numeratur, obiit ſancta Berlendis tertio Nonas Februarij. Sic enim Auctor vitæ. [b]. *Ter quinis annis cum duobus poſt patris* Odelardi *mortem expletis, cùm diuinâ reuelatione extrema huius lucis tempora imminere ſibi ſentiret, conuocatis Sacerdotibus, oleum ſanctum petiit. Quo accepto, Corpore & Sanguine ſui Redemptoris exitum ſuum conſecrauit, & ſic vltimum ſpiritum cælo reddidit.* Apud eundem Auctorem hæc de ſanctæ Berlendis ſepultura proximè ſequuntur. *Con-*

[b] Ap. Bolland. d. 3. Feb.

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

gregati igitur cognati & amici eius, ſerui & ancillæ, & etiam maiores regionũ huius, ad ſepeliendum eam conuenerunt, illámque modo congruo iuxta tumulum parentum recondiderunt. Sed cùm in quo eam reconderent, ſarcophagum non haberent lapideum, quorum in hac regione penuria eſt, quercum magnam iuxta templum ſtantem ſucciderunt, illíque ex eadem quercu vas, in quo poſita eſt, aptauerunt. Colitur ſancta Berlendis Merbeccæ tertio Nonas Februarij, agemus de illius Eleuatione poſt ſeptennium.

XIX. Rigobertus Abbas Sitiuenſis, cui Bertinus in mandatis dederat, vt ad Ædem ſancto Martino condendam manus admoueret, paratis omnibus opus ipſum hoc anno feliciter inchoauit. In antiquo Diplomate [a] ſic loquitur. *Regnante Hildeberto Rege ego Rigobertus Abbas cœpi ædificare Templum iſtud in honorem D. N. I. C. & S. Martini ſub Rauengario Pontifice, & ordinante Domino Bertino.* Folquinus notat Childeberti Regis annum ſextum, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus comparatur. Iperius Folquino longè recentior Bertinum anno Chriſti duodeſeptingenteſimo mortuum tradit. Malbrancus, vt vtrumque ſimul conciliet, annúmque ſextum Childeberti Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo componat, fingit Theodoricum Regem, cuius obitum in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum quartum reiicit, regnaſſe cum Clodoueo filio per quadriennium ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum, deinde cum Childeberto per biennium, annúmque ipſum à Chriſto nato ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum quo mortem Clodouei conſignat, primum quoque Childeberti ſucceſſoris numerat. Deſunt autem auctoritates, quibus hæc Chronologia fulciatur.

[a] Ap. Malbranc. lib. 4. cap. 47.

RIGOBERTVS ABB. SITIVENS. INCHOAT ÆDEM MARTINENSEM.

XX. De ſitu Templi Martinici, quod ab Abbate Rigoberto cœptum eſt, ſic diſſerit Malbrancus [b]. *A Xenodochio, quod Boreali maioris Baſilicæ lateri affiximus, lata adhuc patebat area ferè ad flumen vſque Altiphontana hodie præterlabens mœnia. Hîc igitur iuxtim ipſum Xenodochium noua aſſurrexit moles opere non minùs, quàm altera, exquiſito, quamuis non ita laborioſo: ſiquidem Bertinus vliginoſum loci vitium immenſâ terra & lapidum aggeſtione longo iam æuo peruicerat. Xenodochium item intermedium non ad vtriuſque Templi extrema (vti ex Vaſſoro colligere eſt) ſuo poſtico porrigebatur: vnde Aſcetis è læuo Petrinæ Ædis brachio per periſtylium ad Martinenſem Ædem dabatur aditus, vti externis ex area anteriore: necdum enim hodierna etiam Martinum colens ſtructura, quæ magis ad fluuium accedens huius pereuntis locum ſubiit, lucem viderat. Neque ſolùm illic ſacrarium ſtetiſſe putandum eſt. Porrò Folquinus Abbas Monaſterij nomine indigetat. Ita, credo, Monachorum auctus eſt numerus, vt nec domicilia, nec ſanctiora Templi adyta caperent. Quare videntur geminum chorum iniiſſe; immò Folquinus idem hiſce temporibus tradit loci caput ac totius Abbatiæ Principatum extitiſſe, itaut illic cum bono Aſcetarum numero Præſulem ageret Rigobertus, vtrumque tamen eiuſdem Monaſterij locum ſuo regimine complectens; namque Præſulem & Abbatem nominant Bertiniani Codices, eóque nomine Abbatum catalogo inſeritur.* Idem Auctor

[b] Lib. 4. c. 47.

EMIT RVMILIACVM.

XXI. mentionem ſubiicit tabulæ, quâ pro ſolidis mille quingentis Eodebertus Rumiliacum tranſcribit *Rigoberto Abbati, & parti eius Monaſterij*, id eſt, Martinico Cœnobio, quod cum altero ſub vna nomenclatura *Sitiu* coaleſcit. Eſt autem duplex Rumiliacus *, vnus penè ad fluuij Agnionis caput aſſidet, alter Wauurantem inter & Ouuiam idem flumen interſecat. Prædictam tabulam de poſteriore Rumiliaco accipiendam docet idem Malbrancus [c], obſeruátque Rumiliacum verſum eſſe in opimum Prioratum, qui multis annis Sitiuenſi Cœnobio adhæſit, ſed in ius Ordinis Cluniacenſis etiam ante tempora Iperij Bertinenſis Abbatis ceſſit.

* *Rumili.*

[c] Lib. 4. c. 48.

Bonitus Aruernenſis anteà Epiſcopus toto hoc anno in Monaſterio Magniloceni degit. Auctor vitæ [d] Monachos illius loci plurimùm laudat, quòd duplex genus Hæreticorum per Aruerniam graſſantium, Nouatianos videlicet ac Iouianiſtas egregiè ſcripto confutarint. Nouatiani, de quibus aliâ

[d] Ap. Bolland. d. 15. Ian.

BONITVS DEGIT IN MONAST. MAGNILOCENSI.

MONACHI MAGNILOCENSES NOVATIANIS ET IOVIANISTIS INFENSISSIMI.

occaſione iam locuti ſumus, docuerunt non eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, baptizatos non eſſe ſacro chriſmate confirmandos, ſecundas nuptias non eſſe licitas. De Iouianiſtis autem ſic beatus Auguſtinus [a]. *A Iouiniano quodam Monacho iſta hereſis orta eſt ætate noſtrâ, cùm adhuc iuuenes eſſemus. Hic omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe ieiunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem Mariæ deſtruebat, dicens eam pariendo fuiſſe corruptam. Virginitatem etiam Sanctimonialium, & continentiam ſexus virilis in Sanctis eligentibus cælibem vitam, coniugiorum caſtorum atque fidelium meritis adæquabat, itaut quædam virgines ſacræ prouectæ iam ætatis in vrbe Roma, vbi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur. Non ſanè ipſe vel habebat, vel habere volebat vxorem, quod non propter aliquod apud Deum maius meritum in regno vitæ perpetuæ profuturum, ſed propter præſentem prodeſſe neceſſitatem, hoc eſt, ne homo coniugales patiatur moleſtias, diſputabat.* Vtraque hæc hæreſis Aruerniam inficere cœperat ab eo tempore quo Geneſius Aruernenſis Epiſcopus Monaſterium Magnilocenſe condiderat. Malum ſerpere potuit è vicina Velaunia, quam hæreſis Heluidiana tunc contaminabat. Lege quæ Tomo ſuperiore [b] dicta ſunt de ſancto Agrippano Epiſcopo Anicienſi, qui ſancto Geneſio Epiſcopo Aruernenſi coætaneus vixit, & obſerua vt Iouinianum ſic & Heluidium in Deiparam Virginem blaſphemum fuiſſe, virginitatique nuptias æquauiſſe aſſerendo *eiuſdem eſſe gloriæ virgines & maritatas.*

a Heref. 82.

ERRORES IOVIANISTARVM.

b Ad an. 651. n. 69.

XXII. Pelagius ſeu Peladius Turonenſis Epiſcopus, cùm teſte Maano [c] ſediſſet *annos quatuor & menſes quatuor*, obiit hoc anno. Lege quæ dicta ſunt de Chronologia Turonenſium Antiſtitum ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum. Succeſſit in Epiſcopatum Euaricus.

c Part. 1. n. 34.

EPISCOPI TVRONENSES.

XXIII. Extat apud Surium, pridie Kalendas Nouembris, vita ſanctæ Noitburgis virginis ex manuſcripto Codice deſcripta, cuius partem ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum [d] iam recitauimus, quia tunc apud Coloniam Agrippinam in Monaſterio Beatæ Mariæ cum Plectrude matertera degebat. Cetera narrabimus hoc loco, quia floruiſſe dicitur *anno Chriſti plùs minùs ſeptingenteſimo.* Adulta, cùm in eiuſdem materteræ comitatu eſſet, ſpreuit monita cognatorum, qui nobili illam viro deſpondere conſtituerant, *mortaléſque ſponſos omnes faſtidiens totam ſe ad deprecandum Dominum contulit, confidénſque ſermoni eius, quo ait,* [*quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam,*] *obnixè illum rogauit, vt potiùs ipſam à vita tolleret, quàm ſineret vim à cognatis perpeti. Magna ſanè & eximia virtus in tam delicata & nobili puella, vt florente ætate, Chriſto immortali ſponſo, cuius ardebat amore, regnum mundi & omnem eius ornatum atque oblectamenta longè poſthaberet, Chriſtúſque ei vita eſſet, & mori lucrum. Nec defuit Chriſtus deprecanti, qui numquam deſerit ſperantes in ſe, ſed incontaminatam atque ſanctiſſimam animam eius ex huius vitæ laboribus & anguſtiis ad ſe in ſuum Regnum celeriter euocauit. Porrò ipſum etiam exanime corpus cohoneſtauit inſigni miraculo, duobus luminaribus, altero ad caput, altero ad pedes eius diuinitus ardentibus, fortaſſis ſignificare volens quàm illa fuiſſet intellectu excellenter illuminato, & affectu repurgato. Solet enim in diuinis literis per caput intellectus, per pedes affectus accipi. Ad tam diuinum autem & inuſitatum ſpectaculum populus frequens vndique accurrit, & plerique eius matertera illud indicarunt. Ea verò cum ſuis aduolat, videre cupiens tantum miraculum, & lætatur quidem ſingulari beneficio, ſed non minùs dolet tam repentino ſanctæ ac Deo dilectæ virginis deceſſu. Manant ab oculis lachrymæ, rebus planè contrariis, gaudio & mœrore eas exprimentibus. Porrò autem Colonienſes ciues, diuulgato eo, quod diximus, luminarium miraculo, ita vt par erat, ſacrum virginis corpus honorabant vigiliis, precibus, & accendendis luminibus. Cúmque ad Templum deportaretur, magna acceſſit populi frequentia, congruis & debitis officiis illud proſequens, vt opportuna eius ſuffragia impetraret. Ac-*

d Num. 12.

NOITBVRGIS OBIT.

cidit tum res admiratione digniſſima. Cùm enim inter ſacri funeris exequias, alterius defuncti cadauer in Templum inferretur, & iuxta eius feretrum deponeretur, vt præclara virginis merita elucerent, ad vitam defunctus ille rediit, palàm affirmans ſe ſanctæ Noitburgis meritis & precibus à mortuis excitatum. Quæ res omnibus non immeritò ſummæ admirationi fuit, coegítque eos laudare præpotentem Deum qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis. Celebratis funeris eius exequiis, in beati Petri Apoſtoli Eccleſia coram ſummo altari corpus humatum eſt. Crebreſcentibus inde ad tumulum eius miraculis, tam celebre nomen eius effectum eſt, vt illa Eccleſia ſanctæ Noitburgis à Colonienſibus diceretur.

XXIV. Omiſimus nonnulla, quæ ſupradictis contraria ſunt. Noitburgis enim, ſi manſit in Monaſterio beatæ Mariæ cum matertera tunc repudiata, floruítque anno Chriſti plùs minùs ſeptingenteſimo, ſanè nec Drogoni cuius obitus in annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum incidit, nec Grimoaldo Pippinóque quorum interitus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto contigit, ſuperſtes vixit, procúlque alienum à vero ſit Plectrudi *poſt orbitatem mariti Pippini & duorum filiorum Drogonis & Grimoaldi, vnicum ſolatium in Noitburge relictum* fuiſſe, *quod cum illa extincta pariter ablatum* ſit.

XXV. EPISCOPI SVESSIONENSES. Ab anno Clotarij Tertij Regis decimo-quarto, qui partim anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo, partim anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo illigatur, ad annum vſque Chriſti octingenteſimum decimumquartum, in Sueſſionenſium Epiſcoporum Nomenclatura nullus occurrit Character Chronologicus. Drauſius Sueſſionenſis Epiſcopus puellari beatæ Mariæ Virginis Monaſterio Priuilegium anno decimo-quarto Clotarij Tertij Regis conceſſit [a]. Poſt Drauſium in Sueſſionenſi Cathedra decem ſederunt Epiſcopi, tum Rotardus, cuius meminit Flodoardus [b] *anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti octingenteſimo decimo-quarto.* A Drauſij Priuilegio, donec Rotardi mentio fiat, anni colliguntur centum quadragintaſex, nec vllus è tanto numero notatur in Catalogis hactenus editis. Antiſtitum, qui Sueſſionenſem Eccleſiam penè per ſeſquiſeculum rexerunt, ſuperſunt ſola nomina, ſi Warinberti mortem & Gaudini Martyrium excipias. Sed nec annum, quo Deus vltionem de Warinberto ſumpſit, nec annum, quo Gaudinus ad Dominum feliciter migrauit antiqua vel recentia produnt documenta.

[a] Vide an 668. n. 5.

[b] L. 2. c. 18.

XXVI. Ioannes Bollandus ad diem vndecimum Februarij, quo ſancti Gaudini memoriam Auctor Martyrologij Gallicani celebrauit, habitâ ratione temporum longè diuerſorum, quibus Clotarius Tertius apud Francos regnauit, & Rotardus Epiſcopus Sueſſione ſedit, beatum Gaudinum anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo viceſimo floruiſſe ſcripſit, nihílque diſtinctiùs vel ſuper anno quo Pontificatum ſuſcepit, vel ſuper anno quo Martyrium ſubiit, auſus eſt pronuntiare. Duabus tamen de cauſis ab illo computo recedere cogimur, quia Bollandus mortem Clotarij Tertij, quam anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo conſignamus, in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum reiicit, deinde Catalogo Sueſſionenſium Epiſcoporum perperam inſerit Autbertum ſancti Medardi Abbatem, cui Warinbertus in adminiſtrationem Monaſterij ſucceſſit, Drauſione ſeu Drauſio Sueſſionenſium tunc Epiſcopo, vt conſtat ex antiquo Scriptore, qui vitam ſancti Medardi conſcripſit [c].

[c] Ap. Sur d. 8. Iun

XXVII. Exiſtimamus igitur Gaudinum Epiſcopum hoc circiter anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo, necatum fuiſſe. Poſt Drauſium autem, cuius mentionem Tomo ſuperiori ſæpè fecimus, ſederunt Warinbertus, Adalbertus, Gaudinus. De Warinberto, qui primùm Abbas ſancti Medardi, deinde Sueſſionenſis Epiſcopus factus eſt, & vtramque dignitatem, Abbatialem videlicet & Epiſcopalem, ſimul ad mortem vſque retinuit, iam diſſeruimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quarum [d]. Quam autem Deus vltionem in eum exercuerit, accipe ex narratione, quæ ſancti

[d] Num. 9.

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6. WARINBERTVS.

Medardi vitæ ſubiecta reperitur. *Miſer hic nimiâ exæſtuans cupiditate, dum prauæ ſuæ ambitionis augere non ceſſat commercium, corporis ſui, &, quod dolendum eſt, animæ quoque ſuæ, (proh dolor!) præparat exitium. Attentus ſiquidem extra modum negociis ſecularibus, ac ſuis plùs iuſto prauis inhians cupiditatibus, locum illum ſanctum neglectui cœpit habere, quæque inibi à Regibus & aliis pro eleemoſynarum largitione deputata fuerant, ſuis malè vſibus retinere. Quæ inibi Deo ſeruientibus fideles quique Dei & ſancti Medardi gratiâ præordinauerant, ſuis ipſe in theſauris recondebat, ac ſeruorum Dei poſthabitâ ſollicitudine, reditus Eccleſiæ ſuæ ſatellitibus irreuerenter diſtribuebat. Quibus præ nimia ingluuie eructantibus, ſpiritualis illa Congregatio eſuriebat; ſuis multo vino exæſtuantibus, ſancta ſancti Præſulis familia præ nimio ſitis ardore deficiebat. Nudi & pauperes ſerui Dei lugebant & lamentabantur, familiares autem miſerrimi illius Epiſcopi per plateas in veſtibus precioſiſſimis gloriabantur. Acclamationes ſeruorum Dei ſurdâ Epiſcopus aure pertranſibat; cùm eis prælatus eſſet, eorum querimoniam, tanquam a nullo arguendus, non ſine multa cordis & oris arrogantia, imminentis ſibi vindictæ neſcius, pro nihilo reputabat. Ad libitum ſuum miſerum illum, qui Paſtoris indignè ſibi nomen vſurpauerat, oues Domini non ſuas tractare licuit, verùm illius, cuius erant propriæ, manum effugere nullo modo potuit. Audiat ergo intentè quicunque prælationis Eccleſiaſticæ fungitur officio, quàm terribili pro hac ſeruorum Dei reclamatione percuſſus ſit iudicio. Erat ſiquidem in pago Cenomanico quoddam prædium, quod Rex Sigebertus einſdem ædificator Eccleſiæ ad eius, quam ibi Domino aggregauerat, Congregationis firmauerat dominium. Prædium illud Maduallis dicebatur, ex Britannica videlicet & Latina lingua nomine compoſito, quod bona vallis, noſtro ſcilicet & Romanæ linguæ vulgari poteſt interpretari eloquio. Maduallem itaque illam, id eſt, bonam vallem, quia multis abundabat reditibus, ipſe ſibi Warinbertus ad perditionem ſuam vſurpauerat, & ex toto neglectis, ſicut diximus, fratribus illis, villæ illius cenſus ſuis vſibus mancipabat. Gemebat ſancti Medardi pauper Congregatio, quia quod eorum erat vſibus deputatum, contra Canonicam inſtitutionem malè dilapidabatur in Epiſcopio. Quadam itaque die, cùm ſecundùm conſuetudinem de prædio illo plauſtra onuſta, vt diximus, ad Palatium Epiſcopale deducerentur, compertâ fratres illi Epiſcopi abſentiâ, vehicula illa, vtpote quæ ſui erant iuris, ad ſancti Præſulis diuertere coegerunt Eccleſiam, non diffugientes pro defenſione iuſtitiæ corporalem, ſi quoquo modo inferretur, ſuſtinere moleſtiam. Sua ergo cùm ſuis repoſuiſſent in promptuariis, ſanctiſſimi Dei Athletæ lachrymabiliter ſollicitabant merita, quatenus aut eius interceſſione furibundus ille inuaſor placaretur, aut eius defenſione ab eius protegerentur inſania. Verebantur ſiquidem, quod non poſt multum proueniſſet, niſi gratia diuina lugenti ſuæ familiæ propitiabili clementiâ ſubueniſſet. Vt enim ad Epiſcopi quod factum erat peruenit notitiam, proh dolor! non retractans inſtitutionem Canonicam, nec reueritus iudicialem Dei ſententiam, cum fuſtibus & gladiis, non iam Prælatus, verùm vir ſanguinarius ad ipſam beati Medardi cum multo ſuperbiæ faſtu, cum indoctæ plebis conuentu auſus eſt properare Baſilicam. Cúmque irreuerenter ſanctuarij regias concuterent, eóſque, qui pro ſubitanea tormentorum expectatione aditum obſtruxerant, exprobrationibus contumelioſis inſequerentur, furibundus ipſe Pontifex per medium eorum irrumpens, præſumptuosè nimis & cum multa ſuperbia excruciari cuſtodes minabatur, niſi citò ſibi ianuæ aperirentur. In tam imminente mortis diſcrimine ſerui Dei trementes, Deo & ſancto Medardo non ſine multa lachrymarum profuſione animas ſuas commendant, & ſic diuinitus animati aperiri furentibus illis iubent Eccleſiam. Mox infelix Epiſcopus ingreſſus Monaſterium, vt eum, qui ſibi aperuerat, præ nimio timore ſecus ianuas percepit deliteſcere, tam validè illi baculum, quem manu geſtabat, illiſit in capite, vt penè totum eius veſtimentum exundanti cruentaretur ſanguine. Stupefactus frater & penè decidens, ad Deum ſuſpirauit, & ei querimoniæ huius cauſam, cùm aliter non præſumeret, intimo cordis munere lachrymabiliter commendauit. Audiant tyranni ſeruorum Dei reclamationes & reuereantur; audiant fideles quique celerrimam Dei conſolationem & confortentur. Statim enim infeliciſſimus ille Warin-*

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6. *bertus excors & impœnitens, mox vt ante ſanctiſſimi Confeſſoris memoriam tanquam oraturus genua flexit, diuino terribiliter percuſſus iudicio, diffuſis per alui ſecreta viſceribus, miſerabiliter expirauit. Fratres autem Eccleſiæ, malum pro malo reddere nolentes, fratris illius, quem percuſſum diximus, ſedatâ querimoniâ, corpus defuncti honorificè in ipſa eadem ſepelierunt Eccleſia.*

XXVIII. ADALBERTVS. Warinberto in Epiſcopatum Sueſſionenſem ſucceſſit Adalbertus, de quo nihil præter nomen occurrit. Abbatum, qui Monaſterio ſancti Medardi poſt eundem Warinbertum præfuerunt, mancus eſt Catalogus, nam toto ſeculo octauo ſolus notatur Hugobertus [a], qui munus Abbatiale gerebat anno Chriſti duodeuiceſimo ſupra ſeptingenteſimum.

[a] Tom 4. Gall. Chriſt.

XXIX. GAVDINVS MARTYR. Adalberto ex hac vita ſublato, Pontificales Infulæ Gaudino delatæ ſunt, cuius Martyrium tertio Idus Februarij ſic deſcribitur [b]. *Sueſſione, ſancti Gaudini Epiſcopi eiuſdem ciuitatis & Martyris, qui cùm aliquot ciues de vſuris publicè redargueret, in odium Euangelicæ quam prædicabat veritatis, ab ipſis clanculùm interceptus, atque ad vicum Herlinum raptatus, ibidémque in patentem puteum præceps deiectus & ſuffocatus, egregio agone palmam victoriæ immarceſſibilem & æternæ percepit vitæ aureolam.* Sancti Gaudini Martyris commemoratio ſexto Idus Februarij celebratur in Gallia Chriſtiana Claudij Roberti. Deinde eiuſdem Martyris eleuatio ſeu tranſlatio celebris eſt Kalendis Iuniis apud Molanum in additionibus ad Vſuardum & apud Sauſſaium in Martyrologio Gallicano.

[b] Martyrol. Gallic.

XXX. MACHARIVS, GALCONVS, GOBALDVS, HVBERTVS. Sancti Gaudini Martyris ſucceſſores, quos ſolis duntaxat nominibus notos eſſe iam diximus, hoc ordine recenſentur, Macharius, Galconus, Gobaldus qui & Ceroboldus, Hubertus ſeu Gerabertus, Madalbertus, Deodatus, Hildegodus, tum Rotardus quem anno Chriſti octingenteſimo decimo-quarto ſediſſe conſtat. Ex illa Sueſſionenſium Epiſcoporum enumeratione colligere eſt Macharium, Galconum, Gobaldum & Hubertum ſub Merouingis Regibus floruiſſe, ceteros ſub Pipino & Carolo Magno de quibus Tomo ſequenti.

XXXI. ABBATISSÆ S. MARIÆ SVESSION. Eodem autem tempore, quo ſanctus Gaudinus Martyrium paſſus eſt, Sueſſione puellari Monaſterio beatæ Mariæ Virginis Abbatiſſa præerat Cunegundis ſeu Cunegaudia, hæc enim poſt Etheriam primam illius Cœnobij Antiſtitam, quam Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [c] laudauimus, proximum locum tenet in Abbatiſſarum Catalogo, quem Domnus Ildefonſus *Vrayete* Monachus Benedictinus è Congregatione ſancti Mauri Sammarthanis communicauit. Cunegundi ſucceſſit Aldegardis, de qua loquemur ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum, cùm de ſancto Vodalo ſeu Vodoaldo ſermonem faciemus.

[c] Num. 9.

XXXII. MAVRITIVS EP. VENET. OBIT. Obiit hoc anno Mauritius * Venetenſis Epiſcopus, cùm annos viginti ſediſſet. Agemus anno ſequenti de ſucceſſore. Lege Armoricam Sanctam.

* *Moruan.*

XXXIII. Cæſar Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, Idibus Decembris, obſeruat, ex Chronicis Germaniæ, ſanctam Othiliam ſiue Odiliam circa hunc annum claruiſſe. Id in dubium à nobis minimè vocatur. Lege quæ de illius parentibus, ortu, cæcitate, baptiſmo, illuminatione, habitu monaſtico & Abbatiali dignitate ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum dicta ſunt. *Habebat* Odilia Abbatiſſa in Monaſterio Altitonenſi ſiue Hohenburgenſi *ſub cura ſui regiminis numerum Monialium quaſi* CXXX. Situm erat illud Cœnobium in editiſſimo iugo, quod Voſagi caput vocant. Propter itineris difficultatem pauci Monaſterium in colle tam excelſo poſitum adibant. Inde data Odiliæ eiúſque ſodalibus occaſio, vt inferius Monaſterium vulgò *Nidermunſter* in vmbilico montis erigerent. Qua de re ſic Codex manuſcriptus in vita ſanctæ Odiliæ. *Monaſterium, quod venerabilis Abbatiſſa gubernabat, ſicut iam prælibauimus, in excelſo monte erat conſtructum, & idcirco non ſolùm debiles & infirmi, ſed etiam integritatem corporis habentes cum*

ODILIA ABBATISSA HOHENBURGENSIS CONSTRVIT INFERIVS MONASTERIVM.

magna

Digitized by Google

magna difficultate illuc aſcendebant. Tunc ſancta Dei famula dolens eos propter difficultatem itineris rarò ad ſuum venire Cœnobium, cùm & non haberet hoſpitalitatem præcipuam, conuocauit omnem Congregationem, quam ſub ſuo habebat regimine, vti earum volens conſilio dixit ad eas. Cernitis, dilectiſſimæ ſorores, quòd aſperitas itineris magnum laborem aſcendentibus peregrinis & debilibus confert, & idcirco pauci nos adeunt. Ego autem volo iubere, ſi veſtræ placuerit ſanctitati, in inferiori latere iſtius montis hoſpitalitatem ad recipiendos Chriſtianos ædificari. Tunc omnes reſponderunt optimum eius eſſe conſilium. Et acceptâ eorum dilectione, imprimis ibi Eccleſiam conſtruxit, & eam in honore ſancti Martini dedicari rogauit, & deinde receptionem pauperum fecit. Placuit autem ſororibus habitatio illa, quia locus amœnus erat, & aquarum abundatione locuples, & poſtulauerunt, vt ibi Monaſterium faceret, quia ſuperius Monaſterium in magna aquarum penuria ſitum erat. Illa autem conſilio illarum aſſenſum præbens ædificauit & ibi Monaſterium, ſicut & hodiernus comprobat dies.

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

XXXIV. Svam Congregationem divIdit in dvas tvrmas.

Vtriuſque Monaſterij tam ſuperioris quàm inferioris Abbatiſſam ſe ſcribebat Odilia. Id teſtatur Gaſpar Bruſchius in Chronologia Monaſteriorum [a] Germaniæ, locúmque amœniſſimum Cœnobiis interiacentem memorat. Sub Odiliæ diſciplina Moniales erant quaſi centum ac triginta, Congregatio adeò numeroſa duas in turmas facilè ſeparari potuit. Vt illi cœtui ſe adiungerent, aduolarunt ex Britannia & ex Scotia ſiue Hibernia mulieres non paucæ. Codex enim proximè citatus hæc de Odilia paulò pòſt ſubiungit. *Erat ei conſuetudo peregrinas ad ſanctam conuerſationem ſuſcipere fœminas, tam de Scotia quàm & de Britannia, necnon & viros religioſiſſimos ex diuerſis prouinciis venientes cum gaudio ſuſcipiebat, & ex eis ſibi Presbyteros ordinari rogauit.*

[a] In Truttenhuſio.

XXXV. Vtrvmqve Monasterivm regit svb Regvla Canonica.

De vitæ genere, quod in vtroque Cœnobio Moniales amplexæ ſunt, hæc in eodem Codice ſubiiciuntur. *Odilia conſummauit vtraque Monaſteria, & collocauit in eis Sanctimoniales. Et poſt hæc conuocauit omnes ſorores, & rogauit eas vt ſibi indicarent vtrùm Canonicam an Regularem vitam ducere vellent. Tunc omnes vnanimiter reſponderunt ſe Regularem vitam velle ducere & conuerſationem habere. Illa autem cum humilitate & manſuetudine reſpondit, dicens. Scio, meæ cariſſimæ ſorores & matres, vos promptiſſimas eſſe ad omnia aſpera & dura pro Chriſti nomine toleranda, ſed timeo nos, ſi Regularem vitam elegerimus, maledictionem à ſucceſſoribus noſtris incurrere, quia iſte, vt ſcitis, locus valdè incompetens eſt & laborioſus Regulari vitæ, adeò vt nec aqua niſi cum magno labore adipiſci poteſt hîc. Vnde mihi videtur, ſi veſtræ placuerit almitati, melius eſſe vt in Canonico habitu conſiſtatis. Tunc omnes ſecundùm illius verba elegerunt Canonicam Regulam, in qua vſque hodie in ſupradictis Monaſteriis degentes, præcedentium normam ſequentes perſeuerant.*

XXXVI. Constrvit Ecclesiam S. Ioannis Baptistæ.

Odilia, vt idem Auctor in eius vita perſequitur, *quamuis toto conamine omnes Sanctos ad auxilium ſibi ſatageret inuocare, ſæpiùs tamen Reliquias ſancti Ioannis Baptiſtæ frequentabat, eò quòd in Baptiſmate viſum adepta fuerit. Vnde etiam Eccleſiam in honore ipſius ædificare cogitabat, ſed quia per illius reuelationem ſcire volebat, in quo loco ſibi Eccleſiam conſtrui prædeſtinaret, ante nocturnas conſurgens, ſecretum, quem ſibi ad orandum elegerat, locum petiit. Dúmque ibi in oratione ſe effudiſſet largiter, ſanctus Iohannes Baptiſta magnâ claritate comitatus dicitur apparuiſſe taliter, ſicut cùm Saluator eſt in Iordane baptizatus, circumamictus. Vna autem ſanctarum fœminarum, cuius miniſterium erat horam diuini Officij præuidere, ſurgens foras egreſſa eſt, vt Stellis contemplatis ſciret ſuum eſſet tempus ad ſignum nocturnale pulſandum, videns tantam claritatem, ſcire volens quid hoc eſſet, pedetentim propiùs acceſſit. Cúmque propiùs acceſſiſſet, nimio ſplendore perterrita continuò ad proprium repedauit officium, nihílque ibi videre potuit, niſi ſanctam virginem nimiâ claritate circumdatam, ſanctum autem Iohannem minimè vidit. Tunc ſanctus Iohannes electæ Dei virgini & locum vbi Eccleſiam conſtrui vellet, & quantum ſpatium in longitudine & latitudine habere deberet, patefecit. Finitis autem nocturnis, ſtatim eam Dei ancillam, quæ huic viſioni intererat, ad ſe*

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

conuocauit, & ei interdixit, ne vlli hanc ante obitum ſuum manifeſtaret viſionem, & hoc, quod ipſam latebat, aperuit dicens. Claritas, quam vidiſti, non propter me ſed propter ſanctum Iohannem aduenit, qui mecum loquendo locum præceptum Eccleſiæ ſibi conſtruendæ iniunxit. Facto verò mane, ingenti gaudio repleta, mox diuinum, quod ſibi oſtenſum fuerat, opus facere inchoauit. Quando incœpta perfectáue ſit hæc Eccleſia, nos latet. De illa iterum agemus infrà, perrexit enim ad eam Odilia, cùm ſolutionem ſui corporis imminere diuinitus nouit.

XXXVII. * *Monſtier la Celle.* EPISCOPI TRECENSES.

In vita ſancti Frodoberti Abbatis Cellæ * prope Trecas, de quo multa ſuis locis narrauimus, illud Monaſterium maximè laudatur, *quòd ex eiuſdem loci Cænobitis beati Frodoberti vitam inſtitutionémque ſequentibus, quamplures poſtmodum in vrbe Trecaſſium extitere Pontifices, inter quos Aldobertus vir ſummi ingenij & præcipuæ ſanctitatis; itémque Bobinus natione Aquitanus, quorum vterque ipſi loco ingentia commoda contulere, intrà extráque, quibus poſſibile fuit, amplificando, modis, ſícque in plenitudine bonorum operum diem vltimum conſummantes, intra ſepta Baſilicæ eiuſdem Monaſterij nobilem ſortiti ſunt ſepulturam.* Exeunte ſeptimo ſeculo florebat Aldobertus, Bobinum exiſtimamus ad tempora vſque Pippini Regis perueniſſe, ſed vt inter Vulfredum, de quo ſub finem Tomi ſuperioris [a] locuti ſumus, & Aldobertum quem hoc anno Epiſcopum agnoſcimus, medius ſedit Ragembertus, ſic & inter eundem Aldobertum ac Bobinum in Treccenſium Epiſcoporum Catalogo medij collocantur Gautſerius, Arduinus & Cenſardus, ſolis nominibus noti, niſi Arduinus idem ſit ac Baldoinus ſeu Balduinus, cuius mentionem Chronographus Fontanellenſis [b] ſub Theodorico Quarto Rege fecit, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum dicturi ſumus.

[a] Ad an. 678. n. 1.

[b] Cap. 7.

XXXVIII. EBREGESILVS EP. MELDENSIS OBIT.

Hoc circiter anno, pridie Kalendas Septembris ad Deum migrauit Ebregeſillus Meldenſis Epiſcopus. De illo ſic eo die Sauſſaius. *Vitâ & æuo, laboribúſque exhauſtus, in Cænobio Iotrenſi, ad quod pietatis ergò diuerterat, religioſiſſimè pia lumina clauſit, atque in Regni cæleſtis, cui Sol iuſtitiæ perpetim fulget, conſcendit lucidiſſimas feliciſſimáſque manſiones. Funus eius deportatum eſt in Ædiculam ſancti Pauli, in qua non ita diu ſacrum eius corpus, infulis & panopliâ ſacrâ egregiè adornatum, poſt mille annos apparuit.* Vitioſus hic annorum numerus, *poſt mille annos*, Sauſſaius enim anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo triceſimo-ſeptimo ſcribebat, id eſt, poſt annos circiter ab obitu ſancti Ebregeſilli nongentos triginta-ſeptem, nam ſanctus Ebregeſillus, vt Iacobus Seuertius ſcribit, *circa annum ſeptingenteſimum* ex hac vita tranſiit. Iotrenſe Monaſterium, quandiu vixit, plurimum dilexit, quia propinquitate coniunctiſſimus fuit Abbatiſſis illius loci, Teutechildi, Aguilbertæ, & Baldæ, primam enim habuit ſororem patruelem, ſororem alteram, tertiam amitam. Lege quæ de tribus illis Iotrenſibus Abbatiſſis dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [c]. Coluntur ſancta Teutechildis ſexto Idus Octobris, ſancta Aguilberta pridie Idus Auguſti, ſancta Balda quinto Idus Decembris. In Iotrenſium Abbatiſſarum Catalogo primum locum tenet Teutechildis, ſecundum Aguilberta ſoror eius patruelis, tertium Balda illarum amita. Vixit hæc vitam valdè longæuam, nam duabus neptibus in adminiſtrationem Monaſterij ſucceſſit. Vtrùm Cœnobio, cùm illic obiit Ebregeſillus, præeſſet Aguilberta ſoror, an amita Balda, manet incompertum.

ABBATISSÆ IOTRENSES.

[c] Num. 8.

XXXIX. DVO DISTINGVVNTVR LANDRICI.

Poſt ſanctum Ebregeſillum in Meldenſi Cathedra ſedit Landricus ſiue Lendricus vel Lendicus, quem Baldericus [d] in Chronico Cameracenſi filium ſancti Vincentij & ſanctæ Waldetrudis finxit, traxítque in errorem Miræum, Robertum, Sauſſaium, Vinchantium & Sammarthanos. Inter filios ſancti Vincentij & ſanctæ Waldetrudis nominatus quidem reperitur Landricus, ſed hic Epiſcopatum numquam geſſit, ex Monacho factus eſt Abbas Sonegienſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, vitám-

[d] Lib. 2. c. 46.

Digitized by Google

que mortalem clauſit Sonegiis * , vbi ſacrum illius corpus adſeruatur in capſa argentea , feſtúmque decimo-quarto Kalendas Maij celebratur. Si Molano [a] fides eſt, *Landricus ſic gradatim virtutum iter accelerauit , vt in Cathedram Metenſis Pontificij dignaretur eum Dominus ſublimare. Poſt obitum autem patris, poſtpoſito Epiſcopio, vſque ad felicem tranſitum, Sonegienſe Monaſterium rexit, vbi etiam eſt tumulatus.* At anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, quo Landricus poſt patris obitum factus eſt Sonegienſis Abbas , Infulæ Metenſes erant penes Clodulphum , qui Metenſem Epiſcopatum ab anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum per annos quadraginta gubernauit. Adſtipulatur Molano Gazetus in Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij. Miræus [b] vtrumque ſugillat , vbi damnat eos qui Landricum Metenſem Epiſcopum conſtituunt , ſed ipſe non minùs fallitur , dum eundem Landricum Meldenſibus Epiſcopis accenſet. Vt ſuam opinionem tueatur , ait collatas à ſe cum Balderici Chronico Cameracenſi tabulas Antonij Democharis , qui Landricum Epiſcopum viceſimum-quartum Meldenſem nuncupat. Baldericus de Landrico ſancti Vincentij filio perperam locutus eſt , optimè de Landrico Meldenſi Epiſcopo Demochares , apud quem in Catalogo Meldenſium Epiſcoporum hæc tantùm leguntur. 24. *Landricus ſeu Lendicus.* Miræus addit Landricum floruiſſe *circa annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum aut ſeptuageſimum.* Fatemur illis temporibus vixiſſe Landricum ſancti Vincentij filium, patri enim mortuo in Monaſterij Sonegienſis adminiſtrationem anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo ſucceſſit. Meldenſem autem Pontificatum multò ſeriùs obtinuit Landricus. Annis ſeptimi ſeculi ſexageſimo & ſeptuageſimo, quibus Landricum floruiſſe vult Miræus, Epiſcopatum Meldenſem gerebat ſanctus Faro, qui *fuit in Epiſcopatu à Clotario Rege vſque ad Childericum annis* XLVI , vitámque anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo clauſit Childerico Secundo Monarchiam Francorum tunc obtinente. Poſt eundem verò Faronem Meldenſi Eccleſiæ ſex hi ſucceſſiuè præfuerunt Epiſcopi, Walbertus ſeu Waldebertus , Ildeuertus, Hellingus, Pathaſius, Ebregeſillus, Landricus, ad cuius Pontificatum ab obitu ſancti Faronis interceſſerunt anni duodetriginta. Diſtinguendi ſunt igitur duo Landrici , vnus Abbas Sonegienſis , alter Meldenſis Epiſcopus; fruſtráque Vinchantius [c] vbi de Landrico Abbate Sonegienſi ſermonem facit, Molano Miræum præfert , cùm vterque horum Auctorum in eodem Landrico errarit , ſeu Metenſem ſeu Meldenſem Epiſcopum dixit.

* Soigni.
[a] D. 17. Apr.
[b] D. 17. Apr.
[c] Lib. 3. c. 10.

XL. DVO DISTINGVVNTVR ILDEVERTI.

Landrico Meldenſi Epiſcopo ſynchronus vixit Ildeuertus Abbas Centulenſis , quem nonnulli quoque cum Epiſcopo Meldenſi illius nominis confundunt. In Abbatum Centulenſium Catalogo , quem à Iacobo Sirmondo acceptum Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana primus aliíque poſteà publicarunt, poſt Clotinum ſancti Philiberti diſcipulum, de quo ſuprà locuti ſumus [d] , collocatur *S. Ildeuertus , cuius Reliquiæ apud Gornacum.* Duos agnoſcimus Ildeuertos, vnum Epiſcopum Meldenſem , qui poſt ſanctum Waldebertum ſedit, vt ad annos Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [e] & ſexcenteſimum nonageſimum [f] diximus , alterum Abbatem Centulenſem , qui ſeriùs vixit. De vtriuſque ſepultura mouetur quæſtio. Duplex enim eſt Gornaium ſeu Gornacum * ſancti Ildeuerti ſacris exuuiis ſolemníque feſto nobile; vnum ſeptimo ab vrbe Meldenſi lapide, vbi Eccleſiam ſancto Ildeuerto ſacram teſtatur Robertus in Meldenſium Antiſtitum Catalogo; alterum in hodierna Nortmannia, ſiue in Diœceſi Rotomagenſi , vt diſtinctiùs notat in Hiſtoria Eccleſiaſtica [g] Abbauillenſi R. P. Ignatius Ioſeph à Ieſu Maria Carmelita diſcalceatus. Hic Auctor ſanctum Ildeuertum , qui apud Gornacum Nortmannicum in Eccleſia Collegiata quieſcit, Abbatem Centulenſem vocat, ídque confirmat ex illius vita, quam ait in Archiuis eiuſdem Baſilicæ legi. Seuertius addit *Summos Pontifices contuliſſe*

[d] Ad an. 684. nn. 15. 16.
[e] Num. 42.
[f] Num. 36.
* Gournay.
[g] Lib. 1. c. 48.

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

Indulgentias generales Gournai in Northmannia iis, qui Reliquias ipſius, nempe ſancti Ildeuerti *viſitaſſent.* Et apud eundem Auctorem *feſtum celebratur ibidem, tum quinto Martij, tum etiam 25. Auguſti.* Vnde & colligas hunc Ildeuertum valdè diuerſum eſſe ab Epiſcopo Meldenſi, qui ſeptimo Kalendas Iunij colitur in Martyrologiis Gallicano ac Benedictino, & apud Gornacum, vbi viuus Eccleſiam conſtruxerat, ſepultus fuit ſeptimo à Meldis lapide.

XLI. [a] Lib. 1. n. 28. SERIES ABBATVM CENTVLENSIVM.

In Chronico Centulenſi, cuius næuos non paucos iam oſtendimus, omittitur Ildeuertus Abbas, commemorantur [a] Guitmarus & Aldericus, quos arbitramur ei proximè ſucceſſiſſe. Guitmari & Aldrici meminit Angelrannus Abbas. De Guitmaro ſic teſtatur Chronographus Centulenſis. *Illius temporis Abbates ex toto prorſus ignoraſſemus, niſi venerabilis Abbas Angelrannus ex aliquanto id procuraſſet. Qui dum priſcorum Abbatum Catalogum perſtringeret, ex iis vnum fuiſſe inſinuauit Guitmarum, quem & ſanctiſſimum virum titulauit.* Et paulò pòſt de Aldrico ſic. *Eum* nempe Aldricum, *& ipſum eius nomen ignoraſſemus, niſi hoc venerandi Abbatis induſtria Angelranni reuelaſſet.*

XLII. Angelrannus igitur Guitmarum *ſanctiſſimum virum* appellauit. Inde prædictus Chronographus occaſionem in eiuſdem Guitmari commendationem expatiandi ſumpſit. *Quia*, inquit, *tanti viri tale meruit teſtimonium, dignum eſt vt à nobis puſillis memoretur, qui viri verè ſancti ore ſanctiſſimus eſt notatus. Hic in Neuſtriæ ſolo humatus quieſcit, & in ſuo nomine dicata Eccleſia exiſtit. Qui quantæ ſanctitatis & iuſtitiæ fuerit, nos quidem non occurrimus dicere, ſed his, qui eius corpori ſancto deſeruiunt, Canonicis prædicandum committimus.* Videtur autem hic Auctor Guitmarum Abbatem confundere cum eius deceſſore Ildeuerto, cuius nullam omnino mentionem facit.

XLIII. De Aldrico præter nomen nec Angelrannus nec Chronographus Centulenſis quidquam ſcripſit. Ab hoc Chronographo Centulenſes Abbates hoc ordine recenſentur, ſanctus Richarius, Ocioaldus, Coſchinus, ſanctus Guitmarus, Aldricus; à nobis aliter, ſanctus Richarius, Ocioaldus, Clotinus, ſanctus Ildeuertus, Guitmarus, & Aldricus, qui vitam ſub Pippino Rege clauſit.

XLIV. [b] Sub lit. P. in Palatiolo. PALATIOLVM MONAST. CONDITVR AB ADELA VIDVA.

Gabriel Bucelinus parte ſecundâ [b] Germaniæ Sacræ, fundationem Monaſterij Palatioli ſub hunc annum collocat. Florebat tunc in Auſtraſia Pippinus Maior-domûs, cuius mentionem Adela ipſius Cœnobij fundatrix ac prima Abbatiſſa initio ſui Teſtamenti ſic facit. *Adela in Chriſto Domino ſacrata Abbatiſſa, Dagoberti Regis quondam filia. Cùm peruulgatum notúmque bonis omnibus ſit, quemadmodum nos Monaſterium in villa quæ dicitur Palatiolum, in ripa poſitum fluminis Moſellæ, quod ipſum à Pippino Maiore-domûs Treuiris permutatione quæſiuimus, honoríque S. Mariæ Virginis, Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatorum Petri & Pauli ceterorúmque Sanctorum iam dudum ad proprij Monaſterij vſum extruximus, in eóque Monacharum cœtum diſciplinâ & regulâ S. Benedicti viuentium aggregauimus, faciendum denique nobis viſum eſt, vt has vitæ degendæ neceſſarias opes, quas de propriis hactenus largitæ ſumus, Teſtamenti etiam præſenti paginâ confirmaremus.* Illud Teſtamentum Browerus integrum primus publicauit, deinde Henſchenius in Diatriba [c] de tribus Dagobertis edidit, nec omittemus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum, ſiue ad duodecimum Theodorici Regis annum, quo confectum ſcriptúmque reperitur.

[c] Lib. 2. c. 14.

XLV. Adela, quæ Dagoberti Regis filiam ſe ſcribit, patrem habuit Dagobertum Secundum, idque manifeſtiſſimè colligitur ex ætate Dagobertorum, cùm Primi, tum Tertij.

XLVI. Dagobertus Primus ſeu Magnus obiit ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo. Quis eius filiam ad annum duodecimum Theodorici Quarti Regis, id eſt, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum perueniſſe, vel etiam ſeriùs mortuam credat? Nec valet ſubterfugium ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, quocum

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

annus duodecimus Theodorici Tertij Regis conuenit, nam longè poſt Theodorici Tertij mortem Adelam in viuis ſuperſtitem fuiſſe conſtat ex vita ſancti Gregorij Vltraiectini Epiſcopi, ipſius Adelæ ex Albrico filio nepotis, in qua Ludgerus eiuſdem ſancti Gregorij diſcipulus ſcribit S. Bonifacium, *dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos, Orientales regiones Francorum, iter agere cœpiſſet lucrandorum Deo populorum cauſà*, perueniſſe *ad Palatiolum Monaſterium Virginum prope Treueris ciuitatem, in ripa fluminis Moſellæ, cui tunc præerat Abbatiſſa, nomine Addula* ſiue Adela, *religioſa valdè & timens Deum*, idque oſtendemus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo contigiſſe.

XLVII. Dagobertus Tertius è vita diſceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, natus annos circiter viginti. Filiam igitur non reliquit ætate adeò grandem, vt Abbatiſſa iam eſſet, & Palatiolum *à Pippino Maiore-domûs*, cuius obitus in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum incidit, *permutatione* iam quæſiuiſſet.

XLVIII. DAGOBERTI II. R. FILIA.

Dagobertus autem Secundus patrem Sigibertum Tertium amiſit anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto cùm puer aliquot annorum eſſet, in Hybernia exulauit ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium, tunc enim ſublato è viuis Childerico Secundo reuocatus eſt in Auſtraſiam, ibíque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, quo extinctus eſt, maxima cum laude regnauit. Huius filiæ tribui debent, quæ de Adela prima Palatioli Abbatiſſa, Dagoberti Regis filia, commemorantur. Adela viro nupſit, Albricum peperit, vidua Monaſticen excoluit, à Pippino Maiore-domus Palatiolum permutatione ſibi comparauit, inſigne Monaſterium puellarum in illo loco conſtruxit dotauítque, Bonifacium proficiſcentem in Haſſiam hoſpitio ſuſcepit, Palatiolenſem Eccleſiam variorum hæredem bonorum ſcripſit Kalendis Aprilis anno duodecimo Theodorici Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo.

XLIX. Iodocus Coccius de Monaſterio Palatiolenſi déque Adela Abbatiſſa ſic diſſerit in Dagoberto rediuiuo [a]. *Adela, poſteaquàm ex Herimanno Comite Albricum genuiſſet, vt Teſtamento ipſa ſuo vetuſtis Eccleſiæ Treuirenſis panchartis hactenus cuſtodito profitetur, germanæ ſororis pulcherrimo exemplo inflammata, repudiatíſque ſeculi voluptatibus ad ſanctitatis & eiuſdem gloriæ conſortium peruenit; ex quo, poſt mariti obitum, ſe Chriſti obſequio ac miniſteriis in eo Parthenone dicauit, quem Rodoaldus Treuirorum Antiſtes, Palatioli, hodie oppido, primo à Metropoli lapide in Septentrionem, ad ripam Moſellæ, magnifico ſumptu à fundamentis eduxerat, vbi Adelam, compluribus ſub eadem diſciplina ſpectatiſſimi moris atque indolis Virginibus adunatis, magiſtram atque altricem præfuiſſe conſtans Maiorum traditio eſt, & literarum monumenta conſentiunt.*

[a] Cap. 11.

L. E rebus tam multis, quas illo textu Coccius perſtringit, vna duntaxat in Adelæ Teſtamento legitur, nempe quod Albricum ſiue Albericum peperit, cui agrum quadraginta iugerum, Inſulæ nomine appellatum, donauit. *Addi volumus his*, ait Adela, *prædium Scripnaſium in pago Moſao ſitum, ad ipſius Moſæ fluminis ripam, omnéſque eiuſdem poſſeſſionis villas, vno duntaxat quadraginta iugerum agro excepto, quem Inſulæ nomine appellatum, iam antè dulciſſimo filio Alberico donauimus.* Caue igitur ne res omnes, quas Coccius præcitatus attigit, in Adelæ Teſtamento contineri putes. Ibi nec vllum occurrit verbum de Hermanno Comite cui nupſerit Adela; nec de germana Adelæ ſorore, cuius exemplo prouocata ipſa Adela nuncium ſeculo remiſerit, nec de Rodoaldo Treuirorum Antiſtite, qui puellare Monaſterium apud Palatiolum à fundamentis ædificarit. Quid de ſingulis ſentiendum ſit, ſubſequentes obſeruationes demonſtrabunt.

LI. Theofridus Epternacenſis in vita ſanctæ Irminæ, quæ ſoror Adelæ fuit natu maior, hæc ſcribit. *Hanc*, nempe Irminam, *in primæua adhuc ætatis flore Hermannus quidam Comes Gallicanus, nobilis & egregiæ indolis, conſcriptâ ſibi*

Digitized by Google

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6. *ampliſſimâ dote in Tyraſio * & aliis locis, deſponſauerat, ſed ante diem nuptiarum immaturâ morte præreptus, magnum triſte ſuis, magis autem ipſi ſponſæ ſuæ parauerat.* Hunc Hermannum, qui ſponſus Irminæ fuit, Coccius in maritum Adelæ videtur deflexiſſe, nec aliter iam ſenſiſſe credimus Henſchenium, qui, quamuis Coccium legerit citaritque, quoties de Adelæ coniugio locutus eſt, mariti nomen in Diatriba de tribus Dagobertis ſemper reticuit.

* *Tieraſche.*

LII. Coccius per ſororem, cuius exemplo Adelam, vt ſeculi voluptates repudiaret, inflammatam ait, non aliam intelligit quàm Irminam Abbatiſſam Horrei, de qua proximè loquebatur eodem capite duodecimo. Sed Adela, cui plures ſorores, in ſuo Teſtamento mentionem Regentrudis non autem Irminæ facit. *Similiter*, inquit, *à Deiparæ Matris hoc Monaſterio* Palatiolo *poſſideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis Beſlancióque ſita; quæque à dulciſſima germana mea Regentrude dato pretio comparaui.*

LIII. Rodoaldus Treuirorum Antiſtes, quem alij Modoaldum ſeu Modowaldum, vel promiſcuè Modoaldum ac Rodoaldum vocant, Epiſcopatum geſſit temporibus Dagoberti Primi ſeu Magni, nec ei diu ſuperſtes vixit, obiit enim anno Chriſti circiter ſexcenteſimo vndequadrageſimo. Quapropter Coccius capite iam citato, cùm Irminam & Adelam Dagoberti Magni filias fuiſſe cenſeat, Horreenſis Cœnobij, quod Irmina conſtruxit, Eccleſiam à Modoaldo Epiſcopo dedicatam, & Monaſterium Palatiolenſe, cui Adela præfuit, ab eodem quoque Modoaldo ædificatum affirmat. Sed longè antequàm Irmina naſceretur, Modoaldus Epiſcopus ex hac vita migrauit, & Adela initio ſui Teſtamenti ſuprà deſcripto Palatiolenſe Monaſterium à ſeipſa extructum teſtatur.

LIV. Bucelinus de Palatiolo breuiorem quidem ſed non accuratiorem ſermonem ſic init. *Palatiolum Regium olim Virginum Benedictinarum Cænobium conſtructum Treueris à S. Rodoaldo eius vrbis Pontifice ſub A. C.* 700. *cui prima Abbatiſſa præfecta eſt S. Adela Dagoberti Magni Regis Franciæ filia.* Satis ſupérque iam probauimus nec Modoaldum Epiſcopum ſediſſe *ſub A. C.* 700. nec Adelam *Dagoberti Magni* filiam fuiſſe. Vnum tamen, quod ad ætatem Adelæ ſpectat, aduerſùs Bucelinum hîc nota. Anno Chriſti ſeptingenteſimo regnabat Childebertus Tertius, Theodorici Tertij filius. Si Monaſterium Palatiolenſe conſtructum eſt ſub illum annum, & Adela Dagoberti Primi filia fuit, hæc facta eſt Abbatiſſa cum maior eſſet ſexagenariâ, teſtamentúmque condidit ferè centenaria Kalendis Aprilis, anno duodecimo Theodorici Quarti Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo.

LV. Anno Chriſti circiter ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo Adela lucis vſuram accepit in Hybernia; patrem Dagoberum Secundum amiſit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo; nupſit poſt aliquot annos, & marito, cuius nomen ignoratur, Albericum peperit; vidua puellare Monaſterium Palatioli conſtruxit ſub annum Chriſti ſeptingenteſimum; Gregorium ſuum ex Alberico filio nepotem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, cùm teſte Ludgero [a], *quaſi quartum-decimum aut quintum-decimum ætatis annum* ageret, Bonifacio tunc in Haſſiam proficiſcenti tradidit erudiendum; & anno duodecimo Theodorici Quarti Regis, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, Teſtamentum condidit annos nata quatuor circiter ac ſexaginta.

[a] In vit. S. Gregorij Ep. Vltraiect.

LVI. VNDE SIC DICTVM. Palatiolum, vbi Adela Manaſterium erexit, nomen retinuit à vetere Palatio, quod, vt à maiore diſtingueretur, Palatium minus ſeu Palatiolum vocabatur, vt Morquardus Freherus in notis ad Auſonij Moſellam obſeruauit. Palatium intra Treuirim erat, hodie domus eſt Archiepiſcopalis, ſub Francorum olim Regibus, & diu poſteà, Palatinorum Comitum ſedes. Palatiolum ab vrbe paſſuum circiter tria millia in Septentrionem aberat. De vtroque eundem Auctorem conſule parte primâ Originum Palatinarum itémque ad Chronicon Bauariæ.

Digitized by Google

Eo tempore, quo Palatiolenſe Monaſterium Adela conſtruxit, ſuperſtes in viuis erat Hildulphus Treuirenſis quondam Epiſcopus, cuius obitus in annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum incidit. Hic ætate cùm iam grandæuus eſſet, & Aſcetas Mediani Monaſterij videret in dies augeri magno numero, vereri cœpit, ne ſibi tanto vires oneri deeſſent. Quapropter Abbatem prædicti Cœnobij conſtituit Leutebaldum, quem doctrinâ moribúſque probatiſſimum nouerat. Lege Ruyrum in Antiquitatibus [a] Voſagenſibus. Sub idem tempus, *quidam, nomine Beggo*, vt Iacobus Moſander ex manuſcriptis Codicibus in vita ſancti Hildulphi refert, *ſuum fundum, qui in hunc vſque diem Cella Beggonis appellatur, pro Monaſterio conſtruendo viro Dei* Hildulpho *obtulit. Permaximam quoque Voſagi partem, quæ Folcodi * rupes nominatur, iure perpetuo tradidit poſſidendam. Sanctus igitur Hildulphus prænominatam Beggonis Cellam ad honorem ſanctiſſimæ Crucis Dominicæ dedicauit, cui etiam profundiſſimæ humilitatis virum, Spinnulum nomine, præfecit, vbi poſt multos labores numeroſáque miraculorum inſignia idem Abbas Spinnulus vitæ ſuæ diem clauſit extremum*, vt ſuo loco dicemus. Agit quoque Ruyrus [b] de Cella Beggonis, cui nomen hodie ſancti Blaſij, ſed Spinnulum * Abbatem minimè vocat, innuítque illum Cellulæ tantùm præfuiſſe quæ pendebat à Mediano Monaſterio.

AN. CH. 700. CHILDEBERTI III. R. 6.

LVII. HIDVLPHVS LEVTEBALDVM PRÆFICIT MEDIANO MON.

[a] Part. 2. l. 1. c. 13.

* *Roche-Folcbon.*

SPINNVLVM CELLÆ BEGGONIS.

[b] Part. 2. l. 3. c. 17.

* *Spin.*

---

701. CHILDEBERTI III. R. 7.

ANNVS CHRISTI 701.

CHILDEBERTI III. R. 7.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo primo, ſiue, vt Auctor Chronici Fontanellenſis loquitur, *anno ſeptimo* Childeberti Regis, *Erchenulphus* Baino Abbati Fontanellenſi *largitus eſt portionem aliquam de villa quæ dicitur Vlmoſus.*

ERCHENVLFVS MVNIFICVS ERGA MON. FONTANELL.

II. Hiſce temporibus Eccleſiæ Laudunenſi præerat Maldagarius ſeu Madelgarius Epiſcopus, cuius mentio fit in catalogo Laudunenſium Antiſtitum, & in vita Sancti Ermini. Natus eſt Erminus Ercliaci in agro Laudunenſi honeſtis parentibus, literas feliciter edoctus magnâ inſuper claruit morum innocentiâ. Preſbyter ordinatus eſt à Madelgario Epiſcopo. Vrſmari Lobienſis Abbatis, à quo ſæpiùs ad colloquium inuitatus eſt, amicitiam ſibi conciliauit. Florentiſſimum tunc erat Lobienſe Monaſterium. Dux autem Hidulfus, cuius frequenter iam meminimus, exceptus à Madelgario Antiſtite, cùm iter Lauduno faceret, Erminum ſibi dari ſummis precibus vix tandem obtinuit, & cùm in deliciis Lobium haberet, eò miſit illum non aliter ac rem pretioſiſſimam. Monaſticen ille mox amplexus, Vrſmaro præceptore, qui Cœnobij Lobienſis adminiſtrationem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo ſuſceperat, tantam virtutis dignitatem attigit, vt ipſi quamſimillimus euaderet, atque adeò morienti ſucceſſor omnibus ſuffragiis necnon Vrſmari daretur, vt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimotertio probabimus. Lege apud Fiſenum [c] elogium ſancti Ermini. De Madelgario Epiſcopo, déque Hidulfo Duce nihil ampliùs recurret. Succeſſores Madelgarij ſolis tantùm nominibus noſcuntur in Indice Laudunenſium Antiſtitum, Sigoaldus, Bertifridus, Madelanus ſeu Magdelamnus. Dux Hidulfus ſiue Hildulfus vitam clauſit exitu feliciſſimo, Sanctorúmque Faſtis aſcriptus reperitur nono Kalendas Iulij. Sacrum eius corpus Lobij per multa ſecula ſeruatum eſt vſque ad annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum nonum, quo Binchium cum ſeptem aliis auectum fuit teſte Miræo

ERMINVS MONACHVS LOBIENSIS.

[c] D. 25. Apr.

EPISCOPI LAVDVNENSES.

HIDVLFVS DVX PIE MORITVR.

Digitized by Google

AN. CH. 701. CHILDEBERTI III. R. 7.

in elogio ſancti Vſmari decimo-tertio Kalendas Iulij. Aia ſancti Hildulfi coniux beatam Waldetrudem propinquitate contingebat. Quieſcit Montibus Hannoniæ in Eccleſia eiuſdem ſanctæ Waldetrudis, cui varia prædia contulit. Nondum è terra eſt eleuata, eius tamen memoriam facit Eccleſia Montenſis in Litaniis. Lege Miræum iam laudatum decimo-quinto Kalendas Iulij.

CVM AIA VXORE.

III. PERMVTATIO AB EP. VIRODVNENSI FACTA CVM PIPINO ET PLECTRVDE.

Armonius Virodunenſis Epiſcopus bona quædam Eccleſiæ ſuæ cum Pippino Heriſtallio eiúſque coniuge Plectrude decimo-tertio Kalendas Februarias, hoc anno, Childeberti Regis ſeptimo commutauit, Pippino & Plectrudi ceſſit Pararicum *, cuius loco Commenarias * accepit. Tabulæ commutationis à Waſburgio ſic recitantur. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Dum inter Illuſtro viro eiuſque Illuſtra Matrona Plectrude, apud Apoſtolico viro Armonio Epiſcopo Virdunenſis Vrbis, ſeu venerabili viro Angleberto Archidiacono, qui in Eccleſia ſancto Videno, vbi ſuus precioſus corpus requieſcit, præeſt, eſſet cambatio de locella pro commutatione, titulum ſibi inuicem & congrua vel opportuna facere deberent, quod ita & fecerunt. Ideo per præſentem commutationem donat illuſter vir Pipinus eiúſque illuſtra Matrona Plectrudis, loco nuncupante Pararico, quicquid ibidem ad diem præſentem po . . . . . . .donare, ne dentur cum ædificiis, pratis, ſiluis qu . . . . ſunt in vi ſiluæ Lupons . . . . . Fontana vſque, domus Fontana. Altera terminatio per infru. . . . . . rino vſque bumiu. Tertia & quarta communis terminatio Filcalina, de Herberica villa, & ſancti Mauricij, & dono in ipſis finibus, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, cum omni iure vel vnegium terminum, ſeu ſtatu ſuo, quod prædicto loco in Dei nomine pertinet cum mancipiis tam ruſticis quàm vrbanis, quicquid ibidem à die præſenti dominare videtur ad partem Eccleſiæ Domino Videno, vel qui ibidem præfuerint, aut Clericis ibidem deſeruientibus, in omnem ſoliditatem donant & affirmant, vt quicquid de his perutile Eccleſiæ decreuerit voluntas, faciendi liberam habeat poteſtatem. Similiter donat ipſe Apoſtolicus vir Armonius Epiſcopus & venerabilis vir Anglebertus Archidiaconus, loco nuncupante Commenarias, quem ipſe Pipinus eiúſque Illuſtra Matrona Plectrudis, ad ipſam Eccleſiam Domino Videno, per chartulam ceſſionis eorum tradiderunt, cum ædificiis, pratis, paſcuis, ſiluis, aquis, aquarúmque decurſibus, cum omni termino vel ſtatu ſuo, ſicut ab ipſa Eccleſia præſenti tempore poſſidetur, ad ipſam Eccleſiam confirmamus, abſque cuiuſcumque repetitione vel requiſitione. Et ſi aliqua pars, aut aliqua inquietudo, aut fatigatio, nos ipſi aut hæredes noſtri, vel ſucceſſorum noſtrorum, qui contra hoc facere præſumpſerunt, inferant parte cuſtodiente, auri libras tres, argenti pondera quinquaginta. Factam commutationem ſub die* XIII. *Calendas Februarij, anno ſeptimo Regni Domini noſtri Childeberti Regis. Ego Hardricus, iubente Domino Pipino eiúſque Illuſtrâ Matronâ Plectrudâ, hanc chartam ſcripſi & ſubſcripſi. Signum Anſigiſuſo Com. Signum Ansberto Com. Signum Harderico Com. Signum Bononi Com. Signum Grimaldo Com. Signum Ratgiſo Com. Signum Conduino Com. Signum Ratfrido Com.* Armonius diu ſuperſtes non fuit. Ei ſucceſſit hoc eodem anno Aggrebardus ſiue Agrebertus, qui ſuâ ſubſcriptione donationem Wolfandi Comitis anno Chriſti ſeptingenteſimo nono communiuit, vt ſuo loco dicturi ſumus.

* *Parroys.*

* *Commynieres.*

EPISCOPI VIRODVNENSES.

IV. BONITVS IT LVGDVNVM.

Cùm ſanctus Sacerdos Bonitus, Aruernenſis olim Epiſcopus, de quo ſæpè ſermonem fecimus, *ibi*, nempe in Monaſterio Magnilocenſi, *aliquantiſper demoratus fuiſſet, relictis omnibus, patriâ, parentibúſque, vnà cum ſodalibus, rebúſque omnibus Eccleſiis ac Monaſteriis diſtributis, Roma ad Apoſtolorum ſacra limina peregrinaturus, aut pauperiem Chriſti ſecuturus, arripuit iter. Sed cùm Aruernorum glebâ relictâ Lugdunenſem perueniſſet in vrbem, ibíque ab opere ſolito non vacans, ipſius vrbis præſulem atque Burgundionum Ducem rebellémque Principem ſuo adiit conſultu, vt & hunc fideliſſimum, & illum ex tyrannide placidum redderet, ac fidei vinculo connexis firma ſtabilitatis iura manerent.* Hæc Auctor vitæ [a]. Lugdunenſem Diœceſim tunc regebat Godwinus ſeu Godinus Epiſcopus, cuius mentionem ex eodem Scriptore faciemus infrà, ſupráque fecimus ad annum

[a] Ap. Bolland. d. 15. Ian.

Digitized by Google

AN. CH. 701. CHILDEBERTI III. R. 7.

annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium ex Beda [a]. Per Ducem autem Burgundiæ quis hoc loco ſit intelligendus, haud liquet; errant enim qui Pippinum Heriſtallium illo Titulo deſignatum putant.

V. Florebat Monaſterium Barbarenſe prope Lugdunum, licèt ignoretur hodie nomen Abbatis, penes quem cura Cœnobij tunc erat. In illo Monaſterio Bonitus aliquamdiu commoratus eſt. Auctor enim vitæ prælaudatus ſic ſcribit. *Cùm inibi aliquandiu in Monaſterio, quod Inſula Barbara vocatur, aliquantulùm demoratus fuiſſet, memoria digna atque iucunda geſſit miracula.*

CLARET MIRACVLIS IN MONASTERIO INSVLÆ BARBARÆ.

VI. *Quadam die, cùm per amnem Araris vehiculo ſedens vir ſanctus graderetur, & inter ſe qui cum eo erant mæſti dicerent, quia victui nulla nobis eſt hodie ſubſtantia, ille audiens increpánſque eorum diffidentiam dixit. Si haberetis fidem, poterat Omnipotens Deus vobis ſine mora conferre neceſſaria. Necdum vir Dei verba finierat, ſtatímque piſcis è gurgite exiliens nauim inopinatus intrauit, qui eodem die eis alimentum præbuit vitæ.*

VII. *Cum quadam nocte ad vigilias ſurrexiſſet, lumen lampadis in eadem Baſilica, vbi more ſolito ſanctus peragebat excubias, deficiendo extinctum eſt. Cúmque eius miniſter ignem requirens, vnde eamdem iterum accenderet, non reperiſſet, Sacerdos Dei ad lampadem accedens, quaſi ſignaculo ſuo inluſtrauit ſpiritu, & ita cuncti, qui cum eo erant, gauiſi peregerunt diuinitatis obſequium.*

VIII. Auctor vitæ duo illa miracula *venerabili viro Ariualdo Abbati, eiúſque,* nempe Boniti Epiſcopi, *in eodem itinere comiti audita* recitat, ſed Monaſterij, cui præfuit Ariualdus Abbas, nomen ſilentio premit, ſubindicat tamen eum ex Aruernia iter in prædicti Boniti comitatu ſuſcepiſſe. Deinde tertium addit miraculum, cuius teſtis Adelphius, qui Boboni poſteà in regimen Magnilocenſis Monaſterij ſucceſſit, & eundem Scriptorem hortatus eſt, vt ipſam beati Boniti vitam literis commendaret. *Quadam die*, inquit, *dum viri Dei pueri ad piſcandum abiiſſent, & per totum diem fruſtrato labore fatigati nihil cepiſſent; reuertentes ad Monaſterium obuiantes ſupraſcripto venerabili viro Adelphio, qui eo in tempore virum Dei ex deuotione hactenus ſecutus fuerat, & in eius degebat obſequio, ait ad eos. Quid eſt, quòd ita mæſti reuertentes nihil defertis? Et illi exponentes ei, quòd nullum piſcem in alueo fluminis capturâ cepiſſent. Et ille. Ite, inquit, ad amnem, & in fide beati viri mittite rete, credo quod per eius merita mæror veſter ab Omnipotente Domino vertatur in gaudium. Qui mox ei obtemperantes, ad flumen pernici curſu redeunt. Sed ſtatim vt aquam lino cinxere, piſcem muſcipula inditum magno cum gaudio Præſuli detulerunt.*

IX. CELLVLA CORBINIANI.

Corbinianus, de cuius ortu primordiiſque ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſecundum locuti ſumus, hoc anno in natali ſolo, id eſt, in vico, cui nomen Caſtrus, ad ſancti Germani Eccleſiam paruum ſibi conſtruxit ergaſtulum, vbi moratus eſt, donec iter Romam ſuſcepit. *Ad hoc*, inquit Aribo, *diuino eſt perductus amore, vt omnem mundi concupiſcentiam ab ipſo iuuentutis relinqueret flore, & ſancta continentia ſanctaque caſtitatis ſolertiſſimus cuſtos exiſteret. Porrò ad beati Confeſſoris Chriſti Germani Eccleſiam in eodem Caſtro conſtructam deuotiſſimè ſe contulit, atque iuxta eam paruum ſibi conſtruxit ergaſtulum, tantùm ſolitudine delectatus, vt nihil aliud poſſideret, niſi tantùm miniſtros, qui ſibi exterioris neceſſitatis ſolatium exhiberent. Quos quotidie ſacris ſtuduit diſciplinis inſtruere, vt ſuæ imitatores exiſterent vitæ. Multa quoque cæpit ad illum credentium populíque turba confluere & ſacra eius monita diligenter excipere. Quicquid autem ex oblatione fidelium ſuſcepiſſet, excepto victu neceſſario, pauperibus erogabat.* Idem Auctor illam Corbiniani domunculam aliis in locis *cellulam* vocat, vt patebit infrà. Corrigendi ſunt igitur Brunnerus [b] & Adlzreitterus [c], qui *Monaſterium* ad ſancti Germani Ædem à Corbiniano conditum volunt.

X. In prædicto tuguriolo Corbinianus totos annos quatuordecim manſit, multíſque coruſcauit miraculis quæ recitantur ab Aribone. *Cæpit itaque longè latéque fama ſanctitatis eius creſcere, & fidelium ad eum, nobilium & igno-*

[a] Lib. 5. c. 9.
[b] Lib. 5. n. 8.
[c] Lib. 7. n. 16

AN. CH. 701. CHILDEBERTI III. R. 7.

bilium, vtriuſque ſexûs turba confluere, æterna vitæ ex ore illius verba libenter audire. Tantùmque excellentia vitæ illius percrebuerat, vt ad ſummum Maioremdomûs Pipinum rumor ſanctitatis eius perueniret. Is verò vnum ex chariſſimis ſibi Optimatibus ad viri Dei cellulam tranſmiſit, ſéque humillimè eius precibus commendauit. Multíque ad eum ſenes & nobiles concurrentes, vt pro ipſis oraret, rogabant. Alij autem ſua ei munuſcula orationis cauſâ mittebant. Tunc vir Dei crebris aduenientium colloquiis occupabatur, ſed mens eius magno inde tædio affecta, magnis fletibus atque lamentis ſe abſtrahere nitebatur, tactúſque dolore cordis intrinſecus, ſuſpiriis & gemitibus crebris deplorabat, quòd tranquillitatem, quam quæſierat, & ſolitudinem, quam deſiderauerat, ſe amiſiſſe perſpiceret, & paupertatem, quam amauerat, ſibi deeſſe valdè pertimeſceret, & adeſſe ſibi diuitias, quas noluerat, orationis ſtudium ſe vltra conſuetudinem amittere, reſponſis aduenientium & acceptione dantium, & diſpenſatione egentium occupatum. His verò tribulationibus fatigatus, quartum-decimum in ſua cellula impleuerat annum. Tunc demum iniens conſilium, ad limina ſacratiſſima beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli orationis cauſâ ire decreuit.

XI. Hæc Corbiniani profectio in Italiam, quia ſedente tunc Gregorio Secundo Romano Pontifice ſuſcepta eſt, annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum, quo Gregorius Secundus Eccleſiam adminiſtrare cœpit, haud anteceſſit, nec deſunt rationes, propter quas, vt patebit infrà, ſeriùs differri nequeat. Atque inde patet initium annorum quatuordecim, quos Corbinianus in cellula prope Baſilicam ſancti Germani vixit, ab hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo primo, petendum eſſe. Pippinus Maiordomûs ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum ſuperſtes in viuis fuit, nec tantùm per Optimatem, vt textus præcitatus docet, Corbiniani precibus ſe commendauit, ſed & ei *nongentos auri ſolidos*, de quibus ſermo recurret, in eleemoſynam dedit. At colloquium, quod Corbinianus ex Italia reuerſus habuiſſe cum Pippino dicitur, ſuppoſititium haberi debet, quia Pippinus è vita priùs abiit, quàm Corbinianus Romam ſe conferret. Otto Friſingenſis Epiſcopus in ſuo Chronico [a] multa de Corbiniano ſcripſit, quæ mutuatus eſt ab Aribone, ſed quia Pippinum Heriſtallium, de quo textus Aribonis intelligendus eſt, priùs mortuum nouit, quàm Gregorius Secundus in Pontificem aſſumeretur, & Corbinianus iter è Gallia in Italiam ſuſciperet, Aribonem perperam interpretatus eſt de Pippino Rege, Pippini Heriſtallij nepote, cuius Principatum, vt ſuis locis probabimus, mors Corbiniani multis annis præceſſit.

QVANDO CONDITA.

[a] Lib. 5. c. 24.

XII. Simon Abbas, cùm Monaſterium ſancti Carauni prope Carnotum annis quatuordecim adminiſtraſſet, ex hac vita diſceſſit [b]. Succeſſit in Cœnobij Præfecturam Dionyſius, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo conſignabimus.

[b] Gall. Chriſt. Tom. 4. in Abb. S. Carauni.

ABBATES MON. S. CARAVNI.

XIII. Hoc etiam anno è vita duo migrarunt Armoricani Pontifices, Hugo Corentinopolitanus & Gilbertus Leonenſis, quorum mentionem Tomo ſuperiori fecimus. Hugonis ſucceſſores ad nonum vſque ſeculum ignorantur. Gilberto in Epiſcopatum Leonenſem ſucceſſit Omeneſius. Ordinatus eſt & hoc eodem anno Venetenſis Epiſcopus Gobrianus ſeu Chomeanus, cuius deceſſor Mauritius obierat anno priori. Lege Armoricam Sanctam.

EPISCOPI CORENTINOPOL. LEONENSES ET VENETENSES.

XIV. Ad initium octaui ſeculi pertigit Amandus Abbas Lerinenſis, cui ſubrogatus eſt Syluanus ſanctitate pariter conſpicuus. Vtriuſque memoria decimo-quarto Kalendas Decembris in Martyrologio Benedictino celebratur. *In Inſula Lerinenſi, ſanctorum Abbatum, Anſelmi, Eucherij, Vincentij, Amandi, & Syluani, Abbatum Lerinenſium.* De ſancto Porcario, qui poſt beatum Syluanum adminiſtrationem Monaſterij geſſit, & Martyrium in perſecutione Saracenorum paſſus eſt, agemus ſuo loco.

ABBATES LERINENSES.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 702.
CHILDEBERTI III. R. 8.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo, vt ex Hiſtoria Suibertina colligitur, habita eſt Synodus Vltraiectina, poſtquàm Willebrordus & Suibertus è Dania redierunt. Cur autem hi duo Antiſtites è Dania in Franciam remearint, rationem hanc affert Alcuinus in ipſius Willebrordi vita. *Ibi*, nempe in Dania, *tum, vt fertur, regnabat Ongendus, homo omni ferâ crudelior, & omni lapide durior, qui tamen iubente Deo, veritatis præconem* Willebrordum *honorificè tractabat. Quem dum obduratum moribus, & idololatriæ deditum, & nullam melioris vitæ ſpem habere offendit, acceptis tunc triginta eiuſdem patriæ pueris, ad electos à Deo populos Regni Francorum reuerti feſtinauit.* Terrâ iter è Dania in Franciam per Friſiam habendum erat. Willebrordus, è cuius comitatu Suibertus in illa peregrinatione non receſſit, mari ſe commiſit, ſed priuſquàm nauim conſcenderet, *in eo ipſo itinere catechizatos eoſdem pueros vitæ fonte abluit, ne aliquod propter pericula longiſſimi nauigij vel ex inſidiis ferociſſimorum terræ illius habitatorum, damnum pateretur in illis, volens antiqui hoſtis præuenire aſtutias & Domini ſacramentis animas munire acquiſitas.* Vi tempeſtatis in Friſiam delatus eſt, ibíque per aliquot dies degit tempus opportunum nauigationi præſtolatus. Interim Euangelio non defuit, idololatras frequentibus redarguit concionibus, Radbodi Regis minas & edicta contempſit. *Dum pius verbi Dei prædicator iter agebat, peruenit in confinio Friſonum & Danorum ad quandam Inſulam quæ à quodam Deo ſuo Foſite, ab accolis terræ Foſiteſlan dicebatur, quia in ea eiuſdem Dei fana fuere conſtructa. Qui locus à paganis in tanta veneratione habebatur, vt nihil in ea vel animalium ibi paſcentium, vel aliarum quarumlibet rerum, quiſquam gentilium tangere auderet, nec etiam à fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire, niſi tacens præſumeret. Quò cùm vir Dei tempeſtate iactatus eſt, manſit ibidem aliquot dies, quouſque ſepoſitis tempeſtatibus opportunum nauigandi tempus adueniret. Sed paruipendens ſtultam loci illius religionem, vel ferociſſimum Regis animum, qui violatores ſacrorum illius atrociſſimâ morte damnare ſolebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione Sanctæ Trinitatis baptizauit, ſed & animalia in ea terra paſcentia in cibaria ſuis mactare præcepit. Quod pagani intuentes, arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cùm nihil mali cernebant pati, furore perciti, Regi tum Radbodo quod viderant factum retulerunt. Qui nimio furore ſuccenſus in Sacerdotem Dei viui, ſuorum iniurias deorum vlciſci cogitabat, & per dies ſemper tribus vicibus ſuo more mittebat ſortes, & nunquam damnatorum ſors, Deo vero defendente ſuos, ſuper ſeruum Dei, vel aliquem ex ſuis, cadere potuit: nec niſi vnus tantùm ex ſociis ſorte monſtratus & Martyrio coronatus eſt. Vocabatur verò vir ſanctus ad Regem, & multùm ab eo eſt increpatus, quare ſua ſacra violaſſet, & iniuriam Deo ſuo feciſſet. Cui præco veritatis conſtanti animo reſpondit. Non eſt Deus quem colis ſed diabolus, qui te peſſimo errore deceptum habet, ô Rex, vt animam tuam æternis tradat flammis. Non enim Deus, niſi vnus, qui creauit cælum & terram & omnia quæ in eis ſunt, quem qui verâ fide colit, vitam habebit ſempiternam, cuius ego ſeruus hodie tibi teſtificor, vt ab antiqui erroris vanitate, quam coluerant patres tui, tandem aliquando reſipiſcas, & credens in vnum Deum Omnipotentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & vitæ fonte baptizatus, abluas omnia peccata tua. & proiectâ omni iniquitate & iniuſtitiâ, deinceps nouus homo viuas in omni ſobrietate, iuſtitia & ſanctitate. Hoc faciens cum Deo & Sanctis eius* I.

WILLEBRORDVS ET SVIBERTVS EPISCOPI CONCIONANTVR

IN FOSTILANDIA.

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

gloriam poſſidebis ſempiternam. Si verò me contemnis, viam ſalutis tibi oſtendentem, ſcito certiſſimè, quòd æterna ſupplicia & infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, ſuſtinebis. Ad hæc Rex miratus, reſpondit. Video te minas noſtras non metuiſſe, & verba tua eſſe, ſicut & opera. Etſi autem nollet veritatis prædicatori credere, tamen ad Pipinum Ducem Francorum eum cum honore remiſit. Hæc Alcuinus.

II. De Inſula *Foſiteſlan* conſentanea ſcribit Altfridus in vita ſancti Ludgeri. *Transfretauit*, inquit, *in confinio Freſonum atque Danorum ad quamdam Inſulam, quæ à nomine Dei ſui falſi Foſete Foſeteſlandt eſt appellata.* Et paulò pòſt. *Perueniens autem ad eamdem Inſulam, deſtruxit eiuſdem Foſetis fana, quæ illic fuere conſtructa, & pro eis Chriſti fabricauit Eccleſiam. Cúmque habitatores terræ illius fide Chriſti imbueret, baptizauit eos cum inuocatione ſanctæ Trinitatis in fonte, qui ibi ebulliebat, in quo ſanctus Willibrordus priùs homines tres baptizauerat; à quo etiam fonte nemo illorum priùs haurire aquam, niſi tacens, præſumebat.* Inſulam illam Cincinnius Heligarlandiam, quidam *dat lant to Borſten* vocant apud Henſchenium in notis ad vitam ſancti Ludgeri [a].

[a] d. 26. Mart.

III. Vulgatus Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ, vbi de Foſtilandia loquitur, à vero multùm aberrat. Sic enim ait [b]. *Morabatur autem perfidus Radbodus Rex Friſiæ illo tempore expulſus à Traiecto per illuſtrem & Chriſtianiſſimum Principem Pipinum de Herſtallo, Maiorem domûs Franciæ, apud Inſulam Foſtilandiæ, quæ à quodam Deo ſuo, dicto Foſte, tunc Foſtilandia appellabatur, quæ valdè ſolennis erat, propter ſuperſtitioſam ſectam idololatriæ. In qua Inſula Sacerdotes Dei ſuggeſtione ſancti Wigberti conuenientes, prophana ſtatim delubra Iouis & Foſtæ deſtruxerunt, & conſtanter prædicando, tres ſolummodò homines, ſatanæ pompis abrenunciantes, Orthodoxæ iunxerunt fidei. Radbodus verò Rex, ſtrenuiſſimus idololatra, odio habens Chriſtianos, audiens idola ſua deſtructa à Chriſtianis, iratus valdè atque iniuriam deorum ſuorum vlciſci diſponens, ſanctum Wigbertum, quem dudum nouerat Chriſtianum, vnum ex conſociis ſanctorum, diro tormento iugulari iuſſit, qui continuâ prece Deum exorare ſolebat pro conſequenda palma Martyrij, ceteróſque eliminauit ab Inſula prædicta.*

[b] Cap. 7.

IV. In illo textu multa corrigi debent ex Alcuino ſuprà citato.

V. Primò, Radbodus amiſsâ citeriore Friſiâ pacéque cum Francis compoſitâ Foſtilandiam Inſulam, in qua Regiam Sedem conſtitueret, haud elegit. Id ſitus loci ſatis indicat; quis enim Radbodum in confinium Danorum ſeceſſiſſe, atque in Inſula degiſſe credat, Friſiâ vlteriore à Francis ne quidem tentatâ?

VI. Secundò, Sacerdotes Dei ad Foſtilandiam Inſulam non peruenerunt *ſuggeſtione ſancti Wigberti*, ſed eò delati ſunt *tempeſtate*, cùm è Dania redirent, vt Alcuinus teſtatur; addequòd in eorum comitatu non erat Wigbertus, vt mox probaturi ſumus ex Beda.

VII. Tertiò, Sacerdotes Dei, quos tempeſtas in Foſtilandiam Inſulam detulit, non accuſati ſunt apud Radbodum, quòd delubra Iouis & Foſtæ deſtruxerint, ſed quòd venerationem fonti cuidam ab incolis exhiberi ſolitam contempſerint, vt Alcuinus affirmat.

VIII. Quartò, Wigberti nomen in vita ſancti Willebrordi reticetur, ipſiúſque Willebrordi ſocius, qui Martyrium in Foſtilandia paſſus eſt, in Hiſtoria Suibertina perperam confunditur cum Wigberto, qui verbum Dei per biennium in Friſia prædicauit, antequàm bellum, quod ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum enarrauimus, Francos inter ac Friſios exoriretur. Beda enim hunc Wigbertum è Friſia in Hiberniam reuerſum teſtatur [c] *ad dilecta locum peregrinationis*, vbi *ſolito in ſilentio Domino vacare cæpit, & quoniam externis prodeſſe ad fidem non poterat, ſuis ampliùs, ex virtutum exemplis, prodeſſe curabat*, nec inſinuat eundem Wigbertum ex Hibernia in Friſiam denuò cum Willebrordo profectum eſſe, itaut in Hibernia mortuus iure cenſeatur.

[c] Lib. 5. c. 10.

Digitized by Google

Quintò, ſi fides eſt Hiſtoriæ [a] Suibertinæ, Willebrordus & Suibertus, priuſquàm Epiſcopi conſecrarentur, Euangelium in Foſtilandia prædicarunt, multóque ſeriùs in Daniam iuerunt Radbodo Friſiorum Rege iam viuis erepto. Sed ex Alcuino liquet eos priùs ordinatos Epiſcopos, & in Daniam priùs profectos eſſe, quàm ad Inſulam Foſtilandiam acceſſerint, cóque tempore Radbodum Regem apud Friſios in viuis ſuperſtitem fuiſſe. AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8. IX.

Iidem autem Epiſcopi Traiectum * reuerſi Concilium illic celebrarunt, de quo ſic Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ [b]. *Animaduertentes præfati ſancti Pontifices & egregij prædicatores, qui cum eis ex Hibernia* (Interpolator in vulgatis exemplaribus Angliam Hiberniæ loco malè repoſuit) *venerunt Traiectum, quòd multus populus, Deo proſperante, ab infidelitatis errore ad Chriſtum conuerſus eſſet, conuocatâ Synodo in nouella Eccleſia Traiectenſi decreuerunt more Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti, in diuerſas circumiacentes barbaricas nationes præſtantiores prædicatores dimittere ad prædicandum ipſis fidem Chriſti.* X.

[a] Capp. 7. 10. 13.
* *Vtrech.*
[b] Cap. 14.

CELEBRANT SYNODVM VLTRAIECTINAM.

Sequitur hæc interpolatio. *Erant autem eo tempore in eadem primitiua Eccleſia Traiectenſi Apoſtolici Pontifices & Canonici egregij prædicatores, qui Sanctum Swibertum Epiſcopum cum Sanctis Ewaldis ſequentes, conſtanter Chriſtum gentibus prædicauerunt; vtpote Sanctus Winfridus Sacerdos, qui poſtquam tredecim annos in Eccleſiâ Traiectenſi vt Canonicus degiſſet, Archiepiſcopus Moguntinenſis conſecratur & Bonifacius appellatur, qui poſtquàm decem & ſex annis per Friſiam prædicaſſet, martyrio coronatur cum ſuis; ſimiliter Sanctus Wiro Epiſcopus Deirorum; Sanctus Plechelmus Epiſcopus de Maſſâ Candidâ, vel, ſecundùm Bedam, Candidâ Caſâ; Sanctus Otgerus Leuita cum pleriſque aliis glorioſis Sacerdotibus & prædicatoribus.* Hæc de duobus Ewaldis, de Winfrido, Virone, Plechelmo & Otgero, temerè interpolata dignoſcuntur. Ewaldi enim, vt ſuo loco dictum eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto Martyrium in Saxonia ſubierunt; Winfridus in Franciam ſeriùs venit Pippino Heriſtallio iam mortuo; ceteri, de quibus ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-octauum [c] fusè diſſeruimus, non Pippino Heriſtallio, ſed eius auo Pippino, quem poſteri Landenſem cognominarunt, vixerunt ſynchroni. XI.

[c] Nn. 89 & ſeqq.

Pergit Marcellinus. *Cui Sanctæ Synodo præfuerunt Sancti Willebrordus & Swibertus Antiſtites conſtantiores, in qua concluſum & diffinitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei.* Huius periodi duæ ſunt partes; prior quinam Synodo præfuerint, poſterior quid in eodem Concilio definitum ſit, paucis oſtendit. XII.

Synodo Traiectenſi præfuerunt Sancti Præſules Willebrordus & Swibertus. Cur Willebrordus Swiberto præponatur, duas rationes ſic affert idem Marcellinus. *Licèt Sanctus Swibertus egregius Pontifex præceſſerit Sanctum Willebrordum tempore, tamen Sanctus Willebrordus præcedit Sanctum Swibertum dignitate, & primus Archiepiſcopus Traiectenſis reputatur, eò quòd à Sancto Sergio Papa Archiepiſcopus Friſonum ſpecialiter conſecratus & à Sede Apoſtolica ad eundem populum miſſus fuerit, atque ab illuſtri Principe Pipino de Herſtallo & à glorioſo filio eius Carolo Martello ex Regali donatione ciuitatem Traiectenſem cum ſuis appendicibus pro ſe & ſuis ſucceſſoribus Epiſcopis Traiectenſis Eccleſiæ impetrauerit. Et ideò Sanctus Swibertus non Epiſcopus Traiectenſis appellatur, ſed Coepiſcopus Sancti Willebrordi.* Caue ne Willebrordum, quem audis Archiepiſcopum Friſonum à Sergio Papa vocatum fuiſſe, credas Metropolitam, cui ſubfuerint aliarum in eadem prouinciâ Sedium Epiſcopi. Willebrordus dictus eſt Archiepiſcopus Friſonum, vt inter Epiſcopos, qui ſe ſocios ad promouendam Friſiorum conuerſionem adiuncturi eſſent, primatum teneret, nec quia Traiecti ſedit, ideò Cathedra Traiectenſis fuit Metropolitana, imò quia Traiectum erat in parochia Colonienſi Traiectenſes Antiſtites Colonienſibus Metropolitanis ſubiacuerunt, donec Eccleſia Traiectenſis à Paulo Quarto Papa in Metropolitanam erecta eſt anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimonono. XIII.

Digitized by Google

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

XIV. In Synodo Traiectenſi decretum eſt, *vt omnes primi prædicatores*, id eſt, ij, quos Egbertus cum Willebrordo miſerat, in exteras prouincias abirent diuinum Euangelium gentibus annunciaturi. Transfretarunt quidem ex Hibernia duodecim, totidémque apud Bedam [a] & in vulgato Marcellini Codice numerantur, ſed octo penitus obliterati manent aliis in illorum locum ab Interpolatore ſuffectis, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum obſeruauimus. E quatuor reſiduis, quos Vltraiectinæ Synodo interfuiſſe pro certo tenemus, duo erant Epiſcopi Willebrordus & Swibertus, Werenfridus Presbyter, Adelbertus Diaconus. Laudantur nihilominus in Marcellino Suriano duodecim, iidémque qui priùs dicti ſunt in Franciam veniſſe anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Ex iis interpolati ſunt octo, Acca, Wigbertus, Willibaldus, Winnebaldus, Lebuinus, duo Ewaldi & Marcellinus, hic enim quatuor tantùm nempe Werenfridum, Adelbertum, Willebrordum & Swibertum commemorare potuit.

[a] Lib. 5. c. 11.

XV. Codex interpolatus ſic habet. *Sanctæ Synodo præfuerunt Sancti Willebrordus & Swibertus Antiſtites conſtantiores, in qua concluſum & diffinitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei. Igitur Sanctus Acca, vt eſt antè dictum, cum Sancto Swiberto in Angliam rediens, à Sancto Wilfrido Auguſtaldenſis Eccleſiæ Epiſcopus conſecratus, poſt ſanctiſſimam vitam ibidem in Domino quieuit. Sanctus Wigbertus in Foſtelant martyrio coronatus fuit, vt prædictum eſt. Sanctus Willibaldus Orientalem Franciam adiens, Aureatenſis ſiue Eiſtatenſis Epiſcopus effectus eſt. Sanctus Winnebaldus, frater eius, Heyndelamenſis Abbas eſt ordinatus. Quorum germana fuit Walburgis virgo. Lebuinus Pontificatum adeptus, martyrio prope Gandauum coronatur. Duo quidem Sancti Ewaldi Nabiam introeuntes, Chriſtum prædicando confeſſi ſunt, qui abinde aſcendentes in Saxoniam glorioſo martyrio coronati ſunt. Sanctus Werenfridus Presbyter* &c. Sic autem reſtitui debet hic textus. *Sanctæ Synodo præfuerunt Sancti Willebrordus & Swibertus Antiſtites conſtantiores, in qua concluſum & diffinitum fuit, vt omnes primi prædicatores in exteras prouincias prædicarent verbum Dei. Igitur Sanctus Werenfridus Presbyter* &c.

XVI. De ſancto Acca ſic Interpolator hoc loco. *Sanctus Acca, vt eſt antè dictum, cum ſancto Swiberto in Angliam rediens, à ſancto Wilfrido Epiſcopo Auguſtaldenſis Eccleſiæ Epiſcopus conſecratus, poſt ſanctiſſimam vitam ibidem in Domino quieuit.* Per has voces, *vt eſt antè dictum*, alludit ad caput decimum, quod ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium [b] expendimus. In illo capite agit de Swiberti & Willebrordi Epiſcoporum ordinatione. Benè quidem ait Swibertum à Wilfrido, qui tunc apud Mercios exulabat, ordinatum Epiſcopum fuiſſe, ſed id perperam in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum reiicit. Accam quoque Presbyterum, quem vnà cum Willebrordo in Friſiam ab Egberto miſſum fingit, malè ſupponit itineris comitem Suiberto è Friſia in Angliam transfretanti, atque à Wilfrido ipſum Suibertum remittente detentum eſſe in Anglia conſecratúmque *in Epiſcopum Auguſtaldenſis ſiue Lindisfarnenſis Eccleſiæ.* Acca, vt ſuis locis diximus, nec Willebrordum è tranſmarinis partibus venientem in Friſiam, nec Suibertum è Friſia in Angliam proficiſcentem comitatus eſt. Præterea nec ordinatus eſt Epiſcopus à Wilfrido, nec Lindisfarnenſem Epiſcopatum iniit, ſed eidem Wilfrido in Epiſcopatum Auguſtaldenſem ſiue Haguſtaldenſem ſucceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo nono. *Suſcepit*, inquit Beda [c], *pro Wilfrido Epiſcopatum Haguſtaldenſis Eccleſiæ Acca Presbyter eius.* Illo autem tempore, quo Pontificatum geſſit, Diœceſes Haguſtaldenſis & Lindisfarnenſis erant diſcretæ, habebántque ſingulæ ſingulos Epiſcopos. Interpolator fortè Accam finxit *Epiſcopum Auguſtaldenſis ſiue Lindisfarnenſis Eccleſiæ*, quia legerat apud Bedam [d], anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo, cum Wilfridus ab Ecgfrido Rege pulſus eſſet Epiſcopatu, duos in eius locum ſubſtitutos Epiſcopos; quorum alter, Eata

[b] Nn. 3. & ſeqq.

[c] Lib. 5. c. 21.

[d] Lib. 4. c. 12.

Digitized by Google

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

nomine, prouinciam Berniciorum gubernaret, *in Haguſtaldenſi ſiue Lindiſfarnenſi Eccleſia Cathedram habens Epiſcopalem.* At anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, *poſt tres abſceſſionis Wilfridi annos*, Theodorus Cantuarienſis Epiſcopus ordinauit Epiſcopum *Tumbertum ad Eccleſiam Haguſtaldenſem, remanente Eatâ ad Lindisfarnenſem.* Eodem *Eatâ* pòſt *reuerſo ad ſedem Eccleſiæ Haguſtaldenſis cui regendæ primò fuerat ordinatus, Cudbertus Eccleſiæ Lindisfarnenſis gubernacula ſuſcepit anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo octogeſimo-quarto quo finem vitæ accepit Rex Ecgfridus. Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus Eboracenſis ſecundo anno Aldfridi qui poſt Ecgfridum regnauit, ſedem ſuam & Epiſcopatum ipſo Rege inuitante recepit. Sed poſt quinque annos denuò accuſatus ab eodem ipſo Rege & plurimis Epiſcopis, Præſulatu pulſus eſt.* Ceterùm intra illud quinquennium, quo Wilfridus Epiſcopatum pacificè ſub Aldfrido Nordanhumbrorum Rege tenuit, obiit Cudbertus Lindisfarnenſis Epiſcopus, eíque poſt annum Wilfridus Eadbertum ſubrogandum curauit. Cudbertus ad Deum migrauit decimo-tertio Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-nono. Eadbertus ordinatus eſt Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, vitámque clauſit pridie Nonas Maij, tranſactis *ſepulturæ* Cudberti *annis vndecim*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo. Eadbertum excepit Eadfridus, Eccleſiámque Lindisfarnenſem annis quatuor ac viginti rexit vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quartum, qui poſt eum in eiuſdem Eccleſiæ Cathedra ſedere cœpit Edilwaldus. Hic autem, vt & Acca, Præſulatum in Prouinciâ Nordanhumbrorum tenebat, cùm Beda finem Hiſtoriæ ſuæ impoſuit. Conſtant iſta omnia ex eodem Bedâ [a] iam citato & ex Harpsfeldio [b]. Acca igitur nunquam fuit Epiſcopus Lindisfarnenſis. Eius vitam ante Pontificatum paucis ita perſtrinxit Beda [c]. *A pueritia in Clero ſanctiſſimi ac Deo Dilecti Boſæ Eboracenſis Epiſcopi nutritus atque eruditus eſt. Deinde ad Wilfridum Epiſcopum ſpe melioris propoſiti adueniens, omnem in eius obſequio vſque ad obitum illius expleuit ætatem. Cum quo etiam Romam veniens, multa illic quæ in patria nequiuerat, Eccleſiæ ſanctæ inſtitutionis vtilia didicit.* Hæc verò cum vulgatis Marcellini ſcriptis nullomodo conueniunt.

[a] Lib. 4. cc. 16. 27. 28. 29. 30. lib. 5. c. 20.
[b] Secul. 8. c. 23.
[c] Lib. 5. c. 21.

De ſancto Wigberto ſic Interpolator hoc loco. *Sanctus Wigbertus in Foſtelant Martyrio coronatus fuit, vt prædictum eſt.* XVII. Per iſtas voces, *vt prædictum eſt*, Lectorem remittit ad caput ſeptimum, vbi hæc leguntur. *Radbodus Rex, ſtrenuiſſimus idololatra, odio habens Chriſtianos, audiens idola ſua deſtructa à Chriſtianis, iratus valdè, atque iniuriam deorum ſuorum vlciſci diſponens, ſanctum Wigbertum, quem dudum nouerat Chriſtianum, vnum ex conſociis Sanctorum, diro tormento iugulari iuſſit, qui continuâ prece Deum exorare ſolebat pro conſequenda palma Martyrij.* Hac autem de re quid ſentiremus, expoſuimus [d] ſuprà ex Beda & Alcuino. Nam Willebrordi ſocium, qui Martyrium in Foſtilandia paſſus eſt, à Wigberto Egberti diſcipulo, qui vitam in Hibernia clauſit, diſtinguendum monuimus.

[d] Hoc an. n. 8.

De ſanctis Willibaldo & Winnebaldo nihil habet Interpolator, quod XVIII. à vero ſit alienum; Willibaldum enim Eiſtatenſem Epiſcopum, Winnebaldum Willibaldi fratrem Heyndelamenſis Monaſterij Abbatem, ſororem vtriuſque ſanctam Walburgem agnoſcimus. Peccat tamen contra Chronologiam, quia ſancti Willibaldus & Winnebaldus, vt ex eorum Actis [e] patet, ſeriùs vixerunt, nec ex decreto Synodi Vltraiectinæ directi ſunt in exteras prouincias, vt Euangelium Dei gentibus annunciarent.

[e] Ap. Caniſ. Tom. 4. antiq. lect.

Interpolator nihil de Lebuino ſcribit, quod à veritate prorſus non diſſideat, XIX. Lebuinum enim patronum Dauentriæ confundit cum Liuino Gandæ patrono. *Lebuinus*, inquit, *Pontificatum adeptus Martyrio prope Gandauum coronatur.* Lebuinus Dauentriæ patronus, de quo loquitur, nec Epiſcopatum geſſit, nec prope Gandauum interiit, nec Martyribus accenſetur. Iſta conueniunt Liuino Gandauenſium patrono. Hic enim Epiſcopus fuit in Sco-

AN. CH. 701. CHILDEBERTI III. R. 8.

tia; patriâ propinquiſque relictis Gandauum venit; ad tumulum Sancti Bauonis orauit; inde prædicationis causâ digreſſus copioſam hominum multitudinem verbo, exemplo ac miraculis ad Chriſti fidem conuertit, ac tandem apud Eſcham Flandriæ vicum iuxta pagum *Hauthem* tertio milliari à Gandauo ſitum obtruncatus eſt ab impiis, quibus Chriſtus & omnis pietas exoſa erat, vt ſuo loco narrauimus [a]. Sunt & aliæ quædam inter Liuinum & Lebuinum differentiæ, quas conſultò prætermittimus, quia non attinguntur ab Interpolatore. Satis eſt hîc obſeruaſſe vtriuſque ætatem, vt intelligas neutrum Vltraiectinæ Synodo interfuiſſe. Sanctus Liuinus Martyrium ſubiit anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-primo, id eſt, anno ante Willebrordi aduentum in Franciam triceſimo-nono. Sanctus Lebuinus, vt Altfridus in vita Sancti Lutgeri Monaſterienſis Epiſcopi teſtatur, ex Anglia venit in Franciam, ſéque contulit ad Gregorium, qui poſt Sanctum Bonifacium Sancti Willebrordi ſucceſſorem in Vltraiectina Cathedra ſedit.

[a] Ad an. 651. n. 28.

XX. De Sanctis Ewaldis nihil habet Interpolator, quod auctoritate Bedæ non confirmetur. *Duo quidem*, inquit, *Sancti Ewaldi Nabiam introeuntes, Chriſtum prædicando confeſſi ſunt, qui abinde aſcendentes in Saxoniam glorioſo Martyrio coronati ſunt.* Sed Martyrij palmam adepti ſunt, antequàm Vltraiectina Synodus haberetur. Lege Bedam libro quinto [b] Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, necnon ea quæ de Sanctis Ewaldis ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum ſuprà retulimus. De Nabia ſeu Nabalia agemus infrà.

[b] Cap. 11.

XXI. Examinato Interpolatoris textu, iam videamus quid de Willebrordo Epiſcopo, de Werenfrido Preſbytero, déque Adelberto Diacono, qui iuxta decretum Synodi Traiectenſis in variis regionibus Euangelium Dei prædicarunt, eodem capite ſcribat Marcellinus.

XXII. Orditur à Werenfrido Preſbytero ſic. *Sanctus Werenfridus Presbyter & egregius prædicator, verſus Batuam miſſus, nouellum Chriſti populum in Elſt & Weſterwoirt, & in finibus illis fideliter rexit, & infinitis clarificatus miraculis tam in vita quàm in morte, Idibus Septembris apud Weſterwoirt ſpiritum Creatori reddens, miraculosè in Elſt tumulatur.* Colitur Sanctus Werenfridus decimo-nono [c] Kalendas Septembris. Elſta * ſiue Eliſta, alio nomine Marithaine, pagus eſt Batauiæ, medio fermè itinere inter Anchemium & Neomagum vrbes, hodie Ducatûs Geldrienſis. Locus ille pertinuit ad Euerhardum, hominem, vt exiſtimamus, paganum, eóque ad Regem Friſiorum deficiente ceſſit fiſco regio, deinde à Childeberto Francorum Rege traditus eſt Pippino Heriſtallio, à quo deuolutus eſt ad Carolum Martellum hæreditario iure, vt charta eiuſdem Caroli, quam ſuo loco integram recitabimus, apud Wilhelmum Hedam in Catalogo [d] Traiectenſium Epiſcoporum declarat.

[c] Mir. in Faſt. Belg.
* *Elſt.*
[d] In Vvilleb. Ep. Traiect. 1.

XXIII. Secundo loco, Adelbertum Diaconum ſic commendat Marcellinus. *Sanctus Adelbertus Leuita, filius Edilbaldi Regis Deirorum, filij Sancti Oſwaldi Regis & Martyris, in Egmonda in Hollandia Oratorium conſtruens, poſt multorum paganorum conuerſionem & laudabilem ſanctæ vitæ ſuæ conſummationem, multis miraculis clarus, ſeptimo Kalendas Iulij, felici fine requieuit in Chriſto, ſepultus in Egmunda, vbi vſque in hodiernum diem claret infinitis miraculis. Is eximius Confeſſor, primus Archidiaconus Eccleſiæ Traiectenſis fuit.* Monachi Medelocenſes vitam Sancti Adelberti, quam Surius [e] publicauit, decimo ſeculo conſcripſerunt iuſſu Egberti Treuirenſis Archiepiſcopi, ſed quibus parentibus natus eſſet, haud indicarunt. Apud Molanum in additionibus ad Vſuardum, Sanctus Adelbertus dicitur *regalis ſtirpis Anglicanæ.* Apud Miræum in Faſtis Belgicis *regio Deirorum genere in Britannia natus perhibetur.* In Martyrologiis Romano & Benedictino nulla mentio fit Regij generis. Nordanhumbrorum duæ fuerunt prouinciæ; vna Deirorum dicebatur, altera Berniciorum. Habuerunt

[e] d. 25. Iun.

Digitized by Google

runt aliquando ſingulæ ſingulos Reges, vni eidémque Regi ambæ ſæpè paruerunt. Oſwaldus toti Nordanhumbrorum genti, Deiris videlicet ac Berniciis imperauit. *Huius induſtriâ Regis*, inquit Beda [a], *Deirorum & Berniciorum prouinciæ, quæ eatenus ab inuicem diſcordabant, in vnam ſunt pacem, & velut vnum compaginatæ in populum.* In prælio contra paganam Merciorum gentem occubuit anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſecundo, vt patet ex Hiſtoriâ eiuſdem Bedæ, capite viceſimo libri ſecundi & capitibus primo ac nono libri tertij ſimul collatis. Martyr prædicatur à Marcellino ſuprà citato & à Miræo in Faſtis [b] Belgicis. Celebris eſt eius memoria Nonis Auguſtis in Martyrologiis Wandelberti ac Romano, necnon in additionibus ad Vſuardum, quamuis abſque titulo Martyris. Sancto Oſwaldo ſucceſſerunt, in Regnum Berniciorum *Oſwin* eius frater, in Regnum Deirorum *Oſwini* de ſtirpe Regis Eduini. Poſt Oſwini mortem, filius Oſwaldi Regis bellum geſſit aduersùs patruum *Oſwin*, & aliquandiu regno potitus eſt *in Deirorum partibus*. Huius nomen à Beda variis modis enuntiatur, *Adilualdus, Edilwaldus* & *Edilwald*, Marcellino autem eſt *Edilbaldus*. Beda filium Oſwaldi Regis recenſet inter hoſtes, quos eius patruus Rex Oſwin expertus eſt infenſiſſimos. *Tranſlato*, inquit [c], *ad cæleſtia regna Oſwaldo ſuſcepit Regni terreſtris Sedem pro eo frater eius Oſwin iuuenis triginta circiter annorum, & per annos viginti-octo laborioſiſſimè tenuit. Impugnatus videlicet à pagano Rege Penda, & ab ea qua fratrem eius occiderat pagana gente Merciorum, & à filio quoque ſuo Alcfrido, necnon & à fratruo, id eſt, fratris ſui qui ante eum regnauit filio Adilualdo.* Hic, quia cùm pater extinctus eſt, iunior adhuc erat, aduersùs patruum nihil molitus videtur, quandiu vixit Oſwinus, qui poſt Oſwaldum in prouinciâ Deirorum regnauit. Qua de re paulò pòſt ſic idem Auctor. *Habuit Oſwin primis Regni ſui temporibus conſortem regiæ dignitatis vocabulo Oſwini, de ſtirpe Regis Eduini, hoc eſt, filium Oſrici, virum eximiæ pietatis & religionis, qui prouinciæ Deirorum ſeptem annis in maxima omnium rerum affluentia, & ipſe amabilis omnibus præfuit. Sed nec cum eo ille, qui cæteram Transhumbranæ gentis partem ab Aquilone, id eſt, Berniciorum prouinciam regebat, habere pacem potuit, quin potiùs ingraueſcentibus cauſis diſſenſionum miſerrimâ hunc cæde peremit. Siquidem congregato contra inuicem exercitu, cùm videret ſe Oſwinus cum illo, qui plures habebat auxiliarios, non poſſe bello confligere, ratus eſt vtilius tunc dimiſſâ intentione bellandi ſeruare ſe ad tempora meliora. Remiſit ergo exercitum quem congregauerat, ac ſingulos domum redire præcepit à loco qui vocatur Wilfares Duun, id eſt, mons Wilfari, & eſt à vico Cataractone decem fermè millia paſſuum contra ſolſtitialem occaſum ſecretus. Diuertitque ipſe cum vno tantum milite ſuo fideliſſimo, nomine Condheri, celandus in domo Comitis Hunualdi, quem etiam ipſum ſibi amiciſſimum autumabat. Sed heu! proh dolor! longè aliter erat. Nam ab eodem Comite proditum eum Oſwin cum præfato ipſius milite per præfectum ſuum Ediluinum deteſtandâ omnibus morte interfecit. Quod factum eſt die tertiâ-decimâ Kalendarum Septembrium, anno regni eius nono, in loco qui dicitur Ingethlingum.* Interiit igitur Oſwinus Rex Deirorum anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-primo. Tunc Edilbaldus Oſwaldi Nordanhumbrorum quondam Regis filius complures Deirorum ad ſe pertraxit. De illo enim ſic poſteà loquitur Beda [d]. *Edilwaldus filius Oſwaldi Regis, qui in Deirorum partibus regnum habebat.* En Regnum in prouinciâ Deirorum aſſertum Edilbaldo ſiue Edilwaldo Oſwaldi Regis filio. Oſwin *tertio-decimo regni ſui anno*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto nobiliſſimam de Penda Merciorum Rege victoriam reportauit. Stetit à Merciorum partibus contra patruum ſuum Edilbaldus. Audi Bedam [e] illa de re copioſè diſſerentem. *Rex Oſwin cùm acerbas & intolerabiles pateretur irruptiones ſæpedicti Regis Merciorum, qui fratrem eius occiderat, ad vltimum neceſſitate cogente, promiſit ſe ei innumera & maiora quàm credi poſſet, ornamenta regia vel donaria in pretium pacis largiturum, dummodò ille domum rediret, & prouincias regni eius vſque ad internecio-*

[a] Lib. 3. c. 6.
[b] d. 21. Iul.
[c] Lib. 3. c. 14.
[d] Lib. 3. c. 23.
[e] Lib. 3. c. 24.

nem vaſtare deſineret. Cúmque Rex perfidus nullatenus precibus illius aſſenſum præberet, qui totam eius gentem à paruo vſque ad magnum delere atque exterminare decreuerat, reſpexit ille ad diuinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbaricâ poſſet eripi, votóque ſe obligans, ſi paganus (inquit) neſcit accipere noſtra donaria, offeramus ei, qui nouit, Domino Deo noſtro. Vouit ergo quòd ſi victor exiſteret, filiam ſuam Domino ſacrâ virginitate dicandam offerret, ſimúlque duodecim poſſeſſiones prædiorum ad conſtruenda Monaſteria donaret, & ſic cum pauciſſimo exercitu ſe certamini dedit. Denique fertur quòd tricies maiorem pagani habuerint exercitum, ſiquidem ipſi triginta legiones ducibus nobiliſſimis inſtructas in bello habuere. Quibus Oſwin Rex cum Alchfrido filio perparuum, vt dixi, habens exercitum, ſed Chriſto duce confiſus accurrit. Nam alius filius eius Ecfrid eo tempore in prouinciâ Merciorum apud Reginam Cinuiſe obſes tenebatur. Filius autem Oſwaldi Regis Edilwald, qui eis auxilio eſſe debuerat, in parte erat aduerſariorum, eiſdem contra patriam & patruum ſuum pugnaturis ductor extiterat, quamuis ipſo tempore pugnandi ſeſe pugnæ ſubtraxerat, euentúmque diſcriminis tuto in loco exſpectabat. Inito ergo certamine fugati ſunt & cæſi pagani duces regij triginta, & qui ad auxilium venerant penè omnes interfecti, in quibus Edilhere frater Annæ Regis Orientalium Anglorum, qui poſt eum regnauit, auctor ipſe belli, perditis militibus ſiue auxiliis interemptus eſt. Et quia prope fluuium Iuwet pugnatum eſt, qui tunc præ inundantia pluuiarum latè alueum ſuum, imò omnes ripas ſuas tranſierat, contigit vt multò plures aqua fugientes quàm bellantes perderet enſis. Tunc Rex Oſwin iuxta quod Domino vouerat, pro collata ſibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam ſuam Elfledam, quæ vixdum vnius anni ætatem impleuerat, perpetuâ ei virginitate conſecrandam, donatis inſuper duodecim poſſeſſiunculis terrarum, in quibus, ablato ſtudio militiæ terreſtris, ad exercendam militiam cæleſtem, ſupplicandúmque pro pace gentis eius æternâ deuotioni ſedulæ Monachorum locus facultaſque ſuppeteret. E quibus videlicet poſſeſſiunculis, ſex in prouincia Deirorum, ſex in Berniciorum dedit. Singulæ verò poſſeſſiones decem erant familiarum, id eſt, ſimul omnes centum viginti, &c. *Hoc autem bellum rex Oſwin in regione Loidis tertio-decimo regni ſui anno, ſeptimo-decimo die Kalendarum Decembrium, cum magna vtriuſque populi vtilitate confecit. Nam & ſuam gentem ab hoſtili paganorum depopulatione liberauit, & ipſam gentem Merciorum finitimarúmque prouinciarum defecto capite perfido ad fidei Chriſtianæ gratiam conuertit.* Edilbaldus Merciis auxilio fuit, quia paterno regno ab *Oſwin* patruo ſe ſpoliatum ægrè admodùm ferebat. Totam Deirorum prouinciam nunquam ſolus obtinuit. Argumento eſt votum *Oſwin* patrui, duodecim enim complectebatur poſſeſſiunculas, è quarum numero ſex erant in prouinciâ Deirorum. Debellatis Merciis Oſwin vniuerſam Deiram facilè occupauit. Abhinc totâ Northumbriâ, Berniciâ videlicet ac Deirâ potitus eſt. De illius morte ac ſucceſſore ſic idem Beda [a]. *Anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimo, Oſwin Rex Nordanhumbrorum preſſus eſt infirmitate, quâ & mortuus eſt anno ætatis ſuæ* LVIII. *Qui defunctus die decimâ-quintâ Kalendarum Martiarum Ecgfridum filium regni heredem reliquit.* Regnauit Ecgfridus in vniuerſa Northumbria, deſiítque [b] viuere decimo-tertio Kalendas Iunias, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto. Subrogatus eſt Alfridus eius frater. Hic *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quinto*, id eſt, anno poſt Synodum Vltraiectinam tertio, *defunctus eſt* [c], *anno regni ſui viceſimo necdum expleto.* Aduerſa Edilbaldi Regis fortuna non parum profuit Adelberto filio. Hic enim, ne Regnum ambire videretur, odióque eſſet ſupradictis Nordanhumbrorum Regibus, Monachum induit, ſéque totum Deo mancipauit ab adoleſcentia. Poſteà promotus eſt ad Diaconatum. In Friſiam, deinde in Franciam cum Willebrordo aliiſque venit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo. Synodo Vltraiectinæ interfuit hoc anno, Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo. Delegatus eſt in Kenemariam, vbi nouæ conuerſationis Eccleſiam in fide Catholica roborauit. Colitur ſeptimo Kalendas Iulij, quo die migrauit ad Dominum. Hæc de Sancto

[a] Lib. 4. c. 5.
[b] Beda l. 4. c. 26.
[c] Beda l. 5. c. 19.

Adelbetto dicta ſufficiant aduerſùs eos, qui Regium ei genus detrahunt, & Marcellini textum, quem examinauimus, deprauatum ſuſpicantur, vel quia non ſatis attentè legerunt Bedam, vel quia Edilbaldum Adelberti patrem, qui regnum in partibus Deirorum habuit, non repererunt in Catalogo Regum Nordanhumbrorum, Deirorum ac Berniciorum, quem Harpsfeldius aliique recentiores Auctores texuere.

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

XXIV. Tertio loco, Marcellinus de Willebrordo Epiſcopo ſic ſcribit. *Permanſit ſanctus Willebrordus in Diœceſi ſua Traiectenſi, feruenter prædicando Euangelium Chriſti cunctis gentibus.* Summoperè dolemus non extare vitam ſancti Willebrordi, quam idem Marcellinus in literas retulit. Eandem quoque vitam elucubrauit Alcuinus, ſed adeò breuiter, vt nihil habeat omnino, quod ad hæc ſubſequentiáque Pippini Heriſtallij tempora pertineat.

XXV. Eodem capite decimo-quarto Hiſtoriæ Suibertinæ rurſum occurrit interpolatio, cuius Auctor Marcellinum ſe mentitur, atque de ſemetipſo hæc commemorat. *Ego Marcellinus Presbyter inutilis à præfatis Pontificibus* Willebrordo & Suiberto *miſſus ad partes Tranſiſelanas, locum Aldenſeel, Trentam, & Tuuentam, & Conordiam, ac Dauentriam rego, & Dei prouidentiâ totum fermè populum Chriſto prædicando lucratus ſum, & purgaui à cultu idololatriæ.* Tranſiſelanas ſeu Tranſiſalanas partes appellat regiones trans Iſalam fluuium ſitas. Eſt autem triplex Iſalæ nomen, Iſala, Nabalia & Fleuus. Iſalæ loco Scriptores mediæ ætatis Iſlam & Hiſlam ediderunt. Pro Nabalia Nabiam ſuprà dixit idem Interpolator, cùm de ſanctis Ewaldis ſermonem faceret. Fleuus & Fleuum promiſcuè ab Auctoribus vſurpantur. Iſala in hodierna Weſtphalia ſcaturit, aquis è Rheno per foſſam Druſianam deductis augetur ad oppidum Doeſburgum *, quod ex ipſius Druſi nomine Druſoburgum quidam appellant. Lege Iacobum Reuium libro primo Dauentriæ illuſtratæ. Cùm Synodus Traiectenſis habita eſt, Friſia per amnem Iſalam diuidebatur in citeriorem & vlteriorem. Citerior parebat Childeberto Regi Francorum. Vlterior erat in poteſtate Radbodi, qui paganæ Friſiorum genti dominabatur, & præcones Euangelij non ſinebat in ſuis ditionibus commorari. Quapropter Marcellinus, quem trans Iſalam profectum non negamus, Tranſiſalaniam ſeriùs erudiuit. Illuc, vt patebit infrà, miſſus eſt à Gregorio Epiſcopo, qui Diœceſim Vltraiectinam poſt ſanctum Bonifacium rexit. Textum igitur, quem ſuprà deſcripſimus, ex Hiſtoria Suibertina vt ſuppoſititium abrade.

* *Doeſbourg.*

XXVI. Denique Marcellinus de Suiberto, cuius vitam ſcribendam ſuſcepit, agit capite decimo-quinto, ſed vulgatus textus non caret interpolatione, ſic enim habet. *Sacerrimus Pontifex Swibertus in oſculo pacis cum multis lachrymis vale dicto ſancto Willebrordo, ceteriſque præfatis ſanctis prædicatoribus ac aliis Canonicis Traiectenſis Eccleſiæ, adiunctis ſibi Willeico, Gerardo, Theodorico & Boſone, glorioſis Presbyteris & prædicatoribus, aliiſque duobus pueris laïcis Waltero & Ioanne, peruolauit vt nubes paganiſmum, tanquam fidei vexillifer de loco ad locum per Weſtphaliam & inferiorem Saxoniam quotidie fideliter in vinea Domini tanquam miles ſtrenuus laborans, magnam quoque gentem pleriſque in locis ab idolorum veſania ad Chriſti perduxit fidem, & quocumque diuertebat, ad execrandam diabolicæ verſutiæ ſupplantationem & idola confringenda ſummoperè laborare cum ſuis ſtuduit & curauit. Et vbique confluebant pagani ad ipſum, ad audiendum verbum vitæ ab ipſo. Erat enim dulcis in exhortationibus & cunctis affabilis & eloquio mitis. Conſtruebantur etiam aliquot Eccleſiæ in confinibus Weſtphaliæ admonitione ipſius, quas etiam conſecrauerat. Huc vſque ego Marcellinus præfatus diſcipulus ipſius & ſancti Willebrordi cum ſancto Swiberto conuerſatus, quæ conſcripſi vidi, & fermè omnibus præſcriptis interfui. Et deinde ipſo tendente cum ſuis ad Minimigardum, id eſt, Monaſterium, ego redij habitâ benedictione ipſius Friſiam versùs, & ſic, quæ ſequuntur, ex relatione veridicorum fratrum conſcribo.* Commentitia ſunt hæc omnia, quæ de Marcellino circumferuntur. Fuit enim

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

Marcellinus Sancti Willebrordi in pueritia diſcipulus, poſtmodum Sanctorum Bonifacij & Gregorij, vt ſuis locis oſtendemus, at non Sancti Swiberti, qui priùs è vita deceſſerat, quàm ille naſceretur.

XXVII. Quæ proximis annis extra Franciam à Suiberto Epiſcopo geſta ſunt, quia non pertinent ad noſtrum inſtitutum, à nobis omittentur. Quaſdam tantùm obſeruationes hoc loco ſubiiciemus, quæ vel ad ſtylum Interpolatoris vel ad Chronologiam ſpectant. Ætate Marcellini nemo *Weſtphaliam* & *inferiorem Saxoniam* dixit. Recentius quoque nomen Brunſwici, quod loco inditum à Brunone Saxoniæ Duce Henrici Aucupis Regis patruo. Audiendus ea de re Krantzius [a]. *Bruno, Tanquardus, Otto* (hic Henricum Aucupem genuit) *liberi fuere Ludolpho. Quorum Bruno inſigne nomen reliquit vico, quem ille primus inchoauerat, qui ex illo dictus eſt Brunonis vicus, iam diu Brunswicum, inſigne oppidum in media Saxonia, ad riuum Onacri, qui influit Viſurgum. Cuius oppidi parua primum initia, multas per tempora habuere ſucceſſiones, vt per vices amplificatum, nunc in tas excreuerit vires atque opes, vt facilè Principibus ſuis titulum indiderit, qui exinde vocantur Duces Brunſwickcenſes. Sed hoc longè poſteà. Sinum excurrentis fluminis, ſtagni aut maris, Saxones ſuâ linguâ Wyck appellant. Inde Bruno excurſum fluminis alterum, alterum Tanquardus non longo interuallo ædificiis honeſtarunt. Inde Brunſwyck & Tanquardeſwyck diu variatâ appellatione ſecernebantur. Obtinuit autem Bruno, vt ſolus oppido nomen relinqueret, frater autem arcem communiuit vicino loco, quæ de eius nomine Tanquerode diceretur. Quo in loco Eccleſia Sancto Blaſio conſecrata nomen retinuit, vt in vrbe diceretur, extantibus muris prioribus, qui iam mœnibus ciuitatis ambiuntur.* A Krantzio non recedit Georgius Fabricius in Originibus Saxonicis [b]. *Bruno, natu maximus Ludolphi filius, Saxoniæ Ducatui, poſt obitum patris, inauguratur. Hic cum Dangmaro fratre, vrbis Brunſuigiæ fuit conditor. A Dangmaro,* qui Krantzio Tanquardus, *primùm arx ædificata & muro circumdata eſt, eo in loco vbi adhuc parietinæ & rudera circa Baſilicum dicuntur apparere. Loci verò opportunitate Bruno Caſtellum cis flumen Ocram extruit, vbi Wiga villa fuerat, à Carolo Magno deleta; & locus adhuc Aldeuiga, quaſi vetus ſinus vocatur, qui deinceps à Brunone Duce appellatus Brunſuigia. Dangmarus autem trans Ocram locum amplificat, & templum Diuo Iacobo ſacrum erigit, qui locus Neuiga, quaſi nouus ſinus noſtro tempore dicitur; eius templi tantùm extat turris in foro ab ouis appellato. Antiqua domicilia durauerunt vſque ad Gerdrudim, Lotharij Imperatoris ſocrum, Monaſterij eius loci patronam. A duobus igitur fratribus vrbs Saxoniæ nobilis condita, nomen alterius adhuc retinet.* Ætatem quoque Marcellini non ſapit Monaſterium pro Mimimgardo vſurpatum, & iſtud gloſſema, *id eſt, Monaſterium*, à margine in textum videtur irrepſiſſe, vbi Suibertus dicitur tetendiſſe cum ſuis *ad Minimigardum, id eſt, Monaſterium.* Rectiùs etiam Minimigardi loco *Mimingardum, Miminigardum, Mimigrodum, Mimigardeuorde, Mimigerueforde* ſcriberetur, vt veteres Auctores antiquáque monumenta declarant.

XXVIII. Beda [c] res à Suiberto poſt acceptum Epiſcopatum geſtas paucis ita complectitur. *Suidbertus accepto Epiſcopatu de Britannia regreſſus, non multò pòſt ad gentem Boruchtuariorum ſeceſſit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo pòſt tempore Boruchtuariis à gente antiquorum Saxonum, diſperſi ſunt quolibet hi qui verbum receperant. Ipſéque Antiſtes cum quibuſdam Pipinum petiit, qui interpellante Slichildedride coniuge ſuâ dedit ei locum manſionis in Inſula quadam Rheni, quæ linguâ eorum vocatur in littore. In qua ipſe constructo Monaſterio, quod hactenus hæredes eius poſſident, aliquamdiu continentiſſimam geſſit vitam, ibíque diem clauſit vltimum.* Suibertus, vt ex eodem Beda probauimus, à Wilfrido tunc apud Mercios exulante conſecratus eſt Epiſcopus anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, deſiit autem viuere anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, vt antiqui tradunt Annales quos Petauianos appellamus. Gauiſus eſt igitur Epiſcopali dignitate per

[a] Lib. 2. Saxon. c. 31.

[b] Lib. 2. in Brunone 2.

[c] Lib. 5. c. 12.

Digitized by Google

annos viginti. Tantum temporis ſpatium Beda tribus loquendi formulis, AN. CH.
quæ, ſi ſtrictè ſumuntur, intercapedinem longè breuiorem ſignificant, in 702.
tres partes ſic diuidit. Suibertus accepto Epiſcopatu *non multò pòſt* ad gen- CHILDEBERTI III.
tem Boruchtuariorum ſeceſſit; *non longo pòſt tempore*, cùm Boruchtuarij à R. 8.
Saxonibus expugnati eſſent, Inſulam, vbi degeret, à Pippino accepit, vitâque continentiſſimâ ibi *aliquandiu* actâ feliciter ad Deum migrauit. Vulgatus Marcellinus ordinationem Suiberti in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum, mortem in annum tertium ab obitu Pippini Heriſtallij, id eſt, in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſeptimum malè reiicit; profectionem autem ad Boruchtuarios anno Chriſto ſeptingenteſimo quinto, ad prædictum Pippinum anno pòſt ſecundo ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo conſignat, nec præcitato Bedæ contrarius in poſterioribus hiſce Characteribus videtur.

XXIX. MAVRONTVS ABBAS BROILENSIS OBIT.

Hoc anno, qui duodecimus numeratur ab obitu Sancti Amati, quem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo conſignauimus, tertio Nonas Maij migrauit ad Deum Maurontus Abbas Broilenſis, annos natus duodeſeptuaginta. Molanus & Buzelinus, quia nobiſcum de anno quo beatus Amatus ex hac vita diſceſſit, non conueniunt, Mauronti mortem referunt, ille anno Chriſti ſeptingenteſimo primo, hic anno Chriſti ſeptingenteſimo. Nos verò, ſicut obitum Sancti Amati in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum, ita Mauronti mortem in annum Chriſti ſecundum ſupra ſeptingenteſimum reiicimus. His ad Chronologiæ confirmationem præmiſſis, audi Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij [a]. *Maurontus annis ferè duodecim poſt obitum Amati, Abbatis curam ſupra fratres* Broilenſes *geſſit vigilantiſſimè. Cùm autem anno ſeptingenteſimo primo* (lege, *ſecundo*) *Marcenenſe Monaſterium viſitaret, ibidem vitam præſentem in meliorem commutauit, & in eiuſdem Monaſterij crypta ſepulturam accepit iuxta puteum, qui Sancti Mauronti dicitur. Ex cuius aqua nonnulli ſanati leguntur, qui à mortalibus & conductitiis medicis curari non valebant.* Apud Buzelinum in Annalibus Gallo-Flandriæ [b] ſimilia narrantur, inſupérque *fama eſt* puteum illum ipſius Mauronti manibus, *ad Martianenſis olim Templi caput*, effoſſum fuiſſe. Buzelino ſuffragatur Malbrancus libro quarto [c] de Morinis, additque Hubertum apud Broylenſes in regimen Monaſterij Mauronto ſucceſſiſſe. Colitur Sanctus Maurontus [d] tertio Nonas Maij. Martianas, vbi obiit, apud Malbrancum proximè citatum profectus aſſeritur, *vt apud maternum & ſororis tumulum nonnihil animos colligeret, & ad ſuperiora excitaret*; apud Buzelinum, *vti matris ſepulchrum & ſororem Clotſendem inuiſeret*. Hi Scriptores facilè conciliari poſſunt, quia cùm Maurontus Martianas ſe contulit, ibi ſepultæ quieſcebant eius mater Rictrudis ac ſoror Adalſendis, ad quarum tumulum nonnihil animos collegit, & ad ſuperiora excitauit, Monaſterióque præerat Clotſendis ſoror altera ſuperſtes, quam inuiſit.

a d. 5. Maii.
b Lib. 2. in fine.
c Cap. 51.
HVBERTVS SVCCEDIT.
d Molan. in Natal. SS. Belg. Martyrol. Benedict.

XXX. ABBATES SITIVENSES.

Hoc eodem anno Rigobertus regimen Monaſterij Sitiuenſis abdicauit. Bertinus exhortatione ad omnem Monachorum cœtum habitâ Erlefridum, quem penè à puero ſibi creditum informarat, in Abbatem cooptauit, ac proximo menſe Septembri felicem animam Creatori reddidit. Colitur Nonis Septembribus. Conditus fuit in Cœnobio Sitiuenſi ad aram Baſilicæ Martinenſis principem. Multis vt in vita ſic & poſt mortem miraculis inclaruit. Lege Auctorem [e] vitæ, necnon Malbrancum libro quarto [f] de Morinis & in Chronologia [g] Tomo primo præfixa, vbi ex Chronico Morinenſi & ex monumentis Bertinenſibus refert Bertinum à Rauangerio Epiſcopo Taruannenſi & ab Erlefrido Abbate Sitiuenſi ſepultum fuiſſe, quod noſtro computo neutiquam repugnat.

e Ap. Sur. d. 5. Sept.
f Capp. 48. 49.
g Ad an. 698.

XXXI. BERTINVS MORITVR.

Iperius Sancti Bertini mortem hiſce Characteribus conſignauit. *Tranſiit autem idem Athleta Domini Nonis Septembris, an. 698. ex qua Monaſterium ſuum fundauit, in veteri Monaſterio, 73; anno verò à ſui Monaſterij fundatione in hoc*

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

[a] D. 5. Sept. [b] Cap. 49. [c] Ap. Malbranc. l. 4. c. 47. [d] *Ibid.* [e] Ap. Malbranc. l. 4. c. 49. [f] Ad an. 648. n. 30. [g] Miræus c. 3. piar. donat. [h] Num. 6.

loco, 59; ætatis verò ſuæ 112. Iperium ſecuti ſunt Locrius in Chronico, Miræus in Faſtis Belgicis [a], Malbrancus libro quarto [b] de Morinis, aliíque plurimi. Folquinus Iperio vt antiquitate ſic auctoritate longè præſtat. Quòd autem beati Bertini vitam vltra annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-octauum proroget, id duobus argumentis fit manifeſſimum. Aſſerit [c] enim ſexto Childeberti Regis anno, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus componitur, cœptam ædificari Sitiuenſem Baſilicam ſancti Martini, quam Rigobertus Abbas à ſe teſtatur [d] inchoatam *ordinante Domino Bertino*. Deinde à primordiis Monaſterij Sitiuenſis ad obitum vſque ſancti Bertini numerat.[e] annos quatuor & quinquaginta, talíque computo determinatè mortem B. Bertini in annum ſecundum ſupra ſeptingenteſimum reiicit, initia enim Monaſterij Sitiuenſis coincidunt cum anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, ſiue cum anno Clodouei Regis vndecimo, quo datæ repe- riuntur ipſius Adroaldi fundatoris tabulæ, quas ſuo loco [f] ex Codice [g] piarum Donationum integras deſcripſimus. Iperius, cuius textum Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndequadrageſimum [h] recitauimus, prima Monaſterij Sitiuenſis exordia refert anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſexto, ſubiungítque Monachos è veteri Cœnobio traductos in nouum, quod anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo à Bertino ædificatum ſcribit. Inter vtriuſque Monaſterij conſtructionem annos quatuordecim interceſſiſſe non negamus. At ne cum Iperio eiúſque aſſeclis ab anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſexto primordia veteris Monaſterij repetamus, vetant prælaudatæ tabulæ, datæ ſunt enim VIII. *Idus Septembris, anno* XI. *Regni Clodouei Regis*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquaſimo, nec ante illum annum iacta ſunt prima fundamenta Monaſterij Sitiuenſis, atque inde colligimus nouum eiuſdem loci Monaſterium, quod poſt annos quatuordecim inchoatum eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo cœptum eſſe. Vt autem in vtriuſque Cœnobij conditu, ſic & in ætate ſancti Bertini à prædictis Auctoribus diſcrepamus annis duobus ac viginti totâmque ſancti Bertini vitam annis nonaginta circumſcribimus.

XXXII. EIVS ÆTAS.

Natus eſt igitur Bertinus anno Chriſti ſexcenteſimo duodecimo. Omnes eas iam diſciplinas edoctus, tum quæ ingenuas nobilium mentes condunt, tum quæ ad pietatem integritatémque morum vel plurimùm conferre noſcuntur, Luxouium perrexit cum ſociis Mommolino & Ebertramno, ſéque Walberti Abbatis, qui annò Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto in Monaſterij regimen Euſtaſio ſucceſſerat, magiſterio tradidit. Audomarum, qui exeunte annò Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſeptimo ex Monacho Luxouienſi factus eſt Epiſcopus Morinorum, poſt aliquot annos adiit cum prænominatis ſodalibus. Prima Sitiuenſis Monaſterij fundamenta cum iiſdem comitibus poſuit anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, ibíque ſub Abbate Mommolino vixit ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum vndeſexageſimum, quo factus eſt ipſemet Abbas Mommolino ad Epiſcopatum Nouiomenſem poſt ſancti Eligij mortem promoto. Nouum Monaſterium, in quod Monachos è veteri tranſtulit, apud eandem villam *Sitiu* inchoauit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo, rexítque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum, quo totam adminiſtrationem, vt diuinæ contemplationi liberiùs vacaret, in Rigobertum Abbatem ſpontaneâ abdicatione transfudit. Denique natus annos nonaginta migrauit in cælum Nonis Septembribus hoc vtique annò, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo ſecundo.

XXXIII. [i] Nu. 29. & ſeq. ABBATES CELLÆ S. SIGISMVNDI.

Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuagèſimum-quintum [i], cùm egregiam in erigendis ac ditandis Monaſteriis pietatem Dagoberti Secundi Regis commendaremus, locuti ſumus de Cœnobio, cui nomen Cella Sancti Sigiſmundi in Epiſcopatu Argentoratenſi, probabilíque admodùm coniecturâ nixi, mortem Immerij, qui primus Abbas illius

AN. CH. 702.

CHILDEBERTI III. R. 8.

loci fuit, in hunc annum, à Chriſto nato ſecundum ſupra ſeptingenteſimum, reiiciendum diximus. Immerio ſucceſſit Sanctus Seuerinus, cuius ſolum nomen apud Iodocum Cocciūm occurrit in Dagoberto [a] rediuiuo.

Hoc anno Bonitus Aruernenſis quondam Epiſcopus iter in Italiam ſuſceptum perſecutus eſt. Lugduno Agaunum venit, Agauno Ticinum, Ticino Romam. De ſingulis illorum locorum hîc diſtinctè agendum.

[a] Cap 16.

XXXIV. ITER BONITI IN ITALIAM.

Auctor vitæ ſic narrationem auſpicatur. *Cùm ad Agaunenſium veniſſet Cænobium, ibíque ſibi Sanctorum expetens patrocinium, fratrúmque orationibus ſemetipſum cum non parua largitate eleemoſynæ commendauit, & non ſolùm ibi, ſed vbicumque in eodem itinere Monaſterium reperiſſet, ſacrum ita peregit.* Theodorico Tertio Regnum adepto, Recolenus, vt Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [b] obſeruauimus, Agaunenſis Monaſterij regimen ſuſcepit. Illum in Agaunenſium Abbatum nomenclatura [c] ſequuntur *Raggo*, *Aggulphus*, *Ermenbertus*. Huius Abbatis tempore Bonitus in Italiam profectus videtur. Diœceſim Sedunenſem, in qua ſitum Agaunum, regebat tum Wilimarus Epiſcopus, Grati, de quo ſuprà mentionem ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum [d] fecimus, proximus ſucceſſor, vt colligere eſt ex ſerie Sedunenſium Epiſcoporum, quam Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia Salutienſis Epiſcopus in Hiſtoria [e] Chronologica Regionis Pedemontanæ texuit.

XXXV.

[b] Num. 25.

[c] Tom. 4. Gall. Chriſt.

[d] Num 42.

[e] Cap. 44.

XXXVI.

Agauno Ticinum profectus eſt Bonitus. *Poſt hæc*, inquit Auctor vitæ, *Italiam ingreſſus à Rege Longobardorum multùm deuotè gratéque ſuſceptus eſt. Qui dum Rex ſancti Sacerdotis Palatio reſidens collationi mutuæ miſceretur, ſuperueniunt nuncij, qui vrbem exercitu circumuallari contendunt. Qui mox ſedili exiliens inopinatus intra vrbem ad bellum ſecum populum exire iubet, atque aduersùs acies inimici cuneos armatos inſtare præcepit, quíque humillimè ad virum Dei conuerſus ait. Rogo te, Pater, vt pro me Dominum exores, quia cauſſa mihi cum aduerſariis extat: aduentûs tui merito trophæum à Domino merear obtinere. Qui mox vt egreſſus eſt vrbe, prælium cum aduerſariis arripiens, ita partibus Ariperti fauens extitit Chriſtus, vt multis cæſis atque proſtratis, Rege in genitalibus vulnerato atque capto, cum magno tripudio ad virum Dei regreſſus eſt, & ei gratias pro ſuæ orationis adminiculo referens, iterum ſemetipſum eius obnixiùs precibus humillimus commendauit, eíque in ſuo Regno fecit præberi neceſſaria.* Pugnam illam *apud Ticinum* initam deſcripſit Paulus Diaconus libro ſexto de Geſtis Langobardorum, capite ſexto. De anno, quo commiſſa eſt, non conueniunt Neoterici; Sigebertus in Chronico annum adſcribit à Chriſto nato ſeptingenteſimum primum, Baronius ſeptingenteſimum quartum Tomo octauo Annalium Eccleſiaſticorum, Sigonius ſeptingenteſimum quintum libro ſecundo Hiſtoriarum de Regno Italiæ; cur ſeptingenteſimum ſecundum notemus, ratio fuſiùs eſt explicanda, quoniam ab hac epocha pendent multa, quæ per annos ſuprà digeſſimus, infráque digeremus ex Actis ſancti Boniti.

XXXVII.

Apud Carolum Sigonium Grimoaldus Longobardorum Rex Legibus à Rothari Rege promulgatis nouas adiecturus in Edicto ſuo ſic præfatur. *Ego Grimoaldus, vir Excellentiſſimus, Rex gentis Longobardorum, anno, Deo propicio, ſexto Regni mei, menſe Iulio, Indictione vndecimâ, per ſuggeſtionem Iudicum, omniúmque conſenſum*, &c. Annus ille Grimoaldi Regis ſextus, quocum Indictio vndecima per menſem Iulium conuenit, anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo illigatur. Grimoaldus autem, vt Paulus Diaconus teſtatur [f], *regnauit annis nouem*, obiit igitur anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo. *Bertaridus*, ſeu *Partharitus*, *exturbato Garibaldo puerulo à Regno ab vniuerſis Langobardis menſe tertio poſt mortem Grimoaldi in Regnum ſublimatus eſt*, & *cùm ſolus per annos ſeptem regnaſſet, octauo iam anno Cunibertum filium ſuum in Regno conſortem aſciuit, cum quo pariter per decem annos regnauit.* Hæc idem Auctor [g], ex cuius ſententia Partharitus fit Rex anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo, Cunibertum filium anno Chriſti ſexcen-

[f] Lib. 5. c. 12. vet. edit. c. 33. nouæ edit.

[g] Lib. 5. cc. 13. 14. vet. edit. cc. 31. 35. nouæ edit.

Digitized by Google

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

teſimo ſeptuageſimo-octauo in Regni conſortium vocat, vitámque claudit anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo. *Cunibertus*, teſte eodem Paulo [a], *poſtquàm duodecim annos Langobardorum Regnum poſt patrem ſolus obtinuit, tandem ab hac luce ſubtractus eſt*, anno videlicet poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo. *Regnum Langobardorum Liutberto adhuc puerilis ætatis reliquit. Cui tutorem Aſprandum virum ſapientem & illuſtrem contribuit. Dehinc elapſis octo menſibus Ragunbertus Dux Taurinenſium cum valida manu veniens aduersùs Aſprandum & Rotharit Bergomenſium Ducem apud Nouarias conflixit, eóſque in campo exſuperans Regnum Langobardorum inuaſit, ſed eodem anno*, nempe poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo primo, mortuus eſt. *Tunc filius eius Aripertus iterum bellum parans pugnauit cum Liutberto Rege apud Ticinum*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo, vt aſſeruimus ſuprà.

[a] Lib. 6. cc. 5. 6. vet. edit. cc. 17. 18. 19. nouæ edit.

XXXVIII. Sigebertus vno nos anteuertit anno, quia Grimoaldum, cuius obitum in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-primum reiicimus, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo extinctum arbitratur. A morte autem Grimoaldi Regis ad pugnam vſque Ticinenſem annos vnum ac triginta nobiſcum numerat, nec tantillum in partitione Principatuum à nobis diſſidet.

XXXIX. Carolus Sigonius à nobis integro triennio præuertitur. Iſtius diſſidij tres ſunt cauſæ, quarum vnaquæque annuam diſcrepantiam parit. Primò hic Auctor mortem Grimoaldi Regis in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum differt. Deinde Partharitum ſeu Pertharitum ante annum inſequentem Regio gauiſum titulo negat. Denique Chuniberto ſeu Cuniperto tredecim annos Principatûs attribuit, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum tertium. Sed iſta Paulo Diacono palàm refragantur.

XL. Cæſar Baronius biennio tantùm à nobis anteuertitur. Hoc bienne diſſidium ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium iam exurgit, quo ille Grimoaldum mortuum & Bertaridum ſeu Partharitum Regem factum ſcribit. Fit autem trium annorum in obitu Bertaridi ſeu Parthariti, de quo ſic idem Auctor ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum. *Moritur hoc anno Berthariduſ Rex Longobardorum, cùm regnaſſet ſolus annos ſeptem, decem autem cum filio Cuniperto.* At in iſta computatione manifeſtus eſt error. Nam ſi Bertharidus ſeu Partharitus regnum iniit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, tenuítque annis duntaxat ſeptemdecim, obiit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, nec annum ſequentem attigit. Diſſidium trium annorum in obitu Chuniberti ſeu Cuniperti perdurat, quia Baronius, ex Pauli ſententia cui ſuffragamur, affirmat Cunipertum poſt patrem Bertharidum annis duodecim regnaſſe. Decreſcit autem fitque rurſum bienne, vbi ſermo agitur de pugna Ticinenſi, quam Baronius refert anno poſt Cuniperti mortem primo, nos verò cum Sigonio mentem Pauli meliùs aſſecuto reiicimus in annum à primo poſt Chuniberti ſeu Cuniperti mortem proximum. Hæc ad Chronologiam. Narrationem iam perſequamur.

XLI. Bonitus *exinde*, nempe Ticino, *digreſſus cùm tenus maris littore perueniſſet, carinâ ſuſceptus, fluctuante cærulo minaces fluctus terrorem nonnullis, qui cum eo erant, incutiunt mortis, atque naue, quæ ſimul gradiebatur, ſeparatâ, in diuiſis homines tabulis inditi, vix pauci ad littus peruenire potuerunt. Vidénſque vir Dei ſuorum diffidentiam fratrum, blandè eos conſolari cœpit. Illi verò mortis metu declinantes, in nauem proſtrati corruerant, alij ſumptum alimentum aut aliud quod naui intulerant, in vndis, ad ſubleuandum vehiculum, proiicere cupiebant, ſi non Dei Sacerdos reſtitiſſet dicens. Nolite, nolite hoc facere, fratres; melius eſt, inquit, pauperibus & egentibus vobíſque ſeruetis. Et hoc dicens, oculos ad cælum cum ſolito lacrymarum imbre ſuſpendit, & pro ſalute omnium Dominum ſupplicauit. Statímque eodem puncto horæ vndarum impulſu, ceu pennigero volatu, longiùs littore ſcapham vnda protraxit. Poſt hæc Romam cum magna alacritate perrexit, ibíque*

Sanctorum

Digitized by Google

Sanctorum excubias Apoſtolorum, atque ſanctorum circumquaque Martyrum loca percurrens, eorum ſibi patrocinium atque ſuffragium ſupplici atque ineſtimabili deuotione popoſcit. Captiuos exinde redimendo non modicam ſecum turbam reduxit. Hæc Auctor vitæ. De ſancti Boniti reditu in Gallias agemus anno ſequenti. Interim hoc anno *Aſprandus fugiens ad Inſulam Commacinam in ea ſe communiuit*; poſteà *comperto*, quòd Ariperti Regis exercitus aduentaret, *fugit Clauennam, deinde per Curiam Rhætorum ciuitatem venit ad Theudebertum Boioariorum Ducem, & fuit cum eo per nouem annos.* Hic Theodobertus Theodoni Quarto, de quo nihil poſt annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum legitur, in Præfecturam Boioariæ ſucceſſerat. Lege Paulum Diaconum in Hiſtoria [a] Longobardica & Ioannem Adlzreitterum in Annalibus Boicis [b].

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8. DVCES BOIOARIÆ.

[a] Lib. 5. c. 6. vet. edit cc. 19. 21. nouæ edit.

[b] Lib 7. n. 14.

XLII. ODA VIDVA.

Aubertus Miræus [c] in Faſtis Belgicis & Burgundicis encomium ſanctæ Odæ ſic orditur. *Oda, Boggis Aquitanorum Ducis vidua, & Sancti Huberti Leodicenſis Epiſcopi amita, an. 702. claruit, variáſque Eccleſias ſuâ ditauit munificentiâ.* Eadem Oda in Chronico Sigeberti, *anno 711. ſanctitate claret in Gallia.* Superſtes ad illum annum eſſe potuit. *Addunt quidam eam decorari, ex magnis Regibus fidei Chriſtianæ cultoribus, Clodoueo atauo, Childeberto patre, Dagoberto fratre. Sed & ſanctas proles commemorant, Arnulphum Epiſcopum Metenſem, Ferreolum Epiſcopum & Martyrem, Modericum Confeſſorem, & Tarcitam Virginem.* Hæc Ioannes Molanus [d], *qualiter* autem *conſentiant, & vnde dicantur,* prorſus ignoraſſe ſe fatetur. Tomo ſecundo ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-ſeptimum [e] duas Odas diſtinximus, vnam matrem Sancti Arnulfi Metenſis Antiſtitis, alteram amitam Sancti Huberti Leodienſis Epiſcopi. Simul vtramque confuderunt Præpoſitus & totum Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Amanienſis in literis, quas Abbati Simoni *de Chariſey* & Conuentui Monaſterij Sancti Arnulphi Confeſſoris prope ciuitatem Metenſem anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo-ſexto direxerunt. *Boggus*, inquiunt, *habuit duas vxores, in prima genuit quemdam Bertrandum, & ille Bertrandus ex ſua coniuge vocata Phigberta genuit Sanctum Hubertum, quæ Phigberta fuit ſoror legitima B. Odæ viduæ. Poſt mortem ſuæ primæ vxoris idem Boggus deſponſauit Beatam Odam, in qua genuit beatum Arnulfum*, &c. *Et beata Oda fuit amita Sancti Huberti, & Sanctus Arnulfus filius beatæ Odæ fuit auunculus Sancti Huberti ex parte Boggi patris ſui, quia Bertrandus & Sanctus Arnulfus fuerunt fratres non de vna matre, ſed de duabus matribus, & de vno patre, ſcilicet Boggo.* Vt duas Odas ſic & duos agnoſcimus Boggos, ſeniorem qui dictus eſt etiam Arnoaldus, fuítque pater Sancti Arnulfi, iuniorem alterum, cui nupſit amita ſancti Huberti. Vt diſtinctionem illam ineamus, cogit ipſa ratio temporis, nam quomodo cenſeri poſſunt Arnulfus & Hubertus è duabus ſororibus geniti, cùm Pontificales Infulas ſuſceperint, Arnulfus anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo, Hubertus anno Chriſti octauo ſupra ſeptingenteſimum? De parentibus Sancti Arnulfi dictum eſt ſuis locis, hîc de iuniore tantùm Oda déque Sancto Huberto diſſerendum.

[c] d. 23. Octobr.

[d] die 23. Oct.

[e] Num. 23.

XLIII.

Eccleſiæ ſuæ plurimùm decoris acceſſurum putarunt Amanienſes Canonici, ſi quam patronam colebant Odam, ea mater Sancti Arnulfi Metenſis olim Epiſcopi crederetur. E duabus Odis vna ſolummodò diptychis adſcribi meruit, hæc autem amita fuit Sancti Huberti, quocum poſt mariti mortem ex Aquitania in Auſtraſiam profecta legitur, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum iam obſeruauimus. Eandem Odam Amanienſes Canonici laudarunt in literis iam citatis, quòd præter Amanienſem Eccleſiam, in qua Canonicos octo inſtituit, quatuor alias Eccleſias in honorem ſancti Georgij fundauerit. *Reperitur in Chronicis, quòd beata Oda noſtra Patrona fundauit villam & Eccleſiam Amanienſem in honorem beati Georgij, & dotauit noſtram Eccleſiam de multis bonis quæ poſſidemus tam in decimis, quàm in denariis hereditariis, & adhuc fundauit quatuor Eccleſias Parochiales in Epi-*

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

ſcopatu Leodienſi, omnéſque in honorem Sancti Georgij ſuis ſumptibus, & inſtituit in noſtra Eccleſia Amanienſi octo Canonicos. Cetera, quæ pertinent ad illuſtrandam Odæ memoriam, narrabimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum, quo laudata reperitur in Chronico Sigeberti.

XLIV. a.d. 3 Nou. HVBERTVS. De Sancto Huberto, cuius amita Oda, ſic ſcribit Aubertus Miræus [a]. *Hubertus patre Bertrando, Aquitaniæ Duce, natus, ex Floribana coniuge Floribertum filium ſuſtulit. More nobilium in ſylua Arduenna venanti, cùm Chriſtus crucifixus inter cerui cornua apparuiſſet, ad Sanctum Lambertum Traiectenſem Epiſcopum ſe contulit, ab eo inſtruendus. Anno itaque* 688. *Theodorico Galliæ Regi balteum militarem reddidit, Eudoni fratri iuniori Principatum ceſſit, & vitæ ſanctioris ſtudio totum ſe dedit.* Hubertus in libello, qui de illius conuerſione inſcribitur, *genere* dicitur *Aquitanicus.* Quos autem parentes habuerit, nec Auctor iſtius libelli prodit, nec indicat Anonymus qui vitam eiuſdem Huberti conſcripſit. Illum illuſtri loco natum non negamus, ſed ei nec patrem nec fratrem fuiſſe credimus Aquitaniæ Ducem. De Ducibus Aquitaniæ diſſeremus alibi. Ceteras difficultates, quæ ſuper Huberti Geſtis ortæ ſunt, hoc loco paucis enodabimus.

XLV. An pater Floreberti. Huberto filium fuiſſe Florebertum ſeu Floribertum dictum fatentur omnes, ſed alij carnalem filium vocant, alij verò ſpiritualem interpretantur. Vtramque opinionem ſic attigit Anſelmus in Floreberto. *Poſt hunc*, id eſt, poſt Sanctum Hubertum, *trigeſimus-primus Epiſcopatum ſuſcepit Florebertus. Dictus quidem, vt vulgatum eſt, ſancti anteceſſoris filius, quem, ſi carnalis idem, ante ſanctæ Religionis generauit habitum, nihil de dignitate derogari poteſt alterutri. Sin verò ſpiritualis alter alteri patri erat filius, nihil obeſt, imò multùm prodeſt, ſpirituales filios ſi bonis patribus contigerit ſuccedere.* Et Ægidius iiſdem penè verbis in additionibus ad eundem Anſelmum ſic. *Poſt Sanctum Hubertum triceſimus-primus Leodienſem Epiſcopatum ſuſcepit Sanctus Florebertus, dictus, vt vulgatum eſt, iam præſcripti anteceſſoris filius Huberti. Cui ſi carnalis, ante ſumptum Religionis habitum, pater extitit, nihil de dignitate derogari poteſt; ſi verò ſpiritualis pater fuit, nil obeſt ſpiritualem filium patri ſpiritali poſſe ſubſtitui.* Nicolaus Hubertum legitimo matrimonio iunctum fuiſſe teſtatur [b] in vita Sancti Lamberti, cùm ait ex beati Lamberti contubernio frequentíque colloquio cor clariſſimi Comitis Huberti adeò immutatum, penitúſque accenſum eſſe deſiderio patriæ cæleſtis, *vt abiecto militiæ cingulo, calcatâ mundanæ potentiæ gloriâ, caſtris Dominicis in Clericali habitu aſcribi voluerit, támque pium ſanctæ deuotionis affectum mancipaſſet effectui, ſi non eum copula legitimi, quo alligatus erat, retinuiſſet coniugij.* Ex legitimo illo Huberti coniugio natum Florbertum ſeu Florebertum docet Anonymus, qui morti eiuſdem Huberti præſens interfuit, déque illa ſic in eius Geſtis ſcripſit [c]. *Nos torum ipſius circùm ambientes, vnáque nobiſcum egregius filius eius Florbertus, præſtolabamur glorioſam ipſius migrationem.* Nec hic textus de ſpirituali filio ſumi poteſt, quia quotquot aderant glorioſam in cælum migrationem Sancti Huberti præſtolantes, ij ſpirituales erant eius filij.

b Cap. 13.

c Ap. Sur. d.3. Nou.

XLVI. Anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo, vt ſuo loco dictum eſt, Hubertus ad Dominum conuerſus eſt *per ſanctæ vitæ propoſitum.* Vxorem, quam Miræus Floribanam vocat, iam duxerat, imò ſuſceperat ex ea filium, quem Florbertum, Florebertum & Floribertum appellant. Adoleſcentiâ nondum exceſſerat, cùm ſanctæ vitæ propoſitum arripuit, perrexítque in Auſtraſiam, vt Lamberti Traiectenſis Epiſcopi diſciplinæ ſe traderet. De vitæ genere, quod in Auſtraſia duxit, non conueniunt Auctores, nec vtrùm ſecularem habitum depoſuerit an retinuerit, vnanimi declarant conſenſu. Nicolaus, cuius fragmentum ſuprà recitauimus, in poſteriori ſententia verſatur, ſic enim de Huberto in vita [d] Sancti Lamberti diſſerit. *Cùm in Parochia Tungrenſi, circa memoratum Principem* Pippinum, *vir illuſtris Hubertus aliquamdiu conuerſaretur, beati Pontificis* Lamberti *celebre nomen, eiúſque Ange-*

d Cap. 13.

Digitized by Google

licæ conuerſationis & Apoſtolicæ doctrina ingens præconium, famâ vbique diſcurrente, cognouit, cupiénſque videre & audire eum, deſcendit Traiectum. Quem vir Dei gratanter accepit, multíſque diebus ſecum detinuit, ex cuius ſanctiſſimo contubernio & exemplo frequentique colloquio cor clariſſimi Comitis adeò immutatum penitúſque ſuccenſum eſt cæleſtis patriæ deſiderio, vt abiecto militiæ cingulo, calcatâ mundanæ potentiæ gloriâ, caſtris Dominicis in Clericali habitu aſcribi voluerit, támque pium ſanctæ deuotionis affectum mancipaſſet effectui, ſi non eum copula legitimi, quo alligatus erat, retinuiſſet coniugij. Apoſtolicum tamen ſequutus conſilium habebat vxorem tanquam non haberet, rebúſque ſecularibus ſic vtebatur, vt domum propriam non tam poſſidere videretur quàm adminiſtrare. Deinde totus in virum commutatus alium, nouo viuendi genere, ſolo habitu mundanam dignitatem profitebatur, re autem ipsâ & affectu non miles ſed Clericus, non Comes ſed Lamberti diſcipulus erat. Iam enim tunc occultè operabatur in eo Spiritus Sanctus per miniſterium Sacerdotis ſui Lamberti, quod ad ſalutem multorum poſteà manifeſtè latiùs propagatum eſt, cùm per Angelicam viſionem in Epiſcopali regimine ipſi beato magiſtro dignus hæres ſuccedens, ſanctâ conuerſatione, Apoſtolicâ prædicatione, & Traiectenſem Eccleſiam illuſtrauit, & poſtmodum Leodienſem feliciter fundauit. Alij ſecus ſentiunt, rursúmque duas in claſſes diſtinguuntur, Hubertum enim habitu laicali depoſito pars Clericum, pars Monachum conſtituit. AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

XLVII. In libello, qui de Sancti Huberti conuerſione inſcribitur, itineris in Auſtraſiam ab eo ſuſcepti duæ proferuntur rationes; vna, quòd die ſolemni, cùm venaretur, ſignum viuificæ Crucis inter cornua cerui conſpexit, audiuítque vocem æternos in inferno cruciatus ſibi minantem; niſi *per ſanctæ vitæ propoſitum* ad Dominum conuerteretur; altera, quòd *Ebroinum*, qui domûs Regiæ Maioratum in Neuſtraſia & Burgundia gerebat, *ad omnem malitiam promptiſſimum* execrabatur. Hæ duæ cauſæ non ita diuerſæ ſunt, quin vtraque ſimul vera eſſe poſſit, vt Ioannes Chapeauillus iam cenſuit in annotationibus [a] ad vitam Sancti Lamberti, quam Nicolaus Leodienſis Canonicus proximè citatus in literas retulit. Priorem, cui nihil refragari videtur, Nicolaus reticuit, poſteriorem deſcripſit, cui Chronologia repugnat, Ebroinus enim non peruenit ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum, quo conſignatur profectio in Auſtraſiam ab Huberto ſuſcepta. Ceterùm quotquot Hubertum, priuſquàm Lambertum adiret, aliquamdiu in Pippini Maioris-domûs comitatu moratum volunt, Ebroinum in viuis tunc ſuperſtitem fingunt, aiúntque adeò inimicum bonis viris extitiſſe, vt Hubertus in ea Franciæ parte, vbi ille Maioratum Regiæ domûs exercebat, ſuſceptum ſanctæ vitæ propoſitum adimplere ſe poſſe diffiderit, ideóque ſe receperit in Auſtraſiam, vbi auctoritas Pippino maxima, Ebroino nulla. Econtrà verò, quia Hubertum in Auſtraſiam poſt annos ſeptem ab Ebroini morte profectum aſſerimus, illuc perrexiſſe non exiſtimamus, vt in Pippini Maioris domûs comitatu verſaretur, ſed vt Lambertum Traiectenſem Epiſcopum ſuper morum conuerſione ſanctæque vitæ propoſito conſuleret.

[a] Ad c. 13.

XLVIII. AN MONACHVS. Ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo, quo Hubertus in Auſtraſiam ſe contulit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum octauum quo Traiectenſem Pontificatum gerere cœpit, effluxerunt anni viginti. Virum, qui poſt mirabilem viuificæ Crucis viſionem, de qua ſuprà, ſanctæ vitæ propoſitum arripuerat, toto illo annorum viginti ſpatio, donec Epiſcopus fieret, apud Pontificem, quem adierat erudiendus, in habitu laicali permanſiſſe quis credat? Si *Theodorico Regi*, vt Miræus iam citatus teſtatur, *balteum militarem reddidit*, dubium non eſt quin veſtem mutarit, & ex laico factus ſit aut Clericus aut Monachus. Pro Monachatu totus ſtat Fiſenus [b], vult enim Hubertum nuncio rebus ſecularibus remiſſo vel Stabuletum ſeceſſiſſe vel Andainum, cùm vtrobique Monachi degerent. Duplicem autem errorem in Andaini mentione committit, quia Monaſterium An-

[b] In Florib. Leodienſ.

AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8. dainenſe, de cuius erectione dicemus infrà, poſt Huberti ſeceſſum ædificari cœpit, & Monachos ab initio non habuit. Apud Stabuletum ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo ſub Remaclo illius loci primo Abbate eiúſque ſucceſſoribus floruit Ordo Monaſticus. At Hubertus non alio magiſtro quàm Lamberto Epiſcopo vſus perhibetur, eiúſque nomen non extat in Martyrologio Benedictino, cui Sodales Benedictini Sanctum Remaclum, Sanctum Theodardum, alióſque Stabulenſes cùm Abbates tum Monachos adſcripſerunt. Hubertus igitur è laico factus eſt Clericus, deinde Preſbyter, adeóque ſub Epiſcopi Lamberti diſciplina profecit, vt eidem in Epiſcopatum anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo ſucceſſerit.

XLIX. SACERDOS. Iuxta Chronologiam ſuper ætate Sancti Sacerdotis hactenus ſtabilitam, idem Sacerdos Diaconus, cùm Monaſticam vitam *per ſeptem circiter annos* in Calabrenſi Monaſterio duxiſſet, hoc anno Preſbyter & Abbas illius loci factus eſt. Qua de re ſic in eius vita [a] Bernardus Guidonis. *Sub Abbatis regimine per ſeptem circiter annos ante Presbyteratûs Ordinem Domino militauit. Per hos dies vir Domini Sacerdos præfati Monaſterij* Calabrenſis *fratribus præfectus eſt in Abbatem, quibus vt ſeruus omnium ſeruiebat, & vt iudex peritus crimina arguebat; minimus inter omnes apparere ſtudebat, quos doctrinis ſalutaribus & regularibus diſciplinis inſtruebat. Creſcebat quotidie fama eius famulatrix virtutum, confluebántque ad eum ex diuerſis regionibus quidam, vt exemplo eius fierent meliores, quidam verò vt inuiſerent ſpectabilem virum, alij autem vt alimenta perciperent ab eodem, & alij vt animas ſuas orationibus commendarent. Cura pauperum & peregrinorum ei inerat, & cum alacritate eis impendebat quicquid ſibi ſubſtrahere potuiſſet, vnâque admodum vili veſte ſui ordinis contentus nudos veſtiebat, &, cùm ſibi parcus exiſteret, ceteris largus erat. Intereà factus eſt Presbyter, & quotiens ſacra myſteria peragebat, ſeſe lachrymis in oratione perfundebat.* Hæc poſtrema periodus apertè pugnat cum prima, declarat enim Sacerdotem factum eſſe Preſbyterum, cùm Abbas iam eſſet, prima verò Preſbyterum priùs ordinatum oſtendit, quàm Abbas inſtitueretur. Stamus à prima, quia clarioribus verbis exprimitur. Sacerdos *ſub Abbatis regimine per ſeptem circiter annos ante Presbyteratûs Ordinem Domino militauit.* Paulò pòſt factus eſt Abbas. *Per hos dies*, inquit Auctor vitæ, id eſt, per hos dies quibus ad Preſbyteratûs Ordinem promotus eſt, *vir Domini Sacerdos præfati Monaſterij* Calabrenſis *fratribus præfectus eſt in Abbatem.* Qualem in illo munere ſe præſtiterit, ex eodem Scriptore narratum ſuprà. Virtutum, quibus pollebat, enumerationi ſubiiciuntur [b] inſignia duo miracula, curatio leproſi, patriſque ſuſcitatio à mortuis. Primùm hîc commemorabimus, alterum alio loco, quia ſeriùs patratum.

FIT PRESBYTER ET ABBAS.

[a] Capp. 3. 4.

[b] Cap. 5. & ſeqq.

L. CLARET MIRACVLIS. *Erat in vico Calabro homo quidam leproſus. Factum eſt autem, vt quadam die vir Domini Sacerdos ab Angelo moneretur, quatinus eum viſitaret, & lotis manibus omnia ægritudinis eius loca palparet. Quòd cùm feciſſet, oratione præmiſsâ leproſum continuò reſtituit ſanitati. Habitatores verò loci illius & omnes populi regionis circumuicini hoc audientes, Deo gratias inferebant, beati Sacerdotis merita collaudantes.* Accepto tanti miraculi nuncio, parentes Laban & Mundana vehementiùs ad pietatem accenſi. Scriptor enim vitæ ſic pergit. *Mundana quoque mater eius hoc audito miraculo benedicebat Dominum, & corde compuncta, cuncta deinceps ſpernens ſeculi oblectamenta deſiderabat filij ſui veſtigia imitari, direxítque nuntium ad Laban virum ſuum, accerſiens eum de Burdegala ciuitate, ſignificans ei quod factum fuerat ſignum per filium ſuum. Erant autem Laban & Mundana vxor eius inclyti ſecundùm ſeculi dignitatem & opibus opulenti. Quadam igitur die venerabilis Mundana ad pedes viri ſui procidens cum lachrymis precabatur, vt ambo pariter felici commercio pro terrenis cæleſtia mercarentur, & Sancti Sacerdotis filij ſui veſtigia ſequentes, ſicut pariter vixerant mundo carnaliter, ita deinceps viuerent Deo ſpiritualiter. Quam petitionem Laban compunctus libenter exaudiuit. Diuiſerunt igitur in duas partes cunctam ſubſtantiam ſui iuris, & vnam*

Digitized by Google

quidem Eccleſiæ Chriſti tradiderunt, alteram verò pauperibus & peregrinis erogauerunt. Seruos ac vernaculos ſuos liberos fecerunt, & reliquam vitam ſuam Domino dedicauerunt, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes. AN. CH. 702. CHILDEBERTI III. R. 8.

LI. MVMMOLVS ABB. FLORIAC. OBIT.

Hoc anno Mummolus Abbas Floriacenſis in Hiſpaniam profectus eſt ad ſepulchrum Sancti Iacobi Apoſtoli, cúmque ad ſuum Monaſterium reuerteretur, in Cœnobio ſanctæ Crucis, quod prope muros ciuitatis Burdigalenſis tunc florebat, obiit ſexto Idus Auguſti, quo die colitur etiamnum Burdigalæ in Monaſterio ſanctæ Crucis vbi quieſcit. Lege Chronicon Burdigalenſe à Gabriele *de Lurbe* concinnatum, quódque apud illum Auctorem refertur de ætate Mummoli, quem annos ſeptuaginta ſupra trecentos vixiſſe colligit ex epitaphio iuxta ſepulchrum poſito, id inter fabellas reiice. Mummolus Floriacenſe Monaſterium ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo ad hunc vſque annum per annos vnum & quadraginta rexit, ídque non eſt indicium ſenectutis adeò decrepitæ. De proximis Mummoli ſucceſſoribus nihil occurrit ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum, vt ad illum annum dicemus.

LII. OPPORTVNVS EPISC. NIVERN.

Apud Coquillium, Chenutium, alióſque Nomenclatores, hoc anno ponitur Opportunus Niuernenſis Epiſcopus, Sancti Iterij, de quo ſermonem ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum [a] fecimus, proximus ſucceſſor. A Chenutio ſic commendatur. *Opportunus, anno 702. temporibus Ioannis 6. & Childeberti 2. Regis.* De Ioanne Sexto Papa conuenimus, vt patet ex iis, quæ de Chronologia Romanorum Pontificum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum [b] aliâ occaſione dicta ſunt. Quem autem Chenutius Childebertum Secundum vocat, Tertium appellamus, quia Childebertum Clotarij Primi ex Sigiberto filio nepotem, licèt Pariſiis & in Neuſtraſia numquam regnarit, Francorum Regibus accenſemus.

[a] Num. 47.
[b] Num. 2.

AN. CH. 703. CHILDEBERTI III. R. 9.

ANNVS CHRISTI 703.
CHILDEBERTI III. R. 9.

I. PIPINVS MVNIFICVS ERGA MON. FONTANELL.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo tertio, ſiue *anno*, vt Chronographus Fontanellenſis [c] teſtatur, *Hildeberti Regis nono, ipſo die tertio Nonarum Martij*, Pippinus Monaſterio Fontanellenſi largitus eſt *villam cuius eſt vocabulum Taricinus, quæ ſita eſt in pago Belloacenſi.* Hic Auctor adiecit id geſtum *Indictione ſecundâ*, ſed Indictionem, cuius vſus tunc apud Francos non erat, vſurpauit pro libitu, & Indictionem ſecundam per menſem Martium malè comparauit cum anno Childeberti Regis nono, quocum conuenit Indictio prima. Error eò grauior eſt, quòd, vt anno ſequenti dicemus, eandem Indictionem ſecundam per menſem Martium anno decimo Childeberti Regis illigauit.

II. TILLO MORITVR.

Ad hunc annum videtur perueniſſe Tillo, Abbas quondam Sollemniacenſis, obiit enim nonagenario maior. *Factum eſt*, inquit Auctor vitæ [d], *cùm iam vir Domini ſenilem ageret ætatem, poſt multiplices huius vitæ labores, poſt diuerſa eremiticæ miſericordiæ opera, poſt dulcia exempla, cùm eſſet annorum ampliùs nonaginta, ſciens diſſolutionem ſui corporis imminere, dixit Monachis Sollemniacenſis Monaſterij. Scitote, Domini mei, quia me Dominus de laqueo huius ſeculi in proximo liberare dignabitur. Cùm hoc audiſſent fratres, reſponderunt. Non contingat tibi hoc, Sacerdos ſancte, neque nobis videre, ſed almitatem tuam Chriſtus mundo adhuc conſeruet. Quibus proſtratus in pauimento cum lachrymis dixit, cunctis oſcula libans. Nolite, quæſo, fratres mei, triſtari, ſed magis gaudete, quia*

[c] Cap. 2.
[d] Ap. Bolland. d. 7. Ian.

AN. CH. 703. CHILDEBERTI III. R. 9.

hoc olim deſiderabam. Sic dicens ſiluit. Deinde leuiſſimâ febre correptus tadere cæpit. Poſt ipſo Dominica Apparitionis die, Eccleſia ſua omnia diſpoſuit, & ſuum monumentum vbi fieret conſtituit, vocatóque puero dixit. Feſtina citò ad vrbem Lemouicum, & dic Paſtori Eccleſiæ, vt craſtinâ die huc veniat, corpúſque meum ſepulturæ tradat. Nuntius quippe iuſſa adimplens, præfatum Paſtorem in graui languore iacentem inuenit, vt nec ſtare, nec ſedere, nec ſe erigere, neque ad latus aliud declinare valeret. Sed mox vt nuntij verba audiſſet, eundi cauſsâ erigere ſe rogauit, atque ad virum Dei nullo manum ei annuente, propriis pedibus ambulando peruenit, ipsúmque ſacroſanctum corpus cum Monachis, qui ibidem aderant, ſepulchro mancipauit. Deſuper etiam ſcripturam ex auro argentóque, miro modo fabricauit. Sícque omnis ægritudo ab eo diſceſſit, & ille gaudens & benedicens Deum, reuerſus eſt ad Sedem ſuam.

III. SEPELITVR AB ERMINO EP. LEMOVICENSI.

Epiſcopus, qui Lemouicenſem Eccleſiam tunc regebat, Ermeno vocatur à Sauſſaio. Succeſſit in Epiſcopatum Cæſario. Variis nominibus appellatur, Ermenardus, Simerius, Eximerus, Exmemarius, Exmonarius, Exmenarius, Ermenarius, Ermenus & Ermeno. Lege quæ Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſeptimum dicta ſunt, vbi diſputatum de Lemouicenſibus Epiſcopis occaſione Ruſtici, qui ſæpè nominatus in vita Sancti Vincentiani manuſcripta reperitur, & Eccleſiam in honorem beatiſſimæ Virginis anno Clotarij Tertij Regis decimo-tertio iam inchoato dedicauit. Idem Ermenus Matriculariis Cathedralis Eccleſiæ, quæ patronum habet Sanctum Stephanum, villam, nomine Magniacum, tradidit. In eam rem literas Stodili Epiſcopi, qui medio nono ſeculo floruit, citant in Gallia Chriſtiana Robertus ac Sammarthani. Sanctum Tillonem apud Sollemniacum honorificè ab Ermenardo ſiue Ermenone Lemouicenſi Epiſcopo ſepultum docet etiam Bernardus Guidonis in Geſtis [a] Lemouicenſium Epiſcoporum. Porrò ſucceſſit Ermenoni Salutaris, tum Aggericus, cuius mentio fit in vita Sancti Sacerdotis, vt ſuo loco dicturi ſumus.

[a] Cap. 4.

IV. EIVS ÆTAS.

Longæuam autem Sancti Tillonis vitam, quæ fuit annorum nonaginta & ampliùs, cum annis Chriſti ſic compone. Tillo Saxo-Britannus vſuram lucis accepit anno Chriſti circiter ſexcenteſimo decimo, puer ſub haſta væniit, redemptus eſt à Sancto Eligio tunc aurifice, ſub quo reliquam pueritiam & adoleſcentiam egit. In Monaſterio Sollemniacenſi, quod idem Eligius anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-primo fundauerat, Monaſticen amplexus eſt anno Chriſti circiter ſexcenteſimo triceſimo-quinto, eundem Eligium in Tornacenſem Diœceſim proficiſcentem comitatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-primo, factus eſt Abbas Sollemniacenſis anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto, auditâ Sancti Eligij morte ſeceſſit in eremum apud Aruernos anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, percharus fuit Bonito Aruernenſi Epiſcopo qui ſedere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, rediit ad Monachos Sollemniacenſes anno Chriſti circiter ſexcenteſimo nonageſimo-quinto, prælaudatum Bonitum ad ſe conſilij petendi cauſâ venientem ſuſcepit anno Chriſti vndeſeptingenteſimo, obiitque anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo tertio natus annos circiter tres ac nonaginta.

V. BONITVS REDIT LVGDVNVM.

Hoc eodem anno prædictus Bonitus Aruernenſis quondam Epiſcopus Româ Lugdunum reuerſus eſt. In itinere, *cùm Cluſinam * Tuſcorum perueniſſet in vrbem*, quæ ad Clanem amnem ſita centum millibus paſſuum Româ diſtat, aquâ, quâ manus lauerat, mulierem cæcam illuminauit. Prætereà curauit multos infirmos, *quos vngi præcipiebat ex oleo, quod ex beati Petri ſepulchro pro benedictione leuari iuſſerat.* Lege illius vitam [b].

* Chiuſi.

[b] Ap. Bolland. d. 15 Ian.

VI. AGATHEVS EP. REDON. ET NAMNET. OBIT.

His circiter temporibus obiit Agatheus, qui duos Epiſcopatus, Redonenſem videlicet & Namnetenſem, contra Canones à multis annis tenebat. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum [c]. Quot annis Epiſcopum ſe dixerit, haud ſcimus; quibus enim annis

[c] Num. 23. & ſeqq.

Digitized by Google

Sanctus Deſiderius Redonenſis & Sanctus Paſquarius Namnetenſis Antiſtes ex hac vita diſceſſerint, nos omnino latet, ex vtriuſque tamen geſtis ſimul collatis colligimus Cathedram Redonenſem ab Agatheo primùm occupatam, deinde & Namnetenſem retentâ quoque Redonenſi. AN. CH. 703. CHILDEBERTI III. R. 9.

VII. MODERANDVS EP. REDONENSIS. AMITHO EP. NAMNET.

Quod autem nefariè contra ſanctiones Eccleſiaſticas ab Agatheo geſtum eſt, vt vnus Epiſcopus duas Eccleſias adminiſtraret, id in conſuetudinem apud poſteros non abiit, eidem enim Agatheo duo ſucceſſerunt Epiſcopi, Moderandus & Amitho, quorum hic Diœceſim Namnetenſem, ille Redonenſem gubernauit. Moderandus ſeu Moderamnus annis tantùm tredecim ſedit, vt in eius vita ſcribit Auctor [a] Armoricæ ſanctæ. Dimiſit Epiſcopatum, vt Flodoardus [b] teſtatur, regnante iam Chilperico Tertio, qui, prout infrà conſtabit, annis quinque cum dimidio Regnum tenuit, obiitque anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo. Quapropter ab hoc anno, qui poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus tertius numeratur, mors Agathei non poteſt cenſeri multùm remota.

[a] d. 22. Octobr. [b] Lib. 1. c 20.

VIII. WLFERVS MVNIFICVS ERGA MON. WOROMHOLT.

Hoc anno, Wlferus vir nobilis, vt Meyerus in Annalibus [c] Flandriæ teſtatur, Winnoco Abbati Woromholtano pagum *Wlferiſcle* nuncupatum attribuit.

[c] Lib 1.

IX. EPISCOPI SALISBVRG. ABBATES S. PETRI.

Ezius ſiue Ezzius aut Eſſius Saliſburgenſis Epiſcopus obiit hoc anno, cùm ſediſſet annos tres ac viginti, vt Gaſpar Bruſchius in Monaſteriis Germaniæ & Gabriel Bucelinus in Præſulibus Saliſburgenſibus teſtantur. Succeſſit in Epiſcopatum Flebargiſus ſeu Flobargiſus aut Flobargiſius, Abbas anteà Sancti Petri, curam verò Monaſterij ſuſcepit Ioannes, qui non tantùm è Monacho Abbas poſt Ezij mortem, ſed & ex Abbate factus eſt Epiſcopus poſt obitum Flobargiſi, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum denuò repetemus.

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

ANNVS CHRISTI 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

I. INEVNTE anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, Vſmarus Abbas Lobienſis, cuius mirabilem abſtinentiam Ratherius prædicauit, panem guſtare deſiit, & per annos nouem ac decem hebdomadas, id eſt, ad exitum vſque vitæ, ſiue ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-tertium, vſus eſt eâ parcitate victûs, vt ſuſtentandæ vitæ crederent omnes imparem. *Nouem annis*, inquit Ratherius [d], *& decem hebdomadibus abſque alimonia vixit panis. Cibus verò ipſe, quem ſumebat, tam tenuis & modicus erat, vt eo ſuſtentari nemo poſſet mortalium, niſi miraculo, vt ipſe, diuino. Omnes autem, qui eum cernebant aut audiebant loquentem, mirabantur quòd tam robuſtus eſſet & eloquens, abſque alimonia panis viuens. Aqua verò eius erat potus, & aliquoties ſicera, quâ tamen paululùm raróque vtebatur. Victus illius is erat, quem abſque officio dentium ſumere poſſet.*

[d] Ap. Sur. d. 19. Apr.

VRSMARI ABB. LOBIENSIS MIRABILIS ABSTINENTIA.

II. Hoc anno Bainus Abbas Fontanellenſis corpora Sanctorum Wandregiſili, Anſberti & Wlfranni, de Baſilica Sancti Pauli in Eccleſiam Sancti Petri tranſtulit. Tranſlationem illam Chronographus Fontanellenſis ita celebrauit [e]. *Hic Bainus Epiſcopus inter innumera bonitatis ſuæ opera quæ geſſit, etiam corpora Sanctorum, Wandregiſili, Anſberti atque Wlfranni in Eccleſiam Beati Principis Apoſtolorum Petri, de Baſilica Sancti Pauli Apoſtoli tranſtulit, & poſuit quidem Beati Patris Wandregiſili in medium, magni verò Præſulis Anſberti ad læuam, & glorioſi Pontificis Wlfranni ad dexteram partem in abſida eiuſdem Baſilicæ ad*

[e] Cap. 2.

TRANSLATIO SS. WANDREGISILI, ANSBERTI, WLFRANNI.

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

Orientalem plagam. Facta eſt autem hæc ſancta Tranſlatio anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quarto, Indictione ſecundâ, pridie Kalend. Aprilis, feriâ ſecundâ. Nam ſolennitas Sancti Paſcha tertio Kalend. Aprilis tunc extitit, qui erat annus decimus glorioſi Regis Hildeberti; porrò Ioannis Papæ, qui octogeſimus à Beato Petro Romanam rexit Eccleſiam, annus primus; Baini denique Patris prædicti annus quintus, ex quo regiminis aſſumpſerat curam iſtius Cœnoby. Eodem verò in loco, quo B. Wandregiſilus in prædicta S. Pauli Apoſtoli requieuerat Baſilica, B. Erenbertum Epiſcopum poſuit, qui anteà in inferiori loco eiuſdem Eccleſiæ ſubter arcubus tumulatus, annis plùs minúſue triginta-tribus requieuerat, die trigeſimo-primo poſt Tranſlationem prædictam, condiditque ſuper eum repam argento decoratam. Requieuit igitur B. Wandregiſilus in eadem S. Pauli Baſilica annis circiter quadraginta, inclytus autem Præſul Ansbertus annis nouem, Sanctus verò Archiepiſcopus Wlfrannus annis vndecim. Qui ita inuenti ſunt cum veſtibus ſuis à corruptione illæſi, quaſi eâdem die fuiſſent ſepulturæ traditi. Nam ſicuti miniſtrare ſanctis altaribus conſueuerant, ita etiam tumulati fuerant.

III. Bainus Epiſcopus vocatur, quia priuſquàm in Monaſterium Fontanellæ ſecederet, Epiſcopatum Morinorum geſſit. Annus Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimus quartus per menſem Martium cum Indictione ſecunda, & anno decimo Childeberti Regis rectè componitur, malè verò comparatur cum anno Baini Abbatis quinto, cuius loco reſtituendus eſt quartus, vt ſuprà monuimus [a]. Illo anno biſſextili, qui præditus fuit literis Dominicalibus F & E, Paſcha celebratum eſt tertio Kalendas Aprilis, cyclo Lunæ II, Solis XIII, literâ Dominicali E poſt intercalationem biſſexti tunc currente. Sic nulla prorſus occurrit difficultas circa Chronologicos Characteres, quibus Monachus Fontanellenſis prædictam Tranſlationem conſignauit, ſi Ioannis Papæ annum primum & Baini Abbatis annum quintum excipias. Baini Abbatis annus quartus eſt reponendus. Eodem Baino Fontanellam gubernante, ſederunt duo Romani Pontifices æquiuoci, Ioannes Sextus & Ioannes Septimus. Neutrius annus primus menſe Martio cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto coincidit. Annus primus Ioannis Sexti toto menſe Martio conuenit cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo. Annus primus Ioannis Septimi pridie Kalendas Aprilis comparatur cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto. Hanc Chronologiam ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ex Anaſtaſio iam probauimus, monuimúſque in præcitato textu Chronici Fontanellenſis annum Ioannis Papæ tertium reſtituendum eſſe. Fuit is Ioannes Sextus, cui locus octogeſimus-ſextus in nomenclatura Romanorum Pontificum tribuitur. Quapropter in eadem narratione, vbi *octogeſimus à Beato Petro* Romanam Eccleſiam rexiſſe dicitur, poſt vocem, *octogeſimus*, quæ rotundum numerum deſignat, deeſt alia quæ minutiorem infra denarium ſignificet, íſque error deprehenditur manifeſto Librarij vitio contigiſſe, nam paulò ſuperiùs in eodem Chronico Ioannes Septimus Papa, qui Ioanni Sexto proximè ſucceſſit, numeratur *octogeſimus-octauus à Petro Apoſtolo.*

[a] Ad an. 700. nn. 2. 3.

IV. De tempore, quo Sancti, Wandregiſilus, Anſbertus & Wlfrannus in Baſilica Sancti Pauli quieuerunt, non conueniunt inter ſe Chronographus Fontanellenſis & Ionas eiuſdem Monaſterij Monachus, qui Baino Abbati vitam Sancti Wlfranni Senonenſis Antiſtitis inſcripſit. Si Chronico Fontanellenſi fides habetur, *requieuit B. Wandregiſilus in S. Pauli Baſilica annis circiter quadraginta, inclytus autem Præſul Ansbertus annis nouem, Sanctus verò Archiepiſcopus Wlfrannus annis vndecim.* Si Ionas [b] auditur, *obiit venerandus Pontifex* Wlfrannus XIII. *Calend. Aprilium die, anno Dominicæ Incarnationis* DCCXX. *Sepultúſque eſt, primò quidem in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli iuxta Sacerdotem Domini Wandregiſilum in dextera parte, in quo loco iacuit per annos* IX. *Sanctus quoque Wandregiſilus requieuit in eadem Baſilica annis* XL. *Ansbertus annis* XI. *Tranſlati quoque ſunt inde in Baſilicam B. Petri Apoſtoli à S. Baino Epiſcopo vrbis Taruennæ &*

[b] Ap. Sur. d. 20. Mart.

Digitized by Google

& Rectore Fontanellenſis Cœnobij, ſub anno regiminis ſui v, *qui erat annus ab Incarnatione Domini* DCCXXIX. Hæc veterum Auctorum diſcrepantia Neotericos plurimùm torquet. Vulgatum Ionam enormibus mendis ſcatere iam queſti ſumus. Standum potiùs à Chronico Fontanellenſi. Super Anſberto Epiſcopo Rotomagenſi, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum incidit, nulla eſt difficultas. Mors Sancti Wlfranni Senonenſis Epiſcopi iuxtà ſententiam Chronographi Fontanellenſis rectè collocari poteſt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, ex Friſia enim ad Monaſterium Fontanellæ reuerſus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, vt ſuo loco diximus. Sanctus Wandregiſilus Abbas Fontanellenſis ad Deum migrauit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo, requieuit igitur in Baſilica Sancti Pauli non *annis* XL. vt in eius vita & apud Ionam præcitatum legitur, ſed *annis circiter quadraginta*, vt habetur in Chronico Fontanellenſi, hoc eſt, annis triginta-ſeptem. In editione Henſcheniana quæ multò contractior eſt, Ionas nec annum quo Sanctus Wulfrannus obiit, nec annum notat quo tranſlatus eſt. *Obiit venerandus Pontifex* XIII. *Calendarum Aprilium die, ſepultúſque eſt primò quidem in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli; ſed inde poſtmodum tranſlatus in Baſilicam Sancti Apoſtoli Petri, poſitúſque in Orientali parte, vbi ſignis & miraculis etiam nunc coruſcat Præſule Chriſto.* De aliis Sancti Vulfranni Tranſlationibus agemus ſuis locis.

V. EREMBERTI.

A Tranſlatione Sanctorum, Wandregiſili, Anſberti & Wlfranni, vſque ad Tranſlationem Sancti Eremberti Toloſani quondam Antiſtitis effluxerunt dies vnus & triginta. Hoc temporis interuallum inter vtramque Tranſlationem agnoſcit Chronographus Fontanellenſis. Quieſcebat Erembertus in Eccleſia Sancti Pauli cum prælaudatis Sanctis, Wandregiſilo, Anſberto & Wlfranno. Tranſlati ſunt Sancti, Wandregiſilus, Anſbertus & Wlfrannus, in Baſilicam Sancti Petri. Sanctus Erembertus non eſt motus ex illa Baſilica, ſed poſitus eſt in eminentiori eiuſdem Eccleſiæ loco, collocatâ deſuper argenteâ repâ. Prædictus Chronographus [a] locum non indicat alium ab eo, in quo collocatus anteà fuerat Sanctus Wandregiſilus, ſic enim loquitur de Baino Abbate. *Eodem in loco, quo B. Wandregiſilus in prædicta S. Pauli Apoſtoli requieuerat Baſilica, B. Erenbertum Epiſcopum poſuit, qui anteà in inferiori loco eiuſdem Eccleſiæ ſubter arcubus tumulatus, annis plùs minúſue triginta-tribus requieuerat, die trigeſimo-primo poſt Tranſlationem prædictam* Sanctorum, Wandregiſili, Anſberti & Wlfranni, *condidítque ſuper eum repam argento decoratam.* Abſidem eiuſdem Eccleſiæ deſignat Anonymus, qui vitam ipſius Eremberti conſcripſit, eandem enim Tranſlationem ita commemorat. *Sepultus eſt venerabiliter in Eccleſia Sancti Pauli Apoſtoli, primò quidem in inferiori parte eiuſdem Baſilicæ. Cùm verò poſt aliquantula temporis interualla honorificè transferrentur Sanctorum corpora Confeſſorum, Wandregiſili, Anſberti & Wlfranni de præfata Baſilica à Sancto Baino in Eccleſiam Sancti Petri, tunc in eminentiorem locum præfatæ Eccleſiæ Sancti Pauli poſitum erat à præfato Sancto Baino corpus eiuſdem Sancti Pontificis Eremberti, in apſide videlicet præfatæ Baſilicæ, in quo loco per multorum requieſcebat curricula annorum, orationibus ſuis plebem Domini illuc conuenientem, & quærentem perpetim ſaluans, præſtante Deo noſtro.* Denique *corpus præfati Pontificis Eremberti*, vt idem Auctor [b] ſubiungit, *de Eccleſia Sancti Pauli tranſlatum, requieſcit nunc in Eccleſia Sancti Petri, in Oratorio Sancti Martini Pontificis.*

[a] Cap. 2.

[b] Ap. Catell. in Hiſt. Occitan. lib. 5.

VI.

Godefridus Henſchenius in Commentario, quem vitæ ſancti Vulfranni præpoſuit, à nobis longiſſimè diſſidet, illum enim affirmat ad annum vſque Chriſti quadrageſimum-primum ſupra ſeptingenteſimum vixiſſe. Vt opinionem ſuam tueatur, Odorannum allegat cum Clario. Odorannus, vt ex eius ſcriptis conſtat, floruit Roberto Rege. Seriùs vixit Clarius, interfuit enim Concilio Bellouacenſi, quod anno Chriſti milleſimo centeſimo viceſimo celebratum eſt. Vterque quidem Monachum Senonis egit in Monaſterio Sancti Petri Viui, ſed vitam ab ætate Sancti Vulfranni remotiſſimam duxit. Odo-

Digitized by Google

AN. CH. 704. Childeberti III. R. 10.

rannus in ſuo Chronico ſic habet. *Anno* DCCXLI *migrauit ad Dominum S. Wlfrannus.* Et Clarius in Chronico Sancti Petri Viui. *Anno* DCCXLI *obiit Sanctus Vulfrannus in Cœnobio Fontanella, per quem conuerſa eſt ad Chriſtum Friſia.*

VII. Cùm de primo Vulfranni in Fontanellenſe Monaſterium ſeceſſu poſt Epiſcopatûs abdicationem, ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſecundum [a] verba fecimus, Characteres Chronologicos, quos in ſuo Chronico Clarius vſurpauit, priuſquàm de Vulfranno Metropolita Senonenſi loqueretur, ad vnum vſque examinauimus, exploſimúſque. Mendoſas oſtendimus notas omnes, quibus Leonis Magni Pontificatum, annos Regum Franciæ, Clodionis, Childerici ac Clodouei, mortem & Tranſlationem Sancti Benedicti Abbatis, obitum Sancti Germani Pariſienſis Antiſtitis & Sancti Emmonis Metropolitæ Senonenſis, Pippini Heriſtallienſis Maioratum conſignauit.

[a] Nn. 43. & ſeqq.

Chronologia Odoranni et Clarii examinatur.

VIII. Odorannum in rebus, quæ ſeptimo ſeculo geſtæ ſunt, Clario tutiorem Chronographum noli credere, imò errorum omnium, quos hactenus in Clario damnauimus, auctorem arbitrare, Characteréſque Chronologicos, quibus ab initio ſui Chronici ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum vſus eſt, ad vnum vſque falſos ac vitioſos exiſtima. Sic enim Chronicon ſuum exorſus eſt [b]. *Anno ab Incarnatione Domini* DCLXXV *obiit Sanctus Emmo Senonenſis Archiepiſcopus. Hic Priuilegium libertatis vnà cum Prouincialibus Epiſcopis, Monachis Sancti Petri fecit Synodaliter temporibus Chlotarij Regis & Baltechildæ matris eius. Anno* DCLXXXVIII *Pipinus Auſter Maior domûs Regiæ Principatum Francorum ſuſcepit. Huius temporibus Sanctus Vulfrannus Senonum Archipræſul Freſiam prædicare cœpit. Anno* DCCXII *obiit Pipinus Senior; & filius eius, qui dicitur Carolus Martellus, Principatum vſurpauit. Anno* DCCXXI *obiit Beda Presbyter Hiſtoriographus Anglorum. Anno* DCCXLI *migrauit ad Dominum S. Wlfrannus.*

[b] Ap. Duchesn. Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc. p. 636.

IX. E tot numeris, quos ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum in Odoranni Chronico legis, ne vnus quidem ſeruari legitimè poteſt. Emmo Metropolites Senonenſis, qui Concilium Clotario Rege minorenni & Bathilde matre Regnum adminiſtrante celebrauit, ac Theodorum Epiſcopum Româ iter in Angliam per Gallias habentem hoſpitio ſuſcepit, annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum haud attigit, nam qui ſucceſſit in Epiſcopatum Amatus, ſedit regnante Senonis Childerico, qui poſt Clotarij fratris mortem victo Theodorico Neuſtraſiam Burgundiámque ſibi aſſeruit, Regnúmque ac vitam amiſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Pipinus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo Maioratum per vniuerſam Franciam haud iniit, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo dignitatem illam ſuſceperat. Hæc fusè ſuis locis probata ſunt. Idem Pipinus non obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo, ſed vitam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum produxit, vt ipſemet Henſchenius fatetur. Vltra annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum vixit Beda, nam capite vltimo ſuæ Hiſtoriæ res enarrat geſtas annis Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto, ſeptingenteſimo viceſimo-nono & ſeptingenteſimo triceſimo-primo. Victredum Cantuariorum Regem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto mortuum ſic affirmat. *Anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo viceſimo-quinto (qui erat annus ſeptimus Oſrici Regis Nordanhumbrorum, qui Coenredo ſucceſſerat) Victredus filius Ecgberti Rex Cantuariorum defunctus eſt nono die Kalendarum Maiarum.* Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-nonum prodigia quædam commemorat. *Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo viceſimo-nono apparuerunt cometæ duo circa Solem, multum intuentibus terrorem incutientes.* Bertuualdi Archiepiſcopi mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo ſic conſignat. *Anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo triceſimo-primo Bertuualdus Archiepiſcopus longâ conſumptus ætate defunctus eſt die*

Digitized by Google

quinto Iduum Ianuariarum. Denique lucubrationem ſuam ſic abſoluit. *Hic eſt impræſentiarum vniuerſæ ſtatus Britanniæ, anno aduentûs Anglorum in Britanniam circiter ducenteſimo octogeſimo-quinto, Dominicæ autem Incarnationis anno ſeptingenteſimo triceſimo-primo, in cuius regno perpetuò exultet terra, & congratulante in fide eius Britanniâ lætentur Inſulæ multæ, & confiteantur memoriæ ſanctitatis eius.* Odoranno poſt tot errores continuos quis fidat? A quo nihil ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primùm ſuo loco rectè collocatum cenſueris; à quo peccatum noueris in obitu Emmonis ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum; in Maioratu Pipini ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-octauum; in obitu eiuſdem Pipini ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum & in obitu Bedæ ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum primum, an ab eo mortem Sancti Wlfranni ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum benè meritóque relatam conſtantiſſimè pronuntiabis? AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

Odorannus Clarium in errorem induxit. Vterque mortem Emmonis, cui Sanctus Wlfrannus ſucceſſit, refert ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum; deinde bis meminit Sancti Wlfranni, ſemel ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-octauum, iterum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum. Vbique Clarius Odoranno fuſiorem ſe copioſiorémque præſtat. X.

Ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quintum Odorannus ſic ſcribit. *Anno ab Incarnatione Domini* DCLXXV *obiit Sanctus Emmo Senonenſis Archiepiſcopus. Hîc Priuilegium libertatis vnà cum Prouincialibus Epiſcopis, Monachis Sancti Petri fecit Synodaliter temporibus Chlotarij Regis & Baltechildæ matris eius.* Clarius ſic. *Anno* DCLXXV *tranſiit ad Chriſtum Sanctus Emmo Senonum Archiepiſcopus, ſepultúſque eſt in Baſilica beati Petri Viui. Hic Priuilegium libertatis vnà cum Comprouincialibus Epiſcopis, Monachis Sancti Petri Synodaliter fecit temporibus Chlotarij Regis & Baltechildis matris eius. In quo Conuentu fuerunt Antiſtites glorioſi, Sanctus Audoenus Archiepiſcopus Rothomagenſis & Faro Epiſcopus Meldenſis, Sanctúſque Eligius Noniomenſis Epiſcopus, & S. Amandus Treietenſium Epiſcopus cum aliis triginta Epiſcopis. Florebat tempore illo in eodem Cœnobio vir venerabilis Aigilenus Abbas in ſancta Religione feruens, & Cœnobium illud ſingulare in his regionibus erat ſanctitate & religione.* XI.

Ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-octauum Odorannus hæc habet. *Anno* DCLXXXVIII *Pipinus Auſter Maior domûs Regiæ Principatum Francorum ſuſcepit. Huius temporibus Sanctus Wlfrannus Senonum Archipræſul Freſiam prædicare cœpit.* Iſta Clarius. *Anno* DCLXXXVIII *Pipinus Auſter Maior domûs Regiæ Principatum Francorum ſuſcepit. Huius temporibus Sanctus Vulfrannus Senonum Archiepiſcopus, relicto Epiſcopatu ordinatóque in eius loco Donno Gerico, viro clariſſimo, auunculo beati Ebbonis eximij Confeſſoris, quique ei in Epiſcopatu ſucceſſit, Fontanellam Monaſterium petiit, ibique Monachus effectus Friſiam prædicauit.* Quod Clarius ab Odoranno de Principatu Pipini mutuatus eſt, id falſum, nam nec Pipinus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo Maioratum per vniuerſam Franciam iniit, nec Vulfrannus Euangelium Friſiis annuntiare cœpit, poſtquàm Pipinus prædictum Maioratum iam adeptus eſſet. Quæcumque autem inſeruit, vt Odorannum hoc loco illuſtraret, illa veriſſima ſunt, & Henſchenio apertiſſimè refragantur. Apud Clarium rerum à Vulfranno geſtarum hic eſt ordo. Vulfrannus abdicato Senonenſi Epiſcopatu ſecedit in Fontanellenſe Monaſterium, ibi Monachum induit, poſteà proficiſcitur in Friſiam. Ergo contra veritatem ab Henſchenio multa proferuntur, Vulfrannus enim nec Fontanellam primùm adiit vt inde cooperatores verbi ſecum in Friſiam abduceret, nec è Friſia priùs rediit quàm Senonenſi Epiſcopatu ſe penitus abdicaſſet. XII.

Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum Odorannus de Vulfranno ſic loquitur. *Anno* DCCXLI *migrauit ad Dominum S. Wl-* XIII.

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

ſrannus. Clarius ſic. *Anno* DCCXLI *obiit Sanctus Vulfrannus in Cœnobio Fontanella, per quem conuerſa eſt ad Chriſtum Friſia.* Perperam quoque Clarius ab Odoranno mutuatur, quòd Vulfrannus anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo in cælum migrarit, ſed rectiſſimè ſubiungit, quòd per eum Friſia ſeu multitudo Friſiorum ad Chriſtum conuerſa ſit, quódque in Cœnobio Fontanellenſi vitam clauſerit. Vulfrannus ex Epiſcopo Senonenſi factus eſt Monachus Fontanellenſis ſub Anſberto Abbate, profectus eſt in Friſiam eodem Anſberto ad Epiſcopatum Rotomagenſem iam promoto, Friſios per annos quinque infatigabiliter erudiuit, à Radbodo Friſiorum Rege in procinctu belli cum Francis gerendi pulſus Fontanellam repetiit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-nono, ibique feliciter in Domino poſt aliquot annos obdormiuit, deinde anno poſt mortem vndecimo è Baſilica Sancti Pauli in Eccleſiam beati Petri tranſlatus eſt. *Facta eſt autem hæc ſancta Translatio*, vt Chronographus Fontanellenſis teſtatur, *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quarto, Indictione ſecundâ, pridie Kalend. Aprilis, feriâ ſecundâ, nam ſolennitas Sancti Paſchæ tertio Kalend. Aprilis tunc extitit.*

XIV. Vt de Clario Lucas Dacherius in præfatione ad Tomum ſecundum Spicilegij, ſic de Odoranno, qui Clarium in multis fefellit, non temerè dixerimus, quòd in eo menda reperiantur, *quæ limâ & vngue indigent*, eruditíque Lectoris *cenſuræ* relicta ſunt à veterum Auctorum Collectoribus. Id obſeruare debuit Henſchenius, maximè cùm de rebus egit, quæ ſeptimo ſeculo vel ineunte octauo geſtæ ſunt.

XV. Tertio loco citatur ab Henſchenio Petrus de Natalibus, qui de morte ac ſepultura Sancti Vulfranni ſic diſſerit [a]. *In Monaſterio Fontanellenſi Monachus factus, vitam in ſanctis operibus conſummauit anno Domini* DCCXL, *die* XIII *Kalendas Aprilis, ſepultúſque eſt iuxta S. Wandregiſilum.* Sed hic Auctor & recentior eſt & leuioris adhuc notæ, ideóque ab ipſomet Henſchenio, vt decet, ſæpiſſimè contemnitur reiicitúrque.

[a] Lib. 3. c. 212.

XVI. Quarto loco Henſchenius Antiquitates manuſcriptas Normanniæ ſic allegat. *In Antiquitatibus MSS. Normanniæ Auctore Anonymo in Neuſtria Pia Arturi à Monſtier paginâ* 151. *reponitur poſt Ragenfredum Abbas Fontanellenſis S. Vulfrannus anno* DCCXL *creatus.* Sed eundem Arturum *du Monſtier* imitari debuit, qui prædictum Anonymum ibidem ſic refellit. *Poſt Ragenfredum à quodam Anonymo MS. Authore reponitur ann.* 740 *Sanctus Wlfranus, ſed mendosè, cùm id multipliciter veritati Hiſtoricæ repugnet, cùm ipſe Sanctus Wlfranus nuſquam Abbas huius loci extiterit, ſed tantùm Monachus, & iam longè anteà in cælum migraſſet, ſcilicet ann.* 696. *Deinde Ragenfredus præfato Cœnobio adhuc præerat Abbas ann.* 740, *cui ann.* 742 *ſucceſſit B. Wando Presbyter.* Hic Auctor à nobis in obitu Sancti Vulfranni non annis, vt Henſchenius, duodequinquaginta, ſed tribus tantùm differt, & illa triennij diſcrepantia duabus ex rebus proficiſcitur, quia Tranſlationem Sanctorum Wandregiſili, Anſberti & Vulfranni, quam anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto collocamus, in annum proximum reiicit, & deprauato Ionæ textu, quem ſuprà deſcripſimus, nixus vult Sanctum Vulfrannum annis nouem, Sanctum Anſbertum annis vndecim, in Baſilica S. Pauli, ſepultos iacuiſſe. Lege in Neuſtria Pia Fontanellam Sancti Wandregiſili capitibus quinto [b] & ſeptimo [c]. In catalogo Fontanellenſium Abbatum, quem Chronographus Fontanellenſis texuit, non recenſetur Vulfrannus, & ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſecundum ſuperſtes viuit Ragenfredus Abbas, cui Wando ſuccedit, vt ab Auctore Neuſtriæ Piæ obſeruatum eſt ſuprà.

[b] Num. 3.
[c] Num. 4.

XVII. Quatuor hiſce Scriptoribus, qui vitam à ſeptimo ſeculo longiſſimè remotam duxerunt, Henſchenius præferre debuit prologum vitæ Sancti Vulfranni à Iona præfixum, quem aliàs vt genuinum Auctoris coætanei fœtum in Commentario [d] præuio vitæ Sancti Anſberti ſic laudarat. *Confuſio eſt in Actis S. Vulfranni, quæ à Iona Monacho ſunt inſcripta S. Baino Abbati, ſed à poſ-*

[d] Num. 22.

Digitized by Google

teris aucta, mendis ſcatent Chronologicis. Vt ſententiam mutaret, perſuaſus videtur ſolâ Clarij auctoritate, quem nondum legerat, cùm Sancti Anſberti vitam edebat ad diem nonum Februarij. AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

XVIII. Queritur hodie præfationem Ionæ à poſteris miſerè deprauatam eſſe, mendum in nomen Abbatis irrepſiſſe cui Ionas lucubrationem ſuam dicauit; Amanuenſis negligentiâ atque oſcitantiâ loco Wandonis exaratum eſſe Baini nomen, *quia Wando non tam multùm à Baino in ſuo nomine diſcrepat.* Certè *Wando* & *Bainus* in recto caſu non parum differunt, magis adhuc diſſident in obliquis caſibus, præcipuè in tertio de quo diſputamus, quæſtio eſt enim, vtrùm *Baino* an *Wandoni* Ionas opus ſuum inſcripſerit.

XIX. Porrò Ionas non tantùm in ſua præfatione de qua ſuprà, ſed etiam in vita Sancti Vulfranni, Bainum eidem Vulfranno pridem mortuo ſuperſtitem indicat. Scribit enim Sanctos, Wandregiſilum, Vulfrannum & Anſbertum, è Baſilica Sancti Pauli in Eccleſiam Principis Apoſtolorum tranſlatos eſſe *à S. Baino Epiſcopo vrbis Taruennæ & Rectore Fontanellenſis Cænobij, ſub anno regiminis ſui V.* Ionæ ſuffragatur Chronographus Fontanellenſis [a], aſſerit enim Tranſlationem illam Sanctorum, Wandregiſili, Vulfranni & Anſberti factam fuiſſe, cùm *Baini annus quintus* agebatur, *ex quo regiminis aſſumpſerat curam iſtius Cænobij.* Obſeruat etiam hic Auctor Sanctum Vulfrannum in Baſilica Sancti Pauli, priuſquàm inde cum Sanctis Wandregiſilo & Anſberto transferretur, *annis vndecim* quieuiſſe. Eò loci deprauatus eſt Ionæ textus, apud quem legitur in editione Suriana, quòd Sanctus Vulfrannus *in Eccleſia beati Pauli Apoſtoli iuxta Sacerdotem Domini Wandregiſilum iacuit per annos* IX, & Sanctus Anſbertus *requieuit in eadem Eccleſia annis* XI. Vice enim verſâ de Sancto Vulfranno pronuntiari debet, quòd *in Eccleſia beati Pauli Apoſtoli iuxta Sacerdotem Domini Wandregiſilum iacuit per annos* XI, & de Sancto Anſberto, quòd *requieuit in eadem Eccleſia annis* IX, vel vt vetus Auctor in vita Sancti Wandregiſili ſcribit, *annis fermè nouem.* Quicquid ſit de illis numeris, quos apud Ionam deprauatos eſſe, in vita autem Sancti Wandregiſili & in Chronico Fontanellenſi rectè collocatos exiſtimamus, Sancti Vulfrannus & Anſbertus apud Fontanellam in Sancti Pauli Baſilica ſepulti fuerunt ab Hilberto Abbate, itaut Aigradus Monachus eidem Hilberto Abbati vitam Sancti Anſberti & Ionas eiuſdem loci Monachus Baino Hilberti proximo ſucceſſori vitam Sancti Vulfranni dicare potuerint. Prætereà Tranſlationem Sanctorum, Wandregiſili, Anſberti & Vulfranni à Baino Abbate factam teſtatur etiam Anonymus, qui vitam Sancti Eremberti ſuprà citatam conſcripſit.

[a] Cap. 2.

XX. Henſchenius vt diluat argumentum, quod à Characteribus Chronologicis prædictæ Tranſlationis deſumimus, Ionæ textum de morte ac ſepultura Sancti Vulfranni ſic reddit ex Codice Antuerpienſi. *Obiit venerandus Pontifex* XIII *Calendarum Aprilium die, ſepultúſque eſt primò quidem in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli, ſed inde poſtmodum tranſlatus in Baſilicam Sancti Apoſtoli Petri.* Nullam Sanctorum Anſberti & Wandregiſili mentionem facit, quibuſcum Sanctum Vulfrannum tranſlatum negat. Duas igitur Tranſlationes diſtinguit, vnam Sanctorum Anſberti & Wandregiſili factam pridie Kalendas Aprilis anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, alteram Sancti Vulfranni factam Idibus Octobris poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimumprimum, addítque è duabus conflatam vnam à poſteris, qui, quoniam Bainus Abbas corpora Sanctorum Wandregiſili & Anſberti tranſtulerat, Sancti quoque Vulfranni nomen adiunxerint, aſſeruerintque eundem Sanctum Vulfrannum vnà cum prædictis Wandregiſilo & Anſberto è Baſilica Sancti Pauli in Eccleſiam Sancti Petri pridie Kalendas Aprilis à Baino Abbate tranſlatum fuiſſe. Sed hæc gratis. Neminem enim citat, qui diſtinctionem illam confirmet; nec quia Idibus Octobris in quibuſdam Martyrologiis occurrit Tranſlatio Sancti Vulfranni, neceſſariò ſequitur illo die recoli pri-

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

mam Sancti Vulfranni Tranſlationem, errorı́ſque redarguendum eſſe Chronographum Fontanellenſem, qui primam illam Tranſlationem è Baſilica Sancti Pauli in Eccleſiam Sancti Petri pridie Kalendas Aprilis conſignauit, ſimúlque affirmauit tranſlata eſſe eodem die corpora Sanctorum Anſberti & Wandregiſili, vt etiam Ionas apud Surium in vita Sancti Vulfranni teſtatur, nec ab eadem opinione vetus Auctor in vita [a] Sancti Wandregiſili videtur recedere, cùm lucubrationem ſuam ſic abſoluit. *Sepultus fuit* Sacerdos Domini Wandregiſilus *in Eccleſia S. Pauli annis quadraginta; Sanctus verò Præſul Anſbertus, annis vndecim; inclytúſque Pontifex Wlfrannus, annis fermè nouem.*

[a] Ap. Sur. d. 21. Iul.

XXI. Ait Henſchenius viſos à ſe manuſcriptos Codices, in quibus Vulfrannus Pontificatum annis vndetriginta tenuiſſe dicitur, addı́tque per modum interpretationis ſub tam longo tótque annorum Epiſcopatu comprehendi etiam Apoſtolatum in Friſia.

XXII. Superuacaneum eſt refutationi deprauatorum Codicum diu vacare. Vulfrannus nec in Friſia vltra quinquennium verſatus eſt, nec Senonenſem Diœceſim rexit annis quatuor ac viginti.

XXIII. An Radbodus pedem e lavacro retraxit. Denique examinanda ſupereſt narratio Actis Sancti Vulfranni inſerta, quæ Radbodum Friſiorum Regem teſtatur frequentibus eius hortationibus adductum, vt Baptiſmo ablui ſe velle profiteretur, móxque ludificatum à dæmone, cùm pedem vnum in lauacro iam intinxiſſet atque inde retraxiſſet, tertio pòſt die ſubitâ & æternâ morte periiſſe. Nam ſi Radbodo, cuius obitum Annales, Nazariani, Petauiani & Tiliani, longè poſt Abbatis Baini mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono collocant, ſuperſtes vixit Vulfrannus, huius vitam prædicto Baino non inſcripſit Ionas, imò Vulfrannus nec obiit Fontanellenſe Monaſterium adminiſtrante Hilberto Abbate, nec apud Fontanellam ex vna Baſilica in aliam tranſlatus eſt à Baino Hilberti ſucceſſore.

XXIV. Textus, quem editiones Suriana & Henſcheniana Ionæ attribuunt, talis eſt. *Præfatus autem Princeps Rathbodus cùm ad percipiendum Baptiſma imbueretur, percunctabatur à Sancto Epiſcopo Vulfranno, iuramentis eum per nomen Domini aſtringens, vbi maior eſſet numerus Regum & Principum ſeu nobilium gentis Friſonum, in illa videlicet cæleſti regione, quam, ſi crederet & baptizaretur, percepturum ſe promittebat; an in ea, quam dicebat tartaream regionem* *. *Tum B. Vulfrannus. Noli errare, inclyte Princeps, apud Dominum certus eſt ſuorum numerus electorum. Nam prædeceſſores tui Principes gentis Friſonum, qui ſine Baptiſmi ſacramento diſceſſerunt, certum eſt damnationis ſuſcepiſſe ſententiam; qui verò abhinc crediderit & baptizatus fuerit, cum Chriſto gaudebit in æternum. Hæc audiens dux incredulus (nam* * *ad fontem proceſſerat vt ferunt) pedem à ſacro fonte retraxit dicens non ſe carere poſſe conſortio prædeceſſorum ſuorum Principum Friſonum, & cum pauperum paruo numero reſidere in illo cæleſti regno, quin potiùs non facilè poſſe nouis dictis aſſenſum præbere, ſed potiùs permanſurum ſe in his, quæ multo tempore cum omni Friſonum gente ſeruauerat. At beatus Chriſti Pontifex, heu! prò dolor, inquit, deceptum te video à ſeductore, qui humanum genus decepit, ſed niſi pœnitentiam egeris & credideris, & in nomine Sanctæ Trinitatis baptizatus fueris, ianuam regni perennis non intrabis, ſed æternæ damnationis pœnâ plecteris. Hæc dicente & docente Sancto Pontifice, multi Friſonum credebant & baptizabantur, prædicto Rege in paganiſmo perſeuerante, nam à ſacro fonte infeliciter receſſit. Et iam Wilbrordum Epiſcopum cognomento Clementem & Doctorem præfatæ gentis accerſiri iuſſerat, vt ad eius conſulta ſimul cum B. Vulfranno in doctrina ſuæ religionis concordante efficeretur Chriſtianus, ſed quoniam, vt ſcriptum eſt, in maleuolam animam non introibit ſapientia, & quia dubitando per omnia in fide Catholica, & tentando Sanctos Antiſtites loquebatur, ideò obtinere non meruit quod fictè quærebat. Cùm verò eius Legatum ſuper hoc facto beatus ſuſcepiſſet Willibrordus, reſpondiſſe dicitur. Quia prædicationem ſancti fratris noſtri Vulfranni*

* Henſchen. damnationem.

* Henſchen. iam.

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10. XXV.

*Pontificis Dux veſter audire contempſit, meis qualiter obſecundabit dictis * ? Nam hac nocte vidi illum in viſu catenâ religatum igneâ, vnde certum fore conſtat, damnationem iam illum ſubiiſſe æternam. Cúmque iter carperet, quod ad domum eiuſdem damnati Ducis ducebat, nuntiatum ei eſt ipſum ſine Baptiſmi Sacramento eſſe iam mortuum. Sícque cæptum deſerens iter, ad propria repedauit habitacula.*

Huic textui proximè ſubiungitur alius, qui pertinet ad eandem narrationem, nam quomodo Radbodus à dæmone ludificatus ſit, ſic exponit. *Nec prætereunda ratio eſt, quam de præfato Duce Rhatbodo, prædicto venerabili Preſbytero Ouone narrante, didicimus, cur in Chriſtum credere ac fonte regenerationis noluit * mergi. Nam in ægritudine poſitus, de qua & præſentis vitæ lucem clauſit, perpetuáſque Auerni deſcendit ad vmbras, dum ſopori deditus foret, deceptor hominum diabolus, qui etiam Dei Omnipotentis permiſſu in Angelum ſe transfiguras lucis, ei apparuit diademate aureo, circumfulgentibus gemmis, capite opertus, veſtéque auro textili toto amictus corpore, diúque attonitus præfatus Princeps diligenter in eum intendebat, ſtupens ac tremebundus admirans, cuius ſpeciei & virtutis eſſet qui ſibi apparebat nuntius. Iſque multimodæ artis nocendi ſæuiſſimus draco inquit ad eum. Dic, quæſo, fortiſſime virorum, quis te ita ſeduxit, vt à cultura deorum & à religione prædeceſſorum tuorum velis recedere ? Noli ita, obſecro, agere, ſed in his, quas hactenus tenuiſti, culturis deorum permane, ibíſque ad domos aureas æternaliter permanſuras, quas tibi in proximo ſum daturus, vt meorum verborum dictis aſtruam fidem. Quapropter cras accerſiens Vulfrannum Doctorem Chriſtianorum, inquire ab eo, vbinam ſit illa manſio æternæ claritatis, quam ille pollicetur, ſi Chriſtianum ſuſceperis dogma, in cæleſtibus habiturum. Quam cùm demonſtrare nequiuerit, vtriuſque partis mittantur Legati, eróque Dux itineris, & demonſtrabo illis manſionem eximiæ pulchritudinis & fulgoris immenſi, quam tibi poſt modicum ſum daturus. Qui euigilans Sancto Pontifici Vulfranno cuncta per ordinem pandit. At ille congemiſcens eius damnationi, ait. Hæc illuſio diaboli eſt, qui vult omnes perire & neminem ſaluari, quapropter ſalua temetipſum, vir nobilis, credendo in Chriſtum, & feſtina ad fontem Baptiſmi, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, & nullo modo accommodes fidem verbis diaboli mendacibus, ipſe eſt enim ſeductor, qui vniuerſum ſeducit Orbem, qui propter ſuam ſuperbiam de alto cæli culmine proſtratus ruit in terram, & ex Angelo benigno dæmon teterrimus effectus eſt : cuius inuidiâ mors introiuit in Orbem terrarum, dum primum hominem concupiſcentiam docuit atque ad inobedientiæ culpam traxit. Nam qui promittit aureas largiri manſiones ſibi credentibus, tartareas potiùs deducit ad ſedes fœtidúmque locum Cocyti. Vnde vt ab his pœnis eripi valeas & bonis frui æternis, feſtina in Chriſto baptizari, in quo eſt remiſſio omnium peccatorum, & per quem vitæ cæleſtis tribuitur ingreſſus. Hæc & huiuſmodi plura proſequente Sancto Pontifice, reſpondit prædictus incredulus Princeps omnia ſe facturum quæ iubebat, ſi illa non demonſtraretur manſio à ſuo deo, quam ſibi largiturum ſpoponderat. Cúmque inſuperabilem in cunctis Chriſti Sacerdos animum illius cerneret, ne à gentilibus alia fingerentur pro aliis, miſit continuò cum quodam Friſone ſuum Diaconum. Qui cùm paullulùm ab oppido proceſſiſſent, obuium ſibi reperiunt in humana effigie quemdam itineris comitem, qui dixit eis. Properetis citò, nam oſtenſurus ſum vobis manſionem eximiæ pulchritudinis, quæ præparata eſt à Deo ſuo Principi Radbodo. Qui ducem ac comitem itineris proſequentes, loca diu peragrant incognita, donec viam ingredientes latiſſimam, diuerſorum generibus marmorum eam cernunt polito opere decoratam, vidéntque à longè domum auream, ac perueniunt vſque ad plateam, quæ ante præfatam domum ſita erat, & ipſa auro gemmíſque ſtrata. Intrantes quoque in domum aurei ſplendoris & incredibilis pulchritudinis aſpiciunt thronum miræ magnitudinis. Tum ductor itineris. Hæc eſt, inquit, domus & iſta pulcherrima ſedes, quam poſt eius mortem Principi Radbodo Deus ſuus largiturum ſe ſpopondit. Et Diaconus ſtupefactus in his quæ viderat, dixit. Si à Deo cunctipotente facta ſunt iſta, perpetuò maneant ; ſi autem à diabolo, citò diſpereant. Et cùm vallaret ſe continuò Sanctæ Crucis munimine, dux itineris, qui videbatur homo, euaneſ-*

* Henſchen. edictu.

* Henſchen. noluerit.

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

cendo tranſiit in diabolum, & domus aurea verſa eſt in lutum, remanſerúntque hi duo ſimul, Friſo videlicet & Diaconus, in medio locorum paluſtrium, quæ plena erant longiſſimis rauſeis virgultis, triduóque immenſi laboris iter conficientes reuertuntur ad oppidum, inuenientes præfatum Ducem Radbodum ſine Baptiſmatis Sacramento mortuum, narrántque beato Antiſtiti quantam à diabolo pertuliſſent illuſionem. Friſo autem credidit in Chriſtum & baptizatus eſt. Vocabatur autem Ingomarus. Qui & ipſe ad Fontanellenſe Cœnobium beatum Vulfrannum ſecutus eſt. Induciáſque ſibi renunciandi, quas putauerat ſe adipiſci, prædictus Dux minimè valuit impetrare, quia non erat ex ouibus Chriſti, neque ad vitam præordinatus æternam. Percrebuítque hoc ſtupendum & anteà inauditum miraculum apud incolas gentis Friſonum, atque ex hoc facto plurima ex eis multitudo conuerſa eſt ad Dominum. Mortuus eſt autem infeliciter præfatus Dux Radbodus anno Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, in quem ipſe credere contempſit, ſeptingenteſimo nono-decimo, qui erat annus ſeptimus inclyti Principis Caroli. In editione Henſcheniana Friſo, qui Diaconum Vulfranni Epiſcopi comitatus eſt, non Ingomarus tantùm vocatur, ſed *Ingomarus ſiue Chuningus*, & anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono *annus ſextus inclyti Principis Caroli* illigatur.

XXVI. Prædictam narrationem commentitiam arbitramur. Vt ita ſentiamus, multæ res nos impellunt.

XXVII. Primò, Hiſtoriam illam Auctor non recitat vt certam, & indubitatam, ſed vt incerto rumore ſparſam in vulgus de qua iure dubitare poſſis, vtitur enim his vocibus *(vt ferunt)* quas vſurpare ſolent ipſimet fabularum conditores, omittúntque poſteri poſtquàm mendacio fides lapſu temporis acceſſit. Exemplo ſit res ipſa, de qua nunc agimus, illam enim duodecimo ſeculo Sigebertus in ſuo Chronico [a] expunctis vocibus *(vt ferunt)* veriſſimam ſic aſſeruit. *Ratholdus Dux Friſonum prædicatione Vulfranni Epiſcopi ad hoc adductus, vt baptizari deberet, cùm vnum pedem in lauacro intrauiſſet, alterum pedem retrahens, interrogauit, vbinam plures ſuorum maiorum eſſent, in inferno, an in paradiſo, & audiens plures eſſe in inferno, intinctum pedem extrahens, ſatius eſt, inquit, vt plures quàm pauciores ſequar. Et ita ludificatus à dæmone promittente, quòd ei tertiâ die abhinc incomparabilia ei bona daret, ipſa tertiâ die ſubitâ & æternâ morte periit.*

[a] Ad an. 718.

XXVIII. Secundò, prædictæ narrationis ſtylus in quibuſdam locis poëticus à reliquis Actis Sancti Vulfranni non parum videtur differre.

XXIX. Tertiò, Ionas interpolatus meminit Willebrordi, quocum Vulfrannus in Friſia numquam verſatus eſt. Henſchenius in obſeruationibus [b] ad Hiſtoriam [c] Suibertinam miratur Vulfrannum in ea non commemorari, *qui eodem quo SS. Suibertus ac Willebrordus tempore Friſones & ipſe Chriſti fide imbuit, eóque illorum Regem Radbodum adduxit, vt Baptiſmo ablui ſe velle profiteretur, qui tamen mox ludificatus à dæmone, cùm pedem vnum in lauacro intinxiſſet, eum retraxit, & tertiâ poſt die ſubitâ & æternâ morte periit.* Id verò non miramur, quia Vulfrannus è Friſia priùs ad ſepta Fontanellenſis Monaſterij rediit, quàm Villebrordus & Suibertus in eandem Friſiam profecti eſſent. At in Actis Sancti Vulfranni miramur Sanctos Willebrordum & Vulfrannum in Friſia ſimul verſatos dici, cùm in Sancti Willebrordi vita, cuius Auctor Alcuinus, nec Sancti Vulfranni nomen occurrat, nec Radbodus alterum pedem è lauacro extraxiſſe perhibeatur, ne Baptiſmum ſuſciperet, quo priùs ablui ſe velle profeſſus eſſet. Rem adeò miram ſilentio prætermittere non debuit Alcuinus, maximè cùm duas Sancti Willebrordi cum Radbodo congreſſiones in eadem vita deſcripſerit. Primam ſic. *Regem Friſonum Radbodum cum gente ſua paganum non timuit adire, & quocumque perrexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Friſonum Rex, licèt virum Dei humilitatis gratiâ benignè ſuſciperet, nullis tamen vitæ fomentis ſaxeum eius cor emolliri potuit. Cùm ergo apud eum vir Dei fructificare ſe non poſſe ſentiret, ad ferociſſimos Danorum populos iter euangelizandi conuertit.* Alteram ſic. *Dum pius*

[b] Num. 65.
[c] d. 1. Mart.

pius verbi Dei prædicator iter agebat, id eſt, dum è Dania in Franciam reuertebatur, *peruenit in confinio Friſonum & Danorum ad quandam Inſulam, quæ à quodam deo ſuo Foſite ab accolis terræ Foſiteſlan dicebatur, quia in ea eiuſdem dei fana fuere conſtructa. Qui locus à paganis in tanta veneratione habebatur, vt nihil in ea vel animalium ibi paſcentium, vel aliarum quarumlibet rerum, quiſquam gentilium tangere auderet, nec etiam à fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire, niſi tacens, præſumeret. Quò cùm vir Dei tempeſtate iactatus eſt, manſit ibidem aliquot dies, quouſque ſepoſitis tempeſtatibus opportunum nauigandi tempus adueniret. Sed paruipendens ſtultam loci illius religionem vel ferociſſimum Regis animum, qui violatores ſacrorum illius atrociſſimâ morte damnare ſolebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione Sanctæ Trinitatis baptizauit, ſed & animalia in ea terra paſcentia, in cibaria ſuis mactare præcepit. Quod pagani intuentes arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cùm nihil mali cernebant pati, furore perciti, Regi tum Radbodo, quid viderant factum, retulerunt. Qui nimio furore ſuccenſus in Sacerdotem Dei viui, ſuorum iniurias deorum vlciſci cogitabat, & per dies ſemper tribus vicibus ſuo more mittebat ſortes, & nunquam damnatorum ſors, Deo vero defendente ſuos, ſuper ſeruum Dei, vel aliquem ex ſuis, cadere potuit, nec niſi vnus tantùm ex ſociis ſorte monſtratus, & Martyrio coronatus eſt. Vocabatur verò vir Sanctus ad Regem, & multùm ab eo eſt increpatus, quare ſua ſacra violaſſet, & iniuriam deo ſuo feciſſet. Cui præco veritatis conſtanti animo reſpondit. Non eſt Deus, quem colis, ſed diabolus, qui te peſſimo errore deceptum habet, ô Rex, vt animam tuam æternis tradat flammis. Non eſt enim Deus niſi vnus, qui creauit cælum & terram & omnia quæ in eis ſunt; quem qui verâ fide colit, vitam habebit ſempiternam, cuius ego ſeruus hodie tibi teſtificor, vt ab antiqui erroris vanitate, quam coluerunt patres tui, tandem aliquando reſipiſcas, & credens in vnum Deum Omnipotentem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & vitæ fonte baptizatus, abluas omnia peccata tua, & proiectâ omni iniquitate & iniuſtitiâ, deinceps nouus homo viuas in omni ſobrietate, iuſtitia & ſanctitate. Hoc faciens, cum Deo & Sanctis eius gloriam poſſidebis ſempiternam. Si verò me contemnis, viam ſalutis tibi oſtendentem, ſcito certiſſimè, quòd æterna ſupplicia & infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, ſuſtinebis. Ad hæc Rex miratus reſpondit. Video te minas noſtras non metuiſſe, & verba tua eſſe ſicut & opera. Etſi autem nollet veritatis prædicatori credere, tamen ad Pipinum Ducem Francorum eum cum honore remiſit.* De Hiſtoria, in quam inquirimus, nullum ibi verbum, commentitiam igitur arbitrare, illámque ex Actis Sancti Vulfranni abrade.

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

XXX. Quartò, Friſo, qui Radbodi Regis iuſſu Diaconum Vulfranni Epiſcopi comitatur, & diaboli præſtigiis ad ſignum Sanctæ Crucis euaneſcentibus fit Chriſtianus, eundémque Pontificem è Friſia redeuntem ad Fontanellenſe Monaſterium ſequitur, in editione Suriana vocatur *Ingomarus*, in Henſcheniana *Ingomarus ſiue Chuningus*. At Ingomarus multò citiùs in Franciam venit, cùm Fontanellenſis Monaſterij cura penes Hildebertum Abbatem eſſet. Qua de re ſic Acta Sancti Vulfranni genuina. *Alios quoque duos adoleſcentes ex ipſa Friſonum gente, qui ſimiliter ritu profano dæmonibus erant immolandi, quorum vnus vocabatur Turinus, altérque Ingomarus, deprecante claro Pontifice Vulfranno prædictus Dux* Radbodus *vita donauit, & eidem gratuito munere contradidit. Qui diuinis myſteriis imbuti atque in fide confirmati, in Sanctaque Trinitatis nomine baptizati & à dæmonica ſeruitutis iugo erepti, libertate perenni donati ſunt. Sícque à prædicto Pontifice Fontanellam perducti, Hildeberto Abbati educandi traditi ſunt.* Hildebertus ſiue Hilbertus Abbas Monaſterium Fontanellenſe ſeptemdecim annis rexit, Anſberto ad Infulas Rotomagenſes euecto in adminiſtrationem Fontanellæ ſucceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, vitámque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum prorogauit, quo ſucceſſit ei Bainus anteà Monachus Fontanellenſis ex Epiſcopo Taruannenſi factus. Eodem Hildeberto Abbate Vulfrannus

AN. CH. 704. CHLIDEBERTI III. R. 10.

in Friſiam perrexit Anſberto Rotomagenſi Præſule priùs conſulto, rediítque poſt quinquennium ſuperſtitibus iiſdem, Anſberto, & Hildeberto, cui Turinum & Ingomarum ad fidem Chriſtianam conuerſos obtulit. Quæ dè Turino & Ingomaro ex Actis Sancti Vulfranni deſcripſimus, in Codice Antuerpienſi reperiuntur, omiſſa tamen ſunt ab Henſchenio, qui ſatis eſſe duxit, ſi notulam hanc inter obſeruationes ad illa Acta ederet. *Hìc præmittebatur liberatio duorum adoleſcentum, quos Dux Pontifici donauit, qui poſtmodum in ditione Cœnobij Fontanellenſis ad vitæ ſuæ metas permanſerunt.* Id autem egit de induſtria, ne Ionas pugnantia ſcripſiſſe videretur. Ingomarus enim, ſi Vulfrannum è Friſia redeuntem ſecutus ad Hildebertum Abbatem venit, certè ad Radbodi vſque obitum non manſit in Friſia.

XXXI. Quintò, in editione Suriana cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono, quo Radbodus obiit, comparatur annus ſeptimus Caroli Maioris-domûs, ſextus autem in Henſcheniana. Putauit Henſchenius rectam ſe Chronologiam aſſecuturum, ſi ſextum Caroli annum loco ſeptimi reponeret, quia Pippinus Caroli pater anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto vitam cum morte commutauit, & in eorum opinione, qui annos incompletos pro completis numerant, annus ille Chriſti ſeptingenteſimus decimus-quartus, qui Pippini Maioris-domus poſtremus fuit, primus quoque Caroli cenſetur, annúſque ſextus eiuſdem Caroli cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono componitur. At in vulgatis Actis Sancti Vulfranni retinendum exiſtimamus annum ſeptimum Caroli, nec annos incompletos pro completis habendos eſſe, quia Interpolator Odorannum, Clarium, alioſque ſecutus videtur, qui Pippinum Maiorem-domûs anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo mortuum affirmant. Atque vel ex hac obſeruatione colligimus inuentorem fabulæ, de qua inquiſiuimus, procul à Ionæ temporibus abfuiſſe, Ionas enim Auctórue ſuppar annos Caroli Maioris-domûs ab anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo numquam ſupputauit.

XXXII. Telis, quæ contra Chronologiam noſtram ex interpolata S. Vulfranni vita contorquent aduerſarij, ſic retuſis, rerum à S. Vulfranno geſtarum, per tempora quibus contigerunt, ſeriem breuiter ſic diſtingue. Natus eſt Vulfrannus in pago Vaſtinenſi, in villa cui nomen Mauriliacus, regnante Dagoberto Magno; per pueritiæ & adoleſcentiæ tempus ad virilem vſque ætatem ſtudiis literarum, etiam ſacrarum, imbutus eſt; militauit in aula Clotarij Tertij, Childerici Secundi & Theodorici Tertij; prædictam poſſeſſionem ſuam, quæ Mauriliacus vocatur, Monaſterio Fontanellenſi per teſtamenti ſeriem anno quinto Theodorici Regis, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo contradidit; paulò pòſt in Epiſcopatum Senonenſem Landeberto ſucceſſit; abdicauit Pontificatum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo; Monachum in Fontanellenſi Monaſterio induit Anſberto illius loci adhuc Abbate; cum aliquot ſodalibus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto profectus eſt in Friſiam conſulto priùs eodem Anſberto Rotomagenſium tunc Epiſcopo; Friſiis Euangelium per annos quinque infatigabiliter prædicauit; anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo pulſus eſt è Friſia; in Franciam reuerſus, apud Fontanellam, vbi Hildebertus Abbas præerat, Baſilicam in honorem S. Stephani Protomartyris erexit, ibíque reliquam vitam duxit; obiit decimo-tertio Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio; ſepultus fuit in Eccleſia Sancti Pauli; indéque à Baino Abbate, cui Ionas eius vitam poſteà inſcripſit, in Baſilicam Principis Apoſtolorum cum Sanctis Anſberto

GERICVS EP. SENON.

& Wandregiſilo tranſlatus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, ſiue anno poſt obitum vndecimo, pridie Kalendas Aprilis, feriâ ſecundâ. Tunc

EBBO ABB. S. PETRI VIVI.

ſuperſtes in viuis erat eius in Epiſcopatu Senonenſi ſucceſſor Gericus, eiuſdémque Gerici nepos Ebbo, qui Monachum ante aliquot annos in Monaſterio Sancti Petri Viui induerat, mortuo illius loci Abbate iam conſtitutus

erat Abbas, futurus quoque Gerici ſucceſſor in Epiſcopatu, vt dicemus infrà. AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

Rem autem non ingratam nos facturos arbitramur, ſi vitam ipſam Sancti Vulfranni, quam Ionas Fontanellenſis Monachus ſcripſit & Baino illius loci tunc Abbati dedicauit, amputatis interpolationibus ſublatíſque mendis, quibus apud Surium & Henſchenium hactenus deprauata reperitur, ad prædictorum geſtorum ſeriem reuocemus, legendámque ad latus vulgatarum editionum exhibeamus. XXXIII.

XXXIV. VITA S. VVLFRANNI.

VITA S. Vulfranni Auctore Iona Editionis Surianæ.

PROLOGVS.

Reuerentiſſimo atque Sanctiſſimo Præſuli, &c. vſque ad *euacuari*, vt ſuprà ad an. 682. n. 27.

VITA.

Beatus igitur Vulfrannus Senonum Pontifex exordium Natiuitatis in territorio Vaſtinenſi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco. Fuit enim carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior.

Genitor quoque eius, Vulbertus nomine, in aula Regis Dagoberti & filij eius Clodouei militari operi auum impendit. Prædictus verò Dei famulus in puerili ætate conſtitutus, ab ipſo magiſtris Catholicis traditus eſt ſacrarum literarum ſtudiis imbuendus. Qui per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens vſque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non reflexit. Exin creſcentibus meritis piæ intentionis, Clericatûs babitum ſumens, parentum hortatu ac ſuffragij adminiculo fultus, in aula Regum Iunioris Lotharij & Theodorici, Eccleſiaſtici

VITA S. Vulfranni Auctore Iona Editionis Henſchenianæ.

VITA.

Beatus igitur Vulfrannus Senonum Pontifex exordium Natiuitatis territorio Vaſtinenſi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco. Fuit carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior.

Genitor quoque eius, Vulbertus nomine, in aula Regis Dagoberti & filij eius Lodouei militari operi eum impendit. Prædictus verò Dei famulus in puerili ætate conſtitutus, ab ipſo magiſtris Catholicis traditus eſt ſacrarum literarum ſtudiis imbuendus, qua per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non deflexit, & increſcentibus meritis piæ intentionis in aula Regum Iunioris Lotharij & Theoderici militauit. Sed inter hæc diuinis attentiſſimè ſtuduit inſeruire edictis, terrena videlicet quæque tranſi-

VITA S. Vulfranni purgata mendis & interpolationibus.

PROLOGVS.

Reuerentiſſimo atque Sanctiſſimo Præſuli, &c. vſque ad *euacuari*, vt ſuprà ad an. 682. n. 27.

VITA.

Beatus igitur Vulfrannus Senonum Pontifex exordium Natiuitatis in territorio Vaſtinenſi habuit, patrimonio nuncupato Mauriliaco. Fuit carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior.

Genitor quoque eius, Vulbertus nomine, in aula Regis Dagoberti & filij eius Clodouei militari operi auum impendit. Prædictus verò Dei famulus in puerili ætate conſtitutus, ab ipſo magiſtris Catholicis traditus eſt ſacrarum literarum ſtudiis imbuendus, qua per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem ab hac intentione animum non deflexit. Exin creſcentibus meritis piæ intentionis, Clericatûs habitum ſumens, parentum hortatu ac ſuffragij adminiculo fultus, in aula Regum Iunioris Lotharij, Childerici & Theo-

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

ſiaſtici ordinis cura delegatus, diuinis ſtudebat attentiſſimè inſeruire edictis, terrena videlicet tranſiliens, atque ad cæleſtia ſemper amanda, petenda & quærenda peruolans.

tranſiliens, atque cæleſtia ſemper amando & quærendo appetens.

Theodorici, Eccleſiaſtici ordinis cura delegatus, diuinis ſtudebat attentiſſimè inſeruire edictis, terrena videlicet tranſiliens, atque ad cæleſtia ſemper amanda, petenda & quærenda peruolans.

Sub horum tempore Regum, electione populi Senonicæ vrbis, conſenſúque ac fauore omnium, Pontifex eligitur & benedicitur. Succeſſit autem in ordine Epiſcopatûs venerabili Lamberto Pontifici. Qui ſuſceptum Epiſcopatûs gradum, ad imitationem priorum Sanctorum, virtutum ornabat operibus. Commiſſam namque ſibi plebem & orationibus protegebat aſſiduis, & admonitione piâ ad cæleſtia anhelanda prouocabat. Et quod maximè Doctores iuuare ſolet, ea, quæ agenda dicebat, ipſe priùs agendo præmonſtrabat. Erat enim diuinæ lectionis igne ſuccenſus, patientiæ virtute modeſtus, orationum deuotioni ſolertiſſimè intentus, affabilis omnibus, qui ad ſe conſolationis gratiâ veniebant. Erat abſtinentiæ caſtigatione inſignis & gratiâ compunctionis ſemper ad cæleſtia ſuſpenſus.

Nec multò pòſt igitur electione Cleri ac populi Senonicæ vrbis, conſenſúque Regis ac fauore Principum, Pontifex decernitur ac benedicitur, qui ſuſceptum Epiſcopatûs gradum, ad imitationem priorum Sanctorum, operibus ornabat virtutum. Commiſſam namque ſibi plebem & aſſiduis orationibus protegebat, & admonitione piâ ad cæleſtia anhelabat prouocare; quódque maximè Doctores iuuare ſolet, quæ agenda docebat, priùs ipſe agendo præmonſtrabat. Erat enim diuinæ dilectionis igne ſuccenſus, patientiæ virtute modeſtus, orationum deuotioni intentus, omnibus affabilis, abſtinentiâ inſignis, compunctionis gratiâ ſublimis.

Sub tempore Theodorici Regis, electione populi Senonicæ vrbis, conſenſúque ac fauore omnium, Pontifex eligitur & benedicitur. Succeſſit autem in ordine Epiſcopatûs venerabili Lamberto Pontifici. Qui ſuſceptum Epiſcopatûs gradum, ad imitationem priorum Sanctorum, virtutum ornabat operibus. Commiſſam namque ſibi plebem & orationibus protegebat aſſiduis, & admonitione piâ ad cæleſtia anhelanda prouocabat. Et quod maximè Doctores iuuare ſolet, ea, quæ agenda dicebat, ipſe priùs agendo præmonſtrabat. Erat enim diuinæ lectionis igne ſuccenſus, patientiæ virtute modeſtus, orationum deuotioni ſolertiſſimè intentus, affabilis omnibus, qui ad ſe conſolationis gratiâ veniebant. Erat abſtinentiæ caſtigatione inſignis & gratiâ compunctionis ſemper ad cæleſtia ſuſpenſus.

Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis, ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum verbum Domini anteà illis inauditum euangelizaret, inito opere Apoſtolico, propoſuit illicò animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ religionis & Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Anſbertus, & ipſe ſcientiâ literarum

Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis, ſuperno eſt oraculo admonitus, vt genti Freſionum verbum Domini euangelizaret: qui mox inito Apoſtolico opere propoſuit animo pluribus prodeſſe, vnde ad Monaſterium Fontinellæ acceſſit, cui præerat Abbas . . . . . . * atque inde cooperatores verbi ſtrenuos, & ad prædicandum idoneos aſſumpſit. Sícque in portu eiuſdem Monaſterij, nauem aſcendens nauigauit

Aliquot autem annis in Præſulatu adminiſtratis, ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium. Erat eo tempore Abbas Monaſterij Fontanellæ famulus Domini Anſbertus, Monachicum & nomen ſeruans & habitum in prædicto Monaſterio multorum Pater extans Monachorum. Poſteà ſuperno oraculo in viſu admonitus, vt genti Friſonum

* Hilbertus in notis Henſchenij.

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus, Monachicum & nomen ſeruans. & habitum in prædicto Monaſterio multorum pater extans Monachorum. Hunc Pontificem adiens beatus Vulfrannus ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ ſedenti, verbum vitæ immortalis annuntiaret. Nam & anteà poſſeſſionem ſuam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ ſita eſt in territorio Vaſtinenſi, per teſtamenti ſeriem prædicto ſacro loco & ipſi Sancto Patri contradidit, quæ facta erat anno 15. Regis Theodorici. Necdum enim idem vir Dei Pontificatûs conſcenderat gradum. Intererat in hoc conuentu, & confirmauerat cum aliis illuſtribus viris hoc ſcriptum Sanctus Erembertus, Epiſcopus vrbis Toloſæ & Monachus eiuſdem Cœnobij Fontanellenſis, cuius nunc oſſa ſacra in eodem Monaſterio virtutum gloriâ pollent. Nepos quoque prædicti Sancti Vulfranni Pontificis, nomine Mogiſlus, aliam lagitionem edidit de patrimonio Maniaco ſiue Villari, quod eſt ſitum in pago Meldunenſi. Qui in prædicto Manaſterio Monachus effectus, & regularibus ſubditus diſciplinis, ſpretis terrenis, cæleſtia ſperare didicit. Sed his omiſſis, nunc intimandum, qualiter dictus Sanctus Præſul ex præfata Friſonum gente plurimam prædicando conuerterit partem ad Chriſtum. Siquidem ad præfatum Fontanellæ Monaſterium perueniens, de eodem

uit Freſiam, & genti illi ac Duci eius Rathbodo verbum Dei annuntiauit, dicens Deos non eſſe, qui hominum manibus facti eſſent; Deum potiùs intelligendum maieſtate incomprehenſibilem, æternum, omnipotentem, & alia igitur proſequens libenter audiebatur, multíque credentes ſacro fonte abluebantur, inter quos præfati Ducis filius credens baptizatus eſt, adhúcque in albis poſitus, à carne ſolutus, mundus tranſiuit è mundo.

ſonum verbum Domini euangelizaret: qui mox inito opere Apoſtolico propoſuit animo pluribus prodeſſe. Erat autem eo tempore in vrbe Rothomagenſi, quæ & ipſa mater eſt ciuitatum, Præſul ſanctiſſimæ religionis, anteà Abbas Monaſterij Fontanellæ, famulus Domini Ansbertus, & ipſe ſcientiâ literarum imbutus, ſed & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſummè inſtructus. Hunc Pontificem adiens beatus Vulfrannus ſuam ei patefecit voluntatem, vt prædicto populo in tenebris ignorantiæ ſedenti verbum vitæ immortalis annunciaret. Nam & antea poſſeſſionem ſuam, quæ vocatur Mauriliacus, quæ ſita eſt in territorio Vaſtinenſi, per teſtamenti ſeriem prædicto ſacro loco & ipſi Sancto Patri contradiderat, quæ facta erat anno 5. Regis Theodorici. Necdum enim idem vir Dei Pontificatûs conſcenderat gradum. Nepos quoque prædicti Sancti Vulfranni Pontificis, nomine Mogiſlus, aliam largitionem edidit de patrimonio Maniaco ſiue Villari, quod eſt ſitum in pago Meldunenſi. Qui in prædicto Manaſterio Monachus effectus, & regularibus ſubditus diſciplinis, ſpretis terrenis, cæleſtia ſperare didicit. Sed his omiſſis, nunc intimandum, qualiter dictus Sanctus Præſul ex præfata Friſonum gente plurimam prædicando conuerterit partem ad Chriſtum. Siquidem ad præfatum Fontanellæ Monaſterium reuerſus, de eodem loco cooperatores verbi ſtrenuos & ad prædicandum idoneos,

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

eodem loco cooperatores verbi ſtrenuos & ad prædicandum idoneos, vtpote actione ſimul & eruditione præclaros aſſumens, præparatis omnibus, quæ nauigantibus neceſſaria eſſe videbantur, in portu eiuſdem Monaſterij nauim aſcendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens Gallicum, nauigauit in Friſiam, & genti illius ac Duci eius Radbodo verbum Dei annunciabat, dicens Deos non eſſe, qui manibus hominum facti eſſent; Dei materiam, lignum vel lapidem eſſe non poſſe; quorum reciſuræ vel igne abſumerentur, vel in vaſa qualibet, humano vſui neceſſaria, formarentur, & pedibus conculcata in terram verterentur; Deum potiùs intelligendum, Maieſtate incomprehenſibilem, humanis oculis inuiſibilem, omnipotentem, æternum, qui cælum, & terram, maria, & humanum genus creaſſet, regeret, & iudicaturus eſſet Orbem in æquitate, cuius ſedes æterna, non in vili & caduco metallo, ſed in cælis eſſet credenda. Hæc & his ſimilia proſequente inclyto Chriſti Sacerdote vnà cum comitibus, libenter audiebatur, multíque quotidie nobilium & infirmorum, abrenuntiatâ ſorde idololatriæ, fidei fonte abluebantur. Nec prohibuit prædictus Dux verbum, vt ſi qui vellent audire, prædicaretur, inter quos & filius prædicti Radbodi Ducis credens, baptizatus eſt, impoſito ſibi nomine ſui genitoris à præfato Pontifice, & ab eo de ſacro fonte ſuſceptus, adhúcque in albis

bis

neos, vtpote actione ſimul & eruditione præclaros aſſumens, præparatis omnibus, quæ nauigantibus neceſſaria eſſe videbantur, in portu eiuſdem Monaſterij nauim aſcendit, & per fluuium magnum Sequanæ mare introiens Gallicum, nauigauit in Friſiam, & genti illius ac Duci eius Radbodo verbum Dei annunciabat, dicens Deos non eſſe, qui manibus hominum facti eſſent; Dei materiam, lignum vel lapidem eſſe non poſſe; quorum reciſuræ vel igne abſumerentur, vel in vaſa qualibet, humano vſui neceſſaria, formarentur, & pedibus conculcata in terram verterentur; Deum potiùs intelligendum, Maieſtate incomprehenſibilem, humanis oculis inuiſibilem, omnipotentem, æternum, qui cælum, & terram, maria, & humanum genus creaſſet, regeret, & iudicaturus eſſet Orbem in æquitate, cuius ſedes æterna, non in vili & caduco metallo, ſed in cælis eſſet credenda. Hæc & his ſimilia proſequente inclyto Chriſti Sacerdote vnà cum comitibus, libenter audiebatur, multíque quotidie nobilium & infimorum, abrenuntiatâ ſorde idololatriæ, fidei fonte abluebantur. Nec prohibuit prædictus Dux verbum, vt ſi qui vellent audire, prædicaretur, inter quos & filius prædicti Radbodi Ducis credens, baptizatus eſt, impoſito ſibi nomine ſui genitoris à præfato Pontifice, & ab eo de ſacro fonte ſuſceptus, adhúcque in albis poſitus, carne ſolutus, mundus, vt creditur, tranſiit è mundo.

Nec

Digitized by Google

AN. CH. 704.
CHILDEBERTI III. R. 10.

bis poſitus, carne ſolutus, mundus, vt creditur, tranſiuit è mundo.

Nec ſilentio eſt prætereundum, quod diuina pietas per eundem Sanctum Pontificem operari dignata eſt. Plurima enim virtutum miracula in itinere, dum ad eam iret, & in eadem gente per eundem fiebant. Ex quibus vnum memoriæ tradere & poſteris intimare, commodum duximus. Denique fratres, qui eum familiariter nouerunt, & coram quibus patratum eſt, dicere ſolent, & maximè vir reuerentiſſimus Wando tunc temporis Diaconus & cooperator in verbo Dei eiuſdem Præſulis, poſteà autem Presbyter, & ſuccedenti tempore eiuſdem Monaſterij Fontanellenſis Abbas, in quo educatus fuerat. Dum enim nauigaremus, inquit, in Friſiam, poſitis nobis in medio mari quod adiacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua ſacrificium Deo victimæ ſalutaris immolandum erat. Tunc poſitis anchoris, nauis immobilis manebat. Et celebrante eodem Sancto Pontifice Miſſarum ſolemnia ventum eſt ad locum, vbi miniſter patenam Præſuli porrigere debuit, extenſâque manu expectabat horam, quâ ſuſciperet eam. Sed dum miniſter eam abluere vellet, in mare cecidit, proſtratúſque pedibus Sancti Pontificis humiliter veniam precabatur, dicens quia dum eam abluere voluiſſet, ſuis manibus in maris elapſa profunda, ima petiſſet. Móxque idem vir flectens genua ſua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti precabatur eius clementiam

Nec ſilentio eſt prætereundum, quod in ipſo itinere diuinitus pietas Domini per eundem Sanctum Pontificem dignata eſt operari. Nam dum nauigarent Freſiam per mare, quod adiacens eſt regioni Morinorum, hora adfuit, in qua ſacrificium Deo victimæ ſalutaris immolandum erat. Tunc iactis anchoris nauis ſtabat immobilis. Intereà celebrante Sancto Pontifice Miſſarum ſolemnia, ventum eſt ad locum, vbi miniſter patenam Præſuli porrigere debebat, ſed dum eam præfatus miniſter abluere vellet, in mare ceciderat, qui mox pedibus Sancti Præſulis proſtratus, quæ ſibi contigerant, retulit, veniámque precabatur. Tunc vir Dei flectens genua ſua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, orationem humiliter fudit, quâ finitâ Diacono imperat, vt in eum, in quo patena ceciderat, locum immitteret manum. Quo facto, ſtatim ab imo maris eadem patena diuinitus rediit, eiuſdémque miniſtri manui inhæſit. Quod videntes nautæ Deum Omnipotentem collaudauerunt, qui per ſeruum ſuum tale dignatus eſt operari miraculum.

Nec ſilentio eſt prætereundum, quod diuina pietas per eundem Sanctum Pontificem operari dignata eſt. Plurima enim virtutum miracula in itinere, dum ad eam iret, & in eadem gente per eundem fiebant. Ex quibus vnum memoriæ tradere & poſteris intimare, commodum duximus. Denique fratres, qui eum familiariter nouerunt, & coram quibus patratum eſt, dicere ſolent, & maximè vir reuerentiſſimus Wando tunc temporis Diaconus & cooperator in verbo Dei eiuſdem Præſulis. Dum enim nauigaremus, inquit, in Friſiam, poſitis nobis in medio mari quod adiacet regioni Morinorum, affuit hora, in qua Sacrificium Deo victimæ ſalutaris immolandum erat. Tunc poſitis anchoris, nauis immobilis manebat. Et celebrante eodem Sancto Pontifice Miſſarum ſolemnia ventum eſt ad locum, vbi miniſter patenam Præſuli porrigere debuit, extenſâque manu expectabat horam, quâ ſuſciperet eam. Sed dum miniſter eam abluere vellet, in mare cecidit, proſtratúſque pedibus Sancti Pontificis, humiliter veniam precabatur, dicens quia dum eam abluere voluiſſet, ſuis manibus in maris elapſa profunda, ima petiſſet. Móxque idem vir Dei flectens genua ſua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti precabatur eius clementiam, vt qui quondam coram patribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius ſuis adeſſet precibus.

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

mentiam, vt qui quondam corampatribus in mari rubro fecerat mirabilia, propitius ſuis adeſſet precibus. Finitâ verò oratione imperat Diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris eadem patena diuinitus reuecta, eiuſdem miniſtri manui inhæſit. Quod videntes nautæ ceteríque nauis comites Dominum cunctipotentem totis viſcerum præcordiis collaudauerunt, qui per ſeruum ſuum tale dignatus eſt operari miraculum. Sícque commixtionem Corporis & Sanguinis idem Sanctus Præſul faciens, noménque Saluatoris glorificans ſacroſancta Miſſarum ſolemnia compleuit. Nec impar hic beatus Pontifex in hoc facto fuit Sancto Eliſæo Prophetæ & beato Patri Benedicto, per quos ſimilia Chriſtus fecerat miracula. Ad eorum enim preces ferrea de profundis aquarum remearunt inſtrumenta, & iſto claro Pontifice orante lanx aurea diuinitus extemplò rediit ad ſuperna. Diuulgatúmque eſt hoc miraculum & celebre factum apud incolas Galliarum & Germanorum, ad quos hoc factum peruenire potuit vſque in præſentem diem. Nam & ipſa patena in eodem Cœnobio Fontanellenſi pro munere ſacro ſeruata tenetur, quam idem venerandus Præſul cum calice ſuo ibidem largitus eſt, dum Monachicum ſponderet votum. Altare quoque conſecratum, in quatuor angulorum locis & in medio reliquias continens Sanctorum in modum clypei,

Prædi-

bus. Finitâ verò oratione imperat Diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, mox ab imo maris eadem patena diuinitus reuecta, eiuſdem miniſtri manui inhæſit. Quod videntes nautæ ceteríque nauis comites Dominum cunctipotentem totis viſcerum præcordiis collaudauerunt, qui per ſeruum ſuum tale dignatus eſt operari miraculum. Sícque commixtionem Corporis & Sanguinis idem Sanctus Præſul faciens, noménque Saluatoris glorificans ſacroſancta Miſſarum ſolemnia compleuit. Nec impar hic beatus Pontifex in hoc facto fuit Sancto Eliſæo Prophetæ & beato Patri Benedicto, per quos ſimilia Chriſtus fecerat miracula. Ad eorum enim preces ferrea de profundis aquarum remearunt inſtrumenta, & iſto claro Pontifice orante lanx aurea diuinitus extemplò rediit ad ſuperna. Diuulgatúmque eſt hoc miraculum & celebre factum apud incolas Galliarum & Germanorum, ad quos hoc factum peruenire potuit vſque in præſentem diem. Nam & ipſa patena in eodem Cœnobio Fontanellenſi pro munere ſacro ſeruata tenetur, quam idem venerandus Præſul cum calice ſuo ibidem largitus eſt. Altare quoque conſecratum, in quatuor angulorum locis & in medio reliquias continens Sanctorum in modum clypei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat. Vaſcula quoque & inſtrumenta largitus eſt, & tabernacula Eccleſiaſtici miniſterij plurima.

Aliud

Digitized by Google

pei, quod ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat. Vaſcula quoque & inſtrumenta largitus eſt, & tabernacula Eccleſiaſtici miniſterij plurima.

Aliud quoque eiuſdem Patris memorabile miraculum, ſicut ab eis didicimus, coram quibus factum eſt, ob ædificationem poſterorum narrare cur pigeat? Prædicante enim illo & docente prædictum populum Friſonum, contigit quadam die puerum quendam ex ipſa gente Friſonum ortum, diis immolandum duci ad laqueum. Orabat autem Sanctus Pontifex incredulum Ducem, vt huius pueri ſibi vitam donaret, nec hominem ad imaginem Dei factum, ſacrificium execrabile dæmonibus immolaret. Vocabatur autem idem puer Ouo. Reſpondebat autem Dux patrio ſermone, decretum eſſe lege perenni olim à prædeceſſoribus ſuis omníque Friſonum gente, & quemcumque ſors elegiſſet, in eorum ſolemniis diis offerendum ſine mora. At verò Sanctus Præſul dum perſiſteret in precibus, & præfatus populi Princeps eius dignæ petitioni ſatisfacere vellet, animoſi gentiles, zelo vani erroris deuicti, ſicut ſcriptum eſt, zelus apprehendit populum incruditum, vnanimes fruſtrabant eius precem, dicentes. Si tuus Chriſtus de tormento mortis eum eripuerit, ſit tuus eiúſque æuo perenni ſeruus. Ad hæc S. Pontifex non hominum, inquit, in hoc facto, ſed Domini Chriſti fiat voluntas. Appenditur denique puer in patibulo, adſpicientibus Chriſtia-

Prædicante autem Sancto Pontifice in populo, contigit, die quadam puerum ex ipſa Freſionum natione ortum, diis immolandum duci ad laqueum. Orabat autem vir Sanctus incredulum Ducem, vt huius pueri vitam ſibi donaret. Tunc animoſi gentiles vnanimes fruſtrabantur eius precem, dicentes. Si tuus, inquiunt, Chriſtus eum de tormento mortis eripuerit, ſit eius tuúſque ſeruus æuo perenni. Appenditur deinde puer in patibulum per duarum ferè ſpatium horarum. Intereà Sanctus Pontifex genua flectens ad Dominum orationem fudit, quâ completâ ſurrexit. Mox igitur puer ille, ruptis diuinâ virtute vinculis, quibus appenſus fuerat, ad terram ruit, cuius apprehenſâ manu Sanctus dixit. In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti exurge ſanus. Quo dicto incolumis ſurrexit, nullum illatæ ſibi pœnæ & mortis ſentiens dolorem. Atque hoc facto plurimi conuerſi ſunt ad Dominum, credentéſque baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam æternam.

Aliud quoque eiuſdem Patris memorabile miraculum, ſicut ab eis didicimus, coram quibus factum eſt, ob ædificationem poſterorum narrare cur pigeat? Prædicante enim illo & docente prædictum populum Friſonum, contigit quadam die puerum quendam ex ipſa gente Friſonum ortum, diis immolandum duci ad laqueum. Orabat autem Sanctus Pontifex incredulum Ducem, vt huius pueri ſibi vitam donaret, nec hominem ad imaginem Dei factum, ſacrificium execrabile dæmonibus immolaret. Vocabatur autem idem puer Ouo. Reſpondebat autem Dux patrio ſermone, decretum eſſe lege perenni olim à prædeceſſoribus ſuis omníque Friſonum gente, & quemcumque ſors elegiſſet, in eorum ſolemniis diis offerendum ſine mora. At verò Sanctus Præſul dum perſiſteret in precibus, & præfatus populi Princeps eius dignæ petitioni ſatiſfacere vellet, animoſi gentiles, zelo vani erroris deuicti, ſicut ſcriptum eſt, zelus apprehendit populum ineruditum, vnanimes fruſtrabantur eius precem, dicentes. Si tuus Chriſtus de tormento mortis eum eripuerit, ſit tuus eiúſque æuo perenni ſeruus. Ad hæc S. Pontifex. Non hominum, inquit, in hoc facto, ſed Domini Chriſti fiat voluntas. Appenditur denique puer in patibulo adſpicientibus Chriſtiano-

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

Chriſtianorum ſimúlque gentilium turmis, per duarum ferè ſpatium horarum. Extemplóque Sacerdos Domini pro ſalute & vita non ſolùm illius, qui in tormento erat mortis conſtitutus, verùm etiam pro obcæcatione populi, qui ſatanæ vinculis irretitus erat, flectens genua, hanc ad Dominum fudit orationem. Deus inuiſibilis, immortalis & æterne, exorabilis tuis eſto ſupplicibus, & ſicut quondam Danielem liberaſti de lacu leonum, ita hunc puerum de faucibus eripe illius ſæui leonis, qui circumiens quærit quem deuoret, vt de illius duplici ſaluatione populus hic incredulus, depoſitâ ſorde idololatriæ, ad veritatis conuertatur agnitionem, & per cunctas generationes nomen tuum benedicatur in ſecula. Hac completâ oratione illicò diſrupta ſunt vincula, quibus ſæminini pueri guttur illigatum fuerat, ſícque illæſus in terram ruit. Videbatur autem illi, vt pòſt ipſe narrabat, quaſi ſopore graui teneretur oppreſſus, ſanctíque Pontificis zonâ pectore circumligatus, ſubleuaretur omnis eius corporis ſtatus. Apprehensâque eius manu, Pontifex Sanctus ait. In nomine Domini Ieſu Chriſti exurge concitè ſanus. Quo dicto, illicò incolumis ſurrexit, nullum illatæ ſibi pœnæ ſentiens dolorem, atque ex hoc facto plurima Friſonum multitudo conuerſa eſt ad Dominum, credebántque & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Prædictus autem Ouo, lauacri ſalutaris vndâ perfuſus, atque

rum ſimúlque gentilium turmis, per duarum ferè ſpatium horarum. Extemplóque Sacerdos Domini pro ſalute & vita non ſolùm illius, qui in tormento erat mortis conſtitutus, verùm etiam pro obcæcatione populi, qui ſatanæ vinculis irretitus erat, flectens genua, hanc ad Dominum fudit orationem. Deus inuiſibilis, immortalis & æterne, exorabilis tuis eſto ſupplicibus, & ſicut quondam Danielem liberaſti de lacu leonum, ita hunc puerum de faucibus eripe illius ſæui leonis, qui circumiens quærit quem deuoret, vt de illius duplici ſaluatione populus hic incredulus, depoſitâ ſorde idololatriæ, ad veritatis conuertatur agnitionem, & per cunctas generationes nomen tuum benedicatur in ſecula. Hac completâ oratione, illicò diſrupta ſunt vincula, quibus ſæminini pueri guttur illigatum fuerat, ſícque illæſus in terram ruit. Videbatur autem illi, vt pòſt ipſe narrabat, quaſi ſopore graui teneretur oppreſſus, ſanctíque Pontificis zonâ pectore circumligatus, ſubleuaretur omnis eius corporis ſtatus. Apprehensâque eius manu, Pontifex Sanctus ait. In nomine Domini Ieſu Chriſti exurge concitè ſanus. Quo dicto, illicò incolumis ſurrexit, nullum illatæ ſibi pœnæ ſentiens dolorem, atque ex hoc facto plurima Friſonum multitudo conuerſa eſt ad Dominum, credebántque & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam æternam. Prædictus autem Ouo, lauacri ſalutaris vndâ perfuſus, atque

Aliĳ à

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

atque à præfato Pontifice Fontanellam perductus, literíſque ſacris eruditus, poſteà Diaconus conſecratus, deinde ſequenti tempore à venerando Pontifice Reginaldo vrbis Rothomagenſis Presbyter ordinatur. Et quia erat in arte ſcriptoria eruditus, plurimos Codices in prædicto ſcripſit Monaſterio, ſed & teſtamenta & largitiones fidelium plurimas, quas ipſi loco felici munere conferebant. Ibíque magno confectus ſenio, ſub Oſtrulphi Abbatis tempore vitam Deo dignâ conuerſatione terminauit, magiſtri & Domini ſui Vulfranni Sacerdotis eximij imitando veſtigia.

Alios quoque duos adoleſcentes ex ipſa Friſonum gente, qui ſimiliter ritu profano dæmonibus erant immolandi, quorum vnus vocabatur Turinus altérque Ingomarus, deprecante claro Pontifice Vulfranno, præfatus Dux vitæ donauit, & eidem gratuito munere contradidit. Qui diuinis myſteriis imbuti atque in fide confirmati, in Sanctæque Trinitatis nomine baptizati, & à dæmoniacæ ſeruitutis iugo erepti, libertate perenni donati ſunt. Sícque à prædicto Pontifice Fontanellam perducti, Hildeberto Abbati educandi traditi ſunt. Qui ſacris literis & cæleſti diſciplinâ eruditi, ſub regimine & dominio eiuſdem Patris & ſucceſſorum eius, per plurima militauerunt tempora, ibíque in ditione eiuſdem Cœnobij vſque ad vitæ ſuæ metas permanſerunt.

Illud quoque ſtupendum & anteà inauditum, & niſi Apoſtolo Petro rariſſi-

Alij quoque adoleſcentes ex prædicta Friſonum natione, ſimiliter ritu pro-

à præfato Pontifice Fontanellam perductus, literíſque ſacris eruditus, poſteà Diaconus conſecratus, deinde ſequenti tempore à venerando Pontifice Reginaldo vrbis Rothomagenſis Presbyter ordinatur. Et quia erat in arte ſcriptoria eruditus, plurimos Codices in prædicto ſcripſit Monaſterio, ſed & teſtamenta & largitiones fidelium plurimas, quas ipſi loco felici munere conferebant.

Alios quoque duos adoleſcentes ex ipſa Friſonum gente, qui ſimiliter ritu profano dæmonibus erant immolandi, quorum vnus vocabatur Turinus, altérque Ingomarus, deprecante claro Pontifice Vulfranno, præfatus Dux vitæ donauit, & eidem gratuito munere contradidit. Qui diuinis myſteriis imbuti atque in fide confirmati, in ſanctæque Trinitatis nomine baptizati, & à dæmoniacæ ſeruitutis iugo erepti, libertate perenni donati ſunt. Sícque à prædicto Pontifice Fontanellam perducti, Hildeberto Abbati educandi traditi ſunt. Qui ſacris literis & cæleſti diſciplinâ eruditi, ſub regimine & Dominio eiuſdem Patris, in ditione eiuſdem Cœnobij permanſerunt.

Illud quoque ſtupendum & anteà inauditum, & niſi Apoſtolo Petro rariſſi-

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

mè alicui Sanctorum conceſſum miraculum verax ſcribentis ſtylus pandat auribus fidelium. Mos peſſimus, diabolicâ fraude inuentus, prædicto incredulorum Duci inerat, vt corpora hominum damnatorum, in ſuorum ſolemniis dæmonum & non deorum execrabiliter ſæpiſſimè diuerſis litaret modis, quoſdam videlicet gladiatorum animaduerſionibus interimens, alios patibulo appendens, aliorum vitam laqueis acerbiſſimis extorquens; prætereà & alios marinorum ſiue aquarum fluctibus inſtinctu diabolico ſubmergebat. Erat in prædicta gente mulier quædam vidua, duos chariſſimos habens filios, qui ex ſorte miſſa dæmonibus immolandi fuerant, & gurgite maris enecandi. Ducti namque ſunt ad quendam locum, bithalaſſi more aquâ incluſum, vt dum rheuma maris eundem locum cooperiret, miſerabiliter fluctibus abſorberentur. Erat verò, vt fertur, vnus ætate ſeptennis, altérque quinquennis. Cúmque rheuma maris tempore malaciæ prædictum impleret locum, is qui maior natu erat puerulus minorem fratrem vlnis nitebatur ſuſtollere, dum iam ingurgitarentur. Aderat namque ad ſpectaculum infandum præfatus Dux incredulus cum innumera turba gentilium, ſed nulla compaſſionis pietas vel miſerantis affectus, eius ſaxeum pectus emollire quiuit. Sacer vero Vulfrannus Pontifex eos ſibi vitæque donari rogabat, dicens non eſſe iuſtum de hominibus ad imaginem Dei

factis,

fano dæmonibus immolandi, miſsâ ſorte, more patrio ſunt deprehenſi. Pro quibus ſupplicaturus inclytus Præſul Vulfrannus acceſſit, ſed gentiles preces illius audire contemnentes, præfatos pueros proiecerunt in pelagus, vt illic inter fluctus illis necatis ſacrificium execrabile perficerent dæmonibus. Quo peracto, aiunt Sancto. Vade nunc iam, & ſi inde liberare eos poteris, habeat eos Deus tuus in ſeruos iure perenni. Quibus auditis, vir ſanctus nihil moratus eſt, ſed mox factâ oratione diuinâque inuocatâ Maieſtate, ſuper vndas maris tanquam per aridam terram iter faciens, ad eos qui iam ſubmergebantur, celeriter peruenit: quorum alterum læuâ comprehenſum, alterum dexterâ ſubleuauit: ſícque ſtatim rediens, mirantibus vniuerſis populis, ſecum viuos & ſanos ad terram reduxit: quos deinde diuinis imbutos myſteriis in nomine Sanctæ Trinitatis baptizauit, ſícque iugo ſeruitutis dæmonicæ ereptos, libertate perenni condonauit.

Præfatus

mè alicui Sanctorum conceſſum miraculum, verax ſcribentis ſtylus pandat auribus fidelium. Mos peſſimus, diabolicâ fraude inuentus, prædicto incredulorum Duci inerat, vt corpora hominum damnatorum, in ſuorum ſolemniis dæmonum & non deorum execrabiliter ſæpiſſimè diuerſis litaret modis, quoſdam videlicet gladiatorum animaduerſionibus interimens, alios patibulo appendens, àliorum vitam laqueis acerbiſſimis extorquens; prætereà & alios marinorum ſiue aquarum fluctibus inſtinctu diabolico ſubmergebat. Erat in prædicta gente mulier quædam vidua, duos chariſſimos habens filios, qui ex ſorte miſſa dæmonibus immolandi fuerant, & gurgite maris enecandi. Ducti namque ſunt ad quendam locum, bithalaſſi more aquâ incluſum, vt dum rheuma maris eundem locum cooperiret, miſerabiliter fluctibus abſorberentur. Erant verò, vt fertur, vnus ætate ſeptennis, altérque quinquennis. Cúmque rheuma maris tempore malaciæ prædictum impleret locum, is qui maior natu erat puerulus minorem fratrem vlnis nitebatur ſuſtollere, dum iam ingurgitarentur. Aderat namque ad ſpectaculum infandum præfatus Dux incredulus cum innumera turba gentilium, ſed nulla compaſſionis pietas vel miſerantis affectus, eius ſaxeum pectus emollire quiuit. Sacer verò Vulfrannus Pontifex eos ſibi vitæque donari rogabat, dicens non eſſe iuſtum de hominibus ad imaginem Dei

factis,

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III, R. 10.

factis, ludum exhiberi dæmonibus. Tunc Dux incredulus. Si Deus tuus, inquit, Chriſtus eos de præſenti periculo liberauerit, eius eos dominio perpetim concedo, ſítque eorum Deus, & ipſi eius perenniter ſerui. Tunc S. Pontifex Vulfrannus, ſecundùm, inquit, tuum promiſſum fiat. Orante autem eo Dominum, concitè rheuma maris, in altum ſe ſubrigens cumulum, Domino iubente, prædictum ſubitò reddidit locum aridum, in quo ſtabant innocentes, in proximo morituri. Sícque S. Pontifex de Domini pietate fiſus, more Apoſtoli Petri, ad Dominum ſuper aquas venientis, ſuper vndas maris ambulauit, adſpicientibus gentilium turmis, donec ad prædictos puerulos perueniens, vnum manu dexterâ, aliúmque ſiniſtrâ apprehendens, plantis tantummodò aquâ tinctis, quaſi ſuper humum gradiens ſiccam, ſic aquas maris calcans, pueros præfatos, Deo donante, de periculo eripuit mortis, & flenti matri reddidit incolumes, ac ſacro baptiſmatis fonte abluens, vni nomen ſuum impoſuit, à quo apud incolas Friſonum hoc nomen enituit. Quo viſo miraculo, plurima gentilium multitudo conuerſa eſt ad Dominum, credebántque, & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam.

Præfatus autem Princeps, &c. vſque ad *repedauit habitacula*, vt ſuprà, num. 24.

Nec prætereunda ratio eſt, &c. vſque ad *inclyti Principis Caroli*, vt ſuprà, num. 25.

Vene-

Præfatus autem Princeps, &c. vſque ad *repedauit habitacula*, vt ſuprà, num. 24.

Nec prætereunda ratio eſt, &c. vſque ad *inclyti Principis Caroli*, vt ſuprà, num. 25.

Cùm

factis, ludum exhiberi dæmonibus. Tunc Dux incredulus. Si Deus tuus, inquit, Chriſtus eos de præſenti periculo liberauerit, eius eos Dominio perpetim concedo, ſítque eorum Deus, & ipſi eius perenniter ſerui. Tunc S. Pontifex Vulfrannus, ſecundùm, inquit, tuum promiſſum fiat. Orante autem eo Dominum, concitè rheuma maris, in altum ſe ſubrigens cumulum, Domino iubente, prædictum ſubitò reddidit locum aridum, in quo ſtabant innocentes, in proximo morituri. Sícque S. Pontifex de Domini pietate fiſus, more Apoſtoli Petri, ad Dominum ſuper aquas venientis, ſuper vndas maris ambulauit, adſpicientibus gentilium turmis, donec ad prædictos puerulos perueniens, vnum manu dexterâ, aliúmque ſiniſtrâ apprehendens, plantis tantummodò aquâ tinctis, quaſi ſuper humum gradiens ſiccam, ſic aquas maris calcans, pueros præfatos, Deo donante, de periculo eripuit mortis, & flenti matri reddidit incolumes, ac ſacro baptiſmatis fonte abluens, vni nomen ſuum impoſuit, à quo apud incolas Friſonum hoc nomen enituit. Quo viſo miraculo, plurima gentilium multitudo conuerſa eſt ad Dominum, credebántque, & baptizabantur, quotquot præordinati erant ad vitam.

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

Venerabilis autem Præſul Vulfrannus, cùm tenuiſſet Pontificatum Senonenſis vrbis, cum licentia Regis Childeberti & Pipini Principis ad prædicandum prædictæ Friſonum genti, ſicuti diuinitus ſibi fuerat reuelatum, animum conuertit, qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus, Pipini quoque Principis annus 13. *Quod opus per annos quinque infatigabiliter peregit, ad Fontanellam Monaſterium ſæpiùs reuertens, vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum. In eadem verbi Dei prædicatione occupatus, & in maiori ſenectute iam poſitus (nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ordinato in Epiſcopatu Senonicæ vrbis Gerico venerando Pontifice, ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium, ibique regularibus ſubditus diſciplinis, coronam expectabat æternam. Nam & in hoc Monaſterio Baſilicam in honore S. Stephani primi Martyris fabricauit, iuxta quam, manſionem eidem præparauerant fratres, vbi diuino cultui deditus, ſollicitus operis Dei curam exhibebat: quæ diſtabat à Baſilica S. Apoſtoli Pauli paſſibus ferè* 30.

Annis itaque pluribus expers erat lectuli. Cuius corpus ſub Monachali tunica cilicium tegebat. Nam & ægrotis medelam ita conferebat, vt quocumque quis languore detentus fuiſſet, ſi ab eo viſitari, benedici ac contrectari meruiſſet, incolumitati mox priſtinæ redderetur. Vir namque venerandus Bertgaudus Monachus, patruus videlicet Wandonis Abbatis, ex ea

Cùm igitur per aliquot annos ſanctæ prædicationis opus infatigabiliter peregiſſet, iámque in ſenectute maiori poſitus eſſet, ordinato ſibi ſucceſſore in Epiſcopatu Senonicæ vrbis, ad præfatum Fontinellæ Monaſterium ſeceſſit, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis in manſione ſibi à fratribus præparata, coronam expectabat æternam.

Annis itaque plurimis expers erat lectuli, cuius corpus ſub Monachali tunica cilicium tegebat. Intereà ægrotis ita medelam conferebat, vt quocumque quis languore fuiſſet detentus, ſi ab eo viſitari, contrectari ac benedici meruiſſet, priſtinæ mox ſanitati redderetur. Erat ergo Monachus venerandus, nomine Bertgaudus, qui ita paralyſi toto corpore fuerat percuſſus,

Venerabilis autem Præſul Vulfrannus, cùm per quinque annos ſanctæ prædicationis opus infatigabiliter peregiſſet, iámque in ſenectute maiori poſitus eſſet (nam & pedum dolore frequenter vexabatur) ſeceſſit ad præfatum Fontanellæ Cœnobium, vbi & Monachicum aſſumpſerat habitum, ibíque regularibus ſubditus diſciplinis coronam expectabat æternam. Nam & in hoc Monaſterio Baſilicam in honore S. Stephani primi Martyris fabricauit, iuxta quam, manſionem eidem præparauerant fratres, vbi diuino cultui deditus, ſollicitus operis Dei curam exhibebat; quæ diſtabat à Baſilica S. Apoſtoli Pauli paſſibus ferè 30.

Annis itaque pluribus expers erat lectuli. Cuius corpus ſub Monachali tunica cilicium tegebat. Nam & ægrotis medelam ita conferebat, vt quocumque quis languore detentus fuiſſet, ſi ab eo viſitari, benedici ac contrectari meruiſſet, incolumitati mox priſtinæ redderetur. Vir namque venerandus Bertgaudus Monachus ex ea paſſione, quæ Græco eloquio paralyſis dicitur,

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

ea paſſione, quæ Græco eloquio paralyſis dicitur, ita ſubitâ membrorum diſſolutione percuſſus fuerat, vt & loquelam pariter & omne corporis officium amitteret. Ad quem cùm B. Chriſti Pontifex Vulfrannus viſendum veniſſet, & Oleo Pontificali benedictione conſecrato eum tetigiſſet, incolumitati mox priſtinæ reſtitutus eſt, fugatáque eſt illicò omnis moleſtia corporis. His & huiuſmodi miraculorum ſignis, qualis fuerit eius vita, arbiter æternus edocuit. Cuius etiam doctrinam id maximè commendabat omnibus, quia non aliter viuebat quàm docebat. Nihil enim huius mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta, quæ ſibi à Regibus vel diuitibus ſeculi donabantur, mox hilariter pauperibus erogabat. Numquam diuitibus, honoris ſiue timoris gratiâ, ſi quæ deliquiſſent, reticebat; ſed aſperâ illos inuectione corrigebat, atque ad eleemoſynas operúmque bonorum executionem & verbis excitabat & actibus. Denique cùm ſacrificium victimæ ſalutaris Deo offerret, non elatâ in altum voce, ſed profuſis ex imo pectore lachrymis, Domino vota commendabat. Cúmque docendo verbum Dei in præfata prouincia degeret occupatus, diuino admonitus oraculo, rediit ad venerabile Cœnobium Fontanellæ, quia ſuæ reſolutionis diem iam proximè inſtare cognouerat; ſicut ipſe quoque tempore eodem nonnullis, ſed verbis obſcurioribus, quæ poſteà manifeſtè intelligerent, ſolitâ ſibi benigniſſimâ dilectione

cuſſus, vt & loquelam pariter & omne corporis officium amitteret. Ad quem cùm Sanctus Pontifex Vulfrannus veniſſet, cúmque Oleo ſacrato tetigiſſet, fugata illicò eſt omnis moleſtia morbi, ſícque reſtituta eſt in omni corpore illius gratia priſtinæ ſanitatis. His & huiuſmodi miraculorum ſignis, qualis fuerit eius vita, internus arbiter edocuit. Igitur ſancti viri doctrinam id maximè omnibus commendabat, quoniam non aliter viuebat quàm docebat. Cuncta, quæ ſibi à Regibus vel diuitibus ſeculi donabantur, mox pauperibus hilariter largiebatur. Numquam potentibus, honoris ſiue timoris gratiâ, ſi qua deliquiſſent, reticebat, ſed aſperâ illos inuectione corrigebat. Denique cùm ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerret, non elatâ in cælum voce, ſed profuſis ex imo pectore lacrymis, Domino vota ſua commendabat. Prænoſcens intereà ex diuina reuelatione diem ſuæ reſolutionis inſtare, quibuſdam fratribus hoc idem ſtuduit manifeſtare: deinde acriùs cœpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus corporis moleſtiâ agitari: ſed inter hæc & Conditori gratias agere, & fratres publicè & priuatim non deſinebat docere. Tandem igitur languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingraueſcente, ſepptimâ, vt ſibi diuinitus promiſſum fuerat, die, poſtquàm ſe Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniuit, ſolutam ergaſtulo carnis ſanctam animam reddidit.

Obiit

citur, ita ſubitâ membrorum diſſolutione percuſſus fuerat, vt & loquelam pariter & omne corporis officium amitteret. Ad quem cùm B. Chriſti Pontifex Vulfrannus viſendum veniſſet, & Oleo Pontificali benedictione conſecrato eum tetigiſſet, incolumitati mox priſtinæ reſtitutus eſt, fugatáque eſt illicò omnis moleſtia corporis. His & huiuſmodi miraculorum ſignis, qualis fuerit eius vita, arbiter æternus edocuit. Cuius etiam doctrinam id maximè commendabat omnibus, quia non aliter viuebat, quàm docebat. Nihil enim huius mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta, quæ ſibi à Regibus vel diuitibus ſeculi donabantur, mox hilariter pauperibus erogabat. Numquam diuitibus, honoris ſiue timoris gratiâ, ſi quæ deliquiſſent, reticebat, ſed aſperâ illos inuectione corrigebat, atque ad eleemoſynas operúmque bonorum executionem & verbis excitabat & actibus. Denique cùm ſacrificium victimæ ſalutaris Deo offerret, non elatâ in altum voce, ſed profuſis ex imo pectore lachrymis, Domino vota commendabat. Prænoſcens intereà ex diuina reuelane diem ſuæ reſolutionis inſtare, id tempore eodem nonnullis, ſed verbis obſcurioribus, quæ poſteà manifeſtè intelligerent, ſolitâ ſibi benigniſſimâ dilectione pandebat, quibuſdam hoc idem etiam manifeſtè reuelabat. Deinde acri cæpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus eâdem corporis laborabat moleſtiâ, in qua toto ipſo

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

lectione pandebat. Quibuſdam hoc idem etiam manifeſtè reuelabat. Reuerſo autem eo ad Cœnobium Fontanellæ, acri cœpit ardore febrium fatigari, & per aliquod tempus eâdem corporis laborabat moleſtiâ, in qua toto ipſo tempore & Conditori gratias agere, & fratres publicè ac priuatim non prætermittebat docere. Admonebat namque eos, vt virtutem dilectionis & pacis ad inuicem & ad omnes ſeruarent. Inſtituta quoque diſciplinæ regularis, quæ à ſanctæ recordationis Patre Wandregiſilo didicerant, vel in ipſo viderant, in Patrúmque præcedentium factis ſiue dictis inuenerant, indefeſſâ inſtantiâ ſequerentur. Denique ſubiunxit, diem ſui obitûs in proximo imminere. Cúmque hæc & huiuſmodi plura ſanctæ exhortationis verba inter ſacra Miſſarum ſolemnia eis loqueretur, atque perceptâ eius benedictione, de ſuo tam cito receſſu triſtes flentéſque exiſterent, rediit ad ſtratum, quod iuxta Eccleſiam Sancti Stephani Martyris in manſiuncula ſua fratres ei præparauerant. Ibíque languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingraueſcente, ſeptimo, vt ſibi diuinitus promiſſum fuerat, die, poſtquàm obitum ſuum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniuit, ſoluta ab ergaſtulo corporis anima ſancta, ducentibus Angelis, æternæ felicitatis gaudia & conſortia ciuium petiit ſupernorum.

Obiit verò venerandus Pontifex 13. Calend. Aprilium die, anno Dominicæ Incar-

Obiit verò venerandus Pontifex XIII. *Calendarum Aprilium die, ſepultúſque*

ipſo tempore & Conditori gratias agere, & fratres publicè ac priuatim non prætermittebat docere. Admonebat namque eos, vt virtutem dilectionis & pacis ad inuicem & ad omnes ſeruarent. Inſtituta quoque diſciplinæ regularis, quæ à ſanctæ recordationis Patre Wandregiſilo didicerant, vel in ipſo viderant, in Patrúmque præcedentium factis ſiue dictis inuenerant, indefeſſâ inſtantiâ ſequerentur. Denique ſubiunxit, diem ſui obitûs in proximo imminere. Cúmque hæc & huiuſmodi plura ſanctæ exhortationis verba inter ſacra Miſſarum ſolemnia eis loqueretur, atque perceptâ eius benedictione, de ſuo tam cito receſſu triſtes flentéſque exiſterent, rediit ad ſtratum, quod iuxta Eccleſiam S. Stephani Martyris in manſiuncula ſua fratres ei præparauerant. Ibíque languore corporis, quem diu protraxerat, per dies ingraueſcente, ſeptimo, vt ſibi diuinitus promiſſum fuerat, die, poſtquàm obitum ſuum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniuit, ſoluta ab ergaſtulo corporis anima ſancta, ducentibus Angelis, æternæ felicitatis gaudia & conſortia ciuium petiit ſupernorum.

Obiit verò venerandus Pontifex XIII. *Calendarum Aprilium die, ſepultúſque*

Digitized by Google

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

Incarnationis 720. Sepultúſque eſt, primò quidem in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli iuxta Sacerdotem Domini Wandregiſilum, in dextera parte, in quo loco iacuit per annos 9. S. quoque Pater Wandregiſilus requieuit in eadem Baſilica annis 40. Ansbertus annis 11. Tranſlati quoque ſunt inde in Baſilicam B. Petri Apoſtoli à S. Baino Epiſcopo vrbis Taruennæ & Rectore Fontanellenſis Cœnobij, ſub anno regiminis ſui 5. qui erat annus ab Incarnatione Domini 729. Qui ita integri ab omni corruptione cum veſtimentis, quibus induti fuerant, reperti ſunt, quaſi eodem die ſepulturæ fuiſſent traditi. Hæc ergo dies, cunctorum votis præſtolata, aduenerat, Sacerdotes, Monachi, Clericorúmque chori vnà cum fidelibus aderant plebibus. Tunc cum hymnorum laudibus tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantiæ odor prodiit, vt mirâ dulcedine non ſolùm in Eccleſia circumſtantem populum, verùm & in atriis ſitam repleret plebem. Illati ſunt autem in Eccleſiam B. Petri Apoſtoli, & poſiti in abſida eiuſdem in Orientali parte, vbi ſignis & miraculis coruſcant, Præſule Chriſto, cui eſt cum Deo Patre in vnitate Spiritûs Sancti omnis honor & gloria per cuncta ſecula ſeculorum. Amen.

túſque eſt primò quidem in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli: ſed inde poſtmodum tranſlatus in Baſilicam S. Apoſtoli Petri, poſitúſque in Orientali parte, vbi ſignis & miraculis etiam nunc coruſcat, Præſule Chriſto, cui eſt omnis honor & gloria cum Patre & Spiritu Sancto in ſecula ſeculorum. Amen.

túſque eſt, primò quidem in Eccleſia B. Pauli Apoſtoli iuxta Sacerdotem Domini Wandregiſilum in dextera parte, in quo loco iacuit per annos XI. S. quoque Pater Wandregiſilus requieuit in eadem Baſilica annis circiter XL. Ansbertus annis IX. Tranſlati quoque ſunt inde in Baſilicam B. Petri Apoſtoli à S. Baino Epiſcopo vrbis Taruennæ & Rectore Fontanellenſis Cœnobij, ſub anno regiminis ſui V. Qui ita integri ab omni corruptione cum veſtimentis, quibus induti fuerant, reperti ſunt, quaſi eodem die ſepulturæ fuiſſent traditi. Hæc ergo dies, cunctorum votis præſtolata, aduenerat; Sacerdotes, Monachi, Clericorúmque chori vnà cum fidelibus aderant plebibus. Tunc cum hymnorum laudibus tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantiæ odor prodiit, vt mirâ dulcedine non ſolùm in Eccleſia circumſtantem populum, verùm & in atriis ſitam repleret plebem. Illati ſunt autem in Eccleſiam B. Petri Apoſtoli, & poſiti in abſida eiuſdem in Orientali parte, vbi ſignis & miraculis coruſcant, Præſule Chriſto, cui eſt cum Deo Patre in vnitate Spiritûs Sancti omnis honor & gloria per cuncta ſecula ſeculorum. Amen.

XXXV. CHILDEBERTVS MVNIFICVS ERGA MONAST. FONTANELLENSE.

Childebertus hoc eodem anno Adpiecum Monaſterio Fontanellenſi tradidit. Regiam liberalitatem ſic commendat Auctor [a] Chronici Fontanellenſis. *Huic admirabili Præſuli* Baino *largitus eſt præfatus Hildebertus Rex villam quæ vocatur Adpiecum, quæ ſita eſt in pago Pinciacenſi* * *ſuper alueum Sequanam, vnà cum adiacentiis ſuis, Nouitianus, Curbania, Albachahan, Nido, Terralido, cum illis præſtariis quinque, anno decimo regni ſui, qui erat Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus & quartus, Indictione ſecundâ, decimo-tertio Kal. Nouembris, feriâ ſecundâ.* Optimè inter ſe conueniunt hi Characteres, ſi excipias Indic-

[a] Cap. 2.

* *de Poiſſy.*

AN. CH. 704. CHILDEBERTI III. R. 10.

tionem. Annus decimus Childeberti Regis cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto comparatur, & anno illo biſſextili dies decimus-tertius ante Kalendas Nouembris incidit in feriam ſecundam currente tum literâ Dominicali E. Chronographus Fontanellenſis Regiam donationem hiſce Characteribus Chronologicis munire potuit, anni enim ab Incarnatione Dominica circa initium octaui ſeculi numerantur in variis Annalibus ac Chronicis. Prætereà *Bannagam Inſulam*, teſte eodem Fontanellenſi Chronographo, *anno decimo Regni ſui idem Hildebertus Rex præfato Præſuli Baino & eidem Cœnobio* Fontanellæ *contradidit*.

XXXVI. AVSTREBERTA PAVLIACENSIS ABBATISSA OBIT.

Malbrancus hoc anno in eadem Diœceſi Rotomagenſi collocat obitum Auſtrebertæ Pauliacenſis Abbatiſſæ, de qua Tomo ſuperiori ſæpè locuti ſumus. A Malbranco, qui monumenta citat Auſtrebertina, non diſſentit Bollandus, nec refragatur Auctor vitæ, dum diem, quo deceſſit, ita notat. *Tranſiuit glorioſa Virgo quarto Iduum Februariarum, die Dominica, aurorâ incipiente*. Deſignat enim annum, cuius dies quartus ante Idus Februarij Dominicus fuerit currente tum literâ Dominicali F, vt verè contigit anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, qui biſextilis fuit, præditúſque literis Dominicalibus, F ante biſextum & E poſt biſextum. Vixit igitur ſancta Auſtreberta annos vnum & ſeptuaginta. *Sepulta eſt in beati Petri Principis Apoſtolorum Baſilica*. Colitur in Tabulis Eccleſiaſticis quarto Idus Februarij.

XXXVII. AN PAVLIACENSIBVS ABBATISSIS ACCENSENDÆ.

Appulſis in Neuſtriam Nortmannis Pauliacum * eadem quæ plurima Monaſteria clades inuoluit. Idcirco quænam Abbatiſſæ Monaſterio Pauliacenſi poſt ipſius ſanctæ Auſtrebertæ felicem ad Deum tranſitum præfuerint, manet incompertum. Duarum duntaxat, Benedictæ videlicet ac Iulianæ, mentio fit in Martyrologio Gallicano, quinto Idus Octobris, quo die memoria beatæ Iulianæ in Tabulis etiam Benedictinis celebratur. Neutram autem Abbatiſſam fuiſſe non immeritò pronuntiaueris.

* *Pauilly.*

XXXVIII. BENEDICTA.

De Benedicta hoc vnum refert Sauſſaius, quòd febri correpta eſt cùm puellam quandam ob natalium obſcuritatem & rerum inopiam in Monacham nollet admittere, nec priùs ſanitatem recuperauit, quàm ſe poſtulatis obſecundaturam promiſiſſet. Sic igitur ille. *In territorio Rotomagenſi, Pauliacenſi Cœnobio*, Natalis *Sanctæ Iulianæ Virginis & Abbatiſſæ, quæ ſuccenſa cæleſti igne pietatis, ab infantia ſua Chriſto ſeſe in famulam dedicauit; vtque carnis & ſpiritûs ſui holocauſtum perficeret, Sanctæ Religionis habitum à Benedicta Abbatiſſa humiliter inſtantérque flagitauit. A qua ob natalium obſcuritatem & rerum inopiam contemptui habita, perpeſſáque repulſam, in Sanctæ Auſtrebertæ Virginis, primæ illius loci Abbatiſſæ iam beatæ, clientelam ſe coniecit, opem eius aſſiduè implorans, quâ Abbatiſſæ in ſe duritia emolliretur. Cuius tamen interim miſericordiam aſſiduè enixéque interpellabat, donec die ipſo, quo feſtum Sanctæ Auſtrebertæ eo in Monaſterio agebatur, puella incenſa vehementiori ſancti propoſiti deſiderio, ſupplex ad ſepulchrum Sanctæ ipſius accurrit, ídque fortiter complexa proteſtatur ſe, tametſi membratim diſcerpi oporteat, à tumulo beatæ opitulatricis ſuæ, non brachia, non manus, quibus eum ſtringebat, laxaturam, quin priùs habitu ſancto Religionis donetur. Piam cuius pertinaciam Abbatiſſa ægrè ferens, iuſſit à ſepulchro venerando illam auelli, extrudíque mox ſacris liminibus. Sed Deus, cui pauperis æquè ac diuitis cura eſt paterna, afflictæ puellæ protinus iniuriam vindicauit, & piam iuuit intentionem. Percuſſa illicò Abbatiſſa febrili ardore adeò vehementi, vt extremis ſe iam illa crederet proximam, cùm facti pœnitens, voto ſe Deo & beatæ Auſtrebertæ obſtrinxit, ſi ſolatium conſequeretur, ſe pauperculæ puellæ optatis vltrò cumulum præſtituram. Vix formata erat ſeria illa deprecatio, cùm repentè extincto febris foculo Abbatiſſa conualuit. Quæ ſe extemplò eximens religioſâ ſponſione, Iulianam veſte expetitâ indutam ſacrum in cœtum admiſit, intérque ſorores, quæ Sanctimonialibus primi ordinis ancillantur, quoniam ea ſic enixè poſcebat, deputauit*. At vnde ille hæc hauſit? certè non aliunde quàm ex narratione Miraculorum, quæ geſta ſunt poſt Sanctæ Auſtrebertæ mortem, & vt Bollandus [a]

[a] Die 10. Febr. in prolegom. ad vit. S. Auſtrebertæ nn. 5. 12.

iam cenſuit, relata ſunt in literas ab Anonymo, qui vitam Sanctæ Auſtre- AN. CH.
bertæ ſcripſit, cùm ſuperſtes adhuc in viuis eſſet teſtis oculata Miraculi, 704.
quod Deus per Auſtrebertam in Portenſi Monaſterio tunc degentem fue- CHILDE-
rat operatus. Anonymus autem capite primo Miraculorum hæc habet. *Puella* BERTI III.
quædam ſaluare volens animam ſuam, ſanctæ illi Congregationi Pauliacenſi *adhæ-* R. 10.
rere deſiderabat, ſed cùm multis modis in præterito tempore iſtiuſmodi cauſam poſtulanti ei omnis denegata fuiſſet adeundi facultas, deſperata iam ab homine hanc ſe conſequi gratiam poſſe, de Dei potiùs miſericordia & orationibus Sanctæ illius (Auſtrebertæ) *confidens, in ipſa hora, quâ Dominus Deus Sabaoth Sanctus ter ab omnibus* inter Miſſarum ſolemnia *clamabatur, currens ad ſanctum ſepulchrum beatæ Dei famulæ manibus pallium apprehendit, dicens ſe inde nullatenus receſſuram, niſi proiecta fuiſſet inuita, inquiens, ſi fortè eiiceretur, animam ſuam perituram fore, ſanguinem tamen ſuum exquirendum de manu ipſius, quicumque deuotionem ſuam vlteriùs impedîſſet. Mater verò earumdem ancillarum Dei, quæ illis temporibus Monaſterio præerat, valdè indignans quod factum eſt, iuſſit illam amouere ex loco illo, atque cum dedecore expelli, dicens, tu, inquit, cùm ſis ex Monaſterij huius nata famula debeáſque ſeruile opus exercere, quodcumque tibi forinſecus iniungitur, auſa es hoc arbitrari, vt rapinâ corpori Sanctimonialium ſociata, domina effici delecteris? Nocte igitur inſecutâ, cùm ſe ſopori dediſſet, grauiſſima ei febris continuò acceſſit, itaut per totum noctis ſpatium peruigil vexaretur. Mane autem facto, ingraueſcente febre, iubet adeſſe Presbyterum, ſimul & omnes ſorores, indicat ſe mori quidem, ſed puellam illam, pro qua ſe pati dicebat, recipi in Congregatione ab omnibus flagitabat. Illæ autem, quia vno animo conſpirauerant aduersùs puellam illam, ne recipi potuiſſet, dubitantes adhuc hac de cauſa ei ægritudinem accidiſſe, conſilium inierunt, dicentes. Eamus primùm ad corpus Sanctæ Dei famulæ, ibíque pro te preces fundamus, votum vouentes, ſi fortè miſereatur tui Dominus, vt ab hac infirmitate ſaneris, atque vt per temetipſam facias quod hortaris. Quod ita factum eſt. Nam ſtatim reliquit eam febris, & ſurgens à lectulo iuſſit adduci puellam, ac recepit eam in filiam, ceteríſque fecit ſororem.* Vtrumque textum ſi legeris ſimúlque contuleris, dubium non eſt, quin nobis aſſentiaris, credáſque non aliam Sauſſaio mentem fuiſſe, quàm vt Anonymum exprimeret. At apud Anonymum nec Abbatiſſæ nomen Benedictæ, nec puellæ nomen Iulianæ tribuitur, reticetur enim vtriuſque nomen, nec inde colligere eſt Abbatiſſam, nomine Benedictam, Pauliacenſibus accenſendam eſſe.

XXXIX. ET IVLIANA.

Iulianam non tantùm Virginem & Abbatiſſam vocat Sauſſaius in textu præcitato, ſed & illam Abbatiſſæ, cuius diſciplinæ ſe tradiderat, in adminiſtrationem Monaſterij proximè ſucceſſiſſe ſic ſcribit. *Defunctâ deinde Abbatiſſâ illâ*, nempe quæ Iulianam in Monacham admiſerat, *non multùm diſquiſitum eſt, quæ virginali choro præficienda eſſet. Omnibus enim mox vna occurrit Iuliana in mentem, cuius diuinæ virtutes dignitatem hanc ipſi ſingulariter deferebant. Sic omnium facta mater de filia, déque ancilla domina, onus magis quàm honorem ſubiit, quantóque ex inferiori loco ad maius faſtigium euectam ſe nouerat, eò maiori animi demiſſione ſe deprimens, omnibus humilitatis exemplum præſtitit admirandum, amoríſque & ſollicitudinis maternæ ſtudia officiáque eximia. Itaque in Marthæ & Mariæ viciſſim exercitata ac demum perfecta muneribus, ſtadium vitæ huius abſoluit, imò è mortis palæſtra ad immortalitatis glorioſæ promeritam tranſiuit vſuram. Cuius corpus puriſſimum è Pauliaco Monſtrolium vſque tranſlatum, incluſúmque honoro conditorio illic prope Sanctæ Auſtrebertæ, cuius benignâ aſpiratione votis potita eſt, venerandam lipſanothecam requieſcit.* In Martyrologio Benedictino Iuliana Titulum Abbatiſſæ non obtinet, ſic enim commendatur quinto Idus Octobris. *In territorio Rothomagenſi, depoſitio Sanctæ Iulianæ Virginis, Sanctimonialis Pauliacenſis.* Et ad illum locum Hugo Menardus Benedictinus è Congregatione S. Mauri ſic ſcribit in ſuis Obſeruationibus [a]. *Sancta Iuliana fuit Sanctimonialis in Cœnobio Pauliacenſi ſub Sancta Auſtreberta Abbatiſſa, cui beata Iuliana cognata erat. Eius corpus aſſeruatur in eodem Monaſte-*

[a] Lib. 2. d. 11. Octobr.

AN. CH. *rio. Ex monumentis huius Cœnobij.* Rectè monet Arturus *du Monſtier* in Neuſ-
704. tria [a] Pia, Menardum & Sauſſaium hoc loco plurimùm inter ſe diſſidere,
CHILDEBERTI III. R. 10. nec facilè ſimul conciliari poſſe. Tantum ſanè diſſidium componi nequit.
Illorum Auctorum alterutri fides abroganda. Menardus monumentis Pau-
liacenſibus nititur. Sauſſaius nullâ fulcitur auctoritate, gratis enim id at-
tribuit Iulianæ, quod in Miraculis Sanctæ Auſtrebertæ legitur de puella
[a] In Pauliaco. quadam ignobili, cuius nomen Auctor iſtius operis reticuit. Puellam illam
aliam eſſe à Sancta Iuliana genus ætáſque palàm oſtendunt. Puella illa ma-
trem habuit Monaſterij Pauliacenſis ancillam, ſéque in Pauliacenſis Abba-
tiſſæ diſciplinam poſt mortem Sanctæ Auſtrebertæ tradidit. Sancta verò Iu-
liana, quæ beatam Auſtrebertam cognatione contingebat, orta eſt ex illuſ-
tri loco, noménque Congregationi Pauliacenſi dedit ipsâ Auſtrebertâ Mo-
naſterium tunc adminiſtrante, quin & ſatis probabile videtur Sanctam Auſ-
trebertam Iulianæ cognatæ ſuperſtitem vixiſſe, quia Cœnobij Pauliacenſis
præfectura per annos duos & quadraginta penes eandem Auſtrebertam Ab-
batiſſam fuit. Quicquid autem ſit hac de coniectura, ſtamus à Menardi
partibus. Sancta Iuliana in Monacham Pauliacenſem admiſſa eſt ab Auſ-
treberta cognata illius Cœnobij tunc Abbatiſſa, ibíque Monialis per multos
annos ad mortem vſque vixit Abbatiali munere nuſquam defuncta. Præ-
tereà non parum minuitur auctoritas Sauſſaij, quia quem præ manibus ha-
buit, Anonymum interpretatur pro ſuo lubitu, multúmque ab illo diſſen-
tit, dum Iulianam ab Abbatiſſa Pauliacenſi deputatam ait *inter ſorores, quæ
Sanctimonialibus primi ordinis ancillantur.* Anonymus enim huiuſcemodi diſ-
tinctionem non init, & puellam, quam Sauſſaius Iulianam fuiſſe credit,
obiurgatam ait ab Abbatiſſa, quòd etſi nata eſſet *ex famula Monaſterij*, ta-
men eò ſuperbiæ deuenerat, *vt corpori Sanctimonialium ſociata, domina effici
vellet.* Quod attinet ad Reliquias Sanctarum Auſtrebertæ & Iulianæ, quæſ-
tiones, quæ ſuper illarum Tranſlationibus motæ ſunt, enodabimus ſuis
locis.

XL. ABBATISSÆ KALENSES. Hoc etiam anno Bertila Kalenſis Abbatiſſa migrauit in cælum pridie
Nonas Nouembris, quo die colitur in Martyrologio Benedictino. Kalenſe
Monaſterium *per quadraginta & ſex annorum curricula* gubernauit, vt Auctor
vitæ coætaneus teſtatur. Abbatiſſæ, quæ prædicto Cœnobio poſt eam præ-
fuerunt, ſolis ſunt notæ nominibus, Ermengardis, Clementia, Aſſelina.

XLI. ANDAINVM MONAST. CONDITVR. His circiter temporibus ex Pippini Maioris-domûs ac Plectrudis coniu-
gis munificentia conditum eſt in Arduenna ſylua Monaſterium Andainen-
ſe ſiue Andaginenſe, cui primus Abbas præfuit Beregiſus à nobis non ſemel
iam laudatus. Hic, *cùm Sacerdotij honore ſublimatus*, vt ad annum Chriſti
[b] Num. 8. ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum [b] iam notauimus, *in comitatu Pipini
Iunioris, filij Anſegiſi, charus eſſet omnibus & acceptus, ſolitariam tamen vitam
cogitabat attentiùs. Cuius piis votis hoc modo Diuinitati annuere libuit. Contigit
Plectrudem, ob circumquaque poſita ſui iuris prædia, tranſitum habuiſſe per ſaltum
Arduennenſem. Cúmque feſſi viatores in amœno prato reſediſſent, mulier euigilans
chartulam decidentem reſpicit, ſumit, marito defert. Sancto Beregiſo legenda tradi-
tur, qui per ordinem pandit quæ in ea continebantur, ſcilicet locum illum, in quo
inuenta eſt, à Deo electum & aliquando à deuota plebe inhabitandum, multáſque
BEREGISVS PRIMVS ABB. inde animas fidelium dirigendas in cælum. Mirati cùm diu multúmque hæſitarent
cui hoc negotium committerent, Beregiſus vltrò ſe offerens locum ſuſcipit, ſtirpat,
Monaſterium conſtruit, & multos ſuo exemplo ad benè viuendum ibidem colligit.*
[c] d. 2. Octobr. n. 2. Hæc Molanus [c] ex Andainenſi Martyrologio tranſcripſit, aſſeruitq; ſe ea-
dem in Hiſtoria manuſcripta cùm Andaini tum Sarchinij pleniùs legi, quia
Beregiſus apud Sarchinium pietatem primùm coluit, deinde Monaſterium
apud Andainum ex liberalitate Pippini ac Plectrudis ædificauit. Agemus
iterum de illo Abbate ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quin-
tum, qui Theodorici Regis cognomento Kalenſis annus quintus numeratur.

Digitized by Google

Hoc circiter anno, Sturmi, ſeu Sturmis, aut Sturmus, vel Sturmio, ſiue Sturmius, nobili parentum ſtirpe natus eſt in Boioaria. De illius ætate diſputabimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum, quo traditus eſt in diſciplinam Winfridi, qui tunc iter per Boioariam faciebat. AN. CH. 704. XLII.

ANNVS CHRISTI 705. CHILDEBERTI III. R. II.

705. CHILDEBERTI III. R. II.

I. VINDICIANI EP. CAMERAC. OBITVS.

ANNVS Chriſti ſeptingenteſimus quintus à nobis triceſimus-ſextus poſt mortem Clotarij Tertij Regis, vltimúſque Vindiciani Cameracenſis Epiſcopi computatur. Plerique, quia ſuper anno, quo Clotarius Tertius obiit, nobiſcum non conueniunt, annos etiam Vindiciani Cameracenſis Antiſtitis aliter numerant. Præcipua controuerſiæ cauſa petitur à Dagoberti Magni Principatu, quem Fredegarius [a] ſpatio quidem annorum ſexdecim circumſcribit, ſed eiuſdem Principatûs initium pauci iuxta calculos illius Auctoris ſumunt à tempore, quo Dagobertus à Clotario patre Rex Auſtraſiæ conſtitutus eſt, plures perperam ab anno quo Dagobertus in Neuſtriam ac Burgundiam Clotario patri ſucceſſit.

[a] In Chron. cap. 79.

II. Ad noſtræ Chronologiæ confirmationem in memoriam reuoca, quid de Vindiciani promotione ad Epiſcopatum ſcripſerit Baldericus in Chronico Cameracenſi. Hic caput viceſimum libri primi ſic exorſus eſt. *Poſt eius*, nempe Autberti, *exceſſum beatus Vindicianus eiuſdem Eccleſiæ Sedem regendam ſuſcepit temporibus Theoderici Regis, filij Clodouei ex Badhilde prudentiſſima Regina. Hic Theodericus poſt Clotharium fratrem, qui prior in Regnum patris cum Badhilde matre ſucceſſit, ſummam Regni ſuſcepit, renitentibus plurimis ex Francorum Principibus, maximè propter Ebroinum, qui Maior domûs Regis illis permoleſtus erat. Vnde conſurgentes aduersùs Theodericum & Ebroinum*, &c. In ſententia igitur Balderici, Vindicianus Epiſcopatum adeptus eſt eo tempore, quo Theodoricus Tertius poſt Clotarium fratrem in Neuſtria Burgundiáque regnauit, à Childerico fratre Auſtriæ iam Rege nondum exauctoratus. Haud aliter opinantur Bollandus in Commentario præuio vitæ Sancti Sigiberti Regis [b], & Henſchenius in diatriba [c] de tribus Dagobertis, ſed Theodorici Principatum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo perperam illigant, inde enim ſequeretur mortem Vindiciani in annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum reiiciendam eſſe, nec aliam Chronologiam iniit Claudius *Deſpretz* in elogio ſancti Vindiciani, quod Georgio Coluenerio Chronicon [d] Cameracenſe notis & obſeruationibus illuſtranti ſuppeditauit. Aduerſùs illos Scriptores hoc loco non repetemus argumenta, quibus toties probauimus Clotarium Tertium anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono rebus humanis exemptum fuiſſe, eodémque anno Regna Neuſtriæ ac Burgundiæ à Theodorico eius fratre poſſeſſa atque amiſſa. Aduerte tantùm ex noſtra computatione conſtare, quòd Vindicianus, cui ſex ac triginta Pontificatûs anni tribuuntur, hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo quinto, vitam clauſerit.

[b] d. 1. Febr.

[c] L. 2. cc. 4. 16.

[d] Lib. 1. c. 18.

III. SEPVLTVRA.

De morte ac ſepultura tanti Præſulis, pauca Baldericus [e]. *Incertum eſt*, inquit, *quanto tempore Eccleſiam Cameracenſium rexerat, & quæ perſonæ eius funebritati interfuerant. Ideo ex his melius eſt ſilere, quàm fabuloſum quid conficere. Hoc autem pro certo audire ſufficiat, quod ad remunerationem ſui laboris die obitâ v. Idus Martij migrauit ad Chriſtum, ſepultúſque eſt in Baſilica, in loco videlicet, qui dicitur mons Sancti Eligij, vbi quondam ipſe, cum ægrotaret apud Broſellam*

[e] Lib. 1 c. 18.

Digitized by Google

ſub Priore agentibus locus incolebatur, ſed temporibus Vindiciani Epiſcopi, & duodecimo anno Theoderici Regis, creatus eſt primus Abbas Hatta vir imprimis religioſus ac prudens. Annus duodecimus Theodorici Tertij Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto comparatur. Ab illo anno Hatta Vedaſtinus Abbas eſſe cœpit. Ergo Præfecturam Abbatialem ante annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum iniit. Abbas Vedaſtinus ex Monacho Blandinienſi factus eſt, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum [a] ex Auctore Chronici Vedaſtini probauimus. Ergo priuſquàm Vedaſtinus Abbas fieret, non erat *Abbas S. Amandi.* Monaſterium Elnonenſe, cui nomen Sancti Amandi conditoris à poſteris inditum, penes Andream Abbatem erat, cui poſt annos regiminis decem mortuo Ioannes anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo ſucceſſit. Amandus Blandinienſibus Monachis eandem ac Elnonenſibus Regulam præſcripſit, de qua Tomo ſuperiore dictum ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndequadrageſimum [b], nec itum in opinionem Coluenerij. Præthereà ne ſententiam quorumdam Auctorum videamur amplecti, qui duobus ſimul Monaſteriis, Vedaſtino videlicet ac Blandinienſi, Hattam Abbatem ſub exitum vitæ præficiunt, illum inficiamur *Gandaui* deceſſiſſe. De Hattæ Præfectura & morte fuſiùs ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-nonum locuti ſumus. In textu igitur, quem examinamus, quatuor de Hatta commemorantur, quæ procul abſunt à vero, quia nec *anno 690 conſtitutus eſt primus Abbas S. Vedaſti*, nec anteà *Religioſus* fuit *Sancti Benedicti*, nec *Abbas S. Amandi*, nec defunctus eſt *Gandaui.*

AN. CH. 705. CHILDEBERTI III. R. II.

[a] Num. 5. [b] Num. 9.

VII. Tertiò, Hadulphus in locum Hattæ Abbatis non fuit ſubrogatus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo, Hatta enim è viuis diſceſſit anno Chriſti vndeſeptingenteſimo, vt ſuo loco dictum eſt.

VIII. Quartò, Vindicianus nec *anno 691 conſecrauit Eccleſiam S. Amandi*, nec *mortuus eſt anno 712.* Elnonenſis enim Eccleſiæ, quam S. Amandus erexerat, dedicationi præſens interfuit anno ſecundo Theodorici Tertij Regîs, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto [c], vt ſuperiore Tomo dictum eſt ad illum annum, obiitque anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto, vt Ferreolus Locrius in ſuo Chronico iam aſſeruit ſupràque probauimus.

[c] Num. 3.

IX. Sanctus Vindicianus in cælum migrauit quinto Idus Martij, quo die coli ſolet in multis locis. Ei ſucceſſit in Epiſcopatum Hildebertus, ſiue Emebertus, fuit enim binominis, & ab Ableberto, qui poſt Bertoaldum ſedit, in Cameracenſium Epiſcoporum catalogo diſtingui debet. Hactenus Emebertum ab Ableberto & ab Hildeberto diuerſum nullus putauit, fatentur omnes Ablebertum aut Hildebertum binominem fuiſſe. Baldericus Bertoaldi ſucceſſorem Ablebertum & Emebertum promiſcuè fratrémque Sanctæ Gudilæ ſic vocauit. *Poſt Bertoaldum ſucceſſit B. Ablebertus, qui ita in catalogo Epiſcoporum nominatus, ab incolis verò & vicinis Emebertus dicebatur. Hic ex Bracbatenſi pago oriundus, parentibus ſiquidem & vita & generis dignitate clariſſimis, patre videlicet Witgero Comite, ſancto viro, atque Amalbergâ matre editus eſt. Cuius etiam quatuor ſorores fuerunt hæ, Reinildis, Sarachildis, Ermelindis, beatiſſima quoque Guodila, iunior ætate, ſed non minùs præſtantior ſanctitate.* Balderico plerique Neotericorum adſtipulati ſunt. At cùm Epiſcopus Cameracenſis, qui ſedebat eo tempore quo beata Gudila obiit, in eiuſdem Gudilæ vita, quam Hubertus Balderico antiquior ſcripſit, Gudilæ frater dicatur & Emebertus appelletur, non Ablebertus ſed Hildebertus binominis cenſeri debet, vt initio Tomi ſuperioris ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-tertium [d] iam obſeruauimus, cùm de morte Ableberti ſermonem faceremus. Huberti [e] textus, quorum auctoritate lis omnis dirimitur, tales ſunt. *Gudila virgo habuit ſorores ſanctitate famoſas, Reinildem atque Pharaeldem, germanúmque fratrem S. Emebertum Epiſcopum Cameracenſem.* Item, vbi narratio de ſepulchro Gudilæ nuper mortuæ violato inſtituitur, *hac famâ*,

SVCCESSOR EMEBERTVS BINOMINIS.

[d] Num. 9. [e] Ap. Bolland. d. 8 Ian.

Digitized by Google

AN. CH. 705. CHILDEBERTI III. R. 11.

inquit, *vbi vbi peruolitante, celeri nuntio delatum eſt ad aures S. Emeberti præſidentis Cameracenſi Cathedra, fratris, vt in primis diximus, S. Gudilæ.* Præſules igitur Atrebatenſes ac Cameracenſes hoc ordine recenſendi ſunt; Ableberus, Autbertus, Vindicianus, Hildebertus ſiue Emebertus.

X. WITGERI COMITIS ET S. AMELBERGÆ FILIVS. De Sanctæ Gudilæ parentibus, Witgero Comite & Amelberga ſiue Amalberga vel Amulberga dictum ſuprà. Vterque anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto, cùm Autbertus Epiſcopus Eccleſiam Cameracenſem regebat, ſeculo renuntiauit, Witgerus in Cœnobio Lobienſi Monachum induit, Amelberga Monialem in Monaſterio Melbodienſi. Witgero ſuperſtes vixit Amelberga, vitámque clauſit [a] poſt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, nec ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum peruenit.

[a] Vide an. 686. n. 18.

XI. FRATER SS. REINILDIS ET PHARAILDIS. Actum quoque ſuprà de ſororibus Sanctæ Gudilæ; quarum altera, nomine Reinildis, Martyrium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo conſummauit; altera nomine Pharaildis, Balderico Sarachildis, à Sancta Gertrude Abbatiſſa Niuellenſi cognata ſua ſanctè inſtituta, à teneris annis pietatem egregiè coluit, & in bonis operibus ad extremum vſque vitæ diem ſeriò perſeuerauit [b]. Tertiam, nomine Ermelindem, ſuperaddidit Baldericus, at ſtandum potiùs ab Huberto, qui vitam Sanctæ Gudilæ conſcripſit, eíque duas tantùm ſorores, Reinildem videlicet ac Pharaildem, ſuprà nominatas attribuit.

[b] Miræus d. 4 Ian.

XII. ET S. GVDILÆ. Gudila, de qua ſæpè iam locuti ſumus, vtrique ſorori ſuperſtes vixit. Multis miraculis inclaruit, de quibus Auctor vitæ conſulendus. Obiit ſub Emeberti fratris Pontificatu, vt dicemus infrà.

XIII. MADELBERTA ABBATISSA MALBODIENSIS OBIT. In eodem Epiſcopatu Cameracenſi vitam clauſit hoc anno Madelberta Malbodienſis Abbatiſſa, cùm per annos nouem Monaſterium piè gubernaſſet. Malbodij Leodiíque colitur Officio nouem Lectionum. Migrauit in cælum ſeptimo Idus Septembris. Lege ad illum diem Molanum cum Miræo & Fiſeno. Nec te moueat, quòd hic annum obitûs ponat à Chriſto nato ſexcenteſimum octogeſimum-quintum, & à nobis interuallo annorum viginti diſſideat, loquitur enim in eorum opinione, qui Sanctum Amandum Traiectenſem Epiſcopum ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſecundo defunctum, & Sanctam Aldegundem primam Monaſterij Malbodienſis Abbatiſſam anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto mortuam ſcribunt.

XIV. MVNIFICI ERGA MON. FONTANELL. Hoc anno, ſiue *anno vndecimo præfati Regis* Childeberti, Pippinus Maiordomûs *Walmonem villam, quæ ſita eſt in pago Belloacenſi, & Luciniacum in territorio Vilcaſinenſi, eidem delegauit Cænobio,* Fontanellenſi, *ſub die decimo Kalendarum Nouembrium*, vt teſtatur Chronographus Fontanellenſis [c]. Apud eundem Auctorem hæc paulò pòſt ſequuntur. *Anno vndecimo iam ſupraſcripto præfatus Exarchus dedit eidem Monaſterio villam, cuius vocabulum eſt Eccleſiola, ſitam in pago Ebroicino, Kalend. Martiarum die, Indictione* IV. *feriâ quartâ.* Non

[c] Cap. 2.

PIPPINVS. inficiamur villam, nomine Eccleſiolam, in pago Ebroicenſi, à Pippino Francorum Exarcho ſeu Maiore-domûs, hoc anno, Monaſterio Fontanellenſi traditam fuiſſe. Sed Indictionem quartam & feriam quartam expungendas arbitramur, quia Kalendæ Martiæ per Indictionem quartam, id eſt, per annum Chriſti ſeptingenteſimum ſextum, quo litera Dominicalis C currebat,

ET SICBALDVS. inciderunt in feriam ſecundam. Dedit & Monaſterio Fontanellenſi Sicbaldus vir diues villam Taunacum in pago *Tellau*, vt ſcribit idem Chronographus, nullo Charactere, præter annum Childeberti Regis vndecimum, appoſito.

XV. Iacobus Sirmondus in notis [d] ad Goffridum Vindocinenſem meminit Regij Diplomatis, quod Childebertus Tertius Monaſterio Sancti Sergij prope muros Andegauenſes ſito conceſſit. Præceptum illud magna ex parte publicauit in Antiquitatibus Andegauiæ Ioannes Hiretus, integrum tandem

[d] Lib. 4. ep. 8.

Digitized by Google

AN. CH. 705. CHILDEBERTI III. R. II.

dem ex ipſius Cœnobij Tabulario deſcripſerunt exhibuerúntque Sammarthani Tomo quarto Galliæ Chriſtianæ. Nullus ibi Character Chronologicus, excepto quòd Childebertus genitorem ſuum Theodoricum vocat, auum verò Clodoueum, itaut manifeſtè Childebertus Tertius appareat, cui pater fuit Theodoricus Tertius, auus Clodoueus Secundus qui prædictum Monaſterium Sancto Magnobodo tunc Andegauenſem Pontificatum gerente condidit, vt Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum [a] obſeruauimus.

[a] Num. 32.

XVI. PRÆCEPTVM REGIVM PRO MONAST. SS. SERGII ET BACCHI.

Childebertus Rex Francorum, Vir illuſtris, omnibus agentibus tam præſentibus quàm & futuris. Quicquid pro cæleſti amore, vel pro æterna retributione ad loca Sanctorum ab anteceſſoribus Principibus Parentibúſque noſtris fuerit indultum, ſi hoc noſtris oraculis affirmamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus. Igitur cognoſcat Magnitudo ſeu Vtilitas veſtra, quòd Venerabilis vir Theodebertus Abbas de Monaſterio, quod eſt in honore peculiaris Patroni noſtri S. Sergij & Domini Medardi Epiſcopi, in ſuburbio Andegauis vrbis conſtructum, ad noſtram acceſſit præſentiam, & Clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, quòd de curtibus prædictæ S. Baſilicæ, quæ nominantur Marentius, Siluiliacus, Taunucus, Pouiliacus, Senona & Geneſtonnus, annis ſingulis inferendam, ſolidos VI inferendales, & alios VI de remiſſaria auri pagenſis inferendo in fiſci ditiones reddebant, & tale beneficium bonæ memoriæ auus noſter Chlodoueus & genitor noſter Theodericus quondam Reges, per eorum auctoritatem ad ipſum Monaſterium ſuæ manûs ſubſcriptionibus pro mercedis eorum augmento conceſſerunt, vt nullus Iudex publicus in ipſas curtes ad agendum, nec ad freda exigendum, nec ad manſiones faciendum, nec ad cauſas audiendum, nec ad fideiuſſores tollendum, nec ad paſtos, nec ad paratas intrare, nec iudiciariâ poteſtate vllam redibitionem penitus exinde requirere, niſi quod inferendam ipſam idem Abbas per ſeipſum aut per Miſſos ſuos annis ſingulis in ſacellum publicum reddere deberet. Vnde & alias Præceptiones, ſeu & confirmationes à glorioſis parentibus noſtris anterioribus manibus eorum roboratas ſe præ manibus habere affirmat, per quas ipſum beneficium ab ipſis Principibus fuit indultum vel vſque nunc conſeruatum, ideóque pro firmitatis ſtudio petiit noſtram Celſitudinem, vt noſtra auctoritas circa ipſum Monaſterium vel eius Congregationem hoc denuò generaliter confirmare deberet, cui nos hanc petitionem pro reuerentia ipſius Sancti loci, ſicut vnicuique petenti nequiuimus denegare, ſed gratanti animo præſtitiſſe, & in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipimus enim, vt ſicut conſtat in reſpectu ipſius anterioris Præceptionis vel confirmationis, quòd ipſum beneficium vſque nunc de tam longo tempore, abſque vllo contradicente, ab ipſis Principibus inibi legaliter fuit conſeruatum, ita deinceps teneatur, vt neque vos, neque iuniores, aut ſucceſſores veſtri, nec vllus quilibet de iudiciaria poteſtate ad agendum, nec ad freda exigendum, nec ad manſiones faciendum, nec ad cauſas audiendum, nec ad fideiuſſores tollendum, nec ad vllas quaſlibet redibitiones ibidem penitus exactandum, ingredi audeat. Sed quodcumque pars fiſci noſtri exinde percipere aut exactari potuerat, nullus veſtrum hoc penitus requirere præſumat, niſi tantùm annis ſingulis ipſi ſolidi duodecim per ipſum Abbatem aut per Miſſum ſuum noſtris ærariis inferri debeant, vt dictum eſt, noſtris & futuris, Domino auxiliante; temporibus. Igitur cum Dei & noſtra gratia per inſpectas antedictas Præceptiones, ſicut vſque nunc ipſum beneficium ſemper fuerat conſeruatum, iubemus vt inanteà pro mercedis noſtræ intuitu in omnibus conſeruetur. Et vt hæc auctoritas pleniorem obtineat vigorem, vel vt ipſam Congregationem iugiter delectet pro ſtabilitate Regni noſtri Domini miſericordiam frequentiùs deprecari, manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus roborare. Childebertus Rex. Huc vſque Diploma.

XVII. ILLIVS MONAST. NVNCVPATIONES VARIÆ.

Quod Sanctorum Sergij & Bacchi Monaſterium frequentiùs appellari ſolet, in Præcepto ſuprà deſcripto Cœnobium dicitur *Sancti Sergij & Domini Medardi Epiſcopi*, nempe Sueſſionenſis, & in Diplomate Caroli Regis, quod apud eoſdem Sammarthanos legitur, vocatur *Abbatia S. Sergij, ſeu S. Godeberti Confeſſoris, cuius corpus ibi requieſcit*, id eſt, Sancti Godeberti Andega-

AN. CH. 705. CHILDEBERTI III. R. II.

uenſis Epiſcopi, qui Sancto Magnobodo in Epiſcopatum ſucceſſit, & vnà cum Sancto Agilberto proximo ſucceſſore colitur quarto Nonas Maias in prædicto Monaſterio, vbi Reliquiæ vtriuſque in capſa argentea incluſæ cuſtodiuntur.

XVIII. EPISCOPI ANDEGAVENS. Poſt Sanctum Agilbertum, cuius Pontificatus ad initium vſque octaui ſeculi peruenire potuit, in Andegauenſi Cathedra ſederunt, Gariacus ſeu Gariarius, Bozo ſeu Boſo, Calarchus ſeu Colatolus aut Collatobus, Benignus, Beatus ſeu Betus vel Botus, Epiſcopi ſolis nominibus noti.

XIX. ABBATES SS. SERGII ET BACCHI. De Abbatibus, qui per illa tempora Monaſterio Sanctorum Sergij & Bacchi præfuerunt, nihil etiam occurrit præter Abbatis Theodeberti profectionem ad aulam Childeberti Tertij Regis, vt ab eo Priuilegiorum à patre & auo conceſſorum confirmationem obtineret. Qua de re conſulendum ipſius Childeberti Diploma, quod ſuprà deſcripſimus.

XX. Ad hæc quoque tempora peruenire potuerunt Dulcidius Anicienſis Epiſcopus & Aulus Epiſcopus Viuarienſis, de quibus actum iam Tomo ſuperiori [a].

[a] Ad an. 652. nn. 73. 74.

XXI. EPISCOPI ANICIENSES. Anicienſem Eccleſiam poſt Dulcidium rexerunt Higelricus & Torpio, *de quibus*, inquit Chenutius, *paſſim ſilentium eſt, niſi in præfato Catalogo*, id eſt, in vulgari Epiſcoporum Anicienſium ſerie.

XXII. AVLI EP. VIVARIENSIS. Ioannes *Columbi* libro ſecundo [b] de rebus geſtis Epiſcoporum Viuarienſium varia refert fragmenta ex beati Auli vita, cuius Auctor nec cuias ille fuerit, nec quibus vixerit temporibus, nec quos habuerit parentes, tradit, eum tamen Viuarij nutritum fuiſſe docet his verbis. *Tu, beata Eccleſia Viuarienſis, nutriuiſti & meruiſti B. Aulum.* Hæc phraſis facit, vt rerum Viuarienſium Scriptor ſuprà memoratus arbitretur Aulum ex alia regione veniſſe Viuarium, & in eius Eccleſia Clericum egiſſe. Sic enim Viuarienſis Eccleſia rectè dicetur ſibi meruiſſe, quem alia ſeu regio ſeu ciuitas genuerit; nutriuiſſe verò, quem ſuos ritus ac mores docuerit habueritque Clericum ſeu Canonicum. Hanc opinionem non parum fulcit Auctor vitæ præcitatæ, cùm eundem Aulum filium Sancti Firmini, ante ipſum Epiſcopi, vocat. Illo enim loco innuit à Firmino Epiſcopo enutritum atque eruditum fuiſſe Aulum, qui poſt Sanctum Eucherium prædicti Sancti Firmini proximum ſucceſſorem in Cathedra Viuarienſi ſedit. Auli Pontificis virtutes ab eodem

[b] Nn. 17. 18.

VIRTVTES. vitæ Scriptore ſic enumerantur. *Docuit ſemper virtutes priſcorum Patrum, quotidie ieiunans, in vigiliis & orationibus perſeuerans, affligebat temporale corpus, vt mereretur accipere ſempiternum paradiſi habitaculum. Captiuis fuit redemptor, & valdè innumeros abſoluit à iugo ſeruitutis. Eccleſiæ munia multiplicauit & auxit. Pauperibus curam, viduis & orphanis egit tutelam, ſuſceptor peregrinorum, hoſpitium aduenis, blandus, mellifluus, miſericordiæ plenus, benignus, doctor.*

XXIII. MIRACVLA. Vt annus, ſic & dies ignoratur, quo beatus Aulus ad Deum migrauit. De Miraculis, quæ vel eius ſepulturam illuſtrarunt, vel poſteà facta ſunt ad ſepulchrum, ſic Auctor vitæ iam laudatus. *Dum ſacrum corpus ad ſepeliendum venerabiliter deportaretur, contigit vt inimicus humani generis aliquem de ſequentibus acciperet, & eum cum ſpuma in terra allideret. Sed eum cùm tunc fideles ſub feretro proſtrauiſſent, ſtatim in Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanus abſceſſit, & non eſt vlteriùs eum auſus Satanas tentare.* Et paulò pòſt. *Sepulto autem eo multæ hîc apparent virtutes ad ſepulchrum eius, multi cæci lumen conſequuntur, & dæmones ab obſeſſis corporibus deiiciuntur, non ſolùm autem hîc, ſed in quacumque villa, in eo loco vbi lectus eius fuit, homo febribus laborans venit,*

STOLA. *ſtatim ſanus abſcedit.* Veteres tabulæ tradunt ſtolam beati viri quondam fuiſſe in ſacrario Ædis San-Vincentianæ, inſcriptam verſibus opere plumario, per nobilem atque inſolitam ingenij vim. Ea cum corpore Sancti Auli ſeruata eſt inter Sanctorum exuuias ad annum vſque Chriſti milleſimum quingenteſimum ſexageſimum-tertium, quo Caluiniſtæ Viuario potiti Sanctorum Reliquias igni tradiderunt, vt ad illum annum, ſi Deus vitam conceſſerit, fuſiùs exponemus.

Digitized by Google

AN. CH. 705. CHILDEBERTI III. R. 11.

XXIV. Sanĉto Aulo ſoror extitit nomine Macedonia, quæ nupſit Alcimo. In Cathedralis Eccleſiæ Viuarienſis dotatione, quam libro primo [a] de rebus geſtis Epiſcoporum Viuarienſium deſcriptam ac notis illuſtratam reperies, idem Alcimus eiúſque coniux Macedonia munificos erga prædictam Baſilicam ſic ſe præbent. *Ego Alcimus & vxor mea Macedonia, quæ fuit ſoror S. Auli, dotauimus S. Vincentio, de Cuiſiniano, quod eſt conſtructum ſuper flumen Rhodani vſque ad Bauarias, & vſque ad riuum Oſonem, & Bello dimidium, & in Tricaſtenſis Inſula, quæ vocatur Argentarias, quæ eſt ad Burgogiates ſuperiorem. Iſta omnia tradimus Deo & S. Vincentio.* Alcimus & Macedonia coniuges Deo & Sancto Vincentio, id eſt, Eccleſiæ Cathedrali Viuarienſi, quæ Deo in honorem Sancti Vincentij dedicata eſt, dant tria, Cuiſinianum, Belli dimidium, Argentarias Inſulam. Cuiſinianum fuit caſtrum aut pagus, ab Oſone riuo vſque ad Bauarias habebat agrum ad ripam Rhodani. Argentarias Inſula dicitur eſſe in Tricaſtinis ad ſuperiorem Burgogiatem. Nomine Burgogiatis Ioannes *Columbi* Burgum intelligit Sancti Andeoli, quia Carolus Caluus ponit *Inſulam Argentariam iuxta S. Andeolum.*

[a] Nn. 21. & ſeqq.

SOROR MACEDONIA MVNIFICA ERGA ECCLESIAM VIVARIENSEM.

XXV. Hæc donatio poſt obitum Sancti Auli facta eſt, vt indicant hæc verba, *quæ fuit ſoror S. Auli.* Nam ſi ſuperſtite Aulo Epiſcopo fieret, eius ſoror Macedonia non fuiſſe ſed eſſe diceretur. Atque inde colligere eſt Cathedralis Eccleſiæ Viuarienſis dotationem, in qua donatio ſupradicta continetur, poſt felicem Sancti Auli ad cælos tranſitum collectam fuiſſe. Porrò de Seniore ſancto Aulo loquitur Albinus, vbi in illa dotatione Eccleſiam Sancti Auli extra ciuitatis muros poſitam dotat, vt copioſiùs dicemus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum, cùm ſingulas iſtius dotationis partes explicabimus.

XXVI. Sancto Aulo in Epiſcopatum Viuarienſem ſucceſſit Eumachius, de quo ſic Auctor vitæ in rebus geſtis [b] Epiſcoporum Viuarienſium. *Beatiſſimus Eumachius obediens præceptis Domini, quibus dixit, [vende omnia quæ poſſides & veni, ſequere me] & iſta quotidie voluens dereliquit omnia quæ habuit Eccleſiæ Viuarienſi, vnde pauperibus alimenta miniſtrans, ſecutus eſt Chriſtum, vir magnus, auctor & amator, congregatórque plebis ſanctæ.*

[b] Lib. 1. n. 19.

SVCCESSOR EVMACHIVS.

XXVII. Hoc anno ponitur apud Seuertium mors Landrici Meldenſis Epiſcopi, quem non tantùm Landricum, ſed & Lendicum vocant Demochares & Chenutius, Lendoinum Robertus, Lendricum Seuertius. Non deſunt, qui Marculfum Monachum Landrico Epiſcopo Meldenſi coætaneum ſcribant, duóſque formularum libros, quos *Landerico Papæ* Marculfus inſcripſit, Epiſcopo Meldenſi contendant inſcriptos fuiſſe, ſed Hieronymus Bignonius vir ingenio atque eruditione præſtantiſſimus, qui formulas illas in lucem primus edidit ac notis illuſtrauit, Landericum Papam, cuius iuſſu Marculfus opus ſuſcepit, interpretatus eſt Landericum Epiſcopum Pariſienſem, de quo multa Tomo ſuperiore ſub Clodoueo Secundo Rege diximus. Certè quæſtionem illam vel ipſa ſoluit nominum diſtinctio, nam Pariſienſis Epiſcopus vbique Landericus conſtantiſſimè nuncupatur, Meldenſis autem Epiſcopus diuerſiſſimè vocatur Landricus, Lendicus, Lendricus, Lendoinus, numquam verò Landericus. Ceterùm Landrico in Epiſcopatum Meldenſem ſucceſſit Edoldus ſiue Heldolus, aut Eldodus, qui ſedit annos circiter quinque.

LANDRICVS EP. MELDENS. OBIT. DISTINGVITVR A LANDERICO EP. PARISIENSI.

EDOLDVS SVCCEDIT.

XXVIII. Landricus Sonegienſis Abbas ad hæc tempora, ſiue ad annum ab obitu Sancti Vincentij patris duodetriceſimum, ab obitu Sanctæ Waldetrudis matris decimum-ſeptimum, peruenire potuit. Obiit Sonegiis *, ibíque colitur decimo-quinto Kalendas Maij, quo die hæc de illius Reliquiis ac feſto, déque Congregatione Sonegienſi ſcribit Molanus. *Corpus à fratribus ſæpè deportari ſolet ad villam Taxandriæ, Feleppam, quæ eleemoſynariâ diſtributione beato Vincentio eſt tradita. Quodam autem anno Aduocatus villæ ad proprios vſus rapuerat annonam, fratres ea de cauſa tulerunt Sanctum Landricum, vt hæreditatem paternam tueretur. Cùm itaque fortior armatus eò ſuperueniret, Dei vltio inuaſores*

* *Soigny.*

LANDRICVS ABB. SONEGIENSIS.

Digitized by Google

AN. CH. 705. CHILDEBERTI III. R. 11.

ſuam iniuſtitiam recognoſcere coegit. Ceterùm Sonegienſis Congregatio, primò fuit Monaſtica, deinde Canonica, tertiò Sanctimonialium, per quas ſic periit Eccleſiæ ſupellex, vt & Reliquiæ beati Landrici negligerentur, & Calendæ feſtiuitatis eius per aliquot annorum curricula obliuione tegerentur. Poſt diuerſas autem admonitiones de feſti negligentia, reuolutis Calendis, Nonis & Idibus, decimo-quinto Calendas Maij iuſti viri tranſitum repererunt. Deinde ſubiicitur annotatio, cuius hæc eſt poſtrema periodus de Feleppa & aliis villis, quæ Monaſterio Sonegienſi maximos olim prouentus pepererunt. *Felep olim hæreditaria Eccleſiæ Sancti Vincentij villa in Taxandria, item Dorne & Erp, nunc territorio Raueſteyn in Cliuia annumerantur, & refrigeſcente inter multos fide & charitate, parum emolumenti inde accipitur.*

XXIX. Ex Abbatibus, qui Sonegienſe Monaſterium ante vaſtationem Nortmannicam gubernarunt, duo duntaxat hodie noſcuntur, Sanctus Vincentius ipſius Cœnobij conditor, eiúſque filius ex legitimo toro ac ſucceſſor Sanctus Landricus. Ceterorum nomina perierunt. Id alia occaſione ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-tertium [a] Tomo ſuperiore iam obſeruauimus.

[a] Num. 27.

XXX. WERENFRIDUS PRESBYTER ET ADALBERTUS DIACONUS MORIUNTUR.

Michael Alfordus Martyrologio quodam Anglicano nixus in Annalibus Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ mortuos hoc anno refert Werenfridum Preſbyterum & Adelbertum Diaconum, quorum hic ſeptimo Kalendas Iulij colitur, ille decimo-nono Kalendas Septembris. Lege quæ de vtroque dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum [b], nihil enim hîc addendum habemus.

[b] Nu. 22. 23.

---

706. CHILDEBERTI III. R. 12.

ANNUS CHRISTI 706.

CHILDEBERTI III. R. 12.

I. AUTBERTUS EP. ABRINC. CONSTRUIT ECCLESIAM S. MICHAELIS IN PERICULO MARIS.

ANNUS Chriſti ſeptingenteſimus ſextus cum anno Childeberti Regis duodecimo componitur. Sigebertus ad illum annum Childeberti Regis duodecimum, quem malè cum anno Chriſti ſeptingenteſimo nono comparat, hæc habet. *Childeberto Monarchiam Regni Francorum tenente, Archangelus Michael apparens Autberto Abrincatenſi * Epiſcopo, monuit ſemel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiam ſui tumba vocatur, fundaret Eccleſiam in memoriam ſui, volentis talem venerationem exhiberi ſibi in pelago, qualis exhibetur ſibi in monte Gargano. Interim taurus à leone furtim raptus in illo loco religatur. Vnde Epiſcopus tertiò admonitus, vt illo in loco fundamentum iaceret, vbi taurum religatum inueniret, & ſicut eum terram pedibus protriuiſſe videret, ſic Eccleſiæ ambitum duceret, Eccleſiam in honore Sancti Michaelis conſtituit, & ex illo tempore ſicut in monte Gargano, ita etiam illo in loco, quod modò dicitur in periculo maris, veneratio Archangeli frequentari cœpit.* Hæc Apparitio Sancti Michaelis in additionibus ad Vſuardum & in Martyrologio Gallicano celebratur decimo-ſeptimo Kalendas Nouembris. Locus, vbi prædictus Epiſcopus Abrincenſis Eccleſiam conſtruxit, à poſteris dictus eſt Mons Sancti Michaelis in procella maris vel in periculo maris aut in tumba. Illic ante Sancti Michaelis apparitionem degebant Eremitæ, quibus Autbertus Epiſcopus poſt erectam Baſilicam duodecim ſtatim Canonicos ſubſtituit, vt diuinis officiis in beati Michaelis Archangeli memoriam vacarent. Quot annos abhinc idem Epiſcopus vixerit, haud produnt Hiſtoriæ. Colitur [c] decimo-quarto Kalendas Iulij.

* d'Auranche.

[c] Martyrol. Gallic.

Digitized by Google

AN. CH. 706. CHILDEBERTI III. R. 12. II.

PIPPINVS CONDIT MONAST. FLORIACVM.

Pippinus Maior-domus, hoc anno, Childeberti Regis duodecimo, vt iampridem Fraerico poſt pugnam Textricianam pollicitus fuerat, in pago Veliocaſſino Floriacum Monaſterium erexit, eique Bainum, qui Fontanellenſis Abbas iam erat, Abbatem præfecit. Id teſtantur Pippini literæ, quarum fragmentum Chronographus Fontanellenſis ita recitat [a]. *Vbi*, id eſt, in Floriaco Monaſterio, *conſtituimus virum ſtrenuum & Dei cultorem Domnum Bainum, ipſum Rectorem Monaſterij Fontinellenſis, eâ videlicet conditione, vt ex præfato Monaſterio Fontinella poſt receſſum eiuſdem Baini, ipſi Monachi in ipſo Floriaco Cœnobio conſiſtentes omni tempore rectores & gubernatores habeant, & ſub eorum ditione noſtris & futuris temporibus permaneant, & ſub noſtra ac hæredum noſtrorum defenſione ipſa loca perenniter tuenda conſiſtant. Actum eſt anno duodecimo, regnante Hildeberto Rege.* Hic textus, quia deſumptus eſt ex ipſa charta, quæ donationem Pippini complectitur, potiorem fidem meretur quàm narratio ab eodem Chronographo præmiſſa in hæc verba. *Sub huius* Baini *tempore præfatus Pippinus glorioſiſſimus Dux Floriacum Cœnobium vnà cum nobili coniuge ſua Plectrude ædificat, quod ſitum eſt in pago Veliocaſſino, anno nono Hiliberti, qui erat Exarchatûs ſui annus vigeſimus-tertius, Dominicæ autem Incarnationis ſeptingenteſimus octauus, ipſúmque Bainum rectorem ibi præfecit, plurimámque turbam Monachorum adunauit, ipſum autem Monaſterium huic Cœnobio*, nempe Fontanellenſi, *contradidit*. Pippinus affirmat conditum à ſe Floriacum Monaſterium anno Childeberti Regis duodecimo, quis Pippino de ſemetipſo ſcribenti Chronographum quamuis ſupparem anteponat? Ceterùm annus Chriſti ſeptingenteſimus octauus nec cum anno Childeberti nono aut duodecimo, nec cum anno Pippini Maioris-domûs XXIII conuenit. Annus enim XXIII Pippini Maioris-domûs illigatur anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo; annus nonus Childeberti Regis coincidit cum anno Chriſti ſeptingenteſimo tertio, Pippini Maioris-domûs XVI; & annus eiuſdem Childeberti Regis duodecimus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto, Pippini Maioris-domûs XIX comparatur. Haud etiam fide dignus videtur idem Chronographus, cùm ædificandi Floriaci Monaſterij hanc ait occaſionem Pippino fuiſſe. *Occaſioni autem ædificationis præfato Cœnobio idcirco fuit, quoniam iſdem Princeps per inuidorum conſulta admirabilem Anſbertum de ſede Rothomagenſis Eccleſiæ expulerat, atque ad exilium direxerat, in quo iſdem Agoniſta diuinus ad æternam migrauerat requiem. Cúmque præfatus Princeps multas ſanitatum virtutes audiret ab eo fieri, reminiſcens culparum ſuarum, ob eiuſdem militis Chriſti amorem ac reuerentiam, ſimúlque vt indulgentiam mereretur accipere, hoc Cœnobium ædificauit, vnáque cum omnibus rebus ſuis huic Cœnobio Fontinellæ perpetualiter tradidit poſſidendum.* Pippinus Floriacum Monaſterium conſtruxit, vt promiſſis ſtaret, locum enim ipſum eâ lege à Fraerico poſt pugnam Textricianam acceperat, vt idem Chronographus hiſce verbis teſtatur. *Dum Pipinus Princeps ſingularem Francorum Principatum obtinuiſſet, ſuperato Theoderico Rege & Berthario Maiore domûs, ſæpedictus Fraericus prædictum Floriacum eidem contradidit, eâ videlicet ratione, vt in maiori elegantia ipſum locum ſublimaret, ac Monachorum congregationem ibidem conſtitueret. Quod ita & factum eſt*, hoc certè anno, Childeberti Regis duodecimo, Chriſti ſeptingenteſimo ſexto. Tunc Plectrudis cum Pippino marito habitabat. Id Auctor Chronici Fontanellenſis bis aſſerit; primò cùm dicit Cœnobium Floriacum à Pippino & à Plectrude conſtructum fuiſſe, deinde cùm Pippinum ſimul ac Plectrudem, corúmque filios Drogonem & Grimoaldum, necnon nobiles viros Gripponem alióſque ſcribit præſentes hoc anno adfuiſſe, quando Floriacum Monaſterio Fontanellæ contraditum eſt. *Præfatus*, inquit, *Pipinus glorioſiſſimus Dux Floriacum Cœnobium vnà cum nobili coniuge ſua Plectrude ædificat, quod ſitum eſt in pago Veliocaſſino*. Et inferiùs. *Interfuit idem glorioſiſſimus Princeps, & nobilis coniunx eius Plectrudis; filiique eorum Drogo & Grimoldus; Grippo & alij plurimi nobiles viri*. Quin & hoc infrà rurſum confirma-

[a] Cap. 2.

AN. CH. 706. CHILDEBERTI III. R. 12.

bitur ex munificentia, quâ Pippinus & Plectrudis Epternacenſe Monaſterium hoc anno ditarunt. Interim res Fontanellenſes proſequamur. Monachi Fontanellenſes hoc eodem anno villam Fontanidum à Pippino Maioredomûs, & villam Greſſum à Iordane viro locuplete acceperunt. Vtriuſque donationis meminit idem Chronographus [a] Fontanellenſis. Prioris ſic. *Anno duodecimo eiuſdem Regis* Childeberti *præfatus Princeps Pipinus Fontanidum villam ipſi Cænobio largitus eſt.* Poſterioris ſic. *Anno duodecimo præfati Regis, Greſſus villam in pago Tellau Iordanis contulit.*

MVNIFICVS ERCA MONAST. FONTANELLENSE.

[a] Cap. 2.

III. ET EPTERNACENSE.

Hoc etiam anno, Childeberti Regis duodecimo, Pippinus, cùm Gaimundis eſſet, luculentas poſſeſſiones, quas Epternaci habebat, Willibrordo Epiſcopo Vltraiectino & Monaſterij Epternacenſis Abbati donauit ſecundùm hanc formam è Theodorico editam à Browero. *Ego in Dei nomine illuſtris vir Pippinus, filius Ansgiſi quondam, necnon illuſtris matrona mea Plectrudis, filia quondam Hugoberti, reputantes varios nobiſcum humanæ fragilitatis caſus, quò nimirum & præteritæ vitæ poſſimus abluere ſordes, & donante Domino ad æterna gaudia peruenire, donamus Monaſterio in loco, qui cognomentum gerit Epternacum, pagóque Bedenſi, ad Suram amnem extructo, cui virum ſtrenuum & Dei cultorem, Apoſtolicum Willibrordum Epiſcopum cum turba Monachorum impoſuimus, illud Epternaci dimidium, quod Theodhardus quondam Dux ibidem obtinuit, & poſteà filius eius Theodhardus nobis quondam tradidit, iis tamen facultatibus exceptis, quas Irmina in ipſo Epternaco poſſedit. Actum Gaimundis,* III *Idus Maias, Regni D. N. Childeberti anno* XII. *Pippinus & Plectrudis; item Childebertus, Bernarius, Charibaldus, Conſtantinus, Ioſephus, Winetharius ſubſcripſere.*

IV. Apud Trithemium in compendio Annalium legitur Regium Diploma *de fundatione Monaſterij Sancti Petri Apoſtoli in Erpfurdia*, datum hoc anno, *Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo ſexto.* In deſcribendo pſeudo-diplomate non ducimus immorandum, maximè cùm ipſemet Trithemius multas iam rationes attulerit ob quas commentitium habeatur. Monaſterium Erfordienſe Sancti Petri multò recentius eſt, deinde anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto nec Indictio nona conuenit, nec nomen Dagoberti Regis, nec præſentia Rigeberti ſeu Richberti Præſulis Moguntini. Commentitij ſunt igitur hi Characteres Chronologici. *In præſentia Rigeberti Epiſcopi. Signum inuictiſſimi Regis Francorum Dagoberti. Teſtes*, &c. *Moguntinus Epiſcopus Rigebertus. Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo ſexto, Indictione* IX. E tot erroribus hunc obſerua præcipuè, quod Sigeberti Moguntiacenſis Epiſcopi loco poſitus eſt Rigebertus. Inde enim factum putamus, vt ex duobus Moguntinis Epiſcopis, id eſt, ex Richberto & Sigeberto, qui ſucceſſiuè in Moguntiacenſi Cathedra ſederunt, vnus conflaretur Epiſcopus, qui promiſcuè Richbertus & Sigebertus appellaretur. Nam Richbertus, qui Lupoaldo ſucceſſit, in Rigbertum & Rigebertum abiit facillimè, iiſdémque temporibus Sigebertus in Actis Sanctæ Bilhildis occurrit & Rigebertus in præcitato pſeudo-diplomate. Sunt etiam inſititia, quæ de prædicti Monaſterij primordiis ad hunc annum apud Lambertum Schafnaburgenſem leguntur, vt hæc, quibus includuntur, in editione Ioannis Piſtorij declarant ſigna, [ ].

SIGEBERTVS EPISC. MOGVNT.

V. EPISCOPI CARNOTENSES.

Leobertus Carnotenſis Epiſcopus, quem vetus Codex apud Sammarthanos hoc anno ſediſſe tradit, obiit hoc eodem anno, cùm annos decem in Pontificatu tranſegiſſet, vt Demochares, Rolliardus, Chenutius & Seuertius affirmant. In vulgatis Catalogis ſequuntur Ado, Flauius, Godoſaldus, Hieronymus, tum Helias regnante Carolo Caluo, ſed hi pauciores numero videntur, quam vt ſeſquiſeculi ſpatium implere poſſint. Idcirco Magobertum, Sigoaldum, alióſque, de quibus hactenus ſiluimus, in hunc locum coniiciendos arbitrati ſumus. Leoberto igitur, quem Chenutius in Monaſterio Sancti Carauni ſepultum ait, ſucceſſit Magobertus. Illi autem Cœnobio tunc Abbas præerat Dionyſius Secundus.

Digitized by Google

AN. CH. 706. CHILDEBERTI III. R. 12.

VI. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto, quo mortem Leoberti Epiſcopi conſignamus, ad annum vſque Chriſti octingenteſimum quinquageſimumtertium, quo Burchardus Epiſcopatum ſuſcepit, effluxerunt anni centum quadraginta-ſeptem, quos prælaudati Nomenclatores in duodecim Pontificatus ita partiuntur. Annos tredecim Magoberto, Sigoaldo duodecim, Gauberto ſeu Godeberto decem, quatuor Deodato, duos Dronio ſeu Pronio, Berthegranno ſeptem, octo Haynio, vndecim Hadoni, Flauio quindecim, nouemdecim Godoſaldo, decem Hieronymo, Heliæ triginta-ſex aſſignant.

VII. CHILDEBERTVS R. MVNIFICVS ERGA MON. S. DIONYSII.

Childebertus hoc anno, Regni ſui duodecimo, Solemium villam Monaſterio Sancti Dionyſij contradidit. In Antiquitatibus San-Dionyſianis extat hoc donationis Diploma. *Childebertus Rex Francorum, vir inluſter. Se*[1] *alequid*[2] *ad loca Sanctorum vel Monaſteriorum, quæ pro opportunis locis Sanctorum pertinent*[3], *præſtamus vel concedemus*[4], *hoc nobis ad laudem & æternam retributionem in Dei nomene*[5] *profuturum conſidemus*[6]. *Igitur cognuſcat*[7] *magnetudo*[8] *vel vtiletas*[9] *tam præſentium quàm futurorum, quòd villa noſtra nuncopante*[10] *Solemio, quæ ponitur in pago Falmarcinſe ſuper fluuio Saue*[11] *vnà cum omne mercato, vel adiacentias ſuas, & quicquid fiſcus noſter tam de garantia quàm de merceria ibidem obtenuit*[12], *vel de qualebet*[13] *couſtuma ibidem poſſiduit, etiam & Oratorio illo ad Cruce, quin ſubiungit ab ipſo termino de ipſa villa Solemio, quæ eſt conſtructa in honore Sancti Martini, cum omnebus*[14] *ſuis quæ ibidem aſpiciunt, vbi Madalgiſelus ſeruus noſter cuſtos præeſſe veditur*[15], *id eſt, tam terris, domebus*[16], *ædeſiciis*[17], *acolabus, mancepiis*[18], *vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmue decurſebus*[19], *peculiis, præſediis*[20], *gregis & paſtorebus*[21], *farinariis, mouilebus*[22] *& immouelibus*[23] *dimus*[24], *& ad integrum, vt diximus, quicquid ad ipſa villa aſpicere veditur*[25], *& vſque nunc fiſcus noſter ibidem ſpectare potuit ad Baſilcca*[26] *Domni Dionyſij Marteris*[27], *vbi ipſe pretioſus Domnus in corpore requieſcit, & vbi venerabelis*[28] *vir Chilardus Abba præeſſe veditur*[29], *vt diximus, cum omni integritate ad ipſa villa pertenente*[30] *vel aſpiciente, plenâ & integrâ gratiâ in proprietario ſub immunetatis*[31] *nomene*[32] *cum omnes redibitiones ſibimet conceſſas ad opus ipſius Domni Dionyſij vel omni Congregationi ſiue ibidem conſiſtente*[33], *ſicut viſi fuimus conceſſiſſe. Adeò per præſente præceptione decernemus*[34] *vrdenandum*[35], *quod in perpetuum volemus eſſe manſurum, vt neque vos, neque iunioris*[36] *ſeu ſucceſſoris*[37] *veſtri, nec quilebet*[38] *de indiciaria poteſtate de prædicta villa Solemio, ſicut vſque nunc fiſcus noſter ſperare potuit ad parte prædictæ Baſilica Domni Dionyſij, nec ad agentis ſuis nullâ repulſione nec vllo impedimento exinde facere non præſumatis, ſed, vt diximus, ex noſtro munere largetatis*[39] *ipſa villa Solemius cum omnibus integretur vel ſolidetur vnà cum adiacentiis ad ſe pertinentis vel aſpicientis, vnáque cum ſuperſcripto Oratorio Sancti Martini ad Cruce, cum eo quod ibidem aſpecitur*[40] *pars ipſius Baſileca*[41] *Domni Dionyſij, vel omnis ipſa Congregatio omne*[42] *tempore ſub emunetatis*[43] *nomene*[44] *iure proprietario abſque cuiuſlebet*[45] *refragatione aut impedimento habeat, vt quæ conceſſa adque*[46] *indulta ad ipſa Baſileca*[47] *Domni Dionyſij Marteris*[48], *& futuris Deo auxiliante temporebus*[49] *proficiant in augmentis. Et vt hæc præceptio firmior ſit, manûs noſtræ ſubſcriptionibus*[50] *ſubter eam decernemus*[51] *roborare. Signum Childeberti Regis. Cancellarius Bralamo iubente Domno Rege ſubſcripſit. Datum Corſintiſce, Martij die 12, anno verò 12 Regni noſtri. Mamarctus in Dei nomene*[52] *recognouit feliciter. Amen.*

1 Si
2 aliquid
3 pertinent.
4 concedimus
5 nomine
6 confidimus.
7 cognoſcat
9 magnitudo
8 vtilitas
10 nuncupante
11 Sabi
12 obtinuit.
13 qualibet
14 omnibus
15 videtur.
16 domibus,
17 ædificiis.
18 mancipiis.
19 decurſibus.
20 præſidiis.
21 paſtoribus.
22 mobilibus
23 immobilibus
24 demus.
25 videtur.
26 Baſilica
27 Martyris.
28 venerabilis
29 videtur.
30 pertinente
31 immunitatis
32 nomine
33 conſiſtenti.
34 decernimus
35 ordinandum.
36 iuniores
37 ſucceſſores
38 quilibet
39 largitatis
40 aſpicitur
41 Baſilica
42 omni
43 emunitatis
44 nomine
45 cuiuſlibet
46 atque
47 Baſilica
48 Martyris.
49 temporibus
50 ſubſcriptionibus
51 decernimus
52 nomine

VIII. Iacobus *Doublet*, qui chartam illam in Antiquitatibus[a] San-Dionyſianis publicauit, Solemium in Hannonia collocat vocátque vernaculè *Soleſmes*. Franciſcus *Vinchant* eiuſdem donationis meminit in Annalibus[b] Hannonicis, & Solemium vernaculè *Solemmes* appellat. Miramur autem ex hiſce verbis præcitati Diplomatis, quæ ſitum Solemij declarant, *in pago Falmarcinſe ſuper fluuio Saue*, à Iacobo Doubleto confici locum ſiue oppidum Solemio vicinum cui vernaculum nomen *Falmarcinſe*, fluuiúmque

a Lib. 3. c. 4.
b Lib. 4. c. 52.

Digitized by Google

AN. CH. 706. CHILDEBERTI III. R. 12. cui nomen vernaculum *Saue*. Pagus Falmarcenſis ſeu Falmarcinſis, cuius meminit Childebertus in ſuo Diplomate, non alius eſt à pago Fanomartenſi, de quo conſule quæ Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-primum [a] dicta ſunt. Pagus Fanomartenſis nomen habuit à loco, quem veteres incolæ Fanum Martis nuncuparunt, hodierni *Famars* vocitant, & vt à Fano Martis Fanomartenſis appellatus eſt, ſic & à vernaculæ linguæ vocabulo *Famars* Famarcenſis & Falmarcenſis dici potuit. Erat pagi Fanomartenſis ditio ſatis ampla. Fanum enim Martis ſeu *Famars*, vnde pago nomen, primo lapide diſtat à Valentianis, quas ex eius ruinis ædificatas eſſe multi ſcribunt, & ad eundem pagum pertinebant Maricolæ *, quæ vix altero milliari à Landreciaco oppido diſtant, ſitæque ſunt ad Helpram fluuium, qui dexteram Sabis ripam infra Landreciacum ſubit. Quod ad amnem attinet, qui nominatur in Regio Diplomate, *Saue* pro *Sabi* ſcriptum videtur *b* in *u* & *i* in *e* commutatis, itaut Childebertus villam, quam Monaſterio Sancti Dionyſij prope Pariſios ſito largitus eſt, in pago Fanomartenſi ſeu Falmarcenſi vel Famarcenſi ad Sabim poſitam teſtetur. Aubertus Miræus partem prædicti Diplomatis in Notitia [b] Eccleſiarum Belgij recitauit, & Solemij ſitum, de quo ſic editio Doubletana, *in pago Falmarcinſe ſuper fluuio Saue*, ſic ex parte reſtituit, *in pago Fanomartinſe ſuper fluuio Saue*, poterat & reponere *ſuper fluuio Sabi*.

[a] Num. 2.
* *Maroilles.*
[b] Cap. 12.

IX. ODO MVNIFICVS ERGA MON. WOROMHOLT.

Hoc eodem anno, vt Meyerus in Annalibus [c] Flandriæ ſcribit, Odo vir illuſtris Winnoco Abbati Woromholtano villam ſuam ad mare ſitam, cui nomen *Weſterholt*, vnà *cum Dominico*, id eſt, cum Templo tradidit.

[c] Lib. 1.

---

707. CHILDEBERTI III. R. 13.

ANNVS CHRISTI 707.
CHILDEBERTI III. R. 13.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo Swibertus Epiſcopus relictis Boructuariis Coloniam venit. Hunc annum deſignat Marcellinus in vita Sancti Swiberti. Teſtatur enim Swibertum veniſſe [d] *ad Boructuarios, anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo quinto, & per biennium* [e] *inter eos* moratum eſſe, donec, exorto inter Boructuarios & Saxones bello, Boructuarij & præcipuè Chriſtiani, qui verbum Dei receperant, coacti migrauerunt in exteras prouincias, vt ibi liberiùs Chriſto ſeruirent. Deinde, quid conſilij Swibertus tunc ceperit, ſic explicat [f]. *Attendens Sanctus Swibertus glorioſus Pontifex gregem ſuum hac illácque diſperſum, & quòd nullum fructum nulláſque inducias inter vtraſque partes cum ſuis propter ſaxea Saxonum corda facere poſſet, exoranit aſſiduè Dominum, vt ei iam ſeni locum oſtenderet, vbi habitare deberet. Tandem Angelicâ reuelatione admonitus præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum ſuis condonarent. Igitur Sanctus Swibertus valefaciens Boructuariis, cum ſuis Presbyteris & Clericis ac nonnullis Chriſtianis, per ſqualida & deuia loca in magno diſcrimine ferocium Saxonum, Coloniam vſque, Deo comitante & dirigente vias ſuas, peruenit.* A Boructuariorum prouincia Coloniam vſque non multùm fuit itineris. Vicus enim *Ratingen*, in quo belli Saxones inter ac Boructuarios enati cauſa data eſt, ad prouinciam Boructuariorum pertinebat teſte eodem Marcellino [g]. Eſt autem *Ratingen* oppidulum hodierni Ducatûs * Montenſis haud longè à dextera Rheni ripa.

[d] Cap. 19.
[e] Cap. 21.
[f] Cap. 22.
SWIBERTVS RELICTIS BORVCTVARIIS VENIT COLONIAM.
[g] Cap. 22.
* *Le Duché de Bergues.*

II. In vulgatis Actis Sancti Suiberti proximè ſequitur [h] longa hæc ridiculáque interpolatio. *Erat autem eo tempore Sereniſſimus Pipinus Dux habitans in Ioppilia,*

[h] Capp. 22. 23.

Ioppilia, cum Alpaide pellice ſua. Plectrudis verò Dux eximia & deuota Princeps moram traxit Coloniæ Agrippinæ in Palatio Ducum Agrippinenſium & Lotharingorum, quod per eam mutatum & conſecratum eſt in clauſtrum Sanctimonialium, intitulatúrque Eccleſia glorioſæ Virginis Mariæ ad Capitolium. Cúmque ea audiuiſſet aduentum Sancti Swiberti, magnifici Præſulis, gauiſa eſt gaudio magno. Audierat enim multoties à pluribus celeberrimam ipſius opinionem, depoſitóque faſtu Regalis Excellentiæ, ipſum cum venerabili Patre Annone Archiepiſcopo Colonienſi honorificè & deuotè ſuſcepit, ſecúmque aliquot diebus detinuit, ac miro ſemper eum humilitatis affectu coluit, vt ab eo ſecretioribus colloquiis ſalutis verba mereretur audire. Eodem tempore quidam illuſtris Palatinus, Geraldus nomine, veniens Coloniam, miſſus per Pipinum ab Herſtallo ſiue Ioppilia ad Plectrudem cum decenti militia, ſtatim propter Borealem rigidum ventum incidit in grauem morbum inflationis gutturis, ídque adeò vt à nullo medicorum poſſet ei ſubueniri, quia nullam potionem recipere vel deglutire valuit. Cúmque omnes lamentarentur illum, deſperantes de vita ipſius, Plectrudis memor virtutum Sancti Swiberti Epiſcopi deuotiſſimè petiit ab eo, vt amore Ieſu Chriſti dignaretur viſitare nobilem Palatinum iam agonizantem, & ipſum Pontificali ſuâ benedictione ſanctificare, ac pro eo coram Omnipotenti Deo intercedere. Sanctus verò Swibertus, vt erat columbinæ ſimplicitatis & pudicæ naturæ, humiliter cum beato Willeico ſuo Presbytero & Duciſſa ipſum accedens, præmiſſâ deuotâ oratione, ſignauit guttur eius, & mox apoſtema illud diruptum omnibus cernentibus crepuit, & horribiliter per nares & per os effluxit tabes, venenoſa putredo. Et ſic expulſis illis noxiis humoribus, ſtatim ſanatus fuit. De quo omnes magnificè Deum laudabant, qui meritis ſui dilecti Antiſtitis talia operari dignatus eſt. Erat autem in eodem Palatio cocus quidam, qui obſeſſus à dæmonio multùm vexabatur quotidie ab eo, qui ad inſtantiam aulicorum viſitatus à Sancto Swiberto, mox à graui iugo diaboli liberatus fuit. Et deinceps omnes venerabantur Sanctum Swibertum, vt virum & Epiſcopum Sanctum, videntes gloriam Dei in ipſo. Igitur felix Plectrudis, religioſa Duciſſa, videns Sanctum Swibertum internæ mentis feruore ad cæleſtia ſuſpirare, licèt ſublimata culmine terreni Principatûs eſſet, & ſecum multos egregios prædicatores haberet, tamen ſpecialiter de cæleſti inquiſitione à Sancto Swiberto viro Dei ædificari cupiebat. Qui cùm eam de futuri Regni beatitudine, de Iudicij metu & ſpe æternitatis familiari colloquio præmoneret, illa eum libenter audiebat, verùm æſtimari non poteſt quanto Principis illius animus exultarit gaudio, quòd tanti viri præſentiâ gaudere, benedictione foueri, collocutione meruiſſet ædificari. Et ne ingrata illis beneficiis videretur, conſenſione & admiſſione venerabilis patris Annonis Archiepiſcopi Colonienſis, direxit Sanctum Swibertum Epiſcopum cum præfato Geraldo nobili Palatino de Ardenna, ſanato à peſte anginæ per eundem ſanctum Swibertum, cum literis commendatitiis ad illuſtrem Pipinum Principem, petens & poſtulans obnixè vt viro Dei Swiberto donaret vicum Werdam in inſula ſiue littore Rheni, vt gentili Saxonico populo illic cum ſuis prodeſſe & praeſſe poſſet. Pipinus verò ſenex prouectaque ætatis, honorificè Sanctum ſuſcipiens Swibertum cum ſuis, aliquanto tempore ſecum detinuit, vt verba vitæ ab eo audiret, eò quòd pridem à pleriſque multa laude digna audierat. Tandem vt hilaris dator, ſitiens æſtuanter conuerſionem gentilium, voléns que cultum diuinum augmentare, ex Regali munificentiâ benignè eundem vicum ei propter profectum & firmamentum ſuorum Principatuum donauit, addens & offerens ex copioſo theſauro ſuo aurum & argentum multum nimis, quibus Eccleſiam ſiue Monaſterium ibidem ad honorem Dei ædificaret, & populum barbaricum fidei Chriſtianæ prorſus ignarum verbo vitæ reficeret. Itaque vale dicto cum nimia deuotione & gratiarum actione Pipino Principi, ſanctus & benedictus Swibertus rediit Coloniam ad Sanctam Plectrudem, cuius potentiâ & induſtriâ cum multis laboratoribus & cæmentariis Werdam veniens, cœpit ſtatim prope Rhenum fundare Monaſterium in honore glorioſæ Virginis Mariæ, ibíque cum quanta humilitate, deuotione & reuerentia, rudi gentili populo euangelizauerit fidem Chriſti, & præcipuè cum quantâ puritate mentis & corporis & timore Miſſas celebrauerit ac diuina peregerit, difficulter poſſit explicari.

Digitized by Google

AN. CH. 707. CHILDEBERTI III. R. 13.

III. Mira ſanè hæc interpolatio. Suibertus Epiſcopus, cùm nullas inducias Saxones inter ac Boructuarios ſtatuere poſſit, Deum aſſiduè precatur vt ſibi iam ſeni locum demonſtret vbi habitare debeat. Angelico mandato recreatur, Coloniam Agrippinam ire præcipitur ad Pippinum eiúſque coniugem Plectrudem, qui locum aptum manſioni largientur. Cæleſtibus monitis obtemperat, Coloniam citiſſimè ſe confert. At Coloniæ ſolam reperit Plectrudem, audítque Pippinum *in Ioppilia* cum Alpaide degere. Quid prædictæ reuelationi magis contrarium excogitari poteſt? Textum denuò lege. *Attendens Sanctus Swibertus, glorioſus Pontifex, gregem ſuum hac illácque diſperſum, & quòd nullum fructum nulláſque inducias inter vtraſque partes cum ſuis propter ſaxea Saxonum corda facere poſſet, exoranit aſſiduè Dominum, vt ei iam ſeni locum oſtenderet, vbi habitare deberet. Tandem Angelicâ reuelatione admonitus, præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum ſuis condonarent. Igitur Sanctus Swib.rtus valefaciens Boructuariis cum ſuis Presbyteris & Clericis ac nonnullis Chriſtianis, per ſqualida & deuia loca in magno diſcrimine ferocium Saxonum Coloniam vſque, Deo comitante & dirigente vias ſuas, peruenit. Erat autem eo tempore Sereniſſimus Pipinus Dux in Ioppilia cum Alpaide pellice ſua, Plectrudis verò Dux eximia & deuota Princeps moram traxit Coloniæ Agrippinæ in Palatio Ducum Agrippinenſium & Lotharingorum.* Etſi reuelationem Angelicam, cui fides habenda, Marcellinus haud præmiſiſſet, Pippinum cum Alpaide tunc habitaſſe nequaquam crederemus. Pippinus à multis annis, vt oſtenſum eſt ſuprà, Plectrudem reuocarat, dimiſerátque Alpaidem, quæ Monaſticen ad obitum vſque deinceps in Orpienſi Cœnobio piè coluit.

IV. De Suiberti Epiſcopi profectione ad Pippinum & Plectrudem ſic Beda [a]. *Ipſe Antiſtes cum quibuſdam Pipinum petiit, qui interpellante Slichildedride* (Plectrudem ſic appellat) *coniuge ſua dedit ei locum manſionis in Inſula quadam Rheni, quæ linguâ eorum vocatur in littore.* Hic textus Bedæ ſatis declarat Pippinum & Plectrudem ſimul degiſſe, cùm Suibertus relictâ Boructuariorum regione Coloniam ad eos venit. Palatium, vbi manebant, in Hiſtoria Swibertina malè vocatur *Palatium Lotharingorum*, nomen enim Lotharingiæ ſeriùs in vſu eſſe cœpit. Perperam quoque confunduntur Iuppilia & Herſtallum, cùm hoc cis Moſam infra Leodium, illa trans idem flumen ſita ſit. Ceteris igitur omiſſis, id vnum aſſerimus de Suiberto Coloniam profecto, quòd à Pippino eiúſque vxore Plectrude vicum Werdam obtinuit, vbi Monaſterium ædificauit Annone tunc Epiſcopo Colonienſi, qui Giſoni nuperrimè in Pontificatum ſucceſſerat.

[a] Lib. 5. c. 12.

INCHOAT MONAST. WERDENSE.

V. Werda Inſulam linguâ Teutonicâ ſignificat, multáque cùm in Belgio tum in Germania ſunt oppida illo nomine inſignita. Werda, quam Pippinus & Plectrudis Suiberto conceſſerunt, poſteris temporibus, vt à ceteris diſtingueretur, dicta eſt Sancti Suiberti Inſula, hodie Cæſaris Inſula nuncupatur, vulgò *Keyſerſwert*. A Gelenio ſic deſcribitur. *Werda Rheno alluitur, illiúſque brachio cincta, inexpugnabilem loci naturâ, in inferiori Diœceſi Colonienſi arcem, atque oppidum inſigni Canonicorum Collegio, olim Monaſterio, clarum, ac diues reliquiis Sanctorum Suitberti & Willeici exhibet.* Illic Suibertus extruxit Monaſterium, quod ad obitum vſque rexit. Opus fuit multorum annorum, inchoatum videtur hoc anno, nec adhuc abſolutum erat, cùm Suibertus è vita diſceſſit, vt patebit infrà.

VI. Annales Nazariani, qui deſinunt in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, ſic incipiunt; *anno* DCCVII *Pippinus Senior regnare cœpit.* Henſchenius in Diatriba de tribus Dagobertis & in Obſeruationibus ad Acta Suibertina id de Pippino veriſſimum ait, *ob victoriam*, vt in prælaudata Diatriba [b] interpretatur, *de Ratbodo reportatam*, vel, vt diſtinctiùs in prædictis Obſeruationibus [c] exponit, *expulſo è citeriore Friſia Radbodo.* Vt opinionem ſuam tueatur, è Francorum Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta [d] textum hunc al-

[b] Lib. 3. c. 2.
[c] Num. 44.
[d] Cap. 101.

ANNALES NAZARIANI EMENDANTVR.

Digitized by Google

legat. *Pippinus contra Ratbodum Ducem gentilem Friſionum gentis aduersùs alterutrum bellum intulerunt, Caſtro Doreſtade, illic belligerantes inuicem. Pippinus victor extitit, fugatóque Ratbodo Duce cum Friſionibus, qui euaſerant, idem Pippinus cum multis ſpoliis & præda reuerſus eſt. Poſt hæc Drocus filius à valida febre correptus mortuus eſt.* Ex hoc enim textu inferendum putat pugnam, quam Pippinus ad Doreſtadum cum Radbodo conſeruit, initam eſſe hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo ſeptimo, ſiue anno proximo ante obitum Droci ſeu Drogonis, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo mortuum eſſe conſtat. Verùm Pippinus cum Radbodo Friſiorum Rege bis decertauit, ſemel regnante Theodorico Tertio, iterum regnante Childeberto Tertio, eiuſdem Theodorici filio. Bello vtroque ſuperior euaſit; vno Friſiam citeriorem ſubegit, Radbodo profligato atque trans Iſalam ſeu Fleuum ſummoto; altero Francis eandem Friſiam penitus aſſeruit, Radbodo, qui prouinciam illam recuperare conabatur, iterum deleto. De priore congreſſu, qui cadit in tempora Theodorici Regis, & à nobis ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndenonageſimum relatus eſt, loquitur Beda [a], cùm Pippinum laudat, quòd Willebrordum eiúſque comites, quos Egbertus ex Hybernia in Friſiam anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo direxit, in Franciam ad ſe diuertentes *gratanter* ſuſcepit, *& quia nuper citeriorem Friſiam, expulſo inde Radbedo Rege, ceperat, illò eos ad prædicandum miſit.* De poſteriore diſſidio, quod regnante iam Childeberto Theodorici filio contigit, ſermo fit in præcitata Francorum Hiſtoria & in Annalibus Metenſibus, nec ſiluimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum, quo Childebertus Tertius in Francorum Monarchiam Clodoueo fratri ſucceſſit. Anonymus, qui prælaudatam Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis conſcripſit, res geſtas ſub eodem Childeberto ſic exorſus eſt [b]. *Childebertus frater eius,* nempe Clodouei Tertij, *in Regnum reſedit. Drocus verò à Pippino genitore eruditus, Ducatum Campanenſem accepit. Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maiordomûs Palatij ſuper Francos electus eſt, fuítque vir mitiſſimus, omni bonitate & manſuetudine repletus, largus in eleemoſynis, in orationibus promptus. Pippinus contra Radbodum Ducem gentilem Friſionum gentis aduersùs alterutrum bellum intulerunt, Caſtro Doreſtate,* &c. vt ſuprà. Pugnam ad Doreſtadum regnante Childeberto commiſſam eſſe docet hic textus, ſed quonam Childeberti Regis anno non prodit. Auctor Annalium Metenſium mortem Theodorici Regis conſignat anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, deinde Clodoueum Theodorici filium ex hac vita ſublatum tradit, *dum quartum annum in Regno compleuiſſet*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſeptimo, atque ad illum eundem annum bellum Friſicum prælíumque Doreſtadenſe ſic deſcribit. *Anno ab Incarnatione Domini* DCXCVII *Pippinus Princeps duxit exercitum contra Friſiones, & Radbodem Ducem ipſorum immitem atque paganum, qui verba Principis Pippini ſæpè contempſerat, & fines Principatûs eius crebris inruptionibus vexabat. Adunato igitur exercitu, iuxta Caſtrum, quod dicitur Doreſtadum, caſtra metatus eſt. Cui occurrit cum valida manu, & pugna commiſſa eſt. Vbi Friſiones ſuperbâ manu Radbodi in aciem properantes, valida pugna commiſſa eſt. Vbi Friſiones magnâ clade percuſſi ſunt. Fugatóque Duce eorum Radbod, Pippinus victor extitit. Captis itaque innumerabilibus ſpoliis victor ad propria reuerſus eſt.* Tum hæc proximè ſubiungit. *Hinc annis ſingulis circumſitas gentes cum exercitu Pippinus fortiter proterit, & ſuæ ditioni ſubegit. Lapſíſque poſt hæc aliquibus annis, anno ab Incarnatione Domini* DCCVIII, *Drogo filius Pippini primogenitus defunctus eſt.* Tria ſunt apud hunc Auctorem notanda. Pugna Doreſtadenſis eodem initur anno, quo Childebertus poſt Clodouei fratris obitum Monarchiam Francorum ſuſcipit. Annus ille numeratur à Chriſto nato ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus. Inde ad Drogonis vſque mortem multi intercedunt anni. Poſtrema hæc obſeruatio vetat, ne bellum Friſicum in annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptimum cum

[a] Lib 5. c. 11.

[b] Capp. 101. 102.

Digitized by Google

AN. CH. 707. CHILDEBERTI III. R. 13.

Henſchenio reiiciamus. Illud bellum eodem quidem anno retulimus quo Childebertus Regno potiri cœpit, ſed id aſſeruimus contigiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto. Si qui legitur in Annalibus Metenſibus, is iure ſeruandus eſſet annus Chriſti ſexcenteſimus nonageſimus-ſeptimus, Annales Nazariani, quos examinamus, ad opinionem Henſchenij facilè accommodarentur inſerto Charactere x, vt anni DCCVII loco legeretur annus DCXCVII. At Pippinus, vt ex Beda probauimus, citeriorem Friſiam ante annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum in Francorum poteſtatem redegit, & anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo, vt ſuo loco demonſtrauimus, Maior-domûs per vniuerſam Franciam, ſiue, vt recentiores loquuntur, Princeps Francorum dictus eſt. Quapropter in Annalibus Nazarianis, vt annus habeatur, quo Pippinus *regnare*, ſeu Maioratum vniuerſæ Franciæ, vel, vt poſteri dixerunt, Principatum Francorum obtinere *cæpit*, duplex neceſſe eſt interſeratur x, & anni DCCVII loco reponatur annus DCXXCVII.

VII. S. BERLENDIS ELEVATVR. [a] Ap. Bolland. d. 3. Febr.

Cùm Reliquiæ Sanctæ Berlendis in ſarcophago ligneo per annos ſeptem iam quieuiſſent, illum amici viciníque refoderunt, vt ſi poſſent, ligneus cùm eſſet, lapideum ſubſtituerent, ſed diuinâ virtute lignum in lapidem mutatum repererunt. Qua de re ſic Auctor vitæ [a]. *Placuit poſt ſeptennium amicis & vicinis eius ſarcophagum videre, &, ſi poſſent, in melius ad eius honorem mutare. In quo loco mira res & inuſitatum miraculum humaníſque auribus inauditum euenit. Nam cùm eundem ſarcophagum, in quo ſancta virgo iacebat, de terra eiicerent, cùm priùs ligneus fuiſſet, lapideus inuentus eſt. Huius rei notitia cùm per hanc regionem diuulgaretur, omniúmque animos ad laudem Dei & Sanctæ Berlendis extolleret, quædam mulier ex vicinia incredula permanens, atque hoc mendacium eſſe affirmans, ad videndum malè credula venit. Sed mox vt ſarcophagum vidit, à dæmone arrepta, ad terram cecidit. Quæ per triduum exanimis, non audiens, neque videns, ibi iacuit, donec virgo ſacratiſſima, aſtantium precibus pulſata, priſtinæ ſaluti eam reſtituit. Quibus miraculis tam iucundis támque mirificis omnis regio permota, gaudens accurrit, & in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, Sanctæque Berlendis virginis, Eccleſiam, in qua nunc requieſcit, fabricauit.*

VIII. PIPPINVS MVNIFICVS ERGA MONAST. FONTANELLENSE.

Res, quas Monaſterio Fontanellenſi Pippinus Maior-domûs Francorum hoc anno contulit, ita commemorat Anonymus, qui Chronicon eiuſdem Cœnobij conſcripſit. *Anno decimo-tertio præfati Regis* Childeberti *contulit ipſi Cœnobio* Fontanellæ *idem inclytus Dux* Pippinus *villam, cuius eſt vocabulum Mala, ſitam in pago Madriacenſi, die* XV *Kalend. Auguſti, feriâ quintâ, Indictione ſextâ. Eodem anno præfatus glorioſiſſimus Dux Gamapium villam, quæ ſita eſt in pago Vilcaſino, contradidit ipſo die Idus Aprilis, feriâ quintâ, Indictione ſextâ.* Vtramque illam donationem hoc anno conſignamus, quia Characterem probamus petitum à Principatu Childeberti, nec vllam Indictionis aut feriæ rationem habemus, Characteres enim quos Anonymus à feria & ab Indictione pro lubitu deſumpſit, ad rectam Chronologiam reuocari non poſſunt. Genuinus eſt Character qui præfigit annum Childeberti Regis, ceteri ſunt additi, nec inter ſe benè cohærent. Præcipuus capitur ab Indictione ſexta, quæ per menſes Aprilem & Iulium cum anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo coincidit. Illo autem anno biſſextili, qui literis Dominicalibus A & G præditus fuit, Idus Apriles inciderunt in feriam ſextam, & dies decimus-quintus ante Kalendas Auguſtas in feriam quartam. Quis non miretur vtrumque diem, Idus videlicet Aprilis & diem decimum-quintum ante Kalendas Auguſtas eidem feriæ, quintæ ſcilicet, illigari, cùm duo illi dies diuerſis literis in Kalendario deſignentur, prior notetur literâ E, poſterior literâ C? Expunctis igitur feriâ quintâ & Indictione ſextâ præcitatum textum ita reſtitue. *Anno decimo-tertio præfati Regis contulit ipſi Cœnobio idem inclytus Dux villam, cuius eſt vocabulum Mala, ſitam in pago Madriacenſi, die* XV *Kalend. Auguſti. Eodem anno præfatus glorioſiſſimus Dux Gamapium*

Digitized by Google

villam, quæ ſita eſt in pago Vilcaſino, contradidit ipſo die Idus Aprilis. AN. CH. 707. CHILDEBERTI III. R. 13.

IX. ABBATES BLANDINIENSES.

Si Chronologiam Abbatum Blandinienſium ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum benè aſſecuti ſumus, his circiter temporibus obiit Ferrecus Abbas, eique ſucceſſit Cæleſtinus, genere Scotus, de quo plura poſt annos duodecim. Antonius Sanderus libro tertio [a] rerum Gandauenſium & in Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ, Ferreco Hattam ſubrogat, eíque ex Chronici Blandinienſis additamento quinquennem Præfecturam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duoſexageſimum in prædicto Auctario ſic attribuit. *Rexit Hatta Abbas Cœnobium hoc*, nempe Blandinium, *annis quinque; itaque anno 758 humanæ naturæ debitum perſoluit. Ita additamentum Chronici Bland.* At Hatta nec illo tempore floruit, nec Abbas fuit Blandinienſis, ſed ex Monacho Blandinienſi factus eſt primus Abbas Vedaſtinus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto, vitamque clauſit anno regiminis ſui decimo-quinto, poſt Chriſtum natum vndeſeptingenteſimo. Ceterùm de Ferreco Abbate id vnum à Sandero ex Chronico Blandinienſi refertur, quòd *multæ deuotæ perſonæ tradiderunt bona ſua Monaſterio ſub iſto Abbate.*

[a] Cap. 3.

X. Quartus hic annus agitur, ex quo Lugdunum Româ reuerſus eſt Bonitus, qui ſponte Pontificatum Aruernenſem priùs abdicarat. Vitam vlteriùs haud produxit, de illo enim ſic Auctor vitæ coætaneus [b]. *Cùm poſt hæc Lugdunum rediens, bis binos annos ibidem demoratus fuiſſet, bonum, quod ſemper egerat, Deo iuuante, ad finem vſque perducens, diem clauſit extremum.*

[b] Ap. Bolland. d. 15. Ian.

XI. BONITVS NORDOBERTVM EPISC. ARVERN. CVM ÆMVLO RECONCILIAT.

In Aruernenſi Cathedra tunc ſedebat Nordobertus Epiſcopus, cui Bonitus morti proximus æmulum reconciliauit. Hanc enim periodum, quæ proximè ſequitur, apud prælaudatum vitæ Scriptorem ſic interpretamur. *Beatus Bonitus, dum obitûs ſui per reuelationem imminere iam cerneret diem, cum ſibi ſucceſſore atque æmulo pacis vincula nectit.* Surius [c], cùm antiquum illum Auctorem paraphraſticè redderet, ab eius mente plurimùm receſſit, æmulationem enim ſiue inuidiam vel inimicitiam, quam Bonitus inter Nordobertum Epiſcopum & æmulum eiuſdem Nordoberti ſopiuit, inter ipſummet Bonitum & prædictum Nordobertum fuiſſe ſic finxit. *Cùm obitûs ſui diem ex diuinâ reuelatione iam impendere cognoſceret, cum ſucceſſore ſuo, & quidem æmulo, pacem fecit.* A Surio deceptus fuit Sauſſaius [d], illo enim loci de Sancto Bonito ſic ſcripſit. *Cùm vir ſanctus obitûs ſui diem ex diuina reuelatione ſibi impendere cognouiſſet, euocato ſuo ſucceſſore, iámque æmulo, eum in oſculo pacis complexus eſt.*

[c] d. 15. Ian.

[d] d. 15. Ian.

XII. MORITVR.

Nordoberti Epiſcopi cum eius æmulo reconciliatione per Bonitum factâ, *non poſt multos dies*, idem Bonitus, vt Auctor coætaneus in eius vita ſubiungit, *lectulo detentus, quam Græco vocabulo podagram vocant, ingraueſcente moleſtiâ, ad extremum vſque peruenit. Nam ſacer Epiſcopus ad cæleſtia anhelans, antequàm beatum carperet iter, feneſtram cellulæ, in qua quieſcebat, reſerari præcepit, & ſolito oculos imbris rore perfundens, Pſalmum, qui eâ horâ iuxta morem canendus erat, incepit. Sícque ſancta illa anima carne ſoluta, cæleſte læta penetrauit arcanum.*

XIII. CLARET MIRACVLIS.

Sanctus Bonitus obiit maior octogenario. Colitur in Tabulis Eccleſiaſticis decimo-octauo Kalendas Februarij. Variis nominibus appellatur, Bonitus, Bonitius, Bonus, Bonifacius & Euſebius. *Cùm eum ad ſepeliendum iuxta morem deferrent, & quidam paralyticus aduenîſſet, ſacrúmque corpus ſuper agrum tranſîſſet, ſalutem corporis redintegrari meruit.* Hæc Auctor vitæ multoties iam citatus, qui & paulò pòſt innuit electum ſepulturæ locum in Eccleſia Sancti Petri, meminítque Cœnobij puellaris ac Didæ Abbatiſſæ, itaut dubium eſſe non poſſit, quin illa Eccleſia pertinuerit ad puellare Sancti Petri Monaſterium, quod Sanctus Annemundus Lugdunenſis olim Epiſcopus regnante Clodoueo Secundo condiderat, vt dictum eſt Tomo ſuperiori.

XIV. ABBO EP. METENSIS OBIT.

Hoc etiam anno, Abbo Metenſis Epiſcopus, cùm Diœceſim annis decem,

Digitized by Google

AN. CH. 707. CHILDEBERTI III. R. 13.

[a] In Epiſc. Metenſ. 33.

SVCCEDIT APTATVS.

menſe vno, diebus ſex ac viginti ſtrenuè gubernaſſet, ex hac vita migrauit decimo-ſeptimo-Kalendas Maij, vt Codex Sancti Symphoriani Metenſis à Marco Antonio *Dominicy* in Anſberti familia rediuiua publicatus teſtatur, eodémque die in Martyrologio Metenſi, quod Madaurenſis Epiſcopus allegat [a], hæc leguntur, *Metis, Sancti Abbonis Epiſcopi*, vnde corrigas Sauſſaium, qui Martyrologio Gallicano Sanctum Abbonem inſcripſit die decimo-ſeptimo Kalendas Iunij. Succeſſit in Epiſcopatum Aptatus menſe Nouembri; nam præter annos ſeptem completos ſedit menſes duos, obiítque duodecimo Kalendas Februarij, teſte prælaudato Codice.

AVSTRVDIS ABBATISSA LAVDVNENSIS OBIT.

SVCCEDIT ADALSINDA.

XV. Obiit etiam hoc circiter anno Auſtrudis Abbatiſſa, quæ Monaſterio Deiparæ Virgini ſacro apud Laudunum præerat. Virtutibus & miraculis in vita & poſt mortem claruit. Colitur decimo-ſexto Kalendas Nouembris. Ei ſucceſſit Adalſinda, cuius mentio fit in manuſcripta eiuſdem Auſtrudis vita, quam Lucas Dacherius in nonnullarum illius loci Abbatiſſarum Nomenclatura notis & obſeruationibus ad Guibertum Abbatem beatæ Mariæ de Nouigento adiecta laudat. Lege iſtum Indicem Abbatiſſarum Laudunenſium cum Martyrologiis Gallicano & Benedictino.

[b] Nu. 19. & ſeqq.

[c] Num. 8.

EPISCOPI VIENNENSES.

XVI. Deceſſit & hoc circiter anno Blidramnus ſeu Blidianus Epiſcopus Viennenſis, de quo locuti ſumus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium. Illius memoria in Breuiario Viennenſi celebris eſt vndecimo Kalendas Februarij. Lege quæ de variis Epiſcoporum Viennenſium Catalogis Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum [b] dicta ſunt. Sancto Blidiano Agratum ſubrogandum probauimus, de quo ſic Ioannes Boſcius in Antiquitatibus Viennenſibus [c]. *Suffectus eſt B. Blidiano Sanctus Agratus Viennenſis Pontifex, qui imperante Leone atque Francos Childeberto per ſtrenuum Grimoaldum regente vixit. Cuius tempore Anaſtaſius Imperator à Tyberio captus, ac ſacramento adſtrictus, Clero nomen dedit. Deceſſit* II. *Idus Octobr.* Illo die, in Supplemento Martyrologij Gallicani, *Viennæ Allobrogum* memoria recolitur *Sanctorum Epiſcoporum Agrati & Caſturi incertæ Sedis Antiſtitum, ac conſpicuæ ſanctitatis Confeſſorum.* Sed Agrati Sedes haberi non debet incerta, ſedit enim Agratus in Cathedra Viennenſi, locúmque in Antiſtitum Viennenſium Catalogo inter Sanctos Blidianum & Eoldum meritò ſibi vendicat. Eccleſiam Viennenſem rexit Blidianus ſub Regibus Clodoueo Secundo & Childeberto Tertio; Eoldus Epiſcopus iam erat anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, cùm Saxones in regionem Hattuariorum irruperunt, vt obſeruabimus ad illum annum, quo Dagobertus Rex illius nominis Tertius, vitam clauſit. Atque inde colligimus Agrati Pontificatum vt in poſteriores annos Childeberti Tertij Regis, ſic & in priores annos Dagoberti Tertij Regis incidiſſe. Fallitur autem Boſcius, cùm ait Agrati Pontificatum in illud incidiſſe tempus, quo purpuram depoſuit Anaſtaſius, induit Leo, priùs enim quàm Anaſtaſius Imperium abdicaret, Eoldus Agrato in Epiſcopatum Viennenſem ſucceſſit, & Anaſtaſio exauctorato non ſtatim ſuffectus eſt Leo, ſed Theodoſius, cui Leo poſteà ſubrogatus eſt. Alio loco Chronologiam illorum Imperatorum examinabimus, interim textum Boſcij ſuprà deſcriptum ſic corrige. *Suffectus eſt B. Blidiano Sanctus Agratus Viennenſis Pontifex, qui Francos Childeberto & Dagoberto per ſtrenuum Grimoaldum regentibus vixit. Deceſſit* II. *Idus Octobr.* Vixit Grimoaldus Maior-domûs ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum, nec vltra illum annum ſuperſtes in viuis fuit Agratus Epiſcopus.

GREGORII ORTVS AC GENVS.

XVII. Gregorius, qui Pontificatum Vltraiectinum poſteà geſſit, hoc anno lucis vſuram accepit. Vixit enim annos ſeptuaginta, vitámque clauſit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, vt ſuo loco probabimus. Natus eſt patre Albrico, cuius mater Adela ſiue Addula, Dagoberti Secundi Regis filia, Monaſterio Palatiolenſi prope Treuirim poſt mariti mortem à ſe condito tunc præerat. Multos habuit fratres, alios germanos, alios vteri-

Digitized by Google

nos, hóſque natu minores. Sic enim in illius vita ſcribit beatus Ludgerus. AN. CH.
Fuerunt ei fratres nobiles & eximij de patre generati, & de matre eius nati alij fratres, & tempore & viribus ſecundùm ſeculi dignitatem minores. Atque inde obſerua Gregorium, cùm pueritiam adhuc ageret, orbatum eſſe patre Albrico. Huius Albrici mentio fit in Teſtamento Adelæ, quod ad annum duodecimum Theodorici Quarti Regis deſcripturi ſumus. 707. CHILDEBERTI III. R. 13.

---

708. CHILDEBERTI III. R. 14.

ANNVS CHRISTI 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

ANDREAS Ducheſnius inter rerum Francicarum Scriptores Tomo ſecundo tres edidit breuium Annalium Auctores Anonymos, quorum antiquiſſimus res geſtas ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo, vel potiùs, vt reſtituendum diximus, ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimoſeptimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum complectitur; duo alij ducunt initium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, deſinúntque prior in anno Chriſti octingenteſimo, poſterior in anno Chriſti octingenteſimo octauo. Primus prodiit è Monaſterio Sancti Nazarij iuxta Rhenum, alter ex Bibliothecis Ioannis Tilij & Alexandri Petauij, poſtremus ex Bibliotheca Ioannis Tilij. Locorum autem, vnde Annales huiuſcemodi ſuppeditati ſunt, habitâ ratione, alios Nazarianos, alios Petauianos, nouiſſimos verò Tilianos appellabimus, cùm citandi occurrent. Franciſcus Ducheſnius Andreæ filius poſt patris obitum inter Auctores Hiſtoriæ Francicæ, quos Tomo tertio publicauit, à mundi exordio euulgauit duo perbreuia Chronica, Sandionyſianum & Moſſiacenſe, quorum alterum vſque ad annum Chriſti octingenteſimum decimum, alterum verò vſque ad annum Chriſti octingenteſimum duodeuiceſimum protenditur. His etiam opuſculis frequenter vſuri ſumus. I.

II. DROGONIS OBITVS.

Ac primùm, vt ab anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, ſiue ab initio Annalium Petauianorum & Tilianorum incipiamus, quatuor ex Anonymis Scriptoribus ſuprà laudatis, mortem Drogonis, qui Pippini Herſtallij & Plectrudis primogenitus filius fuit, collocant illo anno, deinde Auctores Annalium Petauianorum & Chronici Sandionyſiani, ceteris ea in parte auctiores, anni tempeſtatem, vernam ſcilicet, ſubiiciunt. In Annalibus Nazarianis hæc leguntur. *An.* DCCVIII. *Drogo mortuus.* In Tilianis. *Anno* DCCVIII. *Quando Drogo mortuus eſt.* In Petauianis. *Anno* DCCVIII. *Quando Drogo mortuus fuit tempore vernis.* In Chronico Sandionyſiano. DCCVIII. *Quando Drogo mortuus fuit in vernale tempore.* Auctor Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ paulò copioſiùs agit de Droci ſeu Drogonis obitu. *Drocus*, inquit [a], *filius Pippini à valida febre correptus mortuus eſt, & ſepultus in Baſilica Beati Arnulfi Confeſſoris, in Mettis vrbe.* [a] Cap. 101.

III. VXOR.

De Drogonis vxore, prole ac ſucceſſore ſic Monachus Metenſis [b]. *Labentibus annorum curriculis, ſubiectis domitiſque vicinis nationibus, Francorum imperium Pippinus mirifico ordine diſponebat. Igitur Drogonem primogenitum ſuum Ducem poſuit Burgundionum, tradens ſibi vxorem Auſtrudem filiam Warattonis quondam illuſtris Maioris-domûs, derelictam Bertarij, qui de Textriciaco prælio, vt ſuperiùs retulimus, aufugerat, nec multò pòſt à ſuis interfectus interierat. Hæc Drogoni peperit filium, quem vocauit Hugonem. Hunc religioſa & ſtrenua matrona Anſfredis auia ſua, relicta vxor ſiquidem Warattonis, ad nutriendum ſuſceperat. Hæc igitur prudentiæ & prouida induſtria ſpiritu plena, animum pueri cotti-* [b] Ad an. 691.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

dianis ammonitionibus corroborabat, vt ſeſe cum omnibus, quæ habebat, Dei ſeruitio manciparet. Vnde factum eſt, vt ſacrarum litterarum ſtudio imbutus, cunctos ſuos ſapientiâ & religione anteiret, ſecundúmque ſanctam ſuggeſtionem præclaræ nutricis ſuæ cœpit terrena cuncta deſpicere, & ad regna cæleſtia viriliter anhelare. Et inferiùs [a]. *Drogo filius Pippini primogenitus defunctus eſt, & ſepultus eſt iuxta Mettenſem vrbem in Baſilica Beati Arnulfi Confeſſoris. Cui in Principatum germanus eius Pippino genitore ſuo ordinante ſucceſſit.* At Drogo non Burgundiæ vt hic Annaliſta ſcribit, ſed Campaniæ ad Auſtriam pertinentis Ducatum accepit. Auctor Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ narrationem rerum in Francia ſub Childeberto Rege geſtarum ſic orditur [b]. *Drocus à Pippino genitore eruditus Ducatum Campanenſem accepit. Grimoaldus iunior cum Childeberto Rege Maiordomûs Palatij ſuper Francos*, id eſt, ſuper Neuſtraſios, *electus eſt.* Et in Geſtis [c] Regum Francorum hæc leguntur. *Drocus Ducatum Campaniæ accepit.* Dubium non eſt, quin Francorum nomine Neuſtraſij deſignentur in textu ſuprà citato ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta. Ceterùm duobus Regnis Neuſtriæ ac Burgundiæ, quæ ſimul vnita erant, à longo tempore vnus idémque Maiordomûs præfici conſueuerat. Maioratus igitur Regni Burgundici penes Grimoaldum fuit, nec vllo in Burgundia Magiſtratu potitus eſt vnquam Drogo. Quonam autem tempore hic vxorem duxerit, quótue filios ex ea ſuſceperit, haud ita facile eſt indicare.

[a] Ad an. 708.
[b] Cap. 101.
[c] Cap. 48.

IV. Poſt pugnam Textricianam, quam Monachus Metenſis anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, nos anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo conſignauimus, à ſuis interemptus eſt Bertarius, cuius vxor quam Chronographus Fontanellenſis Adeltrudem, Monachus Metenſis Auſtrudem vocat, nupſit poſteà Drogoni. Neoterici natos volunt ex eo coniugio quatuor filios, Arnulphum, Hugonem, Pippinum & Godefridum. Innituntur quibuſdam chartis, quas in Archiuo Metenſi dicunt aſſeruari. Singulas recitabimus examinabimúſque.

V. CHARTÆ COMMENTITIÆ EXPLODVNTVR.

Prima eſt Arnulphi Ducis. *Ego Arnulphus Dux, poſt patrem meum Drogonem, villam meam Creanto concedo, poſt mortem patris mei Drogonis, & ſic fiat ſecundùm iſtam literam quæ ſic deſcribitur. Sagaciter antiquorum ſolertiá vtiliter ſatis prouiſum eſt, poſterorum memoriæ literis mandare, ſi quis ſibi & animæ ſuæ conſulens aliquid Eccleſiæ Dei de rebus ſuis propriis vel ante mortem vel in ipſa morte contulerit. Quapropter nouerit futura ætas, quia ego Arnulphus gratiá Dei, poſt genitorem meum Drogonem, dono aui mei glorioſi Principis Pipini, Burgundicrum Dux, huius vitæ inſtabilitatem perpendens, & quia gloria mundi velut fœnum areſcit, & cogitans de remedio animæ meæ, vt poſt mortem inueniam vitam, petij à venerabili viro Luitberto Abbate Monaſterij iuxta ciuitatem Metenſem ſiti, quod dicitur ad Sanctos Apoſtolos, vbi atauus meus glorioſus Chriſti Confeſſor Sanctus Arnulphus, à quo & nomen & originem duco, in corpore requieſcit, vt mihi quoque in eodem Cœnobio locus ſepulturæ donaretur, iuxta genitorem meum prædictum Drogonem & germanum meum Hugonem Sacerdotem, quoniam ibi omnis penè parentela mea amore prædicti prædeceſſoris noſtri & parentis Sancti Arnulphi ducta ſepulturam delegit. Quod mihi idem venerabilis Abbas Luitbertus benignè conceſſit. Ideóque & ego pro huiuſmodi beneuolentia, & vt anima mea hæreditatem in cælis cum pio patre noſtro ſæpè nominando Sancto Arnulpho habere mereatur, dono donatúmque in perpetuum volo ad ipſum locum, prædium meum Floriacum dictum, ſitum in pago Vabrinſe in Comitatu Scarponenſi, manſum videlicet indominicatum cum ædificiis ſuprà poſitis & mancipiis vtriuſque ſexûs ad ipſum prædium pertinentibus, & quicquid in ipſo allodo, vel ipſe vel anteceſſores mei viſi ſumus habuiſſe, tam in campis cultíſque & incultis, quàm in ſiluis, pratis, vineis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, viis & inuiis, exitibus & reditibus, farinariis, quadrupedibus, mobilibus & immobilibus, vel quicquid vllo modo dici aut nominari poteſt. Dono etiam in Liedes villa manſum indominicatum cum ædificio deſuper ſito, iuxtáque hunc manſum, alium manſionarium, cum terris aratoriis ad dies plùs minùs*

viginti-

viginti-duos, & quartariis duobus, pratóque ad falces tres. Item in Beraldi villa cuminas indominicatas tres quæ ita iacent; vna in ipſa Beraldi villa, alia in loco qui dicitur Marconis pratum, tertia in loco dicto Amolberti campus cum quartariis ſeptem & ſilua minuta ad dies viginti in loco qui dicitur Bouerez ſilua; pratum quoque in ipſa villa ad falces tres, & alio in loco in Triberis, & Marchei pratum ad falces ſexaginta. Dono inſuper in villa Mariolas, quicquid poſt fratrem meum bonæ memoriæ Godefridum hæreditate mihi obuenit, id eſt, terram aratoriam indominicatam pluſquàm iura ducenta, pratum etiam ad falces triginta, & ſiluam minutam ad dies nonaginta. Hæc & omnia ad hæc pertinentia ad ipſum locum dono, trado, & de meo iure in poteſtatem ſeruorum Dei inibi commanentium, totum ad integrum eâ lege quâ ego hactenus poſſedi, idem cum omni integritate & abſque vllius alterius dominij participatione transfundo, vt ipſi ſerui Dei ea firmiter à die præſenti & deinceps teneant, poſſideant, & liberam habeant facultatem faciendi de eis quicquid ad vtilitatem ſui & ipſius Baſilicæ proficere viderint. Quod ſi quis, quod abſit, & quod futurum non credo, de poſteris noſtris, aut quacunque alia perſona vel poteſtas contra hanc donationem noſtram aliquid violentiæ facere voluerit, & prædium ipſum vel ad ipſum aliquid pertinens auferre ab eodem ſancto loco tentauerit, vel aliquid iniuſtæ dominationis ſibi in his, quæ ſolidè damus, vſurpare conatus fuerit, nouerit ſe in die iudicij de his coram iuſto iudice rationem redditurum, & partem maledictionis æternæ cum Dathan & Abiron & Iuda proditore habiturum. Nos tamen vt hæc donatio noſtra firma in perpetuum valeat & maneat, teſtamentum hoc literis firmatum manu propriâ roboramus. Actum publicè in villa Oppila ſub die quinto Kalend. Iulij, anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo ſexto, Indictione quartâ, regnante Childeberto Rege, anno regni ipſius decimo. Ego Arnulphus hanc donationem literis traditam manu propriâ ſignaui & firmaui. Signum Milonis Comitis. S. Widonis Comitis. S. Eramberti Comitis. S. Lamberti Comitis. S. Warneri Comitis. S. Emizonis Scabini. S. Rozelonis. S. Thieduini. S. Fulecadi. S. Amelij. S. Vrſonis. S. Remigij. Hanc Andreas *Valladier* in vernaculum ſermonem tranſtulit, tranſlatámque, in opere [a], cui titulus Auguſta Baſilica Sancti Arnulphi, publicauit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo decimo-quinto; deinde Madaurenſis Epiſcopus qualem in Archiuo Metenſi reperit, idiomate Latino edendam in Hiſtoriâ [b] Metenſium Antiſtitum curauit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo triceſimo-quarto; nec aliunde deſcripſit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo-ſexto Dubouchetus inter probationes [c], quas Origini Regiæ familiæ Francorum ſubiecit. Viri eruditi, quorum præcipuus labor in deſcribendo Francorum Regum genere verſatus eſt, Drogonem Ducem Burgundiæ, patrémque trium filiorum, Arnulphi Ducis item Burgundiæ, Hugonis Sacerdotis & Godefridi, palàm aſſeruerunt ex hac charta, quam commentitiam eſſe non inualidis argumentis demonſtrabimus. Tres apponuntur Characteres Chronologici, annus Chriſti ſeptingenteſimus ſextus, Indictio quarta, annus Childeberti Regis decimus. Inter ſe quidem conueniunt annus Chriſti ſeptingenteſimus ſextus & Indictio quarta, ſed non illigantur anno Childeberti Regis decimo, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus quartus & Indictio ſecunda coincidunt, & regnante Childeberto in publicis Francorum inſtrumentis nec vſurpabantur Indictionum notæ, nec anni numerabantur ab Incarnatione Dominicâ. Deinde Drogo Pippini & Plectrudis filius, quem Auctor chartæ ſuprà recitatæ iam mortuum ſupponit, vitam, vt ex variis Annalibus indubitatæ fidei probauimus, vltra annum Childeberti Regis decimum, necnon vltra annum Chriſti ſeptingenteſimum ſextum produxit. Denique eadem charta non parum diſcrepat ab aliis infrà deſcribendis.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

[a] Lib. 3.

[b] In Arnulpho Ep. 29.

[c] Lib. 1.

VI. Extat apud Valladierum, Madaurenſem & Dubouchetum, charta Hugonis Sacerdotis & Arnulphi Ducis fratrum, aſſentientibus Pippino & Godefrido in hunc modum. *Ego Hugo Metenſis Primicerius, Sacerdos humilis, & germanus meus vir illuſter Arnulphus Dux, necnon Pipinus & Godefridus iſtud aſ-*

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

ſentauerunt in hunc modum & ſecundùm tenorem iſtius literæ. In nomine Chriſti, ſub die octauo Kalendas Iulij, anno quinto regni Domini Dagoberti Regis. Quoties, vt ſolet humana fragilitas, aliqua perſona de hac luce migrauerit, oportet ſuos hæredes de ipſius facultate pro animæ ſuæ remedio ad loca Sanctorum delegare, vt in eis in æterna beatitudine pro hac re merces accreſcat. Ideo nos in Dei nomine Hugo Sacerdos humilis & germanus meus illuſter vir Arnulphus Dux, necnon Pipinus & Godefridus, dum contigit vt genitor noſter illuſter vir Drogo quondam de hac luce migraret, noſtra fuit petitio ad venerabilem virum Luitbertum Abbatem de Baſilica Sanctorum Apoſtolorum, quæ eſt foris murum Metis ciuitate conſtructa, vbi auus noſter Arnulphus in corpore requieſcit, vt ibidem iam dictum genitorem noſtrum Drogonem ſepelire deberemus, & ipſe Luitbertus benigno animo viſus fuit præſtitiſſe. Ideo nos tam pro ipſo loco ſepulturæ, quam & pro remedio animæ prædicti genitoris noſtri, villam nuncupatam Vigiacum ſitam in pago Mettinſe, quam ipſe genitor ſuus auus noſter Pipinus ſuo munere conceſſit, ipſam villam ad Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum Clericis vel pauperibus alimoniam ibidem accipientibus aut lectoribus inibi deſeruientibus, à die præſenti per hanc cartulam donationis viſi fuimus conceſſiſſe, hoc eſt, tam infra murum quàm & foris murum Metis ciuitate cum terris, domibus, Baſilicis, ædificiis, accolis, mancipiis, libertis, vineis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, farinariis, appendiciis, cultis & incultis, aquis, aquarúmue decurſibus, mobilibus & immobilibus cum omni integritate ſeu adiacentiis ad ſe aſpicientibus vel pertinentibus, vel omni genere quadrupedum, quicquid in ipſa villa Pipinus & prædictus genitor noſter viſi fuerunt tenuiſſe vel poſſediſſe, ipſe Abbas vel ſucceſſores ſui ad partem ſupraſcriptæ Baſilicæ hoc habeant, teneant atque poſſideant, & quicquid in opportunitatem ipſius Baſilicæ exinde facere decreuerint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Et ſi quod non credimus eſſe venturum, ſi nos ipſi aut vllus de hæredibus, aut prohæredibus noſtris, vel quacumque oppoſita perſona contra hanc paginam delegationis ſiue teſtamenti ambulare præſumpſerit, aut aliquam cauſam exinde remouere tentauerit, imprimis iram Dei Omnipotentis incurrat, & à liminibus Sanctorum efficiatur extraneus, & ſic marceſcat in radice vt nunquam floreſcat in ramis, & inſuper componat intra ipſam Baſilicam & ſacratiſſimo fiſco auri libras quinque, argenti pondera decem, & quod repetit euindicare non poſſit, ſed præſens delegatio ſiue teſtamentum omni tempore pleniſſimam obtineat firmitatem ſtipulatione ſubnixâ: Actum Mettis publicè, ſub die & tempore quo ſuprà. Hugo etſi peccator Sacerdos, hanc delegationem ſiue teſtamentum à me factum firmaui. Arnulphus Dux hoc teſtamentum conſentiens. Data dicitur hæc charta *octavo Kalendas Iulij, anno quinto* inchoato *regni Domini Dagoberti Regis*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, nam *Dagobertus regnauit annos* IV, *obiit in* V, vt totidem verbis teſtatur Auctor breuiſſimi Chronici, quod à Clotario Secundo vſque ad obitum Pippini Regis perducitur, editúmque fuit ab Andreâ Ducheſnio [a] ex Codice Tiliano. At huius chartæ Character Chronologicus à ſuperiori charta plurimùm differt. Quomodò enim regnante Dagoberto Teſtamentum condere potuit Hugo, quem regnante Childeberto, ipſius Dagoberti patre, iam mortuum aſſeruit Arnulphus eius frater in præcedenti chartâ quâ fertur, anno Childeberti Regis decimo locum ſepulturæ ſibi poſtulaſſe, *iuxta genitorem Drogonem & germanum Hugonem Sacerdotem*. Neoterici Pipinum & Godefridum, quorum mentio fit in poſteriore charta, fratres Hugonis Sacerdotis & Arnulphi Ducis appellant, atque inde concludunt Drogoni, Pippini & Plectrudis filio, quatuor fuiſſe filios, Arnulphum, Hugonem, Godefridum & Pippinum. Ita gemelli Sammarthani cenſent in Genealogiâ [b] Regiâ. Pippinum omittit Dubouchetus [c] quamuis eandem chartam legerit, integrámque deſcripſerit inter probationes [d] ſui operis. Videtur igitur in enumerandis Drogonis liberis habuiſſe tantùm rationem prioris chartæ, in qua Dux Arnulphus Hugonem & Godefridum fratres ſuos appellat nullâ Pippini factâ mentione. Arnulphum quidem

[a] Tom. 1. collect. Hiſt. Franc.
[b] Lib. 6. c. 7.
[c] Part. 1. c. 8.
[d] Pag. 71.

Digitized by Google

germanum ſuum diſtinctè vocat Hugo in ſua charta, ſed ibidem non ita loquitur de Pippino & Godefrido; deinde eidem Hugonis chartæ ſubſcribit Dux Arnulphus, Pippinus & Godefridus nequaquam. Fortè quis ſuſpicabitur Pippinum & Godefridum fuiſſe nepotes Hugonis ex Godefrido fratre, quem Arnulphus eiuſdem Hugonis frater in ſua charta mortuum teſtatur ante annum decimum Childeberti Regis, ſed Godefrido Arnulphi & Hugonis fratri præter Theodebaldum, quem Sueuiæ Ducem fuiſſe ſcribunt, nulla proles attribuitur à Sammarthanis & Dubouchеto. AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R 14.

VII. Iidem Scriptores, qui chartas Arnulphi & Hugonis publicarunt, exhibuerunt & tertiam Godefridi Ducis. *Ego Godefridus Dux, filius Drogonis, notum facio, quod amore Beati Arnulphi Metenſis, quicquid habui in villa de Fleuigneiaco * totum dedi Eccleſiæ Sancti Arnulphi, in paſcuis, ſiluis, aruis, manſis, & cum ædificiis, cum vineis & terris & cultibus, & cum mancipiis omnibus vtriuſque ſexûs, cum agris, campis, cultis vel incultis, pratis, paſcuis, ſiluis, aquis, aquarum decurſibus, molendinis, & quicquid ibi nominari poteſt. Et in his omnibus quicquid mihi in ipſa villa legibus obuenit, tam de paterno quàm de materno ſeu de comparato vel de qualicumque attractu noſcitur ad me perueniſſe, & ego viſus ſum habere vel dominare, totum ad integrum ad ipſam iam Sacroſanctam Eccleſiam Sancti Arnulphi vel Sanctorum Apoſtolorum Ioannis & Iacobi, ſeu ad partes illorum fratrum qui ibidem deſeruiunt, dono, trado atque transfundo in Dei nomine perpetualiter ad poſſidendum, vel quicquid exinde pars ipſius Eccleſiæ delegerit faciendum, libero in omnibus perfruatur arbitrio. Si quis verò, quod fieri non credo, ſi ego ipſe, aut vllus de hæredibus meis, ſeu quælibet extranea perſona, qui contra hanc donationem à me factam venire conauerit, aut irrumpere voluerit, imprimis iram Dei & Sanctorum Apoſtolorum vel Sancti Arnulphi incurrat, & inſuper inferat contra ipſam Eccleſiam vnà cum ſocio fiſci ſuſtinere auri libram vnam, argenti pondus duo, multâ ſuſtineat, & quod repetit non valeat euindicare, ſed præſens donatio iſta omni tempore firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixâ. Actum Metis in publico ſub die decimo Kalend. Martij, anno* XII *regni Domini noſtri Theoderici Regis.* De die & de anno, quo ſcripta fuit hæc charta, cum Madaurenſi Pontifice & Dubouchеto non conuenit Valadierus, nam nec diem decimum ante Kalendas Martij, nec annum Theodorici Regis duodecimum apponit, ſed diem ſeptimum ante Kalendas Iulias, & annum Dagoberti Regis quintum inchoatum, qui proculdubiò cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto coincidit, vt ad Hugonis chartam ſuprà probauimus. Apud Epiſcopum Madaurenſem in Hiſtoria Metenſium Antiſtitum tres inueniuntur chartæ datæ decimo Kalendas Martias, anno duodecimo Theodorici Regis. Primam conſcripſerunt Pippinus & eius vxor Plectrudis, ſecundam Drogo Pippini filius, tertiam Godefridus filius Drogonis. Duæ priores illigantur anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, Theodorici Tertij apud Auſtraſios regnantis anno duodecimo, nec illo anno Principatus Theodorici Quarti ſeu Calenſis intelligi poteſt, obierunt enim Drogo anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, Pippinus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, Regnum verò Theodoricus Calenſis anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo ſuſcepit. Dubouchetus chartam Godefridi reiecit in annum duodecimum Theodorici Regis cognomento Calenſis, id, eſt in annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum. Chartam Pippini & Plectrudis recitauimus ſuo loco. Chartam Drogonis omiſimus, rati illam cum charta Godefridi, cui ſimillima eſt, hîc opportuniùs examinandam. Initium tale eſt. *Ego Drogo Dux Burgundiorum, filius Pipini Ducis Aquitaniæ, notum facio, quòd amore beati Arnulphi Metenſis, quicquid habui de villa Mariolas * totum dedi Eccleſiæ Sancti Arnulphi.* Reliqua conformia ſunt chartæ Godefridi iam recitatæ. Res autem multæ ſunt, quæ fidem vtrique detrahunt. Ducis Aquitaniæ titulus, qui Pippino tribuitur in chartâ Drogonis, nullo veterum Scriptorum teſtimonio

* *Flauigni.*

* *Mareüil.*

Digitized by Google

AN. CH' 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

fulciri poteſt. In vtraque charta complures loquendi formulæ, quæ Arnulphum Epiſcopum quondam Metenſem Eccleſiámque commendant in qua ſepultus fuit, alienæ prorſus videntur à ſtylo, quo Pipinus Drogonis Pater & Carolus Magnus eiuſdem Pippini pronepos vſi ſunt in eadem materia. Arnulphum Drogo & Godefridus vocant beatum Arnulphum Metenſem & Sanctum Arnulfum. *Notum facio*, inquit vterque, *quòd amore beati Arnulphi Metenſis*, & inferiùs, *imprimis iram Dei & Sanctorum Apoſtolorum vel Sancti Arnulphi incurrat.* Eccleſiam, in qua Pontifex Arnulphus quieſcit, vterque nominat Eccleſiam Sancti Arnulphi. *Dedi Eccleſiæ Sancti Arnulphi.* Et paulò pòſt. *Sacroſanctam Eccleſiam Sancti Arnulphi vel Sanctorum Apoſtolorum Ioannis & Iacobi.* Pippinus autem Drogonis pater de Arnulpho auo déque Eccleſia in qua tumulatus fuit, ita diſſerit. *Solidè tradidimus ad Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum, iuxta vrbem Mettis conſtructam, vbi Dominus & Auus Arnulphus in corpore requieſcit.* Et Carolus Magnus, *ad Baſilicam*, ait, *quæ eſt conſtructa in honore Sancti Iacobi Apoſtoli, vel cæterorum beatorum, vbi ſcilicet Arnulphus pretioſus corpore requieſcit.* Quis credat Pippinum eiuſque filium Drogonem eodem die (nam vtriuſque donatio decimo Kalendas Martias, anno duodecimo Theodorici Tertij Regis conſignatur) adeò diuerſos fuiſſe ſtylo in iis quæ ad Arnulphum Pippini auum & Drogonis proauum ſpectabant? Charta Godefridi, ſi, iuxta Valadieri calculum, ſeptimo Kalendas Martias, anno quinto Dagoberti Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimoquinto Metis data dicitur, pugnat aduerſus chartam Hugonis, quæ ſcripta fuit etiam Metis die præcedenti, nempe octauo Kalendas Martias, anno quinto Dagoberti Regis, & Godefridi meminit ex hac vita iam ſublati. Maior eſt diſcrepantia, ſi, iuxta Dubouchеti ſententiam, donatio Godefridi reiicitur in annum duodecimum Theodorici Regis cognomento Calenſis, id eſt, in annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum. Amputatur autem hæc difficultas, ſi chartæ Hugonis & Godefridi aſſeruntur datæ Metis eodem die, octauo videlicet Kalendas Martias, anno duodecimo Theodorici Tertij regnantis apud Auſtraſios, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo. Sed nuſquam veriſimile videtur Pippinum Ducem, qui decimo-ſeptimo Kalendas Ianuarias anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto interiit, annos vixiſſe viginti-duos, menſem vnum ac dies viginti-ſex, poſtquàm Godefridus Dux, illius ex filio nepos, Metenſis vrbis Eccleſias ſuis facultatibus iam ditaſſet.

VIII. Ex his obſeruationibus conſtat nullius auctoritatis eſſe chartas Drogonis, Arnulphi, Hugonis & Godefridi, ſuprà recitatas. Caue igitur ne illarum lectione permotus ſtatim eas in Neotericorum ſententiam, qui Drogonem Ducem Burgundiæ conſtituunt, eíque tribuunt quatuor filios, Arnulphum, Hugonem, Pippinum & Godefridum, quorum primogenitus poſt patrem Dux etiam Burgundiæ fuerit auo Pippino ſic ſtatuente. Sammarthani Arnulphum Drogonis filium natu maximum ſine prole mortuum affirmant, Dubouchetus ex eodem Arnulpho natos ait Hugonem Principem Burgundiæ, Drogonem, alióſque liberos, quorum nomina non habentur, additque filium Hugoni ipſius Arnulphi primogenito fuiſſe Theodobaldum Comitem Matiſconenſem. Nullam probationem affert Dubouchetus. Sammarthani ſequuntur Andream [a] Ducheſnium, qui nec vllo teſtimonio ſuam opinionem firmat. Drogoni Pippini Heriſtalli filio, cuius obitus in hunc annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum incidit, tres ſaltem fuerunt filij, de quibus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium acturi ſumus. Omnium nominatiſſimus Hugo, cuius primordia ex Chronico Fontanellenſi [b] deſcripta ſic accipe. *Mater eius, Adeltrudis nomine, filia fuerat Warattonis nobiliſſimi Maioris domûs Regiæ atque Ansfledis coniugis eius, qui plurima huic Monaſterio* Fontanellenſi *largiti ſunt prædia. Prædicta religioſa & ſtrenua matrona Ansfledis auia ſua derelicta Warattonis ad nutriendum ſuſceperat ipſum*

[a] Lib. 2. rer. Burgund. c. 2.

HVGO DROGONIS FILIVS.

[b] Cap. 8.

Hugonem. Hæc igitur prudentia & prouida induſtria ſpiritu plena, animum pueri ferlur quotidianis admonitionibus corroboraſſe, vt ſeſe cum omnibus quæ habebat Dei ſeruitio manciparet. Vnde factum eſt, vt ſacrarum literarum ſtudio imbutus coæuos ſuos ſapientiâ & religione anteiret, ſecundúmque ſanctam ſuggeſtionem præclaræ nutricis ac auiæ ſuæ Ansfledis cœpit terrena cuncta deſpicere, & ad Regna cæleſtia viriliter anhelare, ſimúlque patrimonia plurima Eccleſiis Chriſti contradere. Magnæ eſt auctoritatis iſtud Chronicon, quoniam, vt Lucas Dacherius è Congregatione Sancti Mauri Monachus Benedictinus in præfatione ad Tomum tertium ſui Spicilegij rectè obſeruauit, exaratum eſt Imperatore Ludouico Pio. Calamo manum ſeriùs admouit Chronographus Metenſis, à quo ſimilia iam mutuati [a] ſumus. Pergit autem Auctor Chronici Fontanellenſis, & eos, qui rerum ſuprà commemoratarum certiorem cognitionem habere deſiderant, ad variarum Ciuitatum Cœnobiorúmque Tabularia remittit. *Quæ cuncta*, inquit, *ſi qui pleniùs ſcire cupiunt, ſcrinia ciuitatum, Rothomagenſis, Pariſiacæ & Baiocaſſinæ, & huius Cœnobij Fontinellenſis, ſimúlque Gemmeticenſis reuoluant, illícque inuenient quantam ſollicitudinem ac peruigilem curam de conſtructione, propagatione, & adminiſtratione, ac exaltatione Eccleſiarum habuerit.* Loca ſuprà memorata præ ceteris nominat, quia Hugo, teſte eodem Scriptore, *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit, extra Decreta tamen Canonum, Cænobia verò nobiliora, Fontinellam & Gemmeticum.* Hugo laicus vixit ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum, factus eſt poſteà Monachus, tum Abbas, deinde Epiſcopus. Eius vitam ſcripſit Baldricus Dolenſis Epiſcopus. Opus illud legimus manuſcriptum, necnon typis excuſum in Neuſtria [b] Pia, ſed vtrobique deſpectui habuimus, quia plurimis mendis ſcatet, duóſque Hugones, vnum Pippini Herſtallij nepotem de quo nunc agimus, alterum Caroli Magni filium prædictíque Pippini abnepotem, ſimul confundit.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

[a] Hoc an. n 3.

[b] In Gemmetico c. 8.

IX. LAMBERTI TRAIECTENSIS EPISCOPI MARTYRIVM.

Eodem anno, quo Drogo Pippini filius obiit, Martyrium ſubiit Sanctus Lambertus, rexit enim Epiſcopatum Traiectenſem *quadraginta annis*, vt in vita Sancti Huberti, qui proximè poſt Lambertum ſedit, docet ipſius Huberti diſcipulus. En Auctor ſuppar, cui fides negari non debet. Qui catalogos Epiſcoporum Traiectenſium ac Leodienſium hactenus texuerunt, à recta diſcrepant Chronologia, nec annum aſſecuti ſunt quo beatus Lambertus ad cælos euolauit. Sigebertus [c], quem Baronius [d], alijque Neoterici magno numero ſecuti ſunt, mortem Sancti Lamberti collocauit anno Chriſti duodeſeptingenteſimo; biennio citiùs Bucherius [e] quem Fiſenus [f] aliíque laudarunt. Vtrique exiſtimarunt illam contigiſſe, Alpaide à Pippino nondum dimiſsâ. Henſchenius [g] meritò ridet eos, qui contubernium Pippini cum Alpaide in cauſam necis Lamberto illatæ proferunt, ſed quia Fredegarij textu malè intellecto, ſeriùs quàm par eſt refert obitum Dagoberti Regis, Martyrium Sancti Theodardi reiicit in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-ſextum, quo Childericum prædicti Dagoberti nepotem in viuis adhuc ſuperſtitem fuiſſe credit, deinceps torquetur grauiùs, à morte enim Sancti Theodardi vſque ad obitum Sancti Huberti reperit annos duntaxat quinquaginta, quibus Epiſcopatum Sancti Lamberti & Pontificatum Sancti Huberti circumſcribendos affirmat. Annos autem à Martyrio Sancti Theodardi vſque ad mortem Sancti Huberti plures interceſſiſſe quàm quinquaginta conſtat, quia, teſte ipſius Huberti diſcipulo [h], Sanctus Lambertus Præſulatum tenuit annis quadraginta, & Sanctus Hubertus anno decimo-tertio ſui Pontificatûs reliquias Sancti Lamberti tranſtulit. Deinde ſi beatus Theodardus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto Martyrium paſſus eſt, & Sanctus Lambertus anno pòſt quadrageſimo cæſus occubuit, vixit hic vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum, id eſt, vſque ad annum ſecundum ab obitu Pippini, quem tamen ipſi beato Lamberto ſuperſtitem fuiſſe nemo non fatetur.

[c] In Chron.

[d] Tom. 8.

[e] In Chron. Epiſc Traiect.

[f] In Flor. Leod.

[g] De 3. Dagob. l. 4. c. 7.

[h] In vit. S. Huberti.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14. Noſtræ verò Chronologiæ nihil horum aduerſatur. Lambertus Pontificatum gerit annis quadraginta, perimitur anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, migrat ad Deum ſuperſtite in viuis Pippino & Plectrude ad Pippinum pridem reverſâ.

X. Auctor coætaneus, cuius fragmentum Andreas Ducheſnius [a] publicauit, fontem odij in Landebertum ſeu Lambertum Epiſcopum ſuſcepti ſic aperit. *Et iam cùm Dominus vocaſſet Sanctum Landebertum, vt propter tanta opera dignam redderet ei mercedem, inſurrexerunt duo peſſimi homines Gaullus & Germanus ſuus Roldus in aduerſitatem eius, & ſeruientes Eccleſiæ ſuæ, in tanta opera peruerſa, vt nullus eos ferre potuit, nec euadendi erat locus ante illos. Repleti amici Pontificis irâ & triſtitiâ, calamitate magnâ compulſi, & humilitate depreſſi, interfecerunt eos ex merito eorum. In illis diebus erat Dodo domeſticus iam ſupradicti Principis Pipini, proprius conſanguineus eorum, qui interfecti fuerant. Et erant ei poſſeſſiones multæ, & in obſequio eius pueri multi. Cùm audiſſet necem proximorum, collexit magnam copiam virorum fortiſſimos ad præliandum, mox irruit ad interficiendum beatiſſimum virum Landebertum Pontificem in villa, cuius vocabulum eſt Leodio, ſita ſuper fluuium qui vocatur Moſa.* Nullum ibi verbum de Alpaide, quæ vitam ab aulæ rerúmque ſecularium ſtrepitu remotam in Monaſterio tunc agebat.

[a] Tom. 1. collect. Hiſt. Franc.

XI. Vitam Sancti Lamberti ab Anonymo ſuprà laudato ſcriptam Godeſchalcus Eccleſiæ Leodienſis Diaconus prolixiore atque ornatiore ſtylo elegantiùs expoliuit iuſſu Agilfridi Leodienſis Epiſcopi Carolo Magno coætanei. Textum autem proximè recitatum ſic reddidit [b]. *Et cùm iam Dominus Sanctum Lambertum ad ſupernam gloriam vellet transferre, vt eius dignis meritis dignam contemperaret retributionem, aduersùs eum inſurgunt duo fratres Gallus & Rioldus vocati, appetentes eum conuitiis & contumeliis, & in rei familiaris direptione grauibus diſpendiis opprimentes. Præterea non contenti Pontificis iniuriâ, in eius famulos, quam cœperant in domino, calumniam extendunt, in quibus nequiter graſſantes, quicquid moleſtiæ ſuggerebat furor efferatus, ſine reſpectu humanitatis, ſiue loquendo, ſiue feriendo, in illos contorquebant. In tantum verò proceſſit eorum malitia, vt intolerabilis omnibus eſſet, quam nec illi moderari volebant, nec ab ea deſiſtere, ſed diutinâ infeſtatione eos grauiter perurgebant. Cùm autem iſtis nullus euadendi locus pateret, & à parte illorum parcendi ſpes nulla ſuppeteret, omnes qui Pontifici dolebant ab illis derogari, ſibi verò contumaciter omnimodam contumeliam irrogari, irâ, calamitate, & diſpendiis dictantibus, quâ vindictâ innocentiam Epiſcopi & ſuam defenſarent, illis non iam patientiam opponentes, ſed iam dudum conceptum dolorem ingerentes occurrerunt, & mortis vltione proſtraverunt. Horum conſanguineus quidam, Dodo vocatus, de Primatibus Palatinis vnus, vtpote Pipini Ducis familiaris, abundans poſſeſſionibus, multorum ſeruorum & militum conſtipatus obſequio & comitatu, cùm audiſſet affinium neces, ad vindictam expetendam animatur, & ſanguine ſanguinem indicauit vlciſcendum. Et veritus ſibi opprobrio reputari, ſi ipſe ſummus in inferiores perſonas gladium ſuum deflecteret, & ſanguine vilium hominum cruentatum pollueret, erexit animum & manum ad feriendum caput illorum, qui mortem ſuorum amicorum ſuo Epiſcopo deuouerunt & perſoluerunt. Quapropter cæteris omiſſis mors Epiſcopi deuouetur mortibus illorum, & ſanguis eius, ſanguini eorum, decernitur refundendus. Itaque collectâ manu eorum, quæ ſibi in patrando ſcelere auxilium ferrent, quid animo facinoris conceperit, indicauit, & perceptâ promiſſione praui conſortij, iniquis manibus aduersùs Epiſcopum vti cœpit. Mox ad villam parui adhuc nominis, nec minoris verò meriti, ſed magnum nomen & magnum meritum ex triumpho & corpore S. Lamberti paulò pòſt promerituram, quæ Leodium dicta fluuio Moſâ alluitur, cum congeſtis copiis Dodo acceſſit. Ibi vir Sanctus tunc temporis morabatur, quaſi diuino præſagio edoctus, quòd hîc Deo hoſtia accepta mactandus occumberet.*

[b] Cap. 7.

XII. Stephanus, qui Leodienſem Pontificatum anno poſt Sancti Lamberti

Digitized by Google

mortem ducenteſimo geſſit, Godeſchalci Diaconi lucubrationem adhuc incultiorem ratus, vrbaniori ſtylo vitam Sancti Lamberti Hermanno Archiepiſcopo Colonienſi tranſmiſit. Quâ de re in libro [a] de illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus à Sigeberto ſic commendatur. *Stephanus ex Clerico Metenſi Epiſcopus Leodienſis vitam & paſsionem Sancti Lamberti ſcriptam incultiùs à Godeſchalco Clerico, ſcripſit vrbaniùs ad Hermannum Coloniæ Archiepiſcopum.* Et in Chronico [b] ſic. *Francone Leodienſium Epiſcopo mortuo, Stephanus Epiſcopus ſubrogatur, vir ſanctitate & ſcientiâ clarus, qui vitam & paſsionem S. Lamberti Martyris ad Hermannum Archiepiſcopum vrbaniùs edidit.* Totum autem negotium, de quo nunc loquimur, ſic expoſuit [c]. *Intereà*

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

a Cap. 126.

b Ad an. 903.

c Cap. 9.

Talibus inſtaret curis dum paſtor herilis,

dimicans bella victorioſiſsimi Regis, vt prœliator inuictus & fortis, triumphalem palmam Martyrij Chriſtus Dominus hoc modo contulit illi. Duo ſiquidem fratres nequiſsimi, Gallus videlicet ac Rioldus vocati, aduersùs beati famulos inſurrexerunt Lamberti, affligentes illos dirâ calamitate & multiplici. Quos cùm Antiſtes patientiſsimus humillimis, vt reſipiſcerent, exoraret precibus, & ſæpiſsimis argueret increpationibus, tantò pertinaciùs gregem Eccleſiæ dilaniabant, quantò patientiùs oues Domini eorum ſæuitiam perferebant. Quocirca Pontificis clientes & cognati, qui erant proſapiâ nobiliſsimi & rebus ditiſsimi, zelo doloris accenduntur, afflictione ſubiectorum inſtigantur, & vt maleficos perſequi debeant, eo ignorante, communi conſilio deliberant. Nam ſupradictorum fratrum proteruiâ creſcente & in malitia perſeuerante, viros genere famoſiſsimos, armis conſpicuos, ab inchoato opere nequaquam piguit animum revocare. Quid plura? illos bello appetierunt, vtroſque mortis piaculo indiderunt. Quibus ita interemptis & in inferni baratrum demerſis, Dodo infelix, eorum qui mulctati fuerant proximus affinis, hæreditatem infandi ſuſcepit criminis, perſequutionis quippè ſucceſsionem, ad ſatiandam ſui furoris immanitatem, non tamen ad ſuæ vtilitatis recepit incolumitatem. Hic namque ſuperbiâ tumidus, conſiliis habitis & armis rigidus, lethum beati Antiſtitis Lamberti, ob conſanguineorum necem, corde cœpit meditari, & ipſi opere inſidiari.

Vnde ſibi ſocios copulans audacter iniquos,

& ad prœliandum fortiſsimos, Leodium adierat, quo cœlebs his diebus fortè manebat.

XII. Surius [d] Stephanum edidit. Adiecit & Appendicem, in qua putauit eſſe multa, quæ à Stephano vel omiſſa vel obſcuriùs annotata eſſent, fidémque propter aliarum Hiſtoriarum conſenſum mererentur. Iſtius Appendicis magnam partem Baronius [e] Pippino & Alpaidi, quorum pœnitentiam ignorauit, parum æquus ita deſcripſit. *Pipinus Princeps, cetera egregius, vno malo tam multa bona corrumpebat, contemptâ legitimâ vxore, Alpaidi pellici nimiùm addictus. De eo ſanè hic Auctor teſtatur, cùm nihil ad gloriam, nihil ad potentiam vel facultatem ei deeſſet, nunquam eius induſtriâ fortunam fuiſſe ſuperiorem. Et tamen cùm multis eſſet auctus victoriis, ſeipſum vincere non potuit, molli libidinis telo proſtratus. Id verò ceteris ferè Epiſcopis diſsimulantibus, Lambertus præ zelo domus Dei ferre non ſuſtinens, opportunè & importunè arguebat Principem, qui ſi vt in ceteris, ita & in hoc libenter audiſſet recta monentem Epiſcopum, rectiùs conſuluiſſet ſibi. At illa maligna mulier moleſtè ferens Pipinum à ſui amore revocari, Dodonem fratrem ſuum, genere & opibus præſtantem, hortatur, vt ne ſinat Lambertum tantùm poſſe apud Pipinum, vt cogatur ipſa ab eo recedere in dedecus natalium ſuorum. Ille verò agit cum ſuis, dátque operam, vt Epiſcopi conatus impediat. Sed videns eum perſtare in ſententia, nec contra iuſtitiam cuiuſquam faciem vereri, amicis quibuſdam, ſororis vltionem permittit. Ex iis Gallus & Roldus cum omnibus ſuis valdè cœperunt vexare Epiſcopi familiam, nullum calumniæ aut moleſtiæ genus prætermittentes, vt vel ſic Epiſcopus ſuorum cauſâ ceſſaret moleſtus eſſe Pipino propter Alpaidem. Sed vir iuſtus, vt leo confidens, iuſtitiæ patrocinium nullâ ratione deſeruit. Tandem improbi illi ab Epiſcopi cognatis cæſi ſunt, moleſtiſsimè id ferente Dodone, & cauſam cædis in Sanctum*

d D. 17. Sept.

e Ad an. 698. nn. 2, 3.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14. *conferente.* Cetera, quæ Baronius ex eadem Appendice recitauit, examinabimus inferiùs. Celeberrimus ille Annalium Eccleſiaſticorum conditor in Geſtis Sancti Lamberti deſcribendis vſus eſt ſolâ lucubratione Stephani Leodienſis Epiſcopi, cui temerè crimen adulationis ingeſſit verbis ſat aſperis. *Extant*, inquit [a], *eius*, Sancti videlicet Lamberti, *Acta à Stephano Epiſcopo Leodienſi ſcripta ad Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem. In quibus tamen multa deſiderantur, vt (quæ in primis ponenda erat) quæ præceſſit ab eo facta obiurgatio Pipino de Herſtallo ob pelicem introductam, quod abſque controuerſia omnes tum veteres tum recentiores Hiſtorici affirmarunt, ex quibus meliùs eiuſdem Sancti vita atque Martyrium ſimul in vnum collecta ſcribantur. Tantùm potuit adulatio, vt, ne tantâ Pipinus ignominiâ notaretur, qui egregiis factis adeò celebris haberetur, fuerit prætermiſſa Lamberti cauſa Martyrij. Non ſic nos docuit Sancta diuinitus inſpirata Scriptura, quæ nec Sanctorum peccata tacuit, cùm eorum virtutes egregiè prædicarit, vt inter alia in libris Regum de Dauide factum legimus, cuius non ſolùm virtutes, ſed & adulterium & homicidium ſatis exactè deſcripta leguntur.* Pace tanti viri dixerim. Alpais in ſuſpicionem criminis, de quo diſputationem hîc inimus, non vocatur ab antiquis Scriptoribus, qui Stephano Epiſcopo Leodienſi facem prætulerunt, vocatur à Neotericis, qui poſt eundem Stephanum Geſta Martyriúmque Sancti Lamberti narrarunt adiectis pro lubitu fabulis.

[a] Ad an. 698. n. 2.

XIII. Ipſemet Baronius in notis ad Martyrologium Romanum init catalogum præcipuorum Auctorum, qui Sanctum Lambertum poſteris commendarunt, nam decimo-quinto Kalendas Octobris ad hæc verba, *Lamberti Epiſcopi*, ſic commentatur. *De eodem, hac die, Beda Martyrologium ac ceterorum. Eius acta à pluribus Auctoribus ſcripta reperiuntur; ac primùm omnium à Godeſcalco Eccleſiæ Leodienſis Diac. inde à Stephano Epiſcopo Leodienſi, de quo Sigeb. de vir. illuſtr. c. 136. & in Chron. anno 903. tertio loco ab ipſo Sigeberto Gemblacenſi, vt ipſe profitetur de viris illuſtr. c. 172. poſt eum à Nicolao Canonico Sancti Lamberti; quinto denique à Rainerio Monacho. Porrò Stephani tantùm & Nicolai ſcriptiones reperiri teſtatur Molanus, qui de Lamberto agit in annot. ad Vſuardum, & in Indic. Sanctorum Belg. Eius autem vitam, quam recitat Sur. tom. 5. Stephani Epiſcopi Leodienſis eſſe apparet. Habetur mentio de eodem in vita Sancti Suithberti apud Sur. tom. 2. primâ Martij. Agit de eodem Sigeb. in Chron. anno Domini 698. Trithem. de vir. illuſtr. Ord. S. Bened. lib. 3. c. 111. & lib. 4. cap. 62.* In illo textu ſatis oſtendit, quinam veteres Hiſtorici, quinam recentiores habendi ſint. Quinque Scriptores, à quibus vitam Sancti Lamberti relatam in literas fatetur, hoc recenſet ordine. Primo loco nominat Godeſchalcum, ſecundo Stephanum, tertio Sigebertum, quarto Nicolaum, quinto Rainerium. Godeſchalcus omnium antiquiſſimus, qui ſub Carolo Magno floruit, ceteris anteponi debet. Stephanus, qui Leodienſem Eccleſiam adminiſtrabat anno Chriſti nongenteſimo tertio, vix minoris eſt auctoritatis, quia non differt à Godeſchalco quem præ manibus habuit. Alij ſunt recentiores. Sigebertus inter viuos ſuperſtes erat anno Chriſti milleſimo centeſimo duodecimo, quo Chronicon ſuum abſoluit. Nicolaus opus ſuum dicauit Wederico Abbati Letienſi, qui Præfecturam Letienſem anno Chriſti milleſimo centeſimo viceſimo-quarto ſuſcepit, vt ex Chronicis illius Monaſterij docent Ioannes Chapeauillus in notis ad ipſam Nicolai epiſtolam dedicatoriam & Franciſcus Vinchantius in Annalibus [b] Hannoniæ. Rainerius ſeu Renerus aliquot annis poſt Nicolaum ſcripſit, vt idem Chapeauillus obſeruat. Baronius exiſtimauit ex illis quinque Scriptoribus duos duntaxat extare, Stephanum & Nicolaum, quorum priorem à Surio [c] publicatum reperit, poſteriorem nunquam vidit. Editi ſunt autem à Chapeauillo [d] quatuor, Godeſchalcus, Stephanus, Nicolaus & Renerus, itaut ſolus Sigebertus hodie deſideretur. Editus eſt & ab eodem Chapeauillo [e] Anſelmus; Leodienſis hic Canonicus librum de Geſtis Pontificum Traiectenſium ac Leodienſium à beato

[b] Lib. 3. c. 16.
[c] d. 17. Sept.
[d] Tom. 1.
[e] Tom. 1.

beato Theodardo ſucceſſore Sancti Remacli, in quo Harigerus Abbas Lobienſis deſierat, vſque ad Wazonem compoſuit, & inter Auctores, qui de Sancto Lamberto ſcripſerunt, locum ante Sigebertum poſt Stephanum obtinere debet, quia lucubrationem ſuam inſcripſit Sancto Annoni, quem anno Chriſti milleſimo ſexageſimo Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſi præfuiſſe conſtat. Editus eſt etiam à Chapeauillo [a] Ægidius; hic Aureæ Vallis Monachus ſcriptis Harigeri & Anſelmi non paucas additiones inſeruit, deinde Geſta Leodienſium Epiſcoporum à Wazone, in quo Anſelmus finem ſcribendi fecerat, proſecutus eſt vſque ad Henricum de Guelria, & omnium Auctorum, quos ſuprà commemorauimus, nouiſſimus haberi debet, quoniam, vt ipſemet de ſe teſtatur [b], calamo ſilentium impoſuit exeunte anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo-primo. Denique publici iuris facta ſunt ab Andrea Ducheſnio fragmenta veteris Anonymi, qui vitam Sancti Lamberti primus omnium ſcripſit, & multa ex iis, quæ retulit in literas, accepit à Theodoeno, qui temporibus Ebroini fuit in comitatu Lamberti apud Stabuletum exulantis.

[a] Tom. 1. & 2.

[b] Cap. 137.

XIV. Indicauit Baronius Auctores duntaxat quinque, Godeſchalcum, Stephanum, Sigebertum, Nicolaum & Renerum, qui literis vitam Sancti Lamberti tradiderint ex profeſſo; exhibuimus octo, Anonymum, Godeſchalcum, Stephanum, Anſelmum, Sigebertum, Nicolaum, Renerum & Ægidium. Hi verò ſi diuidantur in duas claſſes, quarum altera veteres, altera recentiores amplectatur, dubium non eſt, quin Anonymus, Godeſchalcus & Stephanus veteribus, reliqui recentioribus accenſeantur. Anonymus enim vixit ætate Sancti Lamberti, Godeſchalcus floruit ſub Carolo Magno, Stephanus Epiſcopus erat anno Chriſti nongenteſimo tertio. Ceteri ſunt longè recentiores, à Stephano ad Anſelmum, qui reliquos antecedit, interceſſit ſeſquiſeculum & ampliùs. Illorum autem Auctorum hæ ſunt diuerſæ ſententiæ; Anonymus, Godeſchalcus & Stephanus, quorum propria verba iam recitauimus, Alpaidem necis illatæ Sancto Lamberto non inſimulant; inſimulant Anſelmus aliíque ſuprà nominati, quos ſimul collegit ac typis mandandos curauit Chapeauillus [c], ſi excipias Sigebertum, à quo ſcripta Sancti Lamberti vita periit, ſed idem Sigebertus, quid de cæde Sancti Lamberti ſentiret, his verbis in ſuo Chronico [d] ſatis declarauit. *Sanctus Lambertus Pipinum Principem increpare auſus, quòd pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ vxori ſuæ ſuperduxerit, à Dodone fratre ipſius Alpaidis Leodij martyrizatur.*

[c] Tom. 1.

[d] Ad an. 698.

XV. Præterà Baronius indicauit multos Auctores, qui breuiori ſtylo Martyrium Sancti Lamberti perſtrinxerunt, imprimis Bedam alióſque Martyrologos, necnon Marcellinum in vita Sancti Swiberti, Trithemium & Molanum. Beda eodem, quo Sanctus Lambertus, tempore floruit; Marcellinus paulò pòſt; Trithemius obiit anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo-ſexto; Molanus adhuc recentior eſt Trithemio. Vt autem intelligas, quoſnam Baronius, qui ſolum Bedam ſuo nomine nuncupauit, collectiua voce *(ceterorum)* complexus ſit Martyrologos, aduerte notis in Martyrologium Romanum præfixam ab illo de eodem Martyrologio ſcriptionem, in quâ [e] Martyrologos, qui poſt Martyrium Sancti Lamberti ſcripſerunt, hos tantùm quinque numerauit, Bedam, Florum, Vſuardum, Wandelbertum & Adonem. De ſingulis quid ſentiat, quídue ſentiendum nobis videatur, oſtendemus paucis.

[e] Cap. 9.

XVI. Beda Sancto Lamberto coætaneus floruit, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo finem impoſuit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum, cùm annum ætatis vndeſexageſimum abſolueret. Quonam tempore Martyrologium compoſuerit, haud certò ſcitur. Ipſe in Catologo ſuorum operum de Martyrologio à ſe concinnato ſic diſſerit. *Martyrologium de Natalitiis Sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos inuenire potui, non ſo-*

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

lùm quâ die, verùm etiam quo genere certaminis, vel ſub quo Iudice mundum vicerint, diligenter annotare ſtudui. Martyrologia Sanctorum Hieronymi & Bedæ præ manibus habuit Vſuardus, & in ſua præfatione queſtus eſt, quod Beatus Hieronymus breuitati nimiùm ſtuduiſſet, & Venerabilis Beda dies non paucos reliquiſſet intactos. *Venerabilium*, inquit, *Hieronymi ſcilicet ac Bedæ, Presbyterorum piis quamuis ſuccinctis ſuper hoc prouocabar deſcriptis. Quorum prior breuitati ſtudens, alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præteriiſſe neceſſaria.* Hodie in vulgato Bedæ Martyrologio nullus dies vacuus inuenitur. Poſt ætatem igitur Vſuardi auctum atque interpolatum fuit à poſteris, qui quos ille dies intactos reliquerat ex aliis ſuppleuerunt. Inde fit vt apud eruditos in minori ſit exiſtimatione atque auctoritate, quod inter opera Bedæ [a] circumfertur illius nomine Martyrologium. In eo hæc leguntur [b] de Sancto Lamberto. *Tungrenſi Diœceſi, Leodio villâ publicâ, Natale Sancti Lantberti Epiſcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis increpaſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris de palatio regio miſſis ex improuiſo concluſus intra domum Eccleſiæ occiditur. Cuius ſepulchrum creberrimis miraculis illuſtratur.* At hæc non Bedæ ſunt ſed Adonis. Vt ita ſentiamus, hæc nos cogit ratiocinatio. Apud Bedam & Adonem, adeò ſimile eſt encomium Sancti Lamberti, vt vnum ex altero deſcriptum eſſe quiſque fateatur. Vulgatum Bedæ textum recitauimus, audi Adonem [c]. *Tungrenſi Diœceſi, in Leodio, villâ publicâ, Natalis Sancti Lamberti Epiſcopi, qui dum regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris de palatio regio miſſis, improuiſè concluſus intra domum Eccleſiæ occiditur. Cuius ſepulchrum creberrimis miraculis illuſtratur, ac mors eius nihilominùs pretioſa in conſpectu Domini commendatur.* Hæc autem Ado, quamuis poſt Bedam vixerit, à Beda non accepit, ſed ex Adone deſcripta quiſpiam adſcripſit Bedæ. Vſuardus enim, qui breuitatem Sanctorum Hieronymi ac Bedæ damnauit, ideóque in Præfatione ſui Martyrologij *latiora Flori veſtigia* ſecutum ſe dixit, hoc loco breuior inuenitur vulgato Bedâ. Nam de Sancto Lamberto hæc tantùm habet [d]. *Apud Leodium, beati Lamberti Epiſcopi Tungrenſis, qui à nocentibus innocenter occiſus aulam cæleſtis regni perpetuò intrauit victurus.* Adhuc pauciora genuinus Beda [e] ſic. *Natalis Sancti Lamberti Epiſcopi & Martyris.* De genuino Bedæ Martyrologio, quod nuper in lucem prodiit, agemus infrà.

[a] Tom. 3.
[b] D. 17. Sept.
[c] D. 17. Sept.
[d] D. 17. Sept.
[e] D. 17. Sept.

XVII. Baronius [f] de Bedæ Martyrologio ſic diſſerit. *Meâ quidem ſententiâ nihil aliud Beda feciſſe videtur, niſi quod Romanum Martyrologium, cuius Sanctus Gregorius meminit, in Angliam per Auguſtinum vel ſucceſſores allatum, aliquibus additionibus auxit, quas aliquantò prolixiores fuiſſe, argumento ſunt ea, quæ ex eodem recitat Amalarius de Officiis Eccleſiaſticis lib. 2. c. 24. & de Ordine Antiphonarij c. 28. aliquot tamen dies nominibus Martyrum vacuos reliquiſſe (cauſa autem ignoratur) eóſque Flori additamentis ſuppletos Ado in ſui Martyrologij Præfatione teſtatur.* Henricus Valeſius in diſſertatione *de Martyrologio Romano quod edidit Roſweydus*, affirmat *nullum vnquam fuiſſe proprium ac peculiare Martyrologium Eccleſiæ Romanæ ante illud quod iuſſu Xyſti Quinti Pontificis Maximi editum eſt hoc titulo, & Baronij notationibus illuſtratum.* Imprimis Calendaria ſic diſtinguit à Martyrologiis. *Singulæ Eccleſiæ ſua habuere Calendaria, in quibus digeſta erant nomina Epiſcoporum & Martyrum, diéſque notati quibus memoria eorum anniuerſario cultu celebraretur. Martyrologia verò non vnius loci propria, ſed totius Eccleſiæ fuere communia, quippe quæ totius Orbis Martyres Confeſſoréſque generaliter continerent. Et in Calendariis quidem nomen vrbis nunquam adſcribitur, cùm in vſum duntaxat vnius Eccleſiæ comparata ſint. At in Martyrologio nomina ſingularum vrbium & oppidorum adſcribuntur, verbi gratiâ, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, & ſimilia, propterea quòd ad vſum totius Eccleſiæ illud inſtitutum eſt. Ex pluribus enim diverſarum vrbium Calendariis, vnum compoſitum*

[f] Cap. 9. de Martyrolog. Rom.

Digitized by Google

eſt Martyrologium. Itaque Calendaria Martyrologiis vetuſtiora ſunt, quippe quæ originem illis præbuerint. Quòd ſi quis peruicaciter contendat Calendarium etiam dici poſſe Martyrologium, equidem non magnoperè repugno, dummodò priuatum Martyrologium appelletur. Verùm hæc impropria locutio eſt, cùm Martyrologium, ſi propriè definire voluerimus, ad vſum totius Eccleſiæ ex æquo pertineat, nec huic Eccleſiæ magis competat quàm alteri. Denique Calendaria nomen duntaxat exhibent Martyrum, diémque ac locum in quo ſit ſtatio; in Martyrologiis verò & genus paſſionis, & tempus quo paſſi ſunt Martyres, & locus ac iudex adnotari ſolent. Iuxta illam diſtinctionem antiqua laudat Kalendaria Eccleſiæ Romanæ. Laudat vetuſtiſſimum Kalendarium temporibus Liberij Papæ conſcriptum, quod Ægidius Bucherius Societatis Ieſu Preſbyter vnà cum Victorij Cyclo Paſchali publicauit Antuerpiæ. Laudat Sacramentarium Gregorij Magni, quod eiuſdem generis eſt. Laudat Kalendarium Romanum, quod circa tempora Gregorij Papæ Secundi concinnatum Ioannes Fronto Canonicus Regularis, Sacræ Theologiæ Profeſſor in Monaſterio Sanctæ Genouefæ, & in Academia Pariſienſi Cancellarius Pariſiis edendum curauit. Addit nullum antiqui Martyrologij Romani veſtigium inueniri. Suam opinionem hoc tuetur argumento, quod prætermitti non debet à nobis hîc agentibus de Martyrologio Bedæ. Si fuit aliquod Martyrologium Romanum ante ætatem Bedæ, cur illius non meminit idem Beda in commentario ad Euangelium [a] Beati Marci, vbi agens de die quo caput Ioanni Baptiſtæ præciſum eſt, nullâ Martyrologij Romani mentione factâ, Martyrologium Sancti Hieronymi & Sacramentarium Gregorij Magni ſic allegauit. *Quòd in libro Sacramentorum Natale eius quarto Calendarum Septembrium denotatum eſt, & in Martyrologio, quod Euſebij & Hieronymi vocabulis inſignitum eſt, legitur quarto Calendas Septembris in Edeſſa ciuitate Phœniciæ prouinciæ Natale Ioannis Baptiſtæ die quo decollatus eſt, non ſpecialiter ipſum diem decollationis eius, ſed diem potiùs quo caput eius in eadem Edeſſa ciuitate atque in Eccleſia eſt conditum, deſignat.* Certum eſt, apud Gregorium Magnum in libro Sacramentorum qui ſæpiùs excuſus eſt, memoriam Sancti Ioannis Baptiſtæ quarto Kalendas Septembris celebrari. Martyrologium Sancti Hieronymi, quod à Beda citatum eſt, non venit in noſtras manus, differt enim plurimùm ab illo, quod Lucas Dacherius [b] ex Codice Corbeienſi publicauit. Maximæ diſcrepantiæ præſentiſſimum habes exemplum in feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ. Iuxta teſtimonium Bedæ in Martyrologio Sancti Hieronymi, *quarto Calendas Septembris in Edeſſa ciuitate Phœniciæ prouinciæ Natale Ioannis Baptiſtæ* recolitur. In Martyrologio, quod nomine Sancti Hieronymi Dacherius edidit, ſolennis eſt III *Kal. Sept. in prouincia Paleſtinæ, ciuitate Sabaſtiâ, paſſio Sancti Ioannis Baptiſtæ.* En dies diuerſi, diuerſáque vrbium ac prouinciarum vocabula, maior in Martyrologiis differentia vix excogitari poteſt. Beda in libro [c] Retractationis in Actus Apoſtolorum, Martyrologium Hieronymianum iterum ſic commendat. *Aſtipulatur & liber Martyrologij, qui Beati Hieronymi nomine ac præfatione attitulatur, quamuis idem Hieronymus illius libri non Author ſed Interpres, Euſebius autem Author extitiſſe narretur.* Certè non poteſt in dubium vocari, quin antiquum illud Martyrologium, quod ab Euſebio Epiſcopo Cæſarienſi Græcè compoſitum beatus Hieronymus in Latinam linguam verterat, præ manibus habuerit Beda. Baronius illud Romanum æquè ac Hieronymi Martyrologium olim dictum affirmat; Valeſius nec Romanum nec Hieronymianum agnoſcit, ſed Euſebianum, quod olim in Italia & in Occidentis partibus, vbi ſcripta ſancti Hieronymi manibus omnium terebantur, vulgò receptum fuiſſe non obſcurè docet Caſſiodorus in libro [d] de Diuinis Lectionibus, Chalcedonium enim & Gerontium Abbates ita compellat. *Futuræ beatitudinis memores, vitas Patrum, confeſſiones fidelium, paſſiones Martyrum legite conſtanter, quas inter alia in epiſtola ſancti Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum deſti-*

[a] Cap. 6.

[b] Spicileg. 4.

[c] Cap. 1.

[d] Cap. 32.

AN.CH. 708. CHLIDEBERTI III. R. 14.

nata procul dubio reperitis, qui per totum Orbem terrarum floruere, vt ſancta imitatio vos prouocans, ad cæleſtia Regna perducat. Baronius, quia genuinam Bedæ lucubrationem non vidit, exiſtimat additiones Euſebiano ſiue Hieronymiano Martyrologio à Beda inſertas fuiſſe, quæ prolixiores olim eſſent, quàm hodie in vulgato ſiue auctiore Bedæ Martyrologio extent. Citat in hanc rem duos Amalarij textus, vnum ex Officiis Eccleſiaſticis, alterum ex Ordine Antiphonarij. Prior talis eſt apud Amalarium [a]. *In Martyrologio Bedæ legitur, quòd pater noſter Arſenius propter redundationem lachrymarum tergendam, ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit.* Eadem verò leguntur apud vulgatum Bedam, XIIII *Calend. Auguſt. apud Thebaidam, Sancti Patris noſtri Arſenij, de quo in verbis ſeniorum refertur, quia propter redundationem lachrymarum tergendam ſudarium ſemper in ſinu vel in manu habuerit.* Necnon apud genuinum Bedam, ſi duas haſce voces (*apud Thebaidam*) exceperis. Ex collatione illorum Auctorum, hoc loco nihil elicitur, quod opinioni Baronianæ faueat. Poſterior Amalarij textus talis eſt [b]. *In præſenti Reſponſorio de feſtiuitate Sancti Marcelli inſcribitur* [*Ideoque in ſtabulo poſitus.*] *Quare Reſponſorius,* [*Hic eſt verè famulus Dei,*] *hoc proprium habeat in feſtiuitate Sancti Marcelli, ſcribam ex verbis Domini Bedæ, quæ excerpſit de vita Sancti Marcelli in Martyrologio ſuo. Decimo-ſeptimo Kalendas Februarij, Natale Sancti Marcelli Papæ, qui iubente Maximo Imperatore, primò fuſtibus cæſus, & à facie eius, quem corripiebat, expulſus eſt. Deinde audiens quòd domum Sanctæ Lucinæ, quam ipſe damnauerat proſcriptione, eò quòd facultatibus ſuis Chriſtianos donauerit, Eccleſiam faceret, atque in ea Miſſam celebraret in media ciuitate, iuſſit in eadem Eccleſia plancas extrui ad animalia catabuli publici, & eundem ſtabulo Epiſcopum ad ſeruitium animalium deputauit cum cuſtodia publica.* Alia verò de ſancto Marcello apud vulgatum Bedam leguntur in hunc modum nullâ ſtabuli mentione factâ. XVII *Calend. Febr. Romæ, viâ Salaria in cœmiterio Priſcillæ, Natale Sancti Marcelli Papæ, qui iubente Maximiano Imperatore* (de nomine Imperatoris, qui Marcellum vexauit, non omnes conveniunt) *primò fuſtibus cæſus, & a facie eius, quem corripiebat, expulſus eſt. Hic fecit cœmiteria in via Salaria, & viginti-quinque titulos in vrbe Româ conſtituit, propter baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, & propter ſepulturas Martyrum. Poſt multos itaquè annos in ſeruitio Dei indutus cilicio defunctus eſt, & conditus aromatibus à Iohanne Presbytero & beata Lucina ſepultus eſt in cœmiterio Priſcillæ.* Porrò textus Bedæ, quem præcitatus Amalarius deſcripſit, fœtus Bedæ cenſeri debet, genuinus enim Beda, de cuius nupera editione mox agemus, Marcellum Papam ſic commendat. XVII *Kal. Febr. Nat. S. Marcelli Papæ, qui iubente Maximino Imperatore, primò fuſtibus cæſus, & à facie eius quem corripiebat expulſus eſt. Deinde audiens quòd domum S. Lucinæ, quam ipſe proſcriptione damnauerat, eò quòd de facultatibus ſuis Chriſtianis donauerit, Eccleſiam faceret, atque in ea Miſſas celebraret in media ciuitate, iuſſit in eadem Eccleſia plancas ſterni ad animalia catabuli publici, & eidem ſtabulo Epiſcopum ad ſeruitium animalium deputauit cum cuſtodia publica. Vbi etiam poſt multos annos ſeruiendo, indutus amictu cilicino, defunctus eſt, & conditus aromatibus à Ioanne Presbytero & B. Lucina, ſepultus eſt in cœmeterio Priſcillæ.* Additiones igitur, quibus Beda Martyrologium Euſebianum ſiue Hieronymianum amplificauit, non eædem ſunt cum illis quæ inter eius opera in vulgato Martyrologio leguntur. Martyrologium autem, quod à Luca Dacherio [c] ſub nomine Sancti Hieronymi publicatum eſt, hæc habet de Marcello Papa. XVII *Kal. Febr. Romæ viâ Salariâ in cœmeterio Priſcillæ, Depoſitio Sancti Marcelli Epiſcopi & Confeſſoris.*

[a] De Offic. Eccleſ. l. 2. c. 24.

[b] de Ord. Antiphon. c. 28.

[c] Spicil. 4.

XVIII. Genuinum Bedæ Martyrologium, quod in tenebris ad noſtram vſque ætatem delituerat, anno tandem Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo, cùm tertius Annalium noſtrorum Tomus iam editus eſſet, in lucem prodiit. Annuente enim, qui literatos quoſque ſingulari prorſus beneuo-

Digitized by Google

lentiâ complectitur, V. C. Domino *Bouhier* Senatore Diuionenſi, deſcriptum fuit à Godefrido Henſchenio, cùm Kalendaria, Martyrologia, Vitáſque Sanctorum per vniuerſam Galliam conquireret, deinde ab eodem, cùm Acta Sanctorum menſe Martio coli ſolitorum publicaret, ſecundo illorum Actorum Tomo præfixum. Baronius ait Bedam *aliquot dies nominibus Martyrum vacuos reliquiſſe*, ſed non *aliquot dies*, at complures dicere debuit. Ille enim dies vacuos reliquit centum & octoginta; menſe Ianuario, vndecim; Februario, ſeptemdecim; Martio, duos ac viginti; Aprili, quindecim; Maio, ſeptemdecim; Iunio, vndecim; Iulio, totidem; Auguſto, nouem; Septembri, vndecim; Octobri, viginti; Nouembri ſeptemdecim; Decembri, nouemdecim; menſe Ianuario, ſecundum, quartum, quintum, ſeptimum, octauum, nonum, decimum-quintum, decimum-nonum, viceſimum-ſeptimum, triceſimum & triceſimum-primum; menſe Februario, tertium, quartum, ſextum, octauum, nonum, duodecimum, decimum-tertium, decimum-quintum, decimum-octauum, decimum-nonum, viceſimum, viceſimum-primum, viceſimum-tertium, viceſimum-quintum, viceſimum-ſextum, viceſimum-ſeptimum & viceſimum-octauum; menſe Martio, primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, octauum, decimum, vndecimum, decimum-quartum, decimum-quintum, decimum-ſeptimum, decimum-octauum, decimum-nonum, viceſimum-ſecundum, viceſimum-tertium, viceſimum quartum, viceſimum-ſeptimum, viceſimum-octauum, viceſimum-nonum, triceſimum & triceſimum-primum; menſe Aprili, ſecundum, tertium, ſextum, ſeptimum, octauum, decimum-tertium, decimum-ſextum, decimum-ſeptimum, decimum-octauum, decimum-nonum, viceſimum, viceſimum-primum, viceſimum-ſeptimum, viceſimum-nonum & triceſimum; menſe Maio, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum, vndecimum, decimum-quintum, decimum-ſextum, decimum-ſeptimum, decimum-octauum, viceſimum, viceſimum-primum, viceſimum-tertium, viceſimum-quartum, viceſimum-ſeptimum & triceſimum; menſe Iunio, tertium, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, decimum, viceſimum, viceſimum-primum, viceſimum-quintum, viceſimum-ſeptimum & triceſimum; menſe Iulio, primum, quintum, ſeptimum, duodecimum, decimum-tertium, decimum-quintum, viceſimum, viceſimum-ſextum, viceſimum-ſeptimum, viceſimum-octauum & triceſimum-primum; menſe Auguſto, tertium, quartum, quintum, decimum-ſextum, viceſimum-primum, viceſimum-tertium, viceſimum-quintum, viceſimum-ſeptimum & triceſimum-primum; menſe Septembri, primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, decimum, duodecimum, decimum-tertium, decimum-octauum, viceſimum-quintum & viceſimum-octauum; menſe Octobri, ſecundum, quartum, quintum, ſextum, octauum, vndecimum, duodecimum, decimum-tertium, decimum-quintum, decimum-ſextum, decimum-ſeptimum, decimum-nonum, viceſimum, viceſimum-ſecundum, viceſimum-tertium, viceſimum-quartum, viceſimum-ſextum, viceſimum-ſeptimum, viceſimum-nonum & triceſimum; menſe Nouembri, ſecundum, tertium, quartum, ſextum, ſeptimum, decimum, duodecimum, decimum-quartum, decimum-quintum, decimum-ſextum, decimum-octauum, decimum-nonum, viceſimum, viceſimum-primum, viceſimum-ſextum, viceſimum-ſeptimum & viceſimum-octauum; menſe Decembri, primum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum, duodecimum, decimum-quartum, decimum-quintum, decimum-ſextum, decimum-octauum, decimum-nonum, viceſimum, viceſimum-ſecundum, viceſimum-nonum & triceſimum.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

XIX. Poſt Bedam inter Martyrologos Florus proximè collocatur à Baronio, qui Sigebertum & Trithemium hoc loco perperam allegat, non enim loquuntur hi Scriptores de Floro Martyrologo, ſed de alio Floro, qui Sancti

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14. Pauli Epiſtolas verbis Sancti Auguſtini hinc inde collectis expoſuit. Sigebertus in libro de viris illuſtribus ſeu de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cap. 92. (vitioſè in exemplaribus Baronij capite 94.) hæc habet de Floro. *Florus Epiſtolas Pauli ex integro expoſuit, qui nihil a ſe dicens, ſed omnes Auguſtini libros reuoluens, & capitula Epiſtolarum Pauli, ab Auguſtino diuerſis locis expoſita, recolligens, ipſa capitula expoſita reſtituit ordini Epiſtolarum, annotans ſingulos Auguſtini libros, in quibus ea capitula expoſita erant, & ſic nouo & mirabili ſtudio de alieno labore magnum ſui operis volumen edidit.* Trithemius hæc libro ſecundo (in exemplaribus Baronij numerus libri deſideratur) de viris illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti, capite XLIV. *Florus Monachus Sancti Trudonis Leodienſis Diœceſis, vt in diuinis Scripturis ſtudioſiſſimus & ſatis eruditus, librorum Sancti Auguſtini amator præcipuus, de quibus ſententias ſuo congruentes propoſito collegit, omnes Epiſtolas beati Pauli Apoſtoli ita magnificè expoſuit, vt Auguſtini opus in toto videatur. Nihil enim de ſuo inſeruit. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt.* Wandalbertus alium Florum, Lugdunenſis Eccleſiæ Subdiaconum, in ſua præfatione ſic laudat, vt tamen Martyrologium ab eo ſcriptum nuſquam teſtetur. *Quia ſolemnium*, inquit, *dierum certiſſima comprehenſio non leuiter nec facilè pro librorum varietate conſtabat, ope & ſubſidio præcipuè vſus ſum ſancti & nominatiſſimi Flori Lugdunenſis Eccleſiæ Subdiaconi, qui vt noſtro tempore reuerà ſingulari ſtudio & aſſiduitate in diuinæ Scripturæ ſcientia pollere, ita librorum authenticorum non mediocri copiâ & veritate cognoſcitur abundare. Ab hoc ego ſumptis veteribus emendatíſque Codicibus, Martyrologicum librum à Kalendis Ianuariis ad finem anni, per dierum ſingulorum occurrentes feſtiuitates, metro edidi.* Quonam tempore ſcriptum ſit Martyrologium Flori, nec Sigebertus indicat nec Trithemius. Exiſtimat Baronius Martyrologium ab Vſuardo concinnatum fuiſſe iubente Carolo Magno, & Florum ipſo Vſuardo antiquiorem extitiſſe annis circiter ſeptuaginta. *Poſt Bedam*, inquit, *ac Florum, poſt annos circiter ſeptuaginta, temporibus Caroli Magni, Vſuardus ſcripſit Martyrologium.* Hæc duo ſi vera ſunt, Florus eodem ferè tempore, quo Beda, calamo manum admouit. At Martyrologium ſuum Vſuardus Carolo Caluo dicauit, & Florus, qui Bedæ Martyrologium additamentis auxit, neuter eorum videtur eſſe, quos Wandalbertus, Sigebertus & Trithemius commendarunt. Si fides eſt Baronio, *Bedam aliquot dies nominibus Martyrum vacuos reliquiſſe, eóſque Flori additamentis ſuppletos, Ado in ſui Martyrologij præfatione teſtatur.* Beda dies octoginta ſupra centum intactos reliquit, ſed eos omnes haud ſuppleuit Florus, nec eos omnes à Floro ſuppletos affirmat Ado, cuius propria ſunt hæc verba. *Ne putes me in hoc opere in vacuum laboraſſe, & rem non neceſſariam executum fuiſſe, breuiter tibi cauſam facti aperiam. Primùm fuit imperium ac iuſſio Sanctorum virorum, vt ſupplerentur dies, qui abſque nominibus Martyrum in Martyrologio, quod venerabilis Flori ſtudio in labore Domini Bedæ accreuerat, tantùm notati erant. Deinde collecti vndecumque paſſionum codices animum in tantum ſuſcitauerunt, vt non ſolùm prætericas dierum feſtiuitates, verùm & aliorum, qui per totum annum ibi notatim poſiti erant, latiùs & paulò apertiùs deſcriberem.* Florus duos Martyrologij libros ſcripſit, vnum in quo multa omiſit, alterum in quo *multa, quæ in priori omiſerat, & correxit & addidit*, vt ait Vſuardus in ſua præfatione.

XX. Godefridus Henſchenius Bedæ Martyrologio inſeruit auctarium, quod Flori nomine publicauit, ac minori charactere curauit edi, ne cum Bedæ textu confunderetur. Elogia Sanctorum, quæ continentur in hoc auctario poni poſſunt in triplici differentia. Ibi quædam fuſiori quàm apud Bedam ſtylo narrantur. Adiiciuntur alia, vt plura quàm apud Bedam eodem occurrant die. Denique vt dies nominibus Sanctorum apud Bedam vacuì ſuppleantur, adduntur non pauca. Primi generis additamentum reperitur decimo-quinto Kalendas Octobris. Illo die de ſancto Lamberto hæc bre-

Digitized by Google

uiter Beda. *Natalis ſancti Lamberti Epiſcopi & Confeſſoris.* Plura Florus ſic. *In Gallia, in villa quæ dicitur Leudegus, Natalis ſancti Lamberti Epiſcopi & Confeſſoris, qui ſectando iuſtitiam adeptus eſt Martyrij palmam.* Secundi generis additamentum legitur tertio Idus Ianuarij. Beda enim hæc tantùm habet ad illum diem. *In Africa, ſancti Saluij, in cuius Natali ſanctus Auguſtinus verbum fecit ad populum Carthagine.* Florus autem hæc adiungit. *Paſſio ſanctorum, Poliucti, Candidiani, & Filoromi, qui pariter in confeſſione Chriſti perſeuerantes, igni traditi ſunt. In Achaia, paſſio ſancti Iuliani Martyris, qui ſub Martiano Præſide in carcere gladio peremptus eſt.* Tertij generis additamentum inuenitur Nonis Ianuarij. Dies ille vacuus eſt apud Bedam, duobus autem Simeonibus apud Florum ſic illuſtratur. *Hieroſolymâ, depoſitio Simeonis Prophetæ, qui à Spiritu Sancto reſponſum accepit non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. In Antiochiæ Eccleſia, quæ vocatur Pœnitentia, depoſitio ſancti Simeonis Confeſſoris, qui in columna ſtans arctiſſimè vixit, & incolis loci illius multas tribuit ſanitates. Hic poſt conuerſionem nullam vnquam mulierem oculis attentis aſpexit. Poſtquàm verò columnæ editiori ſe ſanctitate feruens inuexit, non modò extraneæ mulieri, verùm etiam nec propriæ matri ſe videndum permiſit. Scriptum in Geſtis eius.* Beda, vt dictum eſt ſuprà, dies centum & octoginta reliquit intactos; Florus quatuor & quinquaginta ſuppleuit; menſe Ianuario quinque, ſecundum, quintum, ſeptimum, octauum & triceſimum; menſe Februario duos, ſextum & decimum-quintum; menſe Martio totidem, viceſimum-ſecundum & viceſimum-tertium; menſe Aprili ſeptem, ſecundùm, tertium, ſextum, ſeptimum, decimum-octauum, viceſimum & triceſimum; menſe Maio ſex, quartum, vndecimum, decimum-quintum, viceſimum-primum, viceſimum-tertium & viceſimum-ſeptimum; menſe Iunio tres, tertium, viceſimum-primum & triceſimum; menſe Iulio quatuor, primum, viceſimum-ſextum, viceſimum-ſeptimum & viceſimum-octauum; menſe Auguſto quinque, quintum, viceſimum-primum, viceſimum-tertium, viceſimum-quintum & viceſimum-ſeptimum; menſe Septembri ſex, primum, ſecundum, quartum, quintum, decimum-octauum & viceſimum-quintum; menſe Octobri quinque, ſecundum, vndecimum, viceſimum-ſextum, viceſimum-ſeptimum & viceſimum-nonum; menſe Nouembri duos, quartum & decimum-octauum; menſe Decembri ſeptem, primum, ſecundum, decimum-quartum, decimum-quintum, decimum-octauum, decimum-nonum & triceſimum. Florus igitur dies centum viginti-ſex intactos reliquit, quos alij ſuppleuerunt. Apud Bedam decimo-quinto Kalendas Octobris, vbi ſermo fit de ſancto Lamberto, nomen illius tantùm ponitur cum titulis Epiſcopi & Martyris, *Natalis ſancti Lamberti Epiſcopi & Martyris.* Apud Florum eodem die præter ſancti Lamberti nomen ac titulos, adduntur prouincia, locus & cauſa Martyrij, *in Gallia, in villa quæ dicitur Leudegus, Natalis ſancti Lamberti Epiſcopi & Martyris, qui ſectando iuſtitiam adeptus eſt Martyrij palmam.* Illorum Auctorum neuter Alpaidem ream facit, aut Lambertum interfectum teſtatur, eò quòd Pippinum adulterij redarguiſſet.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

XXI. Baronius, quia, petente Carolo Magno Auguſto, Martyrologium ab Vſuardo concinnatum putauit, Floro ſubiecit Vſuardum, huic Wandalbertum, deinde Adonem. Sed in vltimum locum coniiciendus eſt Vſuardus, quia claruit ſub Carolo Caluo Auguſto, Magni nepote. Wandalbertum ſeu Wandelbertum eiúſque Martyrologium ſic commendat Baronius. *Wandelbertus Diaconus & Monachus Prumienſis Cœnobij, qui claruit ſub Lothario Imp. anno Domini 850. inter illorum temporum Poetas non ignobilis, Heroïco carmine Martyrologium ſcripſit, cuius meminit Sigebertus de vir. illuſtr. c. 130. & Trithem. pluribus lib. de vir. illuſtr. Ord. S. Bened. c. 36. Putatur illud ipſum eſſe, quod apud Bedæ Tomum primum legitur ſub titulo Ephemeridum Bedæ, ſed cùm in eo nonnulla recenſeantur, quæ poſt Bedæ tempora contigerunt, certè Bedæ non eſſe exploratum*

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

videtur. Sigebertus à Miræo editus, capite 128. (apud Baronium 130.) de Scriptoribus Eccleſiaſticis, elogium Wandalberti breuiſſimè complectitur his verbis. *Wandalbertus ſcripſit Martyrologium metrico ſtilo.* Trithemius libro ſecundo de viris illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti (Baronius omiſit numerum libri) capite XXXVI in laudes & opera Wandalberti fuſiùs exſpatiatur. *Wandelbertus Diaconus & Monachus Prumienſis Cœnobij in Diæceſi Treuerenſi, natione Teutonicus, vir in diuinis ſcripturis doctus, & in ſecularibus literis valdè peritus, Rhetor & Poeta inſignis, ſermone clarus & nitidus, ſcripſit iuſſu Marckuuardi Abbatis, vitam & miracula Sancti Goaris Confeſſoris lib. 1. ad eundem de miraculis eiuſdem ſuo tempore oſtenſis, lib. 1. Scripſit etiam metricè Martyrologion totius anni lib. 1. & alia plura, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit ſub Lothario Imperatore, anno Domini* 854. Wandalbertus compoſuit Martyrologium, cùm Lotharius quinque iam luſtris ſiue annis viginti-quinque nomen Imperatoris geſſiſſet. In commendatione enim ſui operis *ad Cæſarem benigniſſimum Lotharium*, hos habet Verſus.

Luſtra per orbem
Quinque recurrunt,
Nomine poſtquàm
Clarus & armis
Cæſariana
Iura retentas.

Annus autem Lotharij Imperatoris viceſimus-quintus cum anno Chriſti octingenteſimo quadrageſimo-ſecundo coincidit, anno enim Chriſti octingenteſimo decimo-ſeptimo Ludouicus Pius, vt in eius vita refertur, *filium primogenitum Lotharium Imperatorem appellari & eſſe voluit*, conſentiúntque Annales Bertiniani, Fuldenſes aliique recentiores. Nec præcitati Verſus Wandalberti referri poſſunt ad annos, quibus Lotharius poſt mortem Ludouici Patris imperauit, nam Lotharius per annos quinque ac viginti Ludouico Pio ſuperſtes haud fuit. Wandalbertus Codicibus, quos Florus Subdiaconus Lugdunenſis ſibi compararat, vſum ſe teſtatur, opus ſuum inſcripſit Otrico viro illuſtri, & in feſto Sancti Lamberti, decimo-quinto Kalendas Octobris, hoc exarauit Diſtichon, in quo nihil occurrit, quod recentiorum Auctorum, quos impugnamus, falſæ opinioni fauere videatur.

Lambertus quintum denum virtute coronat,
Factio quem cæſum ſemper tremebunda paueſcit.

XXII. Poſt Wandalbertum ſcripſit Ado, de quo ſic Baronius [a]. *Ado Epiſcopus Treuirenſis, vir laudatiſſimus, qui claruit temporibus Gregorij Papæ VII. & ipſe locupletius ſcribens Martyrologium, non tantùm quæ ab aliis viderentur prætermiſſa ſuperaddidit, ſed & quæ à cæteris breuiùs dicta eſſent de paſſionibus Martyrum, fuſius enarrauit.* Præter Cæſarem Baronium Aloyſius Lipomanus, Iacobus Moſander, Robertus Bellarminus, aliique non pauci Adonem Martyrologum, qui Viennenſem Pontificatum geſſit, confuderunt cum Vdone de Nellemburgo Archiepiſcopo Treuirenſi, qui floruit ætate Gregorij Papæ Septimi. Merſſæus in Catalogo Treuirenſium Antiſtitum, ne cum aliis Adonem in Vdonem tranſmutaret, commentitium quendam Adonem, cuius alibi nulla mentio fit, Vdoni ſubrogauit. Ado, Auctor Martyrologij, Viennenſem Archiepiſcopatum iniit Lothario Imperatore ab aliquot annis iam mortuo, migrauitque in cælum anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, die decimâ-ſextâ Decembris, quâ celebratur in Tabulis Eccleſiaſticis. Baronius mutatâ tandem ſententiâ Tomo decimo Annalium Eccleſiaſticorum Adoni Viennenſi Martyrologium attribuit, ſic enim ad annum Chriſti octingenteſimum ſeptuageſimum-octauum [b]. *Ad hunc vſque annum, quo celebratum eſt Trecenſe Concilium, Ado Archiepiſcopus Viennenſis perduxit quod ſcripſit Chronicon, vir cumprimis tum ſcientiâ tum etiam ſanctitate clarus, cuius natalis dies inter Sanctos recenſitus habetur* XVI *menſis Decembris. Extat ex eius lucubrationibus*

[a] C. 9. de Martyrol. Rom.
[b] Num. 35.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

brationibus inſigne monumentum illud, quo res geſtas Sanctorum Martyrum nouo Martyrologio ceteris fuſiùs eſt proſecutus. Inſcribitur Martyrologium Adonis. Reſtat ſcrupulus ſuper Adonis ætate. Baronius in Annalibus [a] Eccleſiaſticis Chronicon ab Adone perductum ait vſque ad annum Chriſti octingenteſimum ſeptuageſimum-octauum, in notis ad Martyrologium [b] Romanum vſque ad annum Domini octingenteſimum octogeſimum; Bellarminus in Scriptoribus Eccleſiaſticis vſque ad annum Chriſti octingenteſimum ſeptuageſimum-nonum. Alij multò magis inter ſe diſſentiunt. Vulgata Chronici exemplaria deſinunt in ortu Ludouici, qui cognominatus eſt Tranſmarinus. At Ado Viennenſis Archiepiſcopus, cuius ſucceſſor Ottramnus anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto, menſe Februario, Conuentui Ticinenſi ſubſcripſit, ex hac vita diſceſſit anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo-quarto, & in vulgato eius Chronico expungendæ ſunt poſtremæ periodi ab hiſce nimirum verbis, *Ludouicus verò Rex Noricorum*, &c. vt obſeruauit Philippus Labbeus in Appendice addendorum & corrigendorum in primo Tomo diſſertationis Hiſtoricæ de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Duæ res Adonem ad ſcribendum impulerunt. Quamuis Bedæ Martyrologium additamentis auctum fuiſſet à Floro, ſupererant adhuc dies non pauci nominibus Martyrum vacui, quos ſupplere voluit. Prætereà fratribus infirmioribus, qui multa legere non poſſent, haud parum ſe profuturum putauit, ſi victorias Martyrum ex variis Codicibus in vnum redigeret, eáſque deſcriberet paulò fuſiùs quàm Beda Florúſque præſtitiſſent. *Breuiter tibi*, inquit in ſua præfatione, *cauſam facti aperiam. Primùm, fuit imperium ac iuſſio Sanctorum virorum, vt ſupplerentur dies, qui abſque nominibus Martyrum in Martyrologio (quod venerabilis Flori ſtudio in labore Domni Bedæ accreuerat) tantùm notati erant. Deinde collecti vndecumque Codices animum in tantum ſuſcitauerunt, vt non ſolùm præteritas dierum feſtiuitates, verùm & aliorum, qui per totum annum ibi notatim poſiti erant, latiùs & paulò apertiùs deſcriberem, infirmioribus fratribus & minùs legere valentibus ſeruiens, ad laudem Omnipotentis Dei, vt in memoriis Martyrum haberent compendioſam lectionem, atque in paruo codicello, quod multo labore alij per plures Codices exquirunt.* Vſus eſt *venerabili & perantiquo Martyrologio*, quod *ab vrbe Roma Aquileiam cuidam Sancto Epiſcopo à Pontifice Romano directum*, & ſibi poſtmodum *à quodam religioſo fratre aliquot diebus præſtitum* ait. Martyrologium illud, quod Ado diligenti curâ tranſcribendum curauit, vetus Romanum eſſe cenſuit, atque à ſe repertum dixit publicauítque Heribertus Roſweydus. Sed aduersùs Roſweydum egregiè iam diſputarunt Ioannes Fronto in prænotatis ad Kalendarium [c] Romanum, & Henricus Valeſius in diſſertatione de illo Martyrologio. Ceterùm Ado in ſuo Martyrologio [d] hæc habet de Sancto Lamberto. *Tungrenſi Diæceſi, in Leodio, villa publica, Natalis Sancti Lamberti Epiſcopi, qui dum Regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet, cùm rediens orationi incumberet, ab iniquiſſimis viris de palatio Regio miſſis, improuiſè concluſus intra domum Eccleſiæ, occiditur. Cuius ſepulchrum crebertimis miraculis illuſtratur, ac mors eius nihilominùs pretioſa in conſpectu Domini commendatur.* Huius locutionis, *dum Regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet*, quam Neoterici erga Pippinum & Alpaidem parum æqui fauere ſibi putant, germanum ſenſum exponemus infrà.

XXIII. Ex Martyrologis, quos Baronius capite nono de Martyrologio Romano citat, vnus ſupereſt Vſuardus, quem ille Wandalberto præponit, nos Adoni poſtponimus. Duplex edita eſt Vſuardi Præfatio, vna Martyrologium inſcribit *Domino Regum piiſſimo, Carolo Auguſto*, altera *Domino venerabiliter recolendo Karolo Regum piiſſimo*. Bollandus [e], qui poſteriorem publicauit, non inficiatur priorem in Codicibus excuſis ac manuſcriptis inueniri. Stamus à priore, & Vſuardi Martyrologium Carolo Imperatori dicatum arbitramur. In ea ſententia eſt Sigebertus [f]. Quòd autem hic Auctor Carolum illum Im-

[a] Ad an. 878. n. 35.
[b] d. 16. Dec.
[c] Paragr. 8.
[d] d. 17. Sept.
[e] Præfat. in vitas SS. cap. 3. paragr. 7.
[f] De Scriptor. Eccleſ. c. 85.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R 14.

peratorem cognomento Magnum facit, quamuis in hac parte Baronium alióſque complures aſſeclas nactus ſit, id probare non poſſumus, quia Codices Vſuardi cùm manuſcripti tum excuſi non ſemel meminerunt perſecutionis Arabicæ, quæ longè poſt obitum Caroli Magni mota eſt in Hiſpania. Recurrendum igitur exiſtimamus ad Carolum Caluum, Magni nepotem, qui anno poſt Adonis mortem proximo in die Natiuitatis Domini Romæ coronatus eſt Imperator. Alter hic Carolus Imperium biennio integro non tenuit, obiit [a] enim pridie Nonas Octobris anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Illis temporibus Martyrologium ſcripſit Vſuardus, & in ipſa Præfatione ad Carolum, cur id operis ſuſceperit, & quâ ratione confecerit, ſic expoſuit. *Domino Regum piiſſimo, Carolo Auguſto, Vſuardus indignus Sacerdos ac Monachus, perennem in Chriſto coronam. Minimè latet veſtram Celſitudinem, ſapientiſſime Princeps, qualiter monemur in imitandis antiquorum ſtudiis, vt quicquid in geſtis, præcipuè Eccleſiaſtico dogmati congruis, minùs perfectum inuentum fuerit, debeamus vel pro poſſe ſupplere, vel certè ſuppleri optare. Quæ res piâ quidem ſolicitudine (veſtro, ſi recordamini, iuſſu dignanter admoto) me ad hoc, etſi indignum impulit, quatenus Sanctorum ſacras atque anniuerſariò recolendas feſtiuitates, ex quibuſdam præcedentium Patrum Martyrologiis, in quandam colligerem vnitatem, recolebámque in ipſis eorundem ſolennitatibus quammultos propriæ negligentiæ exceſſus, quos etiam purgari tali cupiebam officio. Præterea & venerabilium, Hieronymi ſcilicet ac Bedæ, Presbyterorum piis, quamuis ſuccinctis, ſuper hoc prouocabar deſcriptis. Quorum prior breuitati ſtudens, alter verò quamplures Kalendarum dies intactos relinquens, multa inueniuntur huius operis præteriiſſe neceſſaria. Quos tamen ſequutus cenſui & Flori memorabilis viri latiora iam in eo ipſo negotio ſequi veſtigia, præſertim in ſecundo eiuſdem libro, ibi enim multa, quæ in priori omiſerat, & correxit & addidit. At ſi quid præter quod ab illis accepi, in hoc tempore auctum vel mutatum eſt, ſagaci à me indagine id perquiſitum agnoſci poterit.* Vſuardus ſuo non tantùm auxit ſed etiam emendauit aliorum Martyrologia, Hieronymi videlicet, Bedæ ac Flori, quæ poſita præ manibus habuit. Nullam Adonis mentionem fecit, quia ſcripſit breui poſt Adonis mortem interuallo, nec eius Martyrologium legit vnquam. Certè ſi legiſſet, vt Flori ſic Adonis latiora veſtigia ſecutus eſſet, nec pauciora quàm Ado narraſſet de Sancto Lamberto. Vtrumque ſimul confer. Adonem, qui prolixior eſt, ſuprà recitauimus, Vſuardum hoc loco deſcribemus. *Decimo-quinto Calendas Octobris, apud Leodium, beati Lamberti Epiſcopi Tungrenſis, qui à nocentibus innocenter occiſus, aulam cæleſtis Regni perpetuò intrauit victurus.*

[a] Annal. Bertin.

XXIV. In Martyrologio Romano [b], encomium Sancti Lamberti ex Martyrologiis Adonis & Vſuardi conflatum hodie ſic inuenitur. *Apud Leodium, beati Lamberti Epiſcopi Traiectenſis, qui cùm Regiam domum zelo religionis increpaſſet, à nocentibus innocens occiſus, aulam Regni cæleſtis perpetuò victurus intrauit.* Ex Adone ſumpta ſunt hæc verba, *cùm regiam domum zelo religionis increpaſſet.* Cetera tranſcripta ſunt ex Vſuardo. Vtrobique minùs propriè mentio fit Tungrenſis Diœceſeos, Sedes enim Epiſcopalis à multis ſeculis è ciuitate Tungrenſi Traiectum ad Moſam tranſlata fuerat. Meliùs in Martyrologio Romano Sanctus Lambertus Traiectenſis Epiſcopus appellatur. Fortè cùm duplex eſſet Traiectum, vnum ad Moſam, alterum ad Rhenum, vtrumque Pontificiâ Sede nobilitatum, Ado, Vſuardus, Regino, aliique, Epiſcopos, qui poſthabitis Tungris Traiecti ad Moſam ſederunt, Tungrenſes cognominarunt, ne ſi Traiectenſes ſcriberent, Lector ſubdubitaret, vtrùm Traiecti ſuperioris ad Moſam, an inferioris ad Rhenum Epiſcopi fuiſſent.

[b] D. 17. Sept.

XXV. Præter Martyrologos ſuprà laudatos, Baronius inter antiquos Auctores qui ſermonem obiter de Martyrio Sancti Lamberti fecerunt, citat Marcellinum, à quo vitam Sancti Swiberti conſcriptam diximus. Marcellinus,

Digitized by Google

cùm Sanctus Lambertus Martyrio coronatus eſt, pueritiam agebat, vitam duxit valdè longæuam, & Acta Sancti Swiberti retulit in literas Bedâ iam mortuo. Si genuinum illud opus extaret, dirimeretur omnis controuerſia. Sed vt non ſemel iam queſti ſumus, à quopiam Neoterico variis auctum eſt interpolationibus, quæ Chronologiæ multùm repugnant. Talis eſt hæc rerum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto apud Ioppiliam à Pippino gaſtarum narratio [a], in qua breuiter Martyrium S. Lamberti perſtringitur. *Cùm in Monaſterio Werdenſi vita cæleſtis inſtitutio quotidianum ſumeret incrementum, contigit anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo decimo-quarto Pipinum de Herſtallo, ſtrenuum Principem & Maiorem domûs Francorum, dolentem ſuper innocente morte ſanctiſſimi Lamberti Tungrenſis Epiſcopi, ad mortem ægrotare. Accerſitúſque Swibertus egregius Pontifex ad viſitandum eum per nobiles viros, perrexit priùs cum Willeico & Theodorico diſcipulis ſuis Coloniam ad Plectrudem illuſtrem Duciſſam Lotharingiæ ſiue Auſtraſiorum, conſilium ab ea expetens, quidnam facere deberet. Quæ eum religiosè ſuſcipiens & tractans, tandem retento Coloniæ pio Willeico Presbytero Sancti Swiberti apud ſe causâ deuotionis & conſolationis (erat enim felix Willeicus euangelicus Sacerdos) miſit Sanctum Swibertum & Agilolphum Colonienſem Archiepiſcopum cum pleriſque aliis Prælatis ad Pipinum Principem, coniugem eius, ad informandum eum, ſi obiret, ne illuſtres legitimos ſuos filios, Drogonem Ducem Campaniæ, Grimoaldum Maiorem domûs Childeberti Regis Franciæ, exhæredaret, hæredem ſcribendo Carolum Martellum illegitimum ex Alpaide pellice genitum, in detrimentum & damnationem animæ ſuæ, & in confuſionem ſui & totius Eccleſiæ, atque in ſcandalum ſuorum Primatum & ſubditorum. Et quia Sanctus Lambertus Epiſcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, Martyrium ſubiit. Venientes igitur præfati Pontifices Ioppiliam ad ægrotantem Principem Pipinum, benignè ab eo ſuſcepti ſunt. Qui ipſum conſolantes, & ad tolerantiam aduerſitatum temporalium & infirmitatum corporalium confortantes, aiebant quòd Deus electis ſuis iter aſperum facit, ne, dum delectarentur in via, obliuiſcerentur eorum quæ ſunt in patria. Tandem nacto opportuno tempore & congruo, inter cetera pro ſalute & remedio animæ ſuæ, cauſam, pro qua venerant, ei deuotè & ſalubriter Pontifices exponentes, & de illicito matrimonio increpantes, ſtatim cum indignatione repulſam patiebantur. Alpais verò legationem Sanctorum Pontificum ſciſcitans & comperiens, irata valdè, Pontifices abire celeriter præcepit, & ipſa interpellans importunè pro Carolo Martello filio ſuo apud Pipinum impetrauit cuncta pro eodem filio ſuo quæ petierat. Pipinus verò eodem anno moriens, eundem Carolum Martellum ſuorum Principatuum reliquit hæredem. Quod cernentes præfati Pontifices, inglorÿ & triſtes Coloniam redierunt enarrantes præclaræ Plectrudi omnia, quæ geſta erant in Ioppilia à Pipino, conſolantes eam, & ad tolerantiam patientiæ animantes.* Textum illum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum accuratè examinabimus. Interim hoc loco per anteceſſum obſeruabimus in prædicta narratione legi non pauca, quæ palàm Chronologiæ refragantur. Iuxta illam interpolationem, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto Plectrudis erat Duciſſa Lotharingiæ; ſupererat Drogo Dux Campaniæ, regnabat apud Francos Childebertus, viuebat adhuc Swibertus Epiſcopus, & Pipinus Alpaidem nondum dimiſerat. Hæc autem falſiſſima ſunt. Nondum enim audiebatur nomen Lotharingiæ; vitam finierant, Drogo ante ſexennium, ante triennium Childebertus, anno ſuperiore Swibertus; & Alpais in Monaſterium iampridem ſeceſſerat. De receſſu Alpaidis, déque obitu Drogonis actum ſuprà. Mortem autem Childeberti Regis, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo; mortem Swiberti Epiſcopi, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio conſignabimus.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

[a] Ap. Sur. d. 1. Mart. in vit. S. Swiberti.

XXVI. Antiquis Auctoribus, qui quocumque modo, vel obiter, vel ex profeſſo locuti ſunt de Martyrio Sancti Lamberti, ſic examinatis, inde concludimus Alpaidem, quæ iampridem ſeceſſerat in Monaſterium, haud egiſſe

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

apud Pippinum, vt Lamberto Epiſcopo nex inferretur. Apud tres antiquiſſimos Scriptores, id eſt, apud Anonymum coætaneum, apud Godeſchalcum & apud Stephanum, duo fratres Gallus & Rioldus Lambertum Epiſcopum conuitiis & contumeliis appetunt, totámque Traiectenſis Eccleſiæ familiam plurimis afficiunt iniuriis; inſcio Pontifice ab eius amicis occiduntur; illorum conſanguineus Dodo vindictam in Præſulem innocentem retorquet. Ab hiſce vetuſtiſſimis Auctoribus non diſcrepant earumdem ætatum Martyrologi, Beda, Florus, Wandalbertus, Ado & Vſuardus. Apud Adonem Lambertus Epiſcopus *Regiam domum zelo religionis accenſus* increpat. Ex Adonis Martyrologio eadem phraſis in vulgatum Bedæ Martyrologium & in Romanum tranſlata eſt. Vt alibi *regnandi* & *Regni* voces Pippino tribuuntur, ita & hîc *domus Regia*, quia Pippinus eiúſque hæredes auctoritate pollebant penè Regiâ. Annalium Nazarianorum, qui deſinunt in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, initium tale eſt. *Anno* DCCVII, vel potiùs vt reſtituendum iam monuimus, anno DCXXXVII, *Pippinus ſenior regnare cœpit.* In Chronico Hildensheimenſi hæc leguntur de eodem Pippino. *Pipinus Dux filius Anſchiſi poſt mortem Wlfaldi Ducis cœpit regnare, obtinuítque Regnum Francorum per annos* XXVII. Deinde hæc de Carolo eius filio. *Karolus regnauit ann.* XXVIII. Necnon iſta de Carlomanno & Pippino filiis Caroli. *Duo liberi eius*, nempe Caroli, *regnant annis* XXVII. Et in Annalibus Bertinianis iidem fratres poſt mortem Caroli patris dicuntur diuiſiſſe *Regnum Francorum inter ſe.* Non aſſentimur iis, qui Pippinum & Alpaidem apud Adonem, & in vulgato Martyrologio Bedæ, necnon in Romano, per Regiam domum intelligendos putant; Regiam domum interpretamur aulam Regiam, exiſtimamúſque nonnullos ex aula ſeu comitatu vel famulitio Pippini ſeuerè increpitos à Lamberto Pontifice, nec ei, cur eiuſmodi homines increparet, vllam ſuſpicamur cauſam fuiſſe præter illam, quam Anonymus coætaneus, Godeſchalcus & Stephanus expoſuerunt. Horum poſtremo ſynchronus vixit Regino, qui textum Adonis deſcripſit [a], Dodonis tantùm nomine, quod in antiquioribus Auctoribus ſuprà laudatis repererat, ſic adiecto. *Eâ ætate claruit Lambertus Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopus, qui dum Regiam domum zelo religionis accenſus increpaſſet, ab iniquiſſimo Dodone, & aliis viris de Palatio miſſis improuisè concluſus, intra domum Eccleſiæ in Leodio vico occiditur.*

[a] Lib. 1.

XXVII. Anſelmus Leodienſis Canonicus, qui floruit vndecimo ſeculo, primus omnium excogitauit aliam cauſam, quæ zelum religionis in Sancto Lamberto accenderit, vt Regiam domum increparet. *Talibus*, inquit [b], *virtutum exercitiis ad glorioſum venitur Martyrium, cuius cauſa duplex extitit.* Primam ex antiquioribus Auctoribus ſuprà deſcriptam omittimus; alteram accipe. *Pipinus Maior domûs Regiæ, face libidinis adulterinæ ſuccenſus, memorati Dodonis ſororem Alpaidem legitimæ coniugi Plectrudi ſuperinduxerat. De qua re Sanctus Dei Lambertus, tantum in Principe perhorreſcens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat, & nunc terrores diuini iudicij minitando, nunc honeſtatem legalis thalami commendando, & adulterij obſcœnitatem deteſtando, hoc apud ferocem eius animum vir Apoſtolicus effecerat, vt iam in fornicaria minùs inſaniret. Quod vbi illa primùm ſentire potuit, furiis agitata libidinis, fratrem gemebunda per internuncios conuenit, contumeliam ſibi à Sacerdote illatam memorat, eius inſtinctu auerſum à ſe conqueritur Principis animum, commodius ſibi fore Lambertum vitâ priuari, quàm à tanto viro diuortio ſeparari, inſidiatoris interitu hoc ſibi poſſe præſtari, quòd nullius ab inuicem diſſidij deinceps infortunium poſſet inueniri. Bibit ille transfuſum à viperea ſororis lingua venenum, armat ſtatim ex domeſticis Regiæ domûs in necem Epiſcopi milites auxiliarios, & miſer, dum in Sacerdotis necem crudeliter graſſatur, neſcit quia ſibi æternam mortem, illi finem laborum & perpetuam pariat vitam.* Poſteriorem hanc cauſam, de qua nullum apud antiquiores Auctores verbum, auidiſſimè amplexi ſunt, qui vi-

[b] Cap. 11.

Digitized by Google

tam Sancti Lamberti poſt Anſelmum ſcripſerunt, Sigebertus, Nicolaus, Renerus & Ægidius. AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

XXVIII. Sigebertus Monachus Gemblacenſis viuebat adhuc anno Chriſti milleſimo centeſimo duodecimo, quo Chronicon ſuum abſoluit. In illo opere ad annum Chriſti duodeſeptingenteſimum, quo mortem Sancti Lamberti malè conſignat, hæc ſcribit. *Sanctus Lambertus Pipinum Principem increpare auſus, quòd pellicem Alpaidem Plectrudi legitimæ vxori ſuæ ſuperduxerit, à Dodone fratre ipſius Alpaidis Leodij martyrizatur.* Idem Auctor vitam Sancti Lamberti retulit in literas, vt obſeruatum eſt ſuprà, ſed ea lucubratio hodie non extat. Ex Chronico proximè citato, quid de nece Sancto Lamberto illata ſenſerit, ſatis intelligitur. Cauſâ enim Martyrij, quam Scriptores antiquiſſimi publicarunt, ſilentio prætermiſsâ, protulit tantùm alteram ante aliquot annos ab Anſelmo primùm excogitatam. Hîc obſerua quâ fraude mendacium veritati paulatim ſuccedat. Auctor coætaneus, aliíque complures, per tria ſecula cum dimidio & ampliùs, cauſam, quæ Dodonis odium in Lambertum Epiſcopum prouocauit, vnam eandémque conſtantiſſimè recitarunt. Poſt tantum temporis interuallum, poſt vnanimem conſenſum tot Auctorum, Anſelmus alteram, cui Chronologia refragatur, pro lubitu cauſam adinuenit, adiecítque ſuperiori quam reticere non auſus eſt ob numerum ac dignitatem tot Scriptorum ſimul conſpirantium. Sigebertus paucis pòſt annis audacior factus eſt Anſelmo; priorem, quæ tot Auctoribus innitebatur, omiſit cauſam; poſteriorem, quam haud pridem Anſelmus finxerat, ſolam commemorauit.

XXIX. Nicolaus Leodienſis Canonicus, Sigeberto Monacho Gemblacenſi paulò recentior, vitam Sancti Lamberti retulit in literas, & opus ſuum dicauit Wederico Abbati Letienſi, qui Præfecturam Letienſem iniit anno Chriſti milleſimo centeſimo viceſimo-quarto. Imitatus eſt Sigebertum, nec aliam ab ea, quam ille, ſolam odij contra Lambertum ſuſcepti cauſam ſic expoſuit [a] prolixo admodum ſtylo. *Vir tantus & bellator præcipuus* Pipinus, *ſuperueniente tentatione, de ſeipſo triumphare non potuit, quem ſicut virtus & induſtria inter aduerſa bellorum effecerat modeſtum & fortem, ſic ſuperatis aut pacatis hoſtibus ſecuritas & potentia reſoluit in adulterij turpitudinem. Cùm enim filij eius Grimoaldus & Drogo, paternæ felicitatis gloriam eò maximè exornarent, quòd iam in ipſo iuuentutis flore, à nobilitatis ſuæ ſplendore non videbantur eſſe degeneres, Pipinus matrem eorum Plectrudem, vxorem ſuam legitimam, repudiauit, eíque ſuperinduxit puellam elegantem, Alpaidem nomine, quæ erat ſoror Dodonis, viri inter Francos Proceres nobilis & potentis. Et factum eſt in oculis totius Franciæ publicum hoc adulterium. Sed hæc, quæ tanti Principis gloriam maculauit, inceſtûs turpitudo, facta eſt amatori puritatis Lamberto Pontifici, digniſſima honeſtæ mortis occaſio. Nam rectores Eccleſiarum Auſtriæ, tanti reatum criminis in Principe manifeſtè conſiderantes, non delictum corripiendo ſanare, ſed penitus per adulationem diſſimulando augere ſtuduerunt, ſícque dum aut beneficia eius amittere, aut offenſam verentur incurrere, facti ſunt tanquam canes muti non valentes latrare. Sed veritatis præco Lambertus, qui Pipinum ſpirituali iamdudum diligebat affectu, eiúſque caſum non ſine graui cordis ſui afflictione videre poterat, zelum Phinees vel Eliæ totâ mente concepit, plúſque tanto viro in hac cauſa prodeſſe quàm placere appetens, ingreſſus eſt ad eum in ſpiritu & verbis Ioannis Baptiſtæ, ſanctámque priſtinæ dilectionis in corde conſeruans dulcedinem, & in ore Sacerdotalis conſtantiæ præferens authoritatem, non licet, ait, tibi eam habere vxorem. Exceperat Pipinus in humilitate cordis, verba huius ſalutaris increpationis, totúſque in conſpectu beati Pontificis confuſione plenus, viſus eſt velle, quòd redintegrato coniugio & abiectâ pellice niteretur obtinere remedium pœnitentiæ. Sed mox, vt amatæ pellicis ſpecies oculis eius ſe ingeſſit, animus æger & adhuc incertus, vim tantæ tentationis ferre non præualens, facilè ſuccubuit, & quod in eo iam videbatur extinctum, reuixit acriùs illiciti amoris deſiderium. Nec ſic tamen deſtitit Lamberti conſtantia, ſa-*

[a] Cc. 14. 15.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

piúſque præſentiam Pipini repetens, tamquam bonus & ſpiritualis medicus, infundebat vulneri eius, modò increpando aſpera, modò demulcendo lenia, aliquando etiam referebat laudando crebros victoriarum eius titulos, patriæ valdè vtiles, aſſerens eum ſpecialiter ſolum Principem, cuius labore & induſtriâ per Dei prouidentiam pax & iuſtitia vigeret in Regno Franciæ, & floreret ſtatus Religionis Eccleſiaſticæ, & ob hoc verendum ſibi eſſe dicebat, ne tantæ gloriæ præconium decoloraret huius infamiæ opprobrium. Alpaïs verò illicitæ copulæ ſibi conſcia, in metum ſuſpicionémque deuoluta, grauiter intrinſecus angebatur, fratríque ſuo Dodoni quotidie deplorabat, quas à Lamberto Pontifice perferebat contumelias, qui ſuam cum Principe coniunctionem præſumebat vocare fornicationem, ſummóque ſtudio laborabat inurere ipſis & omni eorum poſteritati, tantæ infamiæ opprobrium, ſi per eius importunitatem, inter ipſam & Principem, fieret diuortium. Potuit facilè ad quamlibet nefandam huius iniuriæ vltionem mens impelli, in cuius pectore naturaliter regnabat ſuperbia & crudelitas, omnémque publicarum legum contemnebat ſeueritatem propter Pipini affinitatem. Et licèt graui indignatione permotus Dodo ignominiam ſororis diluere iam deliberaſſet ſacri peremptione Pontificis, non tamen furioſo impetu rem exequutus eſt, videbat enim tantæ ſanctitatis & authoritatis virum non poſſe interfici ſine maxima totius Auſtriæ perturbatione & ſcandalo. Diſſimulato itaque ad tempus furore, & motum ſuæ indignationis contegens aliquâ rationis ſpecie, B. virum per domeſticos & familiares ſuos priùs conueniendum indicauit, ſtudioſè pertentans, ſi quo modo poſſet promiſſis maioribus muneribus & obſequiis libertatem vocis eius corrumpere, & animi conſtantiam infringere. Iactabat etiam quanta in Regno Francorum generis ſui claritas excreuiſſet & potentia, quam ipſe Præſul in ſui perniciem incitatam grauiter ſentiret, ſi ſororis ſuæ matrimonium ſaltem tacendo non approbaret. Sed animus beati Præſulis, qui zelo religionis feruebat, nec blanditiis decipi, nec terroribus ad hoc potuit emolliri, vt per veritatis ſilentium videretur tantæ iniquitati præbere conſenſum. Cuius religionem & conſtantiam ad contemptum ſuum vir nequam Dodo retorquens, acriori aduersùs eum ſæuire cœpit inuidiâ, tempúſque opportunum quærere, quo voluntati ſuæ ſatisfaceret, in eius occiſione, cuius explendæ matura venit occaſio.

XXX. Renerus ad Sanctum Laurentium prope Leodium Monachus, Nicolao Canonico Leodienſi paulò recentior, à Godeſchalco quem præ manibus habuit, & à Stephano qui Godeſchalcum expolire ſtuduit, non debuit recedere, receſſit tamen plurimùm, nec vlli præcitatorum Auctorum adhæſit, nouam enim hiſtoriam concinnauit, duáſque cauſas necis illatæ Sancto Lamberto, quas Anſelmus apertiſſimè diſtinxerat, eâdem narratione ſic

[a] Cc. 16. 17.

inuoluit permiſcuítque [a]. *Vir tam victorioſus* Pipinus *de ſeipſo non potuit triumphare, & ferreum pectus ſuum paſſus perforari molli telo libidinis, puellam nobilem & elegantem, nomine Alpaidem, ſuperduxit legitimæ coniugi ſuæ Plectrudi, ex qua etiam ſuſcepit filium Karlum, cui poſteà propter indomitam bellandi fortitudinem Tudites, ſiue Martellus, agnomen fuit. Hæc ſoror erat Dodonis, qui domeſticus Pipini Principis erat, vir plenus opibus, genere clarus, per amicos & cognatos, & multos ſibi obſequentes pueros, multam potentiam aſſequutus in Regno. Cùm autem nullus eſſet Epiſcoporum, qui ſtaret ex aduerſo, & opponeret ſe murum pro domo Iſraël, vt ſtaret in bello in die Domini, Lambertus ſolus zelo zelatus pro domo Domini, opportunè, importunè arguebat Principem, & alterum ſe Heliam vel Ioannem exhibebat. Quod animi habebat Herodias, cùm Herodes Ioanni eum pro adulterio arguenti libenter accommodabat aurem, hoc animi habebat etiam Alpaïs, cùm Pipinus Lamberto eum pro pellicatu ſuo arguenti obediebat. Equidem vir aliàs laudabilis & religioſus, hoc excepto, multùm Lamberti iocundabatur conſiliis & monitis flectebatur, qui, ſi amantem pellicem flectere potuiſſet, nimirum lucroſè audiſſet ſe meritò increpantem Præſulem. Pellex rem ad fratrem ſuum Dodonem refert, eíque omne conſilium ſuum deferens precatur, vt eius ope aboleatur opprobrium generis ſui, quod nimis inualeſceret, ſi per Lamberti cenſuram contingeret ſuum à Principe diuortium. Ille cauſam ſuam & ſororis cum valentioribus ſui generis com-*

municans per ſe & per eos Epiſcopum compeſcere ab increpatione Principis laborat. Quem quia inuenit inflexibilem, nec faciem alicuius contra iuſtitiam reuereri ſenſit, proximis & amicis ſuis promittit de cauſa ſororis vltionem. Hinc duo fratres Gallus & Rioldus, conſanguinei Dodonis, neptis ſuæ Alpaidis miſerantes vicem, laceſſendi Epiſcopum opportunitatem quærunt, & inſurgentes cum omnibus ſuis in Eccleſiæ Traiectenſis familiam omnem, qualicumque arte, contra eos calumniam concinnant; nullam, quam eis inferre poſſunt, moleſtiam prætermittunt, ſi quo modo poſſent per hoc ſententiam Præſulis inflectere, vt ſaltem causâ ſuorum à redargutione Principis deſiſteret. Sed res aliter ac rati erant ceſſit. Iuſtus nempe, vt leo, confidens clypeo patientiæ, contra omnes ſe protexit incurſus, & gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, contra minas terrenæ poteſtatis, ſe accinxit, & galeam ſalutis indutus agebat indubitanter rem veritatis. Et primò quidem blandè compellabat eos, & quibus modis pietas patris & cenſura Præſulis poterat, eos ab iniuſta deterrebat violentia. Sed quia in ventum fundebat verba, ſe quamfamiliariter in Deum reiiciens dicebat. [Exurge Domine, & iudica cauſam meam, memor eſto opprobrij ſeruorum tuorum.] At filij Belial acriùs Dei fideles impetebant, & omni genere nocendi tribulabant innocentes. Illi, quibus res erat pro anima, & quibus tota ſpes in ſola innocentia pendebat, inconſulto Epiſcopo, armis obuiam ire parant, vt aut vlciſcantur ſuas iniurias, aut ne moriantur inulti. Concurſum eſt, pugnatum eſt. Pugnant illi pro temeritate, repugnant illi pro ſalute. Gallum & Rioldum, conſanguineos Dodonis, locat ſuperbia in prima fronte belli; Petrum & Andoletum, conſanguineos Præſulis, ex aduerſo in prima acie opponit iuſtitia. Galli & Rioldi degeneres animos timor arguit; Petri & Andoleti dexteras ad virtutem erigit innocentia. Virtus innocentiæ fauit, victoria ceſſit parti Eccleſiaſticæ. Gallus & Rioldus, factionis iniquæ principes, cæſi oppetunt; Petrus ac Andoletus, Eccleſiæ vindices, referunt victoriæ vexillum. Confuſi ſunt impij, nec erubuerunt; victi ſunt, ſed defatigati non ceſſerunt. Dodo enim qui fuerat incentor omnium malorum, iam & ipſe efficitur belli auctor, & vilipendens quod de Sacerdotibus dicitur ex ore Dei [qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei] graſſatur in ipſum caput S. Epiſcopi, deuouet eum morti, in eum ſolum retorquet nepotum ſuorum vltionem. Renerus Dodonem vocat fratrem Alpaidis. Id non accepit à Godeſchalco, ſed ab Anſelmo, aut à quopiam recentiore, quem Anſelmus decepit. Anſelmus enim, vt fabellæ, quam texebat, fidem faciliùs conciliaret, Alpaidem Dodonis ſororem primus finxit. Commentum auget Renerus, Alpaidem enim appellat neptem Galli & Rioldi, ſed non explicat ſatis dilucidè, quomodò eadem ſoror eſſet Dodonis, & eorum neptis qui Dodonis eſſent conſanguinei. Idem Renerus in epilogo [a] ſui operis hæc habet de Godeſchalco. *Vitam Sancti Lamberti primus, iuſſu Agilfridi Epiſcopi, ſcripſit Godeſchalcus Diaconus, ipſius Congregationis Clericus, qui fuit tempore Pipini & Caroli Magni, & geſta quidem eius veraciter proſequutus, de cauſa Martyrij parum libero ore loquutus eſt. Quod hac de cauſa feciſſe creditur, ne ſui temporis Regibus culpam maiorum ſuorum videretur exprobrare. Ex illicito quippe Pipini & Alpaidis coniugio natus eſt Carolus Martellus, de Carolo Pipinus Tertius, qui ex Principe in Regem Francorum promotus eſt, de Pipino Carolus Magnus.* Baronius, qui nec Godeſchalcum nec Renerum legit vnquam, Stephano, quem à Surio publicatum nactus eſt, id criminis ingeſſit [b], quod Renerus Godeſchalco. Sed Godeſchalcus & qui Godeſchalcum ſecutus eſt Stephanus, in ſuſpicionem adulationis venire non debent, vt facilè diiudicabit æquus Lector, qui Scriptores antiquiores Anſelmo cum eodem Anſelmo recentioribúſque contulerit. Stephanum, quem Baronius citat, Laurentius Surius anno Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo-quarto primus in lucem emiſit Tomo quinto [c] de vitis Sanctorum. Godeſchalcum, quem Stephanus expoliendum ſuſcepit, inter præcipuos Auctores, qui geſta Pontificum Tungrenſium, Traiectenſium & Leodienſium ſcripſerunt, publici iuris primus fecit Ioannes Chapeauillus [d] anno Chriſti milleſimo ſex-

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

[a] Cap. 18.

[b] Ad an. 698. n. 1.

[c] D. 17. Sept.

[d] Tom. 1.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14. centeſimo duodecimo. Godeſchalcus poſteà Tomo Surij prælaudato, loco Stephani cui propter antiquitatem auctoritate plurimùm præſtat, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodeuiceſimo excuſus fuit. In hac autem diſtinctione Surianarum editionum immoramur, ne Stephanum pro Godeſchalco à Baronio ſumptum credas.

XXXI. Ægidius Aureæ Vallis Monachus anno Chriſti milleſimo ducenteſimo quinquageſimo-primo deſiit ſcribere. Vitam Sancti Lamberti ab Anſelmo compoſitam variis auxit additamentis, quæ conſuli poſſunt apud Chapeauillum [a]. At vbi ſermonem de Martyrij cauſis inſtituit, præ ceteris odiſſe veritatem viſus eſt. Apud Anſelmum legit duplicem cauſam; vnam indubitatam, quam ab Anonymo coætaneo, à Godeſchalco, à Stephano, aliiſque priſcis Scriptoribus editam Anſelmus reticere non auſus eſt; alteram commentitiam, cuius auctor Anſelmus. Neutram omittere debuit, priorem tamen omiſit textu Anſelmi per malitiam decurtato. *Talibus virtutum exercitiis*, inquit Anſelmus, *ad glorioſum venitur Martyrium, cuius cauſa duplex extitit. Et prima quidem fuit, quòd peruaſores rerum Eccleſiaſticarum duos quoſdam fratres, aliqui ex beati Martyris propinquis, ipſo neſciente, interfecerant, quod eorum proximus Dodo quidam in Sanctum Pontificem cauſam ſui retorſit odij. Altera fuit cauſa, quòd Pipinus Maior domûs regiæ, face libidinis adulterinæ ſuccenſus, memorati Dodonis ſororem Alpaidem, legitimæ coniugi Plectrudi ſuperinduxerat. De quâ re*, &c. Ægidius verò ſic ait. *Talibus virtutum exercitiis, ad glorioſum eius venitur Martyrium, cuius cauſa extitit. Nam Pipinus Maior domûs regiæ, face libidinis adulterinæ ſuccenſus, Dodonis ſororem Alpaidem, legitimæ coniugi Plectrudi ſuperinduxerat. De qua re*, &c. Quæ ſequuntur apud Ægidium vſque ad hæc verba, *perpetuam pariat vitam*, ne vno quidem apice differunt ab Anſelmo, cuius textum integrum iam recitauimus. Ægidius omnium grauiſſimè peccauit, nam cùm ſtatuerit Anſelmi narrationem augere, quid ab eius conſilio remotius excogitari poteſt, quàm ſi quidpiam ex illa reticeat? Omittit autem id quod fide digniſſimum eſt, & ſi quid ſuppoſititium occurrit, id tranſcribit.

[a] Tom. 1.

XXXII. Tibi, Lector, ob oculos exhibuimus Auctores, qui ſeu benè ſeu malè per annos ferè quingentos ac quinquaginta ſcripſerunt de cauſa necis illatæ Sancto Lamberto. Superſedemus aliis, qui poſterioribus ſeculis Ægidio nimiùm facilè crediderunt. Hi vetuſtiſſimos ac propter antiquitatem probatiſſimos Hiſtoriarum & Martyrologiorum conditores, apud quos, in Martyrio Sancti Lamberti, nulla mentio fit Alpaidis, vocant in ſuſpicionem adulationis, eóſque, vt Renerus de Godeſchalco dixit, aſſerunt parum libero ore locutos eſſe de cauſa illius Martyrij, ne ſui temporis Regibus culpam maiorum ſuorum viderentur exprobare. Sed qui ceteros adulationis inſimulant, ipſi ſemetipſos produnt ad maledicendum, quod peius eſt, ſponte procliues, nec vllâ dignos fide.

XXXIII. Martyrij, quod Lambertus Traiectenſis Epiſcopus hoc anno paſſus eſt, causâ ſic examinatâ, totum negotium, vt geſtum eſt, accipe ex Godeſchalco, qui coætaneum Auctorem politiore fuſioréque ſtylo ſic expreſſit. Lambertus *illic*, id eſt, Leodij, *non in ſpatioſis aut operoſis ædibus, ſed in paruæ viliſque clauſuræ Eccleſia, Sanctorum Coſmæ & Damiani, inſiſtebat orationi, certus non minùs fructuoſam eſſe orationem in his anguſtis, quàm in capacibus gremiis magnæ & principalis Eccleſiæ; quod enim temporale eſt, ampla & profuſa & lata requirit, quia voluptas mundi paruitatem & mediocritatem refugit, & quod ſpirituale eſt, omnia æquâ lance metitur, quia in ſpatioſis non plùs dilatatur, & in anguſtis non ampliùs coarctatur. Ideò Sanctus Paſtor noſter Lambertus ſpiritualia à Deo petiturus, non quæſiuit alta & ſpatioſa, quaſi altiùs Deum inuocaret, aut ſpatioſiùs his, quæ daret Deus, receptorium pararet, ſed hac paruâ Eccleſiâ contentus non minùs de magni Dei auxilio ſperauit. Hic, vnâ nocte, ceteris præcedentibus noctibus feliciore, in oratione deuotior pernoctabat, præueniens illam horam,* quam

Digitized by Google

quam ſibi fuiſſe ad vigilandum vſitatam Pſalmiſta dicit. [Mediâ nocte ſurgebam ad confitendum tibi.] Interim Dodo infelix ex mortis eius opportunitate lætior factus, quia & locus & nox eius animos ad perficiendum, quod intenderat, ſcelus adiuuabant, quò ſciebat ſancti viri diuerſorium, nocturnus cum milite accedit. Nec mirum, quòd negligens quietem noctis non quieſcit, quia filius noctis & tenebrarum meditatur opera mortis, pro quibus caligine æternæ noctis inuoluatur. Sed dum ad perueniendum moram extendit, & nox paulatim rareſcentibus tenebris, penè vſque ad diluculum decucurrit, peruigil ſanctus vir ad ſoluenda Deo matutina laudis munia, diſcipulos à ſomno euigilat dicens. Expergiſcimini, omne enim noctis ſpatium ſopori non eſt concedendum, danda eſt vel vltima pars Deo, quæ laudibus eius Eccleſiaſticâ traditione debetur. Nos verò, qui Eccleſiaſtici ſumus, quod Eccleſia Deo tradidit, oportet nos perſoluere. Surgite ergo, iam inſtat hora quâ pſallere & ſeruire Deo ſecundùm Pſalmiſtam in matutina lætitia decet. Itaque ſicut ſollicitus magiſter pronuntiauerat, diuinis laudibus conſummatis, diſcipuli ſtratis redduntur, ipſe pauliſper conſuetis vigiliis incubat, deinde iam inſtante lucis crepuſculo, membra nocturnâ vigiliâ tabefacta, quod & Sapientia dicit, [vigilia honeſtatis tabefacit carnes] membra, inquam, vigiliis & labore confecta, lecto reclinat potiùs quam componit. Non componit vtique, quia quicquid corpus ſuum confouere poterat, horrori ducebat & afflictioni. Dum verò longis & crebris vigiliis deſuetus ſomnus tardiùs eius oculis refunderetur, nec obdormire poſſet, puer eius, nomine Baldoneus, cui creditas fuiſſe excubias Domini arbitramur, domo egreditur, & armatorum multitudinem eminùs aduenire conſpicatur. Mox intrò regreditur, & milites armatos adeſſe ſilenter nuntiat. Ignoro, inquit, an noſtra obſidioni & impugnationi hæc arma afferant, an ad aliorum expugnationem veniant, ſed ecce, iam imminent. Inuaſit hoc nuntio omnem familiam grandis timor, formidantem huius armatæ multitudinis ſubitum incurſum, & valdè dolentem quòd eos imparatos inuaderet, & vt inermes facilè extingueret. Nec fefellit eos timor, qui experti ſunt paulò pòſt, quòd veraciter & iuſtè timuerint, dum eis quod timebant aduenit. Dodo interim iniquus cum ſatellitibus ſuis appropinquabat loco, qui ex Sancti Sacerdotis Martyrio futurus erat inſignis, & ſui flagitij futurus etiam erat perpetuus & publicus teſtis. Et non ei, (vtpote qui ignorabat ſe redemptum eſſe ſigno Sanctæ Crucis, cuiuſque redemptionis erat exors, quia iam diabolo erat aſſignatus) ſed quibuſdam ſatellitum eius viſa eſt Crux Sole ſplendidior faſtigium domûs Pontificis irradiaſſe, ibique diutiſſime clariſſima perſtitiſſe. Quid erat cauſæ ſalutare ſignum oculis hominum reproborum apparuiſſe, niſi vt monſtraretur eis ſanctum virum, quem veniebant cruciare, iam crucifixum eſſe cum vitiis & concupiſcentiis mundi propriâ & ſpontaneâ diſtrictione? Ad hoc etiam viſum eſt hoc ſignum effulſiſſe, vt ſicut Chriſtus interpoſitâ Crucis paſſione, immortalitatem in Reſurrectione ſuſcepit, ita & Sanctus Lambertus propriâ crucifixione & hoſtili cruciatu immortalitatem animæ conſequeretur. Itaque non ſunt territi hoc ſigno, quin deliberatum ſcelus perficerent, fortaſſis cogitantes hoc ſignum Crucis Lamberto non eſſe præſagium ſalutis ſed portentum perditionis. Prauo etiam exemplo facinus, quod facere veniebant, tuebantur, quaſi dicentes, & ſibi de faciendo ſcelere alludentes; ſicut Crux olim ſceleſtis fuit ad pœnam, ita nunc Lamberto ſceleſto pœnam & cruciatum præſagit. Sic ſignum Sanctæ Crucis, ſiniſtrâ interpretatione peruertentes, & hoc modo ad mortem ſe Pontificis adhortantes, protinus domui eius irruunt, & clauſuram munitionis exterioris, quâ domus interior cingebatur, quatiunt, illidunt, & impingunt. In quacumque parte aditum pertentant, impulſus & fragor armorum cum clamore illorum ad irruptionem munitionis exhortantium, horribiliter inſonat, donec violentiâ hoſtili ingruente, effractis foribus, curtem ingrediuntur, iam ſecuri, ceteras, quæ ſuperſunt difficultates, facilè ſuperandas. Lambertus clamore illorum, fragore ac colliſione armorum percellitur, lecto excutitur, & oblitus cæleſtis armaturæ, quâ ſpirituales nequitiæ expugnantur, immemor etiam Apoſtolici præcepti, [galeam ſalutis aſſumite & gladium ſpiritûs quod eſt verbum Dei,] arripit gladium, & vibrato eo, non inuento hoſte quem feriret, manum continuit, & ad ſe reuerſus,

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

nam mente paululum exceſſerat, gladium proiecit, & hoc orationis gladio ſe defendit. [Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.] Duo autem familiæ ſuæ præſtantiores, & apud ipſum habiti gratia potioris, Petrus & Andoletus vocati, hoſtibus, eos impugnando, perurgentibus, obſiſtere nitebantur, & ab irruptione domûs eos arcere conabantur. Et hoc quidem Pontificis dilectioni & ereptioni præſtabant, ſibi etiam prouidebant, quorum mors petebatur, in vltionem illorum, quos ſuprà ſibi infeſtos extinxerant, quorum morte Dodonis furorem excitauerant, & ad hanc expugnationem permouerant, ſciebant enim ſe comprehenſos, non raptim, vel ſolo ictu gladij interituros, ſed ſenſim longo cruciatu, dilatâ tamen morte, conficiendos; ad vltimum verò, ignominioſâ examinatione in perniciem diu deſideratam detorquendos. Tunc Lambertus mitiſſimus à præſumptione quâ tentanerat hoſtibus concertare, pacatiſſimus redditus ait propugnatoribus ſuis. Si mihi vos amanti vicem amoris rependitis; quò meus amor dirigitur, veſtrum amorem dirigite; hæc nobis ſit vtilior concordia, quærere vnum ſummum amicum, quàm concordare in hoc, vt conſeramus manus ad concertandum hoſtibus his. Deum vobis amandum propono, in quo me verè diligitis, ſi eius flagratis dilectione. Si verò eius dilectio in vobis quamlibet tenuiter deferueſcat, me nec diligitis, nec mihi pugnatis; imò aut veſtræ gloriæ, ſi victoria vobis ceſſerit, dimicatis, aut ſaluti, ſi ſaltem cruentam victoriam habeatis. Ad illum, poſt quem totis deſideriis anhelo, animos veſtros erigite, illum deſiderate, ad quem quia notum eſt mihi per mortem peruenire, ſit vobis etiam votiua mors accedere, quæ vos quoque mecum ſub eodem voto occumbentes mittat ad Deum, eâdem innocentiâ, & voto & martyrio decoratam coronam adepturos. Cui illi (necdum, vt ipſe, deuotas morti animas habentes) reſponderunt. Numquid impunè, tuo conſilio, ſpontaneâ & votiuâ morte, occumbemus? Nobis certè mortuis, exprobrabitur ignauiter interiſſe, cùm te, nobiſcum occumbente, non erit qui excuſet nos, dicent non defuiſſe nobis animi & corporis virtutem, ſed credidiſſe tibi, promittenti mortuos nos ſponte & impunitos, victuros eſſe cum Chriſto. De dilectione ad nos tibi ſermo eſt, quod dilectionis euidentius iudicium eſt quàm te defendere ne pereas, & nos non tantùm pro nobis, quantùm pro te, eripere diſcrimini, ne ſi hîc occubuerimus, tu, quoad viues, ſeruitutis noſtræ damna patiaris? Rogas occurrere morti. Rogas præripere mortem. Sed nec occurrendum eſt morti, nec mors præripienda eſt, quia nobis vacantibus & manum continentibus, ipſa mors, ſicut Dominus dixit de vltima hora, ecce prope eſt in ianuis; ignem namque minantur admouere domui, quem ſi non remouemus, grauiùs & moroſiùs habemus perire, quàm ſi gladio percuſſi, aut telis confoſſi mox moriamur. Non mirum eſt, ait beatus Lambertus, quòd ignem minantur, qui ſunt pabulum ignis, etenim ipſo igne ſemper arſuri, ſemper conſumendi, & ſemper ad pœnam ſunt reparandi. Ignis ille iniurias noſtras vlciſcetur, carnes illorum vſque ad medullas oſſium abſumens. Recordamini verò vos reos fuiſſe criminis huius, cuius nunc vltio expetitur, idcirco non ſubterfugiatis præſentis mortis correptione expiari, certi quòd puniat Deus omne peccatum, quod ad pœnam vel pœnitentiam rea conſcientia non adduxit. Horrendum eſt enim incidere in manus Dei viuentis, quibus puniendum reſeruatur cor impœnitens. Verumtamen peccatum, quod ſpontanea afflictio abſoluit, in idipſum Deus manum vindicem non extendit. Procedite ergo, & immolandos vos offerte, &, ſi iniuſtè immolamini, imprecationem Zachariæ occiſi inter templum & altare, illis acclamate. Videat Deus & iudicet. Reſponderunt ei. Ingredere Oratorium, & orationibus agonem noſtrum tuere, & neceſſitatem, quâ morimur in vltionem mortis duorum fratrum, conuerte in iuſtitiam quâ vindicamus contumeliam tuam & noſtram, mortibus duorum impiorum. Tunc ſanctus vir Oratorium ingreſſus, ſumpto Pſalterio, primum quem adorſus eſt Verſum, intellexit ſuæ preſſuræ & ſuorum famulorum quodammodo compatientem, & conſolationis ſecuritatem dantem, quoniam requiret Dominus ſanguinem ſeruorum ſuorum. Hinc terræ proſternitur, & vtrimque brachiis extenſis, Crucis in ſe ſpeciem conformauit, dicens cum Paulo, [mihi mundus crucifixus eſt,] quem proſtrati corporis ſignificatione contempſerat, [& ego mundo]

Digitized by Google

quia plùs amplectebatur odium mundi quàm amorem. Intereà reſeratis oſtiis & admiſſo hoſte, Petrus & Andoletus primum & matutinum ſacrificium immolantur, deinde cetera familiæ conſtipatio obruitur, mactatur nullâ factâ diſcretione pueri & ſenis, maturæ ætatis & immaturæ. Quorum ſcilicet perſequutorum vnus ceteris immanior & auidior in ſcelere (quaſi dedignatus in loco humili aliquid immemorabile ſine laude agere) ſuperiora domûs faſtigia conſcendit, & in interioribus detorquens aſpectum, explorat ſi quod præcipuum ſcelus ſibi obueniat, quod in laudis ſuæ præconio pro titulo ponat. Ad primum ictum oculorum vidit Epiſcopum iacentem, quaſi terræ crucifixum, & non reueritus imaginatam in eo Crucem, non reueritus etiam eius ſecretum cum Deo colloquium, nec locum nominis ſanctæ Trinitatis inuocatione conſecratum, transfixit eum telo, & ſic tædium huius ſuſpectæ vitæ conuertit ei in votiuæ mortis compendium. Sic beatiſſimus Chriſti Sacerdos Lambertus animam cum oratione tranſmiſit Deo. Huc vſque Godeſchalcus [a]. Quod autem hic Auctor de ſigno Crucis ſupra faſtigium domûs Pontificis viſo ſcripſit, ſuis etiam lucubrationibus inſeruerunt, Stephanus [b], Anſelmus [c], Nicolaus [d], Renerus [e] & Ægidius [f], ſed de loco Martyrij, déque arreptione gladij & eius vibratione non adeò conſentiunt.

[a] Cc. 7. 8.
[b] Cap. 9.
[c] Cap. 11.
[d] Cap. 17.
[e] Cap. 20.
[f] In add. ad c. 11. Anſelmi.

XXXIV.

Apud Godeſchalcum Lambertus Epiſcopus domo egreſſus in Oratorium ſe recipit, ibíque confoditur. Per illud Oratorium Ædiculam intellige, quam S. Monulphus Traiectenſis olim Epiſcopus erexerat apud Legiam, Deóque in honorem Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani dedicarat. *Electus Dei Sacerdos Lambertus*, ait in eius vita Nicolaus [g] Leodienſis Canonicus, *ante altare Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani, Martyr mox ipſe futurus, in modum Crucis ſe proſtrauerat, horam Martyrij ſui in loco ſacrato & Sacerdoti congruo, in ſumma orationis deuotione expectans. Vnus autem ex illa ſacrilega impij Dodonis caterua, ad facinus ceteris audacior, ſuper faſtigium Oratorij, armatus incunctanter euolat, tanquam in conſpectu Principis ſui, rem gratam, rem facturus egregiam. Statímque diſiunctis cum impetu tegulis, cùm beatum virum introſpexiſſet humi proſtratum orare, non dedit honorem Deo, ſed diabolico exagitatus ſpiritu, lanceâ, quam tenebat, magno libratâ conamine, percuſſit eum & mortali transfodit vulnere. Sic Lambertus Martyr beatiſſimus, annis quadraginta Tungrenſis Eccleſiæ venerabiliter functus Sacerdotio, vir diuinâ religione & ætate venerabilis, omnium virtutum gratiâ adornatus, Angelicæ caſtitatis puritate conſpicuus, Taxandrorum ſpecialis Apoſtolus, tanquam matutinum ſacrificium, in conſpectu Domini, primo mane immolatus, verè Sacerdos & Hoſtia, ad baſim altaris occubuit.* Alij Lambertum domo egreſſum negant, & in ea trucidatum volunt. Sed Godeſchalci, qui præſtat antiquitate, potior eſt auctoritas.

[g] Cap. 17.

XXXV.

Quod attinet ad gladij arreptionem ac vibrationem, Stephanus & Renerus arreptum à Lamberto gladium tradunt, de vibratione verò ſilent. Prior [h] opinionem ſuam ſic exponit. *Lambertus Dei Agonitheta fortiſſimus, armorum congreſſione expergefactus, à lecto ſurrexit, enſem manu corripuit, & contra hoſtes dimicare deliberauit. Nec mora extitit, ſententiam prioris animi mutauit, gladium in terram proiiciens.* Poſterior ſic [i]. *Lambertus attonitus grauedine ſomni & rei acerbitate, diſcalceatis pedibus ſurgit, & arripit gladium, quaſi ſe ſuóſque defenſurus. Sed ad ſe reuerſus, ſe temeritatis damnauit.* Anſelmus [k] nullâ gladij mentione factâ negotium illud ſic enarrauit. *Vir Dei intrinſecus ſomno, cui poſt vigilias defeſſa membra reclinauerat, improuiſo tumultuantium fragore expergiſcitur, ſtatímque nihil vel contrà moliri quærens, cùm & poſſet (ſciebat enim quia bellatores Chriſti, exemplo Magiſtri, moriendo potiùs quàm repugnando norunt vincere) totum corpus in oratione proſternens, pretioſam conſtantiſſimè mortem operitur.* Anſelmum ſecuti ſunt Nicolaus [l] & Ægidius [m]. Hic ipſiſſima Anſelmi verba deſcripſit. Ille eundem ſenſum ſic expoſuit. *Vir Dei repentè à ſomno excitatus, quid præter ſolitum vellet tanta ſuorum inquietudo & trepidatio, non facilè imprimis potuit aduertere, ſed cùm aforis furientium incondi-*

[h] Steph. c. 9.
[i] Rener. c. 21.
[k] Cap. 11.
[l] Cap. 17.
[m] In add. ad c. 11. Anſelmi.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

tum clamorem & armorum colliſionem audiſſet, rem, vt erat, ſe videlicet peti, veraciter intellexit, tandémque in ſe reuerſus ad diuinum confugit auxilium. Standum à Godeſchalco, vt enim antiquitate ſic & auctoritate ceteros antecellit. Neoterici quærunt an Lambertus gladium arripiendo vibrandóque peccauerit. Godeſchalcus ſuprà citatus ait eum *mente paululum* exceſſiſſe. Renerus [a] ab eo arma *illicitè* attentata ſcribit. *Ad ſe*, inquit, *reuerſus ſe temeritatis damnauit, & quia illicitè ſaltem attentauerat arma, ſe ante Dei oculos congruenti addixit pœnitentiâ.* Imus facilè in ſententiam Ioannis Chapeauilli, qui Godeſchalcum annotationibus illuſtrauit. Lambertus grauedine ſomni & rei acerbitate attonitus, iure naturali excitante, abſque peccato arripuit gladium pro vitæ ſuæ defenſione, ſed confeſtim re propiùs conſideratâ, amore perfectionis, gladium è manibus proiecit, ſéque ad Martyrium præparauit.

[a] Cap. 21.

XXXVI. Quæ necem Sancti Lamberti ſecuta ſunt, à Godeſchalco [b] ſic enarrantur. *Cæde peractâ, & cædis auctoribus inde ſecedentibus, locus ſacro illius ſanguine ſanctificatus, ſed pro recenti cæde infirmis animis ſuſpectus, ſancto corpore viduatur, pleriſque falsò opinantibus loci fuiſſe infortunium, quòd hîc vir ſanctus occubuerit. Qui hoc opinantur, accuſant locum, & excuſant interfectores, ſcilicet vt culpetur locus, & interfectores vt inſontes tanti criminis abſoluantur. Corrigenda eſt ita æſtimatio, & loca credenda ſunt mortibus Sanctorum iuſtificari, ipſa verò nulli iuſtorum poſſunt eſſe infauſta. Pauci itaque, qui euaſerant hoſtium manus, raptum corpus exanime, vili operimento contegunt, & nauigij euectione, Traiectum * deferre diſponunt; quæ vrbs Epiſcopalis Sedis apud ſe eum repoſcebat ex debito humandum. Cuius audito exceſſu, priuſquàm Traiectum attingeret, conſtipata multitudo totius regionis, vtriſque ripis Moſæ fluminis commeans, proſequebatur nauim deſcendentem per decurſum eiuſdem aluei, ingemiſcens de Paſtoris iniuſta nece & de Pontifice multorum ſublato conſultui. Interim præcurrente nuntio omnes plateas lugubris rumor impleuit, quo impatienter animos omnium concutiente vniuerſi lugebant, omnéſque triſtitiâ metúque, quia apertè non audebant lugere, replebantur. Proceres etiam cum ſilentio flebant, ne accuſarentur Dodonis ſcelus per indicium fletûs damnauiſſe. Ergò cùm corpus ſanctum in portu naui expoſitum feretro ſuſceptum eſſet, Baſilicæ Sancti Petri tumulandum fertur. Porrò Clerici cum hymnis, populus cum lamentis, excubias viciſſim ibi egerunt, noctem peruigiles ducentes.* SEPVLTVRA. *Craſtino autem die, non audentes in decorando honeſto cultu ſepulchro eius immorari, in tumba patris eius Apri ibidem quieſcentis, non tam condiderunt quàm abſconderunt, & ſuperiecto grandi lapide non tam cooperuerunt quàm compreſſerunt, omníque penè ciuitate ad viſitandum ſepulchrum eius ruente, concurrente etiam de longinquis partibus innumerâ multitudine, venerationi erat omnibus, de miraculis, quibus aſſiduè pollebat, celebris, ſed celebrior de nomine Martyris, quod in magna laude, poſt Apoſtolicum nomen, ſecundo aſſumitur loco, quamuis Apoſtolico nomini accedat ad perfectionem & ornatum nomen Martyrij. Angeli Dei intereà monumento eius inceſſanter aſſiſtentes & ſuâ illum laude celebrantes adinſtar vocis ipſius beatiſſimi Martyris, modulatione dulciſſimâ, reſonabant. Multi verò, quibus ante mortem eius, vox ipſius fuerat nota, admirabantur ſonum viuentis hominis, poſt mortem eius, voce illius exprimi, & non attendebant Angelos excubiis eius obſequentes id facillimè poſſe imitari. Quod audientes & vix Angelos eſſe intelligentes, qui in eius erant coniubilatione frequentes, introire Baſilicam cupiebant, ſed quodam terrore retrocedentes reſiliebant. Et cùm eidem ſancto loco, vt certiùs & apertiùs auditas voces intelligerent, rurſus appropinquarent, mox voces pſallentium, intermiſsâ modulatione, ſpontaneo ſilentio intercluſæ comprimebantur, & cùm longiùs ſe ſummouerent, mox ad auditum eorum redibat Angelicus concentus, & ſic procul refugientes damnabant ipſi immoderatam ſuæ deuotionis inſtantiam. Etenim intermiſſa Angelorum dulcis melodia innuebat, quòd nollet importunum aſſiſtentium conuentum, qui præſumptuosè & præſentialiter conſiderarent Angelica circa Sanctum Martyrem miniſteria. Itaque, illis longè abſentibus, ſicut dictum eſt, dulciter cantus reſonabat, ſícque famulatus Angelicus permanebat.*

[b] Cc. 9. 10. 11.

* Maſtrich.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHLIDEBERTI III. R 14. XXXVII.

De Sancti Lamberti ſepultura cum Godeſchalco conueniunt Stephanus [a], Nicolaus [b], Renerus [c] & Ægidius [d]. Timor, qui Proceres vrbis Traiectenſis corripuit, incutiebatur à Dodone, qui necis illatæ Sancto Lamberto ſolus auctor cenſeri debet, vt narratio Martyrij ſuperiùs deſcripta declarat. Nicolaus, quia prædicti Martyrij cauſam ab illicito Pippini cum Alpaide contubernio repetit, ait populum Traiectenſem, cùm ſui Pontificis necem ploratu planctibúſque proſequebatur, mox exterritum fuiſſe, quia nuntiatum eſt Pippinum, qui non procul aberat, publico illi luctui obiraſci. *Tantam*, inquit, *lugentium multitudinem ſubitus rumor grauiter conſternauit, dicebatur enim, nec id vanum erat, Pipinum eiúſque domeſticos valdè ſuper hoc indignari, reputantes ad ſuam inuidiam ſtudiosè fieri tam liberam, tam publicam de occiſione Pontificis popularium querelam; tam illuſtrem & inter lachrymas glorioſam beneficiorum eius memoriam; tam celebrem circa ëius exequias lamentantium frequentiam. Exterritis itaque omnibus, maximè quia Pipinus non longè aberat, communis planctus in ſilentium vertitur, nec iam credebant quenquam ipſorum Dodonis crudelitatem effugere, cui in Sacerdotem Domini videbant tantùm licuiſſe. Quapropter hi, qui potentiores inter eos videbantur, & penes quos ſpecialiùs erat eius exequiarum cura, accepto ad inuicem conſilio ſtatuerunt ad mitigandam Principis indignationem ſepelire eum in loco humili, minori quidem apparatu, quàm exigeret dignitas tanti Sacerdotis & Martyris. Erant in ipſo oppido Traiecto duæ celebres Eccleſiæ; quarum vna, beatæ Mariæ perpetuæ Virginis, Tungrenſium Pontificum eo tempore ſecunda ſedes habebatur; altera verò beati Apoſtoli Bartholomæi, quæ ſanctiſſimi Confeſſoris & Epiſcopi Seruatij meritis & corpore magnificè decorabatur. Sed in his venerabile beati viri corpus tumulare minimè præſumpſerunt, ne claritas loci augere videretur gloriam & honorem ſepulti. Vnde mane facto feretrum eius ſine aliqua funeris pompa intulerunt in quandam Eccleſiam Sancti Petri Apoſtolorum Principis, in qua vir illuſtris Aper, (quem Sancti Lamberti ſuprà memorauimus patrem) in lapideo ſarcofago corpore requieſcebat. Erat autem ſolitaria, ſita ferè in ipſa Moſæ ripa ad Orientalem cliuum montis, quem incolæ Caſtra vocant, habens inter ſe & Traiectum, quaſi quendam limitem, Iecoram fluuiolum. Igitur monumentum hoc aperientes, ſacroſancta Martyris filij membra in eo cum patris oſſibus tunc verè felicibus reuerenter compoſuerunt, aſtantibus multis fidelibus, quorum deuotio in recordatione extincti Paſtoris, nec affectum ſuum celare, nec lachrymas poterat cohibere.* Renerus [e] aliud ex eodem fonte commentum deriuat, Alpaidem enim eo tempore, quo Sanctus Lambertus Martyrium ſubiit, apud Iopiliam cum Pippino manſiſſe ratus, non tantùm in eam crimen necis illatæ beatiſſimo Martyri refundit, ſed & aduerſùs mulieres pellicatûs reas hanc obſeruationem ſubiungit. *Traditur à maioribus, quia cùm omnibus Sanctum exoſculandi liber aditus pateret, ſi qua pellex ſe ingerebat ad corpus Martyris oſculandum, quaſi quodam rotata turbine retrocedebat. Per pellicum ergò repulſam clarebat nimis, Deo & Sancto Martyri pellicem illam odioſam fuiſſe, quæ duplici crimine, Franciam infamauerat, & ſanctam conturbarat Eccleſiam.* Renerum de verbo ad verbum deſcripſit Ægidius in additionibus ad Anſelmum [f]. Similia non deſunt exempla, quibus caſtitas Sanctorum à probatis Auctoribus ſæpè commendetur, ſed textus proximè recitatus, licèt inſigni caſtimoniæ Sancti Lamberti conuenire poſſit, à Renero & Ægidio ſcriptus videtur in Alpaidis odium, cuius receſſum in Monaſterium, auſterámque pœnitentiam ignorabant. Perperam quoque Nicolaus plebem Traiectenſem à Pippino ſibi timuiſſe prodit, ſolos enim primarios vrbis Traiectenſis viros metus occupauit incuſſus à Dodone, qui beato Pontifici necem inferendam curauit. Apud Ægidium, *impoſitus feretro defertur Sanctus ad Eccleſiam Cathedralem perpetuæ Virginis Mariæ cum debito honore*, deinde *defertur ad humilem Eccleſiam beati Petri extra vrbem*. Potior autem fides habenda Godeſchalco, qui ſanctum corpus è naui in beati Petri Baſilicam, vbi pater eius Aper quieſcebat, delatum teſtatur [g].

[a] Cap. 9.
[b] Cap. 18.
[c] Cap. 22.
[d] In add. ad c. 11. Anſelmi.
[e] Cap. 11.
[f] Ad c. 11.
[g] Cap. 10.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

XXXVIII. De modulationibus Angelorum ad ſancti Lamberti tumulum audiri ſolitis conueniunt cum Godeſchalco Stephanus, Nicolaus [a], Renerus [b], Ægidius [c]. *Nec defuit*, inquit Stephanus [d], *Angelorum ſublimitas eius ſarcophago, primorum dierum iſtud cuſtodiens tempore, oſtendénſque ſui carminis proſodiâ, quæ munerum præmia, in cæleſti aula, eius poſſideret anima.*

Vt ſubtilis erat dicti vox Præſulis alma,
Illuc vicini, multo admiramine ducti,
Sæpiùs accedunt, & quid ſit noſcere quærunt;
Qui ſint; quídue canant; vel quæ ſint munera vocis.
Sed tunc interiùs proprios extendere viſus
Dum cupiunt, ea vox tenui ſubducitur aurâ,
Vt ſolet audiri, cùm vas contingitur æris,
Et ſonus aſſurgens paulatim ducitur aſtris.
At doctè dum ſe retrahunt, vt longiùs eſſent,
Dulcibus auditu reſonabat vocibus aer.

[a] Cap. 18.
[b] Cap. 23.
[c] In Add. ad c. 11. Anſelmi.
[d] Cap. 9.

XXXIX. Ex tot Auctoribus, qui Geſta ſancti Lamberti conſcripſerunt, duo tantùm, Nicolaus videlicet & Renerus, Characteribus Chronologicis vſi ſunt, vt tempus, quo palmam Martyrij conſecutus eſt, poſteris indicarent. Nicolaus ſic capite decimo-ſeptimo. *Lambertus Martyr beatiſſimus, annis quadraginta Tungrenſis Eccleſiæ venerabiliter functus Sacerdotio, vir diuinâ religione & ætate venerabilis, omnium virtutum gratiâ adornatus, Angelicæ caſtitatis puritate conſpicuus, Taxandrorum ſpecialis Apoſtolus, tanquam matutinum ſacrificium, in conſpectu Domini, primo mane immolatus, verè Sacerdos & hoſtia ad baſim altaris occubuit.* Et capite ſequenti. *Paſſus eſt beatus Lambertus quintodecimo Kalendas Octobris ſub Rege Francorum Childeberto, filio Theodorici Regis, quo tempore faſtigium Romani Imperij inuaſerat Tiberius, qui & Abſimarus, Leontio ab Imperio excluſo & in cuſtodiam recluſo.* Renerus [e] ſic. *Paſſus eſt S. Lambertus 15. Kalend. Octobris, anno Epiſcopatûs ſui quadrageſimo, ſub Rege Francorum Hildeberto, Theodorici Regis filio.* Ioannes Chapeauillus [f] ait à ſe repertam in Codice Aureæ Vallis hanc marginalem annotationem. *Paſſus eſt beatus Lambertus in vico Leodico cum ſuis ſociis decimâ-quintâ Kalendas Octobris, anno Epiſcopatûs ſui quadrageſimo-primo, ætatis ſuæ ſexageſimo, ſub Rege Francorum Hildeberto, Theodorici Regis filio, Regni eius ſecundo anno, circa annum Domini ſeptingenteſimum. Quo tempore faſtigium Regni Romani inuaſerat Tyberius Abſimarus.*

[e] Cap. 28.
[f] In not. ad c. 11. Anſelmi.

XL. Sanctus Lambertus annis quadraginta Pontificatum geſſit. Id in vita ſancti Huberti teſtatur Auctor ſuppar iam laudatus. Martyrium igitur paſſus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo. Regnabat tunc apud Francos Childebertus Theodorici Regis filius, qui Regnum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ſuſcepit, & ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum tenuit. Sed ante annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum Iuſtinianus Imperium recuperauit capto cæſóque Tiberio Abſimaro. Quapropter qui ſanctum Lambertum Martyrio coronatum volunt, cùm ſumma Imperij Romani penes Tiberium Abſimarum eſſet, ij Theodoricum Francorum Regem ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum vixiſſe, tum Clodoueum eius filium ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-octauum regnaſſe contendunt, deinde ſancti Lamberti Martyrium illigant anno Childeberti Regis ſecundo, quem cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ac Principatu Tiberij Abſimari comparant. At ex iſtis multa corruunt, quia Clodoueus Theodorici filius anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, Childebertus Clodouei frater anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto Regnum inierunt.

XLI. ÆTAS. Vixit beatus Lambertus annos duos & ſeptuaginta. Qui neci traditum affirmant anno ætatis ſexageſimo, loqui videntur in eorum opinione, qui Martyrio coronatum aſſerunt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto.

Digitized by Google

In horum numero eſt Ægidius Bucherius, qui diem Martyrij Dominicum fuiſſe ſcribit, ſed id addit gratis, vt potiorem aſſertioni ſuæ fidem conciliet. Annus à Chriſto nato ſexcenteſimus nonageſimus-ſextus fuit biſextilis, præditúſque literis Dominicalibus B & A. Non inficiamur illo anno Dominicum fuiſſe diem decimum-ſeptimum Septembris, quo Martyrium ſancti Lamberti conſignatur, ſed negamus illud Martyrium in diem Dominicum incidiſſe, nullus enim ex antiquis Auctoribus id literis mandauit. Fuit & biſextilis annus à Chriſto nato ſeptingenteſimus octauus, cui paſſionem ſancti Lamberti Martyris illigamus, ſed literas Dominicales habuit A & G, itaut illo anno dies decimus-ſeptimus Septembris cum feria ſecunda coinciderit. Nihil autem vetat quominus feriâ ſecundâ Martyrium ſancti Lamberti conſignemus, multa verò prohibent quominus illud anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto adſcribamus.

XLII. HVBERTVS SVCCEDIT.

Sancto Lamberto in Epiſcopatum Traiectenſem ſucceſſit beatus Hubertus, cuius vitam ſic exorſus eſt Auctor coætaneus, qui viſas à ſe res pleraſque ſcripſit. *Poſt glorioſum beatiſſimi ac præcellentiſſimi Antiſtitis Lamberti à rebus humanis exceſſum, qui Pontificalem apicem apud vrbem Tungrenſem quadraginta annis ſtrenuè ferens, vitæ quidem exempla poſteris dereliquit, mortis autem acerbæ viriliter ferendo diſcrimina, & ſummi Paſtoris vigiliis inhæſit, & quantùm amoris circa Dominicas oues haberet, aperuit, vtpote quibus & viuens vitæ contulit paſcua, & pro quibus non metuit mortis ſubire diſpendia, Hubertus venerandus Præſul eius Sedi ſubrogatur Epiſcopus, cui non erat virtute ſecundus. Paſtor ille, qui deuicto mortis tyranno oues ſuas conſolari dignatus eſt dicendo [Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi] eidem gregi talem ac tantum prætulit Paſtorem, per cuius opera, vera eſſe ſua verba oſtenderet, virtúſque in eo pollens Chriſtum in ſe & loqui & operari clamaret; egítque, vt aſſolet, diuina prouiſio, vt quia optimi Paſtoris deſtituebantur ſolatio, non rictibus luporum territæ, per diuerſa diſpergerentur dentibúſque lacerarentur, ſed ſuccederet Paſtor, qui humilis gregis curam gerens feſſas ſubleuaret, fractas alligaret, emaceratas ſanaret, luporúmque rabiem ab earum inſectatione procul proturbaret, nec iam in Eccleſia Dei fieret luſtrum ferale, ſed expiatum à ſorde nocentium, & ſerenatum ab angore luporum, redderetur Domino templum herile.*

XLIII. AN ORDINATVS A SERGIO PAPA.

Si Nicolao Leodienſi Canonico Geſta ſancti Lamberti poſt annos quadringentos & ampliùs ſcribenti fides eſt, eius Martyrium in ipſo temporis momento, quo contigit, Sergio Papæ reuelatum eſt ab Angelo, deſignatúſque qui ſuccederet in Epiſcopatum Hubertus. *Ipſa*, inquit, *vniuerſi Orbis imperio ſublimis & Apoſtolicâ Sede glorioſa vrbs Roma mortem & meritum beati Martyris Lamberti in ipſo temporis momento iam cognouerat, quo eum diuina diſpoſitio in humili & ignobili tunc vico Legia manibus iniquorum laniandum tradiderat. Siquidem beatæ memoriæ Sergius, qui Romanæ Eccleſiæ Sacerdotium, vitæ merito, vt præmiſimus, adornabat, vigiliis & orationibus fatigatus, modicum ſomnum fragilibus membris indulgens, circa ipſius diei obdormierat auroram, quâ Sacerdos Chriſti Lambertus, propter virtutis & caſtitatis defenſionem & teſtimonium, per manum ſcelerati Dodonis, conſequutus eſt Martyrium. Et ecce, Angelus Domini cæleſti luce conſpicuus ei in viſione aſſiſtens, diligenter, inquit, frater, iis, quæ tibi à Domino per me manifeſtantur, intende & fidem verbis adhibe, & quod præcipietur, ſtudioſiùs exequere. Lambertus Tungrorum Epiſcopus, hac ipsâ horâ, intra Sanctuarium Domini, ab impiis eſt pro pietate immolatus, & quia in terris, Martyrum Chriſti imitari ſtuduit fidem & conſtantiam eorum in cæleſti curia conſortium obtinere promeruit & gloriam. En eius paſtoralem baculum, in quo gregem Chriſti ſibi creditum vigilanter rexit & pauit, à loco paſſionis eius tibi ſubitò tranſlatum ſuſcipe. Et viſus eſt ei baculum porrexiſſe dicens. In hoc ſubſtitues ad regimen Tungrenſis Eccleſiæ, tali viro dignum hæredem & ſucceſſorem, ipſius Lamberti doctrinâ & moribus inſtitutum, à Deo in Sacerdotem iam electum, Hubertum nomine, quem ad Apoſtolorum limina, hodie venientem his & his ſignis*

Digitized by Google

AN. CH. *inter alios poteris agnoſcere. Statímque euigilans Papa, cùm de viſione adhuc hæ-*
708. *ſitaret, inuenit iuxta ſe repoſitum, ſicut ab Angelo in viſu acceperat, paſtoralem*
CHILDE- *beati Lamberti baculum. Quem cum timore & admiratione maxima ſuſcipiens &*
BERTI III. *oculis perluſtrans, non iam inanem & phantaſticam, ſed plenam fide & certè diui-*
R. 14. *nam eſſe viſionem intellexit, viríſque religioſis, quos in obſequio ſuo habebat, quid audierit, quod ſignum acceperit, ex ordine aperuit. Factâ igitur oratione, & immolatâ laudis hoſtiâ, ad exequendum viſionis præceptum, circa Apoſtolorum limina, ſtudioſus aduenientium perſcrutator conſedit. Et fortè memorabilis vir Hubertus, finito longo peregrinationis ſuæ labore, eâdem nocte in proximo Vrbis vico manſionem acceperat. Qualiter autem à Papa Sergio, eodem die cognitus, & de nece dicti magiſtri ſui Lamberti, per ſignum baculi eius, certior ſit factus, ſi quis pleniùs ſcire deſiderat, libellum illum relegat, quem à viris fidelibus editum, de vita & conuerſatione ipſius Huberti ante Epiſcopatum, à pleriſque apud nos & haberi & legi non eſt dubium.* Hæc Nicolaus capite decimo-ſeptimo. Per illas autem voces *(vt præmiſimus)* alludit ad caput decimum-quartum, vbi iam Sergij Papæ mentio ſic facta. *Dum non ceſſat* Lamberti *Pontificis admonitio, dum ſperatur & expectatur fructuoſa* Pippini *Principis correctio, vir memorabilis Hubertus, per omnia beati Pontificis vſus conſilio, Romam profectus eſt. Propoſuerat ſiquidem triumphalia Apoſtolorum viſitare limina, vt feruorem religionis, & contemptum mundi, quem ex diſciplina & inſtitutione magiſtri ſui Lamberti iam conceperat, per eorum merita ad effectum perduceret, ſéque Apoſtolicæ Sedis Præſulis orationibus commendaret. Quem qualiter Sergius Papa exceperit, eíque per Angelicam viſionem, mortem ipſius beati Lamberti Martyris Romæ reuelauerit, Deo annuente, in ſequenti narrabimus.*

XLIV. Liber, quem hic Auctor citat de Geſtis Sancti Huberti ante Pontificatum, non extat. Apud Anonymum coætaneum, qui vitam eiuſdem Sancti Huberti conſcripſit, nullum eſt verbum de illius peregrinatione ad limina Apoſtolorum, quam certè ſilentio præterire non debuit, ſi verè ſuſcepta eſt. Nullam quoque prædictæ peregrinationis mentionem fecerunt, Godeſchalcus, Stephanus, Anſelmus, aliíque, qui vel Acta Sancti Lamberti vel vitam Sancti Huberti literis ante Nicolaum commendarunt. Præthereà Sergio Papæ, cuius obitus in annum Chriſti ſeptingenteſimum primum incidit, integro ſeptennio ſuperſtes vixit Sanctus Lambertus. Ætas Sergij Papæ, quæ nullatenus in dubium vocari poteſt, præcipuum videtur argumentum ſuppeditaſſe, cur Bucherius, Fiſenus, ceteríque Neotericorum, quibus narratio Nicolai præcitata non diſplicuit, obitum Sancti Lamberti præuerterint. At Nicolaus hoc loco nihil nos mouet, quoniam aliorum commenta nouis adhuc fabulis adaugere ſtuduit. Legerat apud Anſelmum [a], *quòd Pipinus Maior domûs Regiæ, face libidinis adulterinæ ſuccenſus, Dodonis ſororem Alpaidem legitimæ coniugi Plectrudi ſuperinduxerat. De qua re Sanctus Dei Lambertus tantum in Principe perhorreſcens facinus, adulterini criminis eum arguere non reformidabat, & nunc terrores diuini iudicij minitando, nunc honeſtatem legalis thalami commendando, & adulterij obſcœnitatem deteſtando, hoc apud ferocem eius animum vir Apoſtolicus effecerat, vt iam in fornicaria minùs inſaniret. Quod vbi illa primùm ſentire potuit, furiis agitata libidinis, fratrem gemebunda per internuncios conuenit, contumeliam ſibi à Sacerdote illatam memorat, eius inſtinctu auerſum à ſe conqueritur Principis animum, commodius ſibi fore Lambertum vitâ priuari, quàm à tanto viro diuortio ſeparari; inſidiatoris interitu hoc ſibi poſſe praſtari, quod nullius ab inuicem diſſidij deinceps infortunium poſſet interueniri. Bibit ille transfuſum à viperea ſororis lingua venenum, armat ſtatim ex domeſticis Regiæ domûs in necem Epiſcopi milites auxiliarios.* Hac fictione non contentus fabulam ab Anſelmo excogitatam nouo commento ſic amplificauit adornauítque [b]. *Cùm Pipinus eo tempore ad tractanda Regni negotia in Iopilia aliquamdiu reſideret, & Lambertus Legiam ſuam ſanctâ & verè Angelicâ conuerſatione illuſtraret, euocatur quadam die idem vir Dei pro ſummis Reipublicæ cau-*

ſis

[a] Cap. 11.

[b] Nicol. c. 16.

Digitized by Google

ſis ad Palatium, ad quod propter locorum vicinitatem non erat ei laborioſus ac difficilis tranſitus, exiguo enim ſpatio à ſe inuicem diſtant Iopilia & Legia, duobus fluuiis Moſâ & Vrtâ interfluentibus, ſeſéque illic commiſcentibus. Deſcendit itaque Iopiliam, expletíſque, pro quibus venerat, inuitabatur à Principe ad conuiuium, multíſque eius victus precibus diſcubuit, gaudentibus maximè ſummis & illuſtribus viris, qui aderant, quòd obtinere meruerint. Cùm verò inter prandendum, miniſter Pipino poculum obtuliſſet, ille religioſè admodum innuit porrigendum Epiſcopo, ſummoperè deſiderans reſumere ſanctificatum illius benedictione. Exemplum Ducis ſequuti reliqui Proceres, qui ſimul accumbebant, cùm pateras ſuas viro Dei ad benedicendum ſumma cum deuotione tranſmitterent, eſſétque inter ipſos pincernas, dum alter alterum præuenire contendit, quantùm Principalis conuiuij diſciplina patiebatur, religioſa quadam decertatio, diabolica non defuit tentatio. Nam Alpais occaſione huius piæ iocunditatis, credens ſibi non debere denegari, quod videbat omnibus ſic diſtribui, ſcyphum ſuum ſanctificandum latenter ingeſſit Epiſcopo. Senſit hoc Lambertus, & conuerſus ad Pipinum importunitatem & audaciam mulieris incuſat, relictóque prandio ipſam aulam egreditur, ne per cuiuſlibet communionis vel benedictionis conſortium, reatui impudentis adulteræ, aliquem videretur præbuiſſe conſenſum. Statímque immutata eſt tota illa conuiuantium Procerum lætitia, timentium ne vincente rationem furore Pipinus per ſuggeſtionem mulieris grauius quid agere cogeretur contra ſalutem & vitam Pontificis. Pipinus tamen diſſimulato magis quàm ſedato animi ſui motu, miſſis à latere ſuo honorabilibus viris, Lambertum iterum reuocauit ad Palatium, cúmque multis blanditiis & magnis beneficiorum promiſſionibus eſt aggreſſus, quatenus ſeueritatem & conſtantiam ipſius inflecteret ad approbandum Alpaidis matrimonium, dicens eam claritate & potentiâ generis ſibi conuenire, ex qua legitimos Principatûs ſui generaret hæredes, nec debere vocari adulterium, ſed potiùs honeſtatis duplicationem & augmentum. Affirmabat prætereà ſub atteſtatione diuini nominis non leuiùs ſe ferre poſſe huius coniugij diſſidium, quàm propriæ vitæ & honoris diſpendium. Sed cùm Lambertus his parum moueretur, nolletque prioris ſententiæ rigorem diſſoluere, Pipinus diſſimulatum hactenus indignationis ſuæ æſtum intra ſe vlteriùs non valuit cohibere, totóque habitu legitimi & Chriſtiani Principis tranſgreſſus modeſtiam, furore plenus, talem ſe ei præbuit, qualem ſe vel ſacrilegus Achab Eliæ, vel adulter Herodes Ioanni Baptiſtæ. Renerus, cùm vtramque Nicolai fabulam, vnam de Lamberti Epiſcopi conuiuio cum Pippino, alteram de Huberti peregrinatione ad limina Apoſtolorum, præ manibus haberet, priore quidem adeò delectatus eſt, vt illam illuſtrarit comparatione ex Geſtis Sancti Martini Turonenſis Epiſcopi cum Maximo Imperatore quondam epulati petitâ, poſteriore autem abſtinuit, ſuóque ſilentio ſignificauit falſa ſibi videri, quæ de Huberto ad Apoſtolorum limina peregrinato circumferuntur. Fiſenus [a] Anonymum laudat quem Ioannes *Roberti* anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo viceſimo-primo notis illuſtrauit publicauítque. Præter ea quæ ſuperiùs refutauimus, in illo Scriptore multa ſunt, quæ nullam quoque fidem merentur. Ait enim *Hubertum Romam profectum à Sergio Papa in locum Lamberti Tungrenſis Epiſcopi conſecratum, ideóque ab Angelo baculum Lamberti paſtoralem ipſi delatum, quem cùm Hubertus recuſaret, ſubitò Pontificalibus eiuſdem Lamberti veſtimentis à loco paſſionis ab Angelo tranſlatis induitur, & cùm deeſſet ſtola, à B. Virgine Tungrenſis Eccleſiæ patrona mox ipſi tranſmittitur, ac Miſſam celebranti apparuit Petrus auream quaſi clauem geſtans, quam in ſignum poteſtatis ligandi atque ſoluendi ei tradidit, auditáque apud Tungrenſes, ipſâ exequiarum Lamberti horâ, vox de cælo monens, ipſis à ſummo Pontifice de condigno Paſtore prouiſum.* Quibus de rebus ne verbum quidem apud antiquos Auctores, vt Marcus Antonius Dominicyus in Anſberti familia rediuiua iam obſeruauit [b]. Hoc etiam loco non poſſumus non improbare fragmentum, quod ex eodem Ioanne *Roberti* Ægidius Gelenius libro tertio [c] de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine ſic recitat. *Pipinus, vbi primùm certo nuntio accepit cognatum ſuum Hubertum Lamberto*

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

[a] In Florib. Eccleſ. Leod.

[b] Cap. 14.

[c] Syntagm 9. §. 1.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

ſucceſſiſſe, ſplendido cinctus comitatu, ſalutandi & gratulandi cauſâ ad eum Traiectum venit. Hubertus Sacerdotalis auctoritatis & grauitatis memor, diuini honoris zelo ardens negat ſibi quicquam cum illo aut eſſe aut fore commune, priuſquàm ad mentem redeat, Plectrudem vxorem recipiat, Alpaidem pellicem eiiciat, denique addit ſe ei Eccleſiæ communione interdicturum niſi reſipiſcat, idque palàm Orbi facturum. Pipinus, Deo cor eius tangente, ſe aliquando peccatúmque ſuum reſpiciens, iurat ſe in Huberti futurum poteſtate. Ac primùm omnium miſſis properè literis ac nuntiis vxorem reuocat, eámque deinceps loco habet, quo coniugij iura iubebant. Tum vt Deo ſuiſque ſubditis ſcandalum paſſis quadamtenus faciat ſatis, vicino loco (Orpen dicebant) Eccleſiam extruit honori Virginis Deiparæ ſanctíque Martini. Alpaidem peccatis inueteratam obduratámque Hubertus anathemate percutit, mox rectiùs ſapientem Beliſienſi Eccleſiæ includit, lachrymis ac pœnis ſpontaneis peccata expiaturam. Vnde in recens exſtructum Monaſterium Orpen tranſire iuſſa eſt, quo Pipinus ex Niwillenſi Parthenone ſacras virgines Deo & ſibi victuras euocarat. Actum alibi [a] de Orpienſi Monaſterio, déque Pippini reſipiſcentia, longè antequam Hubertus ad Epiſcopatum promoueretur. Alio loco [b] idem Gelenius ait Annonem Epiſcopum Colonienſem *an. 708 interfuiſſe eleuationi S. Huberti.* Verùm hoc anno ſanctus Hubertus non eleuatus è terra, ſed ordinatus eſt Epiſcopus, & Anno non eius eleuationi ſed ordinationi videtur interfuiſſe.

[a] Ad an. 692. n. 4.
[b] Lib. 3. ſynt. 2. §. 3. n. 5.

XLV. BERTVLPHVS OBIT RENTICÆ.

Si Iacobus Malbrancus [c] ſuper ætate Bertulphi Abbatis Renticenſis benè ratiocinatur, hic natus eſt in Alemannia regnante tunc Sigiberto Tertio; Renticam venit anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo, æuo ad coniugium appetente; obiítque cùm annos quadraginta Morinis continenter inhæſiſſet, id eſt, hoc anno, qui poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus octauus numeratur. *Conuocatâ diſcipulorum cateruâ*, inquit Auctor vitæ [d], *clareſcentibus febrium indiciis, indicat ſe iam reſolui, & iam futurâ depoſitione corporis ſui feſtinare, vt introeat in gaudium Domini ſui. Et percepto ſacroſancto Dominici Corporis & Sanguinis viatico, adſtantibus non ſine mœrore diſcipulis, vale vltimum fecit, ac ipſos ſeséque Domino commendans, ſpiritum in manus Angelorum efflauit. Obiit ſanè Nonis Februarij*, quo die nunc etiam coli ſolet. *Diſcipuli corpus ad locum vſque ſepulchri hymnis proſequuntur, funeríque ſacroſancto triſtes, ſed deuoti obſequuntur. Sícque ab eis in prædio ſui olim iuris Rentica, in Oratorio beati Dionyſij tumulum accepit, defunctúſque eo in loco voluit quieſcere, ubi humanis pridem rebus functus, ſuis Paſtorali curâ alumnis præſidet.*

[c] Lib 4. cc. 7. 54.
[d] Ap. Bolland. d. 5. Feb.

XLVI. AN ABBAS.

Petrus Simonis, Achipreſbyter tunc Gandauenſis, Iprenſis pòſt Epiſcopus, Ioannem Molanum aliquando monuit, Bertulphum in Hiſtoria Folcardo Abbati Blandinienſi dedicata, quæ die quintâ Februarij integra extat [e], nuſquam Abbatem dici, nec talem depingi, ſed in habitu Monachi, dextrâ manu baculo inniti itinerario, quia de terra & cognatione ſua infideli, tanquam nouus Abraham, in terram non ſuam propter Chriſtum exiuerit. At hæc ad Molanum admonitio nullum mouere ſcrupulum debet, in prædicta enim Hiſtoria multæ occurrunt loquendi formulæ, quæ Bertulphum Abbatem fuiſſe ſignificant. In illa lucubratione Bertulphus ſic commendatur. *Vt ſapiens architectus fundamentum in cordibus diſcipulorum poſuit, quibus ſic Paſtorali magiſterio præfuit, vt in docendo magiſter, in miniſtrando eſſet miniſter, promptus & facilis in vtroque, quia nouerat Prælatis congruere vtrumque, præcipuè cùm Dominus Dominorum non venerit miniſtrari ſed miniſtrare. Sic ergo ſubditos quoſque docebat, vt in corde eſſet humilitas; ſic eiſdem ſubditis ſeruiebat, vt in coercendos pia eſſet ſeueritas.* Et paulo pòſt. *Eo in loco voluit quieſcere, vbi humanis pridem rebus functus, ſuis Paſtorali curâ alumnis præſedit.* Quid, amabo, per *Paſtorale magiſterium* & per *Paſtoralem curam*, niſi præfecturam Abbatialem, quid per *Prælatum* intelligas niſi Abbatem? Laurentius Surius, qui Sanctorum Belgij Natalibus à Ioanne Molano nondum editis præcitatam Hiſtoriam primus publicauit, huic titulum illum

[e] Ap. Sur. & Bolland.

Digitized by Google

ſuperſcribere non dubitauit, *de S. Bertulpho Abbate*. Ioannes Molanus opus ſuum anno Chriſti milleſimo quingenteſimo nonageſimo-quinto typis mandandum curauit. Seriùs in lucem prodierunt, Ferreoli Locrij Chronicon Belgicum, editio poſtrema Laurentij Surij, Iacobi Malbranci Tomus primus de Morinis, Acta Sanctorum à Ioanne Bollando collecta. Nullus è tot Auctoribus inuentus, qui Bertulpho titulum Abbatis denegaret, imò Locrius ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum, Malbrancus in notis ad caput quadrageſimum libri quarti de Morinis, & Bollandus in Commentario vitæ ſancti Bertulphi ad diem quintam Februarij præfixo, verſus è manuſcripto Renticenſis Eccleſiæ Antiphonario recitant in ſolemniori beati Bertulphi feſto decantari ſolitos, antequàm Romanum Officium in Morinenſem Eccleſiam introduceretur. AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

Omni Bertulphus virtutum laude probatus
Suſcipit Eccleſias prece Wamberti moderandas,
Firmo iure quidem ſibi Dux quas contulit idem,
Prælatus verò tanto reuerenter ab hero,
Non formidari, ſed plùs quæſiuit amari,
Et curâ vigili Deico præſedit ouili.

XLVII. Ad picturam quod attinet, *diuerſa eſt*, inquit Malbrancus, *& temporum, & pictorum, & iubentium ratio. Saltem Monachum habitu præ ſe fert. Infulam ſi petis, nec illa D. Bertino adpingitur: ſi Paſtoralis pedi vice baculo itinerario vtatur, aut manum marſupio imponat, nil mirum, ſi quod maioris ſanctimoniæ eſt argumentum penicula vel cælo exprimatur. Nil porrò ita in eo aduena illuxit, atque profuſa in egenos munificentia. Idcirco in paræciali Renticæ Eccleſia quot annis, 5. Febr. huic Diuo ſacrâ, mille, vt audio, panes pauperibus aſſolent erogari, ſumpto à rebus eius geſtis ſalutari exemplo.* Malbranco præiuit Locrius loco iam citato, déque tribus Eccleſiis, quas præter ſancti Dionyſij Monaſterium Wambertus & Homberga Comites apud Renticam ædificarunt, & *Principi Apoſtolorum, beatiſſimo Martino* ac *ſancto Vedaſto* dicari voluerunt, obſeruauit etiamnum tertiam ſupereſſe, nempe ſancti Vedaſti, ſed ligneam, quam velut parœcialem populus frequentare ſolet, vbi mille panes quot annis, vt dictum eſt ſuprà, pauperibus in feſto ſancti Bertulphi diſtribuuntur. Præterea ex literis Ioannis *de Maigny* eo in tractu Parœci, ſubiecit Renticenſe ſancti Dionyſij Monaſterium planè olim dirutum fuiſſe, tamen aliquantiſper reuixiſſe ſub ædificio ligneo, atque in Prioratûs titulum degeneraſſe. De Abbatibus, qui Cœnobium hoc gubernarunt, ſi ſanctum Bertulphum excipias, nihil compertum habemus. Illum autem non Abbatem modò, ſed & Preſbyterum facit Malbrancus, at ea de re non ita liquet.

XLVIII. Rentica, vbi Monaſterium ſancti Dionyſij, Bononienſi Diœceſi nunc attribuitur, pertinebat olim ad Taruannenſem, cui Rauengarius Epiſcopus præerat cùm ſanctus Bertulphus in cælum migrauit. Anteceſſor ipſius Rauengarij, nomine Bainus, qui dimiſſo Epiſcopatu Monachus primùm Fontanellenſis, deinde Abbas eiuſdem loci fuit, hoc anno ſuperſtes in viuis erat, nec ante annum ſequentem ex hac vita diſceſſit. XLIX. ABBATES ET ABBATISSÆ HASNONIENSES.

Ioannes & Eulalia eius ſoror, cùm per annos ſeptemdecim, ille viris, hæc fœminis, in Haſnonienſi Monaſterio præfuiſſent, obierunt hoc anno. Succeſſerunt vtriuſque frater Aldo ac ſoror Bertrudis, ille Ioanni fratri, hæc Eulaliæ ſorori. Lege Vinchantium in Annalibus [a] Hannonicis, eáque conſule quæ ſuprà dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum [b].

[a] Lib. 3. c. 15.
[b] Nn. 42. & ſeqq.

L. ERLEFRIDUS ABB. SITIVENSIS EMIT VARIA PRÆDIA. Erlefridus Abbas Sitiuenſis hoc eodem anno, Childeberti Regis decimo-quarto, luculenta prædia extra Morinorum fines ad Somonam fluuium emptione comparauit, ac perpetuo iuri Sitiuicæ domûs addixit illigauítque, vt illinc Monachis, ſi belli iniuriis aliquando premerentur, ſpes ſubſidij poſſet affulgere. Tabularum fragmentum recitat Malbrancus [c]

[c] Lib. 4. c. 48.

Digitized by Google

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

in hunc modum. *Domino & Venerabili Erlefrido Abbati de Monaſterio Sitiu Darmundus venditor. Conſtat me non imaginario iure, ſed pleniſſimâ voluntate tibi vendidiſſe, & ita vendidi, hoc eſt, duas partes de re portionis meæ in loco nuncupante Sarcoaldſcluſa ſuper fluuio Summa in pago Veromandenſe; ſimiliter & in Apiliaco ſuper fluuio Yſara duas partes ſitas in pago Nouiomenſi, ſeu in Diua & Corbunaco duas partes ad integrum,* &c. *Actum Sithiu Monaſterio* VI *Non. Maij, anno* XIV *Imperij D. N. Hildeberti Glorioſi Regis. Ego Darmundus venditor, qui hanc venditionem fieri rogaui. Rauangerus acſi indignus Epiſcopus ſubſcripſi. S. Folberti. S. Madalharij. S. Humberti Vicarij. Cratbertus hanc venditionem ſcripſit & ſubſcripſit.* Idem Auctor Saroaldſcluſam ſuſpicatur hodiernum eſſe vicum *Serancourt* tertio ſupra Quintinopolin lapide.

LI.

[a] Num. 23.

[b] Part. 2. n. 31.

ALBO EP. VESONTION. VIRTVTIBVS INSIGNIS.

His circiter temporibus è vita migrauit Albo Veſontionenſis Epiſcopus, de quo non pauca iam ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-nonum [a] ſcripſimus poſt obitum Tedradij cui proximè in Epiſcopatum ſucceſſit. Reliqua nunc accipe ex eius vita quam in Hiſtoria [b] Veſontionenſi Ioannes Iacobus Chiffletius ex manuſcripto Codice publicauit. *Archiepiſcopus à ſuo numquam recedens propoſito, ſed (ne iactantia videretur) occultè ſub triticeos panes, alios tenues ex hordeo ſupponebat pro vita ſua, triticum frangens aliis erogabat. Similiter dum alij vinum biberent, ipſe aquam in vitro obſcuro, vino modico deſuper infuſo, bibebat. Et in orationibus, ieiuniis, vigiliis, tam efficax erat, vt in medio mundi poſitus, nouus efficeretur Eremita. Nam cùm apud Chryſopolytanam* ſeu Veſontionenſem *vrbem moraretur, domus eius Baptiſterio adhærebat, in quo multorum Sanctorum reliquiæ tenebantur. Nocte de ſtratu ſuo, nemine ſciente, conſurgens, ad orationem Deo tantùm teſte pergebat, oſtio diuinitus reſerato, attentè pſallebat in Baptiſterio. Sed cùm hoc multi temporis ſpatio ageret, tandem ab vno Diacono res manifeſtata eſt. Qui Diaconus longè ſtans, vt factum viri Sancti videret, & agnoſceret pleniùs, vidit, dum vir Dei accederet, oſtium cum claue ſeratum, nemine tangente, aperiri, illóque ingrediente, diutiſſimè ſilentium erat, poſteà voces audiuit tanquam multorum pſallentium, per ſpatium quaſi trium horarum. Ipsóque viro Sancto recedente, oſtium ſeratum (vt priùs) inueniebatur. Commotóque ſigno vir Dei, vt vnus recens ex aliis, ad officium veniebat.*

LII.

DIMITTIT EPISCOPATVM.

SVCCEDIT WANDEBERTVS.

De Wandeberto, qui Alboni adhuc ſuperſtiti munúſque Pontificium ſponte abdicanti ſucceſſit, hæc idem Anonymus proximè ſubiungit. *Albo tandem poſt multos annos Epiſcopatûs ſui in pace quieuit. Sed cùm iam ſui corporis diſſolutionem imminere ſentiret, dilecto ſibi Wandeberto, caſtitatis & continentiæ armis accincto, & in virtutum deuotione compoſito, conſenſu Cleri & populi, Eccleſiæ curam Paſtoralem commiſit, quam ipſe, viriliter cuncta regens, ac paterno affectu diſponens, parui licèt temporis internallo, piè ac ſtrenuè gubernauit.* Ceterùm qui Wandebertus prædicto eſt Anonymo, aliis eſt Wandelbertus, Wandalbertus, Gaudalbertus & Gandalbertus.

LIII.

[c] Num. 8.

ABBATES S. GERMANI.

Aimoini Continuator vulgato capite duodequinquageſimo libri quarti, quod à capite quadrageſimo-nono libri de Geſtis Regum Francorum non differt, duabus auctus eſt interpolationibus, quæ totæ ſunt de Abbatibus Sancti Germani prope Pariſios, abſúntque à Codice Seguierano. Actum de priore ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum [c]. Poſterior ad hunc annum pertinet, nam Drogonis morti proximè ſubiungitur. In his autem verbis conſiſtit. *Defuncto his diebus Gaudremaro* ſeu Gundremaro *Abbate, Thedelmarus Paſtorale ſumpſit officium.*

LIV.

SPINNVLVS MONACHVS OBIT.

Hoc circiter anno migrauit ad Deum Spinnulus, qui Cellæ Beggonis præerat. Illi enim ſuperfuit Abbas Mediani Monaſterij Leutebaldus, cuius obitum anno ſequenti conſignabimus. De morte Spinnuli multa Iacobus Moſander in vita Sancti Hildulphi præclarè ſic ſcribit. *Poſt multos labores numeroſáque miraculorum inſignia idem Abbas Spinnulus vita ſuæ diem clauſit extremum. Cuius mors quàm fuerit pretioſa in oculis Domini, Angelica reuelatio atteſtata eſt. Nam iuſſus fuerat Hildulphus defuncti corpus ad ſuum deferre Monaſte-*

Digitized by Google

rium ac honorificè ſepelire, nec mora, Sanctus cinere, quo recubabat, excutitur, conuocatíſque fratribus obitum ſancti viri denunciauit. Qui accenſis cereis ad exequias celebrandas properant. Vis itaque ventorum plùs ſolito tunc inhorruerat, adeò vt permaximas quercus antiquiſſimáſque abietes in ſolum deiiceret. In tali tamen turbine, ante corpus Sancti Dei, ardentes cerei vſque ad locum ſepulchri delati ſunt, abſque luminis damno. Sed & infirmi quique ſepulchrum eius viſitantes ſanabantur, quacunque etiam detinerentur infirmitate. Tantus enim ibi fiebat populi concurſus, vt regionis iſtius indigenæ tentauerint ibi forum ſtatuere. Sed beatus Hildulphus ad tumulum Sancti Spinnuli accedens, dixit ei quaſi viuenti. Frater Spinnule, propter animarum pericula, concurrentes comprime turbas. Tunc ſignis ceſſantibus, frequentia quoque ceſſauit accurrentis populi. Eadem narrat Ruyrus in Antiquitatibus [a] Voſagenſibus, additque delatis eò ſacris Reliquiis aquas, è quibus ſal confici poſſet, nouo miraculo mox è terra prorupiſſe, ſed ipſum fontem poſteà precibus Hildulphi areſactum eſſe, ne plebis accurrentis frequentiâ requies Monachorum interturbaretur, ſupereſſe tamen indicia miraculi, rudera videlicet trium puteorum, in quibus ſal parabatur. Colitur Sanctus Spinnulus ſeu Spinulus in Supplemento Martyrologij Gallicani, tertio Idus Iunij, ſic. *Treuiris Sancti Spinuli Confeſſoris, diſcipuli Sancti Hildulphi illius Sedis Archiepiſcopi, virtutúmque eius imitatoris egregij.* Caue ne duos diſtinguas Sanctos Spinulos, vnum Abbatem, alterum Eremitam, quia in Indice nominum Sanctorum & Piorum, qui Martyrologio Gallicano ſubiicitur, occurrunt *Spinulus Abb. Conf.* & *Spinulus Eremita*, vbi enim attentè legeris ea, quæ de Spinulo cùm Abbate tum Eremita ſcripta ſunt à Sauſſaio ſub litera S, in Appendice ad Martyrologium Gallicanum, & in Catalogo Sanctorum, Beatorum & Piorum, qui proprias Hiſtorias vel Natales non habent, facilè intelliges vnum eundémque Spinulum, qui Sancti Hildulphi diſcipulus fuit, vtrobique deſignari. Caue etiam ne Sanctum Spinnulum vel Abbatem vel Eremitam fingas, Monachum egit in Cœnobio Sancti Maximini, deinde in Mediano, poſtremò in Cella Beggonis, vbi nonnullis quidem Monachis præfuit, ſed abſque Abbatis titulo, quia locus à Mediano Monaſterio pendebat.

AN. CH. 708. CHILDEBERTI III. R. 14.

[a] Part. 2. lib. 3. cc. 17. 18.

Septimo die, poſtquàm Hildulphus ſuis precibus obtinuit, vt ad Sancti Spinnuli tumulum miracula ceſſarent, Mediano Cœnobio & Abbati Leutebaldo villam contradidit Hagio ſiue Harnulphus vir nobilis, cuius exemplum ſecuti ſunt alij permulti teſte eodem Ruyro [b]. Interim Hildulphus rerum temporalium curâ penitus dimiſsâ totus diuinæ contemplationi vacabat, veréque illud Apoſtoli poterat vſurpare, *mihi mundus crucifixus, & ego mundo, &, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

LV. MEDIANVM MONASTERIVM AVGETVR REDDITIBVS.

[b] Part. 2. lib. 3. cap. 9.

ANNVS CHRISTI 709. CHILDEBERTI III. R. 15.

709. CHILDEBERTI III. R. 15.

AVCTOR Annalium Nazarianorum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum ſic ſcribit. *Gothofridus mortuus eſt.* Auctor Petauianorum, ſic. *Domnus Pipinus perrexit in Suauis contra Wilarium.* Auctor Tilianorum, ſic. *Pipinus pugnauit in Suauis.* Hos autem Auctores ita conciliabis. Gothofridus Alamannorum ſeu Sueuorum Dux, de quo ſæpè iam locuti ſumus, ægro ſemper animo poſt pugnam Textricianam tulit, quòd Regibus Meroueis, vt anteà conſueuerat, ampliùs ſeruire non poſſet, quia Pippinus auctoritatem ſibi nimiam arrogabat, huic tamen obtemperare numquam voluit,

I. GOTHOFRIDVS SVEVIÆ DVX OBIT.

BELLVM SVEVICVM.

AN. CH. 709. CHILDEBERTI III. R. 15.

prouinciámque, cuius regimini præpoſitus à Rege fuerat, in officio ac pace continuit, quamdiu vixit. Odium irámque diſſimulauit Pippinus. At audito, quòd poſt Gothofridi mortem Ducatum ſeu Præfecturam Sueuiæ Wilarius hoc anno ſuſcepiſſet, ſtatim cum exercitu profectus eſt in Sueuiam, prælíúmque cum Wilario conſeruit. Quonam exitu dimicatum ſit, haud produnt Annaliſtæ ſuprà citati. Si Metenſi, qui reum adulationis plerumque ſe prodit, hoc loco fides eſt, *Pipinus contra Alamannos exercitum ducens, magnificè de illis omníque illa regione triumphauit.* Qualibet acceptâ clade, Wilarius non cecidit animo, bellum, vt ex iiſdem Scriptoribus conſtat, annis ſubſequentibus redintegrauit. A Martino Crucio, parte primâ [a] rerum Sueuicarum laudatur Dux Gothofridus, quod ante obitum Cœnobio ſancti Galli *pagum Nicrogoia Biburbachum* tradiderit. Hic Auctor, vbi agit [b] de Ducibus Sueuiæ, qui partem illam Alamanniæ rexerunt, cui Gothofridus ſeu Gotfridus præfuit, omittit Wilarium, Gothofrido enim ſubrogat Luitfridum ſeu Lantfridum, tum Theobaldum & Wattilonem. *Inuenio*, inquit, *fuiſſe Duces vel Principes Sueuiæ Bertholdum & Vehum, deinde Gotfridum & Luitfridum, poſteà verò Luitfridi filios Theobaldum & Wattilonem.* Annalium Petauianorum ac Tilianorum, qui bellum in Sueuia contra Wilarium hoc anno ſubſequentibúſque geſtum affirmant, potior eſt auctoritas, quàm vt eidem Wilario locus inter Duces Sueuiæ denegari poſſit. Admodum probabile videtur Wilarium Gothofridi filium fuiſſe, fratrémque Lantfridi quem Crucius Luitfridum vocat. Annis proximè ſequentibus ſermo ſæpè de Wilario fiet, fiet & inferiùs de Lantfrido, quem à Luitfrido Adalberti filio, Alamanniæ quoque ſeu Sueuiæ Duce diſtinguendum docebimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum, quo Theodoricus Quartus *Luitfrido Alemannorum Duci* Regium Præceptum pro Cella Leobardina tranſmiſit.

[a] Lib. 10. c. 11.
[b] Lib. 11. c. 2.

DVCES SVEVIÆ.

II. Hiſce temporibus celebratæ ſunt nuptiæ Sanctæ Bilhildis, de quibus poſt Breuiarium Moguntiacenſe, Surius [c] & Serarius [d] ita ſcripſerunt. *In virginitatis propoſito perſeuerare omnibus modis conabatur, ſed victa parentum voluntate, nupſit cuidam viro nobili & militari. Etſi autem matrimonij legibus eſſet ſubiecta, Chriſti tamen, quem toto corde dilexerat, obſequiis ſedulò incumbebat.* In auctiore vita, quam Serarius [e] poſt annum Chriſti milleſimum ducenteſimum quadrageſimum-ſecundum ſcriptam & à ſe lectam teſtatur, maritus ſanctæ Bilhildis vocatur *ſuperioris Franconiæ Dux Babenburgenſis*, quod minimè placet, neque enim Bilhildis ætate illa nomina titulíque audiebantur. *In ea vita*, inquit Serarius, *ſcribitur Sanctam Bilhildin moribus & formâ fuiſſe tam præſtanti, vt eam ſuperioris Franconiæ Dux Babenburgenſis vxorem petierit; ſed quia tueri virginitatem volebat virgo, & quia gentilis idolorúmque ſuperſtitionibus alligatus hic erat, recuſaſſe illam coniugium: illo tamen vrgente, parentes eam in ſpem veniſſe, poſſe per ipſam cùm Ducem tum eius ditionem totam ad Chriſtum Dominum adduci; ſicque filiæ, vt illi nuberet, perſuaſiſſe: nuptiáſque partim Hocheimi, partim Babenburgi *, magno apparatu ac lætitiâ celebratas.* Bilhildis vnam duntaxat prolem viro ſuo peperit, eóque cum ipſa prole paulò pòſt extincto Moguntiam commigrauit, vbi Sigebertus eius auunculus Epiſcopatum gerebat, vt infrà dicturi ſumus.

[c] D. 27. Nou.
[d] Lib. 2. rer. Mogunt. c. 30.
BILHILDIS NVPTIÆ.
[e] Lib. 2. rer. Mogunt. c. 31.
* Bamberg.

III. Hoc anno, qui proximus à Martyrio ſancti Lamberti fuit, Deus beatiſſimum Martyrem pluribus miraculis illuſtrauit, & grauiſſimam de cædis auctoribus vltionem ſumpſit. Vtrumque diligenter deſcripſit Godeſchalcus [f] quem redigemus in epitomen. *Apud Legiam, intra Oratorium vbi Sanctus Dei felicem fudit cruorem*, id eſt, intra Oratorium Sanctorum Coſmæ & Damiani, patrata multa miracula; luminaria diuinitus accenſa; viſus Baldigiſlo, Raginfrido & Odæ reſtitutus; frequentiſſimus ad illum locum factus peregrinorum concurſus. *Ibidem populus cæpit eius honori & nomini ædificare (ex virtutum illius magnificentia & admiratione animatus) honeſti cultûs*

[f] Capp. 12. 13.

Digitized by Google

Eccleſiam, quæ ad augmentum dilatandæ gloriæ eius, multùm profecit, vt quamuis illc locus eius careret corpore, tamen & ex ædificio Eccleſiæ pateret, & ex meritis & miraculis ipſius, quòd ibi ſemper præſens eſſet. Poſt Odæ ſupradictæ illuminationem *maior aduenit ad nouiter ædificatam Eccleſiam populi concurſus, in qua etiam fideles & deuoti in timore Dei, artifici opere fabricatum collocauerunt eius lectum, qui ex ſacris artubus illius ſanctificatus ſuam etiam promerebatur venerationem, & in ipſo Martyrij illius loco ſtatutus omnium cultui & medendæ infirmitati languentium patet expoſitus.* Quod ad vltionem diuinam de Dodone & eius ſociis attinet, *anni circulo expleto* ſanctus Martyr Amalgiſilo apparuit, & cum eo leniter locutus vindictam illam inſtare prædixit. Viſionem autem opera confeſtim ſunt ſequuta. *Dodo omnibus inteſtinis putrefactis & horribiliter egeſtis infeliciter peſſimam vitam finiuit, & in profundum inferni detruſus cruciatus æternos perpetitur. Satellites eius, conſanguinei crudeles, qui, opere & conſenſu, eius feritati ſubſeruierunt, tumultuosâ ſeditione inter ſe concertantes, inuicem ſe interfecerunt. Ille autem, qui ſpecialiter ſanctum virum tranſpunxit, à germano ſuo crudeliter interfectus eſt. Alij autem à dæmoniis vexati, & diuerſo genere vocum vlulantes, quæ humanus auditus contremiſcebat audire, Lamberti nomen & auditu eis erat intolerabile & pronuntiatione ineffabile, & paucis eorum, expleto anno, euadentibus, ceteri omnes peſſimâ & infami morte præuenti miſerrimam & amariſſimam vitam abruperunt.* Ceterùm Eccleſia, quam in loco Martyrij conſtructam diximus, vbi priùs Oratorium Sanctorum Coſmæ & Damiani fuerat, Baſilica ſancti Lamberti nuncupari cœpit. Id liquet ex Geſtis Regum Francorum, ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, ex vetere libello de Majoribus domûs Regiæ, ex Annaliſta Metenſi, & ex aliis Auctoribus, qui Grimoaldum Pippini Herſtallij filium in ſancti Lamberti Baſilica Leodij necatum ſcribunt, cùm eiuſdem beati Martyris corpus apud Traiectum adhuc quieſceret. Anno enim Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto peremptus eſt Grimoaldus patre Pippino ſuperſtite, & Reliquiæ ſancti Lamberti Traiecto Leodium anno poſt Martyrium decimo-tertio, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo tranſlatæ ſunt, id eſt, anno poſt Grimoaldi cædem ſeptimo. Quæ de illa Grimoaldi nece, déque Sancti Lamberti Tranſlatione narraturi ſumus, ſuis locis infrà conſule.

AN. CH. 709. CHILDEBERTI III. R. 15.

IV. Hoc eodem anno, Childeberti Regis decimo-quinto, Wolfandus Comes eiúſque vxor Adalfinda Monaſterio ſancti Michaelis, quod in Diœceſi Virodunenſi nuper erexerant, ampliſſimas elargiti ſunt facultates, vt conſtat ex donationis teſtamento, quod Waſburgius [a] in hunc modum recitat. *Cùm oporteat Chriſtianis viam veritatis eligere, pro qua Conditori ſuo poſſint dignè miſerationis munus offerre, vt oblatio proſit ad ſalutem, deuotio pertineat ad mercedem. Ego itaque Wolfandus filius Siſtaramij quondam, necnon & coniux mea Adalſinda, filia Alberti quondam, donatores licèt multarum rerum. Cùm ſit ſemper rarum quod quiſque pro ſuis admiſſis facinoribus vel redimenda vltione peccaminum, de rebus ſuis propriis, aut ad loca Sanctorum Dei, aut ipſius ſeruis velit quid dare, vt ipſe propriâ manu det ſcriptíſque mandet, vnde & antiquitus diuitum Principum Decreta & legum iura ſanxerunt, vt tantummodò ſola manus datoris in ſubſcriptione certa monſtraretur, nec, ſin geſtorum allegatione pleniſſimâ voluerint firmitate mancipare, vt hoc quod vnuſquiſque pro arbitrio ſuo aut mentis ſuæ condonare voluiſſet, ſolemnis ſcriptura non confirmaret. Sed dum & nos Domini gratiâ inſpirante (vti credimus) ſicut omnium fidelium Catholicæ Eccleſiæ mos eſt, quorum depoſcit benignitas, vt pro animarum ſalute vel Dei intuitu, Domino adiuuante, Monaſterium Congregationémque ſeruorum Dei, animo deuotiſſimo à nouo fundamento in iure proprietatis noſtræ, in pago Virdunenſ. in loco qui dicitur Caſtellionis, in fine Windumaca Iſiuillæ, vbi in ipſa radice montis conſurgit fluuiolus, qui dicitur Marſupia, in honore ſancti Michaelis Archangeli & ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancti Martini, & ſanctorum Apoſtolorum*

[a] Lib. 2.

MON. S. MICHAELIS CONDITVR AC DOTATVR A WOLFANDO COMITE IN EP VIRODVN.

Digitized by Google

AN. CH. 709. CHILDEBERTI III. R. 15.

Petri & Pauli, necnon Sanctorum Martyrum, vel ceterorum ad exemplum, & iam viſi fuimus ædificaſſe. Addidit nobis conſilium, quatinus de communi ſubſtantia ad ipſum Monaſterium, vel ipſos ſeruos Dei, Domino vacantes, conſiſtendum iuxta noſtrum arbitrium conſcribere deberemus, quod ita fecimus. Imprimis itaque donamus, &c. *Facta eſt hæc donatio in ipſo Monaſterio multorum conuentu bonorum hominum, anno decimo-quinto Regni Domini Noſtri Childeberti Regis. Signum Wolfandi, qui teſtamentum donationis fieri rogauit. Ego Wolfandus Abbatiſſa ſigno. Signum Aggrebardi Epiſcopi. Signum Wolfandi teſtis. Signum Condeberti. Signum Walfredi. Signum Cramberti. Signum Angelberti. Signum Hugonis & aliorum. Ego Richranus Presbyter, rogatus ſubſcripſi hoc teſtamentum donationis.* Ex hac charta duo genera hominum obiter redargue; quorum alij Wolfandum, qui regnante Childeberto Tertio Monaſterium Sancti Michaelis ad Moſam conſtruxit, cum Wlfoaldo Maiore-domûs, qui ſub Childerico Secundo Rege potentiſſimus fuit, perperam confundunt, & ab eiuſdem Childerici Secundi Principatu primordia prædicti Cœnobij repetunt; alij Aggrebardum Virodunenſem Epiſcopum, qui prælaudato donationis teſtamento ſubſcripſit, anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo mortuum volunt. Vixit Aggrebardus ad hunc vſque annum, ſedítque annos octo. Succeſſit in Epiſcopatum Bertalamius Monachus Theologienſis. Lege Waſburgium [a].

AGGREBARDUS EP. VIRODUN.

[a] Lib. 2. in Ep. 17. 18.

V. Seuertius in Catalogo Pariſienſium Epiſcoporum ſcribit Sigofridum obiiſſe *circa annum* 695, eiúſque ſucceſſorem Turnaldum ſediſſe *ad annum* vſque *ſeptingenteſimum nonum.* Hoc igitur anno Turnaldus ſeu Turnoaldus Epiſcopatum Pariſienſem dimiſit, vt Monachus in Monaſterio Sancti Dionyſij fieret. Errant Robertus & Sammarthani, cùm Turnaldum ex Abbate Epiſcopum factum affirmant. Turnaldus enim ſeu Turnoaldus non Epiſcopus ex Abbate, ſed ex Epiſcopo Monachus primùm in Cœnobio Sancti Dionyſij, deinde Abbas illius loci factus eſt, Monaſteriúmque rexit ſub Chilperico Tertio & Theodorico Quarto Regibus, vt infrà probaturi ſumus. Ex Chilperici Tertij literis apertè colligitur annus, quo curam Monaſterij ſuſcepit. Abbas nondum erat ſexto Idus Martij, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, cùm Chilpericus illo die, anno Regni ſui primo, Diploma pro Monachis San-Dionyſianis emiſit, erat autem pridie Kalendas Martij, anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-ſeptimo, cùm idem Chilpericus illo die, anno Regni ſui ſecundo, aliud Diploma pro iiſdem Monachis edidit. Vtrumque Diploma ſuis locis recitabimus, interim Abbatum San-Dionyſianorum Indicem corrige.

TURNALDUS ABDICATO EPISCOPATU PARISIENSI FIT MONACHUS SAN-DIONYSIANUS.

VI. Apud Doubletum in Antiquitatibus [b] San-Dionyſianis, quas in Gallia Chriſtiana Robertus & Sammarthani ſequuntur, poſt Godobaldum, qui regnante Theodorico Tertio floruit, & à nobis Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum laudatus eſt, Abbates San-Dionyſiani recenſentur hoc ordine, Cayno, Chilardus, Cardericus, Cailedulphus vel Chagledulphus, Turnaldus. Apud eoſdem Auctores Cœnobium adminiſtrant, Cayno ſub Theodorico & Clodoueo Tertio Regibus, Chilardus ſub Childeberto Secundo, id eſt, ſub Childeberto Tertio iuxta noſtram ſcribendi rationem, quia Childebertum Sigiberti Primi filium, Auſtraſiæ ac Burgundiæ quondam Regem, Regibus Francorum accenſemus, licèt in agro Pariſienſi, vbi Monaſterium Sancti Dionyſij ſitum, numquam regnarit. Caynonem Godobaldo proximè ſucceſſiſſe, Abbatémque fuiſſe ſub Theodorico Tertio eiúſque filio Clodoueo Tertio non inficiamur, ſed Chilardum ſeu Chillerdum Caynonis ſucceſſorem immediatum agnoſcere non poſſumus, ex Regiis enim Diplomatibus infrà deſcribendis palàm fit Chillerdum anno primo Chilperici Regis, & Turnoaldum ſeu Turnaldum anno ſecundo eiuſdem Chilperici Regis, Monaſterio Sancti Dionyſij præfuiſſe. Vulgatos igitur Catalogos Abbatum San-Dionyſianorum emenda, Chilardo ſeu Chillerdo poſt Cailedulphum ſeu Chagledulphum reiecto. Non opus eſt aliâ

[b] Lib. 1. c. 15.

ABBATES SAN-DIONYSIANI.

Digitized by Google

aliâ correctione. Rectè enim Doubletus & Robertus Cardericum ſub Chil- AN. CH.
deberto Secundo Rege, nobis Tertio, ſtatuunt Abbatem; iidémque necnon 709.
Sammarthani ſub Dagoberto Secundo, nobis quoque Tertio, Cailedul- CHILDEBERTI III.
phum ſeu Chagledulphum commendant, cui iure ſubrogabis Chilardum R. 15.
ſeu Chillerdum auctoritate nixus Chilperici Tertij Regis, hic enim Dago-
berto Tertio, (quem Auctores præcitati, Dagoberto, Sigiberti Auſtraſio-
rum quondam Regis filio, quia in ſola Auſtraſia regnauit, omiſſo, Secun-
dum vocant) proximè ſucceſſit, & in Diplomate, quod anno primo ſuæ do-
minationis pro Monachis San-Dionyſianis emiſit, Chillerdi tunc Abbatis
meminit.

VII. Abdicato igitur Epiſcopatu Pariſiorum, Turnaldus in Monaſterio Sancti
Dionyſij Monachum induit, piiſſiméque vixit ſub Abbatibus illius loci,
Cailedulpho & Chilardo, huic enim in Cœnobij regimen anno Chriſti ſex-
centeſimo decimo-ſexto ſucceſſit, regnante tum Chilperico Tertio. Poſt
eundem autem Turnaldum in Epiſcopali Cathedra ſedit Aldulphus ſiue ADULPHUS
Adulphus, qui, ſi Seuertio fides eſt, Pontificatum Pariſienſem ad annum FIT EP. PA-
vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum geſſit. RISIENSIS.

VIII. Ex Chronologia Turonenſium Epiſcoporum, quam ad annum Chriſti ſex-
centeſimum nonageſimum-quintum [a] ſtabiliuimus, hoc anno conſignanda [a] Num. 17.
eſt mors Euarici Epiſcopi, quem Maanus [b] *annos nouem* ſediſſe ſcribit. Suc- [b] Part. 1. n. 35.
ceſſit Ibbo, ſiue Ibo. Hic Eccleſiam Turonenſem *annos ſeptem & ſex ferè* EPISCOPI
menſes apud Maanum [c] adminiſtrat, apud Chenutium & Seuertium *an*. 8. TURONENSES.
annos autem intellige incompletos, vt poſterior hæc ſententia cum priore [c] Part. 1. n. 36.
conueniat. De Ibbonis obitu agemus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum
decimum-ſeptimum, quo annum in Epiſcopatu octauum numerabat. In
eadem prouincia Lugdunenſi tertia vitam hoc anno clauſit Cadocanamus ALETENSES.
ſeu Cadocauanus Aletenſis Epiſcopus, poſt cuius mortem Sedes biennio va- [d] Catal. Epiſc.
cauit. Lege Armoricam Sanctam [d]. Maclouienſ.

IX. Antonius Sanderus in Abbatum Gandenſium ſeu Bauonianorum Catalo-
go, quem in Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ texuit, Wil- ABBATES
frido Abbati ſexdecim attribuit annos, quos ab anno Chriſti ſexcenteſi- GANDENSES.
mo nonageſimo-tertio ad hunc vſque numerandos arbitramur. Obiit Wil-
fridus duodecimo Kalendas Octobris. Succeſſit Reynerus.

X. Obiit & hoc anno Bainus * Abbas Fontanellenſis, Monaſterium enim
Fontanellenſe, vt eiuſdem loci Chronographus teſtatur [e], rexit *vſque ad de-* * Bain.
cimum-quintum Childeberti *Regis annum per annos nouem*. Colitur duodeci- [e] Cap. 2.
mo Kalendas Iulias in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. Priuſquàm BAINUS
Monachum apud Fontanellam indueret, Epiſcopatum Taruannenſem ſum- ABB. FONTANELL.
ma cum laude geſſerat, vt dictum eſt ſuo loco. De illius ætate diſputaui- OBIT.
mus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum, quo Fontanellenſis Abbas ex eiuſ-
dem Cœnobij Monacho factus eſt.

XI. In adminiſtrationem Monaſterij Sancto Baino ſucceſſit Benignus, de
quo ſic Auctor [f] Chronici Fontanellenſis. *Benignus Diaconus & Monachus à* SUCCEDIT
patre, nomine Maurino, editus, matréque Inga, ordinatione diuinâ aſſumit Cœno- BENIGNUS.
bij curam ab anno decimo-ſexto Hildeberti Regis, qui erat annus tertius Ioannis Pa- [f] Cap. 3.
*pæ ſuprà iam taxati, Dominicæ verò Incarnationis ſeptingenteſimus ſeptimus, In-
dictione quintâ. Tenuit huius Monaſterij curam paſtoralem per quatuordecim curri-
cula annorum*. At multa ſunt in illo textu corrigenda, quia nec Benignus
in Abbatem aſſumptus eſt anno Childeberti Regis decimo-ſexto, nec annus
ille Childeberti Regis decimus-ſextus illigatur anno tertio Ioannis Papæ,
vel anno Chriſti ſeptingenteſimo-ſeptimo Indictioníue quintæ. Decimus-
ſextus Childeberti Regis annus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo,
Conſtantini Papæ tertio, & Indictione octaua componitur. Benignus au-
tem factus eſt Abbas anno decimo-quinto Childeberti Regis, id eſt, anno
Chriſti ſeptingenteſimo nono, Conſtantini Papæ Secundo, Indictione ſepti-

Digitized by Google

mâ. Non recedit ab hac opinione præcitatus Chronographus, vbi ſcribit [a] Præfecturam Fontanellenſem penes Bainum fuiſſe *vſque ad decimum-quintum eiuſdem* Childeberti *Regis annum*. Nec aliud innuit in textu proximè allegato, vbi ſcribit eandem Præfecturam penes Benignum fuiſſe *per quatuordecim curricula annorum*, ſiue, vt paulò pòſt ſubiungit, *vſque ad annum Theodorici Iunioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus vigeſimus-tertius*, quo etiam anno Hugonem eidem Benigno ſucceſſiſſe ſic poſteà teſtatur [b]. *Hugo, filius Drogonis, vir venerabilis, à matre, nomine Adaltrude, progenitus, nepos Karoli ſagaciſſimi Principis, Archiepiſcopus Rothomagenſis Eccleſiæ, poſt præfatum Benignum regimen huius Cœnobij*, nempe Fontanellenſis, *ſuſcepit ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio, indictione* VI. Textus igitur, in quem inquirimus, ſic eſt corrigendus. *Benignus Diaconus & Monachus à patre, nomine Maurino, editus, matréque Inga, ordinatione diuinâ aſſumit Cœnobij curam ab anno decimo-quinto Hildeberti Regis, qui erat annus ſecundus Conſtantini Papæ, Dominicæ verò Incarnationis ſeptingenteſimus nonus, Indictione ſeptimâ. Tenuit huius Monaſterij curam paſtoralem per quatuordecim curricula annorum.* Ceterùm textus ille ſic emendatus eget adhuc interpretatione. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nono quo Benignus Abbas eſſe cœpit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium quo viuere deſiit, anni quidem quatuordecim numerantur, ſed idem Benignus per tres annos, quibus exulauit, à ſuo Monaſterio procul abfuit. Fontanellam ab anno Chriſti ſeptingenteſimo nono gubernauit, donec anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto pulſus eſt à Ragenfredo Maiore-domûs, deinde poſt annos tres priſtinam dignitatem recuperauit, retinuítque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium, quo vitam clauſit.

[a] Cap. 2.
[b] Cap. 8.

XII. ABBATES WELTENBVRG. Gebertus Abbas Weltemburgienſis obiit etiam hoc anno, cùm per annos decem Monaſterio præfuiſſet. Succeſſit Hugo, cuius Præfectura triennio circumſcribitur. Adi Tomum tertium Metropolis Saliſburgenſis.

XIII. MEDIANI. Hoc anno vitam quoque finiuit Leutebaldus Abbas Mediani Monaſterij, eóque mortuo curam Cœnobij rurſum ſuſcepit geſsítque per triennium Hildulphus, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo conſignabimus. Lege Ruyrum in Antiquitatibus Voſagenſibus [c].

[c] Part. 2. l. 3. cap. 10.

ANNVS CHRISTI 710.
CHILDEBERTI III. R. 16.

I. BELLVM SVEVICVM. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo decimo, Pippinus iterum contra Wilarium in Sueuiam ſiue Alemanniam exercitum duxit. Id teſtantur Auctores Annalium Nazarianorum, Petauianorum, Tilianorum, Metenſium, necnon Chronicorum San-Dionyſiani & Moſſiacenſis. Pippinùs denuò ſuperior euaſit, ſic enim ſcribit Annaliſta Metenſis. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCX. *Pippinus iterum contra rebelles Alamannos exercitum duxit, incenſâque eâdem regione, captiuiſque & ſpoliis multis adeptis, victor ad propria reuertitur.*

II. TETRICVS EP. AVTISSIOD. MARTYR. Hoc anno, Tetricus Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cùm ſediſſet annos quindecim, menſes tres, à Regenfredo Archidiacono cæſus occubuit. *Conſummato feliciter*, inquit Chronographus [d] Autiſſiodorenſis, *vitæ ſuæ curſu, à quodam, inſtigante diabolo, vt fertur, Archidiacono ſuo, nomine Regenfredo, dum ſcamno ſopore reſolutus quieſceret, gladio verberatus Martyrio vitam finiuit* XV *Kalend.*

[d] Cap. 24.

Digitized by Google

Aprilis, & ſepultus eſt cum ſumma deuotione fidelium in Baſilica Sancti Euſeby AN. CH.
Martyris. Beatus Præſul Archidiaconi, cuius ſcelera carpebat, odium in- 710.
currit. Hæc cauſa Martyrij. Quid ſecutum ſit, ita narrat idem Chrono- CHILDE-
graphus. *De eodem Regenfredo antiquá relatione vulgatur, quòd mox vt à domo,* BERTI III.
in qua ſuum interfecerat Pontificem, eſt egreſſus, ſubito turbine raptus nuſquam R. 16.
comparuit. Fuit autem Ciuitas ſine Epiſcopo annis III. *Nam de ſcamno ſuper quod*
interfectus eſt, plures ex dolore dentium, ob meritum ſancti viri obtinuere reme-
dium. Sed & in eodem loco ob memoriam & reuerentiam Martyris, à ſucceſſoribus
ipſius, eius eſt nomine conſtructum Oratorium, quod hactenus fidelium deuotione
veneratur & colitur. Extant hodiéque tabulæ eiuſdem ſcamni, eius Martyrium de-
ſignantes. Laudatur ab eodem Scriptore quòd *villam, quæ ei ex ſucceſſione*
parentum aduenerat, Maximiacum nomine, ſitam in pago Senonico, Baſilicæ Sancti
Stephani, cui Deo auctore præfuit, habendam delegauit.

Hiſtoriam illam Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, quam noſtrâ ætate III.
Philippus Labbeus publicauit, ſuperiori ſeculo præ manibus videtur ha-
buiſſe, qui Catalogum eorumdem Antiſtitum Demochari Doctori Sorbo-
nico communicauit Iacobus de Aula Doctor Theologus & Autiſſiodo-
renſis Eccleſiæ Canonicus. Id Lector factâ collatione facilè iudicabit.
Aliam cauſam ne quæras, cur Demochares Sancti Tetrici Martyrium,
cuius dies hodie controuertitur, decimo-quinto Kalendas Aprilis conſi-
gnarit. Democharem ſecutus eſt Chenutius In eadem quoque ſententia,
quam ceteris præferendam remur, verſati ſunt Galeſinius, Caniſius & Fer-
rarius. In Martyrologiis Benedictino & Gallicano, necnon in Gallia Chriſ-
tiana cùm Roberti tum Sammarthanorum, paſſio eiuſdem ſancti Martyris
biduo præuertitur, notatúrque decimo ſeptimo eaſdem Kalendas Aprilis.
Nec deſunt, qui prædictum Martyrium pridie Idus Aprilis contigiſſe ſcri-
bant. In horum numero ſunt Seuertius & Henſchenius, Tauellum citat Se-
uertius, Henſchenius [a] tria Breuiaria Autiſſiodorenſia, quorum poſtremum [a] Dd. 16. & 18. Mart.
anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octogeſimo excuſum fuit.

Vt dies, ſic & annus, quo ſanctus Tetricus Martyrium ſubiit, in con- IV.
trouerſiam venire poteſt. Si conueniremus cum Henſchenio [b], qui ſanc- [b] D. 11. Mart.
tum Vigilium Autiſſiodorenſem Epiſcopum anno Chriſti ſexcenteſimo vn-
denonageſimo necatum tradit, Scopilionis Epiſcopi mortem reiiceremus in
annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum, & ſancti Tetrici
Martyrium in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-tertium. Sed ex
eo patet error Henſchenij, quòd Ebroinum Maiorem-domûs, cui ſanctum
Vigilium ſuperſtitem vixiſſe non diffitetur, anno Chriſti ſexcenteſimo oc-
togeſimo-ſeptimo ad finem vrgente vel initio ſequentis interfectum putat [c]. [c] D. 1. Febr. in prolegom. ad vit. S. Sigiberti n. 95.
Ebroini necem anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo conſignaui-
mus, nec opus eſt, vt Regum ac Maiorum-domûs aut Epiſcoporum Au-
tiſſiodorenſium Chronologiam, quam tot argumentis comprobauimus, hoc
loco denuò confirmemus.

A ſancti Tetrici Martyrio ad Regnum vſque Pippini, ſeries Autiſſiodo- V.
renſium Epiſcoporum perturbata reperitur. In Chronologia Monachi Al-
tiſſiodorenſis, in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, & in omnibus
Catalogis eorumdem Pontificum hactenus editis, poſt beatum Tetricum
hi nominantur Epiſcopi, Flocoaldus, Sauaricus, Hainmarus, Theodran-
nus, Quintilianus, Cillianus, Clemens, Aidulphus qui fuiſſe dicitur *tem-*
poribus Caroli Maioris, id eſt, Caroli Martelli, & perduraſſe *vſque ad Pipi-*
num. Licèt autem tot Auctores adeò conſtanter inter ſe conueniant, duos
in prædicta Nomenclatura næuos deprehendimus. Flocoaldo præponen-
dus eſt Sauaricus. Hainmarus & Theodrannus poſt Aidulphum reiici de-
bent. Occurrit & alia difficultas haud leuis. In Hiſtoria Epiſcoporum Au-
tiſſiodorenſium ſuprà citata, poſt ſancti Tetrici Martyrium Sedes integro
triennio vacat; apud Monachum Autiſſiodorenſem, apud Democharem

Digitized by Google

AN. CH. 710. CHILDEBERTI III. R. 16.

aliόſque recentiores Auctores, vacationis adeò diuturnæ nulla ſit mentio. Trium annorum loco tres menſes reponendos arbitramur. Hoc igitur anno, menſe Iunio, Sauaricus factus eſt Epiſcopus Autiſſiodorenſis. Vt Sauaricum Flocoaldo præponamus, hæc ſuadet ratio Chronologica. Sauaricus annos ſedit quinque, menſéſque quatuor, vitámque eodem amiſit anno, quo commiſſum eſt in Cotia ſylua prælium, de quo ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum facturi ſumus. Hæc de Chronologia Præſulum Autiſſiodorenſium impræſentiarum ſufficiant, ceteros errores, quos ſuprà notauimus, ſuis quoque locis refellemus.

SVCCEDIT SAVARICVS.

VI. EPISCOPI MELDENSES.

In eadem prouincia Senonenſi mortuus eſt etiam circa hunc annum Edoldus ſiue Heldodus vel Eldodus Meldenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit in Epiſcopatum Adulphus vel Adelphus. Lege Seuertium.

VII. MONAST. FONTANELL. MVLTIS AVGETVR POSSESSIONIB.

Hoc eodem anno, *Hildeberti Regis decimo-ſexto*, vt Auctor Chronici Fontanellenſis teſtatur [a], Ictor Paterfamilias & Ermingus Clericus Monaſterio Fontanellenſi dona contulerunt, Ictor Primiacum in pago Madriacenſi *die decimo menſis Iulij*, Ermingus partem de Brinniaco *octauo Kal. Iulij*. Aderat vir Deo dilectus Bagga Monachus, Preſbyter Saxonici generis ex Britannia Oceani Inſula, qui diu vixit in Cœnobio Fontanellenſi, diſceſsítque ex hac vita, cùm Benignus Abbas Monaſterio præerat [b].

[a] Cap. 7.

[b] Chron. Fontan. cap. 5.

VIII. ABBATES S. EMMERAMMI.

Apollonius Abbas, cùm Sancti Emmerammi Monaſterio per annos tredecim apud Ratiſbonam præfuiſſet, obiit hoc anno. Succeſſit Sandradus, cuius præfecturæ tribuuntur anni viginti-quinque, menſes ſeptem, dies viginti-ſex. Lege apud Wiguleum Hundium *à Sultzemos*, Tomo ſecundo Metropolis Saliſburgenſis, Catalogum Abbatum, qui prædictum Cœnobium adminiſtrarunt.

---

711. CHILDEBERTI III. R. 17.

ANNVS CHRISTI 711.
CHILDEBERTI III. R. 17.

I. *ANNO Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vndecimo, cùm Sanctus Swibertus frequenter prædicans non tantùm in Werda, ſed & in pagis & villis vicinis enunciaret prophanis Saxonibus Euangelium Chriſti, contigit quadam die Martis, vt ipſe extra Werdam diuina celebraturus, iret cum venerabili Presbytero ſuo Willeico in villam vicinam, & quidam diues gentilis, Hungerus nomine, poſteà conuerſus & baptizatus in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli à Sancto Swiberto appellatus Petrus, ex feruore fidei & nimia humilitate & deuotione curru aduehi curaret arenam & lapides, reliquáque tali ædificio congrua & opportuna ad Monaſterium Sancti Swiberti. Procurante autem omnium bonorum æmulo diabolo, idem Petrus corruens ſub carruca onuſta lapidibus, efferebatur mortuus, quia penè ſuffocatus & per diuerſa vulnera capitis extinctus fuit. De quo cùm omnes non immeritò dolerent, magnúſque concurſus populorum ad illud miſerandum ſpectaculum fieret gementium & dolentium propter inopinatam illius mortem, cúmque exequiæ præpararentur, vt corpus Eccleſiaſtica commendaretur ſepultura, ſuperuenit pius Pater Sanctus Swibertus cum deuoto Willeico ſuo Capellano, qui cùm didiciſſet ex gemitu, audíſsétque à circumſtantibus mortem illius Petri, ipſe habens fiduciam magnam in Chriſtum præcepit, vt emortuum corpus antequàm ſepeliretur, ad cellam ſuam deportaretur. Quod cùm factum fuiſſet, ipſe adſtante magnâ turbâ populorum, rei exitum præſtolante, largiter cum multis ſuſpiriis lachrymas fundens, flexis genibus deuotiſſimè orauit ad Dominum pro reſuſcitatione Petri famuli Monaſterij. Cúmque diu preces precibus continuaſſet, ſurgens tangendo cùm oſcularetur funus, ſtatim*

MORTVVS RESVRGIT PRECIBVS SWIBERTI EPISC.

Digitized by Google

AN. CH. 711. CHILDEBERTI III. R. 17.

mortuus non ſolùm reuixit & ſurrexit,, verùm etiam nullæ cicatrices vulnerum, nulla conglomeratio ſanguinis, per totum corpus apparuerunt, de quo omnes laudabant benignitatem Chriſti Saluatoris. Famâ huius miraculi per totam prouinciam promulgatâ, neophyti in fide ſolidati confirmantur. Multi verò infideles ad Chriſtum conuerſi, fonte baptiſmatis Chriſto regenerati ſunt. Vixit autem poſteà idem Petrus vſque ad conſummationem Eccleſiæ Werdenſis, etiam poſt migrationem ſanctiſſimi Patris Swiberti. Hæc Auctor Hiſtoriæ Swibertinæ.

II. BELLVM SVEVICVM.

De bello Sueuico in Annalibus Petauianis ad hunc annum id tantùm legitur. *Exercitus Francorum in Suauis.* Walaricum copiis Francorum præfectum fuiſſe ſic teſtantur Annales Tiliani. *Walaricus duxit exercitum Francorum in Suauis.* Auctor Chronici San-Dionyſiani ſic adſtipulatur. *Walericus duxit exercitum in Suauis contra Vilario.* Pippino, quominùs in Sueuiam hoc etiam anno proficiſceretur, impedimento videtur fuiſſe mors Childeberti Regis.

III. CHILDEBERTVS R. OBIT.

Obiit enim hoc anno Rex Childebertus, vt aſſerunt Annales Nazariani, Petauiani & Metenſes cum Chronico San-Dionyſiano. Regnauit annos ſeptemdecim. In ea ſententia ſunt Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum, & Erchambertus in Breuiario Regum Francorum & Maiorum Domûs. Suffragantur Auctor breuiſſimi Chronici à Theodorico Tertio vſque ad Pippinum Regem, Auctor alterius perbreuis Chronici à Clotario Secundo vſque ad obitum Pippini Regis, & Auctor Genealogiæ Regum Francorum à Faramundo vſque ad Pippinum editæ ab Andrea Ducheſnio. Ceteri ſunt corrigendi. Aberrat omnium maximè Continuator Fredegarij [b], qui Childeberto tredecim duntaxat annos in Principatu tribuit.

[a] Cap. 50.
[b] Cap. 104.

IV. Ebrinus, qui fratrem ſuum nomine Eodonem in Cœnobio Fontanellenſi Clericum habebat, paulò ante mortem Childeberti, ſiue, vt Auctor Chronici Fontanellenſis loquitur [c], *anno decimo-ſeptimo eiuſdem Regis partem de Gentiaco ac Fontanas* eidem Monaſterio *contradidit*, Benigno tunc Abbate.

[c] Cap. 7.

V. VINDICATVR A CALVMNIA.

In Geſtis [d] Regum Francorum, Childebertus *vir inclytus* & *Rex iuſtus* appellatur. Non opus eſt alio Encomiaſte, vt refellas eos, qui Childebertum deſidem, ignauum, puſillanimem, ac Regem titulo tenus fuiſſe fabulantur. Erga pleraque Monaſteria munificentiſſimus fuit, vt ex Chronico [e] Fontanellenſi & ex Antiquitatibus [f] San-Dionyſianis conſtat. Anno Regni ſui decimo, Adpiacum villam in pago Pinciacenſi * ad Sequanam fluuium ſitam, necnon Bannagam Inſulam Cœnobio Fontanellenſi contradidit. Anno Regni ſui duodecimo, Solemium * villam ad Sabim * in pago Fanomartenſi * ſeu Famarcenſi vel Falmarcenſi poſitam Monaſterio San-Dionyſiano largitus eſt. Prætereà Heliſtam Batauiæ vicum aliaque multa Pippino *de ſuo fiſco & ex largitatis ſuæ munere conceſſit*, vt Carolus Pippini filius in ſuis literis teſtatur [g], quas ad annum ſextum Theodorici Quarti recitabimus. An iſtarum donationum auctor ad eas rerum anguſtias redactus erat, vt *nihil aliud proprij poſſideret, quàm vnam & eam perparui reditûs villam?*

[d] Capp. 49. 50.
[e] Cap. 2.
[f] Lib. 3 c. 4.
* *de Poiſſy.*
* *Soleſmes.*
* *la Sambre.*
* *le Pays de Famars.*
[g] Ap. Mir. in notit. Eccleſ. Belg. c. 14.

VI. VBI SEPVLTVS. DAGOBERTVS SVCCEDIT. DAT PRÆCEPTVM PRO ECCLESIA REMENSI.

Childebertus, ſiue Hildebertus aut Ildebertus, vel vt apud Bouteroueum [h] in poſtica numi parte legitur Eldebertus, *ſepultus eſt Cauſiaco * Monaſterio in Baſilica Sancti Stephani Martyris. Regnauítque Dagobertus filius eius pro eo*, vt vetus Auctor in Geſtis Regum Francorum teſtatur [i]. Dagobertus, cùm Regnum ſuſcepit, rebus gerendis impar erat, vixit enim Childebertus illius pater annos præterpropter triginta-quinque. Rigobertus Remenſis Epiſcopus à Dagoberto Rege Præceptum immunitatis obtinuit, de quo Flodoardus in Hiſtoria [k] Remenſis Eccleſiæ ſic loquitur. *A Dagoberto Rege Præceptum immunitatis ſuæ obtinuit Eccleſiæ, ſuggerens eidem Regi, qualiter ipſa Eccleſia ſub præcedentibus Francorum Regibus à tempore Domni Remigij & Clodouei Regis, quem ipſe baptizauit, ab omni functionum publicarum iugo liberrima ſemper extiterit. Qui præfatus Rex hoc beneficium confirmare vel innouare diſponens, cum conſilio Procerum ſuorum ſtatuit, ad prædeceſſorum formam Regum præcipiens, vt omnes ipſius Sanctæ Dei Eccleſiæ res tam in Campania & infra vrbem,*

[h] Numus 182.
* *Choiſy ſur Oyſe.*
[i] Cap. 50.
[k] Lib. 2. c. 11.

AN. CH. 711. CHILDEBERTI III. R. 17.

vel ſuburbanis, quàm in Auſtraſia, ſeu Neuſtria, vel Burgundia, ſeu partibus Maſſiliæ; in Rodonico etiam, Gaualitano, Aruernico, Turonico, ſeu Pictauico, Lemouicino, vel vbicumque infra Regna eius ipſa Remenſis Eccleſia vel Baſilica beatiſſimi Remigij villas aut homines habere videbatur, ſub integra immunitate omni tempore poſſent manere. Sic quoque vt nullus Iudex publicus in ipſas terras auderet ingredi, vt manſiones intrando faceret, aut qualibet indicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus præſumeret. Sed quodcumque à Præceſſoribus ſuis Regibus Eccleſiæ Remenſi vel Baſilicæ ſancti Remigij fuerat conceſſum, cunctis diebus eadem Eccleſia valeret habere conſeruatum. Flodoardus annum, quo Præceptum datum eſt, non exprimit, ſed, vt in ſimili cauſa ſæpè dictum eſt, illud emiſſum videtur ineunte Dagoberti Principatu.

VII. *In illo tempore*, vt Auctor Annalium Metenſium ſcribit [a], *Grimoaldus filiam Radbodi Ducis Friſionum duxit vxorem.* Hanc autem Teutſindam vocat, & Radbodum eius patrem gentilem fuiſſe ſic obſeruat [b] is, qui Geſta Regum Francorum in literas retulit. *Habebat tum Grimoaldus vxorem in matrimonio, nomine Teutſindam, filiam Radbodi Ducis gentilis. Erátque ipſe Grimoaldus Maiordomus, pius, modeſtus & iuſtus.* Teutſinda ſeu Theodoſinda, quamuis in impietate pater perſiſteret, Chriſtianam fidem ſuſceperat. Inuitóne patre an ſponte eius nupſerit Grimoaldo, incertum eſt, niſi quòd facinus, de quo poſt triennium locuturi ſumus, aduerſam ipſius Radbodi voluntatem videtur arguere. Emmius libro quarto rerum Friſicarum nuptias Theodoſindæ refert anno Chriſti vndeſeptingenteſimo, nec vllum Chronographum citat, Annales Metenſes ſequi maluimus.

[a] Ad an. 711.
[b] Cap. 50.

GRIMOALDVS DVCIT TEVTSINDAM FILIAM RADBODI R. FRISIORVM.

VIII. Hoc anno Paſcha celebratum eſt pridie Idus Apriles, poſtridie eaſdem Idus, ſiue, vt in Chronico Sancti Medardi Sueſſionenſis legimus, *decimooctauo Kalendas Maij* Dagobertus in regnum Childeberto Patri ſucceſſit. Alij Dagobertum illum annos quatuor, alij annos quinque regnaſſe volunt aut obiiſſe anno Principatûs ſui quinto, illi enim tot annos Regni Dagoberto tribuunt, quot Paſchata ſeu quot annorum initia celebrauit, hi verò annos inchoatos numerant inſtar completorum, nam Principatus Dagobertinus tribus duntaxat annis completis duobúſque incompletis circumſcribitur. Priorem computum ſecuti ſumus hactenus in titulis, quos ſingulis annis præfiximus, eandémque rationem ſeruabimus in apicibus ſubſequentium annorum, anno enim proximo, Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo, annum primum Dagoberti Regis illigabimus. Sed quoniam Childebertus hoc anno, Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, non regnauit vltra biduum, multæque res occurrunt annis Dagoberti, primo, ſecundo, tertio, quarto & quinto geſtæ, referri debent in hunc annum illæ, quæ primo Dagoberti Regis anno conſignatæ reperiuntur, modò Kalendas Ianuarias anteceſſerint. Id te monitum volumus, ne nobiſipſis circa Chronologiam hoc anno quatuórque proximè ſequentibus contrarij videamur.

CHRONOLOGIA CONFIRMATVR.

IX. In Chronico Sigeberti Gemblacenſis ad hunc annum Oda vidua ſic laudatur. *Sancta Oda, vxor Boggis Ducis Aquitanorum, ſanctitate claret in Gallia, quæ Eccleſias Dei ſuâ ditauit munificentiâ, & moriens in Leodicenſi quieuit parochia.* Sanctam Odam ad hunc vſque annum vixiſſe valdè probabile eſt, vitam enim clauſit Huberto Epiſcopatum Traiectenſem iam gerente. *Quando deceſſit*, inquiunt Canonici Amanienſes in literis ad Abbatem ac Monachos ſancti Arnulphi Metenſis, *omnes ſuas poſſeſſiones, prædia & allodia, quæ poſſidebat in patria Leodienſi, legauit ſancto Huberto Confeſſori ab illo tempore Epiſcopo Leodienſi ſuo conſanguineo od opus ſuarum Eccleſiarum, quas ipſe ſanctus Hubertus fundabat tunc tam in ciuitate Leodienſi quàm in Ardenna.* Iidem Canonici in eodem reſcripto ſic loquuntur de tribus feſtis, quæ ſingulis annis in honorem beatæ Odæ concelebrant. *Nos ſolemniter celebramus annuatim tria feſta in noſtra Eccleſia Collegiata Amanienſi in honorem beatæ Odæ viduæ, noſtræ Patronæ, videlicet feſtum ſui obitûs, quando ipſa migrauit ab hoc ſe-*

S. ODA COLITVR DIVERSIS DIEBVS.

Digitized by Google

AN. CH. 711. CHILDEBERTI III. R. 17.

culo viceſimâ-tertiâ die menſis Octobris. Item celebramus ſecundum feſtum, ſcilicet feſtum Tranſlationis beatæ Odæ, nonâ die menſis Iulÿ. Item celebramus tertium feſtum, ſcilicet feſtum Exaltationis beatæ Odæ, ſemper Dominicâ die poſt feſtum Sancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ in menſe Septembri, & tunc fit ſolemnis proceſſio circa villam Amanienſem deferendo vnum pulcherrimum feretrum argenteum in parte deauratum, in quo feretro oſſa benigni corporis beatæ Odæ ſunt collocata, de quibus tribus feſtis primum feſtum prætactum, ſcilicet feſtum ſui obitûs, eſt maius, quia illud celebratur per omnes Eccleſias totius Epiſcopatûs & Diœceſis Leodienſis cum nouem Lectionibus in Matutinis ſecundùm Ordinarium Leodienſe. Situm eſt Amanium primo lapide infra Hoium non procul ſiniſtrâ Moſæ ripâ Quieſcit Sancta Oda Amanij in Collegiata S. Georgij ſuíque nominis Eccleſia. Vocari ſolet amita Sancti Huberti, impropriè tamen, quia ſi matris ſoror fuit, vt aſſeritur, matertera dici debet. Adſcribitur Martyrologio Benedictino [a], ſed ex præcitatis Auctoribus nullum eruitur argumentum, quo Monialis probetur.

[a] d. 23 Octobr.

X. S. POMPEIVS PRESBYTER.

A Sancta Oda diuellere non debemus beatum Pompeium Sacerdotem, quem Molanus, Miræus & Fiſenus, eodem quo ſanctam Odam die celebrant. *Beatum Pompeium Sacerdotem præcipuè dilexit Sancta Oda, virum vita & moribus comprobatum, in tantùm vt licèt percuſſio abfuerit, palmam tamen Martyrÿ in ſui corporis maceratione non credatur amiſiſſe. Sepultus eſt Amaniæ in crypta ſacelli, quod in monte ad honorem Sanctæ Catharinæ Deo eſt dicatum, vſitatiùs tamen beati Pompeÿ * dicitur. Altare eius Eccleſiolæ tres habet ſtatuas, mediam Deiparæ, ſiniſtram Catharinæ, & dexteram Pompeÿ ſedentis in habitu Sacerdotali cum Calice in manu. Similiter depictus eſt in pariete, ſed ſtans & brutis benedicens animalibus. Cùm autem ruſtici Miſſæ ſacrificium inibi requirunt. Sacerdotes legunt ex more de communi Confeſſoris non Pontificis, ſed quia canonizatus non eſt, omiſſis Collectis de Confeſſore, legunt alias contra peſtem animalium.* Hæc Molanus [b], à quo ceteri.

* *S. Pope.*

[b] d. 23. Oct. n 2.

XI. RIVALLONVS FIT EP. ALETENSIS.

Riuallonus hoc anno factus eſt Epiſcopus Aletenſis in Armorica, cùm Sedes integro biennio vacaſſet. Sedit annos tres ac viginti. Lege Armoricam Sanctam in Catalogo Maclouienſium Antiſtitum.

XII. INNOCENTIVS EPISC. CARPENTOR.

Hoc eodem anno in auctiore Gallia Chriſtiana mentio fit Innocentij Carpentoractenſis Epiſcopi, qui præceſſit in Epiſcopatu Oldradum ſiue Odoardum, de quo ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum faciemus.

XIII. EPISCOPI VESONTION.

His circiter temporibus obiit Wandebertus ſeu Wandelbertus Veſontionenſis Epiſcopus. Succeſſit Euroldus ſiue Eurordus, quibuſdam Curoldus, aliis Conradus, qui Diœceſim ſuam quietiſſimè rexit, réque Eccleſiaſticâ multùm auctâ diſceſſit è viuis anno ſui Epiſcopatûs duodecimo. Lege Hiſtoriam [c] Veſontionenſem Ioannis Iacobi Chiffletij.

[c] Part. 2 nn. 31. 32. 33.

XIV. ECCLESIA S. MICHAELIS PROPE VIRODVNVM.

Bertalamius Virodunenſis Epiſcopus hoc circiter anno, vt Waſburgius [d] teſtatur, Eccleſiam in honorem Sancti Michaelis extruxit in monte ciuitati Virodunenſi proximo, qui deinceps nomen Sancti Michaelis * accepit, atque etiamnum retinet. Per Gallias illâ ætate cultus fidelium erga beatum Michaelem plurimùm creuit.

[d] In Epiſc. 18.

* *la Coſte de S Michel.*

XV. EBBO EP. SENONENSIS.

Clarius in Chronico Sancti Petri Viui teſtatur Ebbonem Archiepiſcopum fuiſſe Senonenſem, Dagoberto tum Rege. *Temporibus*, inquit, *Dagoberti refulſit Sanctus Ebbo Archiepiſcopus, miraculis & nobilitate clarus.* Ebbo, cùm ex Monacho Sancti Petri Viui iam factus eſſet Abbas illius loci, Gerico auunculo ſuo in Epiſcopatum Senonenſem ſucceſſit. Illius Monachatum, munus Abbatiale & Epiſcopatum paucis idem Chronographus ſic attingit. *In Monaſterio Sancti Petri Viui ſub Abbatis imperio Deo militauit. In proceſſu verò temporum, mortuo ipſius loci Abbate, Abbas factus eſt. Poſteà autem obeunte Gerico Archiepiſcopo auunculo ſuo, totius Cleri & populi acclamatione, & conſenſu Regis, in Pontificali Sede Sanctæ Mariæ ſanctíque Stephani Protomartyris locatus, claruit*

Digitized by Google

AN. CH. 711. CHILDEBERTI III. R. 17.

ſignis & virtutibus. Nec Epiſcopatum ſub ſolo Dagoberto Tertio, ſed etiam ſub ipſius Dagoberti ſucceſſoribus, Chilperico Tertio & Theodorico Quarto, feliciter geſſit.

XVI. CHRODOLINVS ABB. S. PETRI VIVI.

Ebbone ad Epiſcopales Infulas aſſumpto Chrodolinus factus eſt Abbas Sancti Petri. Quot annos hic Abbatiali munere defunctus ſit, haud ſcimus, quia nec annum quo ſuſcepit adminiſtrationem Monaſterij, nec annum deprehendimus quo diſceſſit ex hac vita. Tria tantùm de illo colliguntur ex Clario. Sanctum Paternum in Sancti Petri Cœnobio diſcipulum erudiuit. Monaſterium redditibus auxit ex Teſtamento Ingoaræ quæ ſoror erat Ebbonis Epiſcopi. Succeſſorem habuit Viraibodum ipſo Ebbone Epiſcopo in viuis adhuc ſuperſtite.

XVII. De Paterni aduentu ſic Clarius. *Præerat Cœnobio beati Petri Chrodolinus Abbas, vir religione inclytus, & ſanctitatis opinione famoſus. Quo tempore vir Sanctiſſimus Chriſti Martyr Paternus à partibus Oceani veniens, diuinâ ammonitione, ſicut in eius paſſione legitur, in Cœnobio beati Petri ſub Abbatis imperio Chriſto militauit.* In Codice manuſcripto vitam Sancti Paterni legimus, cuius epitomen accipe ſeruatâ, quantùm fieri potuit, primigeniâ phraſi. *Paternus Armoricanâ regione, ciuitate Conſtantiâ* * *oriundus, à puero Monaſterio Saxiaco, traditur à parentibus, diuinis dogmatibus imbuendus, & regularibus diſciplinis admodùm informandus. Qui ſub cuiuſdam Patris regimine conſtitutus, quem Abbatis officio omnis fratrum ſibi praelegerat concio, in tenera adhuc ætate, inoffensè quæ Dei ſunt cœpit agere.* Multis miraculis inclaruit, ægris pleriſque ſanitatem reſtituit, quorum aſſiduâ frequentiâ grauatus tacitam è Monaſterio digreſſionem meditari cœpit, dubius autem hæſit quò tenderet, donec cælitus per quietem admonitus eſt, vt Senonas iret vbi Monaſterium S. Petri. Propero gradu deuenit in pagum Wilcaſſinum *, ibíque viduæ filium vnigenitum à morte ſuſcitauit. Sed elationem ob famam tanti miraculi veritus citiſſimè Pariſios venit, vbi vix vnum diem manſit Epiſcopo rogante. *Recto tramite ad Senonicum peruenit Comitatum, ad portum, qui Ionnenſis vocatur tractus à villa Ionna, quæ ſita eſt ſuper ipſum Sequanæ flumen, vbi comperiens eſſe Cœnobium Sancti Petri Apoſtoli ſub veneratione ſacratum, paululum errori inductus opinatus eſt locum eſſe, quem Oraculi monitu iuſſus fuerat adire.* In numerum Aſcetarum illic degentium adſcriptus eſt ab Abbate, puellam paralyticam & fœminam cæcam ſanauit. *Iam magnificis exornatus miraculis, Deo nimiùm amabilis, ire perrexit ad mœnia Senonenſis vrbis, expetens præfatum Cœnobium beati Petri Apoſtolorum Principis.* Humaniſſimè ſuſceptus eſt ab Abbate, Monachum ab annis quatuor ægrotantem curauit, aliis quoque miraculis conſpicuus illuxit. *Aliquantulùm effluxerat temporis, & ſæpedictus Sanctus deliberauit regreſſum ad Ionnenſe Monaſterium, diſtans quindecim millibus à beati Petri Senonenſi Cœnobio, erâtque ei iter per quandam denſiſſimam ſyluam.* In illo nemore necatus eſt à latronibus. Porrò in deuexi montis latere iuxtáque ſyluam, *quæ videbatur tantarum Reliquiarum ſola eſſe conſcia, ſita eſt villa, cui Serginiæ nomen indidit antiquitas, in qua commanebat quidam dictus Treſulfus, quem per nouenorum ſpatium annorum cæcitas corripuerat oculorum, noctis in quiete apparuit ei Angelus dicens in ſomnis. Eleemoſynæ & orationes, quibus incubas, iam annumeratæ ſunt in conſpectu ſummæ Maieſtatis. Mane, ortu diei initiante, ſurgens è ſtratu propera ocyus in ſuperiora montis, & adhibe tibi diligentiam inueſtigandi, perquirens vbinam reconditum ſit corpus beati Paterni Martyris, & confeſtim, vt truncatum repereris cadauer exanime, mox clauſæ ſub fronte reſerabuntur feneſtræ, & cupito Solari perfunderis oculis lumine.* Quod vt prænuntiatum, ita peractum. *Tunc pretioſis veſtibus obuoluentes corpus Sancti Paterni, cum omni diligentia in eodem loco condiderunt illud, paruúmque tugurium deſuper conſtruxerunt. Nuntiantur hæc omnia Epiſcopo Senonenſi. Infulabatur autem tunc temporis Pontificali Stolâ Ebbo doctrinâ & miraculis clarus.* Illuc ſtatim profectus Epiſcopus necnon vniuerſus Clerus atque Aſcetæ Sancti Petri, *& accedentes cum*

* Contances.

* le Vexin.

SVSCIPIT PATERNVM FVTVRVM MARTYREM.

Digitized by Google

AN. CH. 711. CHILDEBERTI III. R. 17.

cum magna reuerentia leuauerunt corpus Martyris *à beato monumento, impoſitâque Antiphonâ cum Pſalmis & Hymnis deportauerunt illud in locum vbi reuelatum fuerat Sancto Præſuli Senonenſi ſepeliendum. Super cuius tumulum Treſulfus iuſſu Sancti Pontificis ſpontaneâ deuotione conſtruxit Baſilicam miro opere & pulchro decore ob honorem & reuerentiam beati Paterni Martyris, totúmque in gyro territorium, quod eius ditioni hæreditario competebat iure, tradidit eidem Eccleſiæ perpetuò poſſidendum. Paſſus eſt Paternus Martyr in Idibus Nouembribus, Senonico Comitatu, villâ Serginiâ.*

De Teſtamento Ingoaræ ſic Clarius in ſuo Chronico. *In illis diebus Donna Ingoara, Deo ſacrata, ſoror Sancti Ebbonis, fecit Teſtamentum de hæreditate ſua beato Petro, quæ cumiacet in pago Tornodorenſi *, Donno Chrodolino tunc Abbate.* XVIII. MONASTERIVM AVGET REDDITIBVS EX TESTAMENTO INGOARÆ.

Denique Chrodolinum Ebbone Epiſcopo ſuperſtite mortuum docet idem Clarius, vbi teſtatur collatas Monaſterio beati Petri multas poſſeſſiones, cùm Viraibodus in Abbatiale munus Chrodolino iam ſucceſſiſſet, & Ebbo Epiſcopus adhuc eſſet in viuis. *Defuncto*, inquit, *Chrodolino, ſucceſſit ei Viraibodus, cuius in tempore alia ſoror beati Ebbonis Leoteria, & Mummia ſimiliter Deo ſacrata, dederunt cunctam hæreditatem ſuam beato Petro, viuente adhuc & confirmante beato Ebbone fratre ſuo.* XIX. OBIT SVPERSTITE EBBONE EPISCOPO.

* *le Tonnerrois.*

In manuſcripto Codice Abbatum, qui Monaſterio Sancti Vincentij prope Cenomanum præfuerunt, hoc anno ponitur Reginaldus, de quo nihil præterea legimus. XX. REGINALDVS ABB. S. VINCENTII CENOMAN.

Regnante iam Dagoberto Tertio, vt Tomo ſuperiore ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſexageſimum [a] inſinuauimus, obiit Samuel Monaſterij Reomaenſis Abbas vndecimus. *Catalogus Abbatum*, quem Petrus Rouerius [b] in Hiſtoria Reomaenſi laudat, *Cuſtodis illi Regij munus tribuit, nihilóque ſecius præſediſſe velut Abbatem ſcribit tempore Dagoberti Regis Francorum.* Rouerius Dagoberti loco reponendum putat Childebertum aut Clodoueum, quia id contigiſſe dicitur *circa annum Domini ſexcenteſimum nonageſimum-primum.* At illo anno nec Childebertus Tertius prædicti Dagoberti Tertij pater, nec Clodoueus Tertius eiuſdem Childeberti Tertij frater ac deceſſor, ſed Theodoricus Tertius Clodouei Tertij & Childeberti Tertij pater Monarchiâ Francorum potiebatur. XXI. SAMVEL ABB. REOMAENS.

a Num. 25.
b In Abb. 9.

Quamuis nonnullus ſit labor, vt declaretur quid muneris Samuel geſſerit, vt Cuſtos Regius appellari mereretur, tamen ſuſpicari licet ex ipſa nominis ratione temporariam quandam fuiſſe dignitatem, qualis in Epiſcopatibus erat Viſitatoris aut Adminiſtratoris, vacante Sede. Vt enim iſtorum erat Eccleſiam regere, facultates eius cuſtodire, & electionem noui Epiſcopi promouere, ſic rectè Rouerius [c] arbitratur Cuſtodem Regium in Monaſteriis aliiſque Eccleſiis, quæ non erant Epiſcopali Cathedrâ nobilitatæ, Monachum fuiſſe vel Clericum, quem Rex præponeret illis interim regendis, ac contra inuaſores aut direptores cuſtodiendis, dum legitima electio illius aſſenſu prouenirct. Abbates enim & Præpoſitos Eccleſiis, quas Regia munificentia fundaſſet aut locupletaſſet, abſque Regum conſenſu aut priuilegio non dari indubitati erat moris ac iuris. Dum ergo electionem diſſenſio vel vitium quoddam morabatur aut perturbabat, vel dum certis ex cauſis ſuum Rex conſenſum tenebat ſuſpenſum, Cuſtodem illis interim tribuebat, ne detrimentum caperent. XXII. MONASTERIORVM CVSTODES REGII.

c Not. 92.

Samuel igitur ex Cuſtode Regio factus eſt Abbas Reomaenſis, vitámque clauſit regnante Dagoberto Tertio. Succeſſit in Monaſterij Præfecturam Aſtoricus ſiue Euſtorgius, qui paulò pòſt ex Abbate Reomaenſi factus eſt Epiſcopus Lingonenſis, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-tertium dicturi ſumus. XXIII. ASTORICVS ABB. REOMAENSIS.

AN. CH. 712. DAGOB. III. R. 1.

ANNVS CHRISTI 712. DAGOBERTI III. R. 1.

I. BELLVM SVEVICVM.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo confectum tandem fuit bellum Sueuicum ſiue Alamannicum, de quo ſic Annales Petauiani ad hunc annum. *Item exercitus Francorum in Suauis contra Wilarium.* Et Tiliani. *Anepus duxit exercitum Francorum in Suauis contra Willehatium.* Quo loco vox *Anepus* vitioſa eſt, & in Chronico San-Dionyſiano explicatur duobus hiſce vocabulis, *quidam Epiſcopus*, ſic enim ibi legitur. *Quidam Epiſcopus duxit exercitum Francorum in Suauis contra Vilario.* Fortè vox, *Anepus*, facta eſt ex duabus *an* & *epus*, quarum priorem componebat prima ſyllaba nominis proprij, poſteriorem prima & poſtrema iſtius vocabuli, *Epiſcopus*, itaut *Anepus* Anno Epiſcopus eſſe videatur, qui tunc ſedebat in Cathedra Colonienſi. Præcitatis Annalibus paulò copioſiores ſunt Metenſes, totius belli euentu palàm euulgato. *Pippinus iterum obſtinatione Alamannorum motus, Rhenum tranſiens cum valida manu; totam illam regionem ſubuertit, ſuæque ditioni ſubegit.* Chronographus Metenſis pro more ſuo adulatur Pippino, de cuius profectione in Sueuiam ſilent hoc anno ceteri Scriptores. Bello illo Sueuico extinctus eſt maritus Sanctæ Bilhildis, ac paulò pòſt extincta eſt & eorum proles vnica. Tunc Bilhildis Moguntiacum ſe recepit, vbi Sigebertus eius auunculus Epiſcopatum gerebat. Pium illum ſeceſſum ac reliquam Sanctæ Bilhildis vitam accipe ex Breuiario [a] Moguntiacenſi, quod Surius [b] & Serarius [c] deſcripſerunt. *Non multo inde elapſo tempore, cùm iam vnius prolis mater eſſet, marito in bello defuncto, prole etiam paulò pòſt viuis exemptâ, ex conſilio Sigeberti Epiſcopi Moguntini ſui auunculi, Moguntiam commigrat: renunciatiſque patrimonij ampliſſimis cenſibus, vt pauper & expedita Chriſtum ſequeretur, areolam ibidem eſt adepta, in qua Eccleſiam in honorem Dei genitricis ſempérque Virginis Mariæ conſtruxit. Quo in loco ſanctarum fœminarum conuentu numeroſo collecto, quantùm ſufficere poſſet prædiorum, ad communem ſuſtentationem iis contulit, in quibus ipſa quoque piè viuens, non ſolùm corporis eis neceſſaria, ſed ſanctæ etiam conuerſationis exempla ſuppeditabat. Interim miſericors Deus famulam ſuam diutiùs in vanum laborare non permittens, quibuſdam ſanctis eiuſdem Monaſterij virginibus eam tantùm Catechumenam eſſe, necdum Baptiſmi gratiam percepiſſe, reuelat. Hoc illa cognito incerta quid ageret, Epiſcopum conſulit, qui & ipſe diuinâ reuelatione edoctus, eam regenerationis aquâ cenſuit abluendam. Baptiſmo igitur percepto, multò feruentior illa Dei laudibus & piis exercitiis inſtabat, donec graui tacta infirmitate, præſens ſeculum reliquit quinto Calend. Decembris. Sepulta à Clero & populo Moguntino in Baſilica, quam ſuis ipſa ſumptibus exædificari curauerat, vbi deinceps plurimis miraculis claruit.* Serarius [d] hunc textum variis obſeruationibus ex auctiore vita ſic illuſtrauit. *Concepiſſe illam è marito, qui cùm neque idololatriam, neque gentilem vitæ prauitatem mutaret, magnum illa ex eo dolorem ceperit, Deúmque, vt matrimonio tam infelici ſolueretur, ſæpè multis cum lachrymis rogarit, Ducem igitur ad ſubitum & difficile neſcio quod bellum iiſſe: ipſam verò ad matrem tunc viduam (mortem enim piè obierat pater) bonâ mariti veniâ; ſed ab hac occultè & clàm ad auunculum ſuum Epiſcopum Moguntiam veniſſe, vbi maritum in bello caſum audierit, filium pepererit, qui ab Epiſcopo Baptiſmate ſacróque chriſmate affectus fuerit, neque multò pòſt ad vitam à Deo accerſitus ſit meliorem. Ipſam verò totam ſeſe Chriſtianæ pietati, modeſtiæ, beneficentiæ, humilitati mancipaſſe; vixiſſe cum ancillis velut æqualem, imò iis inter-*

BILHILDIS MARITO ET PROLE MORTVIS MOGVNTIAM COMMIGRAT.

[a] d. 27. Nou.
[b] d. 27. Nou.
[c] Lib. 2. rer. Mogunt. c. 30.
[d] Lib. 2. rer. Mogunt. c. 31.

Digitized by Google

dum, præſertim ægrotantibus, miniſtraſſe, pedes & caput lauiſſe & coxiſſe, precibus vacaſſe, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum crebrò ſumpſiſſe; in Moguntinos, qui egentiores fuiſſent, beneficentiſſimam fuiſſe: paſcua illa, quæ in planitie Rhenum ſpectant, & Das-Bruch vocantur, emiſſe ac ciuitati toti donaſſe; tandémque auunculi Epiſcopi conſilio & ſuaſu Monaſterium Moguntiæ, in quod ſe pòſt ipſa conderet, virginéſque ac viduas, quæ ſe Chriſto Domino dedicatas vellent, reciperet, exædificare conſtituiſſe. De loco tamen cùm incidiſſet deliberatio, & vel eum montem, in quo Sancti nunc Stephani ædes, vel humidum & ab Cia irriguum aruum proponeret Epiſcopus, equos, quibus ad omnia oculis inſpicienda vehebatur, in montem illum noluiſſe vllo modo progredi: ſed in prata ipſa libenter ac exultanter decurriſſe; ideóque latifundium hoc totum, ſcutis ſeu parmis aureis, eiúſque inſignibus, quorum in ſyngrapho poſteà mentio, coemiſſe; templum in beatiſſimæ Virginis honorem, Monaſteriúmque cõgitatum extruxiſſe: in eo poſteà vidualem caſtimoniam cum aliis pluribus vouiſſe, multáſque virgines ſeſe Domino conſecraſſe; ſacerdotes item ſtatuiſſe, quibus vnus eſſet Præpoſitus; & quia bonis, reliquiis, immunitatibus & priuilegiis quamplurimis ornatum & in ſublimi veluti collocatum fuit, ideo appellatum altum Monaſterium glorioſæ Virginis Mariæ. E virginibus verò iſtis religioſiſſimas tres aut quatuor diuinitus noctu monitas, vt ipſam Bilhildin monerent, Baptiſmum ab ea nondum eſſe perceptum, obſtupuiſſe iſtas, & multò maximè ipſam, ac Epiſcopum. Hunc tamen, cùm preces indixiſſet, ſacríſque operaretur, ab Angelo idem audiiſſe: ſícque ab Epiſcopo illam ſacris aquis admotam fuiſſe, chriſmate inunctam, noménque, quod ei anteà Mathildis à matre fuiſſet, mutaſſe, ac Bilhildis accepiſſe. Inter alias reliquias dono à principe quadam fœmina, cui Kunegundis nomen, accepiſſe ſudarium, quo Chriſti Domini caput & facies in ſepulchro tecta fuiſſet: illam verò dominam Kunigundin ſe ſuorúmque plurima Monaſterio poſteà dediſſe, ac apud S. Bilhildin ſepulchro dignatam. Ipſam porrò S. Bilhildin Domino pro ſe ac ſuis obtuliſſe, & pro ſe quidem, vt in ſanctæ innocentiæ veſte moreretur, febríque correptam, poſt SS. Euchariſtiæ oleíque vltimi perceptionem, v. Calendas Decembris mortuam: ſubitóque ſupra caſtiſſimum eius corpus fulgidum quendam radium emicuiſſe: odorem ex eo bonum fragraſſe: iuxta illud curatos cæcos, febrientes, ambuſtos, infœcundas & abortientes mulieres, infantulos mortuos, & quendam Rheni aquis, totum iam triduum, ſubmerſum. Sanctam Bilhildem anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto ſuperſtitem in viuis fuiſſe probabimus infrà. Sermonem quoque rurſum faciemus de Annone Epiſcopo Colonienſi, quia Tranſlationi Sancti Lamberti, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, præſens interfuit.

II. Illâ ætate, vt ſuprà iam notauimus [a], Alamannia ſeu Sueuia plures in Ducatus diuidebatur ſubdiuidebatúrque, quibus ſinguli præficiebantur Duces, iíque non erant ex eadem familia. Florebat apud Argentoratum Adalbertus Alamanniæ ſeu Sueuiæ Dux, Odiliæ Hohenburgenſis Abbatiſſæ frater, à cuius encomio Franciſcus Guillimannus caput quartum ſui de Epiſcopis Argentinenſibus Commentarij ſic orditur. *Primus Argentinæ poſt barbarorum vaſtationem, qui reparandæ reſtituendæque initium fecerit, fuit Dux Alſatiæ Adalbertus, condito Sancti Stephani, inter ruinas veteris Argentorati, Sanctimonialium Monaſterio, & iuxtà Canonicorum Collegio.* Alſatiæ Duces à Guillimanno aliíſque Neotericis ſæpè appellati reperiuntur, qui Ducatum olim obtinebant in ea Sueuiæ ſiue Alamanniæ parte vbi Epiſcopatus Argentoratenſis. Prædictum Sancti Stephani Cœnobium apud eundem Guillimannum [b] commendant Lotharius Auguſtus & Ludouicus Rex eius frater. Diplomata illa ſuis locis non omittemus, prioris fragmentum, quod fundationem ſitúmque Monaſterij te doceat, hîc accipe. *Dilecta cognata noſtra venerabilis Sanctimonialis & Abbatiſſa Sancti proto-martyris Stephani Ruadrut, in ambito infra muros Argentoraco, Maieſtatem noſtram adiit, offerens obtutibus noſtris auctoritates & munimina Chartarum illuſtris parentelæ noſtræ progenitoris Ducis Adalberti, qui fundauit iam dictum locum in parte ſuæ hæreditatis, quæ ſibi perti-*

MONAST. S. STEPHANI ARGENTINÆ CONDITVR AB ADALBERTO SVEVIÆ DVCE.

[a] Ad an. 693.

[b] Cap. 5.

AN. CH. 712. DAGOB. III. R. I.

nuit, inter ruinas veteris Argentoraci, pro opportunitate ſolitudinis & iuxtà fluentis Bruſci fluuij, & dotauit eum prædiis ſuis largè pro remedio animæ ſuæ & parentum ſuorum ibidem attributis, & Attalam ſanctiſſimam virginem Abbatiſſam præſidere ordinauit. De Adalberto, quem vocat Adelprechtum, déque eius filia ſupradicti Monaſterij prima Abbatiſſa, ſic ſcribit Sebaſtianus Munſterus [a]. *Succeſſit ei*, nempe Athico, *in Ducatu Alſatiæ filius eius Adalprechtus, qui ſagittâ ictus interiit, cuius filia Attala vnà cum patre fundauit Monaſterium Sancti Stephani Argentinæ, factâque eſt Abbatiſſa in eo.* Tempus, quo Dux Adalbertus conſtructionem Monaſterij ſuſcepit, Hiſtorici non produnt, ſed illud à Dagoberti Regis Principatu procul abſuiſſe nuſquam tibi perſuadebis, ſi memineris eidem Adalberto fuiſſe tunc filiam & ætate & prudentiâ adeò maturam, vt Abbatiſſæ munere iam defungi poſſet. Guillimannus illud Cœnobium citiùs ædificatum putat, cùm Childericus Clodouei Secundi filius in Auſtraſia ſola regnaret, quia Lotharius Imperator in ſuo Diplomate teſtis eſt vetuſtis auctoritatibus, quas prælaudata Rotrudis obtulit, inſertum contineri, quòd Adalbertus Dux *eundem locum per pragmaticam Regis Childerici conſtitutionem prærogatiuâ emunitatis libertate communiri impetrauit.* At in hoc Lotharij Diplomate, ſicut & in aliis recentioribus Ludouici Regis & Wernheri Argentoratenſis Epiſcopi, quæ Guillimannus etiam recitat [b], expuncto Childerico Chilpericum reſtituendum mox oſtenſuri ſumus. Interim quid Adalbertus Monaſterio à ſe fundato contulerit, accipe ex Charta Wernheri Epiſcopi, qui fundationem Adalberti Ducis & emunitatem Regiam laudat. *Inueni*, inquit Wernherus, *in ſcriptis Adalberti Ducis, qui locum fundauit, & in Priuilegio . . . . Regis notatum: infra ambitum veteris muri, à media porta meridiana versùs Pruſcam, cum ipſa aqua, vſque ad latam Stratam, quæ ducit à porta magna Occidentali, vſque ad portam iuxta magnos, & quadros lapides muri, cum omni ſuo iure, & ſeptis clauſtris, & manſionibus quatuor Canonicorum, & emunitate, cum muro, & antemurali, ſuburbiis, vicis, aquis, piſcationibus, & aquæ decurſibus, paſcuis, compaſcuis, ſiluis, pratis, portubus, vtriuſque littoris crepidinibus, inſulis, vſque ad limites infimos terminorum villæ nuncupatæ Bertebrun, & in noua tranſpoſitione Schiltenheim decimis, terminis, campis, quæſitis, & inquiſitis cum omnibus vſibus infra fluenta Rheni vſque ad confinia de allodoe Comitis Hugonis Cherekha nuncupatæ, & inde Eichefridesheim, Huttendorf, Wolgangesheim, Redesheim, Mulenhuſen, Wilfricheſchen, Regenesheim, cum omnibus eorum allodum pertinentiis.* Huius textûs ſenſum politiore ſtylo ſic exponit Guillimannus [c]. *Certè Vernherus Epiſcopus cum Adalberti donationem & fundationem recenſet, veteris Argentorati murorum ambitûs, & portarum trium, vniúſque plateæ, quam latam vocat, commeminit, adeóque oppidi formam ac ſpatium iam ſub Adalberto deſignat & repræſentat. Sed hoc ſpatium omne ita mœnibus incluſum, & prætereà ſuburbana ædificia omnia, & quidquid intra Bettembrun, Schiltemheim nunc Schilckheim, & Illenkreche nunc Ilkirch, Rhenúmque continetur, cum omni vſu, iure, & fructu, piſcationibus, & portoriis, Monaſterio ſuo donum Dux fecit, præter alios plures Alſatiæ pagos, Eichefridesheim, Huttendorff, Wolfgangesheim, Rodesheim, Mulenhuſen, Wilfriſchesheim, Regenesheim, cum ceteris ad eos pertinentibus.* In Charta Wernheri Epiſcopi præcitata nomen *Childerici Regis* exprimitur, illud autem ſuppreſſimus, quia *Chilperici Regis* nomen eidem Diplomati melius conuenit, ídque clariùs innoteſcet ex ipſa ratiocinatione Guillimanni, qui nomen *Childerici Regis* in Chartis Lotharij Imperatoris, Ludouici Regis, & Wernheri Epiſcopi conſtantiſſimè retinendum perperam arbitratur. *Duo*, inquit [d], *Francorum Reges Childerici. Childericus I. Childericus II. qui etiam Merouingorum poſtremus, cuius præter nomen & titulum Regis, nulla facta aut decreta, quíque denique attonſus, & Monaſterio incluſus, ſecors, & inutilis, Pipino ſuæ ſtirpis Regi primo locum fecit. Fuit igitur Childericus I. à quo immunitatis illam pragmaticam Adalbertus obtinuit. Hunc primò Clodoueus II, pater, Auſtraſiæ, cuius tunc pars Alſatia, præfecit an. 659.*

[a] Lib. 5.

[b] Capp. 5. 7.

[c] Cap. 4.

[d] Cap. 4.

Digitized by Google

Victo poſteà fratre Theodorico, Franciæ etiam Regnum occupauit anno 669. occubuit A. 680. Intra horum annorum ambitum conditum S. Stephani Monaſterium. Crediderim iis præcipuè annis, quibus Auſtraſiæ ſoli Childericus præfuit: Tres in Francia regnarunt Childerici. Primum illorum, vtpote paganum, omittit Guillimannus, vbi ſermonem facit de immunitate Monaſterio conceſſa, neminem enim putat eſſe, qui Regi ethnico vtilitatem Cœnobiorum adeò curæ fuiſſe credat. Obiter tamen nota Childericum Primum, eiúſque deceſſorem ac patrem Meroueum, qui Germaniam primam, vbi Epiſcopatus Argentoratenſis, Franciæ primus adiecit, numquam paſſos eſſe, vt Chriſtianis, ſeu Clericis, ſeu Monachis, aut Laicis, quacumque ditiones Francicæ patebant, vel minimùm iniuriæ damníue inferretur. Potior igitur ratio, propter quam Guillimannus à commemorando Childerico Primo abſtinuerit, ea nobis videtur, quæ peti poteſt ab illius Regis ætate, nam Childericus Primus anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo-primo viuere deſiit, multóque ſeriùs in ipſiuſmet Guillimanni opinione Dux Adalbertus vſuram lucis accepit. Hic Auctor annos Childerici Secundi Regis, quem Primum appellat, cum annis Chriſti malè componit. Childericum, qui Regnum Auſtraſianum anno poſt Clodouei Secundi patris obitum quinto, Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, deinde, poſt mortem Clotarij Tertij fratris, anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo, Monarchiam Francorum ſuſcepit, vitámque anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, Principatûs ſui decimo-quarto inchoato, clauſit, Regem Auſtraſiæ conſtitutum vult anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo, ſuperſtite adhuc in viuis Clodoueo Secundo patre, Regnóque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum per annos vnum ac viginti potitum eſſe. Siue autem ab anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, ſiue ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium regnauit Childericus, ab eo Rege Præceptum immunitatis pro Monaſterio Sancti Stephani à ſe condito non poſtulauit Dux Adalbertus, idque manifeſtiſſimum fiet hac ratiocinatione Chronologicâ. Odilia nata eſt temporibus Childerici Regis; Hohenburgenſis Abbatiſſa facta eſt ſuperſtite in viuis Athico ſiue Ethicone patre, Alamanniæ Duce; Ataliam Adalberti fratris ſui filiam, quam idem Adalbertus Monaſterio Sancti Stephani primam Abbatiſſam præfici curauit, in Hohenburgenſi Cœnobio Monaſticis diſciplinis priùs imbuit. An hæc omnia fieri potuerunt regnante Childerico, vel etiam, vt Guillimannus ait, *iis præcipuè annis, quibus Auſtraſiæ ſoli Childericus præfuit*, id eſt, iuxta hunc Auctorem intra decennium, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum? Certè ſi nomen Childerici Regis in Chartis Lotharij Auguſti, Ludouici Regis & Wernheri Epiſcopi retinendum eſt, intelligi debet de Childerico Tertio, quem Guillimannus Secundum vocat, Odilia enim, ſoror Adalberti, regnante hoc Childerico ſuperſtes in viuis erat, vitámque clauſit Pippino iam Rege, atque inde facilè quis concludet ætatem Adalberto Duci non quidem adeò decrepitam ac Odiliæ ſorori tribuendam eſſe, ſed adeò longæuam, vt ad Regnum Childerici Tertij ſaltem pertingat. Nec valet ratio Guillimanni, quòd vltimi Childerici, *præter nomen & titulum Regis*, *nulla* extant *facta aut decreta*, Regia enim Diplomata, quibus, vt in negotio de quo nunc diſputamus, donationes Monaſteriis factas confirmauit, ſuis locis recitabimus. Re tamen accuratiùs examinatâ, cùm Theodorici Quarti, qui pater Childerici Tertij fuit, literas Luitfrido Alamannorum Duci, prædicti Ducis Adalberti filio, directas inſpexerimus, exiſtimamus eundem Adalbertum priùs obiiſſe, quàm regnaret Childericus Tertius, imò ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum, qui coincidit cum quinto Theodorici Quarti Regis anno, quo Regium Diploma

AN. CH. 712. DAGOB. III. R. 1.

Luitfrido Alamannorum Duci inſcriptum reperitur. Eapropter in Chartis ſuprà citatis, vbi Dux Adalbertus immunitatem pro Monaſterio Sancti Stephani à Childerico Rege impetraſſe dicitur, expuncto Childerici nomine Chilpericum reponendum affirmamus, id eſt, Chilpericum Tertium, qui Regnum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ſuſcepit, annóque Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo deſiit viuere, cùm ſuperſtes in viuis adhuc eſſet Dux Adalbertus, qui Monaſterium Sancti Michaelis eodem anno in Inſula *Honow* vnâ leucâ infra Straſburgum inchoauit, vt Ioannes Ruyrus in Antiquitatibus Voſagenſibus [a] teſtatur. Queſti iam ſumus ipſâ characteris inuerſione *p* in *d* facilè mutari, nec opus eſt alio librarij vitio, vt *Chilpericus* & *Childericus* ſimul confundantur.

[a] Part. 2. lib. 4. cap. 13.

III. HILDVLPHVS OBIT.

Hildulphus Treuirenſis olim Epiſcopus & Sancti Deodati Niuernenſis quondam Pontificis in eremo ſocius ad Deum feliciter hoc anno migrauit quinto Idus Iulij, quo die nomen eius inuenitur in Martyrologio Gallicano. *Cùm autem diuina miſeratio*, inquit Monachus Vallis Galilææ in vita Sancti Deodati, *glorioſum ſuum militem Hildulphum ab huius ſæculi fluctuoſo mari ad portum ſalutis æternæ vocare ſtatuiſſet, per dilectum ſuum Deodatum*, qui ante annos duodetriginta ex hac vita diſceſſerat, *dignatus eſt eidem tranſitus ſui diem denunciare, quatenus is vtrique Monaſterio de bono Paſtore prouidere ſatageret. Vnde vir Sanctus plurimùm in Domino gauiſus eſt, quòd ab hac lachrymarum valle ad perpetuæ conſolationis tranquillitatem mox erat aſſumendus, vbi omnis lachryma ab oculis eius abſtergeretur. Itaque propriis ſui Monaſterij fratribus deſignato Abbate Domino Raimberto, Vallis autem Galilææ Domino Marcinanno, feliciter obdormiuit in Domino.* Inter Deodatum & Hildulphum ſingularis interceſſerat amicitia. Semel in anno venerandi Antiſtites mutuas ſolebant frequentare cellas. Poſt obitum Sancti Deodati Hildulpho Vallem Galilæam inuiſenti, loci illius Monachi occurrentes offerebant Magiſtri ſui tunicam, quam ille reuerenter ſuſceptam tanquam pignus amici exoſculabatur & amplexabatur. At *factum eſt, vt circa vltimos vitæ ſuæ annos multo ſenio fractus, frequentíque labore & curâ domeſticâ debilitatus, cellam ſuam ſolitæ viſitationis gratiâ egredi non valeret, non tamen deſtiterunt Sancti Deodati diſcipuli pro more, Magiſtri ſui tunicam eidem offerre, ne dulcis eius intermoreretur memoria.*

RAIMBERTVS FIT ABB. MON. MEDIANI.

MARCINANNVS FIT ABB. VALLIS GALILÆÆ.

Euocato denique ad cælos Hildulpho, *à deuotiſſimis diſcipulis inuiolabiliter fuit obſeruatum, quod à prudentiſſimis Magiſtris fuit inſtitutum, vt ſemel in anno mutuas inuiſerent cellas, tanquam præcipua pignora præferendo Sanctorum Patrum ſuorum tunicas. Siquidem Monachi Sancti Hildulphi, ipſius tunicam retinuerant ſibi, ſicut & Monachi Vallis Galilææ, Sancti Deodati. In quarum delatione tanta veneratio exhibebatur, vt dulciſſimi Patres ad filios rediiſſe poſt longa ſæculorum volumina crederentur. Quòd ſi peccatis exigentibus cæleſtis ira in populum graſſaretur, & ſiccitate nimiâ vel imbrium continuâ refuſione, aut peſtilentiâ, ſeu qualicumque plagâ plebs feriretur, mox hinc inde conglobata tunicas patronorum ſuorum cum lachrymis & orationibus offerebat & ingerebat diuinis obtutibus, & amota eſt plaga. Nam contra dæſeuientis flagelli impetum tantùm valebant Sanctorum merita & populi fides, vt ſine mora miſericordiſſimus Deus iuſti iudicij ſui ſeueritatem à plebe cohiberet, atque optatæ miſericordiæ conſolationem ei diſtillaret. Quæ quidem conſuetudo tam religioſa ac pia integerrimè inter hæc duo Cænobia conſeruata eſt, donec ſancta corpora plurimis miraculis exornata ſubleuarentur de terræ gremio. Quocirca ſicut tunc ſolebant diſcipuli Magiſtrorum tunicas offerre, ita nunc eorum poſteri corpora Sanctorum ſuſcipiunt & animarum exuuias*, vt in vita Sancti Deodati ſcribit Monachus Vallis Galilææ iam laudatus. Hic Auctor mortem Sancti Hildulphi conſignat *ab Incarnatione Ieſu Chriſti anno ſeptingenteſimo ſeptimo*, quia Sanctum Deodatum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono ex hac vita migraſſe contendit, aſſerítque alterum *viginti octo annis & ampliùs* alteri ſuperuixiſſe. Præter annos completos, de quorum numero cum prædicto Monacho conuenimus, Sanctum Hildulphum Sancto

Digitized by Google

AN. CH. 712. DAGOB. III. R. I.

Deodato dies aliquot ſuperſtitem fuiſſe non inficiamur, mors enim Sancti Deodati decimo-tertio Kalendas Iulij contigit, obitus verò Sancti Hildulfi notatur quinto Idus Iulij. Sed vt obitum Sancti Deodati in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum reiecimus, ſic & Sancti Hildulfi mortem in hunc annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum duodecimum ducimus differendam. *Porrò* Ioannes & Benignus fratres, qui Sancti Hildulphi vnà cum Sancto Spinnulo diſcipuli diu fuerant, *viceſimâ-primâ die poſt eius*, nempe Sancti Hildulphi, *tranſitum in Kalend. Aug. viſuri bona Domini ad terram viuentium migrauerunt* teſte Schekmanno in medulla [a] Geſtorum Treuirorum. Ambo conditi ſunt in eodem ſarcophago, multíſque poſt mortem miraculis inclaruerunt, quæ copioſè in Antiquitatibus [b] Voſagenſibus à Ruyro deſcribuntur. Idem Auctor de Sancti Hildulphi ſucceſſoribus habet perpauca. Solos nominat [c] Raimbertum & Marcinannum, quorum ille Medianum Monaſterium, hic Vallem Galilæam rexit. Ambos commendat ob inſignem virtutem. Quot annos ſuis ſinguli Monaſteriis præfuerint, haud prodit, ex fide tamen manuſcripti Codicis, quem præ manibus habuit, vult [d] Raimbertum ad Regnum vſque Pippini perueniſſe, cuius initium in annum à Sancti Hildulphi morte quadrageſimum incidit. Complures enumerat [e] Cellulas à Monaſterio Iuncturarum ſeu Vallis Galilææ dependentes, quarum celeberrimam adminiſtrauit Bertherus Sancti Deodati diſcipulus, vnde loco nomen inditum Bertheri * Monaſterium.

IOANNES ET BENIGNVS DISCIPVLI S. HILDVLPHI MORIVNTVR.

[a] Lib. 2. c. 8.

CLARENT MIRACVLIS.

[b] Part. 2. lib. 3. cap. 27.

[c] Part. 3. l. 1. cap. 1.

[d] Part. 2. lib. 3. cap. 26.

[e] Part. 3. lib. 1. cap. 2.

BERTHERVS DISCIPVLVS S. DEODATI.

* *Berthrimonſtier.*

IV.

Hoc eodem anno Miræus in Chronico Belgico refert mortem Sanctæ Gudilæ. Obitum, ſepulturam & miracula ex Authore [f] vitæ ſæpè iam laudato deſcribemus. *Felici & vltimo eius præſentis vitæ termino mediante, Dominici Sacramenti ſeſe viatico circumquaque vallans, iturum ad cælos ſpiritum roborans, Pipino Seniore Monarchiam tunc Regni regente,* VI *Idus Ianuarias, flentibus fidelium cateruis, ſupernorum ciuium gaudentibus turmis, illa ſancta anima Sanctorum cœtibus ſocianda, de mundi ludibrio migrauit ad Dominum. Adminiſtrata ſunt honorificè corporis ipſius funebria. Sepulta eſt in villa Ham. Neque ad tumulum eius diuinæ glorificationis defuere magnalia, quæ viuenti ipſi fuere ſemper præſentia. Nam vno eodémque die ipſius ſepulturæ, Sole in Capricorni ſydere poſito, (nunc quippe brumam facit deflexus ad Auſtrum) arbor, quam ferunt populum, viſa eſt ſubitò ibidem vireſcere, & quod naturâ temporis non potuit, in propagines formari & frondeſcere, in teſtimonium eiuſdem virginis, in domo Domini, vt palma, florentis, tantâ namque hinc inde frondium ſeu ramorum iucunditate diffundebatur, vt omne æſtiui temporis nemus viciſſe putaretur. Factum eſt autem dum humaretur corpus ſanctiſſimum, latronem quendam exequiis eius interfuiſſe, & ornamenta quædam cum quibus ſepulturæ tradebatur contemplatum eſſe. Tertiâ nocte ad ſepulchrum acceſſit. Nobilis Sancta vt fuerat virgo, atque inclytâ proſapiâ, & præpotentibus ac ditiſſimis parentibus exorta, non ſuâ ſpontaneâ præmeditatione, ſed fidelium potiùs amicorum apparatu, eius ſacroſanctum corpuſculum auro & argento, veſtéque pretioſâ honorificè fuerat redimitum. Qui talia omnia ſecum aſportans diripuit, ſolo relicto ſarcophago cum ſacra virginis gleba. Statim vltio ſubſequitur diuina. Nam eiuſdem ſceleſti latronis filia cùm non multò poſt fœminarum ſe choreis interponens, atque cum ceteris per plateas decantando, & huc illuc ſaltando diſcurreret, quædam illic adfuit mulier, ſanctiſſimæ virgini familiaris & amica, quæ prædicti latronis filiam nimis diligenter intuens, eaſdem armillas, quas in brachiis ſacræ virginis, dum ſepeliretur, reliquerat, in eius lacertis fore certiſſimè recognouit. Tantâ itaque admiratione commota, hoc illic adſtantibus denudauit celeriùs. Quibus admirantibus, illicò talia ſanctiſſimæ virginis fratri, Emeberto ſcilicet, delata fuerant quantocyùs. Hic namque pro atrociſſimi immanitate ſacrilegij dolore tactus cordis intrinſecus, quandoquidem ille locus, in quo furtum factum fuerat, ſuæ Diœceſi,* nempe Cameracenſi, *erat adtitulatus, totus ex auctoritate canonica in reos furti inſurgens, maledictionis iaculum in eos vibrauit, & à Sanctæ Dei Eccleſiæ gremio atque fidelium conſortio ſequeſtrans, damnauit. Qui-*

[f] Ap. Bolland. d. 8. Ian.

GVDILA OBIT.

AN. CH. 712. DAGOB. III. R. I.

bus ergo tam meritò mulctatis, veluti arbor quædam ſi à proprio fuerit inciſa ſtipite, continuò eius vniuerſi rami à priori areſcunt atque deficiunt viriditate, ita omnis illa progenies, tam deteſtabili profluens ſtirpe, graui & variâ poſtmodum vexatur infirmitate. Nulla enim huius generationis perſona excedit, quin clauda vel aliquâ pedum debilitate detenta, vel etiam dirâ affecta gutturiâ præteritum luat facinus. Sic namque à primordio vſque in præſens huiuſmodi in talibus talis perſeuerat infirmitas. Per gutturiam, quam alij gutturnoſitatem vocant, colli vitium intellige. Sancta Gudila colitur ſexto Idus Ianuarias. Illam Arnoldus Wion, Benedictus Dorganius & Hugo Menardus Ordini Benedictino adſcribunt, fortè quia in Niuigellenſi Parthenone ſub Sanctæ Gertrudis diſciplina fuit erudita, ſed Heribertus Roſweydus iis adnumerat virginibus, quæ ſanctam in ſeculo vitam egerunt.

V. MON. FONTANELL. MVLTIS AVGETVR POSSESSIONIB.

Habitâ ratione obſeruationis, quam anno ſuperiori præmiſimus, ad hunc annum referri debent, quæ geſta narrantur anno primo Dagoberti Regis à Kalendis Ianuariis ad Paſcha, & anno ſecundo à Paſchate ad proximas Kalendas Ianuarias. *Anno primo Dagoberti iuuenculi Regis*, inquit Chronologus [a] Fontanellenſis, *Ermoaldus* Monaſterio Fontanellenſi *Summacrana* largitus eſt *decimo Kal. Martij. Anno ſecundo, Erinnulfus Roccolini lucum ſiue Bertilinum curtem & Nanciacum.* Præterea *Benigno Abbati* Fontanellenſi *largitus eſt quidam homo, nomine Giſlehardus, Monticellos villam cum adiacentiis ſuis, Meriliaco, Neruimaco, Ciriliaco, ſitam in pago Oximenſi in centena Nouiacenſe, anno ſecundo Dagoberti Regis.* Qua de villa ſermo ſub Theodorico Quarto Rege ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum recurret.

[a] Cap. 7.

VI. In Annalibus Nazarianis & Petauianis hoc anno mors Heriberti ſiue Ariperti Regis Longobardorum collocatur. Adſtipulantur Neoterici, Carolus Sigonius libro ſecundo de Regno Italiæ, Cæſar Baronius Tomo octauo Annalium Eccleſiaſticorum, Andreas Brunnerus libro quinto [b] Annalium Boicorum. Nec ab ea ſententia recedit Paulus Diaconus, ſiue eandem Ariperti mortem conſignat anno decimo poſt prælium Ticinenſe, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo commiſſum eſt, ſiue affirmat Aripertum vel cum patre Ragunberto vel ſolum regnaſſe *vſque ad annum duodecimum.* Lege quæ de Chronologia Regum Longobardorum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum [c] dicta ſunt, & ex duabus editionibus, quas citauimus, obſerua nouam, cuius textibus vſi ſumus, veteri præſtare. Vetus enim Ariberthum ſiue Aripertum Godiberti quondam Regis filium ſic fingit [d]. *Tunc filius Godiberti Regis, nomine Ariberthus, Rex factus, iterum bellum parans pugnauit cum Liuthberto Rege apud Ticinum.* Noua verò locum illum ſic reſtituit [e]. *Tunc filius eius*, id eſt, Ragunberti Regis, de cuius morte proximè loquebatur, *Aripertus, iterum bellum parans, pugnauit cum Liutberto Rege apud Ticinum.* Annus, quo dimicatum ad Ticinum, neceſſariò nobis inueſtigandus fuit, vt res quamplurimas à Sancto Bonito Aruernorum Epiſcopo præclarè geſtas ſuis locis exponeremus. Obſeruauimus & eodem anno Anſprandum Longobardum poſt pugnam Ticinenſem in Inſulam Commacinam, atque inde fugiſſe in Boioariam, quam Theodobertus Childeberti Francorum Regis nomine tunc adminiſtrabat. Quomodo autem hoc anno, exilij ſui decimo, redierit in Italiam, cum filio ſuo Luidprando, auxiliaribúſque copiis Theodoberti Ducis ſuffultus Regnum Longobardorum occuparit, accipe ex Paulo Diacono [f]. *Poſtquàm Anſprandus apud Boioariam iam nouem expletis annis exulaſſet, promoto tandem Theudeberto, decimo anno Boioariorum ductor exercitûs venit in Italiam, pugnauit cum Ariperto* Longobardorum Rege, *& facta eſt ex vtraque parte multa ſtrages populorum. Sed quamuis ad extremum nox prælium diremiſſet, certum tamen eſt Boioarios terga præbuiſſe, & Ariperti exercitum victorem ad caſtra remeaſſe. Sed dum Aripertus in caſtris manere noluiſſet, ſed potiùs Ticinum* * *ciuitatem introiſſet, & ſuis hoc facto deſperationem & aduerſariis audaciam præbuit. Qui poſtquàm in ciuitatem ingreſſus eſt, & ſenſit quia pro*

hoc

[b] Num. 8.

[c] Nu. 37. & ſeqq.

[d] Lib. 6. c. 6.

[e] Lib. 6. c. 19.

[f] Lib. 6. de Geſt. Longob. cap. 12. vet. edit. c. 35. nouæ edit.

* *Pauie.*

*hoc facto ſuum exercitum offenſum haberet, mox arrepto conſilio vt in Franciam fugeret, quantùm ſibi vtile duxit, è Palatio aurum ſuſtulit. Qui dum trans fluuium Ticinum * grauatus auro natare voluiſſet, ibi corruens ſuffocatus aquis extinctus eſt. Regnauit autem cum patre Ragumberto, ſiue ſolus, vſque ad annum duodecimum. Huius germanus Guntbertus eo tempore in Franciam fugiens, ibidem vſque ad ſuæ mortis diem permanſit. Huic fuerunt filij tres, quorum qui maior natu extitit, Raginbertus nomine, noſtris in diebus Aurelianenſem * ciuitatem rexit. Poſt cuius Ariperti funus, Anſprandus Langobardorum Regno potitus, tres menſes ſolummodo regnauit; vir per omnia egregius, & cuius ſapientiæ rari æquandi ſunt. Cernentes Langobardi huius interitum, Liutprandum eius filium in Regali conſtituunt ſolio. Quod Anſprandus, dum adhuc viueret, audiens, valdè lætatus eſt.* AN. CH. 712. DAGOB. III R. 1. * le Teſin. * Orleans. ANSPRANDVS FIT R. LONGOB.

De prælaudato Theodoberto Boioariæ Duce ſeu Præfecto, cuius mentionem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum [a] iam fecimus, ſic Ioannes *Adlzreitter à Tetenweis* libro ſeptimo [b] rerum Boicarum. *Theodoni Boiorum Duci, rebus humanis exempto, ſuffectus eſt Theodebertus ex Agilolfingorum ſtirpe. Eum non fuiſſe Theodonis filium notauit Arnolfus. Defuncti frater an ſanguine remotior fuerit, incertum.* VII. [a] Num. 41. [b] Num. 14. AVXILIO BOIORVM.

VIII. Obiit hoc anno Hugo Abbas Weltenburgienſis, cui ſucceſſit Rempertus, vt habetur Tomo tertio Metropolis Saliſburgenſis. REMPERTVS ABB. WELTENBVRG.

ANNVS CHRISTI 713. DAGOBERTI III. R. 2.

713. DAGOB. III. R. 2.

I. ANNO *ab Incarnatione Domini* DCCXIII. vt Auctor Annalium Metenſium prodit, *Pipinus Princeps infra Principatûs ſui terminos ea quæ pacis erant diſponens, in nullam partem eo anno exercitum duxit.*

II. Brico ſeu Perichus Epiſcopus Auguſtanus, Arianorum profligator, cùm annos nouemdecim completos aut viginti incompletos ſediſſet, obiit hoc anno. Succeſſit Zayſo, tum Wicho, quem pleræque Nomenclaturæ Briconi malè præponunt. Aſſertionem noſtram ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-tertium in Zayſonis obitu confirmabimus. EPISCOPI AVGVSTANI.

III. In Annalibus Petauianis *anno* DCCXIII *depoſitio Suitberthi Epiſcopi* collocatur, & in Chronico San-Dionyſiano ſub eodem anno corruptè *depoſt ſub Doberto Epiſcopo in menſe Martio*, lege *depoſt Suitberto Epiſcopo in menſe Martio.* Auctor enim iſtius Chronici non aliter ſcribit ad annum ſequentem, cùm Grimoaldum menſe Aprili & Pippinum menſe Decembri mortuos ita teſtatur, DCCXIV *depoſt Grimoaldo in menſe Aprili, & depoſt Pippino in menſe Decembrio.* Refragantur apud Surium [c] Marcellinus in vita Sancti Swiberti & Ludgerus in literis ad Rixfridum Traiectenſem Epiſcopum. Ludgerus enim annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-octauum cum anno poſt Sancti Swiberti mortem triceſimo-tertio componit, & Marcellinus obitum Sancti Swiberti reiicit in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſeptimum. Sed nullius auctoritatis eſt Marcellinus, de cuius Interpolatore ſæpiùs queſti ſumus. Nec potiorem fidem meretur epiſtola Ludgeri, quam ſuppoſititiam eſſe iam oſtenderunt Browerus & Henſchenius in notis ad eiuſdem Ludgeri vitam. SWIBERTVS OBIT. [c] d. 1. Mart.

IV. Hodiernus textus Marcellini talis eſt. *Cùm in Monaſterio Werdenſi vita cæleſtis inſtitutio quotidianum ſumeret incrementum, contigit anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo decimo-quarto Pipinum de Herſtallo, ſtrenuum Principem &* EIVS VITA INTERPOLATA.

Digitized by Google

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

Maiorem-domûs Francorum, dolentem ſuper innocente morte Sanctiſſimi Lamberti Tungrenſis Epiſcopi, ad mortem ægrotare. Accerſitúſque Swibertus egregius Pontifex ad viſitandum eum per nobiles viros, perrexit priùs cùm Willeico & Theodorico diſcipulis ſuis Coloniam ad Plectrudem illuſtrem Duciſſam Lotharingiæ ſiue Auſtraſiorum, conſilium ab ea expetens quidnam facere deberet. Quæ eum religiosè ſuſcipiens & tractans, tandem retento Coloniæ pio Willeico Presbytero S. Swiberti apud ſe cauſâ deuotionis & conſolationis (erat enim felix Willeicus euangelicus Sacerdos) miſit Sanctum Swibertum & Agilolphum Colonienſem Archiepiſcopum cum pleriſque aliis Prælatis ad Pipinum Principem, coniugem eius, ad informandum eum, ſi obiret, ne illuſtres legitimos ſuos filios, Drogonem Ducem Campaniæ, Grimoaldum Maiorem-domûs Childeberti Regis Franciæ, exhæredaret, hæredem ſcribendo Carolum Martellum illegitimum, ex Alpaide pellice genitum, in detrimentum & damnationem animæ ſuæ, & in confuſionem ſui & totius Eccleſiæ, atque in ſcandalum ſuorum Primatum & ſubditorum. Et quia Sanctus Lambertus Epiſcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpauerat, Martyrium ſubiit. Venientes igitur præfati Pontifices Ioppiliam ad ægrotantem Principem Pipinum, benignè ab eo ſuſcepti ſunt. Qui ipſum conſolantes, & ad tolerantiam aduerſitatum temporalium & infirmitatum corporalium confortantes, aiebant quòd Deus electis ſuis iter aſperum facit, ne dum delectarentur in via, obliuiſcerentur eorum quæ ſunt in patria. Tandem nacto opportuno tempore & congruo, inter cetera pro ſalute & remedio animæ ſuæ, cauſam, pro qua venerant, ei deuotè & ſalubriter Pontifices exponentes, & de illicito matrimonio increpantes, ſtatim cum indignatione repulſam patiebantur. Alpais verò legationem Sanctorum Pontificum ſciſcitans & comperiens, irata valdè, Pontifices abire celeriter præcepit, & ipſa interpellans importunè pro Carolo Martello filio ſuo apud Pipinum, impetrauit cuncta pro eodem filio ſuo quæ petierat. Pipinus verò eodem anno moriens, eundem Carolum Martellum ſuorum Principatuum reliquit hæredem. Quod cernentes præfati Pontifices, inglorij & triſtes Coloniam redierunt enarrantes præclaræ Plectrudi omnia quæ geſta erant in Ioppilia à Pipino, conſolantes eam & ad tolerantiam patientiæ animantes, &c. *Sanctus Swibertus delectatus in Domino ſuper ſalutari gratia à Deo per Willeicum Presbyterum ſuum*, qui Gothebaldum propè mortuum ſanitati reſtituerat, *Coloniæ patrata, ſalutatâ & licentiâ impetratâ à pia matrona Plectrude, rediit Werdam cum ſuis diſcipulis. Ibique per triennium ſanctiſſimè viuens perfecit opera, quæ Deus poſuit prodigia ſuper terram, miraculis coruſcando, atque vt vox tonitrui in rota, prophanis Chriſtum euangelizando, idololatriam liberâ voce damnando, multas gentes paganas ſacro fonte baptiſmatis Chriſto regenerauit. Tandem Deus, qui eſt ſuorum fidelium merces magna nimis, qui & per carnis mortem viuos Eccleſiæ lapides de terrenis ſedibus ad cæleſte transfert ædificium, S. Swibertum ſtrenuum fidei pugilem, coronandum in cælis de terrenis euocare dignatus eſt. Igitur anno à Natiuitate Domini ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo S. Swibertus, omnium virtutum chariſmatis plenus, ex omnibus animi medullis videndi Deum deſiderio flagrans, cùm in feſto Principis Apoſtolorum S. Petri ad Cathedram in ſuo Monaſterio diuina celebraſſet, mox languore eum inuadente lecto decubuit. Languore itaque per momenta temporum ingraueſcente, conuocans fratrum ſuorum collegium ferè viginti, primò admonuit eos, vt veſtigia Chriſti ſequerentur, & vt virtutem dilectionis & pacis ad inuicem & in omnes domeſticos Dei ſeruarent, inſtituta quoque diſciplinæ regularis, quæ ab eo didiciſſent & in ipſo vidiſſent, indefeſſâ fide cuſtodirent. Deinde ſubiunxit, diem ſui obitûs in proximo inſtare. Quod audientes fratres circumſtantes, mœrore perculſi, flere cœperunt. Quibus Sanctus Pontifex dixit. Nolite, dilectiſſimi, flere, magis autem gaudete, iam enim Sanctorum laborum meorum glorioſiſſimum recipiam fructum & præmium. Receſſui fragilitatis meæ debitum charitatis impendite & orationibus protegite. Quo dicto, ipſe in Domino gaudens, informabat eos de contemptu mundi & appetitu Regni cæleſtis, & vt exitum ſuum, cuius hora incerta eſt, vigiliis, orationibus boniſque operibus præuenire meminerint. Cúmque hæc & his ſimilia plura loqueretur, illi acceptâ benedictione iuſſu ipſius triſtes ad Eccleſiam exie-*

Digitized by Google

runt. Retinuit autem ſecum Sanctum Willeicum, cum quo diuina meditans, Deum corde deuotiſſimo inuocabat. Appropinquante denique die obitûs ſiue dormitionis ſuæ, quam præſciuit Angelico miniſterio, conuocans fratrum ſuorum præfatorum felicem cateruam, celebrari ſibi ſacra fecit Miſſarum ſolemnia. Deinde perceptione Corporis Dominici ſe muniens, ac Sanctæ Crucis vexillo ſe cunctoſque circumſtantes ſignans, in mortis quiete dormiens, tranſiit feliciter de mundo, & ab Angelicis choris anima eius ſancta in conſortio Sanctorum & felicitatis perpetuæ in perpetuum collocanda ſuſcepta eſt. Statimque facies eius, vt glorificata lucens ſplenduit. Cella verò eius vt apotheca redoluit, omniúmque ora & pectora fragrantia ſuauitatis repleuit. Defunctus eſt autem ſanctiſſimus Swibertus Werdenſis Epiſcopus anno ætatis ſuæ 69. Cal. Martij, feriâ ſextâ, horâ 12, quâ horâ Saluator mundi morte ſuâ nos viuificans, ianuam Regni cæleſtis reſerauit, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

V. REFELLITVR.

In illo textu commentitia ſunt ea, quæ de ſancti Swiberti profectione ad Pippinum ægrotantem, déque colloquio habito cum illo prolixè commemorantur. Swibertus Pippino morti proximo Drogonem & Grimoaldum commendare non potuit, quia Drogo iampridem obierat anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo vt ad illum annum probauimus, & Grimoaldus, qui eodem quo Pippinus anno mortuus eſt, vitam clauſit menſe Aprili, Pippino patre in morbum, quo conſumptus interiit, nondum lapſo, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum dicturi ſumus. Deinde Alpais Swibertum Ioppiliâ non expulit, priùs enim dimiſſa fuerat à Pippino, nec id in dubium reuocauit Miræus [a], qui vulgatum Marcellinum contraxit in epitomen, déque Swiberti itinere ad Pippinum paucis ita locutus eſt. *An. 714 ad Pipinum Iupiliæ ægrotantem (qui Alpaidem pellicem iam anteà dimiſerat) venit, cum Agilolpho Colonienſi Archiepiſcopo.* De Martyrio Sancti Lamberti adeò longam diſputationem iniuimus ſuo loco, vt de illius cauſa nihil, aduersùs Interpolatorem Marcellini, repetendum hîc videatur. Titulus Archiepiſcopalis Agilolpho non conuenit, dignitatem enim Metropolitanam, vt ex Zachariæ Papæ literis ad Bonifacium Epiſcopum conſtat, Eccleſia Colonienſis ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-quintum haud recuperauit. Quin & admodum probabile eſt Agilolphum, qui poſt Pharamundum Annonis ſucceſſorem in Cathedra Colonienſi ſedit, nondum Epiſcopum fuiſſe, cùm Pippinus ex hac vita diſceſſit. Certè apud Cratepolium [b] fit Antiſtes Eccleſiæ Colonienſis *anno ſalutis noſtræ 728.* Denique Plectrudis erat Ioppiliæ, cùm Pippinus eius maritus illic obiit. Ad confutandum Interpolatorem Marcellini, ſi cæteræ deeſſent, hæc vna ſufficeret ratio, quam fuſiùs exponemus anno ſequenti, cùm de morte Pippini nobis agendum erit. Imbelle eſt igitur argumentum, quod eruitur ex vulgato Marcellino, vt Sanctus Swibertus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo mortuus aſſeratur. Haud validiori fundamento nituntur, qui Sanctum Swibertum ad Deum migraſſe volunt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo quinto, quoniam id colligitur ex literis, quas Sanctus Ludgerus Mimigardeuordenſis Epiſcopus ad Rixfridum Vltraiectinum Epiſcopum de miraculis & canonizatione eiuſdem Sancti Swiberti ſcripſiſſe fertur. Sunt enim illæ ſuppoſititiæ, vt patebit infrà, cùm ſingulatim res omnes, quas complectuntur, examinabimus ſuis locis.

[a] In Faſt. Belg. d. 1. Mart.

[b] In Annal. Colon. n. 15.

VI.

Quod attinet ad diem, quo Sanctus Swibertus ex hac vita tranſiit, Auctor Annalium Petauianorum, qui deſinit in anno Chriſti octingenteſimo, & ceteris ob antiquitatem longè præſtat, mortuum tradit *in menſe Martio*, diem verò non exprimit. Diſtinctior obſeruatio non occurrit in Chronico San-Dionyſiano. Apud vulgatum Marcellinum notantur Calendæ Martiæ cum feria ſexta, ſed hi Characteres cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo non conueniunt, illo enim anno litera Dominicalis erat C, & Kalendæ Martiæ inciderunt in feriam ſecundam. Eædem quidem Kalendæ cum feria ſexta coinciderunt anno Chriſto ſeptingenteſimo decimo-

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

quinto, qui prædictus fuit litera Dominicali F. Sed qui Sanctum Swibertum illo anno ad Deum migraſſe ſcribunt, ſolâ nituntur auctoritate literarum, quæ Sancto Ludgero perperam attribuuntur. Sancti Swiberti mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio indubitatè conſignandam remur. Diem quoque non reuocamus in dubium, Kalendas nempe Martias, quoniam illis Kalendis in pleriſque Martyrologiis memoria Sancti Swiberti celebratur. Expungenda eſt igitur apud vulgatum Marcellinum feria VI, eiúſque loco reſtitui debet feria II. Certè Marcellinus, qualis hodie circumfertur, ſibi non conſtat. Vult enim Sanctum Swibertum obiiſſe feriâ ſextâ, in ipſa hora exitûs ſui apparuiſſe Sancto Willebrordo Vltraiectino Epiſcopo, qui tunc è Monaſterio Epternacenſi redibat, diéque proximo, nempe Sabbato, ipſum Willebrordum, qui per nuncios expectari ſe præceperat, in Cœnobio Werdenſi cum Plectrude quæ Coloniâ venerat, cantaſſe *Vigilias defunctorum*, & *Dominica die* corpus Sancti Swiberti cum Hymnis & laudibus deuotè reuerentérque ſepeliuiſſe. Quis autem credat hæc geri potuiſſe tam breui temporis interuallo? Multò probabilius eſt obitum Sancti Swiberti contigiſſe feriâ ſecundâ, quintóque pòſt die, proximo videlicet Sabbato, Sanctum Willebrordum & alios Prælatos, necnon Plectrudem, vt illius exequias curarent, ex diuerſis locis conueniſſe.

VII. CLARET MIRACVLIS.

Poſt expletum Sancti Swiberti funus, Willebrordus Vltraiectinus Epiſcopus, rogantibus Willeico, Gerardo, Theodorico, ceteríſque fratribus, in Monaſterio Werdenſi per quindecim dies manſit. Tunc ad Sancti Swiberti tumulum facta ſunt miracula non pauca. Narratur hoc præcipuè. Hathagerus paterfamilias ethnicus, Chriſtianæ fidei prorſus ignarus, apud Coeſueldiam longo paralyſis & calculi morbo grauatus, audiit ab Henrico viro Chriſtiano & conſanguineo prope Werdam nato, quotidie infirmos ad tumulum Sancti Swiberti ſanos fieri; paganis, ne fidem dictis adhiberet, fruſtrà dehortantibus, ſpopondit Deo Chriſtianum ſe fore ſpretis idolis, ſi priſtinam valetudinem apud Werdam conſequeretur. Currui igitur impoſitus iter illuc arripuit comitante atque in fide per viam confirmante Henrico conſanguineo, ſequente etiam vxore cum tota familia & aliquibus cognatis. Werdam omnes feliciter ingreſſi ſunt die Martis, *Hathagerus mox anhelans ad ſanitatem, ſe ad ſepulchrum ſanctiſſimi Pontificis Swiberti duci petiit, ibíque ante corpus Sancti ſe proſternens, purâ fide & intentione ſupplex diuinam pietatem rogauit, vt meritis Sancti ſui, dilecti Confeſſoris Swiberti, priſtinam recuperaret ſanitatem. Itaque cùm deuotè Sanctum inuocaſſet Swibertum, cunctis adſtantibus, inter preces velut in ſoporem ſolutus dormiens, vidit, vt poſteà referre ſolitus erat, quod quidam in habitu Pontificali gerens figuram Crucis in manu dextra, ad ipſum acceſſit, eâque ter ipſum benedicens, omnino ſanauit. Mox euigilans, ſaniſſimus ſurrexit, atque pro adepta ſanitate rependit humillimè Deo & Sancto eius Swiberto gratias, & quid erga ſe Sanctus Swibertus egerit, omnibus gaudens & deuotè explicando patefecit. Cunctíſque gaudentibus, & Deum & Sanctum Swibertum laudantibus, ex ſuggeſtione Henrici ſupradicti, & præcipuè ex informatione Sancti Willebrordi, vt ſpopondit, ſacramenta fidei & baptiſmatis cum omnibus ipſum comitantibus per Sanctum ſuſcepit Willeicum, vocatúſque fuit, ob memoriam miraculi, Hathagerus in baptiſmo Swibertus.* Hæc Marcellinus.

VIII. AN EPISCOPVS WERDENSIS?

Errant, qui Swibertum non Abbatem Werdenſem ad Rhenum ſed Epiſcopum Werdenſem ad Aleram flumen vltra Viſurgim comminiſcuntur. Hi verò decepti videntur ab Interpolatore Marcellini ſuprà citato, qui Sanctum Swibertum Werdenſem Epiſcopum appellat. *Defunctus eſt*, inquit, *Sanctiſſimus Swibertus Werdenſis Epiſcopus anno ætatis ſuæ 69.* Swibertus ordinatus fuit Epiſcopus, vt Friſiis viciníſque populis, qui nuntium idolis nondum remiſerant, Euangelium prædicaret; fuit etiam primus Abbas Monaſterij Werdenſis ad Rhenum in Diœceſi Colonienſi; ſed numquam fuit Epiſcopus Werdenſis ad Aleram, hic enim Epiſcopatus Werdenſis ad Ale-

Digitized by Google

ram erectus eſt regnante iam apud Francos Carolo Magno Pippini Heriſtallij pronepote. Id plerique cùm animaduerterent, Swibertum Carolo Magno coætaneum finxerunt. Auctores enim, qui Swibertum Werdenſem Epiſcopum in Saxonia fuiſſe fabulantur, diuiduntur in duas claſſes. Alij, in quorum numero eſt Gabriel Bucelinus Monachus Weingartenſis, Swibertum, cui primum inter Epiſcopos Werdenſes locum tribuunt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo mortuum affirmant. Alij, in quorum numero eſt Gaſpar Bruſchius, Swibertum apud Werdam in Inſula Rheni obiiſſe volunt anno Chriſti octingenteſimo ſeptimo, cùm pulſus fuiſſet ab Epiſcopatu Werdenſi, quem ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſexto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-ſeptimum adminiſtrarat. Bucelinus [a] Catalogum Epiſcoporum Werdenſium ſic orditur. *Epiſcopi Verdenſes. 1. S. Suibertus primus Epiſcopus Verdenſis diuinitus & à Pipino Eccleſiæ præfectus, apud Bardouicum, quâ dein pulſus apud Werdam conſedit, & vitæ reliquum ibidem exigens, noui Epiſcopatûs admirabili vitæ ſanctitate fundamenta iecit, ob. A.C. 717.* Bruſchius [b] ſic. *Verdenſis Epiſcopatus in Orientali Saxonia vltra Viſurgin amnem inchoatus eſt deuictis Saxonibus & liberaliſſimè dotatus à Carolo Magno Galliarum Rege potentiſſimo ac Romanorum Imperatore laudatiſſimo, annum Chriſti circiter 776. Cœpit autem primùm hæc Eccleſia in honorem beatæ Virginis Mariæ in loco Konende, aut, vt alij volunt, in ciuitate Bardeuicenſi; mox verò maioris commoditatis ergò ad Verdenſe clarius tum & nobilius, quàm eſt hodie, oppidum tranſlata. Eius Epiſcopalis Eccleſiæ, vnius ex decem Epiſcopatibus à Carolo Magno in Saxonia à ſe deuicta fundatis, doctores, præſules ac gubernatores à prima origine ad hanc noſtram vſque ætatem numerantur. 1. Suibertus Abbas Anglicus, Benedictinæ profeſſionis, vir mirâ vitæ ſanctimoniâ præditus, audiens Saxoniam ad Chriſtum eſſe conuerſam, & ibi deſiderari Paſtores, qui populum in Chriſtianiſmo inſtruerent, amore propagandæ doctrinæ, de Chriſto humani generis liberatore, venit per mare in Saxoniam, vbi à Carolo Magno clementer exceptus, ſtatim nouo huic Epiſcopatui præfectus eſt, anno Domini 776. Præfuit teneræ adhuc & pubeſcenti Eccleſiæ ſummo ſtudio, cùm doctrinâ tum exemplis per annos vnum & viginti. Condidit auxiliis Caroli Magni Cœnobium Cathedrali Eccleſiæ Carolinæ contiguum pro Canonicis ſub Benedictina Regula victuris. Expellitur tandem ab infidelibus quibuſdam à gubernatione Eccleſiæ diuinitus & per Carolum Magnum ſibi commendatæ, anno Domini 797. Dedit verò ei Domina Bertrada Pipini Regis coniunx & Caroli Magni mater pagum Kheiſersweld inſulam Rheni, non procul à Colonia ſitum. In ea domunculam ſibi conſtruens, & Deo ſummo zelo ſeruiens, reliquum vitæ ibi exegit. Obiit autem anno Domini 807. vltimâ Aprilis. Sepelitur in templo, quod ipſe in eo pago prope Oratorium ſuum ſibi & ſuis ſtatuit & erexit.* Obſtupeſce ad tales anachroniſmos. Si Swibertus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo vitam clauſit, quid illi commercij fuit cum Carolo Magno Werdenſis Epiſcopatûs fundatore ſeriùs nato? Si Pontificatum Werdenſem geſſit regnante Carolo Magno, quomodò mortem illius in literas referre potuit Beda, qui longè ante Caroli Magni Principatum in viuis eſſe deſiit? Duos igitur diſtingue Suibertos Epiſcopos, natione Anglos; Seniorem, qui colitur Kalendis Martiis, obiítque in Monaſterio Werdenſi ad Rhenum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-tertio; Iuniorem, qui regnante Carolo Magno primus Epiſcopus Werdenſis ad Aleram conſtitutus eſt, celebratúrque in variis Martyrologiis pridie Kalendas Maij.

a German. Sacr. part. 1.

b Tom. 1. cap. 14.

IX.

AN MONACHOS INSTITVIT IN MON. WERDENSI?

Willeicus Preſbyter Monaſterium Werdenſe poſt Sanctum Suibertum per annos decem laudabiliter rexit. Id teſtatur Auctor Hiſtoriæ Suibertinæ [c]. In illo Cœnobio vtrùm Clerici à primo conditu an Monachi fuerint, in dubium reuocat Henſchenius [d], quia Willebrordus, quocum Suibertus ex Hibernia in Friſiam primùm venit, duo Monaſteria conſtruxit, in vno Clericos, in altero Monachos conſtituit, idémque poſteà Ludgerus Mimigar-

c Cap. 25.

d d. 2. Mart.

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

deuordenſis Epiſcopus præſtitit. Sed hoc ipſum argumentum, quod ab exemplo Sanctorum Willebrordi & Ludgeri deſumitur, omnem dubitationi locum tollit, quia proprias ſuorum Epiſcopatuum Sedes habuerunt, ille Vltraiectinam, hic Mimigernefordenſem, nequaquam verò Suibertus, qui conſecratus fuit Epiſcopus, vt Friſios alióſque populos ab idololatria reuocaret. A Willebrordo Vltraiectino Epiſcopo condita ſunt duo Monaſteria, vnum Clericorum apud Vltraiectum vbi Pontificalem Cathedram poſuerat, alterum Monachorum apud Epternacum ad Suram fluuiolum in Epiſcopatu Treuirico. Similiter erecta ſunt à Ludgero Mimigardeuordenſi Epiſcopo duo Cœnobia, vnum Clericorum apud Mimigardeuordem ſeu Mimigernefordem vbi Sedes eius Epiſcopalis, alterum Monachorum apud Werthinam ad Ruram flumen in Diœceſi Colonienſi. Vnicum autem à Suiberto conſtructum eſt Monaſterium, nec in ciuitate quæ nobilitata eſſet Epiſcopali Cathedrâ, ſed in Inſula Rheni quæ pertinebat ad Epiſcopatum Colonienſem. *Ipſe Antiſtes*, inquit Beda [a], *cum quibuſdam Pipinum petiit, qui, interpellante Slichildedride coniuge ſuâ, dedit ei locum manſionis in Inſula quadam Rheni, quæ linguâ eorum vocatur in littore. In qua ipſe conſtructo Monaſterio, quod hactenus hæredes eius poſſident, aliquandiu continentiſſimam geſſit vitam, ibíque diem clauſit vltimum.* Pippini donationem anteceſſit Angelica reuelatio, de qua ſic Marcellinus [b]. *Attendens Sanctus Swibertus glorioſus Pontifex gregem ſuum hac illácque diſperſum, & quòd nullum fructum nulláſque inducias inter vtráſque partes*, id eſt, inter Saxones ac Boructuarios, *cum ſuis propter ſaxea Saxonum corda facere poſſet, exorauit aſſiduè Dominum, vt ei iam ſeni locum oſtenderet, vbi habitare deberet. Tandem Angelicâ reuelatione admonitus præcipitur ire Coloniam Agrippinam ad Pipinum Ducem & Plectrudem eius coniugem, qui ei aptum locum permanendi cum ſuis condonarent.* Hæc contigerunt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo. Suibertus iam ſenex erat, vtpote natus annos tres & ſexaginta. Monaſticen in Hibernia profitebatur, antequàm veniret in Franciam; eodem vitæ genere delectatus quoque videtur in ſenectute, maximè cùm non fuerit Epiſcopus loci vbi Monaſterium ædificauit, ſéxque reliquos, quos vixit, annos in illo Cœnobio viciſque circumſtantibus tranſegerit. Si quæſtio eſſet de Monaſterio, quod condidiſſe perhiberetur in primaria vrbe Diœceſeos quam ipſe Epiſcopus regeret, ibi collocatos ab eo Clericos conſtantiſſimè pronuntiaremus, vt factum fatemur à Sanctis Willebrordo & Ludgero in Cœnobiis Vltraiectino & Mimigernefordenſi. Sed ſermo eſt de Monaſterio quod extruxit in loco cuius ipſe non erat Epiſcopus, ideóque Monachos illic ab eo congregatos exiſtimamus, quibuſcum Monaſticen, quam olim in tranſmarinis partibus exercuerat, ſub exitum vitæ denuò colere percupiuit.

[a] Lib. 5. c. 12.

[b] Cap. 22.

X. ACTA WILLEICI PRESBYTERI.

Multa de Willeico ſcribuntur in Hiſtoria Suibertina [c]. Semotis quæ dubia ſunt aut falſa, vel ad Annales noſtros minimè pertinent, hæc vera credimus nefáſque ducimus prætermittere. Willeicus cum aliis aliquot *glorioſis Presbyteris & prædicatoribus* Suiberto duce *fideliter in vinea Domini tanquam miles ſtrenuus laborauit.* Adfuit Suiberto, quando Hungerum, carucâ onuſtâ lapidibus oppreſſum, reuocauit ad vitam. *Ab adoleſcentia ſua cum Sancto Suiberto in orationibus & continentia ac meditationibus diuinarum Scripturarum vitam felicem ſedulus agebat. Ipſe nihil huius mundi quærere, nihil amare curabat. In diuinis Scripturis ſufficienter à Sancto Suiberto inſtructus Latinâ linguâ & germanâ eruditus fuit. Erat enim eloquentiſſimus & manſuetiſſimus, iræ & auaritiæ victor, ſuperbiæ & vanæ gloriæ contemptor, pauperum & infirmorum conſolator. Ipſe erga inopum prouiſionem non ſolùm pietate mentis, ſed etiam ſtudij labore ſollicitus fuit. Multos etiam gentiles in diuerſis prouinciis, ſuâ ſaluberrimâ prædicatione, à veneno idololatriæ ad dulcorem fidei Chriſti perduxit. In Monaſterio verò Werdenſi factus Præpoſitus ſub Sancto Suiberto, abſtinentiæ & continentiæ ceterarúmque virtutum omnibus fratribus exemplum dabat. Plures etiam & auctoritate*

[c] Capp. 15. 17. 24. 25.

Digitized by Google

magiſterij & exemplo ſuæ actionis regularem inſtituebat ad vitam. Nec ſolùm ipſi Monaſterio regularis vitæ monita ſimul & exempla præbebat, ſed & vulgus circumpoſitum longè latéque à ſtulta idololatricæ vitæ conſuetudine ad Chriſti & cæleſtium gaudiorum curabat conuertere amorem. Cetera ſuis locis proſequemur.

AN. CH. 713.
DAGOB. III. R. 2.

XI.
EMEBERTVS EP. CAMERAC. OBIT.

Ad hunc vſque annum peruenit Emebertus ſiue Hildebertus Atrebatenſium & Cameracenſium Epiſcopus, Gudilæ enim ſorori, cuius obitum anno ſuperiori conſignauimus, ſuperſtes vixit, vt Hubertus in ipſius Gudilæ vita teſtatur. Colitur decimo-octauo Kalendas Februarij. *Fuit huic, vt ferunt, prædium, quod Martinas* * *dicitur, familiis quidem & rebus circumfluis locupletiſſimum, de quo Dei Genitricis Eccleſiam* Cameracenſem *heredem fecerat; ſed neſcimus quâ causâ, niſi infeſtatione paganorum, amiſerit. Hic ſuperueniente die ſuæ vocationis, in eodem pago, villa videlicet, quam loci habitatores Ham-dicunt, defunctus, migrauit à mundo, illúcque ſepultus. Deinde ad Martinas deportatus, poſteà verò ad Melbodium tranſlatus, ibique nunc quieſcens Reſurrectionis diem expectat.* Hæc Baldricus in Chronico Cameracenſi. Succeſſit in Epiſcopatum Hunoldus, de quo nihil apud eundem Auctorem præter nomen occurrit. Vt autem Hunoldo, quem Maſſæus Hunaldum nominat, Pontificales Infulas hoc anno delatas cenſeamus, Gazæus aliíque ſuadent, qui volunt id contigiſſe ſuperſtite Pippino Herſtallo, cuius obitum anno ſequenti conſignabimus.

* *Merchten.*

SVCCEDIT HVNOLDVS.

XII.
ABBATES LOBIENSES.

In Abbatum Lobienſium catalogo, quem Fulcuinus Abbas ad ſuam vſque ætatem texuit, refertur hoc anno mors Sancti Vrſmari, quem Ratherius Lobienſis quondam Monachus, ipſo Fulcuino Abbate antiquior, ad Deum migraſſe ſcribit decimo-quarto Kalendas Maij, in Tabulis Eccleſiaſticis memoria celebris eſt decimo-tertio eaſdem Kalendas, qui fortè dies depoſitionis fuit. *Corpus*, inquit Ratherius, *à diſcipulis religioſo compoſitum officio, cultu eſt honorifico tumulatum. In cacumine quippe montis, cuius radicibus iam extructum adiacet Monaſterium, Oratorium eſt in honore Sanctæ Dei Genitricis conſtructum, in quo depoſuerunt beati corporis theſaurum.* De ſucceſſore ſic idem Auctor. *Venerabilis Pontifex* Vrſmarus *cernens paulatim ſibi vires corporis minui, ſuæque diem vocationis imminere, curam cœpit non paruam gerere, ne grex ſibi commiſſus relinqueretur ſine paſtore. Tunc annuente Deo, optantibus cunctis, Sanctus Erminus eligitur, vir omni bonitate repletus, atque magiſtro moribus adæquandus, cunctis verò iſtius temporis hominibus meritò præferendus. Quem benignus Pater vt filium chariſſimum monuit amabiliter, quatenus gregem ſibi commiſſum ſolicitè paſceret, moribus & verbis ſecum ad æthera transferre ſatageret. Quod ipſe agendum ſuſcepit quidem moleſtè, ſed Deo cooperante ſtrenuè peregit, inchoauit humiliter, ſed perſeuerauit feliciter.* Ceterùm Erminus non Abbatis modò ſed & Epiſcopi dignitate gauiſus eſt, vt conſtat ex Tabulis Eccleſiaſticis ſeptimo Kalendas Maij. Peruetuſtus Auctor, qui res à Sancto Ermino geſtas ſcripſit, teſte Fiſeno [a] profeſſus eſt illas ſe didiciſſe à Flacberto ipſius Ermini diſcipulo, ſed ſpiritu prophetiæ illum fuiſſe afflatum, pluribus exemplis, quæ ſuis locis commemorabimus, demonſtraſſe ſatis habuit.

[a] d. 25. Apr.

XIII.

Hoc anno, Dagoberti Regis tertio inchoato, vt Chronographus Fontanellenſis computat, Gaugia [b] fœmina benè merita eſt de Cœnobio Fontanellenſi. Largita eſt enim ei *Saciacum ſiue Dignum ſuper fluuio Andura; item Landas.* Sed & *Hugo* Drogonis filius, Pippini nepos, *dum adhuc laicus eſſet, largitus eſt Benigno Abbati* Fontanellenſi *Vierlaicum Villam, quæ ſita eſt in pago Tellau, ſuper fluuio Eora, quæ ipſi de iure prædictorum parentum ſuorum legitimè obuenerat.* Et, vt idem Chronographus obſeruat [c], *facta eſt hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo decimo-tertio, Indictione duodecimâ, qui fuerat annus Dagoberti iunioris Regis* III. *Pipini autem Ducis* XXVI. *vndecimo Kalendarum Iuliarum die, feriâ quartâ.* Hi Characteres conueniunt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, quia tunc currebat litera Dominicalis A. Obſerua Hugonem illis temporibus adhuc laicum dici.

[b] Chron. Fontan. cap. 7.

HVGO PIPINI NEPOS MVNIFICVS ERGA MON. FONTANELLENS.

[c] Cap. 8.

Digitized by Google

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

XIV. ROTHMVNDVS CVM FILIO MILONE FIT MONACHVS FONTANELLENSIS.

Hoc eodem annò, Dagoberti Regis tertio inchoato, Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, cùm Benignus Abbas Monaſterio Fontanellenſi præerat, Monaſticam vitam illic amplexi ſunt Rothmundus eiuſque filius Milo, duóque patrimonia, nempe Offiniacas & Bettonis curtem, prædicto Cœnobio contulerunt. Quibus de rebus ita Chronographus [a] proximè laudatus. *Quidam paterfamilias nomine Rothmundus ob gratiam vitæ contemplatiuæ mundani fugiens culmen honoris ad conuerſionem venit cum filio ſuo nomine Milonis, ambóque comam capitis ſibi deponentes, effecti ſunt milites Chriſti.* Et paucis interiectis. *Præfatus verò Rothmundus ac religioſus famulus Chriſti Milo tempore conuerſionis ſuæ largiti ſunt huic Cænobio* Fontanellenſi *patrimonia duo, id eſt, Offiniacas & Bettonis curtem, ſita in pago Tellau, anno videlicet tertio Dagoberti iunioris Regis, qui erat Pipini ſenioris Ducis vigeſimus-ſextus, Incarnationis autem Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſeptingenteſimus tertius-decimus.* Wiſla Rothmundi coniux ac mater Milonis nuncium quoque rebus ſecularibus remiſit, & Logenſis Monaſterij præfecturam geſſit. Ab eodem Chronologo ſic commendatur. *Mater verò eius*, nempe Milonis, *nomine Wiſla, Mater Logenſis Cænobij in ſancto propoſito effecta, quæ præcipua fuerant in eodem Monaſterio ornamenta ipſa tribuit, necnon & prædia plurima acquiſiuit.*

[a] Cap. 4.

WISLA VXOR ROTHMVNDI ABBATISSA LOGENSIS.

XV. MILO EX MONACHO FIT ANACHORITA.

Milo annuente Benigno Abbate Fontanellenſi, ſeceſſit in eremum, ideóque Reclauſus & Anachorita vocatur à Chronographo Fontanellenſi, qui ſolitariam illius vitam ita deſcripſit. *Milo licentiam expetiit à prædicto Patre Benigno, vt licitum ſibi foret Anachoritarum more ſolitariam vitam ducere. Deinde verò ad locum accedens, qui hodiéque Milonis crypta per metonymiam dicitur, in rupe altiſſima ſuper ripam aluei Sequanæ, rupem eandem excidens, manſiunculam ſui voti condignam ſibi conſtituit, quæ viginti homines ferè capere videretur, ibíque aereas dæmonum turmas fortiſſimo Chriſti vmbone repellens, infatigabilitérque agonizans, feliciter Domino militauit.* Et paulò pòſt. *Erat autem præfatus miles Domini Milo Presbyteratûs ordine, quem bonis claríſque actibus adornabat, decoratus. Habebat namque ſub rupe Eccleſiolam conſtructam, in qua hoſtiam victimæ ſalutaris Domino immolabat. Vſque hodie verò cernuntur veſtigia eiuſdem ædificij, in quo Baſilica illa conſtructa fuit. Monſtrantur nunc vſque arbuſta in latere montis eiuſdem rupis, ac vitiferæ arbores, quas ipſe propriâ manu terræ inſeruit, necnon & plantæ ſeu vites vineæ, quam ipſe etiam plantauit, ac dum ibi philoſopharet excoluit. Secundùm dictum namque Pſalmiſtæ, laboribus manuum ſuarum viuere ſatagebat, vt ei benè eſſet, ac finito mundi curſu videret bona in Hieruſalem,* &c. *In ipſa namque crypta bonis operibus inſiſtens, ac retruſo ordine vitam irreprehenſibilem ducens, mentem ad cæleſtia deſideria ſemper intendens, pauperie valdè gaudens, ibidémque præſentis vitæ debitum complens, ſpiritum Deo reddidit felicitati perenni coniungendum. Cuius corpus in Eccleſia B. Apoſtoli Pauli aduectum, sícque ſepulturæ eſt traditum. Ferunt namque nonnulli, quòd ante portam Logenſis Cænobij ſe iuſſiſſet tumulari, atque ibidem humatus teneatur, ſed vt ego à veracibus ſenioribus didici, commodius fore arbitror, vt vbi Monachus extitit, illic etiam ſepultus teneatur.* Duæ res huic Auctori plurimùm auctoritatis conciliant. Nihil enim de Milone ſcripſit, quod non acceperit à viris fide dignis, aut in ſcriniis ſui Monaſterij non legerit. *Hæc*, inquit, *veluti auditu didici, ac in ſcriniis Priuilegiorum noſtri Cænobij reperi, de Milone Reclauſo ſeu Anachorita dicta ſufficiant.* Deinde ab ætate Milonis non erat multùm remotus, audiuit enim, vt ipſemet teſtatur, *narrantem quendam venerabilem ſenem, qui ab eo didicit, qui ipſum Milonem multo tempore vidit, quòd fuiſſet ſtaturâ procerus, vultúque Angelicus, caluitiem habens capitis venerandam.*

XVI. DVCES BOIOARIÆ.

Hiſce temporibus Luidprandus Longobardorum Rex aliquam Boiis relaturus gratiam, quorum opibus viribúſque adiutus exilium cum Regno commutarat, *Guntrudam*, vt Paulus Diaconus [b] teſtatur, *filiam Boioariorum Ducis, apud quem exularat, in matrimonium duxit, de qua vnam ſolummodo filiam genuit.* In vetere Pauli editione, Dux Boioariorum, cuius filiam ſibi Luidprandus

[b] Lib. 6. c. 13. vet. edit. c. 43. nouæ edit.

Digitized by Google

AN. CH. 712. DAGOB. III. R. I.

prandus in vxorem adſciuit, *Theodebertus* appellatur. Hic filiæ nuptiis diu ſuperſtes haud vixit. In Boioariæ Præfecturam ſucceſſit Theodo Quintus, quem Grimoaldo eiuſdem Theodeberti fratre genitum Ioannes Adlzreitterus [a] affirmat. Theodoni, cùm adminiſtrationem Boioariæ ſuſcepit, tres, vt ex dicendis patebit, erant filij, nomen vni Grimoaldus, duobus aliis Theodebaldus & Hugibertus, de quibus, vt & de illorum patre, verba non ſemel faciemus.

[a] Lib. 7. n. 16.

XVII. NORDOBERTVS EP. ARVERN. FRVSTRA REPETIT AB EP. LVGDVN. CORPVS S. BONITI DECESSORIS SVI.

Hoc anno conſignanda eſt Legatio, quam Nordobertus Aruernenſis Epiſcopus ad Godinum Lugdunenſem Epiſcopum fruſtrà direxit, rogans vt Sancti Boniti Aruernenſis quondam Epiſcopi ante ſexennium in Lugdunenſi ciuitate mortui ac ſepulti Reliquiæ in Aruerniam transferrentur. *Cùm beati Confeſſoris Boniti annus ter binis Lugdunenſi artus haberentur conditi vrbi, recordans ſucceſſor ipſius Nordobertus Præſul eius exultatis vel beniuolentiæ, quam erga ſe vir beatus exhibuerat, Legationem ad virum beatiſſimum Godinum ipſius vrbis Præſulem miſit. Cúmque hi, qui miſſi fuerant, petitionem ſibi peroraſſent commiſſam, ille reſpondit. Quod mihi à Deo commiſſum eſt, nequaquam me meóſque tanti muneris pati permitto diſpendium. Vnde iidem, qui miſſi fuerant, magno cum mœrore ad propriam regreſſi ſunt vrbem, facta ſui itineris Præſuli nuntiauerunt. Tunc ille blandè eos alloquitur dicens. Et mihi in eadem nocte, quâ vos in oppidum Lugdunenſe intraſtis, vir Domini in viſu, veſte, quâ aliquando ſolitus erat indui, apparuit, qui & dixit mihi. Quid, inquit, agis, mi frater Nordoberte? putáſne benè gregis tibi commiſſi curam geris? & addidit, noli me, ait, inquietare modò, quia cùm redire voluero, ego nunciabo. Vnde certum tenui, quòd petitio noſtra non meruiſſet effectum.* Hæc Auctor ſynchronus in vita Sancti Boniti.

XVIII. EPISCOPI LVGDVNENSES.

Quot annos deinceps prædicti ſederint Epiſcopi, Godinus ſeu Godwinus Lugdunenſis & Nordobertus Aruernenſis, haud liquet. De Sancti Boniti Tranſlatione, quam idem Auctor non omiſit, poſt decennium agemus. Lugdunenſem Pontificatum tunc gerebat Fulcoaldus, Aruernenſem Proculus. Fulcoaldum Godino proximè ſucceſſiſſe conſentiunt omnes. Proculum autem immediatè Nordoberto ſubrogatum eſſe non æquè conſtat. Apud prælaudatum Scriptorem *vir Venerabilis Proculus Præſulatûs Cathedrâ Aruernicæ vrbis poſt virum Dei* Bonitum *loco tertio ſublimatus* aſſeritur. Iſtius tertij loci duplex datur interpretatio. Vt enim tertius à Rege dicitur is qui ſecundum locum tenet poſt Regem, quia qui primum locum poſt Regem tenet, is ſecundus à Rege dicitur, ſic Bollandus & Henſchenius Nordobertum, qui Sancto Bonito in Epiſcopatum proximè ſucceſſit, inter Aruernenſes Epiſcopos ſecundum à Sancto Bonito & Proculum tertium ab eodem Sancto Bonito numerarunt. At qui Catalogos Aruernenſium Epiſcoporum texuerunt, Auctorem ſuprà citatum aliter explicuerunt, & ex eius ſententia Nordobertum primo poſt Sanctum Bonitum loco, Bubum ſecundo, tertio Proculum nominarunt, Demochares, Sauaro, Chenutius, Robertus, Sammarthani, quibus lubenter aſſentimur.

ET ARVERNENSES.

XIX. LVITWINVS EP. TREVIRENS. OBIT.

Leodowinus ſeu Luitwinus Metropolita Treuirenſis, de quo ſermonem ad annum Chriſti duodeſeptingenteſimum [b] copioſè iam fecimus, hoc circiter anno migrauit in cælum tertio Kalendas Octobris. Dies notatur in medulla [c] Geſtorum Treuirorum, quam Ioannes *Enen* Teutonico ſermone primus edidit, & Latinâ pòſt linguâ donatam Ioannes Scheckmannus anno Chriſti milleſimo quingenteſimo decimo-ſeptimo publicauit, necnon in Martyrologiis Benedictino & Gallicano. Super anno ſic ratiocinari licet. Milo, qui Luitwino patri ſucceſſit, Epiſcopum Treuirorum, vt Hincmarus in præfatione ad vitam Sancti Remigij teſtatur, *per quadraginta circiter annos* peſſumdedit, adhuc autem peſſumdabat exeunte anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-primo, vt ex Zachariæ Papæ literis ad Bonifacium Epiſcopum illo anno, *pridie Nonas Nouembrias, Indictione quintâ* iam inchoa-

[b] Nn. 5. 5.
[c] Lib. 2. cap. 8.

AN. CH. 753. tâ datis colligitur, eiúſque ſucceſſor Weomadus anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-tertio legitur ordinatus.

DAGOB. III. R. 2. XX.

Luitwinus in Annalibus Treuirenſibus à Merſſæo Cratepolio [a] commendatur, quòd Diœceſim Treuirenſem *laudabiliter & vtiliter* rexerit, aſſeritúrque mortuus Remis, cùm illuc *ad Concilium Generale* profectus eſſet, deinde *in ſuo Monaſterio* (Mediolacenſi) *anno Domini 721 ſepultus*, vbi *miraculis multis clarere dicitur*. Apud Ioannem *Enen* eiúſque traductorem Ioannem Scheckmannum [b] in medulla Geſtorum Treuirorum iam citata *defuncto auunculo ſuo Baſino* ſuccedit, *Præſulium tanto ſpiritali nitore clarum* reddit, *vt & à Remenſibus & Laudunenſibus in Epiſcopum* aſſumatur. *In quibus duobus vno die ſacrorum Ordinum conſecrationem* celebrat. *Remis defungitur tertio Kalendas Octobris*, & *Mediolaci ſepelitur*. Eadem fermè in Auguſta Treuerorum [c] leguntur apud Wilhelmum Kyriandrum, qui Scheckmannum ſuprà citatum allegat. Sunt autem illa partim vera, partim falſa. Luitwinus Baſino adhuc ſuperſtite & Epiſcopatum ſponte abdicante factus eſt Epiſcopus Treuerenſis, Diœceſim Treuerenſem laudabiliter vtiliterque gubernauit, ſed Cathedris Remenſi ac Laudunenſi numquam inſedit. In Epiſcoporum Laudunenſium Catalogo, quem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum primum [d] deſcripſimus, locum non obtinet, nec habere poteſt in nomenclatura Pontificum Remenſium, nam Reolus ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio ad annum vſque Chriſti vndeſeptingenteſimum Eccleſiæ Remenſi præfuit, & Rigobertus proximus eius ſucceſſor Remis adhuc ſedebat, cùm pugnatum eſt ad Vinciacum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-nonum [e]. Illo anno Rigobertum Reolo ſuffecimus. Non deſunt, qui poſt beati Reoli mortem interpontificium aliquot annorum ſtatuant. In horum opinione loqui videntur, qui Luitwinum Treuirenſem ac Rhemenſem Epiſcopum ſimul fuiſſe contendunt. Fortè enim ſuſpicantur Epiſcopo Treuirenſi, quia Metropolitanus erat Belgicæ primæ, ius fuiſſe adminiſtrandi cùm Eccleſiam Remenſem Belgicæ ſecundæ Metropolitanam, ſi laboraret interpontificio, tum Laudunenſem aliáſque Belgicæ ſecundæ, ſi eodem tempore, quo Remenſis Metropolitana, Paſtoribus viduarentur. At huiuſcemodi iuris nullum in Hiſtoriis monumentum, nec Remenſis aut Laudunenſis Eccleſiæ diuturna fuit vacatio, cùm Luitwinus Epiſcopus præerat Treuirenſi. Corruunt igitur ea, quæ vno die in Diœceſibus Remenſi & Laudunenſi ab illo geſta perhibentur. Eundem Luitwinum Remis mortuum & Mediolaci ſepultum non negamus; Remos etiam, vt *Concilio Generali*, id eſt, Synodo ex vtraque Belgica conuocatæ intereſſet, profectum non inficiamur, licèt acta iſtius Concilij non extent. Sed Gabrieli Bucelino & aliis pleriſque Nomenclatoribus cùm Gallis tum Germanis aſſentiri non poſſumus, qui Luitwinum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo mortuum contendunt, Milo enim, qui eidem Luitwino patri ſuo in Epiſcopatum Treuirenſem iam ſucceſſerat, factus eſt etiam Epiſcopus Remenſis anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, quo pugna Vinciacenſis commiſſa eſt, vt ad illum annum probaturi ſumus. Vtrùm autem Remis ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum quieuerit, haud liquet. Remis Mediolacum tranſlatus eſt, ibíque ſepultus. Præter illud Cœnobium, cuius conditor idem Luitwinus, in Epiſcopatu Treuirenſi florebant alia celeberrima, de quibus ſuprà. Nec omittendum quod extra muros Treuirenſes hodie ſub nuncupatione Sancti Mathiæ præpotens eſt ac magnificum, nec hactenus laudatum fuit à nobis, quoniam à prima Monachorum in illum locum introductione, quam Bucelinus [f] ſeculo ſeptimo conſignat, ad medium vſque decimum nomina vetuſtiorum Abbatum interciderunt, vt patet ex Catalogo quem Bruſchius [g] contexuit.

AN FVIT ETIAM EP. REMENSIS ET LAVDVNENSIS?

[a] Num. 57.
[b] Lib. 2. cap. 8.
[c] Part. 9.
[d] Num. 1.
[e] Nu. 4. 5. 7.
[f] Part. 2. German. ſacr.
[g] In Monaſt. German.

Digitized by Google

XXI.

EIVS RELIQVIÆ REMIS MEDIOLACVM TRANSFERVNTVR.

De Sancti Luitwini Tranſlatione ac ſepultura Ioannes Scheckmannus [a] ita ſcribit. *Remis defungitur tertio Kal. Octobris, quo cognito, quem ex coniuge ſuſcitauerat filium, Milo properanter patris corpus repetens, immenſis cereorum luminibus rati impoſitum de fluuio in fluuium fertur. Tum ventum eſt vbi Saroa influit Moſellam, anchoris datis in flumen Treuiri ſuæ ciuitati inferre volunt Antiſtitem ſuum, vt par erat, alij conſultiùs dictitant tumulandum Mediolaci, vbi viuens Monachus fuerat. Diuino tandem nutu ſurſum tendit nauis, vndoſos peruolat Saroa impetus, Mediolaci ſepelitur magna cum ammiratione & laudatione.* Vidula Remos alluit, Mediolacum Saroa. Sancti Luitwini Reliquias *de fluuio in fluuium* Remis Mediolacum nauigio delatas quis putet? Quàm longa enim, quàm difficilis, quàm ſinuoſa Remos Mediolacum vſque nauigatio per Vidulam, per Axonam, per Oeſiam, per Sequanam, per Oceanum, per Moſam, per Vahalim, per Rhenum, per Moſellam, per Saroam! Deinde Saroa in dexteram Moſellæ ripam ſupra Treuiros egeritur, vnde palàm fit, naui, quæ Remis Mediolacum, ſecundis ad Oceanum vſque fluminibus, Vidulâ, Axonâ, Oeſiâ & Sequanâ, tum aduerſis Moſâ, Vahali, Rheno, Moſellâ & Saroâ, contendit, priùs vrbem occurrere Treuirim, quàm Saroæ confluentes in Moſellam; ideóque Scheckmannus perperam ait diſceptationem inter Treuirenſes alióſque motam, cùm ventum eſſet ad locum, vbi Saroa ſeu Sarra Moſellam ſubit. Nam ſi conſilium Treuirenſium fuit, vt Antiſtitem ſuum ciuitati ſuæ inferrent, cur, vbi Treuiros aduerſo Moſellâ delatus eſt, illum non retinuerunt permiſerúntque vlteriùs ad oſtium vſque Saroæ deuehi? Corpus igitur beati Epiſcopi à Vidula ad Moſellam ſeu Remis Metas vſque vel ad pagum Moſellæ infra Metas adiacentem, curru tranſlatum arbitrare, tum impoſitum nauigio, quod ſecundo Moſellâ peruenit ad oſtium Saroæ ſupra Treuirim. Oriri tunc contentio potuit, Treuirenſibus, vt Treuirenſis Epiſcopus in ciuitate Treuirenſi ſepeliretur, ſtudioſiſſimè petentibus, aliis non minori deſiderio poſtulantibus, vt in Mediolacenſi Monaſterio à ſe condito tumularetur, vbi Monachum priùs induerat, quàm in Epiſcopum aſſumeretur. Lis autem diuino nutu dirempta eſt, quia nauis ſurſum tendens vndoſos impetus Saroæ peruolauit, beatúſque Pontifex, vt annotatum eſt ſuprà, Mediolaci ſepulturam accepit.

XXII.

EXAMINANTVR VARII TREVIRENSIVM EPISCOPORVM CATALOGI.

De Sancti Luitwini ſucceſſoribus multa quoque fabuloſè ſcribit idem Scheckmannus. Ex huius Auctoris opinione Clodolphus Metenſis tunc Epiſcopus, Sancti Arnulphi Metenſis quondam Epiſcopi filius, Luitwino ſubrogatur. Deinde Milo Luitwini filius pulſo Clodolpho Treuerenſem Epiſcopatum inuadit, ac ſenior factus Hildulphum, Cœnobij Sam-Maximiniani Monachum, in rebus Eccleſiaſticis Coepiſcopum ſibi conſtituit. Hildulphus autem Miloni mortuo ſuccedit, dimiſsóque pòſt Epiſcopatu fit Eremita. Tunc Wormadus Abbas Sam-Maximinianus promouetur ad Epiſcopatum, & paulò pòſt inſigne Priuilegium à Pippino tum Rege poſtulat impetrátque. Textus Scheckmanni [b] talis eſt. *Succedaneus eius*, nempe Luitwini, *Clodolphus* LVIII. *Metenſem tum regens Epiſcopatum, filius Sancti Arnulphi æquè Metenſis quondam Epiſcopi, cui hunc filium & alterum Anchiſum pepererat vxor eius Doda, quæ marito Arnulpho ad Heremiticam vitam ſe conferenti, & ipſa ſe Treueris ſecretiùs claudens Chriſto ancillabatur*, &c. *Milo, quem Lutwini filium præſcripſimus, non electione ſed inuaſione tyrannicâ Epiſcopatum quaſi paterno & auito iure accedentem occupabat, & Clodolphum laceſſebat moleſtiis, qui tum & à Deo & ab hoſtibus diligebatur. Tempore illo grauia bella exorta fuere in hac prouincia inter Karolum Martellum & Raginfredum de Principatu contendentes, adhæret Milo Karolo, belli negotia de patrimonio Chriſti Eccleſiæ Treuericæ agit, magnus eapropter fit in conſpectu & amicitia Karoli, quem partâ victoriâ Karolus donauit Epiſcopatibus Treuirorum & Remorum, & pulſo Clodolpho ipſe quinquageſimam octauam Sedem ſibi vendicauit Treueris*, &c. *Circa deciduam ætatem quendam ſanctum virum Hildulphum quoad Eccleſiaſtica ſibi Coepiſcopum conſtituit, ipſe militaribus actibus*

[a] Lib. 2 cap. 8.

[b] Lib. 2 cap. 8.

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2. *implicitus, & tandem miliario ab vrbe aprum venando inſequutus, percuſſus ab eo & læſus vitam emiſit. Tum Hildulphus confirmatus* LIX. *Epiſcopus conſtituitur*, &c. *Beatus Hildulphus pertæſus laboris, tumultuum & occupationum extranearum, quò ſecretiùs ſibi vacaret, & ſolitarius ſedens leuaret ſe ſupra ſe, ſecundò monaſticam vitam apprehendere cogitauit. Nam dum illi Milo regendum Epiſcopium in ſpiritualibus committeret, vi abſtractus ex Monaſterio ciuitati contiguo legitur. Itaque egreſſurus de mundo, (vt ita dicam) Hildulphus, ne peſtifer lupus agnos inuaderet, Sanctum Weomadum* XVI *Abbatem Sancti Maximini (in quo Cœnobio ipſum ante Epiſcopatum tradunt fuiſſe Monachum) ſibi ſucceſſorem, ouibus verò ſuis Paſtorem inſtituit*, &c. *Weomadus hinc plenariâ poteſtate Treuirorum ſexageſimus Præſul effectus, Eccleſiæ ſuæ Priuilegia manutenere & augmentare curauit, vnde & à Pippino Rege, patre Karoli Magni, obtinuit Priuilegium inſigne.* Scheckmanno ſuffragatur Cratepolius.

XXIII. Wilhelmus Kyriander [a], Ioannis Scheckmanni aliorúmque Scriptorum opinionibus examinatis, & Clodulpho ac Milone è Treuirenſium Epiſcoporum Catalogo expunctis, *ſimilius vero* putat *Lutwinum Rhemis apud Milonem filium, eius loci Epiſcopatum tenentem obiiſſe, ſuffectúmque mox in Eccleſia Treuerenſi à Carolo Martello Hyldulphum*, cui Weomadus proximè ſucceſſerit.

[a] Part. 9.

XXIV. Aubertus Miræus in Faſtis [b] Belgicis ac Burgundicis, vbi Seriem Archiepiſcoporum Treuirenſium exhibet, nullâ Clodulphi mentione factâ, Sancto Luitwino Milonem, Miloni Sanctum Hildulphum, huic Wormadum ſubrogat.

[b] d. 7. Iun.

XXV. Apud Claudium Robertum in Catalogo Archiepiſcoporum Treuirenſium poſt Sanctum Modoaldum hi ſequuntur, Sanctus Clodulphus, Sanctus Numerianus, Sanctus Baſinus, Sanctus Luitwinus, Sanctus Hidulphus, Vermadus ſeu Veomadus. In hac Nomenclatura nullus Miloni locus attribuitur, & Sancto Luitwino longè vetuſtior prædicatur Sanctus Clodulphus. Claudium Robertum ſecutus eſt Gabriel Bucelinus in Archiepiſcopis Treuirenſibus, parte primâ Germaniæ Sacræ.

XXVI. Anno poſt oditionem Bucelini proximo prodiit in lucem Gallia Chriſtiana quatuor in Tomos diuiſa, ſed in opere tam vaſto ſibi non ſatis conſtant Sammarthani, Miræo enim aſtipulantur in Archiepiſcopis Treuirenſibus, in Epiſcopis autem Metenſibus Sanctum Clodulphum ex Epiſcopo Metenſi Treuirenſem Archiepiſcopum factum volunt.

XXVII. Quæſtiones omnes, quæ ſuper Catalogis Epiſcoporum Treuirenſium adeò diuerſis moueri poſſunt, ad hæc tria capita facilè reducuntur, quid videlicet ſentiendum ſit de Sancto Clodulpho, quid de Sancto Hildulpho, quid de Milone?

XXVIII. Godefridus Henſchenius in Diatriba [c] de tribus Dagobertis Sanctum Clodulphum ad claſſem Archiepiſcoporum Treuirenſium non admittit, admittit autem Sanctum Hildulphum & Milonem, rectéque proximos Numeriani ſucceſſores hoc ordine recenſet, Sanctum Hildulphum, Sanctum Baſinum, Sanctum Lutwinum, ac Milonem, ſed in eo corrigendus videtur, quòd eodem circiter tempore Sanctum Lutwinum ex hac vita migraſſe & Sanctum Rigobertum è ciuitate Remenſi pulſum ſcribit.

[c] Lib. 4. cap. 5.

XXIX. AN CLODVLPHVS FVIT EP. TREVIRENSIS? Clodulphus factus eſt Epiſcopus Metenſis anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-ſexto, ſedit annos quadraginta, obiítque anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto. Illis temporibus Eccleſiam Treuirenſem rexerunt Numerianus, Hildulphus, Baſinus & fortè Luitwinus. Treuirenſes Infulæ Numeriano priùs delatæ ſunt quàm Metenſes Clodulpho, Numerianus enim Epiſcopatum ſuſcepit ſuperſtite in viuis Sigiberto Tertio Rege, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum-quartum incidit. Vtrùm autem Baſino Treuirenſem Epiſcopatum abdicanti priùs ſucceſſerit Luitwinus, quàm obierit Clodulphus Metenſis Epiſcopus, haud liquet. Eidem enim chartæ anno poſt ipſius Clodulphi mortem ſecundo datæ ambo ſubſcripſe-

runt Epiſcopi Baſinus & Luitwinus, nec Epiſcopatûs, quem Luitwinus poſt Baſinum geſſit, antiquior occurrit memoria. AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

XXX. Qui Clodulphum Treuirenſibus Epiſcopis accenſent, in duplici ponuntur differentia. Clodulphum alij deceſſorem Sancti Numeriani faciunt, alij ſucceſſorem Sancti Luitwini conſtituunt. In priori opinione verſantur Claudius Robertus & Gabriel Bucelinus; in poſteriori, Ioannes *Euen*, Ioannes Scheckmannus, & Petrus Merſſæus Cratepolius. Neutri fidem merentur. Robertus & Bucelinus vel ex eo refelluntur, quòd Sanctum Clodulphum ex Archiepiſcopo Treuirenſi Metenſem Epiſcopum factum nemo dixit hactenus, & idem beatus Clodulphus Sancto Numeriano multos annos ſuperſtes vixit. Vt autem Sancto Numeriano beatus Clodulphus, ſic beato Clodulpho ſuperuixit Sanctus Luitwinus, vnde ſequitur eos etiam falli, qui Sancto Luitwino Sanctum Clodulphum ſubrogant. Si Sanctus Luitwinus, vt plerique ſcribunt, obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, quis credat in Epiſcopatum ei beatum Clodulphum ſucceſſiſſe, cuius pater beatus Arnulphus Metenſem Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo ſuſcepit regnante tum in Auſtraſia Theodoberto Secundo, qui vitam clauſit anno proximè ſequenti, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo duodecimo? Certè nec in noſtra opinione, quæ Sancti Luitwini mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio conſignat, facilè quis ſibi perſuadebit beatum Clodulphum, vt eidem Sancto Luitwino ſufficeretur, ex vna Sede in aliam tranſlatum eſſe, cùm longè maior centenario iam eſſet.

XXXI. HILDVLFVS EP. TREVIRENS. QVANDO SEDIT. Sanctus Hildulfus Sancto Numeriano in Epiſcopatum Treuirenſem ſucceſſit, dimiſsâque Pontificali curâ ſeceſſit in eremum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto. Vtrumque probatum Tomo ſuperiori. Faceſſant igitur, qui Sanctum Hildulfum vel Sancto Luitwino vel Miloni ſubrogandum cenſent.

XXXII. MILO SVCCEDIT LVITWINO. Milo poſt Sanctum Luitwinum in Cathedra Treuirenſi ſedit, à patre multùm degener filius. Sæpè conqueremur de illius tyrannide, quam ad Principatum vſque Pippini Regis per annos circiter quadraginta perduraſſe demonſtrabimus. Falluntur ſanè, qui Milonem è Catalogo Treuirenſium Epiſcoporum expungunt, locus ei medius inter Sanctum Luitwinum & Weomadum tribui debet.

XXXIII. ECCLESIA REMENSIS MVLTIS DONATIONIBVS DITATVR. Idem Milo poſt quadriennium, vt ſuo loco probabimus, Epiſcopium etiam Remenſe occupauit expulſo Rigoberto, illúdque deinceps vnà cum Treuirenſi peſſumdedit. Remis igitur, cùm Luitwinus Treuirenſis Epiſcopus ibi mortuus eſt, officio Pontificali fungebatur adhuc Rigobertus, de cuius familiaritate cum Pippino Maiore domûs Regiæ Flodoardus [a] ita diſſerit. *Hic venerabilis Præſul Pipinum Maiorem domûs Regiæ traditur amiciſſimum habuiſſe, cui eulogias pro benedictione crebrò ſolebat mittere. Ad quem collocuturus dum veniſſet aliquando, cœpit idem Princeps requirere, quid huic Sancto Patri gratum potuiſſet offerre. Morabatur autem tunc apud Gerniacam cortem, quam villam eidem oblatam vbi gratam haberi beato Pontifici comperit, offert ei, vt quantùm vellet in gyro acciperet, vel quantùm circumiret, dum ille meridie quieſceret. Beatus itaque Rigobertus exemplum beatiſſimi Remigij ſecutus, per fines, qui manifeſtiſſimè parent, pergens, paſſim itineris ſui limitem poni præcepit, vt litem diſcerneret aruis. Cui regreſſo ſurgens Pipinus à ſomno largitus eſt omnem, quem circuitu ſuo concluſerat locum.*

[a] Lib. 2. c. 11.

XXXIV. Hanc Pipini donationem Deo gratam duo, quæ proximè ſubiungit idem Auctor, inſignia probarunt miracula. *Ad indicium*, inquit, *memorabile ſuper hoc itineris ſui vernantior omni tempore, quàm in ceteris circà locis, viſitur herba virere. Eſt & aliud non contemnendæ rei miraculum, quod procul dubio meritis ipſius conſtat eiſdem rebus à Domino prærogatum. Siquidem poſtquàm eius ceſſere dominio, fertur eas nunquam læſiſſe tempeſtas, nec cecidiſſe ſuper illas grando, & cùm in locis contiguis videatur cadere, fines eorum non præſumit attingere.*

Digitized by Google

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

Laudem plurimam meretur Rigobertus, quòd *res iſtas*, vt Flodoardus addit, *vel cetera, quæ viſus eſt obtinuiſſe, nullo mundanæ cupiditatis impetrauit obtentu, ſed Eccleſiæ ſuæ in cunctis conſulens vtilitatibus, illam conſtituit hæredem. Plures etiam rerum ſuarum participes fecit Eccleſias, vt variis chartarum docemur inſtrumentis.*

XXXV. XXXVI. Tanti Præſulis exemplo prouocati complures, cùm Clerici tum Laici, Eccleſiam Remenſem ampliſſimis donis magnificentiſſimè locupletarunt. *Sub ipſius Epiſcopatu dedit Ado quidam Abbas ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Remenſis res ſuas ſitas in pago Laudunenſi, in vico, qui dicitur Raoſidus, cum adiacentiis earum, domibus ſcilicet, & colonis, campis, vineis, pratis, ſyluis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, & omnibus appenditiis. Item ad matriculam Sancti Remigÿ res quaſdam in pago Tardonenſi in villa Corneciaco conſtitutas. Diuerſæ quoque perſonæ in locis diuerſis res ſuas, pro animarum remedio, Eccleſiæ Remenſi ſub hoc Patre beatiſſimo tradiderunt, vt Beroaldus & Sairebertus in monte Beteleni & Taxonariis, domos, arua, mancipia, vineas, ac ſyluas; Gairefredus & Auſtreberta in pago Laudunenſi, in villa Varocio, manſos cum terris adiacentibus, vineis, ac mancipiis; Abbo res ſuas ſitas in pago Porcenſi, villâ Auguſtâ; Leudemarus in Camarciaco, in pago Remenſi, manſos cum ædificiis, mancipiis, ruribus, vineis, ſyluis, pratis, & ceteris adiacentiis; Rodemarus res ſuas ſitas in vico Caſtricenſi, item Auſtrebertus ſuas in eadem villa. Quarum adhuc exemplaria traditionum apud nos,* ait Flodoardus, *condita reſeruantur.* Vtinam hic Auctor inſtrumenta tot donationum integra deſcripſiſſet, quibus annis data ſunt ſingula, ſuis locis annotaremus, nec id firmandæ Chronologiæ parum prodeſſet.

XXXVII. Hoc circiter anno Eronus Lingonenſis Epiſcopus vitam clauſit, eíque ſucceſſit Aſtoricus ſiue Euſtorgius ex Abbate Reomaenſi factus Epiſcopus. Audi Rouerium [a] in Hiſtoria Reomaenſi. *Aſtoricum ex Euſtorgio fecit vulgaris vocum corruptela, quæ etiam in Catalogos Epiſcoporum Lingonenſium irrepſit. Habuit enim in eis locum ſuum Euſtorgius, in illam Sedem ex Reomaenſi Præfectura traductus poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum.* Imò Præfecturam Reomaenſem ante annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum, quo Dagobertus Tertius regnare cœpit, haud obtinuit, Samuel enim eius deceſſor obiit eodem Dagoberto Tertio Regnum iam adepto.

ERONVS EP. LINGON. OBIT.
[a] In Abb. 12.
SVCCEDIT ASTORICVS EX ABB. REOMAENSI.

XXXVIII. Aſtorico ad Lingonenſes Infulas aſſumpto, Reomaenſis Abbas electus eſt Chriſtianus, cuius *finem*, ait Rouerius [b], *preciſè non licet aſſignare, multò minùs res ab eo geſtas, niſi quòd Sedis incompertæ Epiſcopatu eſt functus.* Illam tamen Sedem à nobis compertam putamus, Ambianenſem videlicet, quam Dominico Ambianenſi Epiſcopo poſt Sancti Lamberti Tranſlationem ſtatim mortuo Chriſtianus obtinuit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, vt ad illum annum dicturi ſumus.

[b] In Abb. 13.
CHRISTIANVS FIT ABB. REOMAENS.

XXXIX. In Diœceſi Senonenſi vetuſtiſſimum eſt ac nobiliſſimum Ferrariarum * Monaſterium. Indicem Abbatum ſic exorſus eſt Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. *Maurilius 560. Vido 622. Siuxhinus vel Buchinus 660. Geronicus vel Gerontius 716.* Paulò plura Buchino ſcripſerunt in auctiore Gallia Chriſtiana Sammarthani, ſic. *Buchinus ex gentili ad fidem Chriſtianam conuerſus, poſteà Ferrarienſis Abbas, vt eſt in fragmento de rebus geſtis Dagoberti I.* Guillelmus Morinus [c] in Hiſtoria pagi Vaſtinenſis *, vbi ſitæ Ferrariæ, Cœnobium Ferrarienſe locupletatum ait à Clodoueo Magno, à Dagoberto Primo, itémque à Dagoberto Childeberti filio, id eſt, vt numeramus, à Dagoberto Tertio, & Maurilium ſeu Morilicum, quem Monachi Ferrarienſes primum ſui Monaſterij Abbatem agnoſcunt, Clodoueo Regi, Remigio Remorum Antiſtiti, & Eraclio Senonenſium Præſuli ſynchronum conſtituit. Vt autem ille Maurilium Clodoueo, ſic Robertus Vidonem Dagoberto Primo & Geronicum ſeu Gerontium Dagoberto Tertio ex ipſius Morini calculo contemporaneum facere videtur, intermedio Buchino quem Audoenus in vita Sancti Eligij commendat. De quatuor illis Abbatibus quid ſentiamus, ſingulatim accipe.

* *Ferrieres.*
ABBATES FERRARIENSES.
[c] Lib. 6. c. 1.
* *Le Gaſtinois.*

Digitized by Google

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2. XL. MAVRILIVS.

Maurilius ſeu Morilicus Abbas nominatur in charta, quam à prædicto Morino ex Archiuo Ferrarienſi publicatam Lector ſuppoſititiam facilè iudicabit, vt Tomo primo ad annum [a] Chriſti ſeptimum ſupra quingenteſimum iam monuimus. *In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Clodouæus Rex Francorum, notum fieri volo omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ fidelibus, quòd cùm certior factus fuerim de pietate ſacelli Bethleemitici fundati in honore Dei Genitricis a Sauiniano & Potentiano . . . . Coſſino, Paterno, & aliis ex Chriſti diſcipulis . . . . Idque per chariſſimum Remigium Rhemorum Paſtorem, qui mihi illud verum eſſe pro certo affirmauit, & ita eueniſſe, cùm ſcilicet Chriſtus aſcendiſſet cælum, Petrus & alij Domini Apoſtoli per totum Orbem terrarum diſperſi ſunt, quemadmodum & 72 alij diſcipuli, ex quibus cùm aliqui in Gallias veniſſent, de quibus Sauinianus, Potentianus, Coſſinus, & alij antrum ſiue cellulam in pago Waſtinenſi conſtruxerant, in qua poſſent vota Domino reddere, & preces fundere, & ipſis itaque orantibus ſub nocte magnus ſplendor totum locum . . . . . . ortus eſt quidquid diuinum habebat in ſe, & inter hæc ecce naſcentis Chriſti, Virginis, & Ioſeph imagines in aere apparent, quemadmodum etiam bos & aſinus, quos Chriſti Natiuitati adfuiſſe . . . . Angelíque . . . . Carmen Natale Chriſti Domini concinentes, [gloria in excelſis Deo.] Oſtendens Deus, ſe hoc in loco velle venerari, quibus rationibus, & quotidianis, quæ in eo fiunt, miraculis, ego duce Spiritu Sancto, cognoſcens loci anguſtias tantam fidelium illuc affluentium multitudinem continere non poſſe, pro mea in Dei matrem, quam humiliter in hoc ſacello precatus ſum, pietate, ſtatui pro Regia liberalitate, Templum auguſtum & maius conſtruere in honore Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, cuius antequàm diſcederem fundamenta ieci, & quod poſteà Deo fauente perficiam, & quia in dicto ſacello, cellula ſeu antro beatæ Mariæ de Bethleem inueni Anachoretas iuſtè & piè viuentes, pro remedio & ſalute animæ meæ & filiorum meorum dedi illic quidquid in Waſtinio poſſidebam. Quibus etiam dedi ius nundinarum ſiue feriæ, die beatorum Apoſtolorum in Iunio, vel quando euenerit. Quæ autem dedi, volo eſſe pro ſuſtentatione ſeruorum Dei & pauperum. Manumiſimus etiam in eorum gratiam, & fecimus liberos eſſe omnes oppidi, in quo habitant, incolas, tam natos quàm naſcituros, tam mares quàm fœminas, qui in banlieua dictorum Anachoretarum vel ſeruorum Dei vitam degent, quam Regiâ auctoritate vidimus, quámque ita examinari volumus à vado Turellæ vſque ad nemus, & ad terram quæ dicitur Groletum, vſque ad terram de Brouilla, vſque ad terram quæ dicitur campus Girauldi, & ab illo campo Girauldi, ſicut via vadit quæ dicitur mali conſilij, vſque ad aquam quæ dicitur Clareia, vſque ad terram & nemus quod dicitur Morini caſueti, vſque ad Vallem, quæ dicitur Vallis Giraldi vadens vſque ad fontem Bultorij, & ſicut dictus fons Bultorij vſque ad Lupam, & ſicut aqua, quæ dicitur Lupa, currit vſque ad prædictum vadum Turellæ. Quod ne obliuiſcantur poſteri, hoc ſcribere volui, omnibúſque teſtari me hoc præpotenti Deo pro meis peccatis obtuliſſe, quemadmodum beatæ Dei Matri & Apoſtolorum Principibus data ſunt hæc in antro Bethleemitico, præſentibus Morilico Abbate anno . . . . Remigio Rhemorum Antiſtite, Eraclio Senonenſium Præſule, Indictione . . . . . .* Licèt autem hanc chartam ſuppoſititiam dicamus, Maurilium ſeu Morilicum ex albo Ferrarienſium Abbatum non expungimus, imò primum illi locum in Catalogo ſeruamus. At Monaſterij Ferrarienſis initia non à Clodoueo Magno ſed à Dagoberto Primo Clodouei Magni abnepote repetimus, & Clodoueum Regem, qui Cœnobium illud ditauit, Clodoueum Secundum, Clodouei Magni atnepotem, interpretamur. Noſtro igitur calculo Maurilius ſeu Morilicus Monaſterij Bethleemitici ſeu Ferrarienſis ad Lupam amnem in Diœceſi Senonica ſiti primus Abbas nec ſub Clodoueo Primo, nec anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo ſub Clotario Primo, Clodouei Primi filio Paſtorale munus obiit, ſed ſub Dagoberto Primo Clotarij Primi pronepote, qui Burgundiæ Regnum, vbi Ferrariæ, ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodetrigeſimo ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodequadrageſimum tenuit, ſubque Clodoueo Secundo Da-

[a] Num. 14.

AN. CH. 713. DAGOB. III. R. 2.

goberti Primi filio, qui Dagoberto patri in eandem Burgundiam ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo ſucceſſit, annóque Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto vitam clauſit.

XLI. BVCHINVS.

Buchinus, quem Robertus & Sammarthani Widoni poſtponunt, primum ſibi locum poſt Maurilium vindicat. Monaſterio enim, vt ex Audoeno Auctore ſynchrono ac fide digniſſimo conſtat, præfuit regnante Clotario Tertio, qui poſt Clodoueum Secundum patrem Regno Burgundiæ per annos quatuodecim ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum potitus eſt. Mortuo eodem Clotario Tertio, cùm Monarchia Francorum penes Childericum Secundum eſſet, Audoenus Rotomagenſis Epiſcopus vitam Sancti Eligij Nouiomenſis quondam Epiſcopi conſcripſit. In illa lucubratione locutus eſt dè Buchino Abbate Ferrarienſi è viuis iam ſublato, qui, priuſquàm Monachus fieret, in Eligij famulitio degerat. Audoeni textum Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum [a] citauimus, illum iterum audi. *Eligius habebat ſecum plures vernaculos, in ſuo contubernio degentes, ſibíque neceſſariò iugiter obtemperantes. Ex quibus erat Baudericus, eiuſdem libertus comprouincialis, qui in omnibus honeſtè valdè eius curam gerebat. Erat etiam Tituenus, genere Sueuus, fidelis Cubicularius laicus, qui poſteà ad mercedis cumulum peruenit interemptus. Necnon & Buchinus ex gentili conuerſus, qui & ipſe poſteà venerabilis extitit, ac Ferrarienſi Cœnobio præfuit.* Textum illum legerunt Sammarthani, non quidem *in fragmento de rebus geſtis Dagoberti I,* nam talis fragmenti Scriptorem fruſtrà quæras, ſed in vita Sancti Eligij prænotata, ex qua ſicut & ex aliis pleriſque vitis Sanctorum Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum, qui tunc in Palatio & in ceteris Regni partibus floruerunt, Andreas Ducheſnius [b] *fragmenta de rebus piè geſtis Dagoberti Regis, filiorum eius ac nepotum*, publicauit. Ceterùm obſerua Buchinum à Roberto Abbatem dici ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum, quo tempore Clotarius Tertius, Clodouei Secundi filius natu maximus, in Burgundia regnabat.

[a] Num 2.

[b] Tom. I. Collect. Hiſt. Franc.

XLII. VIDO.

Vido ſeu Wido, quem Buchino poſtponendum remur, Abbatiale munus exercebat Childerico Secundo Monarchiam Francorum adepto & Audoeno vitam Sancti Eligij conſcribente. Quot annis Cœnobium rexerit ignoramus, nihil enim præter illius nomen accepimus. Admodum probabilè videtur cum ex hac vita ſublatum exeunte Theodorici Tertij Principatu.

XLIII. GERONTIVS.

Geronicus ſeu Gerontius à Roberto & Sammarthanis Abbas anno Chriſti decimo-ſexto ſupra ſeptingenteſimum, tum ſucceſſor eius Valdebertus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo prædicatur. Robertus, qui prior ſcripſit, in mente id conſilij videtur habuiſſe, vt Gerontium Abbatem conſtitueret ſynchronum Dagoberto Regi, quem Guillelmus Morinus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto in Regnum Childeberto patri ſucceſſiſſe, munificúmque erga Ferrarienſe Monaſterium fuiſſe tradit. At Dagobertus Childeberti filius ab anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo regnare cœpit, nihílque vetat, quominùs totum illud tempus, quod à Clotario Tertio ad Dagobertum vſque Childeberti filium interceſſit, Abbates duo, Wido ſcilicet ac Gerontius, impleuerint.

XLIV. VALDEBERTVS. SINGVLFVS. ADALBERTVS. GERVASIVS.

Valdebertus ſeu Waldebertus apud Robertum & Sammarthanos anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo floruiſſe dicitur. Id noſtræ Chronologiæ non repugnat. Sequuntur in eorumdem Auctorum Catalogis, Singulfus, Adalbertus & Geruaſius, ſolis nominibus noti. Atque hæc de Ferrarienſibus Abbatibus ad Regis vſque Pippini tempora ſufficiant.

ANNVS

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 714. DAGOBERTI III. R. 3.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto Grimoaldus Maiordomûs & Pippinus Herſtallus eius pater obierunt. De Pippino conſentiunt omnes antiqui Scriptores. De Grimoaldo conueniunt etiam Annales Petauiani, Tiliani & Metenſes, necnon Libellus de Maioribus domûs Regiæ, & Chronicon San-Dionyſianum. Pippinum menſe Decembri mortuum tradunt iidem Annales ac Libellus cum prælaudato Chronico. Diem Decembris decimum-ſextum notat Annaliſta Metenſis. Grimoaldo ſuperſtes vixit Pippinus. Id conſtat ex Annalibus Tilianis ac Metenſibus, ex Libello de Maioribus domûs Regiæ, & ex Chronico San-Dionyſiano, cuius Auctor mortem Grimoaldi menſe Aprili, mortem Pippini menſe Decembri ſic conſignat ſtylo valdè barbaro. DCCXIV. *Depoſt Grimoaldo in menſe Aprili, & depoſt Pippino in menſe Decembrio.* I.

In Geſtis [a] Regum Francorum cædes Grimoaldi ſic enarratur. *Erat Grimoaldus Maiordomûs pius, modeſtus & iuſtus. Ægrotante Pippino Duce genitore ſuo, dum ad eum viſitandum acceſſiſſet, nec mora, in Baſilica Sancti Landeberti Martyris,* de qua ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum [b] iam fecimus, *Leodoſio* * *peremptus eſt à Rangario gentile filio Belial. Theudoaldum verò filium eius, iubente Pippino auo, in aula Regis, honore patris ſublimem ſtatuunt.* Et in Hiſtoria [c] iuſſu Childebrandi conſcripta. *Grimoaldus fuit vir mitiſſimus, omni bonitate & manſuetudine repletus, largus in eleemoſynis, in orationibus promptus,* &c. *Ægrotante Pippino Iobij-villâ ſuper Moſam fluuium, cùm ad eum viſitandum idem Grimoaldus veniſſet, cùm ad orationem in Baſilica Sancti Landberti Martyris proceſſiſſet, à crudeliſſimo viro impio, Rantgario nomine, interfectus eſt. Poſt hæc Theudoaldus filius eius paruulus in loco ipſius cum prædicto Rege Dagoberto Maiordomûs Palatij effectus eſt.* Grimoaldus duas vxores duxit; ex prima, cuius nomen ignoratur, ſuſcepit Theudoaldum filium, nullam verò prolem ex altera, cui nomen fuit Theudſinda, pater Radbodus Rex Friſiorum. Hunc ſuſpicio eſt necem genero doloſè machinatum fuiſſe, Friſius enim erat Rangarius qui cæde ſe maculauit. *Maiordomûs Grimoldus*, inquit Auctor libelli de Maioribus domûs Regiæ, *Theudſindam filiam Ratbodi Ducis in coniugem duxit, qui à Rangario Friſone in Baſilica Sancti Lamberti peremptus eſt. Pro quo pater eius Pippinus Theudoaldum filium ipſius, quem ex alia coniuge habuerat, in honore patris conſtituit.* Radbodus dæmonum faſcino dementatus ſæuiebat in Chriſtianos, & Pippini ſenium iam contemptui cœperat habere; veritus autem, ne Grimoaldus, quamuis affinitate deuinctus, iniuriam vlciſci vellet, immiſſo percuſſore periculum metúmque omnem à ſe ſummouit. Ita ratiocinatur Emmius libro quarto rerum Friſicarum. Annaliſta Metenſis ait Pippinum, cùm de infirmitate conualuiſſet, vltum eſſe necem Grimoaldi, & paulò pòſt lapſum eſſe iterum in morbum, quo tandem conſumptus interiit. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCXIV. *ægrotante Pippino in Iopila villa publica, quæ ſita eſt ſuper fluuium Moſam, cùm ad viſitandum eum Grimoaldus filius eius properaret, & ad orationem in Baſilica Sancti Lamberti Martyris proceſſiſſet, & diutius in oratione pronus perſiſteret, à nequiſſimo viro nomine Rangario gladio percuſſus occubuit. Pippinus verò Princeps de infirmitate conualeſcens, omnes qui in illo conſilio fuerant, iuſtâ vltione interemit. In locúmque Grimoaldi filium eius paruulum ex concubina natum nomine Theodaldum Maiorem domûs cum Dagoberto*

II.

[a] Cap. 50.

[b] Num. 5.

* Liége.

[c] Cc. 101. 104.

GRIMOALDVS OCCIDITVR

DOLO RABBODI SOCERI R. FRISIORVM.

AN. CH. 714. DAGOB. III. R. 3.

Rege conſtituit. Eodem quoque anno Pippinus Princeps iterum moleſtiâ corporali correptus, &c. In illo autem textu *concubina* non pro pellice ſed pro legitima vxore ſumi debet, nam Theudoaldi mater in libello de Maioribus domûs regiæ ſuprà citato *coniux* Grimoaldi nuncupatur.

III. Poſt necem Grimoaldi, Pippinus æger coram Plectrude coniuge ſua Suueſtram prædium Sancto Willibrordo donauit. Id ex antiquo diplomate ſic affirmat Browerus in Annalibus [a] Treuirenſibus. *Diploma vetus inſpeximus, quo ipſe* Pippinus *in villa Bagoloſo, regnante iam tum Dagoberto, iacens ex morbo Sanctum Willibrordum prædio Suueſtrâ donat, quod prædium ipſum ad riuum cognominem in pago Moſariorum ſitum eſſe confirmat, atque vt in nepotum, Grimoaldi & Drogonis filiorum, ſit tutela, cauet. Denique cùm propter morbi magnitudinem ſubnotare non potuiſſet ipſe, Plictrudi coniugi dat negotium, vt ipſa donationem ſubſcribendo corroboret.* Occurrunt hîc duo maximè obſeruanda. Plectrudis habitat in iiſdem ædibus cum Pippino, & prædium Suueſtra nullâ Caroli Martelli mentione factâ committitur tutelæ nepotum eiuſdem Plectrudis, id eſt, tutelæ Hugonis eiúſque fratrum & Theudoaldi, quorum illî patrem habuerunt Drogonem, hic Grimoaldum; vtrique auiam Plectrudem. Ergo hoc anno, cùm Pippinus ægrotaret eſſétque morti proximus, Alpais apud eum non habitabat, & Plectrudis non degebat Coloniæ procul à marito. Atque inde colligere eſt, quàm fabuloſa ſint ea, quæ ad hunc eundem annum Interpolator Marcellini in vita Sancti Swiberti, recentioréſque Scriptores in ſuis Hiſtoriis de Plectrude, Alpaide & Carolo publicarunt. Ceterùm Suueſtra ſeu Sueſtra, hodie Suſtera & Suſterenum, vulgò *Suſteren*, illuſtre nobilium Virginum Monaſterium eſt cum adiuncto oppido in Ducatu Iuliacenſi *, & circiter ter mille paſſus à Moſa remouetur è regione ferè Maſaci ſeu Moſecæ * oppido. Ditio circùm poſita nomen accepit ab amne præterlabente, quem Moſam & Maſam appellant, dictáque eſt Maſauia, Maſegauia, & Maſelandia, incolæ verò Maſaci, Moſarij, Maſegaui & Maſelandi, vnde Pagus ſeu Comitatus Moſariorum ſeu Maſacorum vel Maſegauorum, vulgò *Maſau* & *Maſegau*, qui nonnumquam in ſuperiorem & inferiorem diuiſus reperitur.

a Lib. 7.

PIPPINVS ÆGROTAT.

DAT WILLIBRORDO EP. SVVESTRAM PRÆDIVM.

* *le Duché de Iuliers.*

* *Maſeych.*

IV. OBIT. Eodem quo Grimoaldus anno, vitam clauſit Pippinus eius pater menſe Decembri. Hæc conſtant ex Annalibus Petauianis, Tilianis ac Metenſibus, ex Libello de Maioribus domûs Regiæ & ex Chronico San-Dionyſiano. Si diem inueſtigas, in Annalibus Tilianis & in Libello de Maioribus domûs Regiæ mortuus dicitur *medio Decembri* ſeu *Decembrio*, & in Annalibus Metenſibus XVII *Kal. Ianuar.* Per annos viginti-ſeptem menſéſque ſex auctoritate infra Regiam maximâ potitus eſt ſub Regibus Theodorico Tertio, Clodoueo Tertio, Childeberto Tertio & Dagoberto Tertio. Iunior à nonnullis appellatur, ſenior à pleriſque; iunior, vt à Pippino auo materno, ſenior vt à Pippino nepote diſtinguatur. Cognomen Herſtalli ſiue Herſtallij nactus eſt ab Harſtallo ſeu potiùs Herſtallo vel Herſtallio, quod exercitûs ſtabula ſignificat, horæque circiter itinere diſtat Leodio ad Moſam flumen versùs Traiectum. Locus hic olim celebris fuit inſigni Palatio, vbi Pippinum eiuſque poſteros diu commoratos accepimus. Erat & ex oppoſito Herſtalli trans Moſam Iopila ſeu Iupilia, quæ Pippino etiam in deliciis fuit, vt ex prædictis liquet.

V. Pippinus Eccleſiis multa dona contulit, nobiliſſima conſtruxit Monaſteria, viros ſanctitate conſpicuos impensè coluit, nec vnquam ſatis laudaretur, ſi Plectrudem non repudiaſſet, plurimùm tamen commendationis vel ex eo meretur, quòd Eccleſiæ & Epiſcoporum vocem audiit, atque Alpaide dimiſsâ reuocauit Plectrudem, quacum, vt maritum decebat, ad mortem vſque vixit. Suſcepit quatuor filios, Drogonem & Grimoaldum ex Plectrude, Carolum & Childebrandum ex Alpaide. Luxit mortem Drogonis & Grimoaldi; priorem amiſit anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, poſterio-

EIVS FILII AC NEPOTES.

Digitized by Google

AN. CH. 714. DAGOB. III. R. 3.

rem menſe Aprili, hoc ipſo anno, Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto. Reliquit igitur ſuperſtites duos tantùm filios Carolum & Childebrandum, quibus nepotes adde ſex; Hugonem, Arnoldum & Anonymum, filios Drogonis; Theudoaldum filium Grimoaldi; Carolomannum & Pippinum filios Caroli. De Hugone & Theudoaldo iam locuti ſumus. De fratribus Hugonis Arnoldo & Anonymo agemus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium. Carolomannus & Pippinus qui poſteà regnauit, ex Carolo & eius vxore Rotrude nati ſunt ante Pippini aui mortem, nam teſte Auctore Annalium Fuldenſium, Pippinus, qui natu minor erat, annos vixit quinquaginta-quatuor, obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo. Theudoaldus ſeu Theobaldus ante obitum aui Grimoaldo patri in Maioratum domûs Regiæ ſucceſſerat. Sed quia iunioris erat ætatis, auia Plectrudis præcipuam auctoritatem in adminiſtrando regno ſibi vendicauit. Is rerum ſtatus ita perſtringitur in Hiſtoria [a] iuſſu Childebrandi ſcripta. *Poſt obitum eius*, nempe Pippini, *Plichtrudis matrona præfata ſuo conſilio atque regimine cuncta agebat.* Anonymus, qui Geſta Regum Francorum in literas retulit, de Plectrudis auctoritate modeſtiùs loquitur [b] hoc modo. *Plectrudis cum nepotibus ſuis, vel Rege, cuncta gubernabat ſub diſcreto regimine.* Auctor Chronici Moſſiacenſis Theobaldum ſolum è Plectrudis nepotibus participem regiminis facit. *Plectruda*, inquit, *relicta Pipini, cum nepote ſuo Theodaldo vel Dagoberto Rege, cuncta gubernabat ſub diſtricto regimine.* Facilè nobis perſuademus conſilia Plectrudis eò directa fuiſſe, vt quod eius filij Drogo & Grimoaldus immaturâ morte præuenti non egerant, exequerentur nepotes, totámque Franciam eâdem, quâ nuperrimè Pippinus auus, auctoritate gubernarent. Verendum erat, ne Carolus id ægrè ferret, réſque nouas moliretur, hunc ea de cauſa Plectrudis ſub cuſtodia tenuit. Errant Neoterici, qui Carolum à patre Pippino hæredem Principatûs inſtitutum volunt. Quid ſecutum ſit, dicemus anno ſequenti. Carolus, vt ex noſtra Chronologia patet, cùm patrem amiſit, annum agebat ætatis viceſimum-quartum, eique Rotrudis vxor Pippinum alterum filium nuperrimè pepererat, quem Willebrordus Vltraiectinus Epiſcopus baptizauit, & anterioribus Francorum Ducibus maiorem fore prædixit, vt Alcuinus in ipſius Willebrordi vita teſtatur. Eiuſdem Pippini ortum, nomen, ac futuram poteſtatem diuinâ reuelatione cognouit Erminus Lobienſis Abbas, quem multis prædictionibus celebrem iam diximus. *Lobium*, inquit Fiſenus [c], *à Carolo quidam venerat, agebátque cum Ermino, quando hic derepentè, natus eſt, inquit, Carolo filius. Ille verò. Quod ei nomen? Pipinus, reſpondet Erminus. Eóque digreſſo ſubdit familiaribus. Puer hic Francorum Monarchiam potentiùs tenebit, quàm tenuerit vllus maiorum.* Qua de re nobis agendum erit Tomo ſequenti.

PLECTRVDIS VIDVA.

CAROLVM SVB CVSTODIA DETINET.

PRÆDICTIONES DE PIPPINO CAROLI FILIO.

VI. ALPAIDIS POENITENTIA.

Cùm Pippinus Herſtallius obiit, ſupererat in viuis Alpais, quæ iampridem Orpij ſeſe in Cœnobium abdiderat, vbi Monaſticen magnâ integritate coluit, vitámque religioſè clauſit relicto poſteris egregiæ pœnitentiæ documento. Lege Diuæum [d] de rebus Brabanticis & Fiſenum [e] de Alpaide pœnitente.

VII. ERINFRIDVS ET ERCHEMFRIDVS MVNIFICI ERGÀ MON. FONTANELLENSE.

Hoc eodem anno, Dagoberti Regis quarto, vt Chronographus Fontanellenſis computat, de Cœnobio Fontanellenſi benè meriti ſunt Erinfridus & Erchemfridus; largiti ſunt enim, ille partem de Tertiaco & Arbrando-villari, hic Monticellum. *Anno quarto*, inquit Chronologus [f], *partem de Tertiaco & Arbrando-villari, Erinfridus. Item Monticellum in centena Nantſanninſe, Erchemfridus.*

VIII. CLOTSENDIS ABBATISSA MARTIANENSIS OBIT.

Ioannes Buzelinus libro primo [g] Gallo-Flandriæ tres refert opiniones circa numerum annorum, qui fluxerunt ab obitu Clotſendis Abbatiſſæ Martianenſis ad annum vſque Chriſti milleſimum viceſimum-quartum, quo, Monialibus exturbatis Monaſterio, res omnis rurſus ad Monachos reuocata eſt. Illam temporis intercapedinem alij trecentis & decem annis, alij trecentis & viginti-duobus circumſcribunt, Auctor Chronici Martianenſis

[a] Cap. 104.
[b] Cap. 51.
[c] d. 25. April.
[d] Lib. 3.
[e] 17. Sept.
[f] Cap. 7.
[g] Cap. 41.

AN. CH. 714. DAGOB. III. R. 3.

trecentis & viginti-quatuor. Si prima probatur ſententia, Clotſendis ad hunc vſque annum vixit; ſi ſecunda, mortua eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo; ſi tertia, deceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo. Poſtrema opinio non poteſt admitti, quia Mauroncus vitam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum produxit, eique ſuperſtes vixit ſoror Clotſendis, vt ad illum annum obſeruauimus. Secunda non caret probabilitate, nam licèt Clotſendis Mauronto fratri ſuperuixerit, vtriuſque obitus eodem anno abſque vllo veritatis diſpendio poteſt conſignari, quia Mauroncus deceſſit tertio Nonas Maij, Clotſendis vitam clauſit pridie Kalendas Iulij, quo die celebris eſt eius memoria. Prima tamen opinio magis placet, exiſtimamus enim Clotſendem vltra duos menſes Mauronto fratri ſuperfuiſſe. Vixit Clotſendis annis ſeptuaginta-nouem, Martianas rexit annis ſex ac viginti. Abbatiſſarum, quæ ſucceſſerunt, interierunt omnia nomina, ſi Iuditham excipias, quæ poſt excurſiones Nortmannorum floruit, vt ſuo loco dicturi ſumus.

IX. ERLEFRIDVS ABB. SITIVENSIS OBIT.

Obiit & hoc anno Erlefridus Abbas Sithiuenſis, præfecturam enim Monaſterij, quam paucis ante Sancti Bertini mortem menſibus ſuſcepit, annis duodecim geſſit. Numerum illum annorum habet Iperius, quem Molanus & Locrius ſequuntur, Bertinum enim anno Chriſti duodeſeptingenteſimo, Erlefridum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo, ſublatos ex hac vita volunt. Malbrancus eâdem Iperij auctoritate fretus Erlefridum quoque mortuum tradit *anno regiminis* 12, ſed annum illum duodecimum Abbatialis præfecturæ cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto componit, nec ſibi ſatis conſtat, anno enim Chriſti duodeſeptingenteſimo Bertinum ab Erlefrido iam Abbate tumulatum ſcribit. In Chronologia Tomo primo de Morinis præfixa ſic habet ad annum Chriſti duodeſeptingenteſimum. *Moritur S. Bertinus Non. Sept. anno 698, iuxta Folquini & Yperij Chronol. Sepelitur à Rauangerio Taruannenſi Epiſc. Chron. Morin. & ab Erlefrido Abbate. Monum. Bertin.* Et ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum. *Erlefridus Abbas Sitiuenſis moritur anno regiminis 12. Yperius. Succedit Erkembodus ſeu Erkembodo, Folquin. Sub Gregorio II. Yperius.* Sancti Bertini mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum reiecimus. Annus abhinc duodecimus, quo mors Erlefridi contigit, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto comparatur. Hic in priori Editione Hermanni Contracti & in Chronico Sigeberti, primus annus Gregorij Secundi Papæ dicitur. Iuit fortè in Hermanni & Sigeberti ſententiam, qui multò ſeriùs poſt eos ſeculo decimo-quarto ſcripſit Iperius, nec hæc illius verba, *ſub Gregorio II*, annum innuunt alium à ſeptingenteſimo decimo-quarto, quo mortem Erlefridi Sitiuenſis Abbatis & ſubrogationem Erkenbodonis conſignet. Erlefridum Abbatem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto mortuum non inficiamur, ſed obitus Conſtantini Papæ, cui Gregorius Secundus in Pontificatum ſucceſſit, in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum differri debet, vt ad illum annum probaturi ſumus.

X. SVCCEDIT ERKENBODO. [a] d. 12. Apr.

Hoc igitur anno poſt Erlefridi mortem factus eſt Sitiuenſis Abbas Erkenbodus ſiue Erkenbodo, de quo Ioannes Molanus ex Chronicis Iperij Abbatis Bertinenſis & ex reſponſo ad ſuas literas in Natalibus Sanctorum Belgij ſic loquitur [a]. *In Monaſticis & Regularibus diſciplinis à primæua ætate ſub Sanctiſſimo Bertino militauit vſque ad congruentem ætatem, Abbatia deinde in Sithiu vir in omni bonitate conſpicuus regimen quartus inchoauit anno ſeptingenteſimo decimo, cui etiam Chartas ſeu Priuilegia quatuor acquiſiuit. Poſt ſexennium verò in Epiſcopum Teruanenſem eſt ſublimatus. In quo & ſimul in Abbatia per annos viginti & ſex reſedit.*

XI. [b] Lib. 4 cap. 55. [c] Num. 18. PATRIA HIBERNVS.

Malbrancus ipſum Erkenbodonem [b] ait *eundem eſſe, qui Luglio & Lugiano ex Hibernia comes additus eſt*, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum [c] iam obſeruauimus. Eodem anno Bertinus Abbas curam

Digitized by Google

Monaſteriorum Sithiuenſis & Woromholtani ſponte abdicauit, ſubrogato in præfecturam Sithiuenſem Rigoberto, in Woromholtanam Winnoco, integróque ſexennio ſuperſtes ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum vixit in maxima ſemper apud familiam Sithiuenſem exiſtimatione ac veneratione, ſiue Abbatis officio fungeretur Rigobertus, ſiue id muneris penes Erlefridum eſſet, qui factus eſt Abbas eodem Bertino ex hac vita nondum ſublato. Quapropter Erkenbodo, licèt, Bertino priuatam vitam poſt ſpontaneam Abbatialis officij dimiſſionem iam agente, Monachum Sithiuenſem induerit, & Monaſticen, donec Abbas ipſe fieret, ſub duobus duntaxat Abbatibus prædicti Bertini ſucceſſoribus coluerit, eiuſdem Bertini diſcipulus dici poteſt, non quidem *à primæua*, vt vult Molanus, *ætate*, primæuam enim ætatem in natali ſolo, id eſt, in Hibernia geſſit, vt obſeruatum ſuprà. AN. CH. 714. DAGOB. III. R. 3.

Per quatuor Chartas, quas Erkenbodus Monaſterio Sitiuenſi dicitur acquiſiuiſſe, tria intellige Præcepta Regia, vnum Chilperici Tertij, duo Theodorici Quarti, necnon Chartam venditionis à Rigoberto Viro Illuſtri confectam. Chartas illas inſpexit Iacobus Malbrancus Audomarienſis. Singularum meminit libro quarto de Morinis; primæ, capite quinquageſimo-quinto; trium aliarum, capite duodeſexageſimo. XII.

Chilpericus Tertius Præceptum, quo donationes Cœnobio Sitiuenſi priùs factas confirmat, anno Regni ſui tertio datum teſtatur hac clauſulâ. *Actum anno Regni noſtri tertio.* Erkenbodum Abbatem Sithiuenſem vocat. *Igitur*, inquit, *Venerabilis Vir Erkenbodus Abbas de Monaſterio Sithiu*, &c. Annus ille tertius Chilperici Regis cum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeuiceſimo coincidit. Ergo Erkenbodus illo anno nondum erat Epiſcopus, egéntque correctione Molanus & Locrius, qui Taruannenſes Infulas ei deferunt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, poſtquàm Monaſterio Sitiuenſi ſex annos iam præfuiſſet. XIII.

Theodoricus Quartus donationes Cœnobio Sitiuenſi factas duobus quoque Præceptis confirmauit anno Regni ſui primo, qui partim anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, partim anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo illigatur, quoniam Chilpericus Tertius eius deceſſor exeunte anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto regnare cœpit, Regnúmque tenuit annis quinque cum dimidio, itaut anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo per menſem Martium ſuperſtes in viuis fuiſſe videatur. Idcircò Præceptum Theodorici, quod die decimo Nouembris, anno Regni primo emiſſum reperitur, adſcribemus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo; alterum, quod die tertio Martij, anno quoque primo Regni datum eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo illigabimus. Erkenbodus autem Epiſcopus in neutro nuncupatur. In priore hæc leguntur. *Venerabilem virum Erkenbodum Abbatem de Monaſterio Sithiu*, &c. *Data quod fecit Nouemb. dies decem, anno* I *Regni noſtri.* In poſteriore, iſta. *Venerabilis vir Erkenbodus ad noſtram acceſſit præſentiam*, &c. *Data quando facit Martius dies* III. *anno primo Regni noſtri.* Anno igitur Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, die tertio menſis Martij, Taruannenſem Epiſcopatum nondum adeptus erat Erkenbodus, & ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo vt Molanus & Locrius volunt, ſiue quadriennio ſeriùs, vt contendimus, Abbas Sitiuenſis eſſe cœpit, Aſceterio Sitiuenſi, priuſquàm Taruannenſis Epiſcopus fieret, vltra ſexennium, quod à Molano determinatè annotatum eſt, certè præfuit. XIV.

Rigobertus Erkenbodo iam Epiſcopo multa prædia vendidit. Charta venditionis data eſt quarto Kalendas Septembris, anno tertio Theodorici Quarti Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio. *Actum Sithiu Monaſterio publicè* IV *Cal. Sept. anno* 3. *Regni Domini noſtri Theodorici glorioſi Regis.* In ea Charta Rigobertus Erkenbodum Epiſcopum ſic appellat. XV.

AN. CH. 714. DAGOB. III. R. 3. *Domino atque Apoſtolico Patri Erchenbodo Epiſcopo atque emptori & eius Congregationi ibidem conſiſtenti, ego Rigobertus vendidi*, &c. Obiit igitur Rauengarius Taruannenſis Epiſcopus exeunte anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, & Erkenbodus, qui Taruannenſem Epiſcopatum poſt eundem Rauengarium geſſit, Abbas Sitiuenſis per annos octo fuit, antequàm in Epiſcopum aſſumeretur, corrigendúſque Molanus, qui Sitiuenſem illam Erkenbodi præfecturam ante ſuſceptum Epiſcopatum intra ſexennium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum contraxit.

XVI. Eſt & alius error in præcitato eiuſdem Molani textu, vbi de Erkenbodo conſtanter aſſeritur, quòd in Epiſcopatu Taruannenſi & *ſimul* in Abbatia Sitiuenſi *per annos viginti & ſex reſedit.* Erkenbodus Abbas Sitiuenſis, cùm ad Taruannenſem Epiſcopatum promotus eſt, Abbatiale munus curámque Sitiuenſis Monaſterij non dimiſit, vtroque ſimul officio, Epiſcopi videlicet & Abbatis, defunctus eſt. Id ex Rigoberti charta ſuperiùs allegata ſatis patet. Qui verò per literas à Molano conſulti reſcripſerunt Erkenbodum Epiſcopum fuiſſe *per annos viginti & ſex*, id eſt, vt illi computationem inierunt, ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſecundum, nihil aliud videntur intendiſſe, quàm vt Erkenbodi vitam ad Regnum vſque Childerici Tertij protenderent, quia Childericus à Waymaro Abbate Sitiuenſi rogatus dona quæ Theodoricus eius pater Monaſterio Sitiuenſi de fiſco contulerat, Regio Præcepto confirmauit die viceſimo-tertio Aprilis, anno Regni primo. Meminit huius Diplomatis Malbrancus libro quarto [a] de Morinis. *Venerabilis vir Waymarus Abbas de Monaſterio Sithiu Clementiæ noſtræ detulit*, &c. *Data quando facit Aprilis dies* XXIII. *anno primo Regni noſtri.* Childericum tamen anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſecundo, die viceſimâ-tertiâ Aprilis iam regnaſſe nemo facilè probauerit. Certè die viceſimâ-primâ illius menſis nondum regnabat. Karlomannus enim nullâ Regis mentione factâ ſic in Concilio Liptinenſi præfatur. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini* DCCXLII, XI *videlicet Kalendas Maij, cum conſilio ſeruorum Dei, & Optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregaui*, &c. Henſchenius Childericum *circa annum* DCCXLIII Regio donatum titulo ſcribit in Exegeſi [b] de Genealogia Regum Dagobertinorum. Et in præfatione Synodi Sueſſionicæ Pippinus annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-quartum per menſem Martium cum anno ſecundo Childerici Regis ita coniungit. *In Dei nomine & Trinitatis. Anno* DCCXLIV *ab Incarnatione Chriſti, ſub die* VI *Nonas Martij & Luna* XIV. *in anno ſecundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux & Princeps Francorum*, &c. Ex prædictis hæc duo non obſcurè colligi poſſunt. Childericus anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſecundo vertente cœpit regnare, proximóque menſe Aprili, anno Regni primo adhuc currente, cùm annus poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus quadrageſimus-tertius iam numerabatur, Theodorici patris donationem Monaſterio Sitiuenſi confirmauit poſtulante Waymaro Abbate, qui Sancto Erkenbodo in Cœnobij Sitiuenſis adminiſtrationem ſucceſſerat. In dubium haud vocamus, quin Waymarus Sitiuenſis Abbas Childericum Regem anno Regni primo nondum expleto adierit, & ab eo Præceptum Regium impetrarit, de quo ſuprà. Donationes Anteceſſorum ſuorum plerique Reges ſub initium ſui Regni confirmarunt. Exemplum occurrit haud longè repetendum. Erkenbodus Sitiuenſis Abbas Waymari deceſſor huiuſcemodi confirmationem, vt ſuperiùs obſeruauimus, à Theodorico Quarto Rege, Childerici Tertij, de quo loquimur, patre petiit obtinuítque. Sed non æquè de anno Waymari Abbatis ac de anno Childerici Regis conſtat, in Præcepto enim Regio, quod anno primo

[a] Cap. 63.

[b] Cap. 4. n. 18.

AN. CH. 714. DAGOB. III. R. 3.

Childerici Regis datum eſt, annus Waymari Sitiuenſis Abbatis haud annotatur. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, quo Erkenbodus Abbas Sitiuenſis Epiſcopatum Taruannenſem ſuſcepit, ad Regnum vſque Childerici Tertij, viginti duntaxat effluxerunt anni. Quapropter annos ſex ac viginti, quos Molanus Erkenbodo vtrumque ſimul munus, Epiſcopi videlicet & Abbatis, exercenti tribuit, numerandos exiſtimamus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, quo Erkenbodus factus eſt Abbas, itaut per annos octo Sitiuenſis Abbas tantùm, per alios duodeuiginti ſimul & Abbas Sitiuenſis fuerit & Epiſcopus Taruannenſis, nec annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum exceſſerit. E Præceptis Regiis, in quibus Erkenbodi ſiue Abbatis tantùm ſiue Abbatis ſimul & Epiſcopi mentio fit, huic computo nullum refragatur. Eiuſdem Erkenbodi mortem adhuc ſexennio anteuertit Aubertus Miræus, illam enim *anno* 734 contigiſſe ſcripſit [a] in notationibus quas anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodetriceſimo publicauit. Ita tunc cenſuit, quia rebatur annum Theodorici Regis vltimum cum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto coincidiſſe, & Childericum, qui primo ſuæ dominationis anno Waymarum Abbatem Sitiuenſem, Erkenbodi ſucceſſorem, benigniſſimè ſuſcepit, prædicto Theodorico patri proximè ſucceſſiſſe abſque interregno. Nondum prodierant in lucem antiqua Concilia Galliæ cum notis Iacobi Sirmondi, qui primus illud interregnum ex Codicibus Tiliano ac Remenſi & ex Tabulario San-Dionyſiano deprehendit, euulgauitque in notatiuncula quâ Gregorij Secundi Papæ epiſtolam Carolo Maiori-domûs inſcriptam illuſtrauit. Excuſum eſt egregium illud opus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vndetriceſimo. Miræus edidit anno poſtero notitiam Eccleſiarum Belgij, nec illud interregnum, quod aliàs ignorarat & è lucubratione Sirmondi nuperrimè didicerat, omiſit in notatione ad caput decimum-quartum, quo donationes Eccleſiæ Vltraiectinæ à Carolo Maiore domûs Regiæ factas deſcripſit. Hæc adeò diligenter inueſtigamus, vt cauſam, propter quam Miræus integro nos ſexennio in obitu Erkenbodi præuertit, ſcias ex ignoratione prædicti interregni totam promanaſſe.

[a] Tom. I. Diplom. cap 6.

XVII. ABBATVM SITIVENSIVM CATALOGVS.

Denique in Molani textu, quem examinamus, Erkenbodoni quartus inter Sitiuenſes Abbates locus perperam aſſignatur, quinque enim primi Sitiuenſes Abbates hoc ordine ſunt recenſendi, Sanctus Mummolinus, Sanctus Bertinus, Rigobertus, Erlefridus, Sanctus Erkenbodo. Nullam ſanè difficultatem patitur hæc Abbatum ſeries, quam ſuis locis probauimus. A Ferreolo Locrio [b] quartus inter Abbates Sithiuenſes Erkenbodo ſic numeratur, *Sanctus Bertinus, S. Mommolenus, Erlefridus, S. Erkenbodo.* Duplex eſt in iſto Catalogo mendum. Sanctus Mummolinus ſeu Mommolenus Sanctum Bertinum in adminiſtratione Monaſterij Sithiuenſis anteceſſit, priùs enim Sithiuenſis Abbas fuit, quàm Sancto Eligio in Epiſcopatum Nouiomenſem anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo ſuccederet. Deinde omittitur Rigobertus Abbas, quem Sithiuenſi Cœnobio proximè poſt Sanctum Bertinum præfuiſſe multa declarant. Locrio, vt in Abbatum Sithiuenſium Nomenclatura quartum Erkenbodoni locum tribueret, præiuit Molanus ſuprà citatus. Vterque corrigendus.

[b] Ad an. 626.

XVIII. EPISCOPI VIENNENSES.

Agrati Viennenſis Epiſcopi Pontificatus vltra hunc annum produci nequit. *Eoldus* enim, vt Ado in ſuo Chronico teſtatur, *Viennenſis Epiſcopus iam habebatur*, quando *Saxones terram Matuariorum* (lege Chatuariorum) *deuaſtauerunt.* Illa autem Saxonum aduersùs Chatuarios irruptio conſignari debet anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, vt ſuo loco ex Annalibus Petauianis, Tilianis & Fuldenſibus, necnon ex Chronicis San-Dionyſiano & Fontanellenſi probaturi ſumus. Lege quæ de Sancto Agrato ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptimum dicta ſunt, de Eoldo eius ſucceſſore ſermo non ſemel recurret.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 715. DAGOBERTI III. R. 4.

I. ANNO DCCXV. *pugna Francorum & mors Dagoberti Regis.* Hæc breuiter Annaliſta Nazarianus. Alij fuſiùs de pugna Francorum. Anonymus, qui regnante Theodorico Kalenſi Geſta Regum Francorum conſcripſit, totum negotium ſic enarrat [a]. *In illis diebus inſtigante diabolo Franci denuò in Cotia ſylua in Francos inuicem irruunt, ac ſe mutuò duriſſimâ cæde proſternunt. Theudoaldus autem per fugam elapſus, ereptus eſt. Fuítque illo tempore valida perſecutio. Theudoaldo enim fugato, Ragenfredum in Maiorem Domatum elegerunt. Qui commoto cum Rege exercitu Carbonariam ſyluam tranſeuntes vſque Moſam fluuium terras illas vaſtantes ſuccenderunt. Cúmque Radbodo Duce gentili amicitias feriunt. Carolus his diebus cùm captus à Plectrude fœmina ſub cuſtodia teneretur, auxiliante Domino vix euaſit.* Eadem leguntur apud Auctorem [b] Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ. *Franci mutuò in ſeditionem verſi, conſilio inutili, commiſsâ acie in Cocia ſylua, contra Theudoaldum, & Leudes Pipini quondam atque Grimoaldi, iniere certamen. Corruítque ibi immodicus exercitus. Theudoaldus itaque à ſodalibus ſuis per fugam lapſus euaſit. Magna & valida perturbatio & perſecutio extitit apud gentem Francorum. Eo tempore elegerunt in honorem Maiorûdomûs quendam Francum nomine Raganfridum. Commotóque exercitu hoſtili vſque Moſam fluuium properant, cuncta vaſtantes, cum Radbodo Duce fœdus inierunt. His diebus Carolus Dux à præfata fœmina Plichtrude ſub cuſtodia detentus Dei auxilio liberatus eſt.* In illis textibus nomine Francorum intelligendi ſunt Neuſtraſij. Hi verò cum Auſtraſiis inimicitias iampridem exercebant, quoniam ambobus populis duo Reges imperarant diutiſſimè, vel ſi quandoque Rex unus præfuerat, duo ſaltem ab eo præpoſiti fuerant Maioreſdomûs, vnus Auſtraſiis, alter Neuſtraſiis. Franci ſeu Neuſtraſij ægerrimè tulerant Pippinum virum Auſtraſium pari auctoritate in Neuſtraſia æquè ac in Auſtraſia potitum eſſe. Pars eorum poſt obitum ipſius Pippini tumultuata eſt, & arreptis armis aduerſùs Theudoaldum Maioremdomûs, eiuſdem Pippini nepotem, inſurrexit. Secutum eſt graue bellum. Theudoaldo Plectrudis auia quæ Coloniæ morabatur Auſtraſiíque auxiliati ſunt. Id ita docet Auctor Chronici Moſſacenſis. *Franci denuò in Cottia ſylua contra Theodaldum & Auſtraſios irruunt, ac ſeſe mutuò duriſſimâ cæde proſternunt.* Theudoaldus in fugam verſus paulò pòſt obiit. Eius loco conſtitutus eſt apud Neuſtraſios Maior domûs Regiæ Ragenfridus ſeu Ragenfredus vel Raginfridus aut Raganfridus ſiue Raganfredus. Hic victore ſtipatus exercitu Regíſque præſentiâ munitus, Carbonariam ſyluam, quæ Neuſtriam ab Auſtria diſterminabat, prætergreſſus eſt citiſſimè, peruenítque ad Moſam totâ regione circùm vaſtatâ. Deinde, vt Auſtraſiis à tergo alius hoſtis immineret, Radbodum Regem Friſiorum, quamuis paganum, in ſocietatem fœderis atque amicitiæ vocauit. Valdè periclitabantur res Auſtraſiæ, cùm Carolus è cuſtodia lapſus animos omnium in ſpem magnam erexit. Audi Annaliſtam Metenſem iſta narrantem ſuo more, id eſt, acriori ſtylo in Plectrudem & ſtudio in Carolum propenſiori. *Ipſa Plectrudis dum nepoti ſuo Theodaldo fauere deſiderat, Karolum à legitima paterni Imperij gubernatione prohibebat, ipſáque cum infantulo muliebri conſilio tanti Regni habenas tractare præſumebat. Quod dum crudeliùs quàm oporteret aſtu fœmineo diſponere decreuiſſet, iram Niuſtrium Francorum, in nepotis ſui interitum & Principum qui cum eo erant, celeriter conuertit. Super exercitum enim*

a Cap. 51.

THEVDOALDVS VINCITVR A NEVSTRASIIS.

b Cc. 104. 105.

Digitized by Google

enim Theodaldi in Cotia ſylua repentino impetu inruentes cæde maximâ trucidarunt. Theodaldus verò cum paucis vix euaſit. Qui non multo pòſt tempore vitam innocentem finiuit. Cuius in locum Raginfridum Maiorem domûs ſub Dagoberto Rege conſtituunt. Tunc gens illa omnium beneficiorum inuicti Principis pariter oblita, in Auſtraſiam toto impetu properantes, vſque ad Moſam fluuium totam illam regionem vaſtauerunt. Fœdus quoque cum Radbodo Duce Friſionum contra Karolum pacti ſunt. Sed Dominus qui dat & non improbat, Karolum de inſidiis nouercalibus eruens, palàm eum trepidantibus manifeſtum produxit. Tunc veluti cùm Sol radios præclaros eclipſim ad modicum paſſos cuncto exerit orbi, ſic Pippini Karolus digniſſimus hæres languentibus & penè deſperantibus de ſalute populis robuſtiſſimus defenſor illuxit. Vt autem apertè cunctanti plebi apparuit, tanto fauore tantâque gratulatione ab vniuerſis ſuſceptus eſt, at ſi dominator eorum Pippinus ad eorum conſolationem reuixiſſet. Conſentiunt omnes Carolum ex hac vita migraſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo. Alij diem notant Octobris decimum-quintum, alij viceſimum-ſecundum. In Annalibus Metenſibus [a] dicitur rexiſſe populum Francorum *annis* XXVI. *menſibus* VI. vnde colligere eſt eum elapſum è poteſtate Plectrudis hoc anno, menſe Aprili. Per illud tempus, cùm Plectrudis poſt Pippini coniugis obitum Coloniæ degebat, videtur contigiſſe quod in Hiſtoria Suibertina miraculum de Gothebaldo precibus Willeici, qui Monaſterio Werdenſi tunc præerat, ſanato ſic enarratur. *Ægrotabat quidam primarius Colonienſis, Gothebaldus nomine, acerrimâ ægritudine preſſus, itaut deficiente penitus omnium membrorum officio, iam mortuus eſſe videretur, cui iam funebria iuſta præparata erant, & loculus, in quo defunctus condi deberet. Maria verò coniux eius, precibus & lachrymis interpellans glorioſam Principem Plectrudem, impetrauit vt infirmus à beato Willeico, Presbytero Sancti Swiberti, viſitari deberet. Credidit verò, quòd bonus diſcipulus à bono magiſtro educatus, ſi intraret in domum eius oraturus pro eo, manúmque imponeret illi atque benediceret, ſtatim meliùs haberet. Intrauit ergo S. Willeicus, cum deuota familia felicis Plectrudis, domum ægroti, poſt diuinorum celebrationem, vidénſque eum, mæſtis omnibus, iam morti proximum, ac loculum ante cubiculum, in quo ſepeliendus poni deberet, proſternens ſe in oratione, cùm oraſſet diu cum lachrymis, ſurgens dixit. Domine Ieſu Chriſte, clementiſſime Deus, qui dixiſti diſcipulis tuis [ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt;] oſtende hîc pietatem tuam, & cura infirmum hunc potenti tuâ virtute, vt nomen ſanctum tuum benedictum in ſecula magnificetur ab omnibus. Cúmque hæc dixiſſet, impoſuit manum ſuam ſuper caput, benedixítque eum ter, continuóque ſurrexit, & veterno infirmitatis diſcuſſo, induit ſe ipſe veſtimentis ſuis. Egreſſúſque cubiculum cum S. Willeico iuſſit menſam præparari, cibos apponi & conuiuium inſtrui, quia delectaretur cum S. Willeico manducare & bibere. Cùm verò omnes multùm gauderent de ſoſpitate illius, S. Willeicus cum gratiarum actione deuotè orationibus incubuit, donec potiùs raptus quàm vocatus inter eos reſediſſet. Gothebaldus verò prope S. Willeicum aſſidens veſcebatur, bibebat, lætabatúrque quaſi vnus è conuiuis ac gratias agebat, & multis pòſt vixit annis. Plectrudis verò religioſa domina hæc audiens maximo deinceps S. Willeicum habuit in honore, Deum, qui mirabilia magna ſolus facit, collaudans.* Henſchenius ad diem ſecundum Martij, vbi agit de Sancto Willeico, prædictum miraculum non ducit incredibile, modò probetur poſt Pippini Ducis obitum contigiſſe, quando ſe Coloniam Plectrudis recepit. Corrigendus ſanè Pſeudo-Marcellinus, dum ait id accidiſſe, cùm Pippinus ægrotabat, & Plectrudis procul à mariti conſortio Coloniæ manebat. Plectrudis enim in iiſdem ædibus cum Pippino manebat, quando ille obiit, vt anno ſuperiori dictum eſt.

RAGINFRIDVS FIT MAIORDOMVS.
FOEDVS INIT CVM RADBODO R. FRISIORVM.
CAROLVS E CVSTODIA ELABITVR.
[a] Ad an. 741.
WILLEICVS GOTHEBALDVM MORTI PROXIMVM SANAT COLONIÆ.

II. Impetum Raginfridi Maioris-domûs & Neuſtraſiorum plurimùm retardauit mors immatura Dagoberti Regis, qui vixit annos circiter viginti, filiúmque reliquit in cunis nomine Theodoricum. Mortem Dagoberti Regis, præter Nazarianos ſuprà citatos, hoc anno conſignant Annales Petauiani,

DAGOBERTVS R. OBIT RELICTO IN CVNIS FILIO.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

[a] Cap. 52. [b] Cap. 106. [c] Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

Metenſes ac Fuldenſes cum Chronico Moſſacenſi. Nec ab ea ſententia recedunt Geſta [a] Regum Francorum, Hiſtoria [b] iuſſu Childebrandi ſcripta, Erchanbertus, aliíque Chronologi, qui Dagoberto tribuunt annos quinque, nempe incompletos, nam *regnauit annos* IV, *obiit in* V. vt totidem verbis teſtatur Auctor breuiſſimi Chronici, quod à Clotario Secundo vſque ad obitum Pippini Regis perducitur, editúmque fuit [c] ab Andrea Ducheſnio ex Codice Tiliano. De die maior eſt difficultas, quia non inuenitur notatus ab Auctoribus ſuprà laudatis. Plerique Neotericorum Dagobertum decimo-quarto Kalendas Februarij mortuum ſcribunt, innituntúrque Chronico incerti Auctoris, quod ab anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo vſque ad annum Chriſti milleſimum decimum-quintum Franciſcus Ducheſnius ex Codice Petauiano publicauit. Alij mortuum tradunt quarto Nonas Septembris, quo die memoriam eius apud Satanacum * celebrari volunt. Neutri valido fulciuntur argumento. Qui priorem ſententiam ſequuntur, Dagobertum Tertium confundunt cum Dagoberto Primo, qui XIIII *Kal. Februarias humanis rebus exemptus eſt*, vt Monachus San-Dionyſianus in eius Geſtis [d] aſſerit. Deinde omnes conſtanter affirmant Dagobertum Tertium obiiſſe anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, cuius dies decimus-quartus ante Kalendas Februarias aut in hunc annum incidit ſi principium anni ſumatur à die Natali Domini vel à Kalendis Ianuariis, aut in ſequentem ſi principium anni ducatur à Kalendis Martiis vel à Paſchate. Pippinus ex hac vita diſceſſit decimo-ſeptimo Kalendas Ianuarias, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto. Dagobertus Rex hominem non exuit menſe proximo. Res enim inter vtriuſque obitum longè plures enarrantur, quàm quæ geri potuerint tam breui temporis interuallo. Præterea ſi Dagoberti mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum eo perperam differas prætextu, quòd annum à Natiuitate Domini vel à Kalendis Ianuariis auſpiceris, aduerſabuntur Auctores Annalium Metenſium ac Fuldenſium, qui quamuis annum inchoent à Feſto Natiuitatis Dominicæ, eáque de cauſa Carolum Magnum non anno Chriſti octingenteſimo, vt alij Chronologi qui annum à Kalendis Ianuariis aut à Paſchate ordiuntur, ſed anno Chriſti octingenteſimo primo coronatum Imperatorem tradant, Dagobertum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto mortuum teſtantur. Ergo Dagoberti Tertij Regis obitus decimo-quarto Kalendas Februarij non eſt conſignandus. Qui poſteriorem opinionem amplectuntur, ipſúmque Dagobertum quarto Nonas Septembris è mortalium conſortio raptum affirmant, Dagobertum Regem, illius nominis Tertium, confundunt cum Duce quodam Francorum æquiuoco, qui Martyrio coronatus eſt decimo Kalendas Ianuarias, & à Sathanacenſibus tanquam Patronus quarto Nonas Septembres coli conſueuit. Nihil igitur nos cogit, vt aſſeramus Dagobertum Regem obiiſſe quarto Nonas Septembris. Mortuum credimus menſe circiter Auguſto, cùm Franci ſeu Neuſtraſij iam penetraſſent vſque ad Moſam, fœdúſque cum Radbodo Friſiorum trans Fleuum Rege pepigiſſent. Veteres enim Anonymi poſtquàm iſta commemorarunt, mortem Dagoberti Regis proximè ſubiiciunt. In Geſtis [e] Regum Francorum ſic. *Sequente tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus eſt.* In Hiſtoria [f] iuſſu Childebrandi ſcripta ſic. *Eodem tempore Dagobertus Rex obiit.* Hic Dagobertus ab Auctore ſynchrono in Geſtis [g] Regum Francorum, ab Erchanberto in Breuiario Regum Francorum & Maiorum-domûs, necnon à Monacho Egoliſmenſi in vita Karoli Magni Iunior cognominatur, vt diſtinguatur à Dagoberto abauo quem Seniorem & Magnum plerique appellant.

* Stenay.

[d] Cap. 43.

[e] Cap. 52. [f] Cap. 106. [g] Cap. 53.

III. ACTA S. DAGOBERTI PATRONI SATHANACENSIS EXAMINANTVR.

Sathanaci colitur S. Dagobertus. Hunc Francorum Regem fuiſſe ſcribit Auctor vitæ, quem Alexander Wilthemius Auguſtæ Treuirorum publicauit ac notis illuſtrauit anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-tertio. Totum opus, quod & multis fabulis & anachroniſmis non paucis

ſcatet, ſatis commodè diuidemus in ſex partes. Prima erit de genere Dagoberti, ſecunda de ætate, tertia de dignitate Regia, quarta de rebus in Principatu geſtis, quinta de Martyrio, poſtrema de cultu ac veneratione. Singulas per ordinem expendemus. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

IV. Auctor Dagoberto patrem tribuit *Hildebertum*, auum *Theodericum* qui frater fuit *Lotharij & Hilderici*, proauum *Clodoueum*, proauiam *Balthildam*. Hæc omnia conueniunt Dagoberto Tertio, cui pater fuit Rex Hildebertus ſeu Childebertus Tertius, auus Rex Theodericus ſeu Theodoricus illius quoque nominis Tertius, propatrui Rex Lotharius ſeu Clotarius Tertius & Rex Hildericus ſeu Childericus Secundus, proauus Rex Clodoueus Secundus, proauia Regina Balthilda ſeu Bathildis.

V. Super ætate Dagoberti non ita benè ratiocinatur Auctor. Vult illum natum eſſe, cùm rerum Francicarum ſumma penes Theodoricum eius auum & propatruos Clotarium atque Childericum erat, & poſt aui mortem à patre Childeberto commendatum Bathildi, quæ curam ſui pronepotis magnoperè geſſit. Sic enim lucubrationem ſuam auſpicatur. *Inclytus igitur Rex glorioſus Chriſti Martyr Dagobertus ex robuſtiſſima Francorum gente exſtitit oriundus, tempore quo Francigena ſceptra regebat eximius Regum Theodericus, auus ipſius, filius excelſi Clodouei Regis, necnon & Balthildæ coniugis eius, diebus quoque germanorum ſuorum Lotharij & Hilderici, eximium iubar Eccleſiæ rectórque ſtrenuiſſimus. Pater denique ipſius Hildebertus eſt vocitatus,*

Vir bonus atque potens, generoſâ ſtirpe creatus.

Morte itaque præuentus Regis Theoderici, Pipinus Princeps omniſque exercitus Francorum Hildebertum elegit in Regem. Acceptâ denique Monarchiâ totius Regni, filium ſuum Dagobertum commendauit nutritum iri Reginæ religioſiſſimæ Balthildæ auæ ſuæ, quæ in Cala Monaſterio ancillabatur Domino, induta velamine ſacro. At illa feruens deſiderio ſancto tradidit illum ſacris litteris diuiniſque imbuendum, quibus edoctus diſciplinam Domini mox in ipſis puerilibus apprehendit annis. Hic denique, cùm annos tranſcenderet pueritiæ, & in robur migraret virile, demonſtrauit verbo & opere, quàm aptus digníſque foret Regali dignitate, &c. Præfata beatiſſima ac verè Deo digniſſima Balthildis Regina, ſui nepotis magnoperè gerens curam, eúmque ad meliora proueheré cupiens, frequenter eum ad ſe accerſitum diuinis dogmatizabat eloquiis. Inſtruebat enim eum vt proprium, ſicut erat, filium, quò humilitati, caſtitati, caritati miſericordiæque ſtuderet. Auam pro auia vſurpat Auctor. Fuit autem Bathildis auia Childeberti Regis, proauia Dagoberti quem non nepotem ſuum ſed pronepotem vocare debuit. Textui proximè recitato refragantur multa. Theodoricus auus Dagoberti cum fratribus ſuis Clotario & Childerico numquam regnauit. Clotarius fratrum natu maximus Monarchiam Francorum poſt Clodoueum patrem obtinere cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, Auſtraſiam fratri Childerico ceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo, vitámque clauſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-nono. Ne Clotario fratri Theodoricus in regna Neuſtraſiæ Burgundiæque ſuccederet, prohibuit Childericus Rex Auſtraſiæ, qui deinceps ſolus Francis imperauit interiítque anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio. Tunc Theodoricus à Neuſtraſiis & Burgundionibus Rex eſt ſalutatus; Auſtraſij verò Dagobertum Theodorici fratrem patruelem, Sigiberti Auſtraſiæ quondam Regis filium, ex Hybernia reuocatum in paterno ſolio collocarunt. Hic extinctus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo. Abhinc Theodoricus in vniuerſa Francia ſolus regnauit, vitámque ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum produxit. Hæc ſuis locis accuratè probauimus. Annos ſufficit hîc indicaſſe. Prætereà Childebertus Rex poſt Theodorici patris mortem auiæ ſuæ Bathildi filium ſuum Dagobertum commendare non potuit, Bathildis enim regnante Theodorico filio diſceſſit è viuis, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum [a] obſeruauimus. Denique ortus Dagoberti non ad tem-

[a] Num. 7.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

pora Theodorici aui ſed ad Principatum patris Childeberti referri debet. Idque liquet ex Chronologia ſuperiùs ſtabilita. Nec ab illa ſententia recedit Wilthemius, cùm ad iſta verba, *Hildebertus filium ſuum Dagobertum commendauit nutritum iri Reginæ religioſiſſimæ Balthildæ*, ſic commentatur. *Obiit illa*, nempe Bathildis, *regnante Theoderico filio, íſque ei fuit ſuperſtes, vt proditum in Actis SS. Wandrigiſili & Eligy. Quod ſi verum eſt, tradi in Balthildis auiæ ſuæ diſciplinam Dagobertus non potuit. Nam cùm puer venerit ad Regnum filius Balthildæ Clodouæus III. multò magis neceſſe eſt, vt puer tum fuerit Childebertus, Clodouæi frater, natu (vt res poſtulat, & vt eſt in Actis D. Eugendi) minor. Nondum ergo Childebertus Dagobertum tum genuerat iam habilem diſciplinæ. Credibile eſt, cùm Dagobertus in Calenſi Monaſterio enutritus eſſet, hinc datum errori locum, vt inſtitutus crederetur ab auia Balthilde, quæ Calam inſtaurauit & incoluit.* Teſte igitur Wilthemio, Bathildis obiit regnante Theodorico filio, & Dagobertus natus eſt regnante iam Childeberto patre, prælaudatâque Bathilde iam mortuâ. Si quis tamen eundem accuſabit Wilthemium, quòd & Acta Sancti Eligij, vt Bathildem regnante Theodorico filio mortuam affirmaret, & Acta Sancti Eugendi, vt Childebertum Clodouei fratrem natu minorem aſſereret, perperàm allegarit, cùm in vtriſque nihil tale reperiatur, laudabimus huiuſcemodi criticen, ſed non deerunt argumenta, quibus aliunde comprobemus Bathildem obiiſſe regnante Theodorico filio; duóſque eiuſdem Theodorici filios ſucceſſiuè poſt patrem regnaſſe, quorum maior, nomine Clodoueus, patri Theodorico; minor, nomine Childebertus, fratri Clodoueo ſucceſſit. Attentè legimus vitam Sancti Eligij, cùm ex editione Da-
[a] Spicileg. 5. cheriana [a] quæ genuinum Sancti Audoeni textum repræſentat, tum ex edi-
[b] d. 1. Dec. tione Suriana [b] quæ ſtylum Sancti Audoeni multis in locis contraxit mutauítque. Neutra editio docet mortem Bathildis in Theodorici filij Principatum incidiſſe. Dacheriana ſic habet. *Rex Clodoueus infra paucum tempus, hoc eſt, anticipans triginta dies, in pace obiit, eiúſque demum relicta Regina cum paruulis, paucis annis Regnum obtinens, poſtmodum iure Regio exempta filios in Principatum reliquit.* Suriana ſic. *Clodoueus Rex intra breue tempus in pace obiit, & Regina coniunx cum tribus paruulis ad paucos annos regnans, filiis poſteà reliquit Principatum.* Ex vtraque hoc vnum eruitur, quòd anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quinto, cùm Clodoueus Secundus extinctus eſſet, Bathildis eius relicta, quia filij minorennes erant, Regnum ſuſcepit adminiſtrandum, adminiſtrauítque donec anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto in Kalenſe Monaſterium ſeceſſit. At Bathildem ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum perueniſſe diſcimus ex eius vita & Actis Sanctorum Geneſij & Lantberti Lugdunenſium Antiſtitum Sanctíque Condedi Monachi ſimul collatis, & Theodoricus Rex matri ſuperſtes dicitur in vita Sancti Wandregiſili. Diſceſſit igitur ex hac vita Bathildis regnante Theodorico filio, quamuis id Sanctus Audoenus in vita Sancti Eligij non annotarit. Attentè quoque legimus vitam Sancti Eugendi, quam
[c] d. 1. Ian. Surius & Bollandus publicarunt [c]. Nullum ibi verbum de quolibet Rege Francorum, quia Sanctus Eugendus, qui Iurenſe Monaſterium rexit, extra ditiones Francorum vixit in Burgundia, priuſquàm illa regio, quæ Regibus ex gente Burgundica tunc parebat, ad Franciam acceſſiſſet. Aliunde verò multa ſuppeditantur argumenta, quibus Childebertus Dagoberti pater frater Clodouei Tertij natu minor comprobatur. Auctores coætanei teſtantur Theodorico Tertio filios fuiſſe, Clodoueum & Childebertum, quorum alter, nempe Clodoueus, vtpote qui natu maior eſſet, poſt Theodoricum patrem regnauit, alter, nempe Childebertus, eidem Clodoueo poſt biennium ſine
[d] Cap. 49. prole mortuo ſucceſſit. Audi Anonymum ſynchronum in Geſtis [d] Regum Francorum. *Obiit Theudericus Rex, regnauítque annos* XIX. *Chlodoueus filius eius puer Regalem Sedem ſuſcepit, ex Regina, nomine Chlothilde, progenitus. Nec multò pòſt ipſe Chlodoueus Rex puer mortuus eſt, regnauítque annos* II. *Childeber-*

Digitized by Google

tus autem frater eius, vir inclytus, in Regno ſtatutus eſt. Audi & alterum Anonymum æquè antiquum in Hiſtoria [a] iuſſu Childebrandi ſcripta. *Mortuus eſt Theodoricus Rex*, &c. *Chlodoueum filium eius paruulum elegerunt in Regnum. Non poſt multos verò annos prædictus Rex Chlodoueus ægrotans mortuus eſt*, &c. *Childebertus frater eius in Regnum reſedit.* Eadem quoque ſcribit Erchanbertus in Breuiario Regum Francorum & Maiorum-domus. Rectè igitur Wilthemius aduersùs Auctorem Actorum Dagobertinorum obſeruauit Bathildem obiiſſe regnante Theodorico, & Dagobertum natum eſſe regnante iam Childeberto, quamuis Scriptores ad vtrumque idoneè probandum minùs aptos allegarit.

AN.CH. 715. DAGOB. III R. 4.

a Cap. 101.

VI. Childeberto patri ſucceſſit in Regnum Dagobertus. Id negari non poteſt. Sed Auctor vitæ, cùm agit de inauguratione ipſius Dagoberti, multa immiſcet abſurda & ab vſu illorum temporum aliena, quæ conſultò prætermittimus, ne videamur in rebus futilibus ac friuolis immorari. Childeberto annos regni ſeptemdecim attribuimus. Innixi ſumus Geſtis [b] Regum Francorum, Erchanberto, duobúſque breuiſſimis Chronicis, quæ publicata [c] ſunt ab Andrea Ducheſnio, deſinúntque, vnum in Childerico, alterum in Pippino Childerici ſucceſſore. Prædictus Auctor Regnum Childeberti circumſcribit annis ſexdecim. Ambæ ſententiæ conciliantur facillimè. Childebertus enim, cuius obitus decimo-octauo Kalendas Maij conſignatur in Chronico San-Medardino, regnauit annos ſexdecim completos, ſeptemdecim incompletos. Dagobertus Childeberti filius obiit currente anno Principatûs quinto, reliquítque filium nomine Theodoricum. Hinc duo colliguntur de ætate Dagoberti. Regnum iniit iam puber, annóſque vixit circiter viginti. Quapropter ſi qui Scriptores aſſeruerunt Dagobertum adhuc puerum ad ſceptra veniſſe, cenſendi ſunt *puerum* vſurpaſſe pro adoleſcente, vt optimè Wilthemius annotauit. *Dagobertus*, inquit Auctor vitæ, *benedictionem adeptus eſt Regiæ dignitatis ab Archipræſule ſedis Remenſium nomine Landone* Occurrit hoc loco non parua difficultas, quam Commentator agnouit nec ſoluit, ſic enim dubius hæſit & incertus quid aſſereret de tempore quo Lando ſedit. *Fuit Lando Rhemorum Archiepiſcopus, Sigiberto, Dagoberti Magni filio, æqualis, cui Niuardus & Reolus ac Rigobertus ſucceſſere. Nec alius eſt in elenchis vulgatis Rhemenſium Epiſcoporum Lando. Ex actis tamen D. Rigoberti ſatis apparet, inter Reolum & Rigobertum, interregnum fuiſſe & hiatum, cui inſerendus fortaſsè hic erit Lando.* Hæc coniectura non valet. Nam Rigobertus toto Dagoberti Principatu necnon ſub deceſſore Childeberto ac ſucceſſore Chilperico Pontificatum geſſit, vt docet hoc initium vitæ [d]. *Fuit in diebus Childeberti, Dagoberti, Chilperici, Regum Franciæ, vir Dei Rigobertus, vrbis Remenſium mirificæ ſanctitatis Archiepiſcopus.* Orto bello ciuili pulſus eſt in exilium temporibus Chilperici Regis. Id conſtat ex eadem vita & ex Flodoardo [e]. Ergo Auctor Actorum Dagobertinorum perperam intruſit Landonem Antiſtitem Remenſem, qui Dagobertum Remis in Regem vnxerit.

b Cap. 51.

c Tom. 1. Collect. Hiſt. Franc.

d Ap. Bolland. 4. Ian.

e Lib. 2, c. 12.

VII. Idem Auctor mira prædicat de Dagoberto. *Deprecante Archiepiſcopo pergebat versùs ciuitatem Remorum. Quò dum iter carperet, obuiauerunt ei pagenſes territorij illius, precantes ſuppliciter, vt manu propriâ, dignaretur iactare ſemina. Illorum quippe deprecationibus annuens Rex clementiſſimus accepit ſementem tritici in manibus, & ſparſit illud per circùm manentium reditus, quod ſemen ita rigauit Dominus Regis Dagoberti precibus, vt inſolito more matureſceret citiùs, quàm aliud triticum, quod ſeminatum eſt in illis regionibus. Illo denique anno tantam frugum abundantiam tribuit omnipotens Dominus illis hominibus, vt nullus ambigeret, quòd pro meritis Dagoberti hanc incolis terræ illius conceſſiſſet. Poſt hæc Pariſius ouans repedauit. In ea ſiquidem vrbe Reges Francorum maximè ſceptra tractare conſueuerunt. Deinde oratum ad Sanctum perrexit Dionyſium, vbi, ceu Regem decebat, honorificè eſt ſuſceptus. Cúmque ventum eſſet ad celebrationem Miſſæ in*

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

feſtiuitate Aſſumptionis perpetuæ Virginis Mariæ, dæmoniacus quidam, qui multo iam tempore ſenſu perdito in beati Dionyſij morabatur Monaſterio, patrocinante eodem Martyre egregio eiúſque complicibus, ſenſum amiſſum adſtante Rege Dagoberto recepit inſanus. Credimus veriſſimè hoc actum diuinitus, vt cor Principis Dagoberti excitaretur in amore vel timore Chriſti. Conſilio itaque inito cum Principe Pipino aliíſque ſuis Conſiliariis, dedit quandam villam in pago Cameracenſi, nuncupatam Bragnam, prædicto ſancto, quam hodiéque retinent in illius perſiſtentes obſequio. Hæc narratio, quamuis nihil exhibeat, quod fieri non potuerit, fidei tamen eſt valdè ſuſpectæ. Videtur Auctor ea, quæ ſuis temporibus fieri nouerat, ad ætatem Dagoberti tranſtuliſſe. Plerique enim Reges Francorum è ſtirpe Capetina Remos initio Regni perrexerunt, vt ab illius ciuitatis Archiepiſcopo inungerentur coronarentúrque ſolemni pompâ; deinde Pariſios adierunt quæ ſedes erat Regia; tum orationis causâ profecti ſunt ad Cœnobium San-Dionyſianum; ſed nihil huiuſcemodi reperimus à Merouingis Regibus factitatum. Eſt in Diœceſi Cameracenſi haud procul ab oppido Roeuxio viculus *Braquenie*, vel *Bracqnie*, vel *Bracgny*, parœciæ Strepenſis. Eſt & Brania * Comitis in hodierno Comitatu Hannoniæ, Hallas inter & Sonegias, in eadem Diœceſi Cameracenſi. Sed an alter horum vicorum, aut quis alius eiuſdem nominis in prædicta Diœceſi Cameracenſi, ſit prælaudata villa Bragna Cameracenſis pagi, manet incompertum.

* *Braine le Comte.*

VIII. Pergit Auctor Actorum Dagobertinorum. *Longum eſt enarrare, quàm prouidus idem Rex Dagobertus in conſilio fuerit, patientiæ deditus, literis eruditus, timens Deum, Eccleſiarum & Sacerdotum magnus ditator, pauperibus eleemoſynam tribuens, benignum ſe omnibus & pietate plenum oſtendens, quámque ſtudioſus in componenda pace Eccleſiarum, præcipuéque quàm deuotus extiterit in ditandis Sanctorum Cœnobiis, ſed maximè ob faſtidientium Lectorum vitandum tædium, hoc opus ampliùs protendere nolim, præſertim, cùm nullis abolenda temporibus luce clariora earum rerum extent indicia.* Hæc mutuatus eſt ex Geſtis Dagoberti Primi, quorum caput quadrageſimum-tertium ſic inchoatur. *Longum eſt enarrare quàm prouidus idem Rex Dagobertus in conſilio fuerit, cautus iudicio, ſtrenuus militari diſciplinâ, quàm largus eleemoſynis, quámque ſtudioſus in componenda pace Eccleſiarum, præcipuéque quàm deuotus extiterit in ditandis Sanctorum Cœnobiis, præſenti opere declarare, minúſque neceſſarium, & maximè ob faſtidientium Lectorum vitandum tædium, præſertim, cùm nullis abolenda temporibus luce clariora earum rerum extent indicia.*

IX. Sequitur in Actis Dagoberti Synodus Rotomagenſis, quæ deſcribitur hoc modo. *Idem ergo glorioſiſſimus Rex Dagobertus, Kalendis Martij, Synodum cum omnibus Francis in ciuitate Rotomagenſi adunare præcepit, in qua de vtilitate Eccleſiarum, orphanorum ac viduarum, conſiderans tractabat cum Proceribus & Optimatibus ſuis, quid illi foret fiendum? Cúmque in hac Synodo Rex cum Pontificibus, Comitibus ac Palatinis ſuis reſediſſet, adiit illum Abbas Fontanalenſis Monaſterij, Hugo nomine, filius Drogonis, reclamans ſe de Floriaco Monaſterio, quod auus illius Dux Pipinus ædificauit, & ſubiecit illud prædicto Fontanalenſi Cœnobio, & per Præceptum Regis Hildeberti firmauit. Quod Hildericus Maior domûs iniuſtè auferens vſurpauit. Altercantibus inter ſe coram Rege Dagoberto iam dicto Hilderico & præfato Abbate Hugone præcepit Rex Iudicibus circùm ſedentibus, vt dirimerent contentionem, quæ reſonabat in auribus eorum. Cúmque nollent veriſimile iudicare, & hoc Rex perpenderet corde, leuauit oculos ad cælum inuocans Dominum tacitâ prece, vt is qui dixit, [rectè iudica proximo tuo,] iuſtus iudex eſſet in hoc conflictu. Cùm hoc tacitus in corde volueret, repentè ſedilia, in quibus Iudices ſedebant, colliſa, ſeſſores ad terram, Iudice Deo, corruunt. Contra hos, vt reor, Iudices ille venit Spiritus, qui quondam Danielis Prophetæ cor impleuerat in examine duorum Presbyterorum, qui falſo crimine Sanctam & Deo dignam mulierem Suſannam morti iudicabant tradendam. Videns hoc factum glorioſus Rex præfatus, excitatus eſt continuò in Dei laudibus, gaudens & ouans reddidit Abbati Hugoni eiúſ-*

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

que Monachis res, pro quibus eum adierant. Cuncti ergo Magnates & mediocres, diuitéſque & pauperes hoc à Rege patratum eſſe cernentes toto corde laudauerunt Dominum, qui dedit ſapientiam Dagoberto Regi, velut Salomoni quondam Regi Iſraelitica gentis, ad faciendum iudicium. Suppoſititia eſt hæc Synodus. Nam toto tempore, quo Dagobertus Tertius Regnum tenuit, Fontanellenſi Monaſterio præfuit Benignus Abbas, cui ſucceſſit Hugo, cùm Theodoricus Dagoberti filius iam regnaret. Chronologiam illam Fontanellenſium Abbatum confirmatam accipe ex Chronico Fontanellenſi, cuius Auctorem ſupparem iam probauimus [a], cùm de Milone Recluſo verba faceremus. Sancto Baino, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo [b] conſignauimus, ſuffectus eſt Benignus., regnante tunc Hildeberto ſeu Childeberto. *Anno autem ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeptingenteſimo & decimo-ſexto*, vt Chronographus Fontanellenſis proſequitur [c], *iuſſu Ragenfredi Maioris-domus, ſiue potiùs, quod verius eſt, tyranni, de regimine Monaſterij proiicitur, & Wando Monachus filius Baldrici eius in loco ſubrogatur per annos tres.* Et inferiùs. *Benignus denique rurſum regiminis huius Cœnobij ſortitur gradum per annos quatuor, id eſt, vſque ad annum Theodorici Iunioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus vigeſimus-tertius.* Deinde Hugonem Drogonis filium Benigno ſucceſſiſſe ſic teſtatur [d]. *Hugo filius Drogonis vir venerabilis à matre nomine Adaltrude progenitus, nepos Karoli ſagaciſſimi Principis, Archiepiſcopus Rothomagenſis Eccleſiæ, poſt præfatum Benignum regimen huius Cœnobij ſuſcepit ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio, Indictione* VI. *qui erat annus Principatûs Karoli nonus*, &c. *Rexítque iſtud Cœnobium per annos nouem, menſes duos, & dies tredecim, id eſt, vſque ad annum decimum-ſextum Principatûs antefati Caroli.* Prætereà *hic vir venerabilis Hugo, dum adhuc laicus foret, largitus eſt Benigno Abbati Vierlaicum villam, quæ ſita eſt in pago Tellau, ſuper fluuio Eora, quæ ipſi de iure parentum ſuorum legitimè obuenerat. Facta eſt hæc largitio ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo decimo-tertio, Indictione duodecimâ, qui fuerat annus Dagoberti Iunioris Regis* III. *Pipini autem Ducis* XXVI. *vndecimo Kalendarum Iuliarum die, feria* IV. *Inter reliqua autem prædia ab eo contradita, etiam Witſlanam villam largitus eſt Wandoni Abbati, anno primo Clotharij Regis, quem Karolus poſt fugam Hilperici ac Ragenfridi Regem ſibi ſtatuerat.* Primos Abbates Monaſterij Fontanellenſis à Wandrigiſilo vſque ad Hugonem ita colligit Wilthemius. *Ex teſtatiſſimis Actis Diuorum; Wandrigiſili, Ansberti, Wlfranni, Audoeni & Hermelandi, hæc primorum Fontanellæ Abbatum eſt ſeries. Wandrigiſilus ſeu Wando. Lantbertus, Epiſcopus Lugdunenſis. Ansbertus, Epiſcopus Rothomagenſis. Hildebertus. Oſtrulfus. Bainus, Morinorum Epiſcopus. His alicubi inſerendus eſt alter Wando, quem, vt & Oſtrulfum, prætermiſit Claudius Robertus, ſubdit autem Baino Benignum anno* DCCVII. *Benigno Hugonem anno* DCCXXXIII *defunctum.* In Chronico Fontanellenſi, Wando, quem Wilthemius Abbatum Fontanellenſium Catalogo inſerendum ait, regimini Monaſterij bis admouetur. Anno enim Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, regnantè Chilperico Præfecturam Fontanellenſem init exauctorato Benigno Abbate, deinde anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo ipſemet in exilium pellitur, demum priſtinam dignitatem poſt annos viginti-tres recuperat anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſecundo. Exulante Wandone Monaſterium regunt Benignus iterùm, Hugo, Lando, Teutſindus, Wido & Raginfridus. Eidem autem Wandoni ſponte munus dimittenti ſuccedit Auſtrulphus. Lege prælaudatum Chronicon [e]. Lege & Claudium Robertum in Abbatiis [f] Galliarum. Hic immeritò carpitur à Wilthemio, nam nec Oſtrulfum nec Wandonem prætermiſit, vtrumque ſuo loco collocauit; Raginfrido Wandonem, Oſtrulfum Wandoni ſuffecit; Benignum & Wandonem bis nominare noluit, quia Benignum à Raginfrido Maiore domûs contra fas è Monaſterico pulſum ſciebat. Lege etiam Sammarthanos in Gallia Chriſtiana [g]. Hi manuſcriptum Fontanellæ

[a] Ad an. 713. n. 15.
[b] Num. 47.
[c] Cap. 3.
[d] Cap. 8.
[e] Cc. 3. 8. 9. 10. 11. 12. 13.
[f] In Fontanella.
[g] Tom. 4.

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

Chronicon ob oculos habuerunt, & eodem prorſus quo Robertus ordine Catalogum Abbatum Fontanellenſium texuerunt à Wandregiſilo vſque ad Auſtrulphum, excepto quòd numerum Abbatum auxerunt Hermario ſiue Erinhardo, qui tamen ab iis Prior tantùm appellatur, & Præpoſitus Monaſterij fuit ſub Abbate Teutſindo. Apud Robertum Præfecturam Fontanellenſem ineunt, Benignus *an.* 707. Hugo *an.* 723. Laudo ſeu Lando *an.* 731. Ergo Wilthemius malè citat Robertum, vt *Hugonem anno* DCCXXXIII *defunctum* probet. Agemus ſuis locis de annis, quos ſinguli Abbates in adminiſtratione Monaſterij tranſegerunt. Impræſentiarum ſufficit probaſſe, quòd Hugo regnante Dagoberto non fuit Abbas Fontanellenſis. Id enim ſi verum eſt, euaneſcit tota Synodus Rotomagenſis, in quam inquirimus. In Actis Dagobertinis, cur Hugo Dagobertum Regem Synodúmque Rotomagenſem adeat, hæc profertur cauſa. *Hugo reclamat ſe de Floriaco Monaſterio, quod auus illius Dux Pipinus ædificauit, & ſubiecit illud prædicto Fontanellenſi Cœnobio, & per Præceptum Regis Hildeberti firmauit. Quod Hildericus Maiordomûs iniuſtè auferens vſurpauit.* Benè Wilthemius obſeruat quid ſit reclamare ſe ad Regem, vt enim oſtendat idem eſſe ac prouocare ad Regem, allegat vetus Capitulare, in quo Carolus Magnus ita ſtatuit. *Populo dicatur, vt caueat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus Miſſi noſtri aut Comites iuſtitiam facere noluerunt.* At aliundè non parum torquetur, quia nec nouit Floriacum Monaſterium, quod in prædictis Actis nominatur, nec reperit in Annalibus Maiorem domûs, qui vocaretur Hildericus. Anno duodecimo Childeberti Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto, Pippinus in pago Veliocaſſino Floriacum Monaſterium erexit, ibíque Bainum, qui Fontanellenſis Abbas iam erat, Abbatem præfecit, *eâ videlicet conditione, vt ex præfato Monaſterio Fontinella poſt receſſum eiuſdem Baini, ipſi Monachi in ipſo Floriaco Cœnobio conſiſtentes omni tempore rectores & gubernatores* haberent. Hæc conſtant ex literis ipſiuſmet Pippini, quarum fragmentum Chronographus Fontanellenſis [a] deſcripſit, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſextum [b] iam notauimus. Quod attinet ad Hildericum, qui Maiordomûs in Actis Dagobertinis appellatur, huius nulla mentio eſt in Annalibus Francorum, qui Pippini, Grimoaldi, Theodoualdi, & Raginfredi meminerunt. Atque inde alterum argumentum aduersùs Synodum Rotomagenſem haud inualidum eruitur.

[a] Cap. 2.
[b] Num. 1.

X. Synodo illi proximè ſubiicitur bellum Friſicum, cuius narratio tot ſcatet anachroniſmis, vt nullam omnino fidem mereatur. Dagobertus Rex à Willibrordo Epiſcopo per Legatos, vt *Freſianorum fines penetraret*, rogatus dicitur. *Nec mora, deliberauit iter arripere, & venit in pago Lomacenſi, & manſit in villa, quæ vocatur Beuerna, quæ antiquitus data fuerat Sancto Gereoni Martyri Chriſti, qui humatus corpore quieſcit in ciuitate Agrippina, & à perſecutoribus Sanctæ Eccleſiæ penitus fuerat abſtracta. In qua Rex cùm ſe nocte ſopori dediſſet, apparuerunt ei per viſum Sancti Epiſcopi, Cunibertus & Seuerinus, quem ſic ſunt affati. Clementiſſime Regum, ſi vis, vt beneuolus ſit tibi Chriſtus, annuens tuis precibus, reſtitue Principi Apoſtolorum Petro ac Gereoni Sanctiſſimo Martyri, eiúſque ſociis, villam, in qua nunc ſomno grauiſſimo quieſcis. Qui expergefactus à ſomno, promiſit Domino ſe facturum corde ſincero, quod viderat in viſionis nocturnæ ſilentio*, &c. *Poſt hæc fines Freſianorum cum Duce Carolo penetrauit deuectus nauigio, ſicut illum eſt deprecatus venerabilis Pontifex Willibrordus. Perueniens ergo in locum, qui dicitur Doriſtextus, officioſiſſimè à Sancto Willibrordo eſt ſuſceptus. Cúmque ad prandium reſediſſet, audiuit multos, qui erant in carcere clauſi, Regis clementiam inclamantes. Miſertus autem illorum clementiſſimus Rex miſit carcerario baculum ſuum, quem manu geſtabat, mandans illi, vt pro ſigno illum reciperet, ac in ergaſtulo retentos relaxaret. At miniſter carceris procaciter reſpondens dixit ſe hoc minimè facturum. Beatus verò Bonifatius Regis Archicapellanus, qui Legatione Domini ſui ad carcerarium functus eſt, confiſus in Domino percuſſit baculo Regis oſtia*

oſtia carceris, quæ ſtatim corruerunt, & catenæ confractæ ſunt, quibus ligati erant, qui intus tenebantur. Certiſſimum ergo credendum eſt, quia tunc virtus Angelica affuit Bonifatio, eò quòd obediuit Regi Dagoberto, quæ beatum Petrum Apoſtolum de Herodis maligni peruaſoris liberauit ergaſtulo. His ita peractis, perrexit Freſiam cum magno Francor⬤ exercitu. Ibi tamdiu commoratus eſt, quouſque idola cuncta deſtrueret, populúmque ad vitam æternam prædeſtinatum, ad veri Dei conuerteret cultum. Principem itaque illorum Ratbodum in incredulitate perdurantem extra fines Freſianorum expulit in Danemarcham. Willibrordum verò Pontificem in ſede ſui Pontificatûs decenter relocauit. Ipſo denique beato deprecante Willibrordo, commendauit illi Rex prædictum Bonifatium, ceteróſque ſapientes, qui in prædicatione illi eſſent cooperatores, &c. *Diſpoſitis itaque Rex Dagobertus prudenter, pro quibus Freſiam perrexerat, nauim cum ſuis ingreſſus, ad Orientales Imperij ſui Sedes cum ſumma gloria & exultatione Coloniam reuertitur. Tunc illi ad memoriam rediit viſio, quæ poſito in villa Beuerna per Sanctos Seuerinum & Cunibertum oſtenſa eſt illi. Diſcalceatus perrexit ad locum, qui dicitur Ad Sanctos aureos, vbi requieſcit corpore Sanctus Gereon cum ſociis ſuis, ibíque, ſicut ſpoponderat, villam prædictam; Beuernam videlicet, præfato reddidit Gereoni Sancto, retinuit autem villulam quandam ex ea, nuncupatam Adebreciam, deprecante quodam venatore ſuo Thaſſilo, qui eam cupiebat habere in beneficio. Completáque oratione, cùm vellet extra fores Eccleſiæ procedere, diuino nutu pes illius, quem intra Eccleſiam habebat, pauimento adhæſit, ſícque virtute diuinâ meritíſque Sancti Gereonis ſtetit immobilis. Stupefactus itaque ſuper hoc miraculo recognouit non benè ſe egiſſe de voto, quod promiſerat Domino. Cúmque ſtaret ſolo fixus, eleuatis ſurſum oculis, cœpit Dominum inuocare, dicens lachrymis obortis. Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, cuíque obediunt cunctæ creaturæ, qui erigis alliſos & ſoluis compeditos, qui etiam baſes ac plantas claudi ab vtero matris, verbo Apoſtoli tui Petri, conſolidaſti, mei pedis plantam à ſolo huius Eccleſiæ diſiunge, & ego quantocyùs votum ſtudebo adimplere, quod inimico ſuadente viſus ſum ex parte fraudare. Quo dicto, illicò abſolutus, Sancto Gereoni tradidit, quod promiſſum fuerat.* Pagus Lomacenſis, regio eſt Namurco vicina, inter Sabim ferè & Moſam diffuſa. Ibi Beuerna villa, quæ lapſu temporis dicta eſt Bieua, corruptè hodie Biema * cognomento Colonienſis, inter duos vicos, quibus *Gogny* nomen, ad fluuiolum qui apud Ogniacum in Sabim egeritur. Templo parœciæ Biemenſis hæſit aliàs ſacellum Sancti Seuerini Colonienſis Epiſcopi, à Comitibus Namurcenſibus olim dotatum, ſed modò dirutum. Ex pago Lomacenſi quis nauigio per Moſam Wahalímque fluuios in Batauiam commodè deferri poteſt, atque inde modico itinere terreſtri Doreſtatum ad Lycum amnem peruenire. Verùm hîc non eſt quæſtio de ſitu locorum. Bellum Friſicum, quod in præcitato textu narratur, aliunde commentitium arguitur. Dagobertus patri Childeberto ſucceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, & è viuis diſceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto. Regnum ſuſcepit flagrante bello Sueuico ſiue Alemannico, quod ad annum vſque ſeptingenteſimum duodecimum obſtinatè protractum, per Legatos feliciter confecit; altâ pace gauiſus eſt annis Chriſti DCCXIII & DCCXIV; tumultibus domeſticis vexatus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, qui vitæ poſtremus fuit, ſed tantùm abeſt, vt illo anno in Friſiam contra Radbodum contenderit, quin ad Moſam vſque cum exercitu Neuſtraſiorum progreſſus, vt Auſtraſios hinc inde vehementiùs impeteret, fœdus & amicitiam cum eodem Radbodo pepigit. Ciuiles illas diſcordias ita complexus [a] eſt is, qui Geſta Regum Francorum regnante Theodorico Dagoberti filio conſcripſit. *Franci denuò in Cotia Sylua in Francos inruunt, ac ſe mutuò duriſſimâ cæde proſternunt. Theudoaldus autem per fugam elapſus, ereptus eſt. Fuítque illo tempore valida perſecutio. Theudoaldo enim fugato, Ragenfredum in Maiorem domatum elegerunt. Qui commoto cum Rege exercitu, Carbonariam ſyluam tranſeuntes vſque Moſam fluuium terras illas vaſtantes ſuccenderunt. Cúmque Radbodo Duce gen-*

AN. CH. 715. DACOB. III. R. 4.

* *Biême la Colonoiſe.*

[a] Capp. 51. 52.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

tili amicitias feriunt. Carolus his diebus, cùm captus à Plectrude fœmina ſub cuſtodia teneretur, auxiliante Domino vix euaſit. Sequente tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus eſt. Præterea Dagobertus priùs obiit, quàm Carolus contra Radbodum dimicaret, Carolus enim aduerſus Radbodum pugnauit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, vt ex Annalibus Nazarianis, Petauianis ac Metenſibus liquet. Sunt & alia duo in narratione belli Friſici, quæ refragantur Chronologiæ. Vnum antecedit tempora Dagoberti Regis, alterum eadem tempora ſubſequitur. Radbodus à Francis profligatus non fugit in Daniam, ſed pacem redemit citeriore Friſiâ Francis traditâ, Sedemque Regni deinceps poſuit in Foſtelandia Inſula, quæ ſita erat *in confinio Friſonum*[a] *& Danorum.* Id autem nec Dagoberto Rege, nec Carolo Maiore domûs contigit, ſed anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, cùm Regia dignitas penes vnum Theodoricum auum Dagoberti, Maioratus penes Pippinum Caroli patrem erat, Villebrordúſque cum ſociis in Franciam ex Anglia nondum transfretarat. Econtrà Bonifacius, quem Auctor Actorum Dagobertinorum Archicapellanum Dagoberti Regis vocat, ex Anglia in Friſiam primùm tranſiit Chilperico in locum ipſius Dagoberti iam ſubrogato, bellóque inter Carolum Maiorem-domûs & Radbodum Regem Friſiorum priùs exorto. Sic enim in illius vita ſcripſit Sanctus Willibaldus. *Proſpero ventorum flatu peruenit ad Dorſtat, ibíque aliquandiu commoratus, debitum Domino Deo exſoluit die noctúque præconium. Sed quoniam graui ingruente paganorum impetu, hoſtilis exorta diſſenſio inter Carolum Principem glorioſúmque Ducem Francorum & Radbodum Regem Freſorum populos ex vtraque parte perturbabat, maximáque pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum priùs in Freſia ſubiectæ erant imperio, Radbodi incumbente perſecutione ac ſeruorum Dei factâ expulſione vaſtata erat ac deſtructa, idolorum quoque cultura extructis delubrorum fanis lugubriter renouata. Tunc vir Dei proſpectâ peruerſitatis nequitiâ peruenit ad Trecht, ibíque aliquantis expectatis diebus aduenientem Regem Radbodum allocutus eſt.* Parcimus leuioribus argumentis. Hæc ſatis ſupérque docent nullum in Friſia bellum à Dagoberto Rege geſtum fuiſſe. De Sanctis Seuerino & Cuniberto, Colonienſibus Epiſcopis, déque Sancto Gereone Martyre locuti ſumus alibi. Baſilica, in qua Sanctus Gereon, cum multis è ſuis ſociis quieſcit, ab incolis vocatur *Ad Sanctos aureos*, quia, vt Gregorius Turonenſis[b] ſcribit, *admirabili opere ex muſiuo quodammodò deaurata reſplendet.* Adebrecia fortè hodiernus vicus eſt *Arbres* tertio fermè à Beuerna ſeu Biema lapide Orientem versùs.

[a] Sur d. 26. Mart. in vit. S. Ludger.

[b] Lib. 1. de Mirac. cap. 62.

XI. Confecto bello Friſico, *Rex Dagobertus*, vt Auctor Actorum proſequitur, *proficiſcens in Vaporacenſem pagum cum Regali ambitione, cupiebat cum Dei auxilio aliqua capere ferarum genera per illius pagi deſerta,* &c. *Veniens in locum, qui vocatur Scorcias, iuxta quendam fontem, cœpit nimiùm fatigari & anxiari, non valens agere quod deſiderabat. Suis verò militibus præcepit iam inuentum ſubſequi ceruum, quouſque, ſi beſtiarum creator id permitteret, caperent. Rex quoque in præfato loco corpus laſſabundum parumper quieti conceſſit, ac dormiens magnam in ſomnis viſionem perſpexit. Remanſerat cum Rege filiolus eius adoleſcens, ſeruans cum eo equum illius, cui vix anhelabundus ait Rex. O mi filiole, laſſus ſum opiparè. Vidi ſanè ſomnium horribile, etiam mirabile, quod me valdè terret & affligit. Videbam planè quaſi per amœna peragerem prata, ſed lutoſa, & ad quandam veniebam aquam, ſuper quam erat ferreus pons ac nimis lucens, per quem tremebundus tranſiens veni in quoddam ædificium ſatis pulcherrimum, vbi etiam intrans, repperi theſaurum ingentem, & multa vaſa diuerſi generis aurea & argentea, & ineſſabilis ibi erat pulchritudo. His itaque viſis reuerſus ſum per illum ferreum pontem & lucentem. Auditis verò adoleſcens ſermonibus referentis hæc Regis, ait. Et ego, Domine Rex, te in ſopore quieſcente, vidi mirabilem rem, quam non audeo referre, niſi iubeat tua Clementia. Ad hæc Rex dixit adoleſcenti. Nihil abſcondas eorum quæ vidiſti, ſed narra cum fiducia mihi tuo patrino. Cùm obdormiſſes, ait, Domine, vidi ex tuo ore prodire vnum papilionem, qui progrediens venit ad iſtum,*

Digitized by Google

quem cernis ante te, riuulum, quémque tranſire cupiens, hac illácque vagabundus ibat. Cognoſcens autem illum velle tranſire, extraxi gladium à vagina, & poſui ſuper riuuli ripas. Viſo quoque papilio ponte, per illum tranſiuit, ac in proximam intrauit quercum, quam diutiùs intrà extráque perluſtrans, reuerſus per gladium, tranſiuit, in tuúmque, Domine, introiuit os, ſtatímque expergefactus, pie Senior, retuliſti mihi quod videras ſomnium. Credo, Domine, quod in papilione mihi oſtenſo ſpiritum tuum intelligere debeam, cui patefactum eſt, quod vidiſti ſomniando. Multùm enim ſimilia ſunt. Rex autem animaduertens ſuam ſpiritualem viſionem, ac filioli carnalem, intellexit vtráque ſignificari vnam rem. Cúmque idem Rex ſe diceret de ſomnij viſione multùm anxium ac fatigatum, ſuggeſſit ei adoleſcens, vt denuò ſe inclinans modicùm quieſceret, donec ſui venatores remearent. Fecit ſic, & ilicò obdormiuit. Infelix verò eius filiolus, recolens de theſauro, quem dixerat Rex ſe vidiſſe per ſomnium, credidit ſtultus fore verum, & adepturum ſe omnem theſaurum, ſi Dominum ſuum extingueret. Maligno inſtigante, concupiſcentiâ indicibili inflammatus, ac diaboli veneno debriatus, correpto ſpiculo, dormientem (proh nefas!) Dominum interimere non abhorruit. Suo quidem Regi ac Domino vitam hanc nimis falſam & laborioſam (heu lugendus!) abſtulit, & ad æthera ſanctam eius animam citiùs migrare fecit, ſibi verò ipſi tartarea tormenta in puncto horæ præparauit. Continuò autem quæritans ſummo ſtudio in quercu & circa quercum theſaurum, quem vidiſſe à Domino ſuo audierat, nihil reperit, ſed arreptus à diabolo, qui primos homines ſpoliauerat omni bono, & ab illo diutiſſimè vexatus & tortus vitam perdidit, ac mortem miſer quam quæſiuit, in ſui detrimentum inuenit, vbi nunc gemens ardet & per omnia ſecula ardebit. Pagus Vaporacenſis, aliis Wabrenſis *, Vaprenſis, Warenſis, Wauerenſis & Wauarienſis, de quo iam locuti ſumus, inter Cruſtam, Luciliburgum, Metas & Iuodium latè excurrit, aptiſſimus eſt venationibus. Altero à Sathanaco lapide conſpicitur nemus Vabrenſe *, in quo degit Eremita, vulgò dictus Eremita Sancti Dagoberti. Hoc loco Sanctus Dagobertus Martyrium feciſſe creditur, ſoléntque etiam nunc Sathanacenſes annuâ ſupplicatione eò vſque procedere. Partem autem huius nemoris accolæ vocant *Scincertè* vel *Scine artel*, quod nomen, vt Floncelius autumat, eſt ipſiſſimum ſyluæ Scorciæ vocabulum, etſi nebulâ quâdam ex æui diuturnitate obfuſcatum. Non inficiamur Sanctum Dagobertum ibi Martyrio coronatum fuiſſe, ſed negamus Sanctum illum Dagobertum, qui Martyrium in pago Wabrenſi conſummauit, & à Sathanacenſibus annuâ veneratione colitur, Regem fuiſſe Francorum, eóque cæſum modo, quo referunt Acta. Viſionem, quam Auctor Dagoberto tribuit, primus excogitauit Paulus Diaconus, oblatámque dixit Guntranno ſeu Guntchramno Burgundionum ſeu Franciæ Burgundicæ quondam Regi. Textus Pauli talis eſt in Geſtis [a] Langobardorum. *Erat Guntrannus ipſe Rex pacificus & omni bonitate conſpicuus. Cuius vnum factum ſatis admirabile libet huic Hiſtoriæ breuiter inſerere, præſertim cùm hoc in Francorum Hiſtoria minimè contineri nouerimus. Is quum venatum quodam tempore in ſyluas iuiſſet, & (vt fieri aſſolet) in diuerſa diuagantibus ſociis, ipſe cum vno tantùm ſibi fideliſſimo remanſiſſet, grauiſſimè ſomno depreſſus, caput ſuper genua eiuſdem fidelis ſui reclinans obdormiuit. De cuius ore paruum animal in modum reptilis egreſſum tenuem riuulum, qui propè decurrebat, vt tranſire poſſit, ſatagere cœpit. Tunc ille in cuius gremio Rex quieſcebat, ſpatam ſuam vaginâ exceptam ſuper eundem riuulum poſuit, per quam illud reptile in vlteriorem partem tranſmeauit. Quod cùm non longè ab eo loco in quoddam foramen montis ingreſſum fuiſſet, & per eandem ſpatam eundem riuulum denuò tranſmeaſſet, rurſùm in os Guntranni introiuit. Guntrannus autem paulò pòſt de ſomno expergefactus, mirificam ſe viſionem vidiſſe narrauit. Retulit enim ſibi apparuiſſe in ſomnis, quòd fluuium quendam per pontem ferreum tranſiſſet, & montem quendam ſubintraſſet, vbi magnum auri pondus aſpexiſſet. Is verò, in cuius gremio dormierat, quæ viderat per ordinem ei retulit. Quid plura? Effoſſus eſt locus ille, & inæſtimabiles theſauri, qui ibidem antiquitus poſiti fuerant, ſunt*

* *le Païs de Vvaiure*, Germanis *der Vvauart.*

* *le bois de Voiure.*

[a] Lib 3. c. 17. antiq. edit. cap. 35. nouæ edit.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

reperti. De quo auro ipſe Rex poſtmodum ciborium ſolidum miræ magnitudinis & magni ponderis fecit. Multis illud pretioſiſſimis gemmis decoratum ad ſepulchrum Domini Hieroſolymam tranſmittere voluit, ſed cùm minimè poſſet, idem ſuper corpus beati Marcelli Martyris, quod in ciuitate Cabilonenſi ſepultum eſt, vbi Sedes Regni ipſius erat, poni fecit, & eſt ibi vſque in præſentem diem, nec eſt vſquam vllum opus ex auro confectum, quod ei valeat comparari. Paulum Diaconum ſic

a Lib. 3. cap. 3. expreſſit Aimoinus in Hiſtoria [a] Francorum. *Hic*, nempe Guntrannus, *quadam die venatum in ſyluam profectus, ſociis, prout res expoſcebat, huc illúcque diſperſis, ipſe cum vno ſuorum fidiſſimo fidelium ſub arbore quieturus reſedit. Poſitóque in familiaris amici gremio capite, oculos cupiens furari labori, obdormiuit. Et ecce ex ore quieſcentis Regis in modum reptilis animal egreſſum, oras propter labentis riuuli percurſare, ac vt in vlteriorem ripam tranſiret ſatagere cœpit. Quod cernens ille, ſuper cuius genua Rex ceruicem inclinauerat ſuam, gladium vaginâ nudatum fluuiolo ſuperpoſuit, & ſic animal illud ad alteram tranſmeauit partem. Atque ſub radice cuiuſdam montis ingreſſum, poſt aliquot rediit horarum ſpatium, & eodem ponte vſum in os Guntranni eſt ingreſſum. Exſurrexit Rex, & familiari narrans ſomnium, mirabilem ſe dixit vidiſſe viſum, inquiens. Conſpexi fluuium permaximum ponte ferreo conſtratum. Per quem tranſuectus, ſpeluncam in cuiuſdam montis radice conſtitutam ſum ingreſſus. Inibi inæſtimabiles theſauros, abſconditámque veterum reperi gazam patrum. Refert alter, quid de eo & ipſe intuitus ſit, conſonáque ſibi apparuerunt ſomnij verba, ac viſio manifeſta. Quid plura? Effoſſus eſt locus, enorméque auri ac argenti inuentum pondus. De quo Guntrannus ciborium miræ magnitudinis ſimul & pulchritudinis compactum, Hieroſolymam mittere deſtinauit ad Ieſu Chriſti Domini ſepulchrum. Sed cùm & itineris difficultas & Sarracenorum, qui eadem infeſtabant loca, timor, ne vota perficeret, obſtitiſſent, in Baſilica, quæ Cabilonenſi adiacet ciuitati, cuius condendæ ipſe auctor extiterat, ſuper ſepulchrum Sancti Marcelli poni iuſſit. Quod quandiu tumulum Sancti Martyris durando venuſtauit, nullum in tota Gallia opus, quod ei æquipararetur, potuit inueniri.* Si Wilthemio fides eſt, Guntchramnus hoc ſomnium verè ſomniauit, Dagobertus nequaquam. Nos verò tale ſomnium nec ad Guntchramnum nec ad Dagobertum pertinere exiſtimamus. De Guntchramno, cuius munificentiam erga Eccleſias ſuis locis expoſuimus, nihil hîc repetemus. Somnium, quod Dagoberto Tertio attribuitur, Wilthemius ſic irridet. *Neque ſomnium*, inquit, *prout hîc deſcribitur, vllo modo ſubſiſtit. Quale enim illud eſt, vt Dagobertum ſolum ſolus percuſſerit, móxque is à malo genio correptus exſpirauerit, & tamen ſomnij tam prodigioſi notitia à mortuis ad viuos peruenerit?* Attingit & aliam rationem, quæ nullum dubitationi locum relinquit, & Auctoribus optimæ notæ nititur. Illam tamen reiicit, vt nimiùm probantem, quippe quæ fabulis non modò ſomnium Dagoberti ſed etiam ipſius Martyrium accenſeat. Videamus vtrùm admittenda ſit, an repudianda. Anonymus, qui regnante Theodorico Dagoberti filio Geſta Regum Francorum conſcripſit, mortem Dagoberti ſic expoſuit. *Dagobertus Rex ægrotans mortuus eſt.* Eadem leguntur in Chronico Moſſacenſi. Ergo Dagobertus morbo conſumptus interiit. Ergo Dagobertum non interemit adoleſcens. Ergo narratio, quæ de Martyrio Dagoberti Regis hodie circumfertur, tota corruit. Aduersùs Auctores præcitatos inſurgit Wilthemius, opponítque Theodericum Monachum Epternacenſem & Albericum Cœnobitam ex Monaſterio trium Fontium in Diœceſi Catalaunica. Quorum ille de morte Dagoberti ſic ſcribit. *Anno verò* DCCXV. *Dagobertus Rex*, V. *anno Regni ſui, in Cortia ſilua occiſus, Sataniaco ſepultus eſt.* Hic autem ſic. *Anno deinde* DCCXIX. *Dagobertus Iunior Francorum Rex, à quodam filiolo ſuo in ſilua martyrizatus, iacet apud Sathanagium.* Annales ſuos collegit Theodericus anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo-ſecundo, Albericus ſeculo decimo-tertio. Neuter illorum Auctorum in publicum hactenus prodiit. Allegatus à quibuſdam Neotericis reperitur Albericus, ſed in pleriſque locis à recto computo &

Digitized by Google

ab Hiſtorica veritate tam prauè diſſidet, vt inter probatos Auctores locum obtinere non poſſit, & ne videamur exemplum è longinquo petere, præſtò eſt textus nuperrimè deſcriptus, qui contra tot coætaneorum ac ſupparium fidem mortem Dagoberti Regis in annum Christi ſeptingenteſimum vndeuiceſimum perperam ſic differt. *Anno deinde* DCCXIX *Dagobertus Iunior Francorum Rex, à quodam filiolo in ſilua martyrizatus, iacet apud Sathanagium.* Iudicet nunc æquus Lector, vtrùm Theodericus & Albericus præponendi ſint ſynchronis Auctoribus, & Rex Dagobertus haberi debeat Martyr in tanto veterum Annaliſtarum ſilentio, qui morbo mortuum teſtantur, aut mortuum ſimpliciter & ſine addito dicunt nullâ necis illatæ factâ mentione. Cùm Theodericus & Albericus calamo manum admouerunt, Sanctus Dagobertus Martyr Sathanaci iam colebatur, credebatúrque Rex olim Francorum fuiſſe. Nobis valdè placet Henſchenius in [a] Diatriba de tribus Dagobertis, vbi Dagobertum, quem Sathanacenſes venerantur, Ducem aliquem Francorum fuiſſe putat non Regem, quia Duces Lotharingiæ Godefridus Barbatus & Godefridus Bullonius in ſuis Diplomatibus nullam Regiæ dignitatis mentionem fecerunt. Diplomata illa extant in eadem Diatriba [b], antiquiora ſunt Actis Dagobertinis, quæ nunc examinamus, data ſunt enim *Bullioni, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſexageſimo-nono, Indictione ſeptimâ; Bullioni, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo-tertio, Indictione primâ; Sathanaci, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo-ſexto, Indictione quartâ.* Fortaſsè Sancto Martyri Dagoberto idem contigit ac Sancto Goerico Epiſcopo Metenſi, qui Rex Aquitaniæ dictus eſt à Neotericis, quia priuſquàm Pontificalem Metis dignitatem adipiſceretur, Regiam in Aquitania dignitatem obtinuit, id eſt, beneficio Regis ſecularem in Aquitania Magiſtratum geſſit, vt expoſuimus ſuo loco. Dagobertus inter Optimates Francorum annumerari debet. Sathanaci morabatur. Dux aut Comes erat ſeu Rector regionis circùm poſitæ. Frequenter venabatur in nemore Wabrenſi. Sociis huc illúcque aliquando diſperſis, nefariè proditoriéque necatus eſt ab vno è famulis, qui ſtatim à dæmone correptus vitam luctuoſiſſimo exitu terminauit. Hæc pauca ex Actis Dagobertinis retine veritati conſentanea. Cetera hactenus deſcripta fabuloſis nugis accenſe.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

[a] Lib. 3 c. 9.

[b] De tribus Dagob. lib. 3. cap. 7.

XII. In iiſdem Actis hæc ſequuntur de Sancti Dagoberti Martyris ſepultura. *Qui ibi erant fideles, tollentes ſanctum corpus & in ſandapila ponentes, tranſtulerunt illud in locum, tunc Sathan, nunc Satanagus, vocatum, & ibi honorificè ſepelierunt in Oratorio Sancti Remigij Epiſcopi reliquiis & nomine conſecrato, vbi diutino tempore manſit humatus in ſaxeo ſarcophago terrâ vbique cooperto.* De nomine Sathanacenſis oppidi diſputat Wilthemius. Obſeruat *acum* veteri Celtarum linguâ villam eſſe, & antiquiſſimarum vrbium vicorúmque nomina in *acum* inclinari, vt Geſſoriacum, Moguntiacum, atque in vicinia Sathanaci Moſacum *, Duodeciacum *, Iuueniacum *, Quintiacum *, Gemmacum *, & Caluenciacum *. Quod autem aiunt Sathanacum dici cœptum eſſe, poſtquàm Sanctus Dagobertus ibi depoſitus fuit, cùm anteà Sathan appellaretur, id pium magis quàm credibile meritò putat. Occiſus eſt S. Dagobertus decimo Kalendas Ianuarij; quo anno, incertum. Ad annum vſque Christi milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum-quintum annuâ ſupplicatione bis coli conſueuit, quarto Nonas Septembres & die Aſcenſionis Christi.

* *Mouſay.* * *Douzy.* * *Iuuigny.* * *Quincy.* * *Iamets.* * *Chauancy.*

XIII. Auctor Actorum in errores ſuprà memoratos lapſus eſt, quia multum remotus erat ab ætate Dagoberti, nec eius geſta præ manibus habere potuit, pauca tantùm retulit in literas, quæ vulgari famâ ferebantur, ſic enim in ſuo ad fratres Sathanacenſes prologo ſcribit. *Magnificos actus nequit penna exarare ſcabroſa ex aſſe, quia nequaquam alicubi ſcripti noſcuntur, & à memoria hominum modò viuentium penitùs receſſerunt. Exigua tantummodò quæ à veraci-*

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

bus audiui teſtibus, conabor literis comprehendere, vt veſtra habeat fraternitas, beato famulans Martyri, parùm quid ad legendum in eius die ſolenni.

XIV. Differunt igitur Sanctus Dagobertus Martyr, quem Sathanacenſes tanquam patronum colunt, & Dagobertus Rex Francorum, huius nominis Tertius, quem hoc anno mortuum eſſe conſtat relicto in cunis Theodorico filio. Extinctus eſt Dagobertus menſe circiter Auguſto, vt dictum eſt ſuprà. Quapropter antequàm agamus de ſucceſſore, præmittemus nonnulla, quæ geſta ſunt aut geſta perhibentur ipſo Dagoberto adhuc ſuperſtite.

XV. Dagobertus hoc anno, Regni ſui quinto, confirmauit donationem Monaſterio Fontanellenſi factam à Childeberto patre, & à ſe auctam inſtigatu Theodaldi ſeu Theobaldi Maiorisdomûs. Illa donatio complectitur quartam partem de Arlauno ſylua, & ab Auctore Chronici Fontanellenſis hiſce limitibus circumſcribitur [a]. *Benigno Abbati largitus eſt Dagobertus Rex iunior quartam partem de Arlauno foreſte, anno quinto Regni ſui, ſuggerente Theobaldo Maiori domûs regiæ, per loca deſignata, id eſt, per Quincionem montem, deinde per petroſam vallem, & exinde per profundam vallem, necnon etiam per Mortuam-vaccam. Aliæ verò terminationis fines ſunt, à termino Iccinſe de valle Tabellis per illum locum, qui vadit ad locum, qui nuncupatur Caput-caballinum, inde ad illam Salſoſam ciſternam quæ dicitur Sarconos, indéque ad Tenebricam valliculam ad dexteram manum per verticem montis vſque ad profundam vallem, quæ dicitur Mortua-vacca. Deinde per Caſalis vſque ad fines Bouaricenſes in dextera per ſummum illius pigatum exſartum vſque ad fines Glaccolinſes. Deinde per illum manſionilem, qui vocatur Pomaritus, infra ipſam foreſtem Arlaunum, & eſt per loca deſignata, hoc eſt, de vno latere Bracus, ſiue vallis quæ dicitur Dirginis, vſque ad eum locum qui dicitur Petrafiċta, & ipſum manſionilem ad pratum faciendum. Deinde ad Petramfictam ſecus primam viam publicam quæ dicitur Ad duos pontes, & ad Bracum qui dicitur Bricilonem. Deinde etiam ſecus illum Bracum qui dicitur Ad Caſtellum Luporum, qui eſt ſuper illum Bracum anteriorem Dirginis. Hæc quidem largitio licèt ab iſto Rege ſit firmior edita, ab anteceſſore tamen ſuo glorioſo Rege Hildeberto maxima pars conceſſa iam fuerat deceſſori iſtius Benigni Abbatis, almæ recordationis Baino Epiſcopo. Edita eſt autem hæc Donatio ſiue Confirmatio à præfato Rege Dagoberto, anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo quinto-decimo, Indictione decimâ-tertiâ, quinto Iduum Iuniarum, die Dominicâ.* Hi Characteres optimi ſunt. Annus enim Chriſti ſeptingenteſimus decimus-quintus præditus fuit literâ Dominicali F, & per menſem Iunium illius anni numerabatur Indictio decima-tertia. Sequuntur alij duo Characteres, qui hunc eundem annum conſtantiſſimè deſignant. *Eodem anno*, inquit prælaudatus Chronographus, *ipſe Dagobertus Rex mortuus eſt. Quo tempore terra Hattuariorum à Saxonibus depopulata eſt.* Mortem Dagoberti Regis hoc anno conſignandam docent multi Scriptores, quòs ſuprà citauimus. Eorum plerique addunt eodem anno terram Hattuariorum ſeu Chattuariorum à Saxonibus vaſtatam fuiſſe. Annales Petauiani ſic. *Anno* DCCXV. *Dagobertus Rex mortuus eſt, & Saxones deuaſtauerunt terram Hattuariorum.* Tiliani ſic. *Anno* DCCXV. *Saxones deuaſtauerunt terram Hatuariorum.* Et Chronicon Sandionyſianum. *Anno* DCCXV. *Quando Saxones vaſtauerunt terram Chatuariorum.* Adſtipulantur & Annales Fuldenſes hoc modo. *Anno* DCCXV. *Dagobertus Rex mortuus eſt, & Saxones deuaſtauerunt terram Bazzoarionum*, & ad marginem, *Baiouuariorum*, ſed lege *Hattuariorum* vel *Chatuariorum* vt alij ſcribunt. Iſtius irruptionis grauiſſimas pœnas paulò pòſt luerunt Saxones, Franci enim ad Viſurgim vſque fluuium progreſſi ſunt, totámque regionem cis illum amnem variis damnis affecerunt. Qua de re ſic Chronographus Fontanellenſis. *Ipſi*, nempe Saxones, *non multò pòſt dignas ſuæ perfidiæ pœnas à Francorum populis perpeſſi ſunt, eorúmque terra vſque Wiſeram * fluuium incendiis, rapinis, interfectionibus attrita eſt.* Ado in ſuo Chronico addit Eoldum Epiſcopum Eccleſiæ Viennenſi præfuiſſe, cùm Saxones in regionem Chatuariorum irruperunt.

[a] Cap. 6.

MONASTERIVM FONTANELLENSE DITATVR A DAGOBERTO R.

* le Vveſer.

Digitized by Google

Saxones, inquit, *terram Matuariorum*, lege Chatuariorum, *deuaſtauerunt. Eoldus Viennenſis Epiſcopus iam habebatur.* Hic ſucceſſerat Agrato, vt anno priori dictum eſt. AN. CH. 715.

DAGOB. III. R. 4.

XVI.

Hoc etiam anno de Fontanellenſi Monaſterio benè meriti ſunt Leutbertus Preſbyter, Aganulfus & Waddo. Audiendus illius Cœnobij Chronographus [a]. *Anno quinto, regnante Dagoberto Iuniore Rege, quidam Presbyter, nomine Leutbertus, vir valdè diues contradidit eidem venerabili Patri*, Benigno Abbati, *prædium, quod vocatur Bodardi villa, ſitum in pago Wimnau, in quo ipſe Leutbertus Eccleſias ædificauit, necnon & locella alia, id eſt, Taunaco, Luneraco, Frolinas, ſeu Greſſus etiam & Duno, & Arecharium villam in pago Velocaſſino. Vnde ſtatim Priuilegium Confirmationis à prædicto Rege editum accipere curauit, quod adhuc in ſcriniis noſtri Cœnobij reconditum retinetur.* Et inferiùs. *Anno quinto*, nempe Dagoberti iuuenculi Regis, *Aganulfus partem in Franſariis viciniis Greſſus; & quidam Waldo in Colnicio* contradiderunt prædicto Fontanellæ Monaſterio. Prætereà, *eodem anno quidam homines nominibus his, Gunthardus, Almedius, Aiga fæmina, largiti ſunt poſſeſſiones has in pago Ebroicino, Agmaro, & Horma, & Maceriolas, & Spanga, & Haretone, cum omnibus adiacentiis ſuis, ſitas ſuper fluuium Ittonem.* Hæc idem Chronographus. Quæ proximè ſequuntur, ad alios annos pertinent.

[a] Cap 7.

A LEVTBERTO PRESBYTERO ET ALIIS.

XVII.

De charta, quam Hugo Drogonis filius *ſub die octauo Kalendas Iulij, anno quinto Regni Domini Dagoberti Regis* ſcripſiſſe fertur, quámque Neoterici tanto ſtudio deſcripſerunt publicarúntque, nullum hîc ſermonem faciemus. Illam enim ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum [b] in obitu Drogonis examinauimus refutauimúſque. Sed omittere non debemus ipſummet Dagobertum Regem erga Monaſterium Sanctorum Apoſtolorum prope Metas, vbi beatus Arnulphus Metenſis quondam Epiſcopus quieſcebat, munificum fuiſſe, vt apud Andream Valladierum [c] in Auguſta Baſilica Sancti Arnulphi teſtatum habetur ex Indiculo chartarum, quas Merouеadæ Francorum Reges eidem Cœnobio contulerunt.

[b] Num. 6.

[c] Lib. 3.

XVIII.

In Chronico Fontanellenſi ſæpè laudato mentio fit ampliſſimæ donationis, quâ Benignus Abbas Monaſterium Fontanellenſe plurimùm ditauit. Hæc largitio facta dicitur *quarto anno, regnante Hildeberto Rege, die decimâ-tertiâ Kalend. Februar.* Mendum in nomen Regis irrepſit, anno enim quarto Childeberti ſiue Hildeberti Regis, quocum annus Chriſti duodeſeptingenteſimus conuenit, Cœnobij Fontanellenſis cura penes Hilbertum Abbatem erat, cui ſucceſſit Bainus, tum Benignus, vt dictum ſuprà. Deleto Hildeberto reponendus Dagobertus eiuſdem Hildeberti filius, cuius annus quartus per menſem Ianuarium in hunc annum incidit. De muneribus autem ac rebus Benigni Abbatis ſic Chronographus Fontanellenſis [d]. *Dimiſit in Eccleſia beati Petri calicem aureum, qui penſauit libras quinque, & patenam eius penſantem libram vnam. De rebus verò Cœnobij nihil minuit, immò augmentare ſtuduit. Denique ex propria hæreditate contradidit huic Cœnobio Semnau & Mauronis ciſternam, poſſeſſiones ſitas in pago Caletinſe. Similiter Biſagum, qui eſt in pago Rothomagenſi. Siuagum etiam & Limitium, quæ ſunt in pago Velocaſino maris, & Waldeberti willare: patrimonia quæ ſunt ſita in pagò Aurelianenſi; Onadonem & Caraciagum, prædia poſita in territorio Andegauo. Condatum etiam patrimonium, quod eſt in pago Oximo. Criſciacum; Salaciagum, Sauiniacum, Captialonnum, & Magalonnum, quæ ſunt in pago Sanctonico. Agannagum, Bonelum, Andiagum, Vodertam, Aguintum, Amboriagum, Riueram, prædia quæ ſunt ſita in pago Engoliſmenſi. Sunt poſſeſſiones viginti-duæ, pagi ſeptem. De quibus tertiam partem largitus eſt, id eſt, de vnaquaque. Edita eſt hæc largitio à prædicto Benigno, quarto anno regnante Dagoberto Rege* (in exemplaribus perperam Hildeberto) *die decimâ-tertia Kalend. Februar.*

A BENIGNO ABBATE.

[d] Cap. 7.

XIX.

DAGOBERTVS R. VINDICATVR A CALVMNIA.

Vixit Dagobertus annos circiter viginti, vitam clauſit in medio victoriarum curſu, cùm bellum ſtrenuè gereret, itaut inertiæ ſuſpicionem à ſe

procul remouerit. Filium in cunis reliquit, nomine Theodoricum, de quo plura inferiùs.

XX. Godefridus Henſchenius in Exegeſi de Genealogia Regum Dagobertinorum, quam Tomo tertio menſis Martij præfixit, Dagoberto Tertio Regi prolem fuiſſe negat, ſuámque opinionem tribus potiſſimùm argumentis probare nititur.

An reliquit filium?

XXI. Primum deſumit ab ætate Dagoberti. Hunc enim obſeruat *Regem iuuenculum* & *iuniorem Regem* appellari in Chronico Fontanellenſi, cuius Auctor octauo ſeculo floruit, necnon *puerum* in Regum Francorum Genealogia, quæ *vſque ad Coronationem Pippini* perducitur. Deinde ſic concludit. *Et verò cum, cuius pater puer admodum regnare cœperat anno* DCXCIII, *anno poſt hunc* XVIII *admodum puerum fuiſſe oportuit, & ætate vixdum pubeſcente mortuum, qui ſolis quinque annis regnans vitâ imperióque exceſſit anno* DCCXV. Vt autem oſtendat Childebertum Dagoberti Tertij patrem, cùm regnare cœpit, puerum admodum fuiſſe, ſublatos ex hac vita contendit anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto Dagobertum Magnum, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono Childericum Secundum, eiuſdem Dagoberti Magni ex Clodoueo filio nepotem. Poſteà citat Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptam, in qua de Clodoueo Tertio & Childeberto Tertio fratribus, Theodorici Tertij, qui poſt Childericum Secundum fratrem ſuprà memoratum regnauit, filiis ac ſucceſſoribus hæc leguntur [a]. *Chlodoueum filium eius*, nempe Theodorici Tertij, *paruulum elegerunt in Regnum. Non poſt multos verò annos prædictus Rex Chlodoueus ægrotans mortuus eſt. Regnauit autem annos* IV. *Childebertus frater eius in Regnum reſedit.*

[a] Cap. 101.

XXII. Vt ætas cùm Childeberti Tertij tum Dagoberti Tertij rectè ſtatuatur, deprehendi primùm debet annus, quo Theodoricus Tertius illorum pater Childerico Tertio fratri ſucceſſit. Henſchenius annum notat à Chriſto nato ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum, nos verò ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium. Diſſidium illud integri ſexennij, vt ſæpè diximus, oboritur ex Fredegarij textu, qui caput duodeſexageſimum ſui Chronici ſic auſpicatur. *Dagobertus cùm iam anno* VII *regnaret, maximam partem Regni patris, (vt ſuprà memini) aſſumpſit, Burgundias ingreditur.* Quæſtio eſt, vtrùm annus ille Dagoberti Magni ſeptimus ab obitu Clotarij patris, an à ſuſcepto, quod idem Clotarius vltrò ceſſit, Auſtraſiæ Regno numerari debeat. Priorem opinionem, quam omnes fermè Scriptores amplexi ſunt, probat Henſchenius; poſteriorem amplexi ſumus cum Hadriano Valeſio. Henſchenius aſſertionis ſuæ præcipuum argumentum è vita Sancti Eligij deſumit, vbi Sanctus Audoenus de ſua & Sancti Eligij ordinatione ſic loquitur. *Conuenientes igitur ſimul in vrbem Rotomagenſem quarto-decimo die menſis tertij, tertio anno Clodouei, iuuenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros pſallentium conſecrati ſumus gratis ab Epiſcopis pariter Epiſcopi, ego Rodomo, ille Nouiomo.* Tota hæc periodus ad vnum eundémque annum, id eſt, ad annum tertium Clodouei Secundi Regis pertinet, duas tamen in partes diuiditur, quarum prior annum diémque deſignat quo Rothomagum Audoenus & Eligius peruenerunt, poſterior diem notat quo conſecrati ſunt Epiſcopi. Rotomagum ingreſſi ſunt *quarto-decimo die menſis tertij.* Conſecrati ſunt autem Epiſcopi *die Dominico ante Litanias.* Henſchenius alijque, qui duas partes in periodo proximè recitata non diſtinguunt, Audoenum & Eligium affirmant Epiſcopos fuiſſe conſecratos *quarto-decimo die menſis tertij*, & vt diem illum cum die Dominico ante Litanias comparare poſſint, prædictam ordinationem in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſextum reiiciunt. At nihil prohibet quominus iuxta genuinum Audoeni ſenſum aſſeramus ipſum Audoenum eiúſque comitem Eligium anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo Rotomagum ingreſſos eſſe *quarto-decimo die menſis tertij* ſeu Maij, deinde *die Dominico ante*

Litanias

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

Litaniæ Epiſcopos ordinatos eſſe. Illo enim anno Paſcha celebratum eſt die decimo-ſexto Aprilis, & dies Dominicus ante Litanias cum die viceſimo-primo Maij coincidit. Hæc interpretatio, quæ certè neceſſaria eſt, vt Audoenano textui ſua ſtet auctoritas, Hadrianum Valeſium fugit, qui nobis in explicatione Fredegarij ſuprà citati præiuerat. Henſchenius cauſâ ſe ſuperiorem ideo putat, quòd Audoeni textum & retineat & concilier cum Fredegario, Valeſius autem Audoenum à Fredegario diſſidere fateatur. In explicando Fredegario Valeſium ſequimur, & Audoeni textum ſic exponimus, vt in eo nihil occurrat, quod in Valeſij ſententia Fredegario repugnet. Quia Valeſius lucubrationem Audoeni ſæpè neglectam habuit, acriore in illum ſtylo multa ſcripſit Henſchenius, ſed iſta noſtræ non officiunt interpretationi, quæ ſaluo textu Audoeni, ſaluóque Fredegarij computo ſubſiſtit. Cùm exegeſis Henſchenij de Genealogia Regum Dagobertinorum publicata eſt, in lucem nondum prodierat tertius Annalium noſtrorum Tomus, vbi de anno déque die, quo Sanctus Audoenus & Sanctus Eligius ordinati ſunt Epiſcopi, prolixè diſputatum eſt, prolatáque multa paſſim argumenta, quibus id anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo factum comprobaretur Opinionem noſtram nonnulli iam amplexi ſunt, plures impoſterum amplexuros ſperamus, vt nihil ampliùs eos retardet, quominùs Dagobertum Magnum ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-octauo mortuum conſtantiſſimè pronuntient.

XXIII. Henſchenius non inficiatur Auctores inueniri Valeſio vetuſtiores, qui Dagobertum Magnum ſex annis cum patre, decem poſt patris obitum regnaſſe ſcripſerint, ſed eos cum Valeſio deceptos ait, Fredegario, quem ſuprà citauimus, malè intellecto. Genuinus Fredegarij [a] textus talis eſt. *Anno* XLV. *Regni ſui Chlotarius moritur, & in ſuburbano Pariſius in Eccleſia Sancti Vincentij ſepelitur. Dagobertus cernens genitorem ſuum fuiſſe defunctum, vniuerſis Leudibus, quos regebat in Auſter, iubet cum exercitu promouere. Miſſos in Burgundiam & Neuſter direxit, vt ſuum deberent regimen elegere. Cúmque Remis veniſſet, ſuggeſtio peraccedens, omnes Pontifices & Leudi de Regno Burgundiæ inibi ſe tradidiſſe noſcuntur. Sed & Neuſtraſiæ Pontificum & Procerum plurima pars Regnum Dagoberti viſi ſunt expetiſſe. Charibertus frater ſuus nitebatur, ſi potuiſſet Regnum adſumere, ſed eius voluntas pro ſimplicitate parum ſortitur effectum. Brunulfus vellens nepotem ſtabilire in Regnum, aduerſùs Dagobertum muſcipulare cœperat. Sed huius rei viciſſitudinem probauit euentus. Cúmque Regnum Chlotarij tam Neptrici quàm Burgundiæ à Dagoberto fuiſſet præoccupatum, captis theſauris & ſuæ ditioni redactis, tandem miſericordia motus, conſilio ſapientum vſus, citra Ligerem & limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Waſconiæ, ſeu & montes Pyrenæos, pagos & ciuitates fratri ſuo Chariberto ad tranſagendum, quod ad inſtar priuato habitu ei viuendum potuiſſet ſufficere, noſcitur conceſſiſſe. Pagum Tholoſanum, Caturcinum, Agennenſem, Petrocoreum, & Santonicum, vel quod ab his verſùs montes Pyrenæos excluditur, hoc tantùm Chariberto regendum conceſſit, quod & per pactionis vinculum ſtrinxit, vt ampliùs Charibertus nullo tempore aduerſùs Dagobertum de Regno patris repetere præſumeret. Charibertus ſedem Tholoſanam elegens, regnat in parte prouinciæ Aquitanicæ. Poſt annum cùm regnare cœpiſſet, totam Waſconiam cum exercitu ſuperans ſuæ ditioni redegit, aliquantulúmque largiorem fecit Regni ſui ſpatium. Dagobertus cùm iam anno* VII *regnaret, maximam partem Regni patris (vt ſuprà memini) aſſumpſit, Burgundias ingreditur.*

[a] Capp. 56. 57. 58.

XXIV. Henſchenius vt illum textum ad ſuas partes pertrahat, ait Fredegarium eodem modo de Chariberto Dagoberti fratre ac de ipſomet Dagoberto locutum eſſe, quia priuſquàm verba faceret de ingreſſu Dagoberti in Burgundias anno ſeptimo Regni, dixerat de Chariberto, quòd *poſt annum tertium cùm regnaſſe cœpiſſet, totam Waſconiam cum exercitu ſuperans ſuæ ditioni redegit, aliquantulúmque largiorem fecit Regni ſui ſpatium.* Atque inde ſic concludit. *Quòd ſi hic locus nec debet nec poteſt intelligi de anno* III *Regni*

Digitized by Google

Chariberto à viuente patre conceſſi (quoniam ibi agitur de Regno, quod Dagobertus, qui mortuo patre occupauerat omnia, conceſſit fratri miſericordiâ motus & conſiliis ſapientum) nihilo magis poteſt locus immediatè pòſt ſequens de anno VII *Dagoberti ſumi cum reſpectu ad Regnum, quod viuente patre fingeretur adminiſtraſſe, ſed tam annus hic* VII *quàm iſte* III *numerari debent ab obitu patris.*

XXV. In vulgatis quidem exemplaribus Fredegarij, bellum Waſconicum à Chariberto Rege geſtum aſſeritur *poſt annum tertium cùm regnare cœpiſſet.* Sed vox *tertium* expungi debet vt probatum eſt Tomo ſecundo. Certè Charibertus triennio non regnauit, in Actis enim Sancti Deſiderij Cadurcenſis Epiſcopi leguntur literæ Dagoberti Regis, anno Regni octauo datæ, cùm Charibertus nondum regnabat, & eiuſdem Chariberti Regis obitus apud Fredegarium [a] anno nono Dagoberti ſic illigatur, *anno* IX *Regni Dagoberti, Charibertus Rex moritur.*

[a] Cap. 67.

XXVI. At, inquies, Dagobertus & Fredegarius non eâdem vſi ſunt computatione; Dagobertus in ſuis literis initium ſui Principatûs à die repetiit quo factus eſt Auſtraſiæ Rex ſuperſtite in viuis Clotario patre; Fredegarius in ſuo Chronico principium Regni Dagobertini à Clotarij patris obitu duxit.

XXVII. Hæc computorum differentia non poteſt admitti. De Dagoberti calculo conuenimus, nec facilè nobis perſuadere poſſumus quemquam reperiri, qui Fredegarium à ſupputatione Dagoberti receſſiſſe credat.

XXVIII. Dagoberti computum ſuo loco probauimus. Literæ, de quibus agimus, ab eo Rege ſcriptæ ſunt, auditâ Ruſtici Cadurcenſis Epiſcopi morte, qui Synodum Remenſem anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto cum aliis Pontificibus celebrauit, ſeptimóque ſui Præſulatûs anno ſublatus eſt è viuis, nec peruenit ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-quintum, quem Henſchenius octauum à morte Clotarij Secundi numerat.

XXIX. Fredegarius à Dagoberti calculo non diſcrepat, fruſtráque Henſchenius affirmat illum, priuſquàm ingreſſum Dagoberti Regis in Burgundias anno Regni ſeptimo commemoraret, *poſt narratam Clotarij mortem, res inter filios,* Dagobertum videlicet ac Charibertum, *ſpatio ſex annorum geſtas, citra conſuetum ſibi annorum ſingulorum diſtinctionem* in vnum contraxiſſe. Longè aliter ſcripſit Fredegarius. Textum ipſum, qui totam Hiſtoriæ ſeriem continet, attentè relegamus. Dagobertus auditâ Clotarij patris morte Remos cum Optimatibus Auſtraſiæ atque exercitu acceſſit, ſuggeſtione ſeu nuncio aduentûs præuolante omnes Epiſcopi & Optimates Burgundiæ ad eandem ciuitatem perrexerunt, illuc & maxima pars Auſtraſiorum aduolauit, Chariberto per Brunulfum auunculum obniti nequicquam conato. Fredegarius hæc capite quinquageſimo-ſexto ſic complectitur. *Anno* XLV *Regni ſui Chlotarius moritur, & in ſuburbano Pariſius in Eccleſia Sancti Vincentij ſepelitur. Dagobertus cernens genitorem ſuum fuiſſe defunctum, vniuerſis Leudibus, quos regebat in Auſter, iubet cum exercitu promouere. Miſſos in Burgundiam & Neuſter direxit, vt ſuum deberent regimen elegere. Cúmque Remis veniſſet, ſuggeſtio peraccedens, omnes Pontifices & Leudi de Regno Burgundiæ inibi ſe tradidiſſe noſcuntur. Sed & Neuſtraſia Pontificum & Procerum plurima pars Regnum Dagoberti viſi ſunt expetiſſe. Charibertus frater ſuus nitebatur, ſi potuiſſet Regnum adſumere, ſed eius voluntas pro ſimplicitate parum ſortitur effectum. Brunulfus vellens nepotem ſtabilire in Regnum, aduersùs Dagobertum muſcipulare cœperat. Sed huius rei viciſsitunem probauit euentus.* Deinde caput quinquageſimum-ſeptimum ſic auſpicatur. *Cúmque Regnum Chlotarij tam Neptrici quàm Burgundiæ à Dagoberto fuiſſet præoccupatum, captis theſauris & ſuæ ditioni redactis, tandem miſericordiâ motus, conſilio ſapientum vſus, citra Ligerem & limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Waſconiæ, ſeu & montes Pyrenæos, pagos & ciuitates fratri ſuo Chariberto ad tranſagendum, quod ad inſtar priuato habitu ei viuendum potuiſſet ſufficere, noſcitur conceſsiſſe.* Dagobertus igitur, quem Clotarius pater Regem Auſtraſiæ conſtituerat, poſt eiuſdem Clotarij patris mortem Burgundiam ſimul ac Neuſtra-

Digitized by Google

ſiam ſibi priùs aſſeruit, quàm Charibertum fratrem in partem hæreditatis paternæ vocaret. Fredegarius eodem capite quinquageſimo-ſeptimo Regnum deſcribit, quod Dagobertus fratri largitus eſt, narrátque bellum, quod Charibertus in Waſconia geſſit. Tum redit ad iter, quod Dagobertus ab obitu Clotarij patris in Burgundiam Neuſtraſiámque ſtatim ſuſcepit. Caput enim quinquageſimum-octauum ſic orditur. *Dagobertus, cùm iam anno* VII. *regnaret, maximam partem Regni patris (vt ſuprà memini) aſſumpſit, Burgundias ingreditur. Tanto timore Pontifices & Proceres in Regno Burgundiæ conſiſtentes, ſeu & ceteros Leudes aduentus Dagoberti concuſſerat, vt à cunctis eſſet mirandus. Pauperibus iuſtitiam habentibus gaudium vehementer inrogauerat. Cúmque Lingonas ciuitatem veniſſet, tantam in vniuerſis Leudibus ſuis tam ſublimibus quàm pauperibus iudicabat iuſtitiam, vt crederetur omnino fuiſſe Deo placibile, vbi nullum intercedebat præmium, nec perſonarum acceptio, niſi ſola dominabatur iuſtitia, quam diligit Altiſſimus. Deinde adgreſſus Diuionem, imóque & Latonâ reſedens aliquantis diebus, tantam intentionem ad vniuerſum Regni ſui populum iuſtitiâ iudicandum poſuerat. Huius benignitatis deſiderio plenus, nec ſomnum capiebat oculis, nec cibo ſatiabatur, intentiſſimè cogitans vt omnes cum iuſtitia recepta de conſpectu ſuo læti remearent. Eodem die, quo de Latona ad Cabillonum deliberarat properare, priuſquàm luceſceret, balneum ingrediens, Brunulfum auunculum fratris Chariberti interficere iuſſit, qui ab Amalgario & Arneberto Ducibus & Willibado Patricio interfectus eſt. Cúmque Cabillonum iuſtitiæ amore, quam dilexerat, perficiendæ Dagobertus intentione dirigit, poſt per Auguſtidunum, Auteſioderum pergens, per ciuitatem Senonas Pariſius venit.* Iter illud, quod anno Regni ſui ſeptimo Dagobertus per Burgundiam ac Neuſtraſiam habuit, apud Fredegarium non diſtinguitur ab eiuſdem Dagoberti profectione poſt Clotarij patris obitum ſtatim ſuſceptâ confectâque, priuſquàm Chariberto fratri pars hæreditatis paternæ conceſſa eſſet. Auctor ille bis eandem rem narrauit, Lectoréſque, ne fallerentur, iſtius repetitionis monuit adiectâ hac parentheſi, *vt ſuprà memini.* Caput quinquaſimum-octauum ſui Chronici ſic exorſus eſt. *Dagobertus, cùm iam anno* VII *regnaret, maximam partem Regni patris (vt ſupra memini) aſſumpſit, Burgundias ingreditur.* Hanc periodum, quæ totam controuerſiam dirimit, Henſchenius, omiſſis vocibus, *maximam partem Regni patris (vt ſuprà memini) aſſumpſit*, mutilatam ſic allegauit. *Dagobertus cùm iam anno* VII *regnaret, Burgundias ingreditur.* In ea periodi parte, quam Henſchenius reticuit, duæ res attentè ſunt obſeruandæ. Dagobertus, cùm iam anno ſeptimo regnaret, *maximam partem Regni patris* aſſumpſiſſe dicitur, & Fredegarius per hanc parentheſim, *vt ſuprà memini*, illa de re ſe iam locutum teſtatur. Per *maximam partem Regni patris*, quam Dagobertus aſſumpſit cùm iam anno ſeptimo regnaret, quid intelligas præter regna Burgundiæ ac Neuſtraſiæ, quæ Clotarij patris ad mortem vſque fuerunt, obtigerúntque poſt eius obitum Dagoberto filio cùm iam anno ſeptimo regnaret in Auſtraſia? Maximam illam partem Regni patris, quam Dagobertus aſſumpſit, non aliter interpretatur ipſemet Fredegarius, nam per hanc parentheſim, *vt ſuprà memini*, alludit ad initium capitis quinquageſimi-ſeptimi, quod ita conceptum eſt. *Cúmque Regnum Chlotarij tam Neptrici quàm Burgundiæ à Dagoberto fuiſſet præoccupatum.* Facta eſt autem Burgundiæ Neuſtraſiæque ad Dagobertum Auſtraſiæ Regem acceſſio, Chariberto fratre in partem Principatûs nondum adſcito. Sic enim ſcribit Fredegarius prælaudato capite quinquageſimo-ſeptimo. *Cúmque Regnum Chlotarij tam Neptrici quàm Burgundiæ à Dagoberto fuiſſet præoccupatum, captis theſauris & ſuæ ditioni redactis, tandem miſericordiâ motus, conſilio ſapientum vſus, citra Ligerem & limitem Spaniæ, qui ponitur partibus Waſconiæ, ſeu & montes Pyrenæos, pagos & ciuitates fratri ſuo Chariberto ad tranſagendum, quod ad inſtar priuato habitu ei viuendum potuiſſet ſufficere, noſcitur conceſſiſſe. Pagum Caturcinum, Agennenſem, Petrocoreum, & Santonicum, vel quod ab his versùs montes Pyrenæos excluditur, hoc tantùm Chariberto regendum*

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4. *conceſſit, quod & per pactionis vinculum ſtrinxit, vt ampliùs Charibertus nullo tempore aduersùs Dagobertum de Regno patris repetere præſumeret. Charibertus ſedem Tholoſanam elegens, regnat in parte prouinciæ Aquitanicæ.* Fredegario non aliam mentem fuiſſe, quàm vt capite quinquageſimo-octauo ſuprà citato teſtaretur Dagobertum mortuo Clotario patre ſtatim in Burgundiam ac Neuſtraſiam profectum eſſe, ſic declarat Aimoinus in Hiſtoria Francorum, libro quarto, capite decimo-nono. *Dagobertus autem, eo*, nempe Clotario patre, *defuncto, totius regimen nactus gentis, in Burgundiam eâ propoſiti intentione proficiſcitur, vt oppreſſis & calumniam ſuſtinentibus iuſtitiam exercendo ſubueniret. Ex cuius aduentu fiducia bonis maximéque pauperibus orta, ſeditioſos verò atque rapinæ intentos formido grauis inceſſerat ac quædam mentis conſternatio. Qui vbi Lingonas attigit, pauperibus ac viduis ſe adeundi facultate conceſsâ, vnicuique, abſque vllius acceptione perſonæ, quod ſuum erat, legibus ſolui fecit, æquitate ſeruatâ, quam diligit Altiſſimus. Poſt hæc Diuiona caſtrum adiit, paria ibidem acturus. Indéque Cabillonis profecturus, balneum matutinus ingreditur, præcipiens Amalgario & Arneberto Ducibus, Willebaldo quoque Patricio, vt Brunulſum Ariberti fratris ſui auunculum, propter infidelitatem ſibi ſuſpectum, interficerent. Deinde à Cabillonenſi vrbe per Auguſtidunum, Autiſſiodero iter dirigens, pòſt per Senonum ciuitatem Pariſius deuenit.*

XXX. Ex prædictis igitur hæc conſtant. Dagobertus in ſuis literis & Fredegarius in ſuo Chronico vſi ſunt eâdem computatione. Vtrobique Principatus Dagobertinus, quem Fredegarius ſpatio ſexdecim annorum circumſcribit, initium ſumit à die, quo Clotarius Secundus Dagobertum filium Auſtraſiis Regem præpoſuit. Charibertus Dagoberti frater triennio non regnauit, & ex capite quinquageſimo-ſeptimo Chronici Fredegariani, vbi de eodem Chariberto hæc leguntur, *poſt annum tertium, cùm regnare cœpiſſet, totam Waſconiam cum exercitu ſuperans ſuæ ditioni redegit, aliquantulúmque largiorem fecit Regni ſui ſpatium*, vox, *tertium*, deleri debet. In vita Sancti Eligij, quam beatus Audoenus Auctor coætaneus conſcripſit, nihil obeſt quominus Dagobertum Magnum ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo mortuum aſſeramus.

XXXI. Ceterùm vt Henſchenius, quia Dagoberti Magni mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum differt, Childerici Secundi necem in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum reiicere cogitur, ſic & nos, quoniam obitum Dagoberti Magni cum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-octauo componimus, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio mortem Childerici Secundi Regis illigamus, ſex annorum diſcrepantiâ, quam textûs Fredegariani ſæpè recitati duplex ad annum, quo Clotarius Secundus obiit, interpretatio peperit, nondum ſopitâ. Childericus Secundus autumnali tempore vitam clauſit; annos vixit vnum ac viginti; prolem ex Bilihilde Regina ſuſcepit, ipſámque Bilihildem rurſus imprægnauit. Theodoricus Tertius in Regnum fratri ſucceſſit annos natus circiter viginti, certè patrem Clodoueum Secundum ab annis octodecim amiſerat. Anno ſui Principatûs primo, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, vxorem ducere potuit, annîſque proximè ſequentibus pater eſſe filiorum, Clodouei & Childeberti, quorum ille natus ſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto, hic anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto. Secundùm hanc computationem, cui nihil videtur refragari, Childebertus Tertius, de cuius ætate potiſſimùm inquirimus, vixit annos triginta-quinque, vitam enim, vt veteres Annaliſtæ produnt, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo finiuit. Filium reliquit nomine Dagobertum, qui tunc annorum ſexdecim eſſe potuit, regnauítque annos quatuor cum aliquot menſibus, itaut ad ætatem ſuſcitandæ ſoboli maturam peruenerit, nec contra Chronologiam peccare cenſendi ſint ij, qui Dagobertum illum Tertium Theodorici Quarti ſeu Kalenſis patrem nominant.

Digitized by Google

XXXII. In Henſchenij ſententia non ita facilè ſtatui poteſt ætas Dagoberti Tertij, quæ gignendæ proli par habeatur, ſtatui tamen poteſt, nec coactè. Theodoricus Tertius in illius Auctoris opinione regnare cœpit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, vxore mox ductâ filios ſuſcipere potuit, Clodoueum anno proximo, Childebertum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo. Iuxta hos calculos, Childebertus Tertius, cuius obitus anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo conſignatur, vixit annos triginta, filium ſibi natum amplecti potuit anno Chriſti duodeſeptingenteſimo, cùm ipſe decimum-ſeptimum ætatis annum adhuc ageret. Iam verò, ſi Dagobertus Tertius, quando poſt Childebertum Tertium patrem regnare cœpit, natus erat annos tredecim, obiítque anno Regni quinto iam inchoato, vixit annos ſeptemdecim & ampliùs, nec ætas repugnat quominus filium in cunis reliquerit. In illa Genealogia nihil vltra naturæ leges aſſeritur, ſæpè enim contigit vxorem à marito decimum-ſeptimum ætatis annum nondum ingreſſo imprægnari. Nobiliſſimum exemplum ſuppeditant Annales Portugaliæ in Catharina Auſtriaca, Caroli Quinti Imperatoris filia, quæ Ioanni Portugaliæ Principi, Ioannis Tertij Portugaliæ Regis filio, nupſit, peperítque Sebaſtianum Regem Portugaliæ, nati ſunt enim Ioannes tertio Nonas Iunij, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo triceſimo-ſeptimo, Sebaſtianus decimo-tertio Kalendas Februarij, anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quinquageſimo-quarto.

XXXIII. Henſchenius, vbi agit de annorum numero, quos Childebertus Tertius in Principatu tranſegit, non ſibi conſtat. Primùm enim refellit eos, qui Clodoueum Tertium & Childebertum Tertium poſt patrem Theodoricum Tertium in vniuerſa Francorum Monarchia ſucceſſiuè regnaſſe negant, deinde mutatâ ſententiâ Regnum Childeberti Tertij repetit ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, quo Theodoricum Tertium ex hac vita ſublatum eſſe contendit. *Sunt*, inquit, *qui exiſtiment diuiſo cum fratre in Auſtria regnante imperio regnaſſe in Neuſtria iam inde à patris ſui obitu; alij ſimul in Neuſtria Regium fratres nomen tenuiſſe credunt; ſed vtrique cùm nullo nituntur fundamento, tum ſolidiſſimè conuincuntur ex eo, quod nullum hactenus ſub vtriuſque nomine prolatum Diploma ſit, nullum ſub nomine Chlodouei, quaſi in ſola Auſtraſia regnantis expeditum, ſed benè in Neuſtria iam inde à morte Theodorici, & quidem ab vtroque ſeorſim ac ſucceſſiuè*. Ad illam opinionem comprobandam multa congerit fragmenta Regiorum Diplomatum, quorum mentionem ſuis locis fecimus. Tum diſertis verbis ait Childebertum Clodoueo fratri ſucceſſiſſe, anniſque tantùm tredecim poſt fratrem regnaſſe. *Childebertus autem, qui fratri adhuc impubi iunior ipſe ſucceſſit, nec niſi tredecim à morte fratris annis regnauit, admodum iuuenis obiiſſe debuit*. Poſteà verò, cùm de Dagoberto Tertio Childeberti Tertij filio ſermonem inſtituit, ipſius Childeberti Tertij, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo cum veteribus Annaliſtis conſignat, Principatum orditur ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio, & ad annum vſque duodeuiceſimum ſic prorogat. *Et verò eum*, nempe Dagobertum Tertium, *cuius pater* Childebertus Tertius *puer admodum regnare cœperat anno* DCXCIII, *anno poſt hunc* XVIII *admodum puerum fuiſſe oportuit*.

XXXIV. Apud Aulum Gellium [a] ex ſententia Seruij Tullij Regis, quam Tubero libro Hiſtoriarum primo retulit, pueri olim dicti perhibentur, *qui minores eſſent annis ſeptemdecim*. Si vera ſunt quæ ſcripſit Henſchenius de anno quo Childericus Secundus obiit, & de anno quo Childebertus Tertius regnare cœpit, id eſt, ſi Childericus Secundus vixit ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum, & Childebertus Tertius poſt Theodorici patris interitum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-tertio Regnum iniit, puer annorum duodecim, cùm patri Theodorico Tertio ſucceſſit, potuit eſſe Childebertus Tertius, cuius ortus, vt ſuprà notauimus, ad annum

[b] Lib.10.c.28.

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum in illa opinione referri poteſt. Annum autem vltimum pueritiæ, ſiue annum ætatis decimum-ſeptimum, iuxta eandem Henſchenij opinionem complebat Childebertus Tertius, cùm Regnum ſuſcepit, ſi Regium titulum ante Clodouei Tertij fratris obitum, ſiue ante annum Chriſti duodeſeptingenteſimum haud aſſumpſit. In noſtra verò ſententia Childericus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio viuere deſinit, Childebertus Tertius anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto lucis vſuram accipit, fratri Clodoueo Tertio in Regnum ſuccedit anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto, id eſt, annos natus duodeuiginti, vitam cum morte commutat anno Regni decimo-ſeptimo, ætatis triceſimo-quinto, filiúmque relinquit Dagobertum Tertium adhuc puerum ſeu minorem annis ſeptemdecim, qui Regno poſt patrem per annos ferè quinque potitur, obítque natus annos circiter viginti.

XXXV. Ex his liquet, nec *pueros admodum* fuiſſe Childebertum Tertium & Dagobertum Tertium, cùm regnare cœperunt, nec Dagobertum Tertium, cùm vitam clauſit, ætate iuniorem fuiſſe, quàm vt prolem ſuſcepiſſe cenſeatur. Non valet igitur argumentum, quod Henſchenius ab ætate Dagoberti Tertij deſumit, vt eundem Dagobertum Theodorici Quarti patrem neget.

XXXVI. Alterum Henſchenij argumentum ducitur ab imagine Theodorici Quarti, quam videre eſt *inter veras Regum Francorum effigies cælo Iacobi de Bie expreſſas editáſque iteratò Pariſiis an.* 1636. Ibi enim Theodoricus ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum, quo mortuus eſt, *plenâ ætate ac barbâ vir* exhibetur. Atque inde Henſchenius colligit Theodoricum ſeniorem fuiſſe, quàm vt Dagoberti Tertij filius credi poſſit.

XXXVII. Leue admodum eſt hoc argumentum, quia pleræque effigies pro lubitu finguntur à Chalcographis, Pictoribus, Sculptoribus ac Statuariis, nec ipſos vultus Principum benè repræſentant. Theodoricus, cùm Dagobertum patrem amiſit, in cunis erat, patri ſuperſtes vixit annos duntaxat duos ac viginti. Longè ſenior apparet in imagine quam Iacobus *de Bie* excudit. Nec iſte Chalcographus in vno errauit Theodorico Quarto. Errauit enim & in Clotario Tertio & in Childerico Secundo Clodouei Secundi filiis, quorum alterum adoleſcentem exhibuit, alterum rugoſâ fronte barbâque ſubmiſsâ, licèt annos ætatis quatuor tantùm ac viginti Clodoueo Secundo, annos Regni quatuor Clotario Tertio tribuerit, & Childericum Secundum anno quarto poſt Clotarij fratris obitum interiiſſe conſtet. Quin & ipſemet Henſchenius in Chilperico, qui Dagoberto Tertio proximè ſucceſſit, eundem Chalcographum ſic redarguit. *Vixit* Chilpericus *à morte patris* Childerici Secundi *annis omnino quadraginta, è quibus annis quinque regnauit*, &c. *Ex hac autem ætate illius cognoſcas, quàm minimè iſtius aui ſit rudis illa delineatio, quâ prorſus iuuenis atque imberbis Noniomi, vbi ſepultus eſt, reperitur expreſſus, qualem prænominatus Iacobus de Bie inter Regum effigies repræſentat, à ſuo Commentatore * perſuaſus, ipſius Dagoberti fratrem fuiſſe Chilpericum atque adeò prorſus iuuenem deceſſiſſe.* Vt autem in anno quo Childericus Secundus obiit, ſic & in annorum numero quibus patri Chilpericus ſuperſtes vixit, ab Henſchenio diſcrepamus. Extinctus eſt Childericus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, Chilpericus eius filius poſt patrem vixit annos duodequinquaginta, annóque Chriſti viceſimo-primo ſupra ſeptingenteſimum viuere deſiit.

* Hieronymo *de Coſte.*

XXXVIII. Tertiò Henſchenius Theodoricum Quartum, quia Chilpericus ei poſt Dagoberti Tertij mortem prælatus fuit, ipſius Dagoberti Tertij filium negat.

XXXIX. Nec hoc valet argumentum, quia non ſemel contigit, vt inter Dagoberti Magni poſteros filius patri non ſuccederet. Dagobertus Secundus adhuc puer anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto Sigibertum Tertium patrem Auſtraſiæ Regem amiſit, priuatam tamen vitam ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-tertium duxit;

Digitized by Google

interim præter pſeudo-Childebertum in Auſtraſia regnarunt Clodoueus Secundus, Clotarius Tertius & Childericus Tertius. Similiter Chilpericus Childerici Secundi filius, cùm in cunis eſſet, patre orbatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, Regnúmque poſt annos quadraginta-duos obtinere cœpit; interim poſt Childericum Secundum regnarunt in Auſtraſia Dagobertus Secundus Sigiberti Tertij Auſtraſiæ quondam Regis filius, in Neuſtraſia & Burgundia Theodoricus Tertius Childerici Secundi frater; mortuóque poſt ſeptennium Dagoberto Theodoricus Francorum Monarchiam, quâ Childericus Secundus potitus fuerat, ſibi aſſeruit, eâque ſucceſſiuè gauiſi ſunt duo filij, Clodoueus Tertius & Childebertus Tertius, tum nepos Dagobertus Tertius Childeberti Tertij filius, cui Chilpericus Childerici Secundi filius tandem ſucceſſit. Vt autem nec Dagobertus Secundus poſt Sigibertum Tertium patrem, nec Chilpericus Tertius poſt Childericum Secundum patrem, ſic nec Theodoricus Quartus poſt Dagobertum Tertium patrem proximè regnauit. Fuit illorum temporum turbulentus hic ſtatus. Aliquando filiis, quia tenerrimam adhuc ætatem gerebant, contra ius fáſque prælati ſunt agnati. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

XL. Igitur Dagobertus Tertius, cuius obitus in hunc annum, à Chriſto nato ſeptingenteſimum decimum-quintum, incidit, filium in cunis reliquit nomine Theodoricum, quem Anonymus [a] in Geſtis Regum Francorum & Erchanbertus in Breuiario Regum Francorum & Maiorum-domûs *filium Dagoberti Iunioris* appellant, nec hoc cognomento Iunioris alium Dagobertum deſignant præter Childeberti Tertij filium, de quo ſic Auctor Chronici Fontanellenſis iam citatus, *anno quinto, regnante Dagoberto Iuniore Rege*.

[a] Cap. 53.

XLI. CHILPERICVS III. R. Prætermiſſo illo Theodorico, Dagoberti Tertij filio, Regnum obtinuit Daniel, qui mutato nomine Chilpericus appellatus eſt. Hæc ita docet Anonymus in Geſtis [b] Regum Francorum. *Dagobertus Rex ægrotans mortuus eſt, regnauítque annos* v. *Franci poſt hæc Danielem quondam Clericum, cæſarie capitis creſcente, in regno ſtabiliunt, eúmque Chilpericum nuncupant.* Et Auctor Hiſtoriæ [c] iuſſu Childebrandi ſcriptæ. *Dagobertus Rex obiit, regnauítque annos* v. *Franci verò Danihelem quondam Clericum, cæſarie capitis creſcente, in Regnum ſtabiliunt, atque Chilpericum nuncupant.* Erchanbertus inaugurationem Chilperici paulò fuſiùs explicat. *Danihelem*, inquit, *quondam Clericum, cæſarie capitis creſcente, Regem Franci conſtituunt, quem Chilpericum nuncupant, quia deficiente proſapiâ Regum, illum quem propinquiorem Meroueis inuenire poterant, ſtatuere, quia Merouei, vt aiunt, ſicut antiquitus Nazaræi, nullo capitis crine inciſo erant.* Francorum nomine Neuſtraſios intellige Burgundionibus admixtos, vt enim Dagoberto, ſic & Chilperico Regi obluctata eſt Auſtraſia, de cuius ſtatu ad annum ſequentem plura dicturi ſumus. Mortuo Dagoberto non defecit, id eſt, non extincta eſt Regum proſapia, ſupererat enim in viuis Theodoricus ipſius Dagoberti filius, ſed, quia Theodoricus iacebat adhuc in cunis, & Auſtraſia graui conflagrabat bello quo ceteræ Regni partes etiam arſuræ videbantur, Neuſtraſij Burgundionéſque Danielem ſeu Chilpericum Regio ſanguine progenitum in ſolio collocarunt. Adeò benignè interpretandus eſt Erchanbertus.

[b] Cap. 52.

[c] Cap. 106.

XLII. CHILDERICI II. FILIVS. Chilperico pater fuerat Rex Childericus Secundus. Id conſtat ex chartis, quas anno ſequenti recitabimus. Chilpericus paterno Regno ſic recuperato curauit, vt agnatus Theodoricus Dagoberti Regis filius in Palatio Kalenſi nutriretur. De Chilperico, déque ſucceſſoribus Theodorico & Childerico multa prauè & iniquè ſcripſit Monachus Egoliſmenſis in vita Caroli Magni. *Poſt Dagobertum*, inquit, *defecit genus Regale à prudentia, & regnauit poſt ipſum Dagobertum Daniel Clericus inſenſatus frater eius, quem Franci mutato nomine vocauerunt Chilpericum. Chilpericus iſte ineptus mouit exercitum contra Carolum Martellum.* Hæc impræſentiarum notaſſe ſufficiet. Cetera ſuis locis examinabimus. Chilpericus perperam dicitur frater Dagoberti nuperrimè

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

mortui; in charta enim iam laudata Childericum Regem Genitorem ſuum nuncupat, Baldechildẽm Reginam Auam ſiue Auiam ſuam vocat; & in altera, quam poſt biennium deſcribemus, ipſum Dagobertum, cui ſucceſſit, conſobrinum ſuum, id eſt, agnatum appellat. Deinde, ſi quid ei minùs feliciter ceſſit, an ſtatim habendus eſt inſenſatus? Certè poſt Dagobertum Regale genus non defecit à prudentia, Chilpericus enim auctus Regio titulo, ſapientius conſilium inire non potuit, quam vt Carolum res nouas in Auſtraſia molientem opprimeret. Rem illam quamuis arduam ſtatim aggreſſus eſt, vocato in auxilium Radbodo Friſiorum Rege. Carebat vſu & experientiâ militari, prudentiâ non carebat & animo. Non delituit otioſus in villa Regia; milites, vt fortiter dimicarent, ipſe præſens hortari viſus eſt; pugnam ſtrenuè cum hoſte conſeruit redintegrauitque; ſi victus eſt, id non ignauiæ ſed fortunæ tribuendum. De his plura inferiùs, geſta ſunt enim annis proximè ſequentibus. Sub initium autem ſui Principatûs, Chilpericus puellari Monaſterio Sancti Stephani, quod apud Argentoratum Adalbertus Alamanniæ Dux nuper erexerat, Chartam Emunitatis, cuius mentionem in ſuis Diplomatibus Lotharius Auguſtus, Ludouicus Rex, eius frater, & Wernherus Argentoratenſis Epiſcopus poſteà fecerunt, ab eodem Adalberto rogatus conceſſit. In illa Diplomata, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum [a] iam notauimus, Chilperici loco nomen Childerici Regis irrepſit. Hac obſeruatione præpoſitâ, quomodo de prædicta Emunitate Imperator, Rex & Epiſcopus prælaudati loquantur, ex ipſis Chartis accipe. Lotharius Auguſtus inter alia de Adalberto Duce & Monaſterio Sancti Stephani hæc habet. *Eundem locum per pragmaticam Regis Chilperici* (Guillimanno [b] vitioſè Childerici) *conſtitutionem, prærogatiuâ emunitatis, libertate communiri impetrauit, ita duntaxat, vt ſaluâ per omnia reuerentiâ Sacroſancti Antiſtitis, in cuius conſiſtit territorio, nullus Iudex publicus, vel quiſlibet ex iudiciaria poteſtate, in loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas in quibuſlibet pagis vel territoriis poſſidebat, niſi Defenſor, quem ipſius loci Congregatio vel Abbatiſſa voluntariè à Palatio impetrauerit, audeat ingredi ad cauſſas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel colonos vel fiſcalinos homines vllo modo moleſtare.* In Charta Ludouici Regis, *locus Sancti Stephani à Duce Alberto fundatus, & per conſtitutionem Chilperici* (Guillimanno [c] corruptè Childerici) *Regis emunitatus* dicitur. Wernherus Argentoratenſis Epiſcopus in ſuo Diplomate fundationem Adalberti Ducis & Priuilegium ſeu Præceptum Chilperici Regis ſic laudat. *Inueni in ſcriptis Adalberti Ducis, qui locum fundauit, & in Priuilegio Chilperici* (Guillimanno [d] malè Childerici) *Regis notatum*, &c.

VINDICATVR A CALVMNIA.

EMVNITAS PRO MON. S. STEPHANI ARGENTORAT.

[a] Num. 2.
[b] Cap. 5.
[c] Cap. 5.
[d] Cap. 7.

XLIII. Auctor Chronici San-Benigniani res cùm ſuperiori tum hoc anno geſtas ſic complectitur. *Anno ſeptingenteſimo quarto-decimo Pipinus mortuus eſt in menſe Decembris, & Grimoaldus filius eius ſimiliter mortuus eſt, & Carolus ſucceſſit in locum patris. Eo tempore Aſtoricus Epiſcopus erat Lingonum, & Bobolenus regebat iſtud Cœnobium*, nempe Benignianum. *Tunc dedit Ermenoara, Domino ſacrata, Sancto Benigno quicquid habebat in villa Ruffiaco, ſcilicet manſa cum ædificiis deſuper poſitis omnibúſque adiacentiis. Anno ſeptingenteſimo quinto-decimo Dagobertus Rex mortuus eſt, & Saxones deuaſtauerunt terram Bagoariorum.* Anno priori actum de morte cùm Grimoaldi tum Pippini. Actum & hoc anno de morte Dagoberti Regis déque irruptione Saxonum in terram Hattuariorum ſeu Chattuariorum, quorum loco Chronographus San-Benignianus aliíque nonnulli Bagoarios ſeu Bazzoarios aut Baiouuarios ſeu Boioarios ſuppoſuerunt. Denique actum & hoc anno de Caroli Maioratu, cuius initium in menſem Aprilem incidit. Atque inde patet Ermenoaræ donationem, quam præcitatus Auctor anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto conſignare videtur, ad annum ſequentem pertinere. Litem omnem dirimit ipſa donationis charta, data eſt enim *ante Kalendas Madias, electo Karolo Maiore-domûs.* A Stephano *Perard* publicata eſt in hunc modum. *Domino Sacroſanctæ Baſilicæ Sancti*

ERMENOARA MVNIFICA ERGA MON. S. BENIGNI.

Digitized by Google

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

Sancti Benigni Martyris ſub oppido Diuione conſtructæ, quo Apoſtolicus vir Aſſoricus tenet regimen, ego Ermenoara, Deo ſacrata, pro animæ meæ remedio, trado iam dictæ Baſilicæ, vel Monachis & Matriculariis, qui ibidem conuerſari noſcuntur, vel quoquo tempore fuerint, quicquid in villa Ruſſiaco, quæ in pago Atoariorum eſt, vel in ipſa fine viſa ſum habere, tam de alodo quàm de comparato vel adquiſito, id eſt, caſalis, cum ædificiis deſuper poſitis, vineis, campis, pratis, ſiluis, aquis, aquarúmque decurſibus, vel quicquid dici aut nominari poteſt, omnia & ex omnibus ad ſupraſcriptam Baſilicam Domni Benigni, vel ipſius Monachis & Matriculariis, vnde in iam dicta . . . . . mea epiſtola pleniſſimè voluntario voto delegaui, à die præſenti in eorum reuocandus meritum. Si quis autem de ipſa Baſilica Domni Benigni, vel de ipſis Monachis & Matriculariis, hæc à me collata, in proprios vſus retorquere geſtiens, ſuper hac re Lingonenſem obſeruare noluerit Pontificem, conatus eius effectum non habeat. Quòd ſi fecerint hoc, quod abſit, ipſæ res ad meos licenter per omnia reuertantur hæredes, & ad alteros homines his nominibus, Ermenario & Ermenrico, & infantes eorum etiam his nominibus, Blideranno & Ermenbaldo, qui per epiſtolam germano meo Boboleno quondam fuerunt dimiſſi: ſin aliàs, volo, ſicut rectum eſt, & de omnibus, quæ ſponte loco Diuionenſi dedi in Ruſiaco iam dicta villa, vel occaſione, vel tuitionis patrocinio, vel obſequio, iuxta quod eorum epiſtola loquitur, à die præſenti de ipſis rebus iam dicti miniſtri Sancti Benigni liberam habeant poteſtatem quicquid facere voluerint. Si verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego etiam aliquid voluero demere, vel quælibet oppoſita perſona, quæ contra hanc epiſtolam donationis venire voluerit, vel quicquam agere temptauerit, inferat ad ipſam Baſilicam Domni Benigni, atque ſuis actoribus, duplo tantum quantum ipſæ res melioratæ valuerint, fiſco autem publicæ rei auri libram vnam; & nichilominùs præſens hæc epiſtola donationis omni tempore firma & inuiolata permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum Ruſiaco publicè. Signum Ermenoaræ Deo dicatæ, quæ hanc epiſtolam donationis fieri rogauit. Signum Farlagonis nepotis ipſius, qui conſentit. Signum Aremberti, Traſacoſiæ, Caſſini, Landradi, Godulſi. Ego Artaldus ad vicem Cancellarij ſcripſi & dataui rogatus ab Ermenoara Deo ſacrata, ante Kalendas Madias, defuncto Domno Theoderico, & electo Karolo Maiore-domûs.

Stephanus Perardus in margine poſuit *annum* 735, ſed illius loco ſcribe annum 715, quo Carolus Pippini Herſtallij filius Maioratum exercere cœpit. Suſpicamur mendum etiam in chartam ſuprà deſcriptam irrepſiſſe, & expuncto Theoderico reſtituendum eſſe Theudoaldum, poſt cuius mortem plerique Burgundionum, qui viciniores erant Auſtraſiæ, Carolum Maiorem-domûs elegerint. Quem autem Lingonenſem Epiſcopum Aſſoricum Ermenoara vocat, is aliis eſt Aſtoricus & Euſtorgius, vt ante biennium obſeruauimus [a].

[a] Ad an. 713. n. 37.

XLIV. SAVARICVS EP. AVTISSIOD.

Hoc anno, quo pugnatum eſt in Cotia Sylua, Sauaricus Autiſſiodorenſis Epiſcopus ictu fulminis extinctus eſt menſe Octobri, poſtquàm annos quinque menſéſque quatuor ſediſſet perueniſſétque ad Principatum Chilperici Regis, nec audiendus eſt Seuertius, qui Pontificatum ad annos vſque quindecim ſine vllo Auctore prorogat. Sauarici geſta mortémque ſic Anonymus in Hiſtoria [b] Epiſcoporum Autiſſiodorenſium à Philippo Labbeo [c] publicata deſcribit. *Sauaricus ſedit annos* V. *menſes* IV. *Hic, vt fama confirmat, eò quòd eſſet genere nobiliſſimus, cœpit à ſtatûs ſui ordine paululum declinare, & ſecularibus curis pluſquàm oportet Pontificem inhiantem inſiſtere, in tantum, vt tam pagum Aurelianenſem quàm Niuernenſem, Tornodorenſem * quoque atque Aualenſem *, necnon & Tricaſſinum * militari manu inuaderet, ſuíſque ditionibus ſubiungeret. Nam eo tempore Franci inter ſe diſſidentes cùm plurima bella commouerent in ſylua Cotia in inuicem irruentes maxima cæde ſeſe mactauerunt. Tunc idem Epiſcopus poſtponens Pontificalem dignitatem, vndecumque collectâ plurimâ multitudine, cùm Lugdunum pergeret, vt eam ſibi ferro ſubiugaret, diuino fulmine perculſus, citâ morte interiit, ſícque ad propriam ciuitatem reportatus, atque in Baſilica Sancti Germani iuxta prædeceſſores ſuos eſt ſepultus. Fuit enim temporibus Da-*

[b] Cap. 26.
[c] Tom. 1. Biblioth.

MVLTA PRAVE AGIT.

* de Tonnerre.
* d'Aualon.
* de Troyes.

FVLMINE PERCVSSVS OCCIDITVR.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4. *goberti Iunioris atque Danielis, qui mutato nomine vocatus eſt Chilpericus.* Rectiùs dixeris Sauaricum Epiſcopum fuiſſe temporibus Childeberti, Dagoberti & Chilperici, quia Pontificatum obtinuit ſuperſtite Childeberto Tertio Rege, geſſit toto Dagoberti Tertij Principatu, amiſitque cum vita Chilperico Tertio Regnum iam adepto. Ceterùm quæ ſuperiùs ex Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium deſcripta ſunt, breuiùs ab Altiſſiodorenſi Monacho, quem Nicolaus Camuzatus edidit, ſic referuntur. *Sabaricus, cùm eſſet genere nobilis, poſtpoſitâ dignitate Epiſcopi, cœpit ſæuitiam exercere tyranni, adeò vt tam pagum Aurelianenſem quàm Niuernenſem, Tornodorenſem quoque atque Aualenſem, necnon & Trecaſſinum manu inuadens militari ſuæ ſubiiceret ditioni. Nam tunc temporis Franci inter ſe diſſidentes plurima ciuilia bella commouebant. Is demum Sabaricus, exercitu plurimo vndecumque collecto, cùm Lugdunum ad expugnandum pergeret, diuinò fulmine ictus interiit. Indéque relatus in S. Germani Baſilica eſt ſepultus.* Ab hoc Auctore deſumpta ſunt, quæ leguntur apud Democharem, alióſque recentiores Nomenclatores, qui vel noſtra ætate vel ſuperiori ſeculo Catalogos Epiſcoporum Autiſſiodorenſium texuerunt.

XLV. SVCCEDIT FLOCOALDVS. Sauarico ſeu Sabarico ſucceſſit in Epiſcopatum Flocoaldus ſeu Socoaldus, de quo præter nomen apud Monachum Autiſſiodorenſem nihil occurrit, ſed in Hiſtoria [a] Epiſcoporum Autiſſiodorenſium hæc leguntur. *Flocoaldus ſedit annos* V. *menſes quatuor, dies* X. *Obiit* XVIII. *Kalend. Aprilis, & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Euſebij.* Error eſt in dici nota. Idus enim Martiæ cum die decimo-quinto eiuſdem menſis coincidunt, diéſque, qui proximus ſequitur, decimus-ſeptimus ante Kalendas Aprilis numeratur. Meliùs Demochares, Chenutius, Robertus, Sammarthani Flocoaldum decimo-quinto Kalendas Aprilis ſeu die duodeuiceſimo menſis Martij mortuum ſcribunt. Epiſcopatum igitur Flocoaldus hoc anno ſuſcepit ſexto Idus Nouembris.

[a] Cap. 25.

XLVI. EPISCOPI METENSES. Aptatus ſiue Aptadius vel Aptadus, qui Sancto Abboni in Epiſcopatum Metenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo ſucceſſerat, hoc etiam anno vitam clauſit duodecimo Kalendas Februarij, cùm annos ſeptem duóſque menſes ſediſſet. Sic enim de illo Codex Sancti Symphoriani Metenſis apud Marcum Antonium *Dominicy* in Anſberti familia rediuiua. *Aptatus Epiſc. ſedit ann.* VII. *& menſ.* II. *ob.* XII. *Kal. Februar.* Obiit & eodem anno ſucceſſor Felix, de quo ſic idem Codex. *Felix Epiſc. ſedit menſ.* IX. *ob.* XI. *Kal. Ianu.*

VIRODVNENSES. In eadem Belgica prima mortuus eſt etiam hoc anno Bertalamius ſeu Bartalamius aut Bertolamius Virodunenſis, Epiſcopus, cui ſucceſſit Abbo Monachus anteà Theologienſis. Apud Waſburgium [b] in Epiſcopali Cathedra ſedent, Bertalamius annos ſeptem, duos Abbo; vtroſque interpretare incompletos, nam teſte eodem Auctore Bertalamius hoc anno vitam cum morte commutat, Abbo anno proximè ſequenti.

[b] In Epiſc. 28. 29.

XLVII. MELDENSES. Iacobus Seuertius duos Adulphos Epiſcopos, vnum Meldenſem, Pariſienſem alterum, hoc eodem anno mortuos tradit, atque in Cathedram Meldenſem vult ſucceſſiſſe Ragamiratum ſeu Ragaminatum vel Ragunarium, Ceraunum in Pariſienſem. Conuenimus de Ragamirato, quem Demochares Ragamiuatum & Ragamarium vocat, Robertus Ragamirium, Ragemarium Sammarthani. Sed Tomo ſecundo Sanctum Ceraunum anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quarto floruiſſe diximus, atque Adulpho Pariſienſi Epiſcopo ſubrogandum cenſemus Bernecharium, vt Demochares, Chenutius,

PARISIENSES. Auctoréſque Galliæ Chriſtianæ & Antiquitatum Pariſinarum vnanimi conſenſu ſcribunt.

XLVIII. GREGORIVS II. FIT PP. Hoc eodem anno vitam clauſit Conſtantinus Papa, teſte enim Anaſtaſio, vt aliâ occaſione ad annum Chriſti ſeptingenteſimum [c] iam obſeruauimus, *ſepultus eſt ad beatum Petrum Apoſtolum* 5 *Idus Aprilis, Indictione* 13, *Anaſtaſio Auguſto, & ceſſauit Epiſcopatus dies quadraginta.* Tum ſubrogatus eſt Gregorius Secundus, de quo nobis ſæpè differendum erit, eámque ob cauſam diligentiùs inueſtigandum videtur, quonam anno ſedere cœperit.

[c] Num. 3.

Digitized by Google

Quas variis locis ſuper Romanorum Pontificum Chronologia diſputationes hactenus iniuimus, eæ palàm oſtendunt Gregorium Secundum hoc anno poſt Conſtantini mortem in Apoſtolica Sede collocatum fuiſſe. AN. CH. 715. DAGOB. III. R 4. XLIX.

Cæſar Baronius id anno præcedenti contigiſſe ſcribit, quia Imperatorum Chronologiam vno anno præuertit. Roma tunc Imperatoribus Conſtantinopolitanis ſuberat, & Pontifices Romani ſuis Diplomatibus non annos ſui Pontificatûs, vt poſteà præſtiterunt, ſed annos Imperatorum apponebant, vnde fit vt inter vtramque Chronologiam, Pontificum videlicet Romanorum & Imperatorum Conſtantinopolitanorum, arctiſſima ſit connexio, nec in vna quis errare poſſit, quin & in altera peccet. Annui diſſidij, quod hoc loco nos inter ac Baronium in Chronologia Imperatorum Conſtantinopolitanorum intercedit, cauſam accipe. L.

Iuſtinianus Auguſtus, Heraclij abnepos, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo Imperium vitámque amiſit. Hæc epocha nec Baronio diſplicet, nec vllam patitur difficultatem, quia Theophane nititur & Anaſtaſio. Veteres hi Scriptores annum vltimum Iuſtiniani *cum Diuinæ Incarnationis anno* DCCIII comparant, apud eos autem, quoniam in annis Incarnationis Dominicæ computandis à recto calculo, vt ſuprà oſtendimus, annis octo per illa tempora diſcrepant, anno Diuinæ Incarnationis ſeptingenteſimo tertio deſignatur annus à Chriſto nato ſeptingenteſimus vndecimus. Prætereà in libro [a] de Vitis Pontificum Romanorum Anaſtaſius Auctor eſt Iuſtinianum è viuis ſublatum fuiſſe, Indictione decimâ iam inchoatâ, ſiue exeunte anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, nam Conſtantinus Papa, qui Conſtantinopolim profectus fuerat, *incolumis ad portum Caietæ peruenit, vbi Sacerdotes & maximam populi Romani reperit multitudinem, ac vigeſimoquarto die menſis Octobris, Indictione decimâ Romam ingreſſus eſt, & omnis populus exultauit atque lætatus eſt. Poſt menſes autem tres lugubre nuncium perſonuit, quòd Iuſtinianus Chriſtianiſſimus & Orthodoxus Imperator trucidatus eſt, & Philippicus hæreticus in Imperiali promotus eſt arce.* LI.

[a] In Conſtantino PP.

De annis Philippici non ita liquet. Hunc Beda Preſbyter [b] imperaſſe ſcribit *anno vno, menſibus ſex*, & Paulus Diaconus [c] oculis atque Imperio priuatum teſtatur, *cùm annum vnum & menſes ſex Regnum geſſiſſet.* Alij duos annos Imperio potitum volunt, nonnulli biennio menſes nouem ſuperaddunt. Baronius Bedæ ac Pauli ſententiam ſequitur, egregiéque confirmat ex Actorum publicorum libro, qui Romæ cuſtoditur in Bibliotheca Vallicellana *. *Die Kalendarum Octobris duodecimæ Indictionis*, vt habent Acta, id eſt, Kalendis Octobris, anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-tertio, cùm Monialis arreptitia *in Baſilicam beati Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris* adducta eſſet, diabolus dixit factum à Petro Apoſtolo, vt Philippicus è throno deiiceretur, & *alius in die Pentecoſtes* ſubrogaretur. Philippicus, vt Theophanes teſtatur, *ipſo Pentecoſtes Sabbato* Imperium oculóſque amiſit, & *poſterâ die, quæ fuit Pentecoſtes, populo in magnam Eccleſiam confertim coaceruato, Artemius primus à ſecretis, Anaſtaſius cognominatus, Imperij tæniâ redimitus eſt.* Eadem apud Anaſtaſium leguntur. Imperatori *Sabbato Pentecoſtes* eruuntur oculi. *In craſtinum autem, id eſt, Pentecoſte, coacernato in magna Eccleſia populo, coronatus eſt Artemius primus à ſecretis, mutato nomine Anaſtaſius.* Ergo iuxta Bedæ Preſbyteri, Paulíque Diaconi ſententiam, quam vnà cum Baronio amplectimur, Philippicus, *cùm annum vnum & menſes ſex Regnum geſſiſſet*, imperare deſiit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, *Sabbato Pentecoſtes*, id eſt, octauo Idus Iunias, illo enim anno Paſcha decimo-tertio Kalendas Maij celebratum eſt. LII.

[b] In lib. de ſex ætatib.

[c] De Geſt. Longob lib. 6. c. 11. antiq. edit. lib. 6. cap. 34. nouæ edit.

* *de la Valicelle.*

Theophanes & Anaſtaſius in annis Philippici non ſatis ſibi conſtant. Vterque primum annum & ſecundum annum Philippici numerat, tertium nequaquam. Apud Theophanem mentio fit biennis Imperij, διετοῦς δὲ χρόνου τῆς Βασιλείας Φιλιππικοῦ. Apud Anaſtaſium Philippicus imperat LIII.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

annis duobus. Hæc aptari poſſunt Chronologiæ ſuprà ſtabilitæ, quia Theophanes & Anaſtaſius, vt aliàs de Gregorio Turonenſi diximus [a], annum decedentis Imperatoris vltimum à primo ſuccedentis non ſeparant, tótque annos Imperatori tribuunt quot eo cœpti ſunt imperante. Eo calculo Philippicus *annis duobus* imperauit, annis videlicet Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo & ſeptingenteſimo decimo-tertio, Imperium enim verè tenuit initiis illorum annorum, quia Iuſtiniano ſub finem anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi vndecimi ſucceſſit, regnauítque toto anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo, necnon anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio ad Vigiliam vſque Pentecoſtes, id eſt, illius anni menſibus quinque prioribus, ac ſex diebus. At iidem Scriptores alio in loco à ſeipſis diſſident. Biennium enim, de quo ſuprà, completum interpretantur, eíque nouem inſuper menſes ſuperaddunt. Theophanes ſic. Ἐβασίλευσεν Φιλιππικὸς ἔτη β' καὶ μῆνας θ'. & Anaſtaſius textu Theophanis in Latinam linguam ſic mutato. *Philippicus imperauit annis duobus & menſibus nouem*. Vterque [b] eò loci corrigendus, & exauctoratio Philippici collocanda Sabbato Pentecoſtes anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, vt cenſuit Baronius, quocum ad illum vſque annum conuenimus.

[a] Tom. 2. ad an. 584. n. 21.

[b] Ad an. Diu. Incarn. 707.

LIV. Vt in annis Philippici, ſic & in annis ſucceſſoris à ſemetipſis diſcrepant iidem Theophanes & Anaſtaſius. Ipſo die Pentecoſtes, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, Artemius, cognomento Anaſtaſius, coronatus eſt Imperator Philippico pridie excæcato. Apud Theophanem anno poſt Philippici exauctorationem proximo, quem ille cum anno Diuinæ Incarnationis ſeptingenteſimo ſexto, nos cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto comparamus, inter alios titulos hic præfigitur. Ῥωμ. Βασιλ. Ἀρτέμιος ἔτη β'. *Rom. Imp. Artemius annis 2.* Id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, & anno ſequenti qui per menſem Auguſtum Indictioni XIII. illigatur. Sic enim ad hunc annum idem Auctor. Τῷ δ' αὐτῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς βασιλείας Ἀρτεμίου, τοῦ καὶ Ἀναστασίου, ιγ'. ἰνδικτ. μηνὶ Αὐγούστῳ ια'. *Eodem anno ſecundo Imperij Artemij, qui etiam Anaſtaſius, Indictione decimâ-tertiâ, menſis Auguſti die vndecimo.* Theophani ſuffragatur Anaſtaſius. Hic enim poſtquàm Philippici abdicationem & Artemij ſiue Anaſtaſij ſubrogationem commemorauit, annum proximè ſequentem *cum Diuinæ Incarnationis anno* DCCVI, *anno verò Imperij Artemij primo* componit; deinde res geſtas anno Artemij Imperatoris ſecundo ſic aggreditur. *Anno Imperij Artemij, qui & Anaſtaſius dictus eſt, ſecundo*, &c. Sub illius anni exitum Anaſtaſius Imperator purpuram depoſuit, quam gerebat adhuc tertio Idus Auguſti, currente tum Indictione decimâ-tertiâ, vt patet ex Theophane iam citato. Duos igitur annos & aliquot menſes imperauit Anaſtaſius, à die videlicet Pentecoſtes, ſiue à ſeptimo Idus Iunias anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-tertij, ad Autumnum vſque anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-quinti. Sed quia, quamdiu Imperio potitus eſt, duo tantùm cœpti ſunt anni, regnat apud eundem Theophanem, iam quoque allegatum, *annos duos*, ἔτη β'. At hic Auctor non ſibi conſtat, vbi enim ad Principatum Theodoſij peruenit, annos, quibus Philippicus & Artemius ſiue Anaſtaſius imperarunt, ita recolligit. Ἐβασίλευσεν Φιλιππικὸς ἔτη β'. καὶ μῆνας θ'. Ἀρτέμιος δὲ ἔτος ἕν, καὶ μῆνας γ'. & ab Anaſtaſio [c], qui nec ſibi conſtat, Latinitate ſic donatur. *Porrò Philippicus imperauit quidem annis duobus & menſibus nouem, Artemius verò anno vno & menſibus tribus.*

[c] Ad an. 2. Artemii.

LV. E duabus illis opinionibus, quæ ſuper annis Anaſtaſij Auguſti cùm apud Theophanem tum apud Anaſtaſium Bibliothecarium valdè diuerſæ ſunt, Baronius poſteriorem amplectitur, & Anaſtaſium, cùm annum vnum menſéſque tres imperaſſet, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto purpurâ

Digitized by Google

exutum contendit. Ex Theophane autem conſtat Anaſtaſium Imperatorem in viuis ſuperſtitem fuiſſe die vndecimo menſis Auguſti, Indictione decimâ-tertiâ, ιγʹ. ἰνδικτ. μηνὶ Αὐγούστῳ ιαʹ. id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, nec dubium eſt, quin Anaſtaſij exauctoratio in illum annum reiicienda ſit. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

LVI. En origo annui diſſidij, quod inter nos ac Baronium in obitu Conſtantini Romani Pontificis intercedit. Baronius enim, quoniam Anaſtaſij Imperatoris exauctorationem anno vno præuertit, vno quoque anno mortem Conſtantini Papæ præuertere cogitur, quia Conſtantinus Anaſtaſio Imperium obtinente viuere deſiit. At in libro de vitis Pontificum Romanorum, vbi deſignatur annus quo Conſtantinus Papa vitam finiuit, præter Anaſtaſij Auguſti nomen qui tunc imperabat, notatur Indictio decima-tertia, quæ per menſem Aprilem cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto componitur, illóque anno mortem Conſtantini Papæ, cui Gregorius Secundus die pòſt quadrageſimo ſucceſſit, conſignandam ſignificat.

LVII. Corbinianus it Romam. Ineunte Gregorij Pontificatu, Corbinianus, cùm annos quatuordecim in cellula manſiſſet, iter Romam ſuſcepit, ibíque à Gregorio Papa ordinatus eſt Epiſcopus, vt vbique prædicationis officium per vniuerſum Orbem exercere poſſet. *Quartum-decimum*, inquit Aribo, *in ſua cellula impleuerat annum. Tunc demum iniens conſilium, ad limina ſacratiſſima beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli orationis causâ ire decreuit, & ibi ſe Apoſtolici viri doctrinæ & orationibus commendare, &, ſi fieri poſſet, impetrare ab eo ſibi & ſuis qui cum eo venirent in quodam angulo latitandi facultatem, vt ad Sanctorum Apoſtolorum patrocinia poſſet ſecretiùs peruenire, & ibi ſub ſanctæ conuerſationis regula liceret ipſi vitam ducere. Mouit autem vir Sanctus comitatum ſuum cum vniuerſis ſupellectilibus, & incolumis cœptum perfecit iter. Oratione autem factâ in Confeſſione beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, ad beatæ memoriæ Gregorij Papæ pedes ſe proſtrauit, eíque ſecretum animi ſui diligentiſſimè explicauit, & quibus neceſſitatibus coactus ſuum amiſiſſet ſecretum, & quomodo tranquillum per humanos fauores perdidiſſet portum, & quibus rerum ſecularium tumultibus, quaſi nauis in medio mari iactaretur fluctibus, vt vix ſolitudinis marginem recolendo proſpiceret. Et plùs etiam formidanda adiecit, quia temporalia à multis ſibi conceſſa munera, ſibi potiùs ad perditionis cumulum euenire poſſe timeret, quàm ad præſentis vitæ ſolatia. Venerabilis autem Papa Gregorius audiens viri Dei verba intellexit zelum animi eius, qualiter & quàm magnam in Dei opere haberet animi puritatem. Erat enim vir Dei valdè facundus & humanitate præcipuus, conuerſatione inter omnes præclarus, contra vitia ad iraſcendum facilis, velox ad ignoſcendum conuerſis, non piger in bona operatione, deditus orationi, ſtudioſus pſalmodiæ, præclarus in vigiliis, frequens in ieiuniis, largus in eleemoſynis, ad omne bonum ſemper promptiſſimus, vir mitis atque modeſtus, nulli pietate ſecundus. Sed quid de eo dicendum eſt, quem omnibus benè valentibus, ſimúlque indigentibus, omnis boni adiumentum, quantùm potuit, fuiſſe non dubium eſt? Itaque vir Dei Spiritu Sancto repletus, vnicuique congruens erat ſexui vel ætati, vt per ſanctæ conuerſationis ſtudium poſſet vnicuique ſanctarum exempla virtutum oſtendere. Sed hæc beatiſſimus Papa Gregorius intuens cœpit cum ſuis inire conſilium, ne tanti luminis fulgor abſconderetur ſub modio, ſed vt ſecundùm dicta veritatis ſupra candelabrum poſito illo, multi ab eo illuminarentur, cogitauítque vt ex authoritate beati Petri Apoſtoli Sacerdotalem ei honorem conferret. Itaque in viro Dei, quæ conſultando tractauerat, opere perficiens, per ſingulos gradus ad ſummum vſque Pontificalem eum prouexit honorem. Vir itaque ſanctus, quamuis coactus, tamen dono Dei & diuini muneris largitori conſentiens, Pſalmiſtæ non immemor, timens ne tali fraudaretur honore dicentis [quia noluit benedictionem, elongabitur ab eo] quamuis honorem fugiendo, humilitatem continere voluiſſet, obeditionem tamen maiorem iudicauit, ne patrem reſiſtendo contriſtaret, vel diuinæ voluntati contraire videretur. Coactus ergo Sacerdotalem ſuſcepit benedictionem, accepto etiam Pallio cum benedictione & adiutorio beati Petri Apoſtoli, vt vbi-* Ordinatur Epiſcopus.

CCcc iij

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

que prædicationis officium exercere in toto Orbe poſſet, & tanti patris conceſſu poteſtatem haberet. Tanto autem accepto honore & priuilegio in Galliam reuerſus eſt.

LVIII. REDIT IN GALLIAM.

Corbinianus in Gallia ſeptem annos manſit, donec iterum Romam abiit. Eo loci non ſibi conſtat Aribo. Vbi enim Corbinianum accepto Epiſcopatûs honore & priuilegio Pallij in Galliam reuerſum dixit, ſtatim eius prædicationem in Galliis ita commendat. *Cœpit diuinum largiter ex ore eius emanare verbum, & melliflua inſtar viui fontis in aures audientium effundi prædicatio, atque per vniuerſam Galliam verbum doctrinæ illius in virorum ac mulierum ſanctis creuit moribus, & tam in ſacrarum virginum ac viduarum, quàm & Monachorum & Clericorum pectoribus diffuſum eſt. Ipſe verò verbum Dei adminiſtrans, ceu prudens diſpenſator Eccleſiæ Chriſti, vnicuique menſuram tritici hilari vultu largitus eſt.* Paulò pòſt verò ſic ſcribit. *Ille*, nempe Corbinianus, *gloriam ſeculi pertimeſcere, honoris ambitionem expaueſcere, tranquillitatem ſecreti, quod perdiderat, multipliciter lamentari, diuitias ſibi locupletatas, haud ſecus ac auari amiſſas, deflere. Ad priſtinum ergo rediit ergaſtulum in foribus beati Germani Eccleſiæ, ibíque ſub protectione eius proprium quæſiuit ſecretum, turbas hominum deuitauit, paucóſque ſecum Clericos retentauit, quos admonendo & docendo deſerere non valebat. Quibus ſub operationis ſuæ cura victum ſuppeditauit, & verbi Dei ſemina quotidie eorum pectoribus infudit. Ibique continuis ſeptem annis permanens, eò aduenientibus ſecúmque commorantibus verbum Dei ſedulò miniſtrauit. Sed quantò ſecretiùs ſe in ima loca contulit, eò ampliùs fama eius ſanctiſſima altiùs eminebat in publicum, & quotidie ſuperuenientium turbas ſuſtentare non valens, & quaſi concuſſam cellulam, & conquaſſatam medij maris fluctibus nauiculam deflens, ad priſtinum ſe contulit orationis auxilium, iterúmque Romam pergere diſponebat.* Idem Auctor intra ſpatium iſtius ſeptennij, quod inter vtramque Corbiniani profectionem in Italiam interceſſit, eundem Corbinianum à Pippino Maioredomûs euocatum collocutúmque cum illo tradit. *Contigit*, inquit, *vt Maiordomûs in Gallia, qui erat Pipinus, virum Dei ad ſe accerſiret. Illo verò ad Palatium proficiſcente*, &c. Id autem alieniſſimum eſt à vero, quia Pippinus Maiordomûs obiit Corbiniano Romam nondum profecto. Vitam clauſit Pippinus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto. Corbinianus anno ſequenti Romam primâ vice perrexit, à Gregorio Papa honorem Epiſcopatûs cum priuilegio Pallij ſuſcepit, in Galliam reuerſus videtur impleuiſſe quod ei munus impoſitum fuerat à Romano Pontifice, vt vbique prædicationis officium exerceret. Huic opinioni duæ res plurimùm fauent. Primò, ſi Pippini loco nomen Caroli filij Maioris-domûs reponitur, textus Aribonis ſtare poteſt, & ex eo palàm fit Corbinianum à priſtina ſua cellula & ab æde Sancti Germani procul abfuiſſe. Deinde Corbinianus, vt poſt ſeptennium dicturi ſumus, itinere per Alamanniam & Boioariam ſuſcepto, cùm Romam ſecundò proficiſceretur, *aliquandiu* verbi diuini doctrinam in Norico ſeminauit.

LIX. SACERDOS EP. LEMOVIC.

Apud Bernardum Guidonis capite quarto de nominibus ac Geſtis Lemouicenſium Epiſcoporum, poſt Eximerum ſiue Ermenonem, qui Sanctum Tillonem apud Sollemniacum honorificè ſepeliuit, Epiſcopi Lemouicenſes hoc ordine recenſentur. *Salutaris, Agericus ſiue Agerius, Sanctus Sacerdos natione Burdegalenſis, qui veneratur & quieſcit apud Sarlatium Petragoricæ Diœceſis, qui etiam florebat circa annum Domini* 517. Philippus Labbeus, qui librum illum in Collectione rerum Aquitanicarum publicauit [a], *legendum*, ait, 715, *aut quid eiuſmodi.* Quæ de Sancto Sacerdote déque Lemouicenſibus Epiſcopis hactenus dicta ſunt, hæc ab opinione Labbeana non diſſident. Stephanus Baluzius in diſquiſitione ſeculi quo Sanctus Sacerdos vixit, pereruditè iam refutauit eos, qui Sacerdotem Lemouicenſi Pontificatu gauiſum volunt *an.* DXV. *aut* XVII. Exploſimus & eos qui Sacerdotem *inter Ruricios* in Epiſcoporum Lemouicenſium Catalogo reponendum dicunt. Annum tamen Domini 517 à Bernardo Guidonis in textu præcitato ſcriptum putamus. In

[a] Tom. 2. Biblioth.

Digitized by Google

vita enim Sanĉti Sacerdotis, quam idem Auĉtor literis tradidit, *defunĉto Lemouicenſi Epiſcopo beatæ memoriæ Aggerico vir Dei Sacerdos electione Cleri & fauore populi in Cathedra eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ſublimatur, regnante Clodouæo Rege, quem beatus Remigius baptizauit.* Ad illum autem locum Philippus Labbeus fruſtrà ſuſpicatur excidiſſe, *æquiuoco illi*, vel aliquid ſimile, vt Sacerdos ad Epiſcopatum promotus cenſeatur regnante Clodoueo, ſeu Rege æquiuoco illi quem beatus Remigius baptizauit. Nam ſub finem vndecimi capitis, eundem Clodoueum, cuius iterum meminit, filium Childerici vocat, eíque ſynchronos attribuit Anaſtaſium Auguſtum Iuſtini Senioris deceſſorem, Benediĉtum Monachorum legiferum & Sanĉtum Vedaſtum Epiſcopum, qui floruerunt annis Chriſti quingenteſimo decimo-quinto & quingenteſimo decimo-ſeptimo. Nec etiam eſt, vnde liceat inſtar gloſſematis, quod inepto exſcriptori tribuatur, hæc habere verba, *regnante Clodouæo Rege, quem beatus Remigius baptizauit*, quorum occaſione adieĉta poſteà fuerint, quæ de tempore, quo Sanĉtus Sacerdos floruit, ad calcem capitis vndecimi ſic habentur. *Floruit autem Sanĉtus Sacerdos & Epiſcopus vrbis Lemouicæ, Auguſtorum Anaſtaſij & Iuſtini Senioris Iuſtinianíque temporibus ſibi inuicem ſuccedentibus; Clodouæo Rege, filio Childerici, Francorum & Aquitanorum tenente Monarchiam. Hoc etiam tempore floruerunt Monachorum legifer Benediĉtus & Sanĉtus Amandus & Sanĉtus Vedaſtus Epiſcopi venerandi.* Fatendum ingenuè Bernardum Guidonis erraſſe, perperámque Rege Clodoueo Magno ſeu Primo conſignaſſe Pontificatum Sanĉti Sacerdotis, qui Monaſticam adhuc vitam in Calabrenſi Cœnobio ducebat, regnante Clodoueo Tertio, Theodorici Tertij, qui trinepos Clodouei Magni fuit, filio natu maximo. Sanĉtum Tillonem anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo tertio ſepeliuit Ermenus Lemouicenſis Epiſcopus, cui ſucceſſit Salutaris, tum Aggericus, itaut Pontificatus Sacerdotis, qui proximè poſt Aggericum ſedit, annis Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto & quingenteſimo decimo-ſeptimo reĉtè illigetur.

AN. CH. 715. DAGOB. III R. 4.

LX. Sacerdos ex Abbate Calabrenſi factus eſt Epiſcopus Lemouicenſis. In vico Calabro Monaſterium erat *inter Caturcenſium & Petragoricorum fines, non longè à fluuio Dordoniæ*, pertinebat ad Diœceſim Cadurcenſem, Sacerdos enim, qui lucis vſuram in illo vico accepit, traditus eſt in diſciplinam Capuani Cadurcenſis Epiſcopi, ab eóque promotus eſt ad Diaconatum. Cur idem Sacerdos ad Epiſcopatum aſſumptus ſit, ſic exponit Auĉtor vitæ [a]. *Fama Sanĉti Sacerdotis & odor ſanctæ conuerſationis eius diffundebatur vndique per finitimas regiones. Vnde defunĉto Lemouicenſi Epiſcopo beatæ memoriæ Aggerico, vir Dei Sacerdos electione Cleri & fauore populi in Cathedra eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ſublimatur.* Qui ſequitur Character Chronologicus à Clodouei Magni Principatu petitus, à nobis omittitur, quia Hiſtoricæ veritati repugnat vt diĉtum ſuprà.

[a] Cap 8.

LXI. Sacerdos Abbas Calabrenſis, priuſquàm Lemouicenſis Epiſcopus ordinaretur, pluribus miraculis inclaruit. Vnum præ ceteris in eius vita [b] narratur valdè inſigne. *Quadam die, conuenienti viro Dei Sacerdote more ſolito ad horam orationis ſecundam, pater eius Laban migrauit à ſeculo, cúmque hoc ei nuntij venientes indicare voluiſſent, ipſe adeò deuotiſſimè orationi inſtabat, vt neminem eorum reſpiceret, donec orationem finiret. Completâ verò oratione patrem adiit iam defunĉtum. Cúmque defunĉtum in medio expoſitum inueniſſet, interrogans horam defunĉtionis eius, inuenit eâdem horâ illum obiiſſe, quâ ipſe ad orationem proceſſerat, matrémque & parentes ac vicinos conſolatus eſt. Cùm autem percepiſſet, quòd non ſuſcepto viatico Dominici Corporis tranſiniſſet, cum ingenti mœrore in terram protinus ſe proſternens orauit diutiùs, deinde manu defunĉti apprehensâ, ſemel & ſecundò vocauit eum nomine ſuo, qui continuò ad vocem eius, tanquam ſi dormiret, exſurrexit, & circumſtantium intuens multitudinem, ait. Horâ ſiquidem præſentis diei ſecundâ à ſeculo migraueram, ſed filij mei meritis conceſſum eſt mihi, vt iterum ad ſuperos remearem. Hæc eo loquente ſtupebant cunĉti qui aderant, & ſublato clamore ad cælum, Deo gratias referebant, cúmque ſiluiſſent,*

[b] Cap. 7.

Miracvlis clarvs.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

Sanctus Sacerdos ſacram communionem patri dedit. Quâ perceptâ, vir Dei Sacerdos coram patre ſuo ſeſe proiiciens, ad ſimilitudinem Patriarchæ Iob, paternam benedictionem petiit ab eodem, cui cùm pater benedictionem dediſſet, iterum mox in pace quieuit.

LXII. Epiſcopatus Sacerdotis haud diuturnus fuit, ab Auctore vitæ [a] paucis ita perſtringitur. *Defuncto Lemouicenſi Epiſcopo beatæ memoriæ Aggerico, vir Dei Sacerdos electione Cleri & fauore populi in Cathedra eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopus ſublimatur, eandémque Lemouicenſem Eccleſiam per annos aliquos fauente Dei prouidentiâ gubernauit.*

[a] Cap. 8.

LXIII. *Chirmirvs Abb. S. Vincentii Cenoman.* In Hiſtoriali Compendio manuſcripto Abbatum Sancti Vincentij Cenomanenſis, poſt Reginaldum ponitur hoc anno Chirmirus, quem Bondonnetus ſuſpicatur eundem fuiſſe cum Richmiro, qui ſanctitate miraculiſque claruit, illorum enim nomina literis primæ duntaxat ſyllabæ tranſpoſitis differunt. At egimus ſuprà de Richmiro Abbate ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum. Hic regnante Theodorico Tertio è Turonia profectus eſt in Cenomaniam, Abbas Sancti Petri conſtitutus eſt ab Aigliberto Epiſcopo Cenomanenſi, eóque in viuis adhuc ſuperſtite migrauit in cælum. *Distingvitvr a Richmiro Abb. S. Petri.* Porrò Aiglibertus Epiſcopatum Cenomanenſem ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum gubernauit. Atque inde conſtat Richmirum Sancti Petri Abbatem, cui ſuperuixit Aiglibertus Epiſcopus, diſtinguendum eſſe à Chirmiro Sancti Vincentij Abbate, qui fuit etiam Archidiaconus ac Vicedominus in tota Diœceſi Cenomanenſi ſub Herlemundo Aigliberti ſucceſſore, vitámque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſextum produxit.

LXIV. Winfridus Preſbyter, de quo ſæpè locuturi ſumus, Angliâ relictâ in Franciam hoc anno primùm transfretauit. Noſtram Chronologiam duæ res confirmant.

LXV. *Winfridvs Presbyter ex Anglia venit in Franciam.* Prima deſumitur cùm ex Sancto Willibaldo primo Eiſtatenſi Epiſcopo, qui vitam Sancti Bonifacij, Winfridi aliàs nuncupati, primus conſcripſit, tum ex Othlono Preſbytero, qui prædictam Sancti Willibaldi lucubrationem *in locis quibuſdam ita infirmo intellectui obſcuram, vt difficilè pateat quò ratio tendat, ſententiâ apertiori reſerauit.* Textus Sancti Willibaldi talis eſt. *Conſentiente nauclero aggreſſus eſt nauem, naulóque impenſo proſpero ventorum flatu peruenit ad Dorſtat, ibique aliquandiu commoratus debitum Domino Deo exſoluit die noctúque præconium. Sed quoniam graui ingruente paganorum impetu, hoſtilis exorta diſſenſio inter Carolum Principem glorioſúmque Ducem Francorum & Radbodum Regem Freſorum, populos ex vtraque parte perturbabat, maximáque pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum priùs in Freſia ſubiectæ erant imperio, Radbodi incumbente perſecutione ac ſeruorum Dei factâ expulſione, vaſtata erat ac deſtructa, idolorum quoque cultura extructis delubrorum fanis lugubriter renouata. Tunc vir Dei proſpectâ peruerſitatis nequitiâ peruenit ad Trecht, ibique aliquantis exſpectatis diebus aduenientem Regem Radbodum allocutus eſt, & multis illarum circumuallatis ac conſpectis terrarum partibus, vtrùm ſibi in futurum prædicationis vſpiam pateſceret locus, perquireret, proponénſque animo, vt ſi qua in parte huius populi Euangelium, pateret aditus, quo clareſceret, & verbi Dei ſemina miniſtraret. Quod etiam multis tranſactis annorum curriculis glorioſa Martyrij*, de quo nos Tomo ſequenti, *teſtificatio comprobauit. Sed quorum ſanctorum ſingulorum vna eſt ſanctitas, vt dum ad tempus ſuum ſine ſpiritualis vigore germinis laborem minimè pollentem proſpexerint, ad alia prorſus loca, fœcundo laboris cum fructu migrent, quoniam incaſſum inhabitatur locus, ſi & fructus deeſt ſanctitatis. Sanctus enim vir, dum ſterilem aliquamdiu Freſorum terram inhabitaret, & æſtatis autumníque aliquantulum tempus præteriret, iam arida cæleſtis rore fœcunditatis reliquerat arua, & ad natale, ſuis ſecum ſupradictis conuiatoribus, ſolum migrauit.* Eadem breuiùs ac clariùs Othlonus ſic ſcribit. *Tranſiit ad Dorſtet, ibique aliquandiu commoratus,*

moratus, debitas Deo perſoluit die noctúque laudes. Sed quoniam per idem tempus hoſtilis diſſenſio exorta inter Karolum Principem glorioſúmque Ducem Francorum & Ratbodum Regem Freſonum, populos ex vtraque parte perturbabat, maximáque pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum priùs in Freſia ſubiecta erant Imperio, Ratbodi perſecutione incumbente, idolorum cultura lugubriter reddebatur, ideóque vir Dei perſpectâ tanta peruerſitatis mole ex illis partibus diſceſſit, & peruenit ad Trecht, ibíque etiam commoratus aliquantis diebus, aduenientem Regem Ratbodum allocutus eſt, obſeruans vt à tanta prauitate quieſceret. Poſthac verò peragratis illius terræ partibus ſollicitè explorauit, ſi alicubi in ea prouincia prædicationis pateret locus, cúmque diuturnâ inquiſitione intelligeret ſe fruſtrà ibidem prædicando laboraturum, arida ſpirituali fertilitate arua reliquit, & ad natale ſolum tranſmigrauit. Ex illis textibus liquidò colligere eſt Winfridum eo anno, quo bellum inter Radbodum & Carolum exarſit, per autumnum in Angliam rediiſſe, cùm ex eadem Anglia in illam Friſiæ partem, quæ Francis tum parebat, anno ſuperiori veniſſet. Certatum autem inter Radbodum & Carolum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, vt ſuo loco probaturi ſumus. Hoc igitur anno Winfridus ex Anglia profectionem in Franciam primùm ſuſcepit. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

LXVI. Altera noſtræ Chronologiæ confirmatio petitur ex iiſdem Auctoribus Sancto Willibaldo Epiſcopo & Othlono Presbytero, qui Bonifacium, Winfridum aliàs nuncupatum, anno peregrinationis ſuæ qudrageſimo ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto palmam Martyrij conſecutum affirmant. Primus ſic. *Deus ſuum dignatus eſt ſeruum quadrageſimo peregrinationis eius anno reuoluto glorificare, qui & Incarnationis Domini ſeptingenteſimus & quinquageſimus-quintus annus cum Indictione octaua computatur.* Alter ſic. *Paſſus eſt cum ſociis Nonis Iunij, anno ſcilicet peregrinationis ſuæ* XL. *ſed Incarnationis Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto.* Porrò ſi ex annis DCCLV demas annos XL, reſidui manebunt anni DCCXV.

LXVII. SERARII CHRONOLOGIA REFELLITVR. Nicolaus Serarius notatione quinquageſima-quarta in vitam Sancti Bonifacij, multa de illius annis ſcribit, quæ noſtræ computationi plurimùm repugnant. Imprimis initium peregrinationum ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto repetit, reditúmque in patriam anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto nobiſcum collocat. *In Friſiam*, inquit, *Euangelij causâ peregrinari cœpit primò*, 704. *In patriam Cœnobiúmque ſuum rediit* 716.

LXVIII. Huic opinioni textum accommodat ex vita S. Gregorij Vltraiectini Epiſcopi, in qua S. Ludgerus Mimigardefordenſis Epiſcopus eiuſdem Sancti Gregorij diſcipulus hæc de Sancto Bonifacio ipſius quoque beati Gregorij quondam Magiſtro commemorat. *Cùm ipſe electus Dei Bonifacius Martyr poſt tredecim annos peracta in Freſonia prædicationis, quibus in Auſtrali parte loci Almari, pauper Euangelicus, & propemodum ſolitarius ſanctam ſeſſionem ſuam tribus in locis peregiſſet, quorum vocabula locorum ſunt hæc. Primus vocatur Wyrda in ripa fluuij Rheni, vbi ſeptem annis habitauit. Secundus vocatur Attingohem iuxta amnem Febra *, vbi habitauit annis tribus, quo in loco primum cœpit habere diſcipulum nomine Gembertum. Tertius locus appellatur Feliſa, qui propior erat gentilibus & paganis, vbi tribus ſimiliter annis manſit. Poſt hos, inquam, tredecim annos, dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos, Orientales regiones Francorum iter agere cœpiſſet lucrandorum Deo populorum causâ, peruenit ad Palatiolum Monaſterium Virginum prope Treueris ciuitatem, in ripa fluminis Moſellæ, cui tunc præerat Abbatiſſa, nomine Addula, religioſa valdè & timens Deum.* Huc vſque Sanctus Ludgerus. Audi iam Serarium ita commentantem. *S. Ludgerus* 13 *annos prædicationis eum*, nempe Bonifacium, *in Friſia peregiſſe ait, & ne quis fortè cenſeat tres pro tredecim reponendos, diſertè iſtos* 13 *partitur, & cum ait Werdæ commoratum annos* 7. *Attingoæ annos* 3. *Feliſæ alios* 3. Et paulò pòſt. *S. Ludgerus in Gregorio, poſt* 13 *Freſonicæ prædicationis annos confeſtim veniſſe in Thuringiam & Haſſiam S. Bonifacium narrare videtur. Sanè quia, cùm Sancti huius vitam ex inſtituto non ſcribat, ſed rerum quarundam, quæ B. Gregorium attin-*

* al. *Febta.*

AN. CH. 715. DAGOB. III. R.4.

gunt, capita perſtringat, illius & in patriam reditum & Romanam profectionem miſſionémque Pontificiam omiſit, ſtatímque ad Thuringicos Haſsicóſque Sancti labores accedit, ſicuti & poſteà omnes de Sancti Epiſcopatu propriè dicto & Archiepiſcopatu tam mobili quàm fixo Hiſtorias in vnam conglobat. In opinione igitur Serarij, beatus Ludgerus vult Winfridum, priuſquàm in Angliam reuerteretur, apud Friſios concionatum eſſe annis tredecim, quos prædictus Serarius incompletos interpretatur ab anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum, vt dictum ſuprà.

LXIX. Præterea idem Serarius, vt Winfridum, antequàm in patriam rediret, per annos tredecim continuos in Friſia commoratum eſſe validiùs probet, hunc de eodem Winfrido textum ex Hiſtoria Suibertina citat. *Sanctus Winfridus Sacerdos, poſtquàm tredecim annos in Eccleſia Traiectenſi* * *vt Canonicus degiſſet, Archiepiſcopus Moguntinenſis conſecratur & Bonifacius appellatur.*

* d'Vtrech.

LXX. At illum locum Hiſtoriæ Suibertinæ iam refutauimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum, quo Winfridus fingitur Canonicus Vltraiectinus, cùm necdum iuxta opinionem ipſius Serarij, pedem in Gallia fixiſſet. Nec ſi Winfridum illo anno Canonicum ſtatuas, Archiepiſcopum Moguntinenſem poſt annos tredecim conſecratum & Bonifacium appellatum iure dixeris, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto Romam nondum ſe contulerat. Præterea quis non videat in præcitatis textibus res valdè diuerſas commemorari? Apud Auctorem Hiſtoriæ Suibertinæ Winfridus *tredecim annos in Eccleſia Traiectenſi vt Canonicus* degit. Apud Ludgerum *tredecim annis pauper Euangelicus & propemodum ſolitarius ſanctam ſeſſionem tribus in locis* peragit, Wyrdæ in ripa Rheni *ſeptem annis* habitat, *annis tribus* Attingoæ, Feliſæ *tribus ſimiliter annis* manet. In refellenda Hiſtoria Suibertina non opus eſt vt diutiùs immoremur. Fuſiùs autem nobis agendum reſtat aduersùs Ludgeri textum, quo potiſſimùm nititur aduerſarius.

LXXI. Sententiam noſtram non parum firmat ipſemet Serarius, vbi textum beati Willibaldi cum noſtris calculis componit. Sanctus Willibaldus de Winfridi reditu in Angliam poſt primam in Friſiam peregrinatione ſic ſcribit. *Sanctus vir*, nempe Winfridus, *dum ſterilem aliquamdiu Freſorum terram inhabitaret, & æſtatis autumníque aliquantulum tempus præteriret, iam arida cæleſtis rore fœcunditatis reliquerat arua, & ad natale, ſuis ſecum ſupradictis conuiatoribus*, duobus videlicet aut tribus Monachis, quibuſcum è Monaſterio cum Abbatis licentia digreſſus erat, *ſolum migrauit, ac Monaſterij ſui ſecreta petens, etiam ibidem, ſecundi ſiquidem anni hyemem, tripudiantium fratrum amore, ſuſceptus hyemando tranſegerat, vt Doctoris gentium Apoſtolicam vocem imitaretur dicentis. Ibi enim conſtitui hyemare.* Serarius autem ſuper hoc textu ſic ratiocinatur. *Willibaldus ita inchoatam S. Bonifacij peregrinationem deſcribit, vt altero ſtatim ſui in Franciam aduentûs anno, illinc in patriam ad Monaſterium priſtinum, cùm Chriſtianæ fidei per Radbodica bella impediretur prædicatio, redierit, cúmque hyemem in Friſia vnam egiſſet, egerit iam in Anglia ſecundam. At ſecundam ſecundíue anni hyemem videtur ille appellare, non eam quæ primam in Friſia exactam conſecuta eſt, ſed quæ vnam in Monaſterio poſt reditum iam abſolutam, itaut in Anglia hyemes duas è Friſia, vnde autumno ſoluerat, reuerſus tranſegerit, & ſub initium tertiæ Romam perrexerit, quemadmodum idem narrat S. Willibaldus, bienniúmque in natali ſolo ſolidum tunc manſerit.* Prior explicatio magis arridet. Eo ſenſu Winfridus vnam in Friſia hyemem egit, proximo pòſt autumno in patriam reuerſus ſecundam in Anglia egit hyemem, id eſt, eam quæ primam in Friſia exactam conſecuta eſt. Nihil autem noſtræ computationi conuenientius excogitari poteſt. Hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-quinto, Winfridus Anglus in Friſiam proficiſcitur, illic proximam agit hyemem, necnon ſequentis anni partem maximam, ver, æſtatem, & initium autumni, tum reuertitur in patriam currente adhuc anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, ibíque imminentem agit hyemem ſeu ſe-

Digitized by Google

cundam à ſuſcepta peregrinatione. Nec altera nobis officit expoſitio, quæ licèt minùs genuina, Serario tamen magis placet. Eſto. Sanctus Willibaldus per *ſecundi anni hyemem* non intellexerit ſecundam hyemem poſt primum Winfridi diſceſſum ex Anglia, ſed ſecundam hyemem poſt eius reditum in patriam, itaut idem Winfridus è Friſia reuerſus hyemes egerit in natali ſolo duas, & imminente tertiâ rurſum egreſſus ex Anglicano Cœnobio Romam contenderit. Hæc omnia cum noſtris calculis optimè conſentiunt. Anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, medio autumno, Winfridus in Angliam è Friſia remeauit; autumno quoque, vt Romam proficiſceretur, iterum ex Anglia ſoluit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-octauo; proximóque menſe Maio, cùm annus poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus decimus-nonus numerabatur, iter Româ in Thuringiam ſuſcepit acceptis priùs à Gregorio Pontifice literis Apoſtolicis, quæ datæ reperiuntur *Id. Maij, imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato, anno* III *Imperij eius, Indictione* II. id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono ſuprà notato. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

LXXII. Fatetur etiam Serarius peregrinationem Winfridi, ſi quadraginta duntaxat annos is peregrinatus eſt, vt Willibaldus & Othlonus affirmant, incipiendam eſſe ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, vt ipſi contendimus. *Tam ab Othlono*, inquit, *quàm à Willibaldo aſſeritur Martyrem factum S. Bonifacium anno peregrinationis ſuæ* 40. *Quæ peregrinatio iſta? Non ſanè vita eius, cùm ſenex & canus mortem exceperit, & antequàm aut Romam aut in Germaniam veniret, Sacerdotij Ordine honeſtatus ſit, & quidem anno ætatis eius aut* 30. *aut poſteriore. Peregrinatio igitur eſt, quâ, ſua è patria, peregrè in Friſiam primò, in reliquam deinde Germaniam venit, eáque, vt annorum* 40 *ſit, incipienda eſt ab anno* 715.

LXXIII. Vt Chronologiam adeò conſtantem infirmet, in numerum annorum, quibus Winfridus peregrinatus eſt, mendum ait irrepſiſſe, nec annum peregrinationis, quo Martyrium conſummauit, quadrageſimum ſed quinquageſimum à Sancto Willibaldo eiúſque interprete Othlono fuiſſe ſcriptum. Emendationis, cuius auctorem ſe præſtat, duas rationes affert, quarum vnam ex textu beati Ludgeri ſuprà deſcripto, alteram ex ætate Sancti Winfridi deſumit.

LXXIV. Annos tredecim, quos apud Ludgerum in vita Sancti Gregorij, Winfridus Anglus, priuſquàm natale ſolum repeteret, in erudiendis Friſiis inſumpſiſſe fertur, interpretatur incompletos, eóſque ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum numerat, necnon inſinuat ita partiendos, vt Winfridus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum Werdæ in ripa Rheni, ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-tertium Attingoæ, denique Feliſæ ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum manſiſſe cenſeatur.

LXXV. Non inficiamur Winfridum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto in patriam rediiſſe, ſed eum negamus annis tredecim in Friſia priùs commoratum eſſe. Multis rationibus opinionem noſtram tuemur.

LXXVI. Primò, ſi beatus Ludgerus in vita Sancti Gregorij, vbi de Sancto Winfrido ſeu Bonifacio ſermonem facit, à Sancto Willibaldo differt, quis in rebus, quæ Sanctum Bonifacium attingunt, eidem Willibaldo, ipſius Bonifacij diſcipulo, Magiſtri ſui vitam ex inſtituto ſcribenti, potiorem fidem non habeat, quàm beato Ludgero, qui vitam Sancti Gregorij ſeriùs in literas retulit, ibíque de Sancto Bonifacio ipſius Gregorij Magiſtro in tranſitu tantùm obitérque locutus eſt?

LXXVII. Secundò, ſi Winfrido annus Chriſti ſeptingenteſimus quinquageſimus-quintus, vt Serarius aſſerit, & quinquageſimus peregrinationis & vltimus

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

vitæ fuit, cur initium peregrinationis non ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto vt oporteret, ſed ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto repetitur? Deinde ſi decimus-tertius peregrinationis annus cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto componitur, annus quinquageſimus eiuſdem peregrinationis cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-tertio coincidit, nuſquàm verò cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto comparatur. Multò meliùs in Sancti Willibaldi ſententia Winfridus peregrinationem init anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, Martyriúmque conſummat anno peregrinationis ſuæ quadrageſimo, Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto. Nullam hic computus patitur difficultatem, nec eget emendatione, ſubtiliúue interpretatione; quâ vel dicas in eodem opere annos diuerſimodè, modò completos, incompletos modò numerari, vel ex annis prædictæ peregrinationis reſcindas biennium, quod Winfridus in Anglia poſt ſuum è Friſia reditum tranſegit.

LXXVIII. Tertiò, altum apud Auctores ſilentium de rebus, quas Winfridus geſſerit illo tredecim annorum ſpatio, quo commoratus in Friſia perhibetur à Ludgero.

LXXIX. Quartò, idem Ludgerus in vita Sancti Gregorij, vt infrà ex illius textu patebit, eundem teſtatur Gregorium Winfrido tanquam Magiſtro ab eo adhæſiſſe tempore, quo Winfridus ſeu Bonifacius, vt vocat, *dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos Orientales regiones Francorum iter agere cœpiſſet lucrandorum Deo populorum causâ, peruenit ad Palatiolum Monaſterium Virginum prope Treuiris ciuitatem, in ripa fluminis Moſellæ, cui tunc præerat Abbatiſſa nomine Addula.* Serarius vult id anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono contigiſſe, cùm Winfridus acceptâ poteſtate prædicandi Euangelium quibuſcumque gentibus infidelitatis errore detentis, cum licentia Gregorij Papæ, Româ in Germaniam implendi miniſterij causâ profectus eſt. *Maio*, inquit, *menſe, Româ in Germaniam prædicandi gratiâ venit, & B. Gregorium puerum in diſciplinam ſuam accepit*, 719. At Winfridus illo anno procul à Palatiolo Monaſterio & à Moſella flumine, Româ iter in Thuringiam per Longobardiam & Boioariam habuit. Ea de re ſic in illius vita Sanctus Willibaldus. *Cùm Niſam menſis, qui eſt Aprilis, præteriret, & Iairi qui eſt Maius, iam portæ pateſcerent, tunc etiam poſtulatâ atque acceptâ benedictione & literis, à beatiſſimo Papa ad inſpiciendos immaniſſimos Germaniæ populos directus eſt, vt, an inculta cordium arua Euangelico arata vomere, prædicationis ſemen recipere voluiſſent, conſideraret. Ac ſic extemplo collectâ numeroſâ Reliquiarum multitudine, reciproco ſuorum reditu conſcruorum, Italiæ fines adiit, optimúmque Longobardorum Regem Lichobrandum, pacificis ſalutatum muneribus compellauit, & honorificè ab eo ſuſceptus laſſata ex itinere membra repauſabat, ac ſic remuneratus ardua ac plena agrorum peragrans ſpatia, prærupta Alpium iuga tranſcendit, incognitóſque Baguarorum & confines Germaniæ terminos aggrediens in Thuringiam iuxta mandatum Apoſtolicæ Sedis, conſiderando progreſſus eſt.* Breuiùs clariúſque ſic Othlonus. *Literis acceptis à venerabili Papa profectus eſt inde ad Longobardorum Regem Luitprandum, à quo honorificè ſuſceptus aliquandiu cum eo eſt hoſpitatus. Profectus verò exinde, ardua & prærupta Alpium iuga tranſcendit, incognitóſque Bagoariorum & Germaniæ terminos perluſtrans, in Thuringiam deuenit.* A ciuitate Treuirica Monaſterióque Palatiolenſi longiſſimè abſunt, Roma, Longobardia, Alpes, Boioaria. Inueſtigandum igitur aliud tempus, quo Winfridus Palatiolum adierit. Illud ex ætate Sancti Gregorij facilè deprehenditur. Gregorius, vt Wilhelmus Heda in Hiſtoria Epiſcoporum Vltraiectinorum teſtatur [a], vixit annos ſeptuaginta, vitámque clauſit anno poſt Sancti Bonifacij Martyrium viceſimo-ſecundo, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo. Inde autem conſtat illius ortum in annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptimum, annúmque ætatis decimum-quintum, quo Winfridi aduentus ad Cœnobium Palatiolenſe conſignandus eſt, in annum Chriſti ſeptingen-

[a] In Epiſc. 3.

teſimum viceſimum-ſecundum incidiſſe. Sicque corruit Chronologia, quam Serarius ex beati Ludgeri textu ſtabilire conatur. Nam ſi Winfridus *poſt tredecim annos peracta in Freſonia prædicationis peruenit ad Palatiolum Monaſterium*, certè peregrinationis initium, ſiue appulſus in Friſiam, non cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto ſed cum anno Chriſti ſeptingenteſimo nono coincidit. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

Quintò, Winfridus, auditâ morte Radbodi Friſiorum Regis, in Friſiam mox perrexit. Id beatus Willibaldus in illius vita ſic enarrat. *Auditâ Radbodi Freſorum Regis morte, alueum quidem fluminis magno gauiſus gaudio nauigio aſcendit, optans quòd etiam Freſia recepiſſet verbum Dei, ad incultas cæleſti prædicatione terras peruenit, iámque atrocis ceſſante Regis Radbodi perſecutione, doctrina cæleſtis ſemina miniſtrauit, & verbi Dei fame expulsâ famelicam paganicæ ſuperſtitionis multitudinem æternæ prædicationis refecit pabulo.* Othlonus quoque ſic. *Audita Ratbodi Freſorum Regis morte, qui perſecutionem magnam per idem tempus in Chriſtianos exercuit, magno repletus gaudio in Freſiam nauigando deuenit, ibíque verbi diuini ſemina ſpargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit.* In veteribus Annalibus mors Radbodi conſignatur anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono. In Nazarianis ſic, DCCXIX, *mors Ratbothi*. In Petauianis, DCCIX, *Ratbodus mortuus eſt*. In Tilianis, DCCXIX, *quando mortuus fuit Ratbodus*. Ab obitu igitur Radbodi, donec Winfridus Palatiolum Monaſterium adierit, tres duntaxat effluxerunt anni. Atque inde conſtanter aſſerimus in vita Sancti Gregorij, quam Serarius allegat, annorum tredecim loco tres eſſe reſtituendos. LXXX.

Sextò, ipſemet Serarius triennalem hanc in Friſia prædicationem Winfridi non diſſimulat. *Poſt Radbodi*, inquit, *tyranni mortem in Friſiam iit ſecundò, tréſque circiter annos, 720, 721, 722, S. Willebrordi cooperator fuit.* Illius triennij, quod Winfridus in erudiendis Friſiis inſumpſit, in eius vita ſic meminit Sanctus Willibaldus. *Quia meſſis quidem multa, operarios autem paucos ineſſe cernebat, ſanctus hic Dei famulus cooperator factus etiam eſt per tres inſtanter annos Willibrordi Archiepiſcopi, multúmque in Chriſto laborans non paruum Domino populum deſtructis delubrorum fanis, & extructis Eccleſiarum Oratoriis, præfato Pontifice opitulante, acquiſiuit.* Et Othlonus eius Interpres, ſic. *In Freſiam nauigando deuenit, ibíque verbi diuini ſemina ſpargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit. Sub eodem quoque tempore per venerabilem Willibrordum Traiectenſis Eccleſiæ Præſulem buccina cæleſtis doctrinæ in Freſiam inſonuit. Cuius ſtudio Sanctus Dei famulus Bonifacius* ſeu Winfridus *omnimodo congaudens & adhærens per tres continuos annos laborauit cum illo, tam in deſtruendis fanis, quàm in conſtruendis Eccleſiis, omnibúſque negotiis diuinis.* LXXXI.

Septimò, beatus Ludgerus, cuius auctoritate ſolâ Serarius vtitur, litem omnem in eadem Sancti Gregorij vita dirimit, affirmat enim Winfridum, qui poſteà dictus eſt Bonifacius, ex Anglia veniſſe Carolo, quem perperam Regem vocat, iam Maioredomûs. *Gregorius ſpiritualem nobilitatem & prudentiam aſſecutus eſt à Sancto Martyre Bonifacio Archiepiſcopo & Magiſtro ſuo, qui in diebus nobiliſſimi Principis Francorum Regis* (Maioris-domûs) *Karoli de Britannia & gente Anglorum clariſſimum quoddam ſidus Franciam veniens*, &c. Cum vtraque autem Winfridi in Friſiam profectione, quarum alteram anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, alteram anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono conſignamus, rectiſſimè conuenit Maioratus Caroli, durauit enim *annis* XXVI. *menſibus* VI. vt Auctor [a] Annalium Metenſium tradit, id eſt, à menſe Aprili anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-quinti ad menſem vſque Octobrem anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi quadrageſimi-primi. Maioratum verò Regiæ domûs gerebat pater Caroli Pippinus anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto, cui Serarius Winfridi primum in Friſiam aduentum illigat. LXXXII.

[a] Ad an. 741.

Octauò, beatus Ludgerus in vita Sancti Gregorij, quia initium Geſtorum LXXXIII.

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

ab eius tyrocinio ſub Winfridi diſciplina ducit, primò tempus deſignat quo Winfridus in Franciam venit, ibique claruit, deinde notat & tempus quo Gregorius eidem Winfrido traditus eſt vt erudiretur. Winfridum ſeu Bonifacium in Francia floruiſſe ſcribit in diebus Caroli, Carolomanni ac Pippini, itaut eum ante Caroli Maioratum in Franciam veniſſe neget, aſſerat verò Martyrij palmam adeptum fuiſſe Pippino in viuis adhuc ſuperſtite. Subiungit Gregorium, cùm annum ætatis decimum-quartum vel decimum-quintum ageret, coram Winfrido ſe ſtitiſſe, qui, poſt peractam in Friſia prædicationem, prope Treuirim in Palatiolenſi Monaſterio tunc morabatur. Duas Winfridi profectiones in Friſiam non diſtinguit, iter in Italiam reticet, omittit & alia multa, quæ pertinent quidem ad vitam Winfridi, ſed ſunt extra metas Auctoris, qui vitam Gregorij ſcribit, réſque duntaxat duas è Winfridi vita recitandas habet, eius videlicet aduentum in Franciam, primúmque cum Gregorio tum puero colloquium. An ibi quidquam, quod Serario fauere videatur? Nihil omnino. Quem enim Winfridi in Franciam aduentum Serarius anno Chriſti ſeptingenteſimo quarto conſignat, hunc beatus Ludgerus collocat in diebus Caroli, id eſt, poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum quo Pippinus Caroli pater extinctus eſt.

LXXXIV. Nonò, beatus Ludgerus, vbi Winfridum in Franciam veniſſe ſcribit in diebus Caroli, manifeſtiſſimè teſtatur loqui ſe de poſteriore aduentu, quem in ipſius Winfridi vita ſanctus quoque Willibaldus eâdem obſeruatione ſic deſignat, *cùm Caroli Ducis glorioſi ſuper Freſones roboratum eſſet imperium.* Carolo Maiore-domûs, Winfridus, donec Palatiolum adiit & Gregorium in ſuam diſciplinam accepit, triennium duntaxat in erudiendis Friſiis inſumpſit. Id probatum ſuprà.

LXXXV. Mendum igitur in beati Ludgeri textum irrepſit, & annorum tredecim loco tres ſunt ſufficiendi. Quin & interpolatus eo loco, quo præcipuè Serarius ſe tuetur, apparet idem textus, vbi tres Winfridi manſiones in Friſia diſtinguit, eúmque propemodum ſolitarium repræſentat.

LXXXVI. Primò, ſi Winfridus Carolo tum Maiore-domûs in Franciam venit, & è Friſia citeriore ſeu Francica Palatiolum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo perrexit, fruſtrà tribus in locis Friſiæ manſiſſe dicitur, Wyrdæ ſeu Werdæ ſeptennio, triennio cùm Attingoæ, tum Feliſæ, tredecim enim anni ab initio Carolini Maioratûs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum non occurrunt.

LXXXVII. Secundò, Wyrda, ſiue, vt Serarius appellat, Werda, locus erat in Rheni ripa Monaſterio celebris, vbi Sanctus Suibertus ante aliquot annos obierat, Aſceterióque Monachorum tunc præerat Willeicus, ſed ad Friſiam minimè pertinebat.

LXXXVIII. Tertiò, Winfridus, vt Sanctus Willibaldus in eius vita teſtatur, *Franciam*, cùm iter in Friſiam ſuſciperet, *fratribus ſecum commeantibus ingreſſus eſt.* Ergo nec *propemodum ſolitarius* in Friſia fuit, nec apud Attingoam, qui ſecundus ſeſſionis locus fingitur, *primum cæpit habere diſcipulum, nomine Gembertum.*

LXXXIX. Vulgatus Sancti Ludgeri textus in vita Sancti Gregorij talis eſt. *Cùm ipſe electus Dei Bonifacius Martyr poſt tredecim annos peracta in Freſonia prædicationis, quibus in Auſtrali parte laci Almari, pauper Euangelicus, & propemodum ſolitarius ſanctam ſeſſionem ſuam tribus in locis peregiſſet, quorum vocabula locorum ſunt hæc. Primus vocatur Wyrda, in ripa fluuij Rheni, vbi ſeptem annis habitauit. Secundus vocatur Attingohem iuxta amnem Febta, vbi habitauit annis tribus, quo in loco primum cæpit habere diſcipulum nomine Gembertum. Tertius locus appellatur Feliſa, qui propior erat gentilibus & paganis, vbi tribus ſimiliter annis manſit. Poſt hos, inquam, tredecim annos, dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos Orientales regiones Francorum iter agere cæpiſſet*, &c. Vt autem mendum ſimul ac

interpolatio tollantur, ita reſtituendus videtur. *Ipſe electus Dei Bonifacius poſt tres annos peracta in Freſonia prædicationis, dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos Orientales regiones Francorum iter agere cœpiſſet*, &c. AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4. XC.

Nunc ſanum & integrum beati Ludgeri textum ab ortu Gregorij ad illius vſque colloquium in Palatiolenſi Monaſterio cum Winfrido ſeu Bonifacio habitum perlege, expunctâ quoque Regiâ dignitate, quæ Carolo eiúſque filiis in vulgatis exemplaribus perperam tribuitur. *Eſt mihi ſermo iſte de Domno Gregorio Abbate & Præceptore meo ab infantia, qui de nobili ſtirpe Francorum progenitus, nobilitate morum & ſapientiæ documentis nobilitatem ſeculi ornauit ac ſuperauit. Quam vtique ſpiritualem nobilitatem & prudentiam aſſecutus eſt à Sancto Martyre Bonifacio Archiepiſcopo & Magiſtro ſuo, qui, in diebus nobiliſſimi Principis Francorum Karli, de Britannia & gente Anglorum clariſſimum quoddam ſidus Franciam veniens, ſub Karlmanno & Pippino eiuſdem Karli glorioſiſſimis filiis quaſi Sol rutilans in ſanctitate expandit radios virtutis ſuæ & prædicationis, omniáque prope Regna, viuens in corpore, largiſſimis dapibus doctrinæ ſuæ reficiens, & fide meliorauit & vitâ. Atque poſt tranſitum ſuum de hoc mundo per Sanctum Martyrium, eadem Francorum Regna per electa grana diſcipulorum ſuorum, in exemplum Dominici ſeminis fructificare fecit, & proficere vſque in hodiernum diem. Inter quos B. Gregorius, columna Eccleſiæ Dei, inuentus eſt, qui, in diebus Religioſiſſimi Regis Pippini, ſuccedens Magiſtro, genti Freſonum miſſus eſt prædicator. Cui Magiſtro & Bonifacio Martyri B. Gregorius hoc modo adhærere cœpit & diſcipulatum eius ſubire. Ipſe electus Dei Bonifacius Martyr poſt tres annos peractæ in Freſonia prædicationis, dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos Orientales regiones Francorum iter agere cœpiſſet lucrandorum Deo populorum causâ, peruenit ad Palatiolum Monaſterium Virginum prope Treuiris ciuitatem in ripa fluminis Moſellæ, cui tunc præerat Abbatiſſa, nomine Addula, religioſa valdè & timens Deum. Quæ cùm vidiſſet Athletam Dei peregrinum & egentem, gratulabunda ſuſcepit eum in hoſpitium ſuum, implens Dominicam adhortationem, [hoſpes eram & collegiſtis me.] Cumque ille ſacer Sanctus viator Bonifacius ſecundùm ſolitum morem ſuum Miſſarum myſteria peregiſſet, vt propemodum omni die agere conſueuit, ſederunt ad menſam, ipſe ſcilicet & ancilla Dei Addula Abbatiſſa cum familia ſua. Cœperunt autem ad ipſum ſanctum conuiuium, pluſquàm epulas, ſolatium Sanctæ Scripturæ expetere, quo fieret fides audientium accenſa, ſpéſque & charitas renouata in Deum, qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Tunc quæſitus eſt Lector, & iuxta Dei voluntatem inuentus eſt electus puer Gregorius, qui per idem tempus nuper à ſchola & Palatio reuerſus, ſub laico adhuc habitu, quaſi quartumdecimum aut decimum-quintum agens ætatis annum, Dei inſtinctu venit ad auiam ſuam, id eſt, ad matrem patris ſui Albrici ſupradictam Abbatiſſam Deum timentem Addulam, datúſque eſt ei liber, qui acceptâ benedictione cœpit legere, & iuxta modum ætatis ſuæ benè perlegere.*

Serarius opinionem ſuam aliâ fulcit argumentatione, quam ab ætate Winfridi ſeu Bonifacij deducit. In literis ad Duddonem Abbatem Bonifacius *decrepitum* ſe dicit ac *membris omnibus vergentem ad viam vniuerſæ carnis*; & Sanctus Willibaldus de eodem Bonifacio teſtatur, *quòd*, antequàm Lullum *in Epiſcopatûs gradum* perueheret, iam *infirmitate corporis prægrauatus ſynodalia Conciliorum conuenticula per omnia adire non poterat.* Inde Serarius concludit Bonifacium obiiſſe maiorem octogenario, eique vitam ad annum vſque octogeſimum-quintum prorogat, ab anno videlicet Christi ſexcenteſimo ſeptuageſimo quo natum ſupponit, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quintum quo mortuum affirmant Sanctus Willibaldus & Othlonus eius Interpres. Eos autem, qui duos hoſce Scriptores in rebus Chronologicis ſequuntur, & Winfrido quadraginta tantùm peregrinationis annos attribuunt, ait à recta computatione procul aberrare, quia vitam illius vltra ſeptuageſimum annum vix extendunt. *Si ante peregrinationem*, inquit, *demus ei*, quando Sacerdos ordinatus eſt, *annos 30, aut* XCI.

AN. CH. 715. Dagob. III. R. 4.

paulò plures etiam poſt, dum in patria Sacerdos manſit, & ad hos adiungantur anni peregrinationis 40, vita ei tota non multùm vltra ſeptuageſimum annum propagata fuerit. Deinde obſeruat Winfridum, cùm eum Sanctus Willebrordus Epiſcopum conſecrare vellet, tanto ſe gradu minimè dignum duxiſſe, quoniam *adoleſcentiæ adhuc in annis* conſtitutus eſſet, & *quinquageſimi anni, iuxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plenè reciperet ætatem.* Qua de re ſic Sanctus Willibaldus in eius vita. *Cùm ſummus hic ſenuiſſet Pontifex,* nempe Willebrordus, *& ætatis plurimis grauaretur annis, decreuit etiam ſuggerente diſcipulorum cœtu, vt ſolatium tanti miniſterij ſuæ decrepitæ ſenectuti prouideret, & fidelem de parua Congregatione virum eligeret, qui tanto præeſſe potuiſſet populo. Accitóque hoc famulo, ſalutari eum inſtructione admonuit, vt Epiſcopalis regiminis ſuſciperet gradum, & ad regendum Dei populum ſibi ſubueniret. Qui etiam humiliter repentè reſpuens, minimè ſe dignum eſſe Epiſcopatûs gradu referebat, & ne ſibi tantæ dignitatis faſtigium, adoleſcentiæ adhuc in annis conſtituto imponeret, deprecatus; & quoniam quinquageſimi anni, iuxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plenè reciperet ætatem, teſtatus eſt, vt omni ſe penitus excuſationis tergiuerſatione ab huius gradûs celſitudine declinaret.*

XCII. Nobis rationes non deſunt, quibus aduerſarium refutemus. Winfridus aſſerit ſe *decrepitum*, & à Sancto Willibaldo dicitur *infirmitate corporis prægrauatus* ſub Pippino Rege. An continuò cenſendus eſt annum ætatis octogeſimum-quintum vel octogeſimum-ſextum attigiſſe? Quid idem Sanctus Villibaldus per decrepitam ſenectutem, quid per ætatem plurimis annis grauatam intelligat, diligenter attende. Willebrordum, cùm de Winfrido ſeu Bonifacio Pontifice ſubſtituendo cogitat, Epiſcopum *decrepitæ ſenectutis*, & *ætatis plurimis grauatum annis* exhibet. *Cùm ſummus hic*, inquit, *ſenuiſſet Pontifex, & ætatis plurimis grauaretur annis, decreuit etiam ſuggerente diſcipulorum cœtu, vt ſolatium tanti miniſterij ſuæ decrepitæ ſenectuti prouideret.* Id actum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, vt ad illum annum probabimus. Willebrordus annos tunc natus erat quinque duntaxat ac ſexaginta, in Franciam enim anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo venit, *triceſimo & tertio ætatis ſuæ anno*, vt Alcuinus in eius vita teſtatur. Super annis Winfridi non ita facile eſt pronuntiare. Noſtris tamen è calculis ſaltem colligimus eum quadragenario maiorem fuiſſe, cùm Epiſcopatûs, quem Willebrordus offerebat, onus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo ſecundo recuſauit. *Triginta* enim *aut eo ampliùs annorum habens ætatem ad Sacerdotalis officij gradum diuerſis donorum ditatus muneribus acceſſit.* In Britannia multa, quæ narrantur in illius vita, poſt ſuſceptum Sacerdotium præclarè geſſit, ibíque iuxta Serarij computationem manſit quadriennio. Venit igitur primùm in Franciam triginta-quatuor aut eo ampliùs annorum habens ætatem. A primo illius in Franciam appulſu, donec oblatus eſt à Willebrordo Epiſcopatus, integrum effluxit ſeptennium. Ergo vnius & quadraginta vel eo ampliùs annorum ætatem tunc habebat. Quapropter ad fugiendam Epiſcopalem dignitatem Willebrordo dicere non potuit, quòd *quadrageſimi anni necdum plenè reciperet ætatem*, cùm quadrageſimum ætatis annum reuerà expleuiſſet, rectè verò contra Serarij mentem reſpondit ſe *quinquageſimi anni necdum plenè ætatem* recepiſſe. Penè quinquagenarius tunc erat, poſt aſſumptum enim Preſbyteratûs Ordinem plures quàm quatuor in patria degit annos, antequàm in Franciam transfretaret. Epiſcopatu recuſato, ſuperſtes annos tres ac triginta vixit. Si quadraginta-ſeptem circiter annorum erat, vt admodum probabile videtur, cùm Epiſcopum ſe non paſſus eſt ordinari, vitam ad annum circiter octogeſimum produxit, ætatémque attigit ſatis grandæuam, vt ei præter canitiem attribuatur decrepita ſenectus cum oculorum caligatione. Quòd autem, vbi ait ſe *quinquageſimi anni necdum plenè ætatem* recepiſſe, ſe quoque *adoleſcentiæ adhuc in annis* conſtitutum pronunciat, adoleſcentiam vocat ætatem maturiore illâ, quæ annorum

AN. CH. 715. DAGOB. III. R. 4.

norum eſt quinquaginta, minorem, vt Serarius interpretatur. *Et verò,* inquit idem Auctor, *cùm non multò pòſt, à Gregorio II. Epiſcopus propriè creandus eſſet, de ætate prorſus tacuit, quæ tamen, ſi Eccleſiaſticis tum conſentanea Legibus non fuiſſet, ab eo commemorata ſaltem & indicata fuiſſet.*

XCIII. Quicquid igitur Nicolaus Serarius in rebus Moguntiacis [a], Aubertus Miræus in Faſtis Belgicis [b], Michael Alfordus in Annalibus [c] Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ, aliíque ſcribant, Winfridus Preſbyter, cùm annos circiter quadraginta natus eſſet, hoc anno, qui poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus decimus-quintus numeratur, ex Anglia in Franciam primùm venit. *Proſpero ventorum flatu*, inquit Sanctus Willibaldus in eius vita, *peruenit ad Dorſtat, ibíque aliquandiu commoratus, debitum Domino Deo exſoluit die noctúque præconium.* De illius reditu in patriam agemus anno ſequenti.

[a] Lib. 3 in not. ad vit. S. Bonifac.
[b] d. 5. Iun.
[c] Ad an. 697. n. 11.

XCIV. Patriam Winfridi Marianus, quia Scotus, Scotiam interpretatus eſt, & Winfridum Scotum dixit in ſuo Chronico [d]. Nicolaus Harpsfeldius [e] & Michael Alfordus [f] Angli Marianum iam refutarunt. Diſputationi nullus videtur locus eſſe. Winfridus enim in ſuis epiſtolis Anglum ſæpè ſe ſcripſit. In literis [g] ad Zachariam Papam, natum ſe nutritúmque ſignificauit *in Tranſmarina Saxonia.* Et in aliis Herefridum [h] Preſbyterum ſic compellauit. *Notum ſit charitati tuæ, quia hæc verba admonitionis noſtræ ad illum Regem*, nempe Athelbaldum Regem Merciorum, *propter nihil aliud direximus, niſi propter puram charitatis amicitiam, & quòd de eadem Anglorum gente nati & nutriti hîc*, in Germania, *per præceptum Apoſtolicæ Sedis peregrinamur.* De Saxonum & Anglorum aduentu in Britanniam è Germania, déque variis illorum Dynaſtiis, è quibus nobiliſſimum Angliæ Regnum coaluit, diſſeruimus alibi, duplicémque Saxoniam non ſemel diſtinximus, vnam veterem ſeu Germanicam, alteram nouam ſeu Tranſmarinam vel Britannicam.

PATRIA WINFRIDI.

[d] Ad hunc an.
[e] Secul. 11. cap. 26.
[f] Ad an. 741. n. 8.
[g] Ep. 132.
[h] Ep. 10.

---

716. CHILPER. III. R. 1.

ANNVS CHRISTI 716. CHILPERICI III. R. 1.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, qui primus Chilperici Tertij Regis numeratur, idem Chilpericus omnia conſilia eò direxit, vt opprimeret Carolum, qui Maioratum Palatij Auſtraſiani ſibi arrogabat. Numeroſum ex Neuſtria & Burgundia collegit exercitum, Radbodum Friſiorum Regem, qui fœdus cum Dagoberto Francorum Rege nuper pepigerat, vt pactis ſtaret, per nuncios ſollicitauit. Suis pollicitationibus non defuit Radbodus, ingreſſus eſt fines Auſtraſiæ cum validis copiis. Gnarus periculi Carolus, ne hinc inde laceſſitus obrueretur, priùs occurrit Friſiis, quàm Francorum ſeu Neuſtraſiorum exercitus aduentaret. Acriter vtrimque pugnatum eſt. Victor euaſit Radbodus. Hanc Caroli cladem plerique tacuerunt adulatorio more. Non diſſimularunt veteres Anonymi in Geſtis Regum Francorum & in Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta. Prior [i] ſic. *Franci Danielem quondam Clericum, cæſarie capitis creſcente, in regno ſtabiliunt, eúmque Chilpericum nuncupant. Quo etiam tempore denuò exercitu commoto, vſque ipſum fluuium Moſam veniunt, contra Carolum aciem dirigentes, atque ex alia parte Frigiones cum Ratbodo Duce conſurgunt. Carolus quoque ſuper ipſos Frigiones irruit, ibíque maximum diſpendium de ſodalibus ſuis perpeſſus eſt, atque per fugam dilapſus abſceſſit.* Poſterior [k] ſic. *Franci Danihelem quondam Clericum, cæſarie capitis creſcente in regnum ſtabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Iterato quidem tempore commoto exercitu contra memoratum Carolum dirigunt. Ex alia*

CHILPERICVS R. FOEDVS INIT CVM RADBODO R. FRISIORVM.

CAROLVS VINCITVR A FRISIIS.

[i] Cap. 52.
[k] Cap. 106.

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. 1.

*parte iidem cum hoſte * Friſionum venturo Radbodum Ducem inuitant. Contra quem prædictus vir Carolus cum exercitu ſuo conſurgens, certamen inuicem iniere. Sed non modicum ibi perpeſſus eſt damnum de viris ſtrenuis atque nobilibus. Cernénſque læſum exercitum, terga vertit.* Prior Anonymus hoc aduerbio *(denuò)* & poſterior his vocibus *(iterato tempore)* alludunt ad iter, quod Dagobertus Rex anno priori cum Ragenfredo Maioredomûs ſuſcepit, bellum moturus aduersùs Auſtraſios. Sic enim prior Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Franci Theudoaldo fugato Ragenfredum in Maiorem domatum elegerunt. Qui commoto cum Rege* Dagoberto *exercitu Carbonariam ſyluam tranſeuntes, vſque Moſam fluuium terras illas vaſtantes ſuccenderunt, cúmque Radbodo Duce gentili amicitias feriunt.* Et poſterior in Hiſtoria [b] iuſſu Childebrandi ſcripta. *Franci elegerunt in honorem Maiorisdomûs quendam Francum nomine Raganfridum. Commotóque exercitu hoſtili vſque Moſam fluuium properant, cuncta vaſtantes cum Radbodo Duce fœdus inierunt.* Vt igitur anno priori, ſic & hoc anno Neuſtraſij âduersùs Auſtraſios ad Moſam vſque perrexerunt. Interim Radbodus profligato Carolo victor ad territorium vſque Colonienſe peruenit menſe Martio. Audiendi ſuper eo negotio antiqui Annaliſtæ. Nazarianus ſic habet. *Anno* DCCXVI *pugnauit Carolus contra Ratboth.* Petauianus ſic. *Anno* DCCXVI. *quando Ratbodus venit Coloniam menſe Mart. Tunc pugnauit Carolus contra eum.* Tilianus ſic. *Anno* DCCXVI *Ratbodus venit ad Coloniam.* Et Auctor Chronici San-Dionyſiani. *Anno* DCCXVI *quando Radbodus venit in Colonia menſe Martio.*

* id eſt, cum exercitu.

[a] Cap. 51.

[b] Cap. 105.

II. Primæ expeditioni, quam Franci ſeu Neuſtraſij in Auſtraſios hoc anno ſuſceperunt, non interfuit Rex Chilpericus, interfuit autem ſecundæ, de qua infrà. Chartas interim, cùm eſſet Compendij, menſibus Martio, Aprili & Maio, varias emiſit, quibus erga Monaſteria ſe munificum teſtatus eſt; erga Monaſterium Sancti Dionyſij, quod in agro Pariſiaco ſitum eſt, ſexto Idus Martij; erga Monaſterium Fontanellenſe Diœceſeos Rotomagenſis octauo Kalendas Aprilis; erga Monaſterium Corbeienſe, quod eſt in Ambianenſi Diœceſi, tertio Kalendas Maij; erga Monaſterium Sancti Luciani, quod muris Bellouacenſibus adiacet, tertio Nonas Maij. Primam illarum chartarum Godefridus Henſchenius edidit in Exegeſi de Genealogia Regum Dagobertinorum, ſed iis mutilaram verbis quæ nihil ad probandum Chilperici Regis genus facere videbantur. De ſecunda nihil omnino legimus præter hanc clauſulam, quam Philippus Labbeus Elogio Hiſtorico Chilperici ſubiecit. *Datum quod fecit menſis Martius dies 25. anno primo Regni noſtri Compendio in Dei nomine. Fredebertus ſcripſit.* Tertiam Iacobus Sirmondus Tomo primo Conciliorum Gallicanorum in notis ad fundationem & immunitatem Monaſterij Corbeienſis primus laudauit, publicarunt poſteà Philippus Labbeus capite quinto [c] Miſcellaneorum curioſorum, & Petrus *Delalande* in Supplementis antiquorum Conciliorum Galliæ. Poſtremam Petrus Louuetus in Hiſtoria [d] ciuitatis Bellouacenſis euulgauit. Ex prima, & tertia genus Chilperici Regis ediſcitur, quod ad noſtram vſque ætatem penitus ignoratum eſt. In prima, Chilpericus non tantùm ſe Childerici Secundi filium, Clodouei Secundi nepotem, Dagoberti Magni pronepotem oſtendit, ſed & Theodoricum Tertium auunculum ſuum ſeu patruum, & conſobrinos ſiue agnatos, Clodoueum Tertium, Childebertum Tertium & Dagobertum Tertium vocat. In tertia, idem Chilpericus Childericum genitorem ſuum, auam ſiue auiam Baldechildem, Clotarium auunculum ſeu patruum dicit. In quarta quoque pleraque ſunt obſeruanda, quæ plurimùm ad dilucidationem rerum Bellouacenſium conducunt. Omiſsâ ſecundâ, quæ non peruenit ad noſtras manus, ceteras deſcribemus examinabimúſque.

CHILPERICVS R. MVNIFICVS ERGA MON. FONTANELLÆ.

[c] §. 2.

[d] Lib. 2. c. 18.

III. Charta pro Monaſterio Sancti Dionyſij ſic edita eſt. *Chilpericus Rex Francorum, Vir illuſter. Si facta parentum noſtrorum conſeruamus, Regiam conſuetudi-*

CHILPERICVS R. MVNIFICVS ERGA MON. SAN-DIONYS.

nem exercemus . . . . . . Ideóque venerabilis vir Chillerdus, Abbas de Baſilica AN. CH.
peculiaris Patroni noſtri Domni Dionyſij Martyris . . . . . . eò quòd bonæ memo- 716.
*riæ proauus noſter Dagobertus quondam Rex per ſuam * auctoritatem * manu ſuâ* CHILPER.
*roboratam *, vaccas cento Solduris . . . . . . quod in inſerenda de pago Cino-* III. R. I.
maneco in fiſci ditionibus ponebatur, ad ipſam Sanctam Baſilicam annis ſingulis * ſuâ.
conceſſiſſet. Vnde & ceſſionis ipſius & confirmationis literas ab auo noſtro Chlodoueo * auctoritate.
& bonæ memoriæ genitore noſtro Childerico vel auunculo noſtro Theodorico, ſed &
conſobrinis noſtris, Chlodoueo, Childeberto & Dagoberto, quondam Regibus, eorum * roboratâ.
manibus roboratas, ſicut præ manibus habere confirmat . . . . . . Vt hæc auctoritas firmior habeatur, & per tempora conſeruetur, manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus roborare. Chilpericus Rex. Datum quod fecit menſe Martio, die x. *anno* I *Regni noſtri. Compendio, in Dei nomine.* Chilardus ſeu Chillerdus Abbas, cuius mentionem Chilpericus Rex in ſuperiori charta fecit, apud Doubletum in Antiquitatibus San-Dionyſianis [a], quas in Gallia Chriſtiana Robertus & Sammarthani ſecuti ſunt, Monaſterium Sancti Dionyſij poſt Caynonem rexiſſe dicitur Childeberto Secundo Rege. Quem autem Childebertum Tertium vocamus, Auctores illi Secundum appellant, Childebertum enim Sigiberti Primi filium, Auſtraſiæ ac Burgundiæ quondam Regem, quoniam in agro Pariſienſi, vbi Monaſterium Sancti Dionyſij ſitum, numquam regnauit, Regibus Francorum haud accenſent. At ſeu Secundum ſeu Tertium nomines Childebertum, qui poſt Clodoueum Tertium Monarchiam Francorum obtinuit, eo certè regnante cura Monaſterij San-Dionyſiani non fuit penes Chilardum, ſed penes Cardericum & Cailedulphum, quorum ille proximus Caynonis ſucceſſor fuit, hîc verò Chilardi deceſſor. Hæc ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum iam probauimus, cùm ageremus de Turnoaldo, qui Pariſienſem Epiſcopatum ſponte tunc abdicauit, & in Monaſterio San-Dionyſiano Monaſticam vitam duxit ſub Abbatibus Cailedulpho & Chilardo, donec in Cœnobij regimen ſucceſſit hoc eodem anno, Chilperici Regis primo, quo Chilardus ſeu Chillerdus Abbas viuere deſiit, vt patet ex aliis literis, quas idem Chilpericus pridie Kalendas Martij, anno Regni ſui ſecundo, ſcripſit, cùm Turnoaldus Abbas iam eſſet. Illas literas anno ſequenti deſcribemus.

[a] Lib. 1. c. 25.

ABBATES SAN-DIONYS.

IV. CHILPERICVS R. MVNIFICVS ERGA MON. CORBEIENSE.

Charta pro Monaſterio Corbeienſi edita eſt in hunc modum. *Chilpericus Rex Francorum, Vir Inluſter, omnibus agentibus, tam præſentibus quàm & futuris. Quidquid in luminaribus, locis Sanctorum, vel pro opportunitate ſeruorum Chriſti concedimus, & quæ parentes noſtri pro eorum mercede conceſſerunt, pro noſtris oraculis confirmamus, ad mercedem nobis vel pro ſtabilitate regni pertinere confidimus. Igitur religioſus & venerabilis Abbas de Monaſterio cognominante Corbeia, qui ponitur in pago Ambianenſe, quem præcelſus auunculus noſter,* id eſt, patruus noſter, *Chlodecharius quondam Rex, vel domna & aua noſtra,* id eſt, auia noſtra, *Baldechildis quondam Regina, ob amorem Chriſti, in honorem SS. Petri & Pauli Principum Apoſtolorum, & Sancti Stephani Martyris viſæ fuerunt conſtruxiſſe, ad noſtram acceſſit præſentiam, Clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, eò quòd præfatus auunculus noſter Clottarius quondam Rex, ſeu etiam dicta aua noſtra domna Baldechildis Regina, vnde luminaria Monachi ibidem conſiſtentes habere deberent de teloneo de Foſſas annis ſingulis ad ipſo Monaſterio conceſſerunt. Hoc eſt, oleo lib* 10. *millia, garo modios* 30, *pipere lib.* 30. *cumino lib.* 150. *cariofilo lib.* 2. *cinamomo lib.* 5. *ſpico lib.* 2. *corto lib.* 30. *dactilibus lib.* 50. *Karigas lib.* 100. *amandolus lib.* 100. *paſticias lib.* 30. *auro pigmento lib.* 10. *ſeoda pelles* 10. *cordeniſæ pelles* 10. *carta tomi* 50. *itaut teonaria qui poſt teloneo Foſſenſe agere videbatur anno illatione hæc omnia ad miſſos ipſius Monaſterij, qui inde directi fuerint, dare & adimplere, imóque & euectione ad ipſius miſſos, qui hoc exigere ambularent perpetualiter abſque renouata tractoria annis ſingulis dare præcipimus, hoc eſt, veredos ſiue parauedos decem; panis nited. decem: ſequentes vegente: vino mod.* 1. *ceruiſâ mod.* 2. *lardo lib.* 10. *carne ponda vegente: caſio lib.* 12. *piſus lib.* 20. *capro* 1. *pul-*

Digitized by Google

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. 1.

los 11. oua 10. oleo lib. 2. garo lib. 1. piper vncia 1. cimino vncias 2. ſal, acetum, olera, lignum ſufficienter. Hæc omnia ſuperiùs commemorata locis conuenientibus annis ſingulis eiſdem tam euntibus quàm redeuntibus abſque mora dare & adimplere deberetis, etiam ad reuertendum carra 12 de loco in loco per loca conſuetudinaria, vſque quòd ipſe Cellarius ad ipſo Monaſterio pertinebat, dare deberetis, qualiter pro eorum mercede abſque diſpendio ipſius Monaſterij deberet prouenire, vnde & ipſâ præſcriptione ſubſcripto auunculo noſtro Clodecario, necnon & auâ noſtrâ Baldechilde Reginâ, ſed & confirmatione Domno & genitore noſtro Childerico quondam Rege, ipſe venerabilis Sebaſtianus Abbas nobis in præſente de hoc protulit relegenda, vel ſe ex hoc præ manibus habere affirmat, ſed pro firmitate ſtudium petiit ipſe Domnus Sebaſtianus Celſitudine noſtra, vt hoc circa ipſo, vel ipſo Monaſterio Corbeiâ, aut ſucceſſores ſuos, vel ipſâ congregatione, quæ in ipſo Monaſterio conſiſtere videtur, pro noſtra auctoritate pleniùs in Dei nomine confirmare & concedere deberemus. Cuius petitionem gratante animo per mercedis noſtræ compendium vel pro reuerentia ipſo ſancto loco ita præſtitiſſe & confirmaſſe, ſeu & ad noſtro præcepto conceſſiſſe & confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes vt ipſo Cellario de iam dicto telonio Faſſenſe ſed & ipſas tractorias vel inſpectas ipſas præceptiones memoratis Principibus, ſicut per eaſdem declaratur, pro hac noſtra auctoritate pleniùs in Chriſti nomine confirmatum Telonario, quam & reliqui Iudices ſubſcripto Cellario ad miſſos ipſius Monaſterij dare & adimplere procuretis, etiam dum in loco fuerint demorati, ſupraſcripta prabenda eis dare ſtudeatis. Imóque & reliqui Iudices pro locis conuenientibus de conſtituta euectione tam carrale quàm nauale, ſeu & ſupraſcripta prabenda eiſdem omnimodis noſtris & futuris temporibus abſque mora vel dilatione dare & adimplere annis ſingulis faciatis, quatenus pro nobis per beneficium integram & perpetualem debeat peruenire mercedem. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, vel per tempora conſeruetur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus roborare. Data ſunt ſub die tertio Kal. Maij, anno primo Regni noſtri, Compendio in Dei nomine feliciter. Regium hoc Diploma, licèt ſtylo ſit exaratum valdè barbaro, tria nos docet multùm notanda. Teſtatur in primis patrem Chilperico Regi fuiſſe Regem Childericum, auiam Baldechildem Reginam, patruum Clotarium Regem. Deinde palàm oſtendit Chilpericum Regem hoc anno, tertio Kalendas Maij, verſatum eſſe Compendij. Poſtremò indicat Sebaſtianum hoc anno Abbatem fuiſſe Monaſterij Corbeienſis. Prima obſeruatio nullum controuerſiæ locum relinquit, quæ de parentibus déque ætate Chilperici Regis moueri poſſet. Chilpericus patrem habuit Childericum Secundum Regem, erátque natus annos circiter tres & quadraginta, cùm adminiſtrationem Regni ſuſcepit, parentibus enim orbatus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, vt ad illum annum probauimus. Secunda obſeruatio Geſtis Regum Francorum conformis eſt, ex eo enim quòd innuit Chilpericum manſiſſe Compendij, cùm exercitus Francorum in Auſtraſiam contendebat, duplicem diſtinguit expeditionem, quarum priorem Chilpericus Rex per Legatos ſuſcepit. Tertia obſeruatio non inutilis eſt ad corrigendam Abbatum Corbeienſium Chronologiam, corúmque ſeriem comprobandam. Vt enim ex charta Theodorici Tertij Regis deprehendimus Erembertum electum fuiſſe Abbatem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo, ſic & ex Diplomate Chilperici Tertij Regis colligimus Sebaſtianum, quem Erembertus anteceſſit, Abbatem fuiſſe hoc anno, Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, nec eos audiendos eſſe, qui volunt Erembertum Chrodegario ſucceſſiſſe circa annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum, & Sebaſtianum Abbatis titulo gauiſum eſſe anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo. Ceterùm Sebaſtiano ſucceſſit Grimo ſeu Grimoaldus, de quo recurret ſermo.

ABBATES CORBEIENSES.

V.

CHILPERICVS R. MVNIFICVS ERGA MONASTER. S. LVCIANI.

Charta pro Monaſterio Sancti Luciani, talis eſt. *Chilpericus Rex Francorum, vir Illuſtris. Cùm in hac vita breui tempore maneamus, & ad mortem ineffugabiliter properemus, oportet vt voluntatem Domini faciamus, & Eccleſias vel*

Digitized by Google

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. I.

Sanctorum venerabilium loca deuotè conſtruamus, vt in perpetuum cum ipſis gaudere valeamus. Hæc enim facientes Deo vero ſine dubio placere poterimus, & cum Sanctis in perpetuum regnare. Igitur notum ſit præſentibus & futuris omnibus ſcilicet Agentibus noſtri Regni, quòd olim paganis irruentibus in Francorum terras Eccleſiæ deſtructæ, Monaſteria quamplurima depopulata atque vaſtata ſunt, ad quæ reædificanda, cum noſter animus, ſi facultas adſit, promptus omnino fuerit, Domnus Dodo Beluacenſis venerabilis Epiſcopus, atque chariſſimus noſter Ebrulphus Abbas cum aliis quampluribus fidelibus noſtri Regni adierunt Serenitatem noſtram, obſecrantes, vt quandam Eccleſiam, quæ ab antiquis in honore beati Petri Apoſtolorum Principis & Sancti Luciani prope muros Bellouacæ vrbis fuerat conſtructa, ſed poſteà quadam paganorum irruptione vaſtata atque deſtructa, pro ſalute noſtra atque totius Regni noſtri conſeruatione, noſtrâ munificentiâ & largitate reædificare iuberemus, & eam noſtrâ ditione & noſtri ſucceſſores in perpetuum teneremus. Et ideo maximè, quoniam genitores noſtri, datis quarumdam ſuarum poſſeſſionum redditibus, ad meliorem ſtatum quondam reducere voluerunt, & huiuſmodi prouidentiam Epiſcopis ſuprà nominatæ vrbis committentes crediderunt, ſed illi alia cupientes commiſſum hoc neglectum reliquerunt. Nos itaque ad id pergendum inuitat maximè, quod his diebus noſtris S. Lucianus Martyr Domini glorioſus iam ſuperiùs dicto Abbati Ebrulpho per viſionem apparuit, & vt Maxianum, qui adhuc in monte Milio latebat, ex illius conſortio pro Chriſto cæſum, de abdito ſubleuaret, & ſecum in eadem Eccleſia conderet, rogauit. Vbi ex eo quo iuſſio iſta peracta eſt, multa & præclara miracula per ſanctos illos Martyres in illo loco demonſtrantur. Igitur, quia petitio iuſta & vtilis exiſtit, Nos noſtram authoritatem præſtantes, per hanc decreti noſtri paginam decreuimus atque roborauimus, vt Eccleſia in honore beati Apoſtolorum Principis & Sancti Luciani, vbi ipſe Sanctus in corpore quieſcit, quæ eſt prope muros Bellouacæ vrbis, noſtræ liberalitatis munificentiâ reædificetur, & vt famulatibus Omnipotentis Domini aptetur, atque Cœnobitæ Deo famulantes ibi congregentur, ita tamen vt in perpetuum ſub noſtra noſtrorúmque ſucceſſorum Regum videlicet Francorum ipſe locus & Eccleſia conſiſtat iuriſdictione; nec eam aliquis alicui aliquâ poteſtate ſeculari prædito tradat vel ſubdat. Si quis autem contra hoc noſtræ ſanctionis decretum aliter quàm à nobis dictum eſt agere voluerit, & hoc noſtram Præceptum temerè præſumpſerit violare, iram ſummi Iudicis, pro cuius nomine & amore Nos iſta roborauimus, incurrat, & quantamcumque poſſeſſionem habere videtur, legibus amittat, & inſuper exul & profugus à poteſtate totius Regni noſtri fugiens recedat. Quod quidem Serenitatis noſtræ decretum, vt pleniorem vigorem obtineat, annuli noſtri impreſſione aſtipulari fecimus, atque manu propriâ ſubſignantes roborauimus. Signum Chilperici Glorioſi Regis. Ego Eltricus Palatinus Scriptor recognoui. Huc vſque charta Chilperici. Quæ ſequuntur, ſuppoſititia ſunt, exhibent enim Characteres Chronologicos, quorum alij apertiſſimè falſi ſunt, alij contra vſum illius ætatis ab Incarnatione Dominica & ab Indictione deſumuntur. *Datum anno Incarnationis Dominicæ* DCVI. *Indictione nonâ, Regni Chilperici Regis vigeſimâ ſecundâ. Actum Rothomagi in generali conuentu, tertio Nonas menſis Maij.* Iſta recitaſſe, refellere eſt. Nam Chilpericus Primus, cui chartam hanc Auctor additamenti ſuprà deſcripti voluit adſcribere, Regnum ſuſcepit anno Chriſti quingenteſimo ſexageſimo-primo, regnauítque *annos* XXIII, vt vetus Auctor in Geſtis [a] Regum Francorum notat, id eſt, ad annum [a] Cap. 35. vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum, vt probatum eſt Tomo ſecundo. Deinde quis annum cuiuſpiam Regis viceſimum-ſecundum per Indictionem viceſimam-ſecundam numerauit? Huiuſcemodi igitur additamento, quod tot erroribus ſcatet, ad fabulas amandato, chartam pro Monaſterio Sancti Luciani prope muros ciuitatis Bellouacenſis à Chilperico Rege, priuſquàm ad bellum procederet, hoc anno Compendij datam putamus tertio Nonas Maij. Nihil in hac charta legitur, quod Hiſtoricæ veritati repugnet, modò, Chilperici Regis nomine Chilpericum Tertium intelligas, vt, aliâ occaſione, ad annum Chriſti ſexcenteſimum

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. 1.

[a] Num. 10.

* S. Meſſian.

octogeſimum-tertium [a] iam monuimus. Sub ethnicis Romanorum Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, Sanctus Lucianus Bellouacenſium Apoſtolus cum duobus ſociis Maximiano & Iuliano, quos ad fidem Chriſtianam perduxerat, capitis abſciſſione Martyrium feliciter in agro Bellouacenſi conſummauit. Locus paſſionis is putatur fuiſſe, qui Prioratu Sancti Maximiani ſeu Maxiani vel Meſſiani * Martyris hodie conſpicuus eſt, mediâque leucâ diſtat ab Abbatia Sancti Luciani, quia beatus Martyr caput abſciſſum manibus ſuis ad locum vſque geſtauit, vbi ſepulturam elegerat. Illic ſtatim ac Eccleſiæ pax reddita eſt, plebs Chriſtiana Baſilicam erexit. Ineunte quinto ſeculo paganæ gentes in Gallias irruperunt. Tunc vaſtatus ager Bellouacenſis; Eccleſia ſolo adæquata; ſacræ exuuiæ, ne proiicerentur aut comburerentur, abſconditæ. Summotis pòſt Barbaris, Eccleſiola in eodem loco ædificata eſt, corpus autem beati Martyris delituit diutiſſimè, donec ſingulari Dei beneficio repertum eſt regnante tum Clodoueo Secundo. Deinceps auctus fidelium cultus erga Sanctum Lucianum; Ædiculæ, in qua depoſitus eſt, attributi redditus, datus Abbas cum aliquot Monachis; de auguſtiore Baſilica erigenda conſilium initum, totius operis cura Bellouacenſibus Epiſcopis à Regibus Francorum demandata. Chilpericus Tertius Regnum multò ſeriùs auſpicatus eſt re tamen infectâ propter diuturnam Epiſcoporum negligentiam, ad negotium autem ſedulò promouendum nouo prouocatus eſt prodigio. *Sanctus Lucianus Martyr Domini glorioſus Ebrulpho Abbati per viſionem apparuit, & vt Sanctum Maxianum, qui adhuc in monte Milio latebat, ex illius conſortio pro Chriſto cæſum de abdito ſubleuaret, & ſecum in eadem Eccleſia conderet, rogauit. Vbi ex ea die, quâ iuſſio iſta peracta eſt, multa & præclara miracula per ſanctos illos Martyres in illo loco* demonſtrata ſunt. Dodo Bellouacenſis Epiſcopus & Ebrulphus Abbas, vt obtinerent à Chilperico quod eius Anteceſſores in votis habere viſi fuerant, idoneum tempus ſe nactos rati, Regem adierunt, poſtularúntque vt *Eccleſiam, quæ ab antiquis in honore beati Petri Apoſtolorum Principis & Sancti Luciani Martyris prope muros Belloacæ vrbis fuerat conſtructa, reædificare*, id eſt, amplificare, auguſtiorémque, quàm tunc eſſet, facere iuberet, ſuâque ac ſucceſſorum *ditione*, ſeu protectione *in perpetuum* tueretur. Acquieuit petitioni Chilpericus, Regióque Diplomate teſtatus eſt ad id ſe duabus potiſſimùm de rebus impulſum fuiſſe, quòd Anteceſſores eandem Eccleſiam *datis quarumdam ſuarum poſſeſſionum redditibus* ad meliorem ſtatum reducere iam voluiſſent, quódque Sanctus Lucianus Ebrulpho Abbati nuper apparuiſſet, crebráque in eadem Eccleſia poſt Sancti Maxiani Tranſlationem miracula fieri conſueuiſſent. Quos autem Chilpericus *Genitores* ſuos appellauit, hos Anteceſſores interpretati ſumus. Chilpericus enim patrem habuit Childericum Secundum, qui quadriennio tantùm in Neuſtria regnauit vbi Bellouacum, auum verò Clodoueum Secundum quo regnante corpus Sancti Luciani repertum eſt, nec in ſua charta per Reges Francorum, qui Sancti Luciani Martyris *Eccleſiam datis quarumdam ſuarum poſſeſſionum redditibus ad meliorem ſtatum quondam reducere voluerunt, & eiuſmodi negotij prouidentiam iam ſuprà nominatæ vrbis* Bellouacenſis *Epiſcopis committentes crediderunt*, ſolos intellexit, patrem Childericum Secundum & auum Clodoueum Secundum, cùm ex Guidonis Bellouacenſis Epiſcopi literis iam citatis Childebertum Tertium erga prædictam Eccleſiam munificum fuiſſe conſtet. Suos igitur Anteceſſores, qui poſt Clodoueum Secundum in Neuſtria regnarunt, id eſt, Clotarium Tertium, Childericum Secundum, Theodoricum Tertium, Clodoueum Tertium, Childebertum Tertium & Dagobertum Tertium, *Genitores* ſuos vocabulo minùs proprio nominauit. Galliarum quoque Prouincias, quas initio quinti ſeculi paganæ nationes deſtructis Eccleſiis Monaſteriiſque vaſtatis miſerrimè peſſumdederunt, *Francorum*, qui nondum illis potiebantur, *terras* impropriè dixit. In toto Diplomate non occurrit alia difficultas. De Do-

Digitized by Google

done Epiſcopo Bellouacenſi déque Ebrulpho Abbate rurſum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum agemus. Interim Chilpericum Regem cum exercitu proficiſcentem comitemur. AN. CH. 716.

CHILPER. III. R. I.

VI. Alteram expeditionem, cui Rex Chilpericus interfuit, ita deſcribit Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Succedente tempore iterum ipſe Chilpericus cum Ragenfredo, hoſte commoto, Ardennam ſyluam ingreſſus, vſque Rhenum fluuium vel Coloniâ ciuitate peruenerunt, vaſtantes terram.* Alter Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi conſcripſit, meminit & Friſiorum, qui duce Radbodo Neuſtraſios in agro Colonienſi præſtolabantur. *Poſt hæc*, inquit [b], *Chilpericus & Raganfridus adunatâ hoſtili plebe Arduennam ſyluam tranſeunt, ab alia parte præſtolante Radbodo Duce, cum exercitu ſuo hactenus Coloniam vrbem ſuper Rhenum fluuium peruenerunt, regiones illas pariter vaſtantes.* Ambo igitur Reges coniuncto exercitu Coloniam obſidione cinxerunt. Id Ado in ſuo Chronico conſignat anno priori, menſe Iulio; de menſe conuenimus, de anno nequaquam. Plectrudis vrbem cum Pippini theſauris obtinebat, multâ pecuniâ libertatem prudenter emit. Inde victóres acceptis muneribus ad ſua regreſſi ſunt. In itinere Friſiis nihil ceſſit infauſtè, Francis verò luctuoſiſſima clades obtigit. Carolus, cùm ſibi plùs à Chilperico & à Ragenfredo quàm à Radbodo timeret, Friſiis tutiſſimum reditum in patriam permiſit, Francos vltrò laceſſiturus, ſi fortè opportuna daretur occaſio. De ſtrage Francorum mox edita ſic Anonymus in Geſtis [c] Regum Francorum. *Multo theſauro à Plectrude matrona accepto reuertebantur gaudenter. Sed in loco quodam, qui dicitur Amblaua, maximum, Carolo ſuper eos irruente, perpeſſi ſunt diſpendium.* Et Auctor Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ. *Munera multa & theſauros à præfata Plichtrude accipientes reuerſi ſunt. Sed in via, in loco qui dicitur Amblaua, ab exercitu Caroli grande perpeſſi ſunt damnum.* Quòd autem audis eos reuerſos eſſe *gaudenter*, hinc collige eos rediiſſe ſoluto, vt victori mos eſt, agmine, præcipitéſque in proprium exitium præ nimia fiducia corruiſſe. Leguntur apud Annaliſtam Metenſem multa de Amblauenſi pugna, quæ ſupra fidem videntur & fabulam redolent, ideóque à nobis omittuntur. Errat & idem Annaliſta, cùm certamen ad Amblauam priùs initum refert, quàm Chilpericus Coloniam obſidione cingeret. Miramur Encomiaſten Caroli ſic ſentire. Nam Chilpericus leui admodum damno affectus eſt ad Amblauam, ſi continuato nihilominùs itinere Coloniam obſedit.

[a] Cap. 53.
[b] Cap. 106.
OBSIDET COLONIAM.
[c] Cap. 53.
INFELICITER PVGNAT AD AMBLAVAM.

VII. Winfridus Preſbyter, quem in Friſiam citeriorem Francici tum iuris anno priori ex Anglia veniſſe diximus, hoc anno, cum Radbodus Friſiorum Rex amicitias cum Chilperico Francorum Rege pactus Auſtraſianis ſe rebus immiſcebat, per autumnum è Francia in Angliam rediit. *Graui ingruente paganorum impetu hoſtilis exorta diſſenſio inter Carolum Principem glorioſúmque Ducem Francorum & Radbodum Regem Freſorum, populos ex vtraque parte perturbabat, maximáque pars Eccleſiarum Chriſti, quæ Francorum priùs in Freſia ſubiecta erant imperio, Radbodi incumbente perſecutione ac ſeruorum Dei factâ expulſione vaſtata erat ac deſtructa, idolorum quoque cultura extructis delubrorum fanis lugubriter renouata. Tunc vir Dei proſpectâ peruerſitatis nequitiâ peruenit ad Trecht, ibíque aliquantis expectatis diebus, aduenientem Regem Radbodum allocutus eſt, & multis illarum peragratis ac conſpectis terrarum partibus, cùm, vtrùm ſibi in futurum prædicationis vſpiam pateſceret locus, perquireret, atque diuturnâ inquiſitione intelligeret ſe fruſtrà ibidem prædicando laboraturum, arida ſpirituali fertilitate arua reliquit & ad natale ſolum tranſmigrauit.* Hæc leguntur partim apud Sanctum Willibaldum primum Eiſtatenſem Epiſcopum, qui vitam Sancti Bonifacij, Winfridi aliàs nuncupati, primus conſcripſit, partim apud Othlonum Preſbyterum, qui prædictam Sancti Willibaldi lucubrationem *in locis quibuſdam ita infirmo intellectui obſcuram, vt difficilè pateat quò ratio tendat, ſententiâ apertiori reſerauit.* Radbodus Friſiorum Rex idololatra ex vlteriore

WINFRIDVS PRESBYTER REVERTITVR IN ANGLIAM.

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. 1.

Friſia, cui dominabatur, iter Coloniam vſque facere non potuit cum exercitu, quin Eccleſiæ Friſiæ citerioris adhuc nouellæ plurimùm nocuerit. Fuit iſtud graue luctuoſúmque tempus, necnon Euangelio pacis inimicum, effecítque vt Winfridus ſuam in Angliam rediret. Sancti enim, vt de pleriſque iam oſtenſum eſt, dum ſuum, ſine ſpiritualis virore germinis, laborem minimè pollentem perſpiciunt, ad alia prorſus loca fœcunda, laboris cum fructu, migrare conſueuerunt, quoniam incaſſum inhabitatur locus, ſi & fructus deeſt ſanctitatis.

VIII. Hoc eodem anno, *ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeptingenteſimo & decimo-ſexto*, vt Chronographus Fontanellenſis teſtatur [a], Benignus Abbas Fontanellenſis, *iuſſu Ragenfredi Maioris-domûs, de regimine Monaſterij proiicitur, & Wando Monachus, filius Baldrici, eius in loco ſubrogatur per annos tres*, id eſt, vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum, quo Ragenfredus à Carolo victus eſt in agro Sueſſionenſi. Benignus autem è Monaſterio pulſus abiit in Auſtraſiam, ſéque Caroli partibus adiunxit.

[a] Cap. 3.

WANDO FIT ABB. FONTANELL. EXPVLSO BENIGNO.

IX. Ad hæc tempora referri debent, quæ de Moderandi ſeu Moderamni Redonenſis Epiſcopi profectione in Italiam enarrantur à Flodoardo [b]. *Temporibus Chilperici Francorum Regis extitiſſe fertur Moderamnus Redonenſis Eccleſiæ Præſul, vir nobili proſapiâ oriundus. Qui per licentiam prædicti Regis limina Sancti Petri adire diſponens, diuertit in Monaſterium beati Remigij ſitum in ſuburbio Remenſis vrbis. Vbi liberaliter à fratribus eiuſdem loci ſuſceptus impetrauit à Bernardo ſacrorum cuſtode Reliquias de ſtola, cilicio atque ſudario Sancti Remigij. Quibus gratanter acceptis, iter inceptum lætus agens, dum permeat Italiam, in monte * Bardonum quadam nocte metatum habens, memoratas in ilicis ramo ſuſpendit Reliquias. Cúmque diluculò ſurgens iter cœptum arriperet immemor horum, nutu, ceu creditur, diuino hæc ibidem remanſere pignera. Procedente verò aliquanto longiùs Epiſcopo, vbi relictarum memor fuit Reliquiarum, ſuum ſtatim ad has recipiendum dirigit Clericum, nomine Vulfadum. Quo ad has perueniente, nullo valet eas ingenio contingere, dum mirabili ſigno, vt eas attingere vellet, eleuarentur in ſublimo. Hoc præfatus Epiſcopus audito miraculo, egrediens in eodem loco fixit tentorium: ſed relicta pignera eâdem nocte minimè valuit recipere, donec facto mane in Monaſterio, quod vocatur Bercetum, in honore Sancti Abundij Martyris inibi conſtructum, Miſſam celebrans prædictorum partem munerum deuoueret ibidem ſe relicturum. Sícque rapta ſibi recipiens, impleto venerabiliter voto, cœptum repetit iter. Cui obuius factus Luitbrandus Italorum Rex ſtrenuus, qui hanc auditu iam comperérat ſacrorum virtutem, amore beati Remigij ductus, idem Monaſterium, Bercetum ſcilicet, cum omnibus adiacentiis omníque Abbatia, manſos octingentos, vt tradunt, continenti, præfato Præſuli Moderamno delegauit, eíque in præſentia fidelium ſuorum legali de more veſtituram ex ea & chartam fecit. Remeans autem ab vrbe Roma memoratus Præſul acceſſit ad venerandum B. Remigij ſepulchrum; atque ſicut illi præmiſſus Rex hanc terram tradidit, ita nihilominùs ille S. Remigio eandem contulit. Sícque proſperè in ſuum reuerſus Epiſcopium, ſucceſſorem ſibi ordinari fecit, & vale faciens filiis ſuis, Bercetum Monaſterium repetiit, & vſque ad obitûs ſui diem in illo loco moderatè & honeſtè, vt ſeruus Dei, conuerſatus vixit. Qui quoque nonnullis deinceps locus miraculis illuſtratus claruit.*

[b] Lib. 1. c. 20.

MODERANDVS EP. REDONENSIS IT IN ITALIAM.

* *Mont Bardon.*

BENIGNE SVSCIPITVR A LVITPRANDO R. LONGOBARD.

REVERSVS DIMITTIT EPISCOPATVM.

X. De tempore, quo Luithprandus apud Longobardos regnauit, non omnes conueniunt, nec deſunt Auctores qui negent illum hoc anno Regem extitiſſe. Sed aduersùs huiuſcemodi Chronographos ſatis eſt ipſummet Luithprandum allegare, qui primum ſui Principatûs annum per menſem Februarium cum Indictione vndecima, id eſt, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, ſic comparauit in ſuo Edicto de Legibus Longobardorum. *Ego in Dei Omnipotentis nomine Luithprandus Excellentiſſimus, Chriſtianus & Catholicus, Deo dilecta gentis Longobardorum Rex, anno (Deo propitio) primo, pridie Kalendas Martias, Indictione vndecimâ, vnà cum omnibus Iudicibus*, &c. Lege quæ de eodem Luithprando ſeu Luidprando dicta ſunt ad annum Chriſti

ſeptingen-

Digitized by Google

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. I.

ſeptingenteſimum duodecimum [a], quo rediit è Boioaria cum patre Anſprando, & exilium cum Regno feliciter commutauit.

XI. Quot annos Sanctus Moderandus extra Franciæ fines in Regno Longobardorum vixerit, haud inquiremus. A pleriſque dicitur mortuus anno Chriſti ſexcenteſimo vndeuiceſimo. Colitur decimo-ſeptimo Kalendas Iunias apud Auguſtinum à Paſſu & alios; vndecimo Kalendas Nouembres in Supplemento Martyrologij Gallicani & in Armorica Sancta; dies obitûs alter fuit, alter Eleuationis, quam anno Chriſti ſeptuageſimo ſupra nongenteſimum Auctor Armoricæ Sanctæ conſignauit.

XII. Manci ſunt plerique Catalogi Redonenſium Epiſcoporum, omittunt enim eos qui poſt Sanctum Moderandum ſederunt vſque ad Warinum, cuius obitum anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo-ſexto collocant. At in Armorica Sancta, Sancto Moderando ſubrogatur Auriſcandus; tum Rothandus; deinde Stephanus; pòſt Auriſcandus Secundus, ipſius Warini deceſſor. Sancto igitur Moderando Redonenſem Epiſcopatum abdicanti relictiſque Galliis in Italiam abeunti ſuffectus eſt Auriſcandus Primus. Hic in Redonenſium Antiſtitum Indice, quem Auctor Armoricæ Sanctæ contexuit, fertur ordinatus anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo, & è viuis ſublatus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto. Super anno, quo vitam clauſit, nullam mouemus controuerſiam. Sed Infulis Epiſcopalibus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo ſecundo redimitum inficiamur, quia teſte Flodoardo [b] Moderandus ſeu Moderamnus, cui poſteà ſucceſſit, in Longobardiam primùm profectus eſt *temporibus Chilperici Francorum Regis*, Chilpericus autem Regnum ante annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum haud ſuſcepit.

SVCCEDIT AVRISCANDVS.

XIII. In Cathedra Namnetenſi multò diutiùs ſedit Amitho quàm Sanctus Moderandus in Redonenſi, Deomarus enim Amithonis ſucceſſor ad tempora vſque Caroli Magni peruenit. Amithonem arbitramur in viuis ſuperſtitem fuiſſe, cùm corpus Sancti Ærmenlandi Antrenſis olim Abbatis ex Oratorio Sancti Wandregiſili in Baſilicam Sancti Petri tranſlatum eſt; natus eſt enim Sanctus Ærmenlandus regnante Clotario Secundo, & Auctor, quem producturi ſumus, in vitæ prologo teſtatur *quædam* à ſe ſcripta, quæ *viſu* didiciſſet. Sic autem ille Tranſlationem beati Confeſſoris enarrat. *Vox quædam nocte facta eſt ad venerabilem Sadreuertum, eiuſdem Monaſterij Monachum, dicens. Perge cùm ſurrexeris craſtinâ die, & dic tuo Abbati, vt transferat corpus beati Ærmenlandi Confeſſoris de Oratorio Sancti Wandregiſili in Baſilica beati Petri Apoſtoli, ſummóque eum ſecus altare cum honore recondat. Pater verò eiuſdem Monaſterij huiuſcemodi nuncium à viro, quem pro Sanctitatis merito nimio diligebat amore, audiens, nimio repletus gaudio, cum Hymnorum laudibus membra beatiſſimi Confeſſoris cùm tumulo, in quo iacebat, eleuans cum fratribus deferebat quò ſibi fuerat imperatum.* Paulò pòſt Abbatem loci, nomine Dauidem, loquentem ſic introducit. *Oratione*, inquit, *completâ*, *venerabilis Dauid Abba dixit. Quia iam Miſſarum eſt completum officium*, *arbitror*, &c. Dauid in adminiſtrationem Antrenſis Monaſterij nuper ſucceſſerat. De Dauidis autem ſucceſſoribus altum eſt apud Hiſtoricos ſilentium. Miraculis, quibus poſt prædictam Tranſlationem Sanctus Ærmenlandus inclaruit, breuitatis causâ ſuperſedemus, hæc legi poſſunt apud Anonymum quem toties citauimus, apud Surium, apud Henſchenium & in Armorica Sancta.

EPISCOPI NAMNETENSES.

TRANSLATIO S. HERMELANDI.

DAVID ABB. ANTRENSIS.

XIV. *His diebus Theudo Boioariorum gentis Dux*, *orationis gratiâ*, *Romam ad beatorum Apoſtolorum veſtigia venit.* Hæc Paulus Diaconus in Geſtis [c] Longobardorum. Anaſtaſius [d] obſeruat Theudonem ad Apoſtolorum limina primum de gente Boioariorum occurriſſe, inſinuátque id contigiſſe Indictione decimâ-quartâ. Iam redierat in Galliam Corbinianus, de cuius profectione in Boioariam variiſque cum eodem Theudone colloquiis agemus ſuis locis.

THEODO DVX BOIOARIÆ IT ROMAM.

[a] Num. 6.

[b] Lib. 1. c. 20.

[c] Lib. 6. c. 13. vet. edit. cap. 44. nouæ edit.

[d] In Gregor. II.

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. 1.

XV. AIGLIBERTUS EP. CENOMANENS. OBIT.

Aiglibertus Cenomanenſis Epiſcopus, de quo ſæpè locuti ſumus, obiit hoc anno, ſedit enim annos triginta-quatuor cum dimidio, vt Coruaiſierus & Bondonnetus teſtantur. Si fides eſt manuſcripto Codici, quem Bondonnetus allegat, *vixit temporibus Childerici Secundi & Theodorici Primi*, nobis Tertij, *Regum Francorum, filiorum Clodouei Secundi, filij Dagoberti, circa annum ſexcenteſimum octogeſimum.* Iam probauimus Infulas Pontificales ante annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-primum non ei delatas fuiſſe. Coruaiſierus à Codice præcitato multùm receſſit, omiſſo enim Childerico Secundo qui priùs interierat, aſſeruit Aiglibertum Epiſcopum floruiſſe ſub Theodorico Rege, ſubque filiis Clodoueo & Childeberto, quibus Bondonnetus Dagobertum Childeberti filium adiecit, adde & Chilpericum eiuſdem Dagoberti Regis agnatum, penes quem erat Monarchia Francorum, cùm prædictus Aiglibertus viuendi finem fecit. A die quo Aiglibertus Epiſcopatum ſuſcepit, ad obitum vſque Theodorici Regis effluxerunt anni fermè vndecim. Illo temporis interſtitio Aiglibertus in comitatu Regio frequentiſſimè fuit, ideóque Epiſcopum ordinari curauit Petrum virum probitate & eruditione clariſſimum, qui per eius abſentiam Epiſcopale munus apud Cenomanos obiret. Natus eſt Petrus è vico Campaniaco *, qui duabus leucis ab vrbe Cenomanenſi diſtat. Lege Coruaiſierum & Bondonnetum in Aigliberto. De Regiis Literis, quas Scriptores illi tertio Nonas Martias, anno Theodorici Regis tertio Compendij datas & ab Aigliberto Epiſcopo impetratas volunt, quid ſentiremus, expoſuimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum, illas enim non anno III ſed anno XIII Theodorici Regis datas exiſtimamus. Nec placet nobis Bondonneti Chronologia, quæ Childerici Secundi mortem in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-octauum reiicit, vt Theodorici fratris ac ſucceſſoris annus tertius cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo coincidat, illo enim Chriſti anno Aiglibertus Epiſcopatum per menſem Martium non obtinuit, quia deceſſor Berarius ad menſem vſque Octobrem eiuſdem anni ſuperſtes vixit, vt ſuo loco diximus.

* *Champaigné ſur Hayne.*

XVI. EPISCOPI AVRELIANENSES.

A Leodegario Epiſcopo Aurelianenſi, cuius mentionem anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo fecimus, ad hæc vſque tempora, quibus Suauaricus Epiſcopatum ſuſcepit, in Aurelianenſium Pontificum Nomenclaturis, ſi Seuertianam omni probatione deſtitutam excipias, nullus Character Chronologicus inuenitur. Ea nos Tomo ſuperiori ratio perpulit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-ſeptimum [a] de proximis Leodegarij tum ſuperſtitis ſucceſſoribus Gaudone, Sigoberto, Seuerico & Baldaco, conglobatim ageremus. Poſt Baldacum ſeu Baldagum ſederunt, Adamarius ſiue Audemarus, Leodegarius II, Leodebertus, Suauaricus. De Adamario, Leodegario & Leodeberto, præter nomina nihil occurrit. Vtrùm Leodegarius Secundus à primo diſtinguendus eſſet, quidam viſi ſunt ſubdubitare, ſed facilè duos eiuſdem nominis Epiſcopos cenſemus admittendos, cùm inter vtriuſque Pontificatum maxima ſit annorum intercapedo. Suauaricum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-ſexto, Chenutius & Robertus, quibus Henſchenius etiam ſuffragatur, Epiſcopum conſtituunt. Nominatur Suauaricus in vita Sancti Eucherij ſui ex fratre nepotis, qui dum patruus Eccleſiam Aurelianenſem adminiſtrauit, ipſe Monaſticam vitam profeſſus inter Aſcetas Gemmeticenſes delituit. *Relinquens militiæ ſecularis cingulum*, inquit Auctor vitæ [b], *continuauit ſe ad cæli cultores, & in Monaſterio quodam; vocabulo Gemmetico, ſub regulari ouili ſe ſubdidit famulaturum.* Illi Cœnobio præerat Aichardus Abbas, vir inſignis pietate, de quo ſæpè iam diſſeruimus.

[a] Num. 28.

EVCHERIVS MONACHVS GEMMETICENSIS.

[b] Ap. Bolland. d. 20. Febr.

XVII. SIGIBALDVS FIT EP. METENSIS.

Hoc anno ad Epiſcopatum Metenſem, qui die viceſimâ-ſecundâ præteriti menſis Decembris vacare cœperat, promotus eſt Sigibaldus, ſeu Sigebaldus aut Sigiſboldus, de quo ſic Paulus Diaconus in libro de Epiſcopis

Digitized by Google

Eccleſiæ Metenſis. *Sigibaldus, generoſis ortus natalibus, religioſo cœtui Antiſtes* AN. CH.
effectus eſt, vir per omnia vtilitatibus Eccleſiæ deditus, ſactorum quoque culminum 716.
ſolertiſſimus reſtitutor. Hic de animarum ſtatu ſollicitus duo Monaſteria condidit, è CHILPER.
quibus vnum Elnacum, vel etiam Noua Cella dicitur, alterum quoque Noua Vil- III. R. I.
la vocitatur. Mendum irrepſit in vocabulum *Elanacum*, Hilariacum reſtitue, de quo Reuerendus admodum Pater Pulchronius illius loci Abbas ad Madaurenſem Epiſcopum, qui Geſta Metenſium Pontificum tunc concinnabat, inſpectis Archiuis ſui Monaſterij ſic reſcripſit [a]. *Sigibaldus Mediomatricæ Metropolis Antiſtes, præter innumera ſingularis vitæ monumenta, hoc Monaſterium, quod Noua Cella, ſiue Hilariacum, nuncupatur, ex fundamentis ſolerti ſtudio condidit, ac in honorem Diui Pauli, gentium Doctoris feliciſſimi, dicauit, prouentibus, priuilegiis, ceteriſque Monachorum inibi Deo famulantium vſui neceſſariis induſtriè cumulauit anno Incarnati Verbi trigeſimo-quarto ſupra ſeptingenteſimum* Ad illum igitur annum agemus de Noua Cella, ſermonem paulò pòſt facturi de Noua Villa, quam Nouâ Cellâ recentiorem nonnulli Scriptores aſſerunt.

[a] Ap. Maurisſ. in Hiſt. Metenſ. Epiſc. 36.

XVIII. EPISCOPI VIRODVNENSES.

In eadem Belgica prima, vbi Metæ, mortuus eſt hoc anno Abbo Virodunenſis Epiſcopus, cuius encomium paucis accipe. Puer Monachum induit in Monaſterio Theologienſi; Bertalamium, qui poſteà Monaſticen excoluit in eodem Cœnobio, deinde factus eſt Epiſcopus Virodunenſis, conſodalem regularibus inſtituit diſciplinis, Epiſcopum conſilio iuuit, ægrotantem inuiſit ex Abbatis licentiâ, dignúſque qui ſuccederet in Epiſcopatum habitus eſt à Clero & populo, licèt ætatis eſſet iam prouectæ. Eccleſiæ Virodunenſi præfuit annos duos incompletos. Ei Carolus ſubrogandum curauit Peponem, quo præceptore aliàs vſus fuerat. Lege Waſburgium [b].

[b] In Epiſc. 19. 20.

XIX.

Anaſtaſius, vt anno priori probatum eſt, imperauit annos duos & aliquot menſes, à die videlicet Pentecoſtes, ſiue à ſeptimo Idus Iunias anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-tertij, ad Autumnum vſque anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-quinti. Succeſſit in Imperium Theodoſius, qui teſte Beda [c] imperauit anno vno, vel, vt diſtinctiùs Theophanes & Anaſtaſius docent, anno completo cum duobus incompletis, ſiue ab Autumno anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-quinti ad octauum vſque diem ante Kalendas Apriles anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-ſeptimi. Leo enim octauo Kalendas Aprilis, Indictione decimâ-quintâ imperare cœpit. Qua de re ſic Theophanes. Ἐβασίλευσεν δὲ Λέων ἀπὸ κε'. τοῦ Μαρτίου μηνὸς τῆς ιε'. ἰνδικτιῶνος. Et Anaſtaſius. *Regnauit Leo ab octauo Kal. April. decimæ-quintæ Indictionis.* Vterque autem illorum Auctorum, annum completum, quem Theodoſio Imperatori tribuit, numerat iuxta ſupputationem Alexandrinam, τῆς θείας σαρκώσεως ψη'. diuinæ Incarnationis ſeptingenteſimum-octauum, ſiue, vt ſupputamus, annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum decimum-ſextum, quia inter vtramque computationem diſcrimen annorum octo perdurat à morte Mauricij Auguſti, vt aliâ occaſione ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſeptimum [d] probauimus. Beda [e] illò anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-ſexto, qui totus ad Imperium Theodoſij Auguſti pertinuit, Ceolfridi Abbatis, cùm ex Anglia Romam proficiſceretur, in Francia defuncti mortem ſic retulit. *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, duces & priuati, diuini amoris inſtinctu de Britannia Romam venire conſueuerant, inter quos etiam reuerendiſſimus Abbas meus Ceolfridus annos natus ſeptuaginta-quatuor; cùm eſſet Presbyter annis quadraginta-ſeptem, Abbas autem* XXXV, *vbi Lingonas peruenit, ibi defunctus, atque in Eccleſia beatorum geminorum Martyrum ſepultus eſt, qui inter alia donaria quæ adferre diſpoſuerat, miſit Eccleſiæ Sancti Petri Pandecten, à beato Hieronymo in Latinum ex*

[c] In lib. de ſex ætatib.

[d] Nu. 24. & ſeqq.

[e] In lib. de ſex ætatib.

CEOLFRIDI ABBATIS OBITVS.

AN. CH. 716. CHILPER. III. R. 1.

Hebræo vel Græco fonte tranſlatum. Ex poſtremis hiſce verbis Bedæ liquidò patet Ceolfridum priùs obiiſſe, quàm Romam perueniſſet, vnde redarguas Sauſſaium [a], qui vult eum *in reditu* defunctum eſſe. Quam Beda vocat Eccleſiam *beatorum geminorum Martyrum*, Sauſſaius & alij complures Eccleſiam *Sanctorum tergeminorum* appellant, id eſt, trium beatorum Martyrum, Speuſippi, Eleuſippi & Meleuſippi, qui vno editi ſunt partu, coronámque Martyrij ſimul perceperunt.

[a] d. 25. Sept.

XX. Cæſar Baronius Sancti Ceolfridi mortem in annum ſequentem reiicit, cúrque id præſtet, hanc vnam rationem affert, quod Beda in libro de ſex ætatibus ſuprà citato, priuſquàm de peregrinatione à Ceolfrido Abbate ſuſcepta ſermonem faciat, hæc proximè de Tyberis inundatione ſub Theodoſio Auguſto præmittit. *Tyberis fluuius, alueum ſuum egreſſus, multa Romanæ fecit exitia ciuitati, itaut in via lata ad vnam & ſemis ſtaturam excreſceret, atque à porta Sancti Petri vſque ad pontem Miluium aquæ deſcendentes coniungerentur. Manſit autem diebus ſeptem, donec agentibus Letanias crebras ciuibus, octauo demum die reuertit.*

XXI. Fatemur inundationem primùm Tyberis, deinde Ceolfridi peregrinationem à Beda narrari, ſed vt negamus inundationem illam in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſeptimum incidiſſe, ſic & inficiamur peregrinationem Ceolfridi Abbatis in illum annum differendam eſſe.

XXII. Vt prædictam inundationem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo conſignet, vitam Gregorij Secundi Papæ ab Anaſtaſio conſcriptam citat Baronius, in qua Tyberis ad proprium alueum *per 15 Indictionem* regreſſus aſſeritur.

XXIII. At Indictio decima-quinta partim anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, partim anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo illigatur, conuenítque partim cum Imperio Theodoſij, partim cum Imperio Leonis, hic enim octauo Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, currente eâdem Indictione decimâ-quintâ, imperare cœpit. Theodoſio Imperium obtinente, Tyberis inundauit. Id in libro de ſex ætatibus affirmat Beda ſynchronus, nec à Bedæ calculo recedit Anaſtaſius, cuius textum quiſquis attentè legerit, inundationem Romæ factam exiſtimabit Indictione decimâ-quintâ ineunte, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, ſub Theodoſio Auguſto, atque inde concludet Ceolfridum Abbatem, cuius obitus ſeptimo Kalendas Octobris conſignatur, ex hac vita ſublatum eſſe eâdem Indictione decimâ-quintâ per vnum fermè menſem inchoatâ, cùm Imperium Romanum penes Theodoſium Auguſtum erat, annúſque à Chriſto nato ſeptingenteſimus decimus-ſextus numerabatur. *Vt ingreſſus eſt memoratus Theodoſius Regiam Vrbem*, inquit Anaſtaſius, *imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ erant ſex Synodi depictæ, & à Philippico nec dicendo fuerat depoſita, in priſtino erexit loco, itaut huius fidei feruore omnis ab Eccleſia ceſſaret quæſtio. Eo autem tempore fluuius, qui appellatur Tyberis, alueum ſuum egreſſus ſeſe per campeſtria dedit, intumuit etiam inundatione aquarum multarum, & per portam, quæ Flaminia dicitur, ingreſſus eſt. Tranſcendit intereà aliquibus in locis & muros vrbis, atque vltra Baſilicam Sancti Marci per plateas ſe extendit, itaut in via lata ad vnam & ſemis ſtaturam aqua eiuſdem fluminis excreuiſſet, atque à porta beati Petri Apoſtoli vſque ad pontem Miluium aquæ ſe extenderent, & iuxta remiſſa in ipſius fluminis alueum ſe dedit. Domos itaque euertit, agros diſſipauit, eradicans arbuſta & ſegetes. Nam nec ſerere ipſo potuit tempore pars maxima Romanorum. Pro hoc imminebat tribulatio magna. Per dies autem ſeptem aqua Romam tenebat peruaſam. A Domno itaque Papa Letaniæ crebrò fiebant. Cúmque in oratione & Letaniis perſiſteret, poſt octauum iam diem miſertus Deus aquam amouit, & fluuius ad proprium regreſſus eſt alueum per 15 Indictionem.* Certè hic Auctor, cùm obſeruat magnam Romæ tribulationem fuiſſe, quia pars maxima Romanorum ipſo inundationis tempore ſerere non potuit, palàm oſtendit fluuium

AN. CH. 716.
CHILPER. III. R. 1.

exercuiſſe ſub initium Indictionis decimæ-quintæ poſt Kalendas Septembris, eâ videlicet anni tempeſtate, quâ ſerere conſueuerunt agricolæ.

XXIV. Michael Alfordus in Annalibus Eccleſiæ Anglo-Saxonicæ [a], licèt à Baronio nolit recedere, non diſſimulat aliter ſentire Wigornienſem, qui Ceolfridum apud Lingonas anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto peregrinum obiiſſe tradit, *ſeptimo Calendarum Octobrium die, feriâ ſextâ*. Biſextilis fuit annus poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus decimus-ſextus, prædictúſque literis Dominicalibus, E ante intercalationem biſexti & D poſt intercalationem, illóque anno dies ſeptimus ante Kalendas Octobres, cui litera F præfigitur, in feriam ſextam incidit.

[a] Ad an. 717. num. 6.

XXV. Mortuus eſt igitur Ceolfridus apud Lingonas hoc anno, ſeptimo Kalendas Octobris. Multis ibi poſt mortem miraculis inclaruit, donec in Angliam ad Cœnobium, cui præfuerat, magna cum veneratione reuectus eſt. Hæc Tranſlatio in Supplemento Martyrologij Gallicani ſeptimo Kalendas Nouembris annotatur.

TRANSLATIO.

717.
CHILPER. III. R. 2.

ANNVS
CHRISTI 717.
CHILPERICI III. R. 2.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo ventum eſt iterum ad pugnam. Chilpericus Rex & Ragenfredus Maiordomûs Neuſtraſios ac Burgundiones in aciem eduxerunt, Auſtraſios Carolus. In procinctu belli, Chilpericus, cùm eſſet Compendij, pridie Kalendas Martij Monaſterio Sancti Dionyſij tradidit ſyluam prope Sequanam in agro Pariſienſi. Roueritum * vocabatur hoc nemus, poſterioribúſque ſeculis nomen à vicino oppido nomen accepit Sancti * Clodoaldi. Chartam donationis publicauit *Iacobus Doublet* in antiquitatibus San-Dionyſianis, integram deſcribemus ne vno quidem apice mutato vel omiſſo, quamuis præter barbarum illius temporis ſtylum frequentes vocalium mutationes nimiùm affectatæ videantur in pleriſque vocabulis, vbi *e* pro *i* & viciſſim *i* pro *e*, necnon *o* pro *u* ac viciſſim *u* pro *o* vſurpantur, vt *ſe* pro *ſi*, *alequid* pro *aliquid*, *nomene* pro *nomine*, *cognuſcat* pro *cognoſcat*, *vrdenandum* pro *ordinandum*, *ſeo* pro *ſeu*, &c. *Chilpericus Rex Francorum vir inluſter. Se* [1] *alequid ad loca Sanctorum de noſtris muneribus præſtamus, vel concedemus* [2], *hoc nobis ad mercidem* [3] *vel ſtabeletate* [3] *Rigni* [4] *noſtri in Dei nomene* [5] *pertenire* [5] *confidemus* [5]. *Ideò cognuſcat* [6] *vtiletas* [6] *ſeo* [6] *magnetudo* [6] *veſtra, quod nos foreſte noſtra Rouerito cum omnem* [7] *iure vel termene* [8] *ſuo ad integrum, quæ eſt in pago Pariſiaco ſuper fluuium Sigona, vnà cum illo foreſtario nomene* [9] *Lobecino, qui commanet in fiſco noſtro vetus Clippiaco, vnà cum manſus quod in ipſo Clippiaco tenire* [10] *viditur* [10], *vel terras ad ipſius manſus aſpicientes ad integrum ad Baſileca* [11] *peculiares* [11] *patronis* [11] *noſtri S. Dionyſi, vbi ipſe precioſus Domnus in corpore requieſcit, vel vbi Donnus Turnoaldus Epiſc. cuſtos præeſſe videtur, ad peticione inluſtri viro Raganfredo Maiorim domûs noſtro, plina* [12] *& integrâ gratiâ, ad die præſente viſe* [13] *fuemus conceſſiſſe. Quapropter pro præſente Præceptione ſpecialiùs decernemus* [14] *vrdenandum, quod in perpetuum circa ipſo ſancto loco manſurum eſſe volemus, vt ipſa foreſte noſtra Rouerito cum omnem iure vel termene* [15] *ſuo ad integrum vnà cum ſupraſcrepto* [16] *foreſtario vel manſus ſuos cum terris vel pratis in ipſo Clippiaco ad integrum ipſe Donnus Turnoaldus Epiſcopus ad ipsâ ſanctâ Baſilecâ* [17] *Domni Dionyſij Martheris* [18], *plinâ* [19] *& integrâ gratiâ, ex noſtro munere largitatis hoc habeat conceſſum atque indultum, vt eis inantia* [20] *ſemper meliùs delectit* [21] *pro*

CHILPERICVS R. MVNIFICVS ERGA MON. S. DIONYS.

* *la foreſt de Rouuray.*
* *la foreſt de S. Cloud.*

1. *Si aliquid*
2. *concedimus,*
3. *mercedem vel ſtabilitatem*
4. *Regni*
5. 5. 5. *nomine pertinere confidimus.*
6. 6. 6. 6. *cognoſcat vtilitas ſeu magnitudo*
7. *omni*
8. *termino*
9. *nomine*
10. 10. *tenere videtur,*
11. 11. 11. *Baſilicam peculiaris Patroni*
12. *plena*
13. *viſi fuimus*
14. *decernimus ordinandum.*
15. *termino*
16. *ſupraſcripto*
17. *Baſilica*
18. *Martyris.*
19. *plena*
20. *inantea*
21. *delectet*

Digitized by Google

AN. CH. 717. CHILPER. III. R. 2.

ſtabeletate[22] *Rigni*[23] *noſtri, vel pro ſalute patriæ Domni meſericordiæ*[24] *adtenciùs exorare, & nullâ requiſitione, nec vllo impedimento ad iudicibus publicis tam in noſtro tempore quàm & ad ſuccedentium Rignum*[25] *ob hoc habire*[26] *non protemiſcant*[27], *niſe*[28] *ad ſupraſcreptu*[29] *Baſilecâ Domni Dionyſij, noſtris & futuris temporibus proficeat*[30] *in augmentis. Et vt hæc Præceptio firmior habiatur*[31] *vel per tempora conſeruitur*[32], *manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decernemus*[33] *roborare. Signum. Chilpericus Rex. Raganfredus optulit. Datum pridie Kal. Marcias annum ſecundum Rigni*[34] *noſtri Compendio in Dei nomene*[35] *feliciter.* Hæc charta nihil habet quod Annalibus Francorum Chronologiæque refragetur, edita nihilominùs eſt vitioſiſſimè, in publicis enim inſtrumentis illius ætatis non occurrit adeò frequens adeóque barbara vocalium permutatio.

22. *ſtabilitate* 23. *Regni* 24. *miſericordiam* 25. *Regnum* 26. *habere* 27. *pertimeſcant.* 28. *niſi* 29. *ſupraſcriptâ Baſilicâ* 30. *proficiat* 31. *habeatur* 32. *conſeruetur.* 33. *decernimus* 34. *Regni* 35. *nomine*

II. TVRNALDVS ABB. SANDIONYS.

Turnaldus ſeu Turnoaldus, cuius mentio fit in Diplomate ſuprà recitato, locum habet cùm inter Abbates San-Dionyſianos tum inter Epiſcopos Pariſienſes. Plerique, qui Catalogos prædictorum Abbatum & Epiſcoporum texuerunt, illum ex Abbate San-Dionyſiano Pariſienſem Epiſcopum factum putant. At ipſimet Indices refragantur. In Abbatum San-Dionyſianorum Nomenclatura, quam Doubletus & Robertus ediderunt, Turnaldus Abbatiali munere ſub Chilperico & Theodorico Regibus fungitur, id eſt, ſub Chilperico Tertio & Theodorico Quarto. Nec aliò abeunt Sammarthani, cùm Abbatem ſub Dagoberto Secundo Cailedulphum ſeu Chagledulphum ſtatuunt, eíque Turnaldum ſucceſſorem immediatum aſſignant, nam quem Dagobertum Secundum vocant, Tertium dicimus, eíque proximè Chilpericum Tertium, tum Theodoricum Quartum ſubrogamus. Si Diploma, quod Chilpericus hoc anno Regni ſui ſecundo pro Monachis San-Dionyſianis emiſit, conferatur cum alio quod anno ſuperiori, Regni ſui primo, conceſſit, dubium non eſt, quin illo temporis ſpatio, quod inter vtrumque interceſſit, obierit Chillerdus ſeu Chilardus Abbas, eíque Turnoaldus ſeu Turnaldus ſucceſſerit, vt anno priori certiſſimè aſſeruimus. In Catalogis autem Epiſcoporum Pariſienſium, quos Demochares, Chenutius, Auctoréſque Galliæ Chriſtianæ & Antiquitatum Pariſinarum ediderunt, poſt Agilbertum de quo ſub finem ſuperioris Tomi ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [a] locuti ſumus, hi proximè ſubſequuntur, Sigofridus, Turnaldus, Adulphus, Bernecharius, Hugo, quorum poſtremus adminiſtrationem Epiſcopatûs ſuſcepit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto, ſiue anno quarto Theodorici Quarti Regis, cùm Turnaldus, qui priùs eundem Epiſcopatum geſſerat, Abbatis officio fungeretur. Certè Chilpericus in literis ſuprà deſcriptis, vbi de Turnoaldo Abbate San-Dionyſiano loquitur, illum vocat Epiſcopum, nec huiuſce appellationis ratio poteſt afferri, niſi quòd antequàm Monachus Abbáſue fieret, ordinatus fuiſſet Epiſcopus. Aliâ non opus eſt argumentatione. Lege quæ variis locis iam dicta ſunt de Pariſienſibus Epiſcopis & Abbatibus San-Dionyſianis. Turnoaldus Epiſcopatum Pariſienſem abdicauit anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, Monaſticam vitam in Cœnobio Sancti Dionyſij duxit ſub Abbatibus Cailedulpho & Chillerdo, factus eſt Abbas anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, rexítque Monaſterium prudentiſſimè, Bernechario & Hugone Epiſcopatum gerentibus, regnantibúſque Chilperico Tertio & Theodorico Quarto. Succeſſit in adminiſtrationem Cœnobij Delphinus Abbas, anteceſſor Singeberti, de quo plura ſuo loco.

[a] Num. 7.

III. ERMINVS ABB. LOBIENS. PROPHETIA CLARET.

Duodecimo Kalendas Aprilis, Chilpericus Rex infeliciter pugnauit cum Carolo. Peruetuſtus Auctor [b], qui res à Sancto Ermino Lobienſi Abbate geſtas literis commendauit, eas à Flacberto ipſius Ermini diſcipulo ſe profeſſus eſt didiciſſe, prædictúmque Abbatem ſpiritu prophetiæ afflatum multis exemplis demonſtrauit, è quibus illud ad Caroli victoriam pertinet. Digreſſis templo ſodalibus, Erminus in oratione ſolus aliquando perſeuerabat, cúmque ſomno reluctaretur, hanc ad ſe ferri tertiò vocem audiuit;

[b] Ap. Fiſen. d. 25. Apr. n. 2.

Digitized by Google

Caroli eſt victoria. Quod redeuntibus ad preces deinde Monachis enarrauit. Illo ipſo die commiſſam pugnam & inſignem victoriam à Carolo ſtetiſſe, poſteà compertum eſt. Multæ ciuitates Auſtraſiæ nondum à Chilperico Rege defecerant. In his erant Remi quorum Epiſcopus Rigobertus. Inde ortæ inter illum & Carolum diſcordiæ, quas Flodoardus libro ſecundo [a] Hiſtoriæ Remenſis ita deſcribit. *Ortâ ſimultate inter Regem Chilpericum & Carolum præfati Pipini filium Maiorémque domûs Raganfridum, Carolus iſte prope vrbem tranſiens Remorum, clamaſſe fertur ad beatum Rigobertum ſupra portam ciuitatis ſitum, vt ei iuberet eandem portam aperiri, quatenus ad Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis oratum poſſet abire. Cui crebris in idipſum vocibus inſtanti reſpondiſſe vir Domini perhibetur, quòd non illi eam priùs aperiret, donec ſciret quem finem lis cæpta perciperet, ne fortè vrbem ſibi commiſſam illi diripiendam proderet, qui aliarum res nonnullas vrbium iam diripuiſſet. Ad hæc Carolus comminatus furibundè aſſeritur, quòd ſi reuerteretur victor in pace, non vltrà idem vir Dei tutus maneret in eadem ciuitate. Supra portam ſiquidem, quæ dicitur Baſilicaris* *, *vel quòd Baſilicis in gyro ſui diſpoſitus abundauit, vel quòd euntibus ad Baſilicas in vico Sancti Remigij ſitas peruia fuerit, hic benedictus Domini conſueuiſſe traditur commorari, quòd apertis cænaculi ſui feneſtris loca Sanctorum beati Remigij ceterorúmque orandi gratiâ ſolitus fuerit contemplari. Oratorium quoque ſuper eandem portam conſtruxerat in honore Sancti Michaelis Archangeli, de quo in contiguam Sancti Petri Eccleſiam deſcendere morem fecerat orationis amore.* Narrantur eadem fuſiùs in vita Sancti Rigoberti, quam Bollandus [b] è manuſcripto Codice Sanctæ Mariæ Boni-Fontis euulgauit. Auctor pugnatum ait *in campo Vinciaco, Dominicâ die illuceſcente*, XII *Kal. Aprilis, in Quadrageſima.* Deſignant hi Characteres bellum, quod hoc anno geſtum eſt. Ter enim cum Carolo dimicarunt Chilpericus & Raginfridus infelici exitu, ſemel ad Amblauam anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, iterum hoc anno in campo Vinciaco, poſtremò prope Sueſſionem anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo. Waſburgius [c] Peponem Virodunenſem Epiſcopum, quòd Caroli partibus per iſta tempora fauerit, impenſè laudat, affirmátque adeò dilectum à Carolo, vt ab eo Comes ſeu Gubernator Virodunenſis inſtitutus ſit, ampliſſimáſque poſſeſſiones Eccleſiæ Virodunenſi ſeu tradi ſeu reſtitui curarit. Peponem, quòd Carolum ſecutus ſit, hoc loco commendare non poſſumus. Omni verò laude maiores arbitramur Rigobertum Epiſcopum Remenſem alióſque, qui Chilperico Regi fidem in Auſtraſia conſtantiſſimè ſeruarunt. Iniquam Caroli cauſam fuiſſe nemo ſanus non iudicabat. In Chronico, quod Hugo Monachus primùm Sancti Witoni Virodunenſis, tum Abbas Sancti Petri Flauiniacenſis in Burgundia compoſuit, & Philippus Labbeus [d] ex ipſo Auctoris autographo primus publicauit, hæc de Pepone leguntur. *Præerat Virdunenſi Eccleſiæ Peppo Epiſcopus, & in illa ſeditione, quam diximus fuiſſe inter Rainfredum Francorum Principem & Karolum Tuditem, ipſe fauit partibus Caroli, & ob id obtinuit pretio cum Carolo & quodam nobili vaſallo Calmontem villam cum omnibus appendiciis. Poſtquàm verò Dominus Carolo ſolidauit Francorum regnum, addidit & alia quamplurima, vt oſtendit chartarum notitia.*

AN. CH. 717. CHILPER. III. R. 2.

[a] Cap. 12.

RIGOBERTVS EPISC. REMENSIS STAT PRO CHILPERICO R.

* la porte Baſeille.

[b] d. 4. Ian.

[c] In Epiſt. 20.

PEPO EP. VIRODVNENSIS PRO CAROLO.

[d] Tom. 1. Biblioth.

IV.

PVGNA VINCIACENSIS.

De prælio, quod hoc anno commiſſum eſt, Anonymus in Geſtis [e] Regum Francorum ſic ſcribit. *Carolus exercitu commoto iterum contra Chilpericum vel Ragenfredum ad bellum ſurrexit. Illi etiam è contrà hoſtem colligunt, bellúmque parantes accelerant. Sed Carolus pacem fieri poſtulat. Illiſque contradicentibus, ad prælium egreſſi ſunt in loco nuncupante Vinciago, Dominicâ die inluceſcente*, XII *Kal. April. in Quadrageſima. Illiſque fortiter bellantibus, Chilpericus cum Ragenfredo terga vertit. Carolus victor extitit.* Et Auctor Hiſtoriæ [f] iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptæ. *Succedenti tempore Carolus commoto exercitu contra Chilpericum & Raganfridum direxit. Bellum iniere die Dominicâ in Quadrageſima*, XII. *Cal. April. in loco nuncupato Vinciaco in pago Cameracenſi, nimiâ cæde inuicem colliſi. Chilpericus & Raganfridus deuicti, in fugam lapſi, terga vertentes euaſerunt.*

[e] Cap. 53.

[f] Cap. 106.

Digitized by Google

Vbi & quando hæc geſta ſunt, breuiùs indicant antiqui Annaliſtæ. Nazarianus ſic. *Anno* DCCXVII. *pugnauit Carolus contra Ragenfredum in Vinciaco, in Dominica die.* Petauianus ſic. *Anno* DCCXVII. *quando bellum fuit Vinciago inter Karolum & Ragenfridum in die Dominico, die* XV *ante Paſcha.* Et Tilianus. *Anno* DCCXVII. *bellum fuit inter Carolum & Ragimfridum in menſe Martio.* Nec hi Characteres, *in Dominica die, die* XV *ante Paſcha*, & *in menſe Martio*, diſcrepant à prælaudatis Auctoribus, qui diem notant XII ante Kalendas Aprilis, hoc enim anno Paſcha pridie Nonas Aprilis celebratum eſt. Errant igitur, qui Vinciacenſem pugnam die Dominica ante Paſcha, quæ Dominica Palmarum vocatur, conſertam volunt [a]. Acriter vtrimque dimicatum eſt. Maximam cladem ab ambobus exercitibus acceptam docet Hincmarus in literis [b] ad Ludouicum Regem Ludouici Pij nepotem, vbi prælium Fontanidenſe, quo vix vllum atrocius initum eſt, cum Vinciacenſi ſic comparat. *Inter carne propinquos & Chriſtianos tantum malum & tam grande periculum in Fontanido deuenit, quantum inter Chriſtianos non accidit ex eo tempore, quo primùm Carolus cum Raganfredo in Vinciaco pugnauit.*

[a] Annal. Fuld.
[b] Ep. 10. c. 4.

V. Vinciacus ad Auſtraſiam pertinebat. Fines igitur Neuſtraſiæ pertranſiit Chilpericus, vt in Auſtraſiam, vbi nobiles adhuc ciuitates obtinebat, totam belli molem deferret. Carolus, pace cum Friſiis firmatâ, ſtatim per nuncios, ne patriæ tranquillitatem odiſſe videretur, à Chilperico Rege poſtulauit, vt inteſtinum componeretur diſſidium quo Francia vexabatur. Huius petitionis in Geſtis Regum Francorum meminit Anonymus iam citatus, vtinam & conditiones addidiſſet! Apud Annaliſtam Metenſem, *Karolus Princeps more maiorum Legatos ſuos ad Chilpericum dirigit, ea quæ pacis ſunt poſtulans. Et ne fortè nobilium Francorum cruor inter illos effunderetur, paternum ſibi ſuadet reſtaurari Principatum. Compertúmque omnibus eſſe dicit, genitorem ſuum Pippinum omnibus Occidentalibus Francis olim cum iuſtitia & pietate dominaſſe. Nec illum aliquid aliud poſtulare, niſi vt præeſſet his quos pater ſuus quondam iuſtâ ditione gubernauerat.* Hæc fuiſſe Caroli poſtulata quis putet? Ragenfredi res integræ erant in Neuſtria & in Burgundia; Metæ, Remi, aliæque vrbes Auſtraſianæ parebant Chilperico; Coloniam, primariam Auſtriæ ciuitatem, Plectrudis eiuſque nepotes obtinebant; à Saxonibus, ſi venirent in ſocietatem Neuſtraſiorum, Carolo non minùs imminebat periculi, quàm nuper à Friſiis; Præfectura Palatij per Neuſtriam & Burgundiam nec vacabat, nec hæreditario iure poſci poterat à quoquam. Exiſtimarim potiùs Carolum petiiſſe tantùm, vt Auſtriæ Maioratus à Chilperico ſibi concederetur eo prorſus modo, quo penes Pippinum patrem fuerat ante pugnam Textricianam; Ragenfredum autem veritum eſſe, ne Carolus, qui potentior atque audentior in dies fiebat, aliquando talem ambiret auctoritatem, qualem Pippinus vi & armis per vniuerſam Franciam occuparat, atque auctorem fuiſſe Chilperico, vt, quia grauius ex mora periculum metuebatur, omni procraſtinatione ſublatâ prælium cõſereret. Euentus pugnæ felix Auſtraſiis fuit. *Karolus*, ſi fides eſt Annaliſtæ Metenſi, *ſpolia innumerabilia ſuis fidelibus diſtribuit, & ad perſequendum Chilpericum Regem & Ragenfridum iter agere cœpit. Perſecutúſque eſt eos vſque in Pariſius ciuitatem. Cunctáque illâ regione ſubactâ, cum magna lætitia & proſperitate ad Orientales partes ſui Imperij eſt reuerſus.* At Carolus victoriam adeptus eſt pleriſque ſuorum militum cæſis, *commiſſa eſt* enim, vt idem Auctor teſtatur, *crudeliſſima pugna, quæ diu ſub incerta ſorte victoria vtraque ex parte dimicauit.* Quò Chilpericus cum Ragenfrido ſe receperit, haud produnt coætanei Scriptores. In Geſtis [c] enim Regum Francorum iſta tantùm leguntur. *Carolus victor extitit. Regionibúſque illis vaſtatis atque captiuatis, iterum cum multa præda in Auſtria reuerſus, Coloniam ciuitatem venit.* Et in Hiſtoria [d] iuſſu Childebrandi ſcripta. *Chilpericus & Raganfridus deuicti, in fugam lapſi, terga vertentes euaſerunt. Quos Carolus perſecutus, Pariſius ciuitatem properauit. Deinde Coloniam vrbem reuerſus, ipſam*

[c] Cap. 53.
[d] Capp. 106. 107.

Digitized by Google

ciuitatem cepit reſeratam. Aliunde autem conſtat Chilpericum poſt cladem Vinciacenſem abiiſſe Lutetiam, nam Diploma, de quo nos infrà, Pariſiis edidit octauo Kalendas Maias hoc anno, Regni ſui ſecundo. Rex ciuitatem Regiâ ſede nobilem præſentiâ ſuâ ſecuritati reddidit, hoſtémque prohibuit à tranſitu Sequanæ. Carolus partem Neuſtriæ, ſeu regionem, quæ ſyluam Carbonariam fluménque Sequanam interiacet, deprædando vaſtauit, vt docent Geſta Regum Francorum iam citata, ſed non ſubegit vt Annaliſta Metenſis temerè ſcribit. Vrbes, quæ ſuis muris ſe ſatis tutas opinabantur, Auſtraſiis deditionem non fecerunt, in poteſtate Chilperici Regis, vt inferiùs patebit, manſerunt Sueſſio, Compendium, Pariſij. Carolus Remos ingreſſus Rigobertum illius ciuitatis Epiſcopum expulit, intruſitque Milonem Treuirenſem iam Epiſcopum, qui deinceps vtrumque Epiſcopium peſſumdedit teſte Hincmaro in præfatione ad vitam S. Remigij. Rigobertus in Aquitaniam profugit. Audi Flodoardum [a]. *Carolus vt Principatum bello adeptus eſt, hunc virum Domini Rigobertum patronum ſuum, qui, vt traditur, eum de lauacro ſancto ſuſceperat, Epiſcopatu deturbauit, & cuidam Miloni, ſolâ tonſura Clerico, qui ſecum proceſſerat ad bellum, dedit hoc Epiſcopium.*

[a] Lib. 2. c. 11.

VI. Octauo Kalendas Maij, Chilpericus, cùm eſſet Pariſiis, Diploma, quod Labbeus [b] inter Miſcellanea curioſa publicauit, pro Monachis Glannafolienſibus edidit in hunc modum. *Chilpericus Rex Francorum. Si iuſtis*, &c. *Abbati vel Monachis tale preceptum & confirmationem fieri rogamus, vnà cum conſenſu Maioris domûs noſtræ Raganfredi, vt quidquid in ipſo eorum Priuilegio loquitur, hoc nos pro noſtra auctoritate & ſucceſſorum noſtrorum per tempora conſeruatum eſſe volumus*, &c. *Talis eligatur, qui corpore ſit caſtus, mente deuotus, ſacris ſcripturis eruditus, & conuerſatione regulari eruditus, vt ipſi Monachi ſub quieto ordine viuentes nihil patientes inquietudinis*, &c. *Vnde & confirmationem Principis conſobrini noſtri Dagoberti quondam Regis ſe ex hoc præ manibus habere affirmet, & ipſum beneficium conceſſum de eo tempore vſque nunc videtur eſſe confirmatum. Et vt hæc Præceptio firmior ſit, manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus confirmare. Chilpericus Rex Francorum. Adoniſſus obtulit. Data ſub die* VIII. *Kal. Maias, anno ſecundo Regni noſtri, Pariſius ciuitate feliciter.* Chilpericus Dagobertum Regem, cui ſucceſſerat, conſobrinum ſuum appellauit minùs propriè, agnatum enim ſignificare voluit. Agnati dicuntur, qui per virilis ſexûs perſonas cognatione coniuncti ſunt. Dagobertus & Chilpericus à Clodoueo Secundo Rege per mares deſcenderant. Dagobertus filius fuerat Childeberti Tertij, nepos Theodorici Tertij, pronepos Clodouci Secundi; Chilpericus patrem habuerat Childericum Secundum, Clodouei Secundi filium & Theodorici Tertij fratrem; ſiue, vt agnationem paucioribus verbis indicemus, Childebertus Tertius, Dagoberti Tertij pater, & Chilpericus Tertius, ipſius Dagoberti Tertij ſucceſſor, erant patrueles. Conſobrini propriè vocantur qui ſunt ex duabus ſororibus editi, vt patrueles ex duobus fratribus, & amitini ex fratre ac ſorore, ſed in Auctoribus mediæ ætatis & in pleriſque chartis illorum temporum generali conſobrinorum nomine intelliguntur conſobrini, patrueles & amitini, necnon ipſorum conſobrinorum, patruelium & amitinorum filij.

[b] Cap. 5. §. 1.

DIPLOMATA REGIA PRO MONASTERIIS, GLANNAFOL.

VII. Chilpericus Pariſiis profectus eſt Compendium, & ſexto Idus Iunij villam cum magnis reditibus Metenſi Monaſterio Sancti Arnulphi contulit, vt patet ex hoc Diplomate, quod Madaurenſis Epiſcopus in Hiſtoria [c] Metenſium Antiſtitum ex Archiuo eiuſdem Cœnobij deſcripſit. *Chilpericus Rex Francorum, vir inluſter. Si aliquid ad loca Sanctorum præſtamus vel concedimus, hoc nobis ad laudem vel ſtabilitatem Regni noſtri, in Dei nomine pertinere confidimus, vt eos meliùs delectet pro nobis vel pro ſtabilitate Regni noſtri, Domini miſericordiam iugiter deprecare. Ideo cognoſcat vtilitas ſeu magnitudo veſtra, quod nos villam noſtram nuncupante Marte * ſitam in pago Mollinſe, vnà cum omni integritate ſua, quantumcumque fiſcus noſter ibidem eſſe videtur, ad Baſilicam Sancti*

ET S. ARNVLPHI METENS.

[c] L. 2. Epiſc. 33.

* Martille.

AN. CH. 717. CHILPER. III. R. 2.

Domni Arnulphi vel Sanctorum Apoſtolorum, vbi ipſe pretioſus in corpore requieſcit, hoc eſt, ſub oppidum Metenſium ciuitatis, vbi venerabilis vir Leutbertus Abba vnà cum norma plurima Clericorum deſeruire videntur, pro mercedis noſtræ augmento, pro reuerentia ipſius ſancti loci, à die præſente, iure proprietario, ſub emunitatis nomine, plenâ & integrâ gratiâ viſi fuimus conceßiſſe. Quapropter per hoc Præceptum ſpecialiùs decernimus ordinandum, quòd perpetualiter erga ipſorum locum manſurum eſſe volumus, vt ipſa villa ſuperiùs nominata, hoc eſt, vnà cum terris, domibus, ædibus, mancipiis, aclis, vineis, campis, pratis, ſiluis, aquis, aquarúmque decurſibus, adiunctis, adiacentiis, apendiciis, gregibus cum paſtoribus vtriuſque generis ſexûs; omnia & ex omnibus re exquiſitâ, ad integrum quicquid de rebus noſtris ibidem tenetur in ipſa villa Marte, vnà cum omni merito vel ſoliditate ad ſe pertinente, ipſe Leutbertus Abba ad partem ipſius Sancti Domni Arnulphi vel Sanctorum Apoſtolorum, ex noſtrorum largitatis iure proprietario, ſub emunitatis nomine, cùm omnis fiſcus conceſſus hoc habeat conceſſum atque indultum, & quicquid ipſe vel ſucceſſores ſui pro opportunitate ipſius ſancti loci exinde facere decreuerint, liberam in omnibus habeant poteſtatem, ex nulla requiſitione & ex nullo impedimento à iudiciis publicis, cùm noſtro tempore, quàm & ſuccedentium Regum exinde habere non pertimeſcat. Et vt hæc Præceptio firmior ſit, manûs noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decreuimus roborare. Chilpericus Rex ſubſcripſi. Datum quod fecit menſis Iunij octauo, anno ſecundo Regni noſtri, Compendio Palatio noſtro. Hinc elicimus Metas aliáſque celebres in Auſtria ciuitates Chilperico tunc paruiſſe, ídque alienum à vero non exiſtimabis, ſi Coloniam, quæ longè remotior eſt, anno priori à Chilperico Friſiíſque fœderatis obſeſſam fuiſſe memineris. Prætereà obſerua in prælaudato Sanctorum Apoſtolorum Monaſterio Clericos fuiſſe ſub Abbate Leutberto, Romuli, de quo ſub Regibus Theodorico Tertio eiúſque filio Clodoueo Tertio locuti ſumus, ſucceſſore.

VIII. Raginfridus hoc eodem anno, quinto Kalendas Octobres munificum ſe præbuit erga Monaſterium Fontanellenſe, cui tunc præerat Abbas Wando. *Huic venerabili Patri*, inquit Chronographus Fontanellenſis [a], *dedit Raginfridus in Tarta fiſcum, qui vocatur Wintlana, anno ſecundo Hilperici Regis, qui erat Dominicæ Incarnationis* DCCXVII, *Indictione* XV, *ſub die quinto Kalend. Octobrium, feriâ ſecundâ.* Currebat tum litera Dominicalis C, at reſtituenda Indictio prima Kalendis Septembris iam cœpta. Ceterùm Carolus, vt ex illa donatione liquet, non penetrauit in Neuſtriam, ſed in Auſtriam reuerſus eſt, & Coloniam cum theſauris Pippini patris recepit. Res ab eo peractas poſt pugnam Vinciacenſem ita deſcribit Auctor coætaneus in Geſtis [b] Regum Francorum. *Carolus victor extitit. Regionibúſque illis vaſtatis atque captiuatis, iterum cum multa præda in Auſtria reuerſus, Coloniam ciuitatem venit, ibíque ſeditionem intulit. Cum Plectrude matrona diſceptauit, & theſauros patris ſui ſagaciter recepit.* Et Auctor Hiſtoriæ [c] iuſſu Childebrandi ſcriptæ. *Carolus Coloniam vrbem reuerſus, ipſam ciuitatem cepit reſeratam. Præfata Plichtrudis theſauros patris ſui ei reddidit, & cuncta ſuo dominio reſtituit.* His adde & Annaliſtam Metenſem, qui Caroli reditum in Auſtraſiam hoc anno non ſine adulatione ſic laudat. *Carolus cum magna lætitia & proſperitate ad Orientales partes ſui Imperij eſt reuerſus, Coloniámque vrbem ingreſſus paternis theſauris à Plectrude nouerca ſua receptis, in ſolio Regni ſui digniſſimus hæres reſedit.*

[a] Cap. 11.

RAGINFRIDVS MVNIFICVS ERGA MON. FONTANELL.

[b] Cap. 53.

CAROLVS COLONIAM ET THESAVROS PIPPINI PATRIS RECIPIT.

[c] Cap. 107.

IX. Ad hunc annum peruenit Ibbo ſiue Ibo Turonenſis Epiſcopus, quem alij [d] annos ſeptem & ſex ferè menſes, alij [e] annos octo, nempe incompletos ſediſſe ſcribunt. Laudatur à Radulpho Monſnyero in Iuribus Eccleſiæ Martinianæ propugnatis, quòd *exemptionem à deceſſore ſuo Crotperto factam Eccleſiæ & Monaſterio Sancti Martini* confirmarit. In eam rem ſic allegatur illius charta. *Nos Ibbo, inſpirante Domino, plenâ deuotione deinceps & in idipſum Venerabilem Guntrannum Abbatem, ſuámque Congregationem, vel præfati Sancti Martini Antiſtitem volumus confirmare, vt inſpecta ipſa Priuilegia, tam deceſſoris noſtri Crotperti Berthoni, quàm & Adeodati Papæ Vrbis Romæ, ſeu confirmationes*

[d] Maan. part. 1. n. 36.

[e] Chenut. Seuert.

IBBO EP. TVRONENSIS OBIT. EIVS CHARTA EXAMINATVR.

Digitized by Google

Glorioſorum Regum, noſtro tempore vel ſucceſſorum noſtrorum, omnimodis inuiolabiliter conſeruentur, & in nulla qualibet parte, ſicut à nobis decretum eſt, c rrumpantur. De Priuilegio, quod Chrotbertus Turonenſis Epiſcopus Monaſterio Sancti Martini conceſſit, déque Pontificiis literis, quibus illud Chrotberti Priuilegium Adeodatus Papa comprobauit, actum prolixè Tomo ſupériore ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [a], nec dubium, quin acceſſerint Regia Diplomata, Reges enim Francorum in iiſdem literis Adeodati Papæ commendatos inuenimus, quòd *ad reprimendas Laicorum infeſtationes Edicto præmunire idem venerabile Monaſterium Regali pietate dignati ſunt.* Non inficiamur inſpectum ab Ibbone Epiſcopo Priuilegium exemptionis, quam Chrotbertus Turonenſis olim Epiſcopus Monaſterio & Eccleſiæ Sancti Martini fecerat; inſpectum Diploma Pontificium, quo Priuilegium illud Adeodatus Romanus Pontifex approbarat; inſpectas & Regales chartas, quas Reges Francorum in confirmationem bonorum cùm à ſe tum ab Optimatibus eidem Monaſterio conceſſorum emiſerant. Ad ius ſpirituale Monaſterij ſpectabant Priuilegium Chrotberti Epiſcopi & Diploma Pontificium Adeodati Papæ, ad ius temporale ſpectabant chartæ Regiæ. Ius vtrumque, iuxta morem & vſum illius temporis, Epiſcoporum erat confirmare. Quapropter non improbamus ab Ibbone decerni, *vt* Chrotberti Epiſcopi Priuilegium, Adeodati Papæ Diploma Pontificium, chartæque Regales *omnimodis inuiolabiliter conſeruentur, & in nulla qualibet parte corrumpantur.* AN. CH. 717. CHILPER. III. R. 2.

[a] Nu. 33. & ſeqq.

X. Sunt autem in eadem Ibbonis charta duo alia, quæ nec probamus, nec ab Ibbone ſcripta credimus. Primum pertinet *ad Sancti Martini Antiſtitem*, alterum ad nomen Epiſcopi qui Priuilegium Monaſterio Martiniano conceſſit.

XI. *Nos*, inquit Ibbo, *inſpirante Domino plenâ deuotione deinceps & in idipſum Venerabilem Guntrannum Abbatem, ſuámque Congregationem, vel præfati Sancti Martini Antiſtitem volumus confirmare.* Guntrannus, qui poſteà in Epiſcopatum Ibboni ſucceſſit, eodem Ibbone ſuperſtite Abbas fuit Monaſterij Martiniani, nec in dubium vocamus, quin eidem Abbati eiúſque Congregationi libera per Ibbonem Epiſcopum facultas fuerit vtendi Priuilegiis ac iuribus, quæ Chrotbertus Turonenſis Epiſcopus, Adeodatus Papa, Regéſque Francorum Eccleſiæ Martinianæ olim conceſſerant. Id declarant hæc Ibbonis verba proximè ſequentia. *Vt inſpecta ipſa Priuilegia, tam deceſſoris noſtri Crotperti Berthoni, quàm & Adeodati Papæ Vrbis Romæ, ſeu confirmationes Glorioſorum Regum, noſtro tempore, vel ſucceſſorum noſtrorum, omnimodis inuiolabiliter conſeruentur, & in nulla qualibet parte, ſicut à nobis decretum eſt, corrumpantur.* At in Priuilegio quod Chrotbertus Turonenſis Epiſcopus Eccleſiæ Martinianæ contulit, in Diplomate Pontificio quo Priuilegium illud Adeodatus Papa confirmauit, & in chartis Regiis quas Reges Francorum pro confirmatione bonorum temporalium ſeu donationum conceſſerunt, nullum occurrit verbum de Antiſtite ſiue Epiſcopo Sancti Martini. Inſititia ſunt igitur hæc verba, *vel præfati Sancti Martini Antiſtitem*, chartáque Ibbonis Epiſcopi ſic eſt reſtituenda. *Nos Ibbo, inſpirante Domino, plenâ deuotione deinceps & in idipſum Venerabilem Guntrannum Abbatem, ſuámque Congregationem volumus confirmare, vt inſpecta ipſa Priuilegia*, &c. GVNTRANNVS ABB. S. MARTINI.

XII. Radulphus Monſnyerus [b], vt ſedente Turonis Ibbone Epiſcopo ſuum quoque ac peculiarem vicinæ Sancti Martini Baſilicæ Pontificem fuiſſe perſuadeat, antiquiſſimos Eccleſiæ Martinianæ Epiſcopos nominat Amaraldum & Nicentium, quorum alterum ait à Berthone Turonenſi Præſule, alterum à Guntranno Turonenſi quoque Pontifice conſecratum Epiſcopum fuiſſe. AN AMARALDVS EPISC. S. MARTINI.

[b] Cap. 2.

XIII. De Amaraldo ſic loquitur. *Primus autem, quem inuenimus præfuiſſe vt proprium & peculiarem Eccleſiæ Sancti Martini Epiſcopum, fuit Amaraldus quidam circa annum Chriſti 700, viuente tunc Berthone Turonenſi Præſule qui eum conſecrauerat.*

AN. C.H 717. CHILPER. III. R. 2. XIV. Auctor ille hoc loco Berthonem vocat, quem in Ibbonis charta ſuperiùs recitata Berthonum ſcribit, nec alium intelligit ab eo, quem in vita Sancti Leodegarij Ruotbertum Vrſinus coætaneus, Bertum Anonymus quoque ſynchronus appellat. Sed hic Bertus, vt dictum ſuprà, ſeu Bertho nuncupetur ſeu Berthonus, idem eſt ac Ruotbertus ſeu Chrotbertus, qui Priuilegium exemptionis Monaſterio Sancti Martini conceſſit. Illud Priuilegium Adeodatus Papa confirmauit, in Diplomate Pontificio nihil inuenitur quod à Marculphi formula diſſideat, nihil omnino quod inſinuet Eccleſiam Sancti Martini tunc Epiſcopatu donatam fuiſſe. Non arbitramur igitur Amaraldum ſeu quempiam alium Sancti Martini Epiſcopum ordinatum fuiſſe à Berthone ſeu Chrotperto Epiſcopo Turonenſi.

XV. Monſnyerus nobiſcum non conuenit, Bertum enim ſeu Berthonem à Chrotberto diſtinguit, cùm Turonenſes Epiſcopos, qui Priuilegium Chrotberti Epiſcopi ab Adeodato Papa confirmatum receperunt approbarúntque, ſic enumerat [a]. *Bertus Crotperti ſucceſſor proximus, Ibbo & Guntrannus Turonenſes Epiſcopi Adeodato viciniores, omnéſque* 50 *annorum interſtitio plùs minùs, poſt conceſſum Adeodati Priuilegium, comprehenſi, fatentur ſe Crotperti ab Adeodato confirmatum exemptionis Priuilegium recipere & approbare.*

[a] Cap. 1. art. 2. §. 2.

XVI. Hoc loco non repetemus argumenta, quibus Bertum eundem eſſe ac Chrotbertum probauimus. Ibbonis chartæ ſuprà deſcriptæ intruſum eſt Berthoni nomen, quis enim Ibbonem de Priuilegiis Eccleſiæ Martinianæ conceſſis ita locutum cenſeat? *inſpecta ipſa Priuilegia, tam deceſſoris noſtri Crotperti, Berthoni, quàm & Adeodati Papæ Vrbis Romæ, ſeu confirmationes Glorioſorum Regum.* Si Berthonum à Chrotberto diſtinxit Ibbo, cur inſpecta dixit Priuilegia tam deceſſoris ſui quàm & Adeodati Papæ? cur non dixit inſpecta Priuilegia tam deceſſorum ſuorum quàm & Adeodati Romani Pontificis? Modus hic loquendi ſeſe vltrò offerebat. *Inſpecta ipſa Priuilegia, tam deceſſorum noſtrorum, Crotperti & Berthoni, quàm & Adeodati Papæ Vrbis Romæ, ſeu confirmationes Glorioſorum Regum*: Si Berthonum à Chrotberto non diſtinxit Ibbo, vt veriſſimum eſt, eâdem enim ætate vixit, cur vtrumque nomen, Crotperti videlicet & Berthoni, ſimul vſurpauit? Chrotbertum eundem eſſe ac Bertum aſſerimus, ſed quem Chrotbertum ſeu Crotpertum aut Ruotbertum plerique vocant, nonnullíque Bertum ſeu Berthonem aut Berthonum dicunt, hactenus nemo Chrotbertum Bertum vel Crotpertum Berthonum vtroque nomine ſimul iuncto nuncupauit. Ergo ex Ibbonis charta nomen Berthoni abrade, cum præcedentibus hiſce vocibus, *vel præfati Sancti Martini Antiſtitem*, de quibus ſuprà.

XVII. De ſignificatione Antiſtitis non diſputamus. Nam licèt is propriè dicatur Antiſtes qui antiſtat, ſiue ſit Epiſcopus ſiue Abbas, & in Ibbonis charta ſi *Sancti Martini Antiſtitem* Abbatem illius Monaſterij interpreteris, textus nullam ampliùs difficultatem patiatur, ingenuè tamen fatendum eſt eos, qui *Sancti Martini Antiſtitem* in chartam Ibbonis intruſerunt, non de Abbate Sancti Martini ſed de Epiſcopo locutos eſſe, vt proprium ac peculiarem illi loco Epiſcopum olim à temporibus Chrotberti Turonenſis Metropolitæ præfuiſſe ſignificarent.

XVIII. Poſt Chrotbertum ſeu Bertum, cuius mors in annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum incidit, Eccleſiam Turonenſem rexerunt, Pelagius, Euaricus, Ibbo, Guntrannus. Ab obitu Chrotberti ad ordinationem vſque Guntranni effluxerunt anni tres ac viginti. Ibboni ſucceſſit hoc anno Guntrannus ex Abbate Sancti Martini, ſedítque *annis quindecim & duobus menſibus*, vt Ioannes *Maan* [b] ex veteribus Elenchis Eccleſiæ Turonenſis obſeruauit. Idem quoque Auctor ſcripſit Guntrannum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodetriceſimum in perantiquo Chronico laudari, ídque noſtræ Chronologiæ nullatenus refragatur, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo mortem Guntranni conſignabimus. Circa

GVNTRANNVS FIT EP. TVRONENSIS EX ABBATE S. MARTINI.

[b] Part. 1. n. 37.

Digitized by Google

AN. CH. 717. CHILPER. III. R. 2.

illum annum Radulphus Monſnyerus [a] collocat Nicentium Sancti Martini Epiſcopum, de quo ſic ait. *Nicentius reperitur Epiſcopus Sancti Martini circa annum 732, ſub Guntranno Turonenſi Epiſcopo, qui eum ordinauit Epiſcopum Eccleſiæ Sancti Martini, cuius ipſe Guntrannus anteà fuerat Abbas, ſicut ex Ibbonis charta manifeſtiſſimè patet.* Guntrannum Sancti Martini Abbatem in Ibbonis charta commendari, & ex Sancti Martini Abbate Turonenſem Epiſcopum poſt Ibbonis Epiſcopi mortem ordinatum fuiſſe non inficiamur, ſed Nicentium ab eo conſecratum Epiſcopum Sancti Martini negamus, quia Monaſterium Sancti Martini per illa tempora non alio gauiſum Priuilegio cenſemus, præter illud quod à Crotperto Turonenſi quondam Epiſcopo iuxta Marculfi formulam editum & ab Adeodato Papa confirmatum acceperat. Ea de re, quæ ſcribendi materiam viris eruditis iam præbuit, & , vt audimus, adhuc præbet, plura dicemus Tomis ſequentibus, ſi Deus vitam otiúmque conceſſerit.

[a] Cap. 2.

AN ORDINAVIT NICENTIVM EPISC. S. MARTINI.

XIX. Hoc anno Winnocus Abbas Woromholtanus ad Deum feliciter migrauit octauo Idus Nouembris, quo die celebris eſt eius memoria. Lege Molanum [b] in Natalibus Sanctorum Belgij.

WINNOCVS ABB. WOROMHOLT. OBIT.

[b] d. 6 Nou.

XX. Obiit & hoc anno Dionyſius Abbas, cùm Sancti Carauni Monaſterium prope Carnotum per annos ſexdecim gubernaſſet. Succeſſit Simon huius nominis Secundus, cuius Præfecturæ tribuuntur anni tredecim. Lege Galliam Chriſtianam [c].

ABBATES MON. S. CARAVNI.

[c] Tom. 4 in Abb. S. Carauni.

XXI. Obiit etiam hoc anno Hunoldus ſiue Hunaldus vel Humoldus aut Humaldus Atrebatenſis ac Cameracenſis Epiſcopus. Ei ſubrogatus eſt Hadulphus ſiue Adulphus Abbas Vedaſtinus, de quo ſic Chronographus [d] illius Monaſterij. *Hadulphus poſt Humoldum miro omnium Ordinum ſtudio factus Epiſcopus, eo ſucceſſu, vt Sanctiſſimorum Pontificum famam pietatis gloriâ æquaſſe meritò cenſeatur. Scribunt Epiſcopum duodecim, Abbatem vndeuiginti egiſſe annis.* De annis Hadulphi diſputauimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-nonum [e]. Hadulphus illo anno factus eſt Abbas, Monaſterium Vedaſtinum ad hunc vſque annum rexit annis nouemdecim incompletis, deinde in Epiſcopum aſſumptus Diœceſim annis duodecim incompletis adminiſtrauit, migrauítque in cælum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodetriceſimo, vt antiquiſſimus Auctor Annalium Petauianorum docet. Epiſcopatu ſuſcepto curam Abbatialem non dimiſit, fuítque ſimul & Epiſcopus & Abbas vſque ad obitum. Poſtquàm Epiſcopales Infulas obtinuit, vt Molanus [f] in eius encomio ſcribit, *à fratribus ſuis*, id eſt, à Monachis Vedaſtinis, *tantùm Abbas vocari voluit.* Monaſterium igitur Vedaſtinum ab anno Chriſti vndeſeptingenteſimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodetriceſimum per annos vndetriginta, Epiſcopatum Atrebatenſem ſeu Cameracenſem ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodetriceſimum per annos vndecim gubernauit.

HVNOLDVS EP. ATREBAT. OBIT.

[d] Ap. Locrium hoc anno.

HADVLPHVS ABB. VEDASTIN. SVCCEDIT.

[e] Nn. 18. 19.

NEC DIMITTIT MVNVS ABBATIALE.

[f] d. 19. Maii.

XXII. Geneuæus Dolenſis Epiſcopus, cuius mentionem Tomo ſuperiori iam fecimus, obiit etiam hoc anno, ſucceſſit Tiarmailus, qui ſedit annos ſexdecim, illóque tempore maximam ſibi laudem comparauit, quòd Thurianum erudierit, promouerit ad Preſbyteratum, & in partem paſtoralis ſollicitudinis vocarit. Lege Vincentium Barralem in vita Sancti Thuriani, & Albertum à Monte Relaxo in Epiſcoporum Dolenſium Catalogo.

EPISCOPI DOLENSES.

XXIII. Idem Albertus ex Breuiario Venetenſi, ex proprio Sanctorum Redonenſium, necnon ex multis Scriptoribus vitam Sancti Gobriani Venetenſis Epiſcopi concinnauit. Ibi legere eſt Gobrianum abdicato Epiſcopatu in eremum hoc anno ſeceſſiſſe, ibíque per annos octo ad obitum vſque vixiſſe ſanctiſſimè. *Gobrianus*, teſte Benedicto Gonono, libro primo de vitis Patrum Occidentis, *tantæ ſanctitatis fuit, vt paſſim ſacro igne laborantes, obuios quoſque, nullo negotio curaret. Inde ſequutum eſt, vt cùm ad eum vndecumque talis ægritudinis genere laborantes turmatim affluerent, compulſus ſit diuinus ille Pon-*

VENETENSES.

AN. CH. *tifex ab vrbe ſecedere, ne ſcilicet ægrotantium contagione vrbs ipſa inficeretur.*

717. Gobriano, vt diuinæ contemplationi liberiùs vacaret, in ſolitudinem prope flumen, quod Oudum * incolæ vocant, profecto, Diles electus eſt Epiſcopus, qui Venetenſem Diœceſim regeret. Huius mentio fit in Codice Kemperlegienſi *, ante annos quadringentos exarato, quem citat Auguſtinus à Paſſu, nec differunt aliorum Nomenclatorum Catalogi.

CHILPER. III. R. 2.

XXIV.

* *Aouſte.*

* *de Kemperlé.*

XXV. Herlemundus Epiſcopatum Cenomanenſem, qui vacabat ab obitu Aigliberti, ſuſcepit ineunte hoc anno, vitam enim finiuit nono Kalendas Nouembris, cùm præter annos completos ſediſſet menſes nouem diéſque aliquot. Vir fuit genere præclarus. Ad excipiendos hoſpitio peregrinos, qui Cathedralem Cenomanorum Eccleſiam frequenti concurſu viſitabant, prope ſuos hortos iuxtáque ciuitatis mœnia Xenodochium conſtruxit, Deóque dedicauit in honorem Sancti Audoeni, cuius nomen illic etiamnum eſt cùm Prioratui tum Parœciæ. Duodecim ibi Monachos collocauit cum Suffredo Presbytero, cui totam adminiſtrationem loci commiſit. Sumptus omnes, qui neceſſarij fuerunt, in illud opus ex reditibus Eccleſiæ ſuæ ſubminiſtrauit. Prætereà Monaſterium, cui nomen Tillidus, à ſe reparatum Eccleſiæ Cenomanenſi ſubiecit, ibíque Monachos Ordinis Benedictini conſtituit ſub Quirino Abbate, quem tanta in exiſtimatione habebat, vt eum Epiſcopatûs ſui regimini per abſentiam ſuam præficeret. Hæc Coruaiſierus. Vſus eſt & operâ Chirmiri, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimoquinto factum Abbatem Monaſterij Sancti Vincentij diximus, illum enim Archidiaconum ac Vicedominum conſtituit, vt refert Hiſtoriale Compendium illius Cœnobij manuſcriptum, quod illinc tranſmiſſum præ manibus habemus.

HERLEMVNDVS FIT EP. CENOMAN.

CONDIT XENODOCHIVM.

REPARAT TILLIDVM MONASTERIVM

OPERA QVIRINI ET CHIRMIRI ABB. VTITVR.

718.
CHILPER. III. R. 3.
CLOTAR. IV. R. 1.

ANNVS
CHRISTI 718.
CHILPERICI III. R. 3.
CLOTARII IV. R. 1.

I. CLOTARIVS R. FRANC. AVCTOR Annalium Fuldenſium ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum ita ſcribit. *Carlus victor regrediens Coloniam venit, receptíſque à Plectrude theſauris patris ſui, Regem ſibi conſtituit Hlotharium, nomine non poteſtate. Hilpricus verò & Raginfridus auxilio Eudonis Ducis Aquitaniorum, inſtauratâ rurſus acie, ſuperati fugantur à Carlo.* At intra ſpatium vnius anni complectitur res valdè diſtinctas, quæ tribus diuerſis annis geſtæ ſunt. Anno priori Carolus è Neuſtria rediit in Auſtriam, & Coloniam cum theſauris patris ſui recepit. Hoc anno Clotarius Regium nomen aſſumpſit. Anno ſequenti Chilpericus, qui numeroſas copias ex Aquitania coegerat, iterum victus eſt in agro Sueſſionenſi.

II. Carolus Regiam dignitatem Clotario conferendam curauit, vt inuidiæ minùs ſibi conflaret, Chilperico Regi plùs negotij faceſſeret. Clotarij Regis meminerunt præter Erchanbertum Anonymi coætanei in Geſtis [a] Regum Francorum & in Hiſtoria [b] Francorum iuſſu Childebrandi conſcripta. Cæterùm hic Clotarius, filius fuit Theodorici Tertij, frater Clodouei Tertij & Childeberti Tertij, patruúſque Dagoberti Tertij nouiſſimè mortui. Lege quæ de illius parentibus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimumſecundum [c] iam dicta ſunt.

EIVS GENVS.

[a] Cap. 51.
[b] Cap. 107.
[c] Num. 5.

AN. CH. 718.

CHILPER. III. R. 3. CLOTAR. IV. R. 1.

III. MONAST. FONTANELL. DITATVR.

Hugo, Drogonis filius, Pippini ac Plectrudis nepos, qui tunc verſabatur in Neuſtria, Witſlanam villam Monaſterio Fontanellenſi, cui Wando præerat, hoc anno tradidit. *Inter reliqua prædia ab eo contradita*, inquit Chronographus Fontanellenſis [a], *etiam Witſlanam villam largitus eſt Wandoni Abbati anno primo Clotharij Regis, quem Carolus poſt fugam Hilperici ac Ragenfridi Regem ſibi ſtatuerat, & poſſeſſa eſt ab hoc Cœnobio vſque ad regimen Witlaici Abbatis per annos quadraginta-tres.* Poſtrema fuit hæc Hugonis adhuc laici donatio, nam paulò pòſt Monachum apud Gemmeticum induit ſub Aichardo Abbate, de cuius ætate vt & de Hugonis Monachatu poſt biennium fuſiùs agemus.

[a] Cap. 8.

HVGO MONACHVS GEMMETICENSIS.

IV. SAXONIA VASTATVR A CAROLO.

Quieſcebant Friſij Radbodo Rege iam ſene ac valetudinario, faciliùs à Chilperico vocati ſunt in ſocietatem Saxones, qui cis & vltra Viſurgim * latè dominabantur. Id vbi cognouit Carolus, ne premeretur hinc inde, perrexit in Saxoniam cum exercitu citiſſimè totámque regionem cis Viſurgim vaſtauit. Qua de re breuiter antiqui Annaliſtæ. Nazarianus ſic. *Anno* DCCXVIII. *vaſtauit Karlus Saxoniam plagâ magnâ.* Petauianus ſic eodem anno. *Fuit autem tunc priùs Karolus in Saxonia, & vaſtauit eam plagâ magnâ vſque Viſeram.* Tilianus ſic. *Anno* DCCXVIII. *Karolus primùm pugnauit in Saxonia.* Et San-Dionyſianus. *Anno* DCCXVIII. *Karolus primùm fuit in Saxonia.* Paulò copioſiùs Metenſis. *Eodem anno*, nempe DCCXVIII, *Karolus Princeps vaſtauit Saxoniam plagâ magnâ, & peruenit vſque ad Wiſeram fluuium, omníque illâ regione ſubactâ, ad propria victor reuertitur.* Ante triennium Hattuarios ſeu Cattuarios Franciçæ ditionis populos adorti fuerant Saxones, hos iſtius perfidiæ pœnas luiſſe ſic ait Auctor [b] Chronici Fontanellenſis. *Terra Hattuariorum à Saxonibus depopulata eſt. Sed ipſi non multò pòſt dignas ſuæ perfidiæ pœnas à Francorum populis perpeſſi ſunt, eorúmque terra vſque Wiſeram fluuium incendiis, rapinis, interfectionibus attrita eſt.* Aduerte autem hunc Chronographum impenſiùs fauere Carolo, & iniquiori eſſe animo in Ragenfredum, quem aliquando non Maiorem-domus ſed potiùs ac veriùs tyrannum appellandum ſcribit [c].

* le Vueſer.

[b] Cap. 6.

[c] Cap. 5.

V. PRÆCEPTVM CHILPERICI PRO MON. SITIVENSI.

Chilpericus hoc anno, Regni ſui tertio, rogatus ab Erkenbodo Abbate donationes Sitiuenſi Monaſterio anteà factas confirmauit [d], exemplum ſecutus Clodouei Tertij, de cuius Præcepto locuti ſumus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum.

[d] Malbranc. lib. 4. cap. 55.

VI. LEOTHADIVS EPISC. AVSCIENSIS OBIT.

Leothadius Epiſcopus, cùm Auſcienſi Eccleſiæ per annos ſeptem ac viginti præfuiſſet, hoc anno ad Deum migrauit decimo Kalendas Nouembris. Annus ex veteribus membranis Auſcienſis Eccleſiæ notatur à Sammarthanis in auctiore Gallia Chriſtiana, dies in Kalendario Cluniacenſi, in Martyrologio Benedictino & in ſupplemento Martyrologij Gallicani. Quam ad illum diem obſeruationem habet Hugo Menardus, examinauimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-primum [e]. De Sancti Leothadij morte, ſepultura & miraculis hæc peculiariter habet Sauſſaius. *In Burgundia, quò pro vtilitate Eccleſiaſtica profectus erat, ad ſuorum laborum metas peruenit, placidáque morte in Chriſto, qui vera vita eſt, requieuit. Corpus eius ad propriam Sedem reuectum, & in ſumma Æde ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ conditum, ſignis gloriæ pleriſque effulſit, ex quibus id effectum, vt fidelis populi votis, tanquam gratus apud Deum ſuffragator, iam abhinc fuerit inuocatus, quibus largiente Domino non rarò opitulatur. Succurrit enim ſæpiſſimè beatus Confeſſor & Pontifex clientibus ſuis, contra omnes anguſtias mentis & corporis, at potiſſimùm contra ſubitaneam mortem patrocinatur.*

[e] Nu. 31. & ſeqq.

CLARET MIRACVLIS.

VII.

Ab obitu Sancti Leothadij, ad annum vſque Chriſti octingenteſimum nonum, quo Ioannes Octauus Papa literas Airardo Auſcienſi Archiepiſcopo direxit, datas *Idibus Iuniis, Indictione* XII, nulla in Auſcienſium Antiſtitum Catalogis occurrit certa & indubitata epocha. Deinde tot è Nomenclatoribus, qui ſeriem eorumdem Auſcienſium Pontificum texuerunt, ſoli

AN. CH. 718. CHILPER. III. R 3. CLOTAR. IV. R. I.

Chenutius & qui Chenutium ſecutus eſt Robertus ſingulos Pontificatus notis Chronologicis diſtinxerunt, multúmque aberrarunt à recta Chronologia, mortem enim beati Leothadij in annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſeptimum, & promotionem Airardi in annum Chriſti octingenteſimum nonageſimum-ſextum reiecerunt. Quia tamen ab obitu Sancti Leothadij ad Airardi Pontificatum annos vndequinquaginta ſupra centum numerarunt, ad veram Chronologiam facilè reuocari poſſunt. Nam poſito quòd beatus Leothadius anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeuiceſimo ex hac vita migrarit, Airardus poſt annos centum vndequinquaginta, id eſt, anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo Pontificatum adipiſcitur, & anno pòſt duodecimo literas à Ioanne Octauo Papa directas accipit. E Præſulibus autem Auſcienſibus, qui inter Sanctum Leothadium & Airardum medij ſederunt, duo tantùm ad quartum hunc Annalium noſtrorum Tomum pertinent, Patricius videlicet, qui Pontificatum annis duodeuiginti tenuit, & Tontonius, qui Præſulatum annis ſexdecim geſſit, obiitque anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſecundo.

SVCCEDIT PATRICIVS.

VIII. Rigobertus Epiſcopus, quem anno priori Remis expulſum diximus, Waſconibus, apud quos exulabat, admirationi fuit & venerationi. Qua de re ſic Flodoardus in Hiſtoria [a] Remenſi. *Sanctus Domini Rigobertus Dominicis obtemperando præceptis, quibus iubetur ſub perſecutione de ciuitate in ciuitatem fugere, ſeceſſit in Waſconiam. Ibi exulando, dum multorum ſancto feruore memorias Sanctorum luſtraret, quandam ingreſſus Baſilicam, donec inſiſtit orationibus, campanæ pulſantur ex more. Denique ibi duo pulſata ſigna ſonitum nullum repertum dediſſe. Tunc Sacerdos & alij circumſtantes ſollicitè perſcrutantur quis ſit & vnde aduenerit. Ille ſe profitetur Clericum & de Francia profectum. Adiicientes illi ſuper nouæ rei ſciſcitantur euentum, cur ſcilicet impulſa eorum conſueta non reſonent ſigna. At ille duo pandit ſibi de quadam Eccleſia furtim ablata, arbitraríque ſe, ne fortè ſint ea. Quibus ſibi oſtenſis, vt aſſerit ſua fuiſſe, experimenti gratiâ rogatur pulſare illa. Ad cuius impulſum his altiſonè reboantibus vera dixiſſe comprobatur. Ita cunctis ſuper huiuſcemodi facto ſtupentibus ſuæ ſibi nolæ redduntur, & ipſe tam admiratione quàm veneratione dignus habetur. Quæ poſtmodum in Francia delatæ & Eccleſiæ Gerniacæ * cortis ſunt reſtitutæ.*

[a] Lib. 2. c. 12.

RIGOBERTVS EPISC. EXVL CLARET MIRACVLIS.

* Gernicourt.

IX. Quot annos Rigobertus exularit in Waſconia, nec Flodoardus tradit, nec qui Flodoardum auxit Anonymus in eiuſdem Rigoberti vita. Flodoardus in agrum Remenſem eo anno reuerſum ſcribit, quo Legatione functus eſt ad Waſcones Milo, qui Remenſem Cathedram occupabat. Id autem factum videtur anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, quo Carolus per Legatos amicitiam cum Eudone Aquitaniæ Duce pepigit, vt ad illum annum ex libro de Geſtis Regum Francorum, & ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta probabimus.

X. Hoc anno in auctiore Gallia Chriſtiana memoratur Hugobertus Sancti Medardi prope Sueſſionem Abbas. Iiſdem temporibus, Sueſſione, puellari Monaſterio beatæ Mariæ Virginis Abbatiſſa præerat Aldegardis ſiue Adalgardis, cuius ætate iuxta idem Monaſterium diu commoratus eſt Vodalus ſeu Vodoalus *, cognomento Benedictus.

HVGOBERTVS ABB. S. MEDARDI.

* Voay, ſeu Voal.

XI. Extat [b] Sancti Vodoali vita, cuius epitomen paucis contractam accipe, ſeruatâ multis in locis primigeniâ phraſi, vt maior accedat auctoritas. Vodoalus Preſbyter, natione Pictus, relictâ patriâ, quæ Borealem Britanniæ partem complectitur, vbi hodierna Scotia, venit in Franciam, *ciuitatem Sueſſionenſium deuotus acceſſit, & ad Monaſterium puellarum inclytâ famâ notiſſimum, ibi ad honorem almæ Genitricis Dei Virginis Mariæ ſitum, Domino ducente, peruenit. Cúmque illuc perueniſſet, à venerabili Adalgarde Abbatiſſa cum omni alacritate ſuſceptus, ad plagam Orientalem iuxta murum ipſius ciuitatis ante portam Monaſterij hoſpitiolum accepit, quod nunc vſque Turris Sancti Benedicti vocatur.* Quandiu ibi ſederit, nos latet. Alias peregrinationes obeundi hæc data occaſio.

[b] Ap. Bolland. d. 5. Febr.

GESTA VODOALI PRESBYTERI.

occaſio. *Quadam die, cùm ſupradicta Abbatiſſa, vt ſolebat, de cibis ſuis ad eum in argenteo vaſe transmiſiſſet, ipséque per pediſſequum ſuum Magnebertum ſtatim pauperi agapen ad oſtium petenti dediſſet, pauper dapibus refectus, vas ſecum portans abſceſſit. Poſtridie miniſtri vas requirentes, vt didicerunt quod factum fuerat, reuerſi nuntiauerunt dominæ ſuæ. Quæ conuocatum ad ſe illum increpans, ſi, inquit, dapes tibi ad prandium tranſmiſi, non iuſſi quòd argenteum vas diriperes, mihíque meum auferres. Ille grauiter hoc ferens, proſtratus ſolo, veniam pro exceſſibus poſtulat, & recedens inde ignotas iterum adit vias, peregréque profectus multas per nouem annos peragrat regiones.* Illo ſpatio temporis euoluto, nauem conſcendit, vt in patriam reuerteretur, etſi quartanâ febri laboraret. Orta tum tempeſtas. *Recordatus autem Vodoali nauarchus dixit ad ſuos. Ite, & peregrinum illum, qui huc nobiſcum intrauit, reficite, mihi enim videtur iuſtus vir, & propter negligentiam noſtram in illum hoc, vt arbitror, patimur naufragium. Qui abeuntes inuenerunt eum vix vltimo ſpiritu palpitantem, ſtatímque, vt illum refecerunt, tumida requieuerunt æquora, ſolóque deducto mare à ſuo ſtetit feruore. Eâdem nocte apparuit ei Angelus Domini dicens. Vodoale, ſiue Benedicte, quid hîc agis? quóue pergere vis? Dominus enim me miſit ad te, vt ab hac hora ſanus effectus omni febre careas. Inſuper & tantam tibi conferre dignatus eſt gratiam, vt quicumque hoc fuerint vexati incommodo, noménque tuum in ſuis memorauerint orationibus, ſtatim voti compotes fiant.* Id Auctor vitæ *quotidie ad eius tumbam* fieri teſtatur, cuius puluis, cooperante ſupernâ diſpenſatione, miraculis coruſcare perſpicitur, dum quicumque ex illo, cum plena fide in potu ſumpſerunt, ſtatim percipiunt ſanitatem. Nec ſolùm apud Sueſſionem, ſed etiam *in Italia & Aquitania multíſque aliis prouinciis* per hunc puluerem multi ſanitatem receperunt. *Porrò dedit* Vodoalo *baculum memoratus Angelus dicens. Surge, ne ſteteris, ſed ſumma cum feſtinatione Sueſſionem repedare ſtude, atque ad Monaſterium puellarum in cellam, vnde digreſſus es, reuertere, quia ibi te oportet ærumnoſæ præſentis vitæ curſum conſummare. Sed & hoc tibi à Domino conceſſum eſt, vt in loco Reliquiarum tuarum ignis nullatenus præualeat. Statímque vt Angelus diſceſſit ab eo, feſtinanter viam arripiens, poſt nouem annorum curricula ad ciuitatem Sueſſionenſium eſt reuerſus.* Nondum portam vrbis ingreſſus erat, eiúſque reditum imminere nondum quiſquam ſciebat, cùm *vnus ex famulis, qui ibi Sanctimonialibus deſeruiebant, occultum omnibus in ſe habens dæmonem, cœpit currere & clamans dicere. Surgite, quia benedictus Vodoalus iam venit, vt me hinc eiiciat, ite ergo illi obuiam. Quamobrem aliquantæ ex ſororibus vſque ad portam Monaſterij eum ſecuti ſunt, quæ aperto oſtio virum Dei ſtantem reperiunt. Qui protinus eumdem famulum intuens, & latentem in eo dæmonem intelligens, alapâ faciem eius percuſſit, & immundum ſpiritum eiecit. Cúmque hoc diuulgatum fuiſſet, Abbatiſſa cum omni Congregatione obuiam procedens cum magno eum recepit honore.* Fuit hæc eadem Adalgardis, cuius mentio iam facta eſt, illam enim ſuperſtitem tunc in viuis fuiſſe vel ex eo conſtat, quòd Vodoalus poſt ſuum reditum inter alia miracula veſtem, quam Monialis iuſſu Adalgardis Abbatiſſæ conſuendam acceperat incautéque ſciderat, ſigno Crucis redintegrauit, vt hæc docet enarratio. *Cùm aliquando idem venerabilis Sacerdos Miſſarum ſolennia celebrare volens, per clauſtra Monaſterij tranſiret, vidit duas Sorores valdè mœſtas & anxias ſedere. Interroganti verò eas, quonam tanto afficerentur mœrore, vna reſpondens dixit. Quidam ex Proceribus Palatij, Adalgardi Abbatiſſæ hanc, quam vides, veſtem conſuendam tranſmiſit, ipſa autem nobis dedit vt eam conſueremus, ſed ego arrepto forfice nodum fili abſcindere volens, particulam veſtis imprudenter abſcidi, ideo, Pater, anguſtiamur. Ille igitur prælatâ caritatis virtute, clypeo fidei munitus, ſignum Crucis ſuper veſtem exprimit, ſtatímque integram, vt antè fuerat, reſtituit.* Hoc miraculum alia præceſſerunt. *Poſt longum tempus reuerſionis eius contigit, vt cella, in qua manebat, ſubitò igne cremari crederetur, ſed eum ſtatim Angelus Domini in cincinno verticis apprehendit, & tranſportauit in Inſulam Axonæ fluminis, incendiúmque reſtinxit. Quadam etiam die, cùm Mo-*

AN. CH. 718. CHILPER. III. R. 3. CLOTAR. IV. R. 1.

naſterij muro adhærens coquina valido igne arderet, & Sorores valdè perterritæ quò ſe verterent ignorarent, vna ex illis, quæ familiariùs ſancto viro adhærebat, quamque ipſe anteà à quartana febre & dentium dolore curauerat, veniens dixit illi. Benedicte Vodoale, veni nóſque de præſenti incendio tuâ eripe piiſſimâ prece. Ille tollens pallium ſuum, quod vulgò Cappa vocatur, & ſuper eam proiiciens, iuſſit; vt illam contra ignem poneret, ſtatímque vt contra ignem poſita eſt, flammarum globi in ſemet reflexi ſunt, incendiúmque protinus eſt extinctum. Vodoalum, quòd *Cappâ* pro pallio vſus dicatur, Monachum fuiſſe non malè conieceris, licèt ex eodem textu deprehendere nequeas cuius extiterit Ordinis. Quæ verò virtus ad extinguendum ignem in Cappa fuit, fuit & poſteà in baculo, ſæpè enim efficitur, vt Sueſſione *ſicubi forte incendium contigerit, illéque baculus contrà allatus fuerit, continuò ignis ſuâ virtute amiſsâ extinguatur.* Tandem menſe Ianuario Vodoalus in morbum incidit, obiitque Nonis Februarij, quo die celebratur apud Molanum in additionibus ad Vſuardum. *Corpus ad Monaſterium deportatum eſt, ibíque in Baſilica almæ Crucis dicata ad ſiniſtram partem à religioſis pollinctoribus in mauſoleo poſitum & honorificè humatum.*

XII. ABBATISSÆ S. MARIÆ SVESSION.

De anno, quo Sanctus Vodoalus ad Deum migrauit, haud liquet, nec vtrùm ſuperſtes in viuis tunc eſſet Adalgardis Abbatiſſa, cui ſucceſſit Ermemburga, tum Armentrudis, de qua rurſum Tomo ſequenti. Ceterùm *poſt obitum* beati Vodoali *factum eſt, vt pediſſequus eius Magnebertus cum aliis ſeruis ad ligna de ſaltu præcidenda ire iuberetur. Qui flens ideo & eiulans ante ſepulchrum beati viri ſe proiiciens ait. Domine Vodoale, vt quid me ſuperſtitem reliquiſti, qui ſine te viuere non poſſim? cui me dimiſiſti, aut quis mei miſerebitur graui iugo ſeruitutis oppreſſi, quod omnino ferre non valeo? Ipsâ verò nocte vir Dei in viſione ei apparuit dicens. Noli timere, quia vlteriùs nemo te vllo grauabit ſeruitio. Tum poſteà apprehensâ manu eius ait. Veni mecum. Poſterâ die correptus febre Magnebertus emiſit ſpiritum, & ante ſepulchrum Domini Vodoali à fidelibus ac religioſis viris eſt ſepultus.*

MAGNEBERTVS SERVVS S. VODOALI.

XIII. MORNAVALLIS MON. FOEMIN.

Iiſdem temporibus in Epiſcopatu Sueſſionenſi florebat aliud Monaſterium fœminarum, cui nomen Mornauallis *; fundator Rex Dagobertus, vt in auctiore Gallia Chriſtiana teſtantur Sammarthani. De Dagoberto Secundo, quòd Sueſſione numquam regnarit, liquidò conſtat. Vtrùm autem ad Dagobertum Primum an ad Dagobertum Tertium referenda ſint huius Monaſterij primordia, non ita patet, quia vetera deſunt monumenta, quæ conſuli poſſint.

* *Morguienval.*

XIV. WINFRIDVS ANGLVS PER FRANCIAM IT ROMAM.

Hoc anno Winfridus Preſbyter ex Anglia, quò redierat, in Galliam cum aliquot ſociis iterum nauigauit iturus Romam. Illorum peregrinationem Sanctus Willibaldus ita deſcribit. *Imminente hyemis frigore profecti ſunt, multáſque Sanctorum Eccleſias orando adierunt, vt tutiùs, opitulante altithrono, Alpina niuium iuga tranſcenderent, Longobardorúmque erga illos humanitatem mitiùs ſentirent, militúmque malitioſam ſuperbiæ ferocitatem faciliùs euaderent. Cúmque Sanctorum ſuffragante patrocinio, & Domino Deo diſpenſante, omnis quippe cohors contubernalium comitatui huius ſancti viri inhærens, limina beati Petri Apoſtoli proſperè aggreſſus eſt, immenſas ſtatim Chriſto pro ſoſpitate eorum grates perſoluunt, atque Eccleſiam Sancti Petri Principis Apoſtolorum magno cum gaudio ingreſſi, abolitionem peccaminum poſtulantes, diuerſa quidem munera eorum quamplurimi detulerunt. Tranſactis autem diebus non multis, ſanctus iſte vir venerabilem Sedis Apoſtolicæ Papam beatæ memoriæ Gregorium à primo ſecundum, & nouiſſimo priorem, affatus, qui & vulgaricâ Romanorum linguâ dicitur Iunior, omnémque ſibi per ordinem itineris ſui atque aduentûs occaſionem manifeſtauit, & quali anxius deſiderio diutiùs deſudaſſet, aperuit. Sanctus itaque Papa repentè hilari vultu arridentibuſque oculis intuitus in eum, inquiſiuit, an literas ab Epiſcopo ſuo commendatitias detuliſſet. At ille etiam concitus, excepto pallio, chartam ex more inuolutam literáſque protulit, dedítque mirabili ſanctæ recordationis viro, qui ſta-*

Digitized by Google

tim acceptis literis annuit ei vt abiret. Apoſtolicus verò Papa perlectis literis & recenſitâ commendatitiæ conſcriptionis chartâ ſedulum deinceps cum eo habebat quotidianæ diſputationis colloquium. AN. CH. 718.

CHILPER. III. R. 3. CLOTAR. IV. R. 1.

XV. CVM LITERIS COMMENDATIIS DANIELIS EP. VENTÆ.

Epiſcopus, qui Winfrido commendatitias literas dedit, Daniel à Willibaldo nuncupatur. Epiſcopatum Ventæ ciuitatis in prouincia Occidentalium Saxonum geſſit. Infulas Pontificales accepit ineunte Oſredi Regis Principatu, qui patri ſuo Alfrido in Nordan-Humbrorum Regnum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto ſucceſſit. In viuis ſuperſtes erat anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, quo Beda Hiſtoriam Eccleſiaſticam Gentis Anglorum abſoluit. Vtrumque ex eadem Hiſtoria patet. Caput vndeuiceſimum libri quinti ſic inchoatur. *Anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo quinto Alfridus Rex Nordan-Humbrorum defunctus eſt, anno Regni ſui viceſimo necdum impleto. Cui ſuccedens in Imperium filius ſuus Oſredus puer octo circiter annorum, regnauit annis vndecim. Huius Regni principio Antiſtes Occidentalium Saxonum Heddi cæleſtem migrauit ad vitam. Quo defuncto Epiſcopatus prouinciæ illius in duas parochias diuiſus eſt; vna data eſt Danieli, quam vſque hodie regit, altera Aldhelmo.* Et capite vltimo, *prouinciæ Occidentalium Saxonum Daniel & Forthere Epiſcopi* commemorantur. Deinde ad Danielem Ventæ ciuitatis Epiſcopum Vecta Inſula pertinere ſic dicitur. *Epiſcopatus Vectæ Inſulæ ad Danielem pertinet Epiſcopum Ventæ ciuitatis.* Idem quoque capite decimo-ſexto libri quarti ſcriptum ſic fuerat. *Poſtquàm omnes Britanniarum prouinciæ fidem Chriſti ſuſceperant, ſuſcepit & Inſula Vecta, in qua tamen ob ærumnam externæ ſubiectionis, nemo gradum Miniſterij ac Sedis Epiſcopalis ante Danielem, qui nunc Occidentalium Saxonum & Geuiſſorum eſt Epiſcopus, accepit.*

Literæ, quibus Daniel Epiſcopus Winfridum commendauit, omnibus Chriſtianis inſcribuntur, & inter Epiſtolas [a] S. Bonifacij, quas Nicolaus Serarius è Bibliotheca Viennenſi publicauit, ſcriptæ reperiuntur in hunc modum. *Piiſſimis ac Clementiſſimis Regibus, Ducibus vniuerſis, Reuerendiſſimis & Dilectiſſimis Epiſcopis, Religioſis necnon Abbatibus, Presbyteris, & ſpiritalibus filiis, Chriſti nomine conſignatis, Daniel Dei famulorum famulus. Dum vniuerſis fidelibus deuotione ſinceriſſimâ Dei mandata ſunt obſeruanda, quantum ſit hoſpitalitatis munus, quámque acceptabile Deo humanitatis officium viantibus exhibere, Sanctis Scripturis atteſtantibus demonſtratur, dum & beatus Abraham propter hoſpitalitatis miſericordiam Sanctorum Angelorum præſentiam ſuſcipere meruit, & venerando eorum colloquio perpotiri. Loth quoque, per huiuſmodi myſterium pietatis, de Sodomorum flammis ereptus eſt. Saluauit eum hoſpitalitatis gratia de flammarum interitu, mandatis cæleſtibus obſequentem, ita & veſtræ dilectioni proueniet ad ſalutem, dum horum portitorem Religioſum Presbyterum, Deíque Omnipotentis famulum ſuſcipientes Wynfrithum, charitatem ei, quam Deus & diligit & præcipit, exhibetis. Recipientes ergo Dei famulos, eum recipitis, cuius Maieſtati deſeruiunt, omnia ita pollicenti. [Qui vos recipit, me recipit.] Hæc itaque cum cordis deuotione facientes, Dei mandata peragitis, & de diuinæ promiſſionis oraculo confidentes, mercedem apud eum habebitis ſempiternam. Incolumem Eminentiam veſtram ſuperna gratia cuſtodiat.* XVI.

[a] Ep. 31.

Nicolaus Serarius libro tertio rerum Moguntiacarum, vitam Sancti Bonifacij, Winfridi priùs nuncupati, ab Othlono Presbytero compoſitam notis illuſtrauit, diſtinxítque literas commendatitias duplicis generis, vnas ad Reges, Duces, Epiſcopos, Abbates, Preſbyteros, ceteróſque Chriſtianos, quas proximè recitauimus, alteras ad Papam quæ nondum in lucem prodierint. In huius diſtinctionis confirmationem tres rationes allegauit. Vnam deſumpſit ex titulo literarum ſuprà recitatarum, in quo *Reges primo loco, & generatim Epiſcopi, non autem Apoſtolicus* ſeu Papa *ſalutatur.* Alteram protulit ex iiſdem literis, *quòd in illis de hoſpitalitate tantùm, non autem de Bonifacij voto, doctrina & virtute quidquam agitur.* Tertiam deduxit ex textibus Willibaldi & Othloni, quorum lectione colligere ſit, quòd eædem XVII.

Digitized by Google

AN. CH. 718. CHILPER. III. R. 3. CLOTAR. IV. R. 1.

prædictæ literæ *aperta ac euoluta* eſſent, *quæ verò ad Pontificem erat epiſtola, inuoluta de more eſſet.* Winfridus à Gregorio Papa interrogatus, an literas ab Epiſcopo ſuo commendatitias detuliſſet, *concitus*, vt ait Willibaldus, *exempto pallio chartam ex more inuolutam literáſque protulit*, ſiue vt Othlonus [a] ſcribit, *concitus chartam ex more inuolutam proferens dedit Apoſtolico.* Poſtrema hæc ratio non placet, duæ priores magis arrident.

[a] Lib. 1. c. 11.

XVIII. Sanctus Willibaldus annum, quo Winfridus ſeu Bonifacius Martyrium conſummauit, quatuor Characteribus conſignat, quorum vnum ab inita peregrinatione, alterum ab Incarnatione Domini, tertium ab Indictione, poſtremum à ſuſcepto Epiſcopatu ſic deſumit. *Deus ſuum dignatus eſt ſeruum quadrageſimo peregrinationis eius anno reuoluto glorificare, qui & Incarnationis Domini ſeptingenteſimus & quinquageſimus-quintus annus cum Indictione octaua computatur. Sedit autem in Epiſcopatu annos 36. menſes ſex, & dies ſex, & ſic ordine ſupradicto, die Nonarum Iunij, Martyrij triumpho remuneratus migrauit ad Dominum.* Tres ex illis Characteribus apud Othlonum ſic repetuntur [b]. *Habuit S. Bonifacius in Epiſcopatu annos* XXXVI. *menſes* VI. *& dies* VI. *Paſſus eſt vnà cum ſociis Nonis Iunij, anno ſcilicet peregrinationis ſuæ* XL. *ſed Incarnationis Domini ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto.* Cum anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto Nonis Iunij conuenit octaua Indictio; conuenit & annus peregrinationis quadrageſimus, vel etiam quadrageſimus-primus incœptus, quia ineunte anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ſuſcepta primùm peregrinatio, vt ad illum annum fusè probatum. Sed difficultas eſt non leuis ſuper anno Epiſcopatûs triceſimo-ſeptimo per menſes ſex diéſque totidem inchoato, nam ſi Winfridus ſeu Bonifacius habuit in Epiſcopatu *annos* XXXVI. *menſes* VI. *& dies* VI. factus eſt Epiſcopus hoc anno pridie Kalendas Decembris in feſto Sancti Andreæ, ſeriùs autem ordinatus eſt Epiſcopus à Gregorio Papa, cùm Romam ſecundò profectus eſſet, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium ex iiſdem Auctoribus Willibaldo & Othlono necnon ex Alcuino demonſtrabimus. Sanctus Willibaldus & Othlonus, cùm Bonifacio annos in Epiſcopatu ſex ac triginta cum ſex menſibus diebúſque totidem attribuerunt, impropriè locuti ſunt, Epiſcopum enim eum dixerunt, quem Papa præconem Chriſtianæ fidei Legatúmque Sedis Apoſtolicæ creauit, vt auctoritate Pontificiâ gentibus, quibus Chriſtus nondum annunciatus, Euangelium prædicaret, ipſúmque concionandi officium adimpleret, quod eſt inter præcipua Epiſcopi munia atque interdum Apoſtolatus vocatur. Extat apud Othlonum [c] Diploma, quo Gregorius Papa Winfrido datam Euangelij longè latéque diſſeminandi poteſtatem confirmat nullâ Epiſcopatûs factâ mentione. Pontificium illud Diploma deſcribemus anno ſequenti, quo datum eſt menſe Maio, cùm Winfridus ad peragendum miniſterium Româ proximè abiturus eſſet. Hic Româ profectus eſt primùm in Thuringiam, deinde in Friſiam, vbi per triennium commoratus eſt, inde autem diſcedens Willebrordo Epiſcopalem dignitatem offerenti non acquieuit; penetrauítque poſtmodum in Germaniam interiorem, vnde à Gregorio Papa Romam inuitatus, cùm illuc ſe contuliſſet, ordinatus eſt tandem Epiſcopus. Hæc omnia ſuis locis fuſiùs exponentur.

[b] Lib. 2. c. 30.

[c] Lib. 1. c. 12.

XIX. In Diœceſi Auguſtana * inter Paarum * & Gelonum * amnes, pauperem Monachorum cellam, vbi labores Apoſtolicos cum ſuis diſcipulis ſolaretur, ſub hunc annum erexit Alto vir Apoſtolicus, qui Scotiæ Regis filius & Epiſcopus ad conuerſionem gentium ordinatus fertur. Hæc fuit origo Weingartenſis Monaſterij, quod lapſu temporis nobiliſſimum euaſit. Illius loci primus, qui conditor, Abbas fuit Alto, vitámque clauſit ætate decrepitâ ſub Rege Pippino. Lege Gabrielem Bucelinum parte ſecundâ Germaniæ Sacræ in *Weingarten.*

* *d'Auſbourg*
* *le Par.*
* *le Glon.*

ALTO CONDIT MON. WEINGARTENSE.

Digitized by Google

AN. CH. 719. CHILPER. III. R.4. CLOTAR. IV. R.2.

ANNVS CHRISTI 719.
CHILPERICI III. R. 4.
CLOTARII IV. R. 2.

IN Annalibus Nazarianis, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum, hæ duæ res notantur, *occiſio Francorum ad Sueſſionis ciuitatem, & mors Ratbothi.* I.

Prælium Sueſſionenſe, quo Chilpericus à Carolo profligatus eſt, hoc etiam anno conſignat Auctor [a] Chronici Fontanellenſis, ab anno enim Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto vſque ad nouiſſimam illam pugnam quam Chilpericus infeliciter conſeruit, numerat annos duntaxat tres, deinde quatuor vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium, quo Benignus Abbas Fontanellenſis interiit. Idem Auctor in illo prælio *actam* Francorum *cædem* teſtatur. Nec aliud innuit Annaliſta [b] Fuldenſis, cùm Chilpericum & Raginfridum, *inſtauratâ rurſus acie, ſuperatos* ſcribit. Corrigendi ſunt igitur alij, ſeu ſtragem Francorum diſſimulant, ſeu poſtremam Chilperici cladem in alium annum coniiciunt. II.

PVGNA SVESSIONENSIS.

Bellum illud in Geſtis [c] Regum Francorum ita perſtringitur. *Chilpericus & Ragenfredus Eudonem Ducem expetunt in auxilium. Qui mouens exercitum, contra Carolum perrexit. At ille conſtanter occurrit ei intrepidus. Sed Eudo fugiens, Pariſius ciuitatem regreſſus eſt. Chilpericus quoque cum theſauris Regalibus ſublatis vltra Ligerem ſeceſſit. Quem Carolus perſecutus non reperit.* Et in Hiſtoria [d] iuſſu Childebrandi ſcripta. *Chilpericus & Raganfredus Legationem ad Eudonem Ducem dirigunt, eius auxilium poſtulantes rogant, regnum & munera tradunt. Illi quoque, hoſte*, id eſt, exercitu, *Vaſconorum commoto ad eos, venientes, pariter aduersùs Carolum perrexerunt. At ille conſtanter & intrepidè eis occurrere properat. Eudo territus quòd reſiſtere non valeret aufugit. Carolus inſecutus eum vſque Pariſius, Sequanam fluuium tranſit, vſque Aurelianenſem vrbem acceſſit. Et vix euadens terminos regionis ſuæ penetrauit, Chilpericum Regem ſecum cum theſauris ſublatis auexit.* Audi & Annaliſtam Metenſem [e]. *Chilpericus & Ragenfridus Legationem ad Eodonem Ducem Aquitaniorum dirigunt, eiúſque auxilium poſtulant, & vt Karolo cum eis reſiſteret, magnis muneribus inuitabant. Eodo Dux Aquitaniorum, commoto exercitu Waſconum, ſimul cum Chilperico & Ragenfrido aduersùs Karolum Principem arma corripit. Karolus autem intrepidus eis occurrere maturauit. Quod cùm audiſſet Eodo, Karolum eſſe in itinere, & paratum eſſe à finibus regni ſui ſuperbum hoſtem repellere, territus fugit, Chilpericum ſecum Regem, theſauris regalibus ſublatis, euexit. Karolus verò ſecutus eſt eum vſque Aurelianis ciuitatem, ibique caſtra poſuit.* III.

Hi Scriptores egent collatione ſimul & interpretatione. Francia tranſligeritana conſtabat duobus Ducatibus, Aquitaniæ videlicet & Vaſconiæ. Ducatus Aquitaniæ complectebatur Aquitaniam primam & Aquitaniam ſecundam, Ducatus Vaſconiæ Nouempopulaniam. Aquitania & Vaſconia duæ ſunt prouinciæ diſtinguuntúrque in Teſtamento Caroli Magni, qui pro pace inter filios ſuos conſeruanda diuiſionem ditionum ſuarum ſic auſpicatur. *Diuiſiones à Deo conſeruati & conſeruandi Imperij vel Regni noſtri tales facere placuit, vt Aquitaniam totam & Waſconiam*, &c. Idem Carolus Magnus, vt Eginhardus in eius vita ſcribit, *Hunoldum, qui poſt Waifarij mortem Aqui-* IV.

AQVITANIA ET VASCONIA DISTINGVVNTVR.

[a] Cap. 3.
[b] Ad an. 718.
[c] Cap. 53.
[d] Cap. 107.
[e] Ad ann. 717, 718.

AN. CH. 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

taniam occupare, bellúmque iam penè peractum reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere, & Waſconiam petere coegit. In vita Ludouici Pij Imperatoris, Aquitania per Garumnam à Vaſconia ſeparatur, ibi enim Carolus Magnus, cùm in Hiſpaniam proficiſceretur, dicitur tranſiiſſe *Garonnam fluuium Aquitanorum & Vaſconum conterminum*, ídque haud adeò ſtrictè interpretare, vt agrum Burdegalenſem, qui trans Garumnam ſitus, Aquitaniæ nolis accenſere. Notgerus in vita S. Remacli appoſitè admodum Aquitaniam ſic laudat. *Habet ea, præter caſtra & loca munita, vrbes quatuordecim prægrandes, eaſque populoſas & celeberrimas, è quibus duæ ſunt Metropoles, vna Burdegalenſis, magnis ſemper viris conſpicua, altera Bituricenſis.* In veteribus Galliarum notitiis plures Ciuitates vtrique Aquitaniæ non accenſentur, octo primæ, ſex ſecundæ. Ciuitates Aquitaniæ primæ ſic enumerantur. *Metropolis Ciuitas Biturigum. Ciuitas Aruernorum. Ciuitas Rutenorum. Ciuitas Albienſium. Ciuitas Cadurcorum. Ciuitas Lemouicum. Ciuitas Gabalum. Ciuitas Vellauorum.* Ciuitates Aquitaniæ ſecundæ ſic. *Metropolis Ciuitas Burdigalenſium. Ciuitas Agennenſium. Ciuitas Ecoliſmenſium. Ciuitas Santonum. Ciuitas Pictauorum. Ciuitas Petrocoriorum.* Ætate Chilperici Regis, plures in vtraque Aquitania Sedes Epiſcopales nondum erant, ſi Toloſanam excipias Clodouei Magni temporibus auulſam è Prouincia Narbonenſi atque Aquitaniæ primæ attributam.

V. Alia fuit igitur Aquitania, alia Vaſconia; alij Aquitani, alij Vaſcones; alij Duces Aquitaniæ, alij Duces Vaſconiæ. Tamen ab Auctoribus illius ſeculi, Aquitania cum Vaſconia, Aquitani cum Vaſconibus, Duces Aquitaniæ cum Ducibus Vaſconiæ ſæpè confunduntur. Eâ ratione, prouincia, quam Eudo cum Ducis titulo regebat, modò vocatur Aquitania, modò Vaſconia; incolæ modò dicuntur Aquitani, modò Vaſcones; ipſemet Eudo modò Dux Aquitaniæ, modò Dux Vaſconiæ nominatur à coæuis Scriptoribus. Exempla notabimus, vt occurrent. Ex locis iam citatis, hîc tantùm obſerua Eudonem in Annalibus Fuldenſibus [a] ac Metenſibus [b] appellari *Ducem Aquitaniorum*; militéſque, quos conſcripſit, in iiſdem Annalibus [c] Metenſibus *Waſcones*, & in Hiſtoria [d] iuſſu Childebrandi ſcripta *Vaſconos* appellatos eſſe. Vtrique prouinciæ, Aquitaniæ videlicet ac Vaſconiæ, Eudonem præpoſitum ſcribunt Oihenartus in notitia [e] Vaſconiæ & Alteſerra libro ſeptimo [f] rerum Aquitanicarum, nec id alienum à vero videtur.

[a] Ad an. 718.
[b] Ad ann. 717. 718.
[c] Ad an. 718.
[d] Cap. 107.
[e] Lib. 3. cap. 5.
[f] Cap. 7.

VI. EVDO DVX AQVITANIÆ.

Hiſpani Eudonem inter Hiſpanos in Cantabria, meliùs alij natum affirmant inter Francos in Aquitania, cuius Ducatum obtinuit, tantâque ſolertiâ geſſit, vt infra Regiam maximâ polleret auctoritate. Quapropter Chilpericus clade ad Vinciacum acceptâ, mox eum, vt lectis in Aquitania copiis in auxilium contra Carolum præſtò adeſſet, ſedulò per nuncios hortatus eſt, affecitque magnis muneribus, inter quæ *Regnum* ab Auctore Hiſtoriæ [g] iuſſu Childebrandi conſcriptæ reponitur. *Regnum* putamus hoc loco ſumi pro corona, nec aſſentiri poſſumus iis [h], qui cenſent à Chilperico permiſſum eſſe Eudoni, *vt ſuo ſummóque iure ac Regiâ poteſtate in Aquitania dominaretur, prouinciâ Regiæ ditioni exemptâ.* Lege quæ ſuperiùs dicta ſunt ad annum Chriſti quingenteſimum octauum [i] de corona, quam teſte Hincmaro [k] Clodoueus Rex ad Romanum Pontificem direxit.

[g] Cap. 107.
[h] Valeſ. lib. 23. ad an. 718.
[i] Num. 72.
[k] In vit. S. Remigii.

VII. AVXILIO EST CHILPERICO REGI.

Eudo Chilperici Regis exercitum copiis auxit Aquitanicis. Initum eſt certamen in pago Sueſſionenſi. Victoria ſtetit penes Carolum. Magna ſtrages edita eſt Fracorum ſeu Neuſtraſiorum. Ragenfridus fugâ vix ſibi potuit conſulere. Chilpericus Pariſios, tum Aureliam, poſtremò in Aquitaniam ſe recepit cum Eudone Regiiſque gazis. Eudo, quòd Regem in ſuis caſtris haberet, hoſti Carolo viſus eſt longè formidabilior. Tunc Carolus attentè meditari cœpit, quomodò copias in Aquitaniam traduceret. Feſtinanti atque in agrum Aurelianenſem progreſſo moram obiecerunt Ligeris fluuius qui facilè tranſiri non poterat, mórſque Clotarij Regis, quem hiſce tem-

Digitized by Google

AN. CH. 719.
CHILPER. III. R. 4.
CLOTAR. IV. R. 2.

poribus obiiſſe ſic affirmat Anonymus coætaneus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Chilpericus cum theſauris Regalibus ſublatis vltra Ligerem ſeceſſit. Quem Carolus perſecutus, non reperit: Chlotarius quidem memoratus Rex eo anno obiit.* Aſtipulatur alter Anonymus in Hiſtoria [b] iuſſu Childebrandi ſcripta. *Eudo*, inquit, *vix euadens terminos regionis ſuæ penetrauit, Chilpericum Regem ſecum cum theſauris ſublatis auexit. Chlotharius itaque Rex eo anno obiit.* Mortuus eſt Clotarius circa finem anni, regnauítque anno vno menſibúſque circiter ſeptem, vt Valeſius [c] iam obſeruauit.

CLOTARIVS R. OBIT.

Interim Ragenfridus è prælio Sueſſionenſi, fugâ lapſus, Andegauum peruenit, in eâque ciuitate, quæ propugnaculis non parum erat munita, conſedit ex rerum euentu noua conſilia capturus. Anguſtias, ad quas Ragenfridus redactus fuit, ita deſcripſit Chronographus Fontanellenſis [d]. *In præfato prælio*, nempe Sueſſionenſi, *Wando* Abbas Fontanellenſis *cum Ragenfrido & Hilperico Rege interfuit. Benignus verò Diaconus* Abbas quondam Fontanellenſis, quem Ragenfridus de regimine Monaſterij proiecerat, *partibus Caroli fauebat. Cúmque poſt actam cædem Ragenfridus cum Hilperico fugam arripuiſſet, tandem poſt multiplicem fugæ lapſum ad Noniomum huius noſtræ Eccleſiæ* Fontanellenſis *villam perueniens, Wandonis equum, quem ibi in paſto conſtitutum reperit, extemplo aſſumpſit, atque curſu rapido ad portum, qui vocatur Deuenna, penetrauit. Illic namque tranſmiſſo Sequanâ ad Andeganis vrbem aufugit, inſequebatur enim à Caroli ſatellitibus.* Hîc obiter animaduerte quàm infelicia eſſent illa tempora propter ciuiles tumultus, cùm Abbates à Maioribus domûs Regiæ pro lubitu deponerentur reſtituerentúrque, nec alienum à monaſtica diſciplina ſibi perſuaderent præliis intereſſe. *Cùm verò comperiſſet Carolus à ſibi dicentibus, quòd ſcilicet Raganfridus per equum Wandonis aufugiſſet, iuſſit eum illicò de Cænobij huius regimine proiici, & in Traiecto caſtro exilio trudi, quod antiquo gentium illarum vocabulo Viltaburg, id eſt, oppidum Wiltorum vocabatur, nunc verò linguâ Gallicâ Traiectum nuncupatur. Benignus denique rurſum regiminis huius Cænobij ſortitur gradum per annos quatuor, id eſt, vſque ad annum Theodorici Iunioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus vigeſimus-tertius.* Hic textus oſtendit auctoritatem Caroli poſt certamen Sueſſionenſe plurimùm auctam fuiſſe per Neuſtriam, cóſque falli qui prælium illud anno priori commiſſum ſcribunt. Aduerte autem in vulgatis [e] Chronici Fontanellenſis exemplaribus deſiderari periodum, quæ textum proximè recitatum debet immediatè præcedere, vt Vinciacenſis pugna, quam Chronographus Fontanellenſis *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, Indictione decimâ-quintâ, duodecimo Kal. Aprilis* conſignat, apertè diſtinguatur à Sueſſionica quam idem Auctor, vt ex dictis patet, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono conſertam teſtatur. Exulauit Wando ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſecundum, quo regimen Monaſterij Fontanellenſis iterum ſuſcepit. Super exilij loco non leuis oboritur difficultas. Duplex memoratur Traiectum; ſuperius ad Moſam, vbi celebris memoria Sancti Seruatij Tungrenſis olim Epiſcopi; & inferius ad Rhenum, cui nomen *Wiltaburg* à Wiltis quondam inditum volunt. Quæ nuperrimè deſcripſimus ex capite tertio Chronici Fontanellenſis, ea neceſſario capienda ſunt de Traiecto * inferiori ad Rhenum, nec ſuperiori ad Moſam aptari poſſunt. Pertinent autem ad Traiectum * ſuperius, quæ capite duodecimo eiuſdem Chronici leguntur de Reliquiis & Eccleſia Sancti Seruatij Epiſcopi, qui Tungrenſem Diœceſim, in qua ſitum erat Traiectum ad Moſam, olim gubernauit. *Vir Religioſus Wando, dum de Traiecto caſtro, vbi ad exilium ductus fuerat, cum permiſſu ac iuſſione glorioſiſſimi Principis Pipini reuerteretur, pignora Reliquiarum B. Seruatij Confeſſoris aſſumens ſecum detulit, veniénſque in hunc locum*; id eſt, Fontanellam *ædificauit Baſilicam in honore ipſius Confeſſoris Chriſti iuxta Eccleſiam B. Principis Apoſtolorum Petri ad meridianam eiuſdem Eccleſiæ plagam.* Chronographus igitur Fontanellenſis

VIII.

WANDO ABB. FONTANELLENSIS EXVLAT.

BENIGNVS RESTITVITVR.

[a] Cap. 53.
[b] Cap. 107.
[c] Lib. 23. ad an. 719.
[d] Cap. 3.
[e] Ap. Luc. Dacher. Spicil. 3.

* *Vtrech.*
* *Maſtrich.*

AN. CH. 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

vtrumque Traiectum non ſatis diſtinguit, & Wando relegatus videtur non in Traiectenſem Diœceſim, quam Willebrordus Epiſcopus regebat ad Rhenum, ſed in Diœceſim Traiectenſem, cui præerat ad Moſam Hubertus Epiſcopus.

IX. Iram Caroli victoris expertus eſt etiam Cæleſtinus Abbas Blandinienſis, de quo ſic Antonius Sanderus in Auctario ad Tomum primum Flandriæ Illuſtratæ. *Eam Abbatiam, ait Chronographus Blandinienſis, multis rexit diebus, vſque ad id tempus quo diſſenſio inter Carolum & Ragenfridum facta eſt. Cùm autem diu inter eoſdem Principes grauis de regno pullulaſſet diſceptatio, & quidam adhærerent Carolo, quidam verò Ragenfrido, contigit, vt in tali fieri ſolet negotio, quoſdam ſuſurrones, inuidiâ diaboli inſtigatos aduersùs Abbatem memoratum Cæleſtinum, adire Principem Carolum, qui eum in multis falsò accuſantes, dixerunt nonnullas epiſtolarum ſcedulas tranſmiſiſſe Ragenfrido, quæ ſibi ſuóque regno forent nocituræ. Qua de re multimodâ accenſus irâ priuauit eum à Cœnobiali Monachorum caterua, ac de eadem, quâ morabatur, expulit prouincia; villas quoque, quæ ſubiacebant dominio Monaſterij Blandinienſis, ſuos diuiſit per vaſallos abſque reuerentia Dei. Monachi verò eiuſdem Monaſterij, Patris ſui ſolatio deſtituti, omníque corporali ſubſidio penitus alienati, circumcirca, velut oues ſine Paſtore ſunt diſperſi.*

CÆLESTINUS ABB. BLANDIN. PELLITUR IN EXILIUM.

X. Iacobus Meyerus in Annalibus rerum Flandricarum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum de Cæleſtino Abbate ſic ſcribit. *Sub idem tempus digladiantibus inter ſe ardentiſſimè Carolo Martello ac Ramanfredo Magiſtris Equitum, Celeſtinum Abbam Blandinienſem, patriâ Scotum, Martellus in exilium extruſit, propterea quòd Ramanfredi diceretur eſſe partium.* Et ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-quintum, ſic. *Obiit eodem anno Celeſtinus Abba Blandinienſis in Monaſterio Rotornacenſi, quem ab Carolo Martello pulſum fuiſſe ſuprà meminimus.*

XI. Sanderus autem in marginali notatiuncula, quâ præcitatum Auctarium illuſtrare conatur, opinionem longè diuerſam de tempore, quo Cæleſtinus exulauit, ſic profert. *Eiectus eſt Cæleſtinus à Carolo Martello circa annum Domini 765, & obiit peregrinus Rotornaci.* Quis ad mendam adeò enormem non obſtupeſcat? An Carolus, cuius obitus in annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum incidit, anno pòſt viceſimo-quarto, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-quinto Blandinienſem Abbatem è Monaſteriali Præfectura deturbauit? Cæleſtinum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-quintum perueniſſe ne quidem putamus. Rotornacum * ſeu Rotnacum, vbi Cæleſtinum mortuum Meyerus, Sanderus aliíque moderni Scriptores affirmant, ſitum eſt inter Schaldim & Teneram fluuios, duobúſque diſtat milliaribus ab Aldenarda * quæ Schaldi adiacet, quatuor à Gerardimontio * quod alluitur Tenerâ *. In Sanctarum Reliquiarum Cetalogo, quæ Rotonarci cuſtodiuntur, corpus Sancti Cæleſtini numeratur ab annis ferè octingentis. Sanctum illum Cæleſtinum plerique Neotericorum eundem eſſe volunt cum Cæleſtino Abbate Blandinienſi de quo loquimur. At, vt aliter ſentiamus, multæ res nos adigunt. Reliquiæ Sancti Cæleſtini Rotornacum aliunde auectæ ſunt. *An.* 860. inquit Miræus [a], *die 6. Iulij, S. Hermetis corpus Indâ Rotnacum ad Baſilicam Canonicorum à Sancto Amando Traiectenſi Epiſcopo fundatam eſt tranſlatum per Ludouicum Imperatorem, Lotharij Imp. filium, qui & Reliquias SS. Cornelij Papæ, Cypriani Epiſcopi Carthaginienſis & S. Cæleſtini apud Rotnacenſes depoſuit, amplâ dote additâ, adeò vt alter poſt S. Amandum Eccleſia Rotnacenſis fundator Ludouicus Imp. à Rotnacenſibus habeatur.* Deinde Rotornacenſes Canonici quem Sanctum Cæleſtinum colunt, hunc Cæleſtinum Papam eſſe credunt. Vnde Molanus decimo-ſexto Kalendas Iunij, quo die Rotornacenſes Sanctum Cæleſtinum celebrant, de beati Cæleſtini Papæ Reliquiis ex reſcripto Domini Laurentij *Bachelaer* Rotornacenſis hæc habet. *In Rothnaco, beati Cæleſtini Papæ, cuius Reliquiæ habentur*

* *Renay.*

* *Oudenarde.*

* *Gheertsberghe.*

* *le Dender.*

AN CULTUS ROTORNACI.

[a] In Faſt. Belg. d. 28. Aug.

Digitized by Google

AN. CH. 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2. XII.

tur in Canonicorum Eccleſia à Ludouico Rege fundata. Natale in Romano Martyrologio notatur die ſextâ Aprilis. Sed Rothnacenſis Clerus feſtiuitatem celebrat in die tranſlatarum Reliquiarum.

Eſt tamen difficultas ſuper Cæleſtino Papa, quia Martyrium nuſquam ſubiit Cæleſtinus Primus Papa, cuius encomium in Tabulis Eccleſiaſticis octauo Idus Aprilis ita legitur. *Romæ, S. Cæleſtini Papæ, qui Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum damnauit, Pelagiúmque fugauit; cuius etiam auctoritate ſancta vniuerſalis Synodus Epheſina aduersùs eundem Neſtorium celebrata eſt.* Quapropter Miræus decimo-ſexto Kalendas Iunij, quo die Sanctus Cæleſtinus apud Rotornacum colitur, & quinto Kalendas Septembris, quo die Sanctus Hermes celebratur, in cuius Eccleſia Sanctus Cæleſtinus apud Rotornacum quieſcit, nihil audet definire. Decimo-ſexto Kalendas Iunij ſic ſcribit. *Maij 17 die. S. Cæleſtinus, Rotnaci in Flandria celebris. An is fuerit Papa, Bartholomæus Petrus Lintrenſis & Georgius Colueneriuſ, Doctores Theologi Duacenſes, qui Ioannis Molani Natales Belgicos an. 1616 ibidem cum Notis recudendos curarunt, meritò dubitant. Nam Cæleſtinus, qui Rotnaci quieſcit, videtur Martyr fuiſſe, vt colligi datur ex illo Verſiculo,*

Vita Celeſtini gladio fuerat data fini.

Qui verſiculus in veteri Sanctorum Rotnacenſium feretro legi ſolet, vt Iacobus Pamelius in prolegomenis ad Cyprianum teſtatur, & nos à Rotnacenſibus Canonicis an. 1622. accepimus. Cæleſtinus autem Papa ad 6. diem Aprilis, Romano Martyrologio adſcriptus, non Martyr ſed Confeſſor fuit. Meierus certè in Annalibus Flandriæ ad an. 765 refert Rotnaci obiiſſe beatum Cæleſtinum Scotum, Abbatem Blandinienſem, quem in exilium Carolus Martellus miſerat. Ego quod certò ſtatuam, non habeo. Et quinto Kalendas Septembris, ſic. *Quod ad S. Cæleſtinum attinet, cuius Reliquias Ludouicus, Lotharij filius, Rotnacum pariter attulit, Rotnacenſes Canonici, ex ſuæ Eccleſiæ monumentis, adſerunt eas eſſe S. Cæleſtini Papæ primi, Tabulis Romani Martyrologij ad diem 6. Aprilis adſcripti. Sed quia Cæleſtinus Papa fuit Confeſſor, non Martyr, ſunt qui quæſtionem mouent ob verſiculum veteri feretro inſcriptum, qua de re vide ſuprà 17. Maij. Ego nihil auſim ſtatuere aut definire.* Miræus adeò dubius hæret, quia Cæleſtinum Abbatem Blandinienſem in numero Sanctorum haberi talémque à Iacobo Meyero prædicari putat, deceptus à Ioanne Molano, qui *die decimâ-ſeptimâ Maij*, poſtquàm *de B. Cæleſtini PP. Reliquiis in Rothnaco, ex reſcripto Domini Laurentij Bachelaer Rothnacenſis* egit eo quo ſuprà dictum eſt modo, ſubiicit hanc annotationem allegato ad marginem nomine Meyeri cum anno 765. *Fuit & alius Sanctus Cæleſtinus Rothnaci. Refert enim Meierus, Rothnaci obiiſſe beatum Cæleſtinum Scotum, Abbatem Blandinienſem, ſiue Gandenſem ad Sanctum Petrum. Quem Carolus Martellus extruſerat in exilium eò quòd diceretur eſſe partium Ramanfredi.* Meyerus Cæleſtini Blandinienſis Abbatis, in Annalibus Flandriæ, bis meminit, ſemel ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum, quo pulſum ait in exilium, iterum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-quintum, quo mortuum ſcribit. Vtrumque textum, ne vno quidem apice omiſſo, iam deſcripſimus. In neutro Meyerus Cæleſtinum Abbatem Blandinienſem aut Sanctum aut Beatum appellat. Et Molanus annotationem, quam proximè recitauimus, ſic claudit. *Huius*, id eſt, Cæleſtini Blandinienſis Abbatis, *nulla eſt in Rothnacenſi Eccleſia memoria.* Prætereà Rotornacenſes Canonici quem Sanctum Cæleſtinum colunt, hunc Martyrem venerantur, Cæleſtinum autem, qui locum inter Abbates Blandinienſes obtinet, hactenus nemo Martyrem dixit. In Baſilicam Rotornacenſem lata ſunt nono ſeculo corpora Sancti Cornelij Papæ, Sancti Cypriani Carthaginienſis Epiſcopi, & Sancti Cæleſtini. Martyrio coronatos fuiſſe Sanctum Cornelium *in perſecutione Decij*, Sanctum Cyprianum *ſub Valeriano & Gallieno Principibus* teſtantur Eccleſiaſticæ Tabulæ decimo-octauo

AN.CH 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

Kalendas Octobris. Nec in iiſdem Tabulis ſexto Nonas Maij deeſt Cæleſtinus Martyr, qui Romæ multa paſſus, in carcerem demum coniectus, ibi in Domino quieuit. Siue hic Sanctus, ſiue quis alius eiuſdem nominis Rotornacum tranſlatus eſt, certè Martyrium pro Chriſto ſubiit, diſtinguíque debet à Cæleſtino Abbate Blandinienſi, de cuius ſanctitate Martyrióue nullum validum teſtimonium occurrit.

XIII. Si Molano [a] iam citato fides eſt, Eccleſia in qua Sanctus Cæleſtinus apud Rotornacum quieſcit, *à Ludouico Rege* fundata eſt. Si verò potior eſt auctoritas Miræi [b] iam quoque allegati, Ludouicus Imperator Lotharij Imperatoris filius Eccleſiam Rotornacenſem *à S. Amando Traiectenſi Epiſcopo fundatam* Reliquiis Sanctorum Hermetis, Cornelij, Cypriani & Cæleſtini, necnon amplâ dote locupletauit, *adeò vt alter poſt S. Amandum fundator habeatur.* Imus in Molani ſententiam, & Eccleſiam Rotornacenſem, cuius prima fundamenta Sanctus Amandus Traiectenſis olim Epiſcopus iecerat, Sanctorum Reliquiis exornatam, copioſíſque redditibus auctam fuiſſe credimus non à Ludouico Auguſto Lotharij Auguſti filio, ſed à Ludouico Rege Ludouici Pij filio & Caroli Calui fratre, quia Ludouicus Imperator Lotharij Imperatoris filius in Regno Lothariano, vbi ſitum Rotornacum, ne vicum quidem poſſedit, illud autem Regnum Ludouicus Ludouici Pij filius cum Carolo Caluo fratre diuiſit anno Chriſti octingenteſimo ſeptuageſimo, vt conſtat ex Annalibus Bertinianis ac Metenſibus quos conſule. Quæſtionem illam accuratiùs examinabimus ſub Regibus Ludouico Germanico & Carolo Caluo fratribus. Interim obſerua falli quoque Miræum [c], cùm ſcribit *an. 860, die 6 Iulij, S. Hermetis corpus Indâ Rotnacum tranſlatum*, nam Tranſlatio illa, cuius author Ludouicus Germanicus, priùs fieri non potuit, quàm idem Ludouicus, Regni Lothariani cum Carolo Caluo factâ diuiſione, partem obtineret, vbi Inda & Rotornacum.

[a] In Natalib. SS. Belgij d. 17. Maij.
[b] In Faſt. Belg. d. 28. Aug.
[c] In Faſt Belg. d. 28. Aug.

XIV. RADBODI R. FRISIORVM OBITVS.

Præter Annales Nazarianos iam citatos, Petauiani & Tiliani Radbodum Friſiorum Regem hoc anno mortuum ponunt, vt omittamus Interpolatorem Ionæ in vita Sancti Wlfranni à Surio & Henſchenio publicata [d]. *Radbodi Regis inteſtina Medenblici, vbi vitam finiuit, ſepulta: reliquum corpus Staueram, vrbem Regiam, totiúſque Friſiæ tum maximam, ac Regum Sedem, deportatum conditúmque* ſcribit Vbbo Emmius in Hiſtoria [e] rerum Friſicarum. Cùm Ratbodus ex hac vita ſublatus eſt, Erminus Lobienſis Abbas, vt Fiſenus [f] in Floribus Leodienſibus ſcribit, *Lobio Fleonum*, id eſt, ad vicum ortu Sancti Vrſmari quondam nobilem, *proficiſcebatur, ſubitò ſubſtitit, & ad comites, certum hoc, inquit, accipite. Modò cecidit terrena & ſublimis altitudo. Intellexere poſteà ſocij eodem temporis articulo Radbodum Friſiorum Principem obiiſſe, cùm alteram in Francos pararet expeditionem, qui priore victoria*, quam ſcilicet anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto de Carolo Maiore-domûs reportarat, *inſoleſcens magnum omnibus ſuorum armorum incutiebat terrorem*, quia Carolus procul aberat rebus Neuſtraſianis intentus. Atque inde collige Chilperico Francorum Regi cum Friſiis aduersùs Carolum fœdus fuiſſe. Radbodo autem Rege Friſiorum extincto, & Neuſtraſiis in agro Sueſſionenſi profligatis, Carolo liberè licuit vti ſuâ victoriâ, vt dictum ſuprà. Ceterùm Radbodus [g] ex Aldegillo filio duos ſub tutoribus nepotes reliquit, Gondebaldum & Radbodum, quorum ætas adhuc immatura regendæ reipublicæ tum erat.

REVELATVR ERMINO ABB. LOBIENSI.

[d] d. 20. Mart.
[e] Lib. 4. ad an. 718.
[f] d. 25. April.
[g] Emmius l. 4. rer. Friſic. ad an. 714.

XV. WINFRIDVS LICENTIAM PRÆDICANDI EVANGELIVM OBTINET A PAPA.

Winfridus Preſbyter in Thuringia Francicæ ditionis prouincia verſabatur, quando de Radbodi morte nuncium accepit. Menſe Maio Româ iter in Thuringiam ſuſceperat. *Cùm Niſan menſis; qui eſt Aprilis, præteriret, & Iairi, qui eſt Maius, iam porta pateſcerent, tunc etiam poſtulatâ atque etiam acceptâ Apoſtolicæ Sedis benedictione & literis à beatiſſimo Papa ad inſpiciendos immaniſſimos Germaniæ populos directus eſt, vt an inculta cordium arua Euangelico*

Digitized by Google

arata vomere, prædicationis ſemen recipere voluiſſent, conſideraret. Hæc Willibaldus in ipſius Winfridi vita. AN. CH.

Literæ Pontificiæ, per quas Gregorius Papa Winfrido Apoſtolatum ſeu curam Euangelij apud quaſcumque gentes infidelitatis errore detentas prædicandi commiſit, ab Othlono [a] in eiuſdem Winfridi vita ſic recitantur. *Exigit manifeſtata nobis religioſi propoſiti tui piè in Chriſto flagrantis intentio, & approbata ſynceriſſima fidei tuæ prolata relatio, vt ad diſpenſationem verbi diuini, cuius, per gratiam Dei, curam gerimus, te conminiſtro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia ſacras literas didiciſſe, profectúſque indolem ad augmentum crediti cælitus talenti proſpectu diuini timoris extendere, videlicet gratiam cognitionis cæleſtis oraculi in laborem ſalutiferæ prædicationis, ad innoteſcendum gentibus incredulis myſterium fidei inſtanti conatu expendere, collætamur fidei tuæ & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmiſſi conatûs pium affectum vſque ad Apoſtolicæ Sedis, modeſtâ prouiſione, perduxiſti conſultum, vt membrum ex membro, proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitíſque arbitrio humiliter te ſubmittens, & eius directioni iuſto tramite properans, ſoliditati compaginis plenitudo exiſtas. Ideo in nomine indiuiſibilis Trinitatis per inconcuſſam auctoritatem beati Petri Apoſtolorum Principis, cuius doctrinæ magiſterio fungimur, & locum Sacræ Sedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ Religionis inſtituimus, atque præcipimus, vt in verbo Dei (quo igne ſalutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris) ad quaſcunque gentes infidelitatis errore detentas properare, Deo annuente, potueris, myſterium Regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes, & per ſpiritum virtutis & dilectionis ac ſobrietatis prædicationem vtriuſque teſtamenti mentibus indoctis conſonâ ratione transfundas. Diſciplinam denique ſacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere ſtudeas ex formula officiorum ſanctæ noſtræ Sedis Apoſtolicæ, inſtitutionis tuæ gratiâ prælibatâ, volumus vt intendas. Quod actioni ſuſceptæ tibi deeſſe perſpexeris, nobis, vt volueris, intimare curabis. Benè vale. Data Id. Maij, imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato, anno* III *Imperij eius, Indictione* II.

719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

XVI. [a] Cap. 12.

CVM LITERIS COMMENDATITIIS.

Hic Imperator Leo fuit Iſaurus, de quo ſic Theophanes. Ἐβασίλευσεν οὖν Λέων ἀπὸ κε΄. τοῦ Μαρτίου μηνὸς τῆς ιε΄. ἰνδικτιῶνος, ἕως μηνὸς Ἰουνίου ιη΄. τῆς θ΄. ἰνδικτιῶνος. βασιλεύσας ἔτη κδ΄. μῆνας β΄. ἡμέρας κε΄. Et Anaſtaſius. *Regnauit Leo ab octauo Kal. April. decimæ-quintæ Indictionis vſque ad decimum-quartum Kal. Iulias nonæ Indictionis, cùm regnaſſet annis viginti-quatuor, menſibus duobus, diebus viginti-quinque.* XVII. CHRONOLOGIA PP. ET AVGG. EXAMINATVR.

Ambo hi Scriptores initium Imperij, quod Leo geſſit, ab octauo Kalendas Aprilis petunt currente tum Indictione decimâ-quintâ, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo. Quapropter in literis Pontificiis ſuprà recitatis Idus Maiæ per annum tertium Leonis Imperatoris rectè cum Indictione ſecunda, id eſt, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono comparantur. XVIII.

De die, quo Leo cœpit imperare, Baronius cum Theophane & Anaſtaſio conuenit, ſed Indictionem decimam-quartam & annum Chriſti ſexcenteſimum decimum-ſextum notat, nec aduertit in Gregorij Papæ literis, quas ipſemet ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-nonum deſcribit, Idus Maij per annum tertium Leonis Auguſti cum Indictione ſecunda, id eſt, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-nono, componi. XIX.

Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum Chronologiam cùm Romanorum Pontificum, tum Imperatorum, à Baronio anno vno præuerti iam monuimus. Hic enim Auctor mortem Conſtantini Papæ & exauctorationem Anaſtaſij Auguſti, quæ anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto contigerunt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto malè conſignauit. Theodoſius poſt Anaſtaſium imperauit. Ab Anaſtaſij exauctora- XX.

Digitized by Google

AN. CH. tione ad diem vſque octauum ante Kalendas Apriles, quo Leo Iſaurus im-
719. perare cœpit, annus effluxit integer cum duobus incompletis. Id Theopha-
nes & Anaſtaſius teſtantur. Vtrique ſuffragatur Baronius. At annum illum
CHILPER. III. R. 4. completum, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto illigamus, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto comparat. Theophanes &
CCOTAR. IV. R. 2. Anaſtaſius eundem illum annum numerant iuxta ſupputationem Alexandrinam, τῆς θείας σαρκώσεως ψη'. diuinæ Incarnationis ſeptingenteſimum octauum, ſiue, vt ſupputamus, annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum decimum-ſextum, vt ad illum annum [a] aliâ occaſione iam diximus. Ergo Chronologiæ Baronianæ Theophanes & Anaſtaſius hoc loco nullomodo patrocinantur.

[a] Num. 19.

XXI. Baronius, vt aſſertioni ſuæ fidem conciliet, ait epiſtolam à Leone Auguſto ad Gregorium Secundum Papam Indictione decimâ-quartâ ſcriptam eſſe, cuius mentionem idem Pontifex initio ſuarum ad eundem Imperatorem literarum ſic fecerit. *Literas veſtræ à Deo cuſtoditæ Maieſtatis ac fraternitatis per Auguſtalem Spatharocandidatum miſſas accepimus, imperante te Indictione quartâ-decimâ; ipſius etiam* 14. & 15. & 1. & 2. & 3. & 4. & 5. & 6. & 7. & 8. & 9. *Indictionum acceptas epiſtolas tuas, in ſancta Eccleſia repoſitas in limine Confeſſionis ſancti & glorioſi ac Principis Apoſtolorum Petri diligenter ſeruamus.*

XXII. Leo Iſaurus, qui octauo Kalendas Aprilis imperare cœpit, ſi literas Indictione decimâ-quartâ datas ad Gregorium Secundum Papam direxit, certè Imperium anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto tenuit. Id in dubium vocari non poteſt, illo enim anno Kalendæ Septembres Indictionem decimam-quintam aperuerunt. At epiſtolæ, quarum meminimus, nec à Leone Auguſto ad Gregorium Secundum Papam, nec à Gregorio Secundo Romano Pontifice ad Leonem Auguſtum ſcriptæ ſunt, quod enim in præcitatis literis nomen Gregorij Papæ legitur, intelligi debet de Gregorio Tertio, qui Gregorio Secundo in Pontificatum Leone adhuc imperante ſucceſſit. Ita iam cenſuit Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica [b] de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Fuſiùs autem ac commodiùs, cùm ad Pontificatum Gregorij Tertij Papæ peruenerimus, ea de re rurſum agemus. Tunc & diſputabimus de anno quo Leo Imperator extinctus eſt, illum enim annum Theophanes & Anaſtaſius non benè videntur aſſecuti.

[b] In Gregor. 3. PP.

XXIII. Quod attinet ad Titulum *Piiſſimi*, quo Gregorius Secundus Papa Leonem Auguſtum in literis ſuprà deſcriptis afficit, Leonem Imperatorem, qui Catholicam Eccleſiam acerbiſſimè vexauit, *Piiſſimum* à Romano Pontifice appellatum puta ratione dignitatis & ex vulgata nomenclatura. Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-quintum [c] ſimilia iam exempla protulimus; de Porcio Feſto homine ethnico, quem Paulus Gentium Apoſtolus *Optimum* in Actibus Apoſtolorum [d] vocat; de Valeriano & Galieno gentilibus Imperatoribus & Chriſtiani nominis acerrimis hoſtibus, quos Sanctus Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus apud Euſebium [e] θεοφιλεστάτους dicit; de Theodorico Rege Oſtrogothorum Ariano, qui *Piiſſimus* ac *Sanctus* in Actis tertiæ Synodi Romanæ ſub Symmacho Papa nominatur.

[c] Num. 9.
[d] Cap. 26.
[e] Lib. 7. c. 10. edit. vulg. c. 11. edit. Valeſ.

XXIV. WINFRIDVS ROMA PROFICISCITVR IN GERMANIAM. Winfridus, vt ex prælaudatis Gregorij Papæ literis conſtat, *ad quaſcumque gentes infidelitatis errore detentas* miſſus eſt. Id in dubium vocari nequit. Tamen quia Româ profectus eſt in Germaniam, illius Apoſtolatum intra Germaniæ fines ab ipſo Papa circumſcriptum vult Willibaldus, ſic enim ſcribit. *A beatiſſimo Papa ad inſpiciendos immaniſſimos Germaniæ populos directus eſt, vt an inculta cordium arua Euangelico arata vomere, prædicationis ſemen recipere voluiſſent, conſideraret.* Willibaldum ſuus ſequitur interpres Othlonus [f], aitque commiſſam Winfrido *in cunctis Germaniæ populis curam prædicandi.* Iter illius in Germaniam ſic deſcribit Willibaldus. PER LONGOBARDIAM ET BOIOARIAM. *Extemplò collectâ*

[f] Cap. 11.

AN. CH. 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

numeroſâ Reliquiarum multitudine, reciproco ſuorum reditu conſeruorum, Italiæ fines adiit, optimúmque Longobardorum Regem Lichobrandum (Othlono Luitprandum) *pacificis ſalutatum muneribus compellauit, & honorificè ab eo ſuſceptus laſſata ex itinere membra repauſabat, ac ſic remuneratus ardua ac plena agrorum peragrans ſpatia, prærupta Alpium iuga tranſcendit, incognitóſque Baguarorum,* (Othlono Bagoariorum, Surio Baioariorum) *& confines Germaniæ terminos aggrediens in Thuringiam, iuxta mandatum Apoſtolicæ Sedis, conſiderando progreſſus eſt, ad inſtar videlicet prudentiſſimæ apis, quæ ſuorum camporum circumuolat arua, & numeroſam redolentium herbarum copiam pennigeris molliter perſtrepens alis circumuolat arua, carpentíque roſtro pertentat melliflua, vbi nectaris latet dulcedo, & ſuis eam, omni penitus mortiferi ſucci amaritudine contemptâ, aluearijs inuehit, & ſecundùm quandam Apoſtolicæ ratiocinationis eloquij ſimilitudinem, omnia probat, & quod bonum eſt tenet.* Othlonus [a] illud iter breuiùs ſic perſtringit, *Literis acceptis à venerabili Papa profectus eſt inde ad Longobardorum Regem Luitprandum, à quo honorificè ſuſceptus aliquandiu cum eo eſt hoſpitatus. Profectus verò exinde, ardua & prærupta Alpium iuga tranſcendit, incognitóſque Bagoariorum & Germaniæ terminos perluſtrans in Thuringiam deuenit, conſiderans & explorans in omnibus inſtar prudentiſſimæ apis, vbi poſtmodum nectaream ſanctæ fidei dulcedinem colligere poſſet.*

[a] Cap. 13.

XXV.

Romà in Thuringiam per Longobardiam, per Alpium iuga, per Boioariam perrexit, nec in illo itinere Treuiros adiit, vel Palatiolum Monaſterium Treuiris ad Moſellæ ripam proximum. Vnde redarguas Serarium, qui quæcumque à beato Ludgero de Winfridi aduentu ad Cœnobium Palatiolenſe cùm in Haſſiam ac Thuringiam contenderet, déque Gregorio puero tunc in illius diſciplinam tradito narrata ſunt, hoc anno vult contigiſſe. Sic enim de Winfrido ſcribit [b]. *Maio menſe in Germaniam, prædicandi gratiâ venit, & B. Gregorium puerum in diſciplinam ſuam accepit.* Lege quæ de illa quæſtione iam dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimumquintum [c]. Gregorij loco, inter Winfridi diſcipulos, Sturmium, de cuius patria & ortu ante annos quindecim iam locuti ſumus, hoc anno ſubſtituemus. In Boioaria nobili parentum ſtirpe natus, Winfrido Româ in Thuringiam illac proficiſcenti oblatus eſt adoleſcens, vt à tanto Doctore erudiretur. In vita quam à Georgio Wicelio ex manuſcriptis Codicibus Latinis iam amiſſis Germanicè primùm excerptam editámque Chriſtophorus Browerus Latinè reddidit, & aliis documentis in Antiquitatibus Fuldenſibus initio libri tertij illuſtrauit, vocatur *adoleſcens*, cùm à parentibus in diſciplinam Winfridi traditur, imò primo earumdem Antiquitatum libro, capite tertio, tunc *admodum adoleſcens* nuncupatur ab ipſomet Browero, qui Ioanni Friderico à *Scwalbach* Abbati Fuldenſi quatuor libros Antiquitatum Fuldenſium anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodecimo dedicauit. De Sturmij ætate duo conſtant. Ordinatus eſt Preſbyter ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſextum, obiítque anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-nono. Vitæ igitur annum circiter decimum-quintum videtur aſſecutus, quando Winfridum præceptorem ac magiſtrum habere cœpit. Secundùm illam computationem vixit annos circiter ſeptuaginta-quinque, factúſque eſt Sacerdos anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo triceſimo-quarto natus annos triginta. Winfridus autem cùm de Radbodi Regis morte nuncium accepiſſet, mox in Friſiam ſe contulit. Ne verò credas eum in itinere ad Palatiolenſe Monaſterium acceſſiſſe, qualem ſe geſſerit in Thuringia, quâque viâ in Friſiam illinc abierit, audi ex Willibaldo illius diſcipulo. *Sanctus vir Dei in Thuringia, iuxta inſitum ſibi mandatum Apoſtolici Pontificis, Senatores, denique plebis totius populi Principes, verbis ſpiritualibus affatus eſt, eóſque ad veram agnitionis viam & intelligentiæ lucem prouocauit, quam olim antè maximâ ſiquidem ex parte prauis ſeducti Doctoribus perdiderunt. Sed & Sacerdotes & Preſbyteros, quorum alij religioſo Dei ſe Omni-*

[b] Not. 54. in vit. S. Bonifac.

[c] Num. 79.

STVRMIVM ADOLESCENTEM BOIOARIVM IN SVAM DISCIPLINAM ACCIPIT.

AN. CH. 719. CHILPER. III. R 4. CLOTAR. IV. R. 2.

potentis cultu incaluerunt, alij quidem fornicariâ contaminati pollutione, caſtimoniæ continentiam, quam ſacris ſeruientes altaribus ſeruare debuerunt, amiſerant, ſermonibus Euangelicis, quantùm potuit, à malitia prauitate ad canonicæ conſtitutionis rectitudinem correxit, admonuit atque inſtruxit, & Franciam deinde (Franciam intellige Orientalem ſeu Franconiam, vt recentiores appellarunt) *fratribus ſecum commeantibus, ingreſſus eſt, ſtatímque auditâ Radbodi Freſorum Regis morte alueum quidem fluminis magno gauiſus gaudio nauigio aſcendit,*

IT IN FRISIAM.

optans quòd etiam Freſia recepiſſet verbum Dei, ad incultas cæleſti prædicatione terras peruenit, iámque atrocis ceſſante Regis Radbodi perſecutione, doctrinæ cæleſtis ſemina miniſtrauit, & verbi Dei fame expulsâ famelicam paganicæ ſuperſtitionis multitudinem æternæ prædicationis refecit pabulo. Cúmque deſiderantis repentè mentem ſpontaneus operis ſequeretur effectus, & votiua prædeſtinatæ doctrinæ lux Domino Deo diſpenſante clareſceret, Carolíque Ducis glorioſi ſuper Freſones roboratum eſſet imperium, iam buccina cæleſtis verbi increpuit, & prædicatorum adueniente ſuperni roris fertilitate vox intonuit. Dei etiam per Villibrordum virum venerabilem ac cooperatores eius propagatus eſt ſermo. Sed quia meſſis quidem multa, operarios autem paucos ineſſe cernebat, ſanctus hic Dei famulus factus etiam eſt per tres inſtanter annos Willibrordi Archiepiſcopi, multúmque in Chriſto laborans non paruum Domino populum, deſtructis delubrorum fanis, & extructis Eccleſiarum Oratoriis, præfato Pontifice opitulante, acquiſiuit. Audi & eadem ex Othlono [a] Sancti Willibaldi interprete. *Cùm per aliquot dies in Thuringia commoraretur, interim omnes illius prouinciæ principes verbis ſpiritualibus alloquens, ad ſacræ fidei agnitionem totiúſque religionis tramitem reuocauit. Sed & Sacerdotes, quos ſceleribus variis deditos comperit, ſermonibus Euangelicis admonens ad inſtitutionis Canonicæ normam correxit. Intereà verò auditâ Ratbodi Freſonum Regis morte, qui perſecutionem magnam per idem tempus in Chriſtianos exercuit, magno repletus gaudio in Freſiam nauigando deuenit, ibíque verbi diuini ſemina ſpargens, plurimos ab errore idololatriæ retraxit. Sub eodem quoque tempore per venerabilem Willibrordum Traiectenſis Eccleſiæ Præſulem buccina cæleſtis doctrinæ in Freſiam inſonuit.*

FIT COOPERATOR WILLEBRORDI EPISC.

Cuius ſtudio ſanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens per tres continuos annos laborauit cum illo, tam in deſtruendis fanis, quàm in conſtruendis Eccleſiis, omnibúſque negotiis diuinis. Ex illis textibus apertiſſimè colligimus Winfridum è Thuringia Mœno ac Rheno ſecundis fluminibus in Friſiam delatum eſſe. Illic reperit Willebrordum Vltraiectinum Epiſcopum, quocum in ſeminando Dei verbo per triennium ſtrenuè laborauit. Certè Triennalem illam in Friſia prædicationem ab hoc anno ad ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum ipſemet Serarius non diſſimulat [b]. *Poſt Radbodi*, inquit, *tyranni mortem in Friſiam iit ſecundò, tréſque circiter annos S. Willebrordi cooperator fuit*, 720. 721. 722. Iter igitur ad Palatiolum, quod Moſellæ prope Treuirim adiacet, in aliud tempus poſt reditum è Friſia differri debet.

XXVI. PRIVILEGIVM CENOMANENSIBVS A REGE CONCESSVM EXAMINATVR.

Antonius Coruaiſierus è manuſcripto Codice deſcripſit inſigne Priuilegium, quod Childebertus Rex Herlemundo Cenomanenſi Epiſcopo conceſſiſſe fertur, vt nullus officio vel Ducis vel Comitis in Cenomania fungeretur præter eum, quem Cenomanenſis Epiſcopus, Abbates, Sacerdotes, incolæque regionis ad id muneris elegiſſent. Præceptio data reperitur *menſe Martio die* 3. *anno* 40. regnante Childeberto. Sed expuncto anno 40, reſtituendus eſt annus 4. Coruaiſierus in corrigendo errore tam abſurdo, quem vnuſquiſque facilè deprehendere poſſet, tempus ne quidem terendum duxit. At alia protulit argumenta, quibus auctoritatem eiuſdem Regiæ Præceptionis eleuaret. Negauit illâ ætate hæreditarios Cenomaniæ Comites fuiſſe, deinde affirmauit non Cenomaniæ modò ſed & ceterarum prouinciarum, quæ Sequanam Ligerímque interiacent, Ducem ſeu Gubernatorem extitiſſe Carolum Martellum, à quo Caroliæ nomen eis impoſitum ſit. Sed ad quid iſta? Scriptores antiqui nullam Caroliæ mentio-

[a] Capp. 13. 14.

[b] Not 54. in vit. ad Bonifac.

Digitized by Google

nem fecerunt, Comitéſque Cenomaniæ, cùm Herlemundus Epiſcopatum gerebat, nondum hæreditarios fuiſſe fruſtrà obſeruauit Coruaiſierus, Priuilegium enim, de quo nunc agimus, non in eo conſiſtit, vt, ſicut Auctor ille contendit, quotieſcumque Comes Cenomanenſis abſque hærede legitimo deceſſerit, ius eligendi ſucceſſorem ſit penes Epiſcopum, Abbates, omnéſque Ordines Cenomaniæ, ſed totum in eo verſatur, vt deinceps Rex Ducem ſeu Comitem Cenomaniæ non eum præficiat quem ipſe voluerit, ſed quem Cenomanenſis Epiſcopus, Abbates, Preſbyteri, cunctáque gens Cenomanica priùs elegerint. Verba Præceptionis hæc ſunt. *Vt in pago Cænomanico nullus quiſlibet vllo quoque tempore in actione Ducatûs vel Comitatûs ingredi deberet, niſi tantùm per electionem memorati Pontificis aut ſucceſſorum ſuorum, ſeu Abbatum, ac Sacerdotum atque Pagenſium Cænomanenſium ibidem per voluntatem Dei conſiſtentium; ibidem per iuſſionem ipſorum Principum ac ſuccedentium Regum & ad agendum introire deberet.*

Præcipua difficultas eſt in ipſo Regis nomine, quia ſi præcedentium Epiſcoporum Chronologiam benè aſſecuti ſumus, Epiſcopatus Herlemundi cum Principatu Childeberti non coincidit, Herlemundus enim anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo ſedere cœpit Chilperico iam Rege, qui poſt Dagobertum ipſius Childeberti filium ac ſucceſſorem regnauit. Corrigendum igitur in Præceptione Regia nomen aut Regis aut Epiſcopi, quoniam Herlemundus Pontificatum ſub duobus tantùm Regibus, id eſt, ſub Chilperico Tertio & Theodorico Quarto tenuit; illius autem deceſſor Aiglibertus Epiſcopatum geſſit toto tempore, quo Monarchia Francorum penes Childebertum Tertium fuit, quin & eâdem dignitate gauiſus eſt ſub ipſius Childeberti anteceſſoribus Theodorico Tertio & Clodoueo Tertio, ſucceſſoribúſque Dagoberto Tertio & Chilperico Tertio, migrauit enim ex hac vita Chilperico Tertio Regnum iam adepto. Ceterùm Regis nomen mendo magis obnoxium videtur quàm nomen Epiſcopi, faciliúſque Chilpericus in Childebertum abiit quàm Aiglibertus in Herlemundum. Nulla enim occurrit affinitas inter Aigliberti & Herlemundi nomina. Childeberti autem & Chilperici ſunt eædem initiales literæ *Ch*, imò eadem prima ſyllaba *Chil.* ideóque, cùm Regum Epiſcoporúmque nomina per primam vel literam vel ſyllabam in publicis illorum temporum monumentis frequentiſſimè deſignari conſueuerint, factum putamus, vt amanuenſis *C* aut *Ch* vel *Chil* Chilperici loco Childebertum temerè ſit interpretatus. XXVII.

Præceptum igitur Chilperici Regis emendatum ſic accipe. *Chilpericus* * *Rex Francorum. Cùm deceat Clementiam Principis iuſtas Sacerdotum petitiones exaudire & ad effectum perducere, ideo Apoſtolicus vir in Chriſto Pater noſter Herlemundus Cænomanicæ vrbis Epiſcopus Clementiæ Regni noſtri fecit innoteſcere, quòd ante multos annos anteceſſor ſuus Dominus Berarius quondam Epiſcopus præcelſo auunculo noſtro Clotario quondam Regi, vel auiæ noſtræ Bachildæ Reginæ talem petitionem feciſſet, & ab eis tale Præceptum percepiſſet, vt in pago Cænomanico nullus quiſlibet vllo quoque tempore in actione Ducatûs vel Comitatûs ingredi deberet, niſi tantùm per electionem memorati Pontificis, aut ſucceſſorum ſuorum, ſeu Abbatum ac Sacerdotum atque pagenſium Cænomanenſium ibidem per voluntatem Dei conſiſtentium, ibidem per iuſſionem ipſorum Principum ac ſuccedentium Regum, & ad agendum introire deberet; & ipſe hoc taliter per ſuam Præceptionem manu ſuâ vel antedictæ auiæ* * *noſtræ firmatam vnà cum conſenſu Procerum ſuorum eidem præſtitiſſe & ipſam Præceptionem ſe præ manibus habere affirmat. Sed pro integra firmitate petiit Celſitudinem noſtram, vt hoc denuò noſtra pleniùs auctoritas prædicto Pontifici eiúſque per tempora ſucceſſoribus & ipſis pagenſibus confirmaret. Quod nos ita præſtitiſſe & in omnibus confirmaſſe volumus omnes cognoſcere, præcipientes enim iubemus & iubentes præcipimus, vt ſicut conſtat memoratum auunculum noſtrum Clotarium vel auiam noſtram Bachildam per eorum Præceptionem Berario quondam Epiſcopo anteceſſori hoc conceſſiſſe, ita nos hoc Priuilegium Herlemundo Epiſco-* XXVIII.

* Coruaiſiero malè *Childebertus.*

* Coruaiſiero malè *abania.*

AN. CH. 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

*po concedere, vt in ipſo pago Cænomanico accipere non debeant Ducem aut Comitem, niſi per electionem ipſius pagi, Pontificis & pagenſium, & ita hoc ſicut anteà hanc auctoritatem concedimus & confirmamus, vt nullo vnquam tempore vllus ducat actionem aliter, niſi vt dictum eſt, nec in ipſo pago Cænomanico habere debeat, nec quiſquam cuilibet Comiti ipſum pagum ſine electione ipſius Pontificis ciuitatis Cænomanicæ aut pagenſium illorum ingredi aut agere debeat, niſi quem Epiſcopus elegerit, vt ille ipſum pagum ad agendum per noſtram iuſſionem debeat habere. Quæ verò auctoritas vt firmiter habeatur, manûs noſtræ ſubſcriptionibus hanc Præceptionem decreuimus roborare. Chilpericus * Rex inſpectis anterioribus Præceptionibus. Datum menſe Martio, die 3. anno 4 * Regni noſtri, Valentianas. Vulfoletus ſcripſit & ſubſcripſit.*

* Coruaiſiero *Childebertus.*

* Coruaiſiero 40.

XXIX. Licèt Chilpericum loco Childeberti reponamus, cetera quæ de Bathilde Regina eiúſque filio Clotario Tertio in illa Præceptione commemorantur, manent inconuulſa. Nam Clotarius Tertius vt Childeberti Tertij ſic & Chilperici Tertij Regis auunculus fuit ſeu patruus, id eſt, frater cùm Childerici Secundi, tum Theodorici Tertij, quorum hic Childebertum Tertium, ille Chilpericum Tertium genuit. Similiter Bathildis ſeu Bachildis vt Childeberti Tertij ſic & Chilperici Tertij fuit auia, nam Clodoueo Secundo tres peperit filios, Clotarium Tertium qui ſine prole deceſſit, Childericum Secundum, qui pater extitit Chilperici Tertij, & Theodoricum Tertium qui plures liberos atque in his Childebertum Tertium reliquit. Aduerte præterea Berarium, qui Priuilegium à Bathilde Regina eiúſque filio Clotario tunc minorenni percepit, Eccleſiæ Cenomanenſi præpoſitum fuiſſe Epiſcopum eodem anno quo Clodoueus Secundus obiit, eidémque Diœceſi præfuiſſe toto tempore quo Clotarius Tertius in Neuſtraſia regnauit, vbi ſiti Cenomani.

XXX. Clotarius Tertius patrem Clodoueum Secundum quadrimus amiſit. Regni gubernandi ſollicitudinem omnem in ſe recepit Bathildis Regina. Cenomanenſes poſtulationem ingeſſerunt moleſtam ſanè Regiæque Dignitati non parum detrahentem, cui tamen Bathildis ſapientiſſimo tunc vſa conſilio propter tenerrimam Regis ætatem acquieſcendum duxit. Eiuſdem Priuilegij confirmationem à Chilperico Tertio Rege petierunt impetrarúntque hoc anno, cùm bello implicatus eſſet difficillimo. Plebes tempus obtinendis Priuilegiis opportunum ſe nactas ſæpè arbitrantur, ſi Rex aut puer eſt aut à præpotentibus hoſtibus impetitur, nec in futurum præuident, quid ſibi poſteà timendum ab eodem Rege vel ætatem virilem aſſecuto vel tranquillam pacem cum finitimis gentibus pacto. Præceptum Chilperici datum legitur apud Valentianas quinto Nonas Martij, vnde liquet Chilpericum, priuſquàm prope Sueſſionem cum Auſtraſiis confligeret, in ipſam Auſtraſiam penetraſſe, vbi Valentianæ.

XXXI. EOLDI EP. VIENNENSIS ACTA ET OBITVS.

Hoc eodem anno, quo Clotarius Quartus obiit, è viuis quoque diſceſſit Eoldus Viennenſis Epiſcopus. Id in Adonis Chronico ſic aſſeritur. *Chlotharius Rex eo anno mortuus eſt. Poſt Eoldum Epiſcopum Eobolinus Viennenſis Epiſcopus ſucceſſit.* Eoldus ab eodem Chronographo ſic commendatur. *Sanctus Epiſcopus Eoldus Viennenſem Eccleſiam rebus auxit. Erat enim affinis Francorum Regibus. Quíque etiam intra ciuitatem in honore beatorum Martyrum Thebæorum, Mauritij & ſociorum eius, domunculam cryptatim conſtruxit, ibíque non mediocrem partem Reliquiarum, ſiue ex his Martyribus, ſiue ex aliis poſuit. Atque ex eo tempore res Eccleſiæ nomine beati Mauritij attitulantur, quando ex antiquo & maior domus in honorem ſeptem Martyrum Machabæorum, & facultates eiuſdem Eccleſiæ ſub nomine eorum offerrentur, & conſecratæ manerent.* Colitur Sanctus Eoldus in Breuiario Viennenſi Nonis Iulij.

XXXII. SVCCESSORES. EOBOLINVS, AVSTREBERTVS.

De proximis Sancti Eoldi ſucceſſoribus Eobolino ſeu Bobolino & Auſtreberto ſic Ado. *Poſt Eoldum Epiſcopum Eobolinus Viennenſis Epiſcopus ſucceſſit. Huic Auſtrebertus vir ſtrenuus & nobilis Epiſcopus ſuccedit. Hic ſepultus eſt in villa quadam*

Digitized by Google

AN. CH. 719. CHILPER. III. R. 4. CLOTAR. IV. R. 2.

quadam proprietatis ſuæ Iulidiaco, non longè à Sequana fluuio. Quot annos ſinguli ſederint, haud ſcimus. Quem Ado Eobolinum, Demochares aliíque Bobolinum vocant. De Auſtreberti ſepultura nota Sequanam & Ararim ab Auctoribus mediæ ætatis Sigonam & Sequanam promiſcuè nuncupari. Fredegarius [a], vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum obſeruauimus, Sigonam pro Sequana vſurpauit, hîc autem Ado Sequanam pro Sigona ſiue Arari dicit. Sanctus Auſtrebertus ſiue Aſtrebertus, Chenutio Auguſtobertus, in Breuiario Viennenſi celebratur Nonis Iuliis. Apud Ioannem Boſcium in Antiquitatibus Viennenſibus [b] epiſtolæ duæ Romanorum Pontificum Auſtroberto ſiue Auſtreberto Antiſtiti Viennenſi inſcribuntur, vna Gregorij, Zachariæ altera, ſed ambæ commentitiæ. In priori, quæ *data* dicitur *pridie Kalend. Septembris, imperante piiſſimo Leone Auguſto, anno tertio Imperij Regni eius*, Gregorius Papa Bonifacium Epiſcopum, quem in Germaniam mittit, Auſtroberto ſic commendat. *Reuerendum fratrem Bonifacium rudibus gentibus Epiſcopum deſignauimus, quem veſtra charitas Principibus Francorum inſinuare non grauetur, vt Legationem noſtram adimpleat.* Huic quidem anno, vt probatum ſuprà [c], pridie Kalendas Septembris annus Leonis Auguſti tertius rectiſſimè conuenit, ſed Winfridus, qui Româ cum Gregorij Papæ litteris, Idibus Maij datis, in Germaniam hoc anno profectus eſt, ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium nec Bonifacij nomen accepit nec ordinatus eſt Epiſcopus, ídque Auctor ſuppoſititiarum literarum non ſatis aduertit. Deinde, cùm Eoaldus Viennenſis Epiſcopus hoc anno Nonis Iuliis in cælum migrarit, eiúſque ſucceſſor Eobolinus ſeu Bobolinus ex hac vita, vt eædem Antiquitates Viennenſes habent, 7. *Kal. Iunij* diſceſſerit, certè Auſtrebertus, qui poſt eundem Eobolinum ſedit, Epiſcopatum hoc eodem anno, pridie Kalendas Septembris, non geſſit. In poſteriori epiſtola, quæ *data* dicitur *Non. Martij, Conſtantino Auguſto, anno Imperij eius primo*, Zacharias Papa Synodum Romanam, cuius mentio alibi nulla, XI *Kalend. Aprilis* celebratam ait, & Eccleſias prouinciæ Viennenſis *à concuſſione gentium* turbatas ſic deplorat. *Venit ad nos Presbyter Clemens, miſſus à Sanctitate veſtra, referens nobis à concuſſione gentium turbatas Eccleſias prouinciæ veſtræ. Vnde & nos valdè triſtes effecti ſumus.* At nec Auſtreberti temporibus Eccleſiæ prouinciæ Viennenſis *à concuſſione gentium* ſeu Saracenorum turbatæ ſunt, nec Auſtrebertus ſuperſtes vixit aut Gregorio Tertio Papæ, cui Zacharias proximè ſucceſſit, aut Leoni Auguſto, poſt cuius mortem Conſtantinus eius filius ſolus imperauit. Agemus de Saracenorum irruptione in prouinciam Viennenſem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum, cùm Wilicarius, qui poſt Auſtrebertum ſedit, Viennenſibus Infulis iam donatus eſſet, ſuperſtitéſque in viuis adhuc eſſent Gregorius Tertius Romanus Pontifex & Leo Iſaurus Imperator. Hæc ſuis locis clariora fient, vbi ſermonem faciemus de Saracenorum aduentu in Burgundiam, déque obitu cùm Gregorij Tertij Papæ, tum Leonis Auguſti.

[a] Cap. 20.

[b] Cap. 4. nn. 10 & ſeqq.

COMMENTITIÆ AD HVNC LITERÆ REFELLVNTVR.

[c] Nn. 17. & ſeqq.

XXXIII. EPISCOPI CARNOTENSES.

Magobertus ſeu Magnobertus Carnotenſis Epiſcopus, cui Demochares, Chenutius, & Tauellus apud Seuertium annos tredecim in Pontificatu tribuunt, obiit hoc anno, ſi Catalogum Carnotenſium Epiſcoporum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſextum [d] rectè texuimus. Magoberto Sigoaldum omnes ſufficiunt.

[d] Num. 5.

Digitized by Google

AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

ANNVS CHRISTI 720.
CHILPERICI III. R. 5.

I. BELLVM SAXONICVM. ANNO DCCXX *pugnauit Karlus contra Saxones.* Ita loquuntur Annales Nazariani. Habent conformia Petauiani ſic. *Anno* DCCXX, *quando bellum habuit Karolus contra Saxones.* Necnon Annales Tiliani & Chronicon San-Dionyſianum ſic. *Anno* DCCXX *Carolus bellum habuit contra Saxones.*

II. Hoc eodem anno, poſt prælium Sueſſionicum mortémque Clotarij Regis proximo, Carolus amicitiam per nuncios iniit cum Eudone Aquitaniæ Duce, & Chilpericum Regem cum multis muneribus recepit. Anonymus coætaneus in Geſtis [a] Regum Francorum, poſtquàm de poſtrema Chilperici Regis cum Carolo pugna déque Clotarij Regis obitu ſermonem fecit, hæc proximè ſubiungit. *Carolus anno inſecuto Legationem ad Eudonem direxit, amicitiáſque cum eo fecit. Ille verò Chilpericum Regem cum multis muneribus reddidit.* Aſtipulatur alter Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis conſcripſit. *Anno*, inquit [b], *inſecuto, Carolus per Miſſos ſuos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Chilpericum Regem cum multis muneribus recepit.* Carolus Chilpericum reuocare conſtituit, vt eius nomine Regnum cum minore inuidia gubernaret, Neuſtraſij enim & Burgundiones duobus præliis nuper victi potiùs quàm domiti, niſi Rex adeſſet, non libenter homini Auſtraſio parituri videbantur. Eudo conditionem oblatam facilè accepit, cùm Caroli vires iterum experiri nollet, ſibíque à Saracenis bellum minitantibus non parum timeret. Legationis autem ad Eudonem directæ princeps nobis videtur fuiſſe Milo Treuirenſis Epiſcopus, qui Remenſem quoque Eccleſiam ante triennium occuparat expulſo Rigoberto Epiſcopo. Flodoardus enim in Hiſtoria Remenſi ſic ſcribit [c]. *Fertur hunc virum Dei*, nempe Rigobertum, *præfatus Milo, cui Epiſcopium Remenſe datum fuerat à Carolo, functus Legatione ad Waſcones in hac regione reperiſſe, eique, vt in Franciam reuerteretur, ſuaſiſſe, ſuúmque ſibi redhibendum Epiſcopium ſpopondiſſe.*

[a] Cap. 53. CAROLVS ET EVDO FIVNT AMICI. [b] Cap. 107. [c] Lib. 2 c. 12. RIGOBERTVS EP. REMENSIS REDIT AB EXILIO.

III. S. SILVINI Siluinus Epiſcopus hoc eodem anno, decimo-tertio Kalendas Martij, vitam apud Alciacum in Diœceſi Morinenſi clauſit. Illius Acta primus literis commendauit Antenor Epiſcopus coætaneus, perpoliuit alter Scriptor iuſſu Leutwithis Abbatiſſæ ante incurſiones Normannorum, noſtrâ autem ætate publicarunt ex manuſcriptis Codicibus Guillelmus Catellus [d] & Ioannes Bollandus. [e] Hic eruditum præmiſit Commentarium, in quo varias quæſtiones ſuper Siluini patria, parentibus, Epiſcopatu, ætate ac die mortis enodauit.

[d] L. 5. rerum Linguodoch. [e] d. 17. Febr.

IV. PATRIA. Primò, patria Siluini controuertitur. Illum alij Toloſanum, Taruanenſem alij, quidam Scotum fuiſſe perhibent. Hæ tres opiniones rationibus, quibus nitantur, haud carent. Flouetus [f] in literis ad Bollandum teſtatus eſt viſam à ſe vitam, in qua Sanctus Siluinus natione Scotus aſſerebatur. Idem Siluinus, teſte Antenore, vt obſeruant ij, qui Taruanenſem fuiſſe volunt, conſtruxit apud Morinos *in ſuæ proprietatis iure* duas Eccleſias, vnam *in loco nuncupato Mundini Ciſterna*, alteram *in Remicenſi* ſeu Rentiſcenſi *Campania.* Denique, teſte eodem Antenore, *Sanctum Siluinum nobilis Toloſana genuit terra.*

[f] Apud Bolland. in Comment. vit. S. Siluini, n. 8.

V. Vita, quam Flouetus inſpexit, nullius eſt auctoritatis, nam, quia complures iis temporibus è Scotia ac Hibernia Sancti Epiſcopi in Belgium finitimáſque prouincias venerunt, fidei ac pietatis proſeminandæ causâ, quiſpiam

Digitized by Google

facilè, cùm Siluinum aduenam didiciſſet apud Morinos habitaſſe, Scotum fuiſſe diuinauit. Præſtat Antenorem Epiſcopum audire, qui Siluino certè notus ac familiaris extitit, &, vt is, qui lucubrationem illius recognouit, in ipſo ſuæ recognitionis prologo docet, *poſt obitum B. Siluini, actus eius & vitam deſcribere conatus eſt, ſcilicet vt affectum, quem erga illum viuentem* (ita Bollandus legit) *ſubiectionis habuit, poſt tranſitum illius non amitteret obſequendo.* AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

In Sancti Siluini vita, cuius primarius Auctor Antenor Epiſcopus, hæc leguntur. *Sanctum Siluinum nobilis Toloſana genuit terra, ſed Teruanenſium felices continent fines.* Nihil clariùs dici poteſt, vt Siluinum apud Toloſates natum, apud Morinos mortuum ſcias. Eius Maiores è Belgio putamus oriundos, vbi prædia poſſedit, & in ſuæ proprietatis iure duas Eccleſias ædificauit, *vnam in loco nuncupato Mundini Ciſterna, & aliam in Remicenſi Campania.* In Codice Corſendoncano legitur *Municiſterna*, vulgò *Maunice* non procul Alciaco * de quo infrà. Eſt & in eodem tractu locus, cui nomen, *Saint Remy Campaigne.* Non diſplicet Malbrancus [a], cùm pro *Remicenſi Campania* ex antiquo Morinorum Breuiario *Rentiſcenſem* reſtituit ob *Campanias* pagum prope Renticam * ſitum. Præter illas poſſeſſiones, quæ deuolutæ ſunt ad Siluinum, cur hic ex agro Toloſano, vbi natus, ad Morinos profectus ſit, aliam cauſam ne quæras. VI.

* *Auchy.* [a] Lib. 4. c. 11. * *Ranty.*

Secundò; genus Siluini controuertitur. Illum enim Pippini Maioris-domûs & Plectrudis filium fuiſſe quidam volunt, alij Plectrudis & prioris mariti, cuius nomen neſciatur. Eruditiores vtrumque negant. VII. PARENTES.

Non ignoramus Siluinum in quibuſdam Sanctorum Florariis filium Pippini & Plectrudis appellari, & in eam ſententiam iuiſſe rerum Brabanticarum Scriptores Hadrianum Barlandum [b] & Petrum Diuæum [c], qui Pippino quatuor liberos è Plectrude natos affirmant, *Drogonem, Grimoaldum, Siluium, Notburgim.* At præter Drogonem & Grimoaldum ex Plectrude nihil prolis à Pippino ſuſceptum credimus, quia de Siluino & Notburge altum apud coætaneos Auctores ſilentium, & Siluinus ſeu Siluius ab Antenore eiúſque recognitore prædicatur *clarus ex proſapia nobilitatis iuxta ſeculi dignitatem*, nullâ Pippini vel Plectrudis mentione factâ. De Notburge ſeu Noitburge, quæ Plectrudem non matrem ſed materteram habuit, actum alibi. Ioannes Iacobus Chiffletius in libro, quem edidit de Childebrando, fatetur ſeculo decimo-quinto repertos primùm in Brabantia, qui Siluinum Pippini & Plectrudis filium ſcriberent. Deinde aliam opinionem amplectitur Chronico Brabantiæ manuſcripto, cuius Auctorem ſeculo decimo-tertio floruiſſe non diſſimulat, ſic allegato. *Plectrudis vxor Pipini habuit filium, nomine Syluium, ex altero toro præcedente.* Sed quis Auctoribus ſeculi vel decimi-tertij vel decimi-quinti fidem habendam credat, vbi res ſeculo ſeptimo geſtas aſſerunt, de quibus altum apud antiquiores ſilentium? VIII.

[b] Cap. 3. [c] Lib. 3.

Tertiò, Epiſcopatus Siluini controuertitur. Illum alij Toloſanum Epiſcopum, alij Taruanenſem faciunt; Malbrancus vtriuſque Eccleſiæ Pontificem conſtituit, Toloſanæ primùm cuius Epiſcopus verè fuerit, deinde Taruanenſis, quam non ſuo ſed Rauengarij Epiſcopi nomine adminiſtrarit; Bollandus ei nec Toloſanam nec Taruannenſem, nec vllam aliam certam Sedem attribuit. IX. EPISCOPATVS.

In dubium vocari non poteſt, quin Siluinus Epiſcopus fuerit. Talis enim ab Antenoris recognitore; qui ſenſum ipſius Antenoris à ſe nuſquam mutatum affirmat, ſic exhibetur. *Modernis temporibus, diuinâ ordinante prouidentiâ, exortum eſt quoddam exemplar iuſtitiæ miræque ſanctitatis refulgens nitore, à partibus meridiani climatis Siluinus nomine, in Epiſcopatûs honore ſublimatus.* X.

In antiquis Toloſanorum Epiſcoporum catalogis nulla Siluini memoria. Robertus, cùm Sanctum Siluinum, de quo nunc agimus, decimo-tertio Kalendas Martij, à Wione, Molano, Baronio, aliiſque celebrari ſciret, XI.

illum confudit cum Sancto Siluio * Toloſano Epiſcopo, qui quarto ſeculo floruit, & Sanctum Exuperium anteceſſit. Catellus Sanctos Siluium & Siluinum diſtinxit, & vtrique locum inter Toloſanos Epiſcopos aſſignauit, Catellum ſecuti ſunt Sammarthani. Sed ipſa Sancti Siluini vita, quam Catellus ex Codicibus Bertinianis primus publicauit, conſuluerúntque Sammarthani, Sanctum Siluinum Epiſcopum quidem oſtendit fuiſſe, vt dictum eſt ſuprà, Cathedram verò, cui inſedit, haud indicat. Prædictis igitur Nomenclatoribus, qui Sanctum Siluinum Toloſanis Epiſcopis nuper accenſuerunt, hoc loco nulla fides adhibenda.

* *Saint Silue.*

XII. Non accuratiùs ſcribunt, qui Siluinum Taruanenſibus Epiſcopis annumerant. Folquinus Sancti Audomari Taruanenſis Epiſcopi, cuius obitum anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo [a] conſignauimus, Drancium, Bainum, Rauangerium & Erkenbodum, proximos ſucceſſores ſic agnoſcit. *Abbas Erkenbodus Taruannenſis Eccleſiæ ſublimatur Epiſcopus, Rauangerij ſucceſſor in ordine factus, qui & ipſe ſucceſſor extiterat Baini Præſulis, ſucceſſoris Drancij, qui poſt B. memoriæ Præſulem Audomarum Taruannenſis Eccleſiæ ſuſceperat Pontificatum.* Erkenbodus autem, vt inferiùs patebit, Siluino multos annos ſuperſtes vixit, itaut Infulæ Taruannenſes Siluino minimè conueniant. Nec admittenda ſubtilis interpretatio Malbranci, qui Siluinum à pleriſque Taruannenſem Epiſcopum dici putat, quòd Taruannenſem Eccleſiam rexerit pro Rauangerio, dum is morbo implicitus ſuum obire munus non valeret.

a Num. 7.

XIII. Siluinus igitur Epiſcopus nec Eccleſiæ Toloſanæ nec Taruannenſi præfuit, ſed ordinatus eſt Epiſcopus, vt Euangelium Gentibus annunciaret nullâ certâ Sede attributâ. Similia iam occurrerunt occurréntque exempla, nec alio modo videtur Epiſcopus fuiſſe, qui vitam eiuſdem Siluini Epiſcopi ſcripſit Antenor Epiſcopus.

XIV. ADVENTVS IN BELGIVM.

Quartò, ætas Siluini controuertitur, nam de tempore quo venit in Belgium, non conueniunt Auctores.

XV. In eius vita tres tantùm deprehenduntur Characteres Chronologici. *Quadraginta annis vixit panem non comedens.* Floruit ſub Chilperico Rege *perſeuerans vſque Vinciacum bellum.* Animam Deo reddidit *horâ veſpertinâ diei Sabbati.*

XVI. Malbrancus [b] Siluini aduentum in Morinos anno Chriſti ſexcenteſimò ſeptuageſimo-tertio collocat, exiſtimátque illum Toloſâ, vbi Epiſcopus eſſet, expulſum, quòd partes Ebroini Maiorisdomûs amplecti nollet. Hic Auctor, vt Siluini profectionem ad Morinos tam citam confirmet, ait eum donationi cuidam Vindiciani Cameracenſis Epiſcopi ſubſcripſiſſe anno ſeptimo Theodorici Tertij Regis, & anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſecundo dedicationi Blangiacenſi interfuiſſe, tabuláſque prædictæ donationis cum vita Sanctæ Bertæ fundatricis Blangiacenſis allegat [c].

b Lib. 4. c. 11.

c Lib. 4. cc. 13. 20.

XVII. Aduersùs Malbrancum multa dici poſſunt. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio Childericus Secundus ex hac vita ſublatus eſt, nec ante annum ſequentem Ebroinus in amicitia Theodorici Regis fuit. Suppoſititiæ ſunt ſubſcriptiones donationi Vindiciani Cameracenſis Epiſcopi ſubiectæ. Lege quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum [d]. Inſiticia ſunt & Epiſcoporum nomina, quos dedicationi Templi Blangiacenſis interfuiſſe ſcribit Anonymus in vita Sanctæ Berthæ. Singula expendimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum [e]. Prætereà, vt in vita Sancti Siluini legitur, *Adalſquarus quidam vir prudens ſatíſque deuotus, & eius coniux Aneglia nomine de nobiliſſima proſapia exorta Francorum, conſtruxere Baſilicam Alciaci Cœnobij in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, vbi etiam ante aduentum beati Siluini eorum filia Siccidis nomine, depoſito ſeculari habitu, iam Deo ſacrata inerat, quæ poſt tranſitum eiuſdem famuli Dei ornauit Eccleſiam coronis & lampadibus*, Adalſquaro quoque & Aneglià inter viuos adhuc ſuperſtitibus, *poſt expletum* enim *officium funeris, præparauerunt con-*

d Num. 51.

e Nu. 16. & ſeqq.

Digitized by Google

nimium magnum ad opus eorum, qui ad ſepeliendum ſanctum conuenerant corpus, quo repleti vnuſquiſque ad propria poſſet repedare ſine defectionis labore. Hæc autem quomodo ſubſiſtent, ſi Siluinus ad Morinos anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio profectus dicatur? Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum, quo Siluinus obiit, Siccidis maior erat ſexagenariâ, parentes annorum erant octoginta & ampliùs. Quid ſi Siccidis ante Siluini aduentum Alciacenſi Monaſterio cum Abbatiſſæ titulo præfuit, vt Appendix Chronici Bertiniani teſtatur? Certè Siluino nondum mortuo, hæc vitam vltra ſeptuageſimum annum, parentes vltra nonageſimum produxerint, neceſſe eſt. Nuſquam autem tam prouectæ ætatis indicium apud antiquos Auctores, qui Siccidem Abbatiſſam eiúſque parentes Adalſquarum & Anegliam poſteris commendarunt. AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

XVIII. In quibuſdam Chronicis, quæ recenter contexta ſunt, Alciacenſe Monaſterium, vt Bollandus obſeruat, anno Chriſti circiter ſexcenteſimo octogeſimo conſtructum dicitur. At Auctores huiuſcemodi Chronicorum non alio niti fundamento videntur, quàm quòd ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo ad obitum vſque Siluini numerantur anni quadraginta, totidemque annis vixit Siluinus panem non comedens. Annos autem illos Antenor nec vltimos vitæ, nec in Morinenſi territorio tranſactos aſſerit.

XIX. In libro de Monaſteriis Arteſiæ & Hannoniæ, quem Bollandus ſuperiori ſeculo compilatum teſtatur, Appendix Chronici Bertiniani citatur, in qua dicuntur *Adalſquarus & Aneglia circa annum* ıↃCC *Baſilicam Alciacenſis Cænobij conſtruxiſſe*, vbi *ante Sancti Siluini aduentum Siccedis*, eorum filia, *nonnullis virginibus velatis ac Deo ſacratis praerat*. Ergo Sancti Siluini ad Morinos aduentus anno Chriſti ſeptingenteſimo poſterior eſt. Hanc opinionem, quæ ceteris præſtat, egregiè confirmat Auctor vitæ, vbi ait illum floruiſſe *tempore prioris Karoli*, id eſt, Caroli Martelli, *& Chilperici*, & perſeueraſſe *vſque Vinciacum bellum, quod geſtum eſt inter Karolum & Ragemfridum*, nec vllam mentionem facit aut Pippini Maioris-domûs, aut Regum quatuor, nempe Theodorici Tertij, Clodouei Tertij, Childeberti Tertij & Dagoberti Tertij, ſub quibus idem Pippinus Maioratum Regiæ domûs per vniuerſam Franciam exercuit.

XX. Vitam igitur Sancti Siluini, quam Antenor Epiſcopus conſcripſit, paucis contractam accipe. *Sanctus Siluinus, quem nobilis Toloſana genuit terra, clarus ex proſapia nobilitatis iuxta ſeculi dignitatem, ſed clarior ex fide ſanctitatis ſecundùm Domini voluntatem, tempore iuuentutis deſponſauit quamdam puellam iuxta ritum vxores ducentium. Sed tandem in ſemetipſum reuerſus, ſumpto altiori conſilio arcani pectoris, reliquit fœderationis pactum, vt mundo corde & caſto corpore imitaretur filium Virginis, qui ſemper mundus permanet, cuíque omnia placent munda, non immemor Euangelij dicentis.* [*Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.*] Domo egreſſus varias obiit peregrinationes; loca Reliquiis Sanctorum illuſtria viſitauit; vltra mare profectus adiit Hieroſolymam; ex Iordanis aqua totum ſe conſperſit; Romam quoque perrexit; ordinatus Epiſcopus conuerſioni gentium diligenter incubuit; verbo, exemplo, miraculis, ethnicos quamplurimos ad fidem Chriſtianam perduxit. Poſt multos ac maximos labores, cùm iam ſenior eſſet, apud Morinos haud procul Alciaco, vbi Adalſquarus & Aneglia coniuges puellare Monaſterium nuper erexerant, in ſuis prædiis conſedit, ibíque, ſiue, vt Auctor vitæ loquitur, *in ſuæ proprietatis iure conſtruxit, ob venerationem Omnipotentis Dei memoriámque ſancti ſui nominis, Eccleſias duas, vnam in loco nuncupato Mundini Ciſterna, & aliam in Remicenſi Campania.* Floruit autem, vt vulgata tradunt exemplaria, *tempore prioris Karoli Regis & Childerici eius Principis, perſeuerans vſque Vinciacum bellum, quod geſtum eſt inter Karolum & Ragemfridum Francorum Regem, vbi magna ſtrages facta eſt populorum, fugato*

AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5. *Ragamfrido cum paucis qui remanſerant*, vel, vt veritas Hiſtoriæ legendum ſuadet, *floruit tempore prioris Karoli Principis & Chilperici eius Regis, perſeuerans vſque Vinciacum bellum, quod geſtum eſt inter Karolum & Ragemfridum Maiorem-domûs; vbi*; &c. vt ſuprà. Carolus, quem Plectrudis ſub cuſtodia detinebat, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto menſe Aprili liber euaſit, ſtatimque Maioratum Regiæ domûs per Auſtraſiam ſuſcepit. Eodem anno Chilpericus Tertius in Regnum Dagoberto Tertio ſucceſſit, vſúſque eſt Ragenfredo Maiore-domûs in Neuſtraſia & Burgundia. Pugnatum ad Vinciacum duodecimo Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo. Regnauit Chilpericus annos quinque cum dimidio, perueníque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum, vt ſuo loco probabimus. Anno priori Siluinus obierat, cùm ſenectutem, quam Auctor *ad extremum nimiam* vocat, iam attigiſſet. Hæc de Siluini ætate & ad Morinos aduentu, vel potiùs in Morinis diuturna manſione, nam fortè Morinos non ſemel adiit, nec apud eos niſi poſt varias peregrinationes ſub vltimam tandem ſenectam conſedit.

XXI. OBITVS. Quintò, nec de anno, nec de die, quo Siluinus ex hoc ſeculo migrauit, cônueniunt Auctores. Illum alij mortuum volunt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, alij anno ſequenti, multi anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo. Inſcriptum habent diuerſis diebus vetera Martyrologia & Breuiaria, nempe decimo-quinto Kalendas Martij & decimo-tertio eaſdem Kalendas, & in neutrum illorum dierum incidit quod ab Auctore vitæ notatur Sanctum Sabbatum, ſi pro Paſchæ peruigilio ſumitur.

XXII. Siluinus obiit regnante Chilperico Tertio. Id liquet ex eius vita iam citata. Vixit vltra annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum, imò vltra annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum, quia perſeuerauit *vſque Vinciacum bellum, quod geſtum eſt inter Karolum & Ragemfridum*, pugna autem ad Vinciacum commiſſa eſt duodecimo Kalendas Aprilis, die Dominico, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo. Vitam clauſit *horâ veſpertinâ diei Sancti Sabbati.* Malè Martyrologiis ac Breuiariis adſcribitur decimo-quinto Kalendas Martij vel decimo-tertio eaſdem Kalendas ſi Sanctum Sabbatum Vigiliam Paſchæ interpretaris, numquam enim Paſcha decimo-quarto Kalendas Martij vel duodecimo eaſdem Kalendas celebratum fuit. Si Sancti Sabbati nomine, quod ab Auctore vitæ minùs propriè vſurpatum ſit, quodlibet Sabbatum intelligis, regnante Chilperico Tertio dies decimus-quintus ante Kalendas Martij cum Sabbato coincidit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, qui præditus fuit literis Dominicalibus E & D, item dies decimus tertius ante eaſdem Kalendas anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, qui biſextilis quoque fuit & literas Dominicales habuit G & F. Porrò, cùm propter illum Sabbati Characterem, qui potentiſſimus eſt ad ſtabiliendam Chronologiam, mors Siluini vel decimo-quinto Kalendas Martij, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, vel decimo-tertio eaſdem Kalendas, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo conſignanda ſit, nec anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto poſſit illigari, quia pugna Vinciacenſis, cui Siluinus ſuperuixit, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo commiſſa eſt, reſtat vt decimo-tertio Kalendas Martias huius anni, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi viceſimi, indubitanter adſcribatur.

XXIII. De morte ac ſepultura Sancti Siluini ſic Auctor vitæ. *Veniente horâ diei Sabbati vidit Angelos Domini ad ſuum properare obſequium, paululúmque in hac viſione intentus magnifica, reſumptis viribus dixit preclarâ voce cunctis audientibus. Ecce Angeli Domini ad nos. Et ſtatim in hoc ſancto eloquio emiſit ſpiritum.*

SEPVLTVRA. *Miſſum eſt ad Centulam Monaſterium, vbi Sanctus Richarius corpore requieſcit, quòd non multò longè ab Alciaco diſtat Cœnobio, vt venientes Monachi, qui ſub regulari habitu ibi ſanctè degebant, tumularent corpus Sancti Siluini Antiſtitis,*

Digitized by Google

AN.CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

cum reliquo ſancto Clero, rectum arbitrantes fore, vt qui omnes Ordines Eccleſiaſtici cultûs ſuo ſancto exemplo atque doctrinâ roborauit in vita, ab omnibus ei obſequium exhiberetur in morte. Vnde venientes ſimul ſepelierunt beatum Antiſtitem cum hymnorum laudibus & aromatum odoramentis, in Alciaco Cœnobio, cum magno timore & ſanctiſſima veneratione. Poſt expletum verò officium funeris Adalſquarus quidam vir prudens ſatiſque deuotus & eius coniux Aneglia nomine, de nobiliſſima proſapia exorta Francorum, præparauerunt conuiuium magnum ad opus eorum, qui ad ſepeliendum ſanctum conuenerant corpus, quo repleti vnuſquiſque ad propria poſſet repedare ſine defectionis labore. Iſti etiam conſtruxere Baſilicam Alciaci Cœnobij in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, vbi etiam, ante aduentum beati Siluini, eorum filia, Siccidis nomine, depoſito ſeculari habitu iam Deo ſacrata erat. Quæ poſt tranſitum eiuſdem famuli Dei ornauit Eccleſiam coronis & lampadibus, ſepulchrum eius fabricari fecit ex auro & gemmarum ſplendoribus; inſuper baculum recurſum, quem vir Dei manu ferebat, ad ſuſtentandam corporis ſenectutem, auro & argento circumduxit per totum, reponens in ipſa ſancta domo.

ALCIACVM MONASTERIVM.

XXIV. Alciacum Heſdinio * non procul diſtat, ab Adalſquaro & Aneglia coniugibus nobilitatum fuit inſigni Monaſterio puellarum, quibus ante Sancti Siluini aduentum prima præfuit Siccidis ſiue Sichedis aut Sicherdis eorum filia, quam multæ ſecutæ ſunt Abbatiſſæ ad incurſionem vſque Nortmannorum. Monialibus poſteà ſucceſſerunt Monachi, vnde hodie loco nomen Alciacum * Monachorum vt ab Alciaco Caſtro diſcernatur. Alciacum Monachorum ad dexteram Thenæ ripam ſitum eſt, & vno abhinc lapide Thena * dexteram Quantiæ * ripam ſubit; Alciacum verò * Caſtrum dexteræ Altheiæ * ripæ aſſidet. In Oceanum autem Altheia & Quantia ſuis oſtiis egeruntur.

* *Heſdin.* ALCIACENSES ABBATISSÆ. * *Auchy les Moines.* * *le Ternois.* * *la Canche.* * *Auchy le Chaſteau.* * *l'Authie.*

XXV. Auſtralior eſt Centula in Epiſcopatu Ambianenſi. Si ſuper Abbatum Centulenſium Catalogo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum benè ratiocinati ſumus, Abbas illius erat loci Guitmarus, cùm inde Monachi Alciacum euocati ſunt, vt Sanctum Siluinum ſepulturæ mandarent. Aldricus autem Guitmari ſucceſſor vitam clauſit regnante iam Pippino.

ABBATES CENTVLENSES.

XXVI. His circiter temporibus ad Deum migrauit Sacerdos Epiſcopus, cùm Lemouicenſem Eccleſiam *per annos aliquos* adminiſtraſſet. *Sentiens Dei Sacerdos & Pontifex*, inquit Auctor vitæ [a], *Sancto ſibi Spiritu reuelante extremum diem ſui obitûs imminere, valedicens fratribus, ab vrbe Lemouica diſceſſit, & natale ſolum vicum Calabrum repetere ſtuduit. Ibi námque cupiebat vt eius conderetur corpuſculum, vbi Religionis ſumpſerat exordium.* Illic enim Monachum induerat, functúſque fuerat Abbatis officio, priuſquàm Lemouicenſis Epiſcopus ordinaretur. *Recedens autem ab vrbe Lemouica venit ad quandam villam, quæ Argentacum vocatur, ibíque iam diu maceratus dolore, graui febrium afficiebatur acredine. Videns autem ſupremum ſibi illuxiſſe diem diſcipulos in vnum conuocauit, corpúſque ſuum Eccleſiæ, in qua Religionis ſumpſerat exordium, mandauit vt in ea traderetur Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Deinde ſuſceptis diuinis myſteriis & viatico Dominici Corporis exitum ſuum præmuniens, poſt ſacræ exhortationis verba, ſpiritum reddidit Deo patri, tertio Nonas Maij*, quo die colitur in Martyrologio Gallicano. *Diſcipuli verò eius, præceptum Magiſtri implere ſatagunt, corpúſque eius naui imponunt, & per Dordoniæ alueum iter arripiunt, & ad prædictum vicum Calabrum & Monaſterium deferunt tumulandum. Cùm autem appropinquarent ad diuerſorium beatæ memoriæ Mundanæ matris eius, ecce ipſa luminibus orbata filij ſui tendebat ad exequias. Quò cùm manibus famulorum ſuſtentata veniſſet, mox ad littus fluminis*, nempe Dordoniæ, *diuinitus lumen recipere meruit oculorum. Monachi verò præfati Monaſterij de Calabro occurrentes & ſacrum corpus de naui deponentes, ſuíſque humeris imponentes, ad Eccleſiam & Monaſterium, vbi Abbas extiterat & ſepeliri elegerat, detulerunt. Flagrabat autem corpus viri Dei diuino nectare, ac ſi fuiſſet pretioſo aromate, ſícque in memorata Baſilica ſacrum eius corpus fuit honorificè traditum ſepulturæ.* Superſedemus Characteribus

[a] Cap. 8. & ſeqq.

SACERDOS EP. LEMOVICENSIS OBIT.

MVNDANA EIVS MATER VISVM RECVPERAT.

Digitized by Google

AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

Chronologicis, qui proximè ſubiiciuntur, ſunt enim ſuppoſititij, quia procul ab ætate Sancti Sacerdotis remouentur, nec inter ſe benè conueniunt, vt alio loco fusè iam probatum.

XXVII. Bernardus Guidonis in libro de Nominibus & Geſtis [a] Lemouicenſium Epiſcoporum Sancto Sacerdoti Sanctum Ceſſatorem ſubrogat, ſed inter vtrumque medius ſedit Auſuidus ſiue Auſindus vel Auſnidus aut Aufundus ſiue Aucſindus, cuius meminerunt varij Nomenclatores in ſuis Catalogis, Demochares, Chenutius, Robertus, Sammarthani, necnon Baluſius in diſquiſitione ſeculi quo Sanctus Sacerdos vixit.

[a] Cap. 5.

AVSINDVS FIT EP. LEMOVICENSIS.

XXVIII. Hubertus Traiectenſis Epiſcopus hoc anno, *ſuæ ordinationis duodecimo*, vt Auctor vitæ coætaneus teſtatur, *crebras ſibi prodidit oblatas ſub noctis quiete viſiones, quibus ſe commonitum fatebatur, vti à Traiectenſi oppido oſſia ſancti leuaret Lamberti, & in loco, quo celebratam eius paſſionem noſſet, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio eius animum inæſtimabili recreauit gaudio. Attamen in quodam meditulio poſitus, cùm neque viſioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret, quod ſibi occultum erat, indicauit à Domino quærendum. Nam indicto cunctis tam monaſterialibus quàm & ciuitatis Clericis, necnon & laicis ieiunio, quæ ſibi voluntas de his agere præciperet, magnoperè requirere ſtuduit. Tandémque edoctus, ancipiti ſubmotâ ſententiâ, tertio-decimo anno ſui Præſulatûs, cœtu Clericorum ſibi adiuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Epiſcopis & Sacerdotibus, tumulum venerandi viri adiit*, vt anno ſequenti fuſiùs exponemus.

HVBERTVS EP. TRAIECT. DIVINITVS MONETVR, VT RELIQVIAS S. LAMBERTI TRANSFERAT AD LOCVM MARTYRII.

XXIX. Vita Sancti Veredemi, qui ſancto Agricolo in Epiſcopatum Auenionenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo ſucceſſit, apud Benedictum Gononum [b] hac periodo clauditur. *Poſtquàm vir ſanctus per aliquot annos ſanctè & piè ſuum rexiſſet Epiſcopatum, tandem ſenex & grandæuus migrauit ad Chriſtum 17. Iunij, quâ die eius ſolemnitatem Auenionenſis Eccleſia aliæque prouinciæ Eccleſiæ celebrant.* Inter Eccleſias, quæ Sancti Veredemi memoriam decimo-quinto Kalendas Iulij recolunt, Auenionenſem, Arelatenſem, Aptenſem, Carpentoractenſem, Tricaſtinenſem & Cabellionenſem nominat Franciſcus *Nouguier* in Hiſtoria Chronologica [c] Præſulum Auenionenſium, aſſeritque Sanctum Veredemum Eccleſiæ Auenionenſi per annos viginti præfuiſſe, id eſt, ad hunc vſque annum, qui viceſimus poſt ſeptingenteſimum numeratur. Sancto Veredemo ſubrogatus eſt Ioannes, cui Noguierus triginta circiter annos in Pontificatu tribuit. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum [d], ne eodem, quo Gononus & Noguierus, errore decipiaris. Illi enim Veredemo & Veredemio ſiue ex duobus Veredemiis Anachoretis, quorum alter in Eremo Diœceſeos Vcetienſis obiit, alter Anachoreticam vitam in Auenionenſi Diœceſi duxit & ex Anachoreta factus eſt Epiſcopus Auenionenſis, vnum perperam conflarunt, quem Anachoretam primùm apud Vcetienſes, deinde apud Auenionenſes Epiſcopum finxerunt. Sancti Veredemius & Veredemus vixerunt temporibus longè diuerſis, coluntúrque variis diebus, Veredemius Vcetienſis Anachoreta duodecimo Kalendas Septembris, Veredemus Auenionenſis Epiſcopus decimo-quinto Kalendas Iulij.

[b] Lib. 1.

VEREDEMVS EP. AVENION. OBIT.

[c] Num. 16.

SVCCEDIT IOANNES.

[d] Num 17.

SS. VEREDEMVS ET VEREDEMIVS DISTINGVVNTVR.

XXX. Hoc circiter anno, ſuperſtite in viuis Chilperico Rege, Sanctus Euremundus Fontaneti * in Diœceſi Baiocaſſina primus Abbas in cælum migrauit quarto Idus Iunij, quo die colitur in Breuiario Eccleſiæ Sancti Quintini Viromandenſis, & in Martyrologio Gallicano. De illius obitu ac ſepultura hæc in prælaudato Breuiario leguntur. *Denique frequentibus miraculis in vita clarus obiit ſub Chilperico Rege, & à Sancto Lothario Sagienſi Epiſcopo ſepultus in Baſilica quam ipſe ædificarat.* Illic ad irruptionem vſque Nortmannorum quieuit. Tunc enim Credonium * tranſlatus eſt, quod agri Bellouacenſis oppidum Iſaræ * flumini adiacet, iſtiúſque Tranſlationis mentio fortè fit tertio Idus Iunias in Martyrologio Benedictino ſic. *In territorio Beluacenſi, Sancti Euremundi Abbatis.* Huic in adminiſtrationem Cœnobij ſucceſſit Cedulphus

*Fontenay.

EVREMVNDVS ABB. FONTANET. OBIT.

*Creil.

*Oyſe.

SVCCEDIT CEDVLPHVS.

dulphus

Digitized by Google

dulphus. Id teſtatur Petrus Louuetus libro ſecundo [a] Hiſtoriæ Bellouacenſis. AN. CH.

Quod attinet ad Epiſcopos Sagienſes, de ætate Aunoberti & Lotharij, 720.
quos S. Euremundo ſynchronos fuiſſe probauimus, non omnes conueniunt. CHILPER.
Demochares [b] Lotharium Annoberti ſiue Aunoberti proximum ſucceſſo- III. R 5.
rem conſtituit, & vtrumque præpoſuit Sancto Milcardo ſeu Milchardo, [a] Cap. 20. XXXI.
qui florebat anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo-ſeptimo, vt ad il- [b] De Diuin.
lum annum [c] Tomo primo dictum eſt. Seuertius Democharem ſecutus Miſſæ ſacrif.
eſt, quamuis Chenutium, qui ſecus ſentiebat, præ manibus haberet. Rectè cap. 20. [c] Num. 59.
Chenutius Alnobertum ſiue Aunobertum poſt annum Chriſti ſexcenteſi- EPISCOPI
mum octogeſimum reiicit, affirmátque illum *Concilio Rothomagenſi* interfuiſ- SAGIENSES.
ſe. De Synodo, quam Anſbertus Metropolites cum Aunoberto aliiſque
Epiſcopis apud Rotomagum celebrauit, egimus ad annum quintum Anſ-
berti Epiſcopi Metropolitani, ſiue ad annum Chriſti ſexcenteſimum duo-
denonageſimum, quo habitam arbitramur, licèt in vita Sancti Anſberti
vulgatus [d] Aigradus annum habeat à Chriſto nato ſexcenteſimum octoge- [d] Ap. Sur. d. 9.
ſimum-ſecundum, quem plerique Neotericorum poſt Baronium & Chenu- Febr.
tium obſtinatiſſimè retinuerunt. Atque obiter nota inter Auctores, apud
quos altum eſt de prædicto Concilio ſilentium, à Seuertio fruſtrà nominari
Baronium, qui Synodum illam ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſi-
mum-ſecundum deſcripſit ex Aigrado, & Aunobertum ſiue Aunubertum
Sagienſis vrbis Epiſcopum ab eodem Auctore laudatum non reticuit. Che-
nutio Robertus aſtipulatus eſt allegato etiam in opinionis confirmationem
ipſomet Baronio, à quo de Synodo Rotomagenſi nihil omnino ſcriptum Se-
uertius audacter aſſeruerat. Roberto ſuffragati ſunt Sammarthani, cita-
rúntque Aigradum, qui mentionem eiuſdem Synodi primus fecit.

Inter Sanctum Aunobertum, qui ſua ſubſcriptione Concilium apud Ro- XXXII.
tomagum anno Chriſti ſexcenteſimo duodenonageſimo communiuit, &
Sanctum Lotharium, qui Sanctum Euremundum Abbatem Fontanetenſem
regnante Chilperico Tertio ſepeliuit, tres apud Chenutium, Robertum &
Sammarthanos, medij collocantur Epiſcopi, quorum ſola duntaxat nomi-
na ſic notantur à Chenutio & Roberto; *Rodulphus*, *Hugo*, *Benedictus*. Sam-
marthani Radulfum loco Rodulphi ponunt, & Hugonem anno Chriſti ſep-
tingenteſimo viceſimo-quarto ſediſſe contendunt ex Tabulis Eccleſiæ Sa-
gienſis. Facilè Rodulphus ſeu Rodulfus in Radulfum abire potuit, ſed Hu-
go Sagienſis Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto cenſeri
non debet, quia Lotharius, qui vitam Pippino iam Rege clauſit, Epiſco-
patum Sagienſem, vt ex Actis Sancti Euremundi conſtat, ſuſcepit ſuperſti-
te in viuis Chilperico Tertio Rege, cuius obitus cum anno Chriſti ſeptin-
genteſimo viceſimo-primo coincidit. Eodem tempore, quo Sagienſem Pon-
tificatum geſſit Hugo, floruit & alius Hugo tunc adhuc laicus, qui multa-
rum Sedium factus eſt Epiſcopus, & in Baiocenſi Cathedra ſedebat anno
Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto. Fortè Auctor Tabularum Sagien-
ſium, quas Sammarthani conſuluerunt, Characterem Chronologicum, qui
Hugoni Baiocenſium Epiſcopo conueniebat, ad Hugonem Sagienſium Pon-
tificem deflexit, errore lapſus propter Epiſcopatuum viciniam.

Lotharius ſeu Loharius * Sagienſis Epiſcopus in Supplemento Martyro- XXXIII.
logij Gallicani ſic commendatur decimo-ſeptimo Kalendas Iulij. *Ciuitate Sa-* * Lohier.
iorum in Lugdunenſi ſecunda, Sancti Loharij, qui cæli cupidus primùm vitam Ere-
miticam coluit: inde aſſumptus ad Epiſcopatum illam Eccleſiam magno fœnore gratiæ
repleuit.

Regnante Chilperico Tertio, cùm Lotharius Sagienſis Epiſcopus Sanc- XXXIV.
tum Euremundum Abbatem Fontanetenſem ſepulturæ mandauit, Eccle-
ſiam Bellouacenſem Dodo Pontifex adminiſtrabat. Ita ſcribit Petrus Lou-
uetus in Hiſtoria [e] Bellouacenſi iam laudata.. Nomen Dodonis Epiſcopi [e] Lib. 2. c. 20.

AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5. legitur in Regio Chilperici Diplomate, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum ex eadem Hiſtoria [a] Bellouacenſi deſcripſimus. Poſt Clementem, cuius mentionem Tomo ſuperiori non ſemel fecimus, in Cathedra Bellouacenſi ſederunt, Conſtantinus, Rauigus, Dodo. Clementem ſub Clotario Tertio Rege floruiſſe vetera docent monumenta, regnante Childerico Secundo ſuperſtitem teſtatur Audoenus in vita Sancti Eligij, nec in dubium vocamus quin ad Principatum Theodorici Tertij peruenerit. Clementi ſucceſſit in Epiſcopatum Conſtantinus, quem Guido Bellouacenſis Epiſcopus in literis ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum [b] iam citatis Childeberto Regi coætaneum conſtituit. Vnde colligere eſt eundem Conſtantinum Epiſcopum vixiſſe ſub Theodorico Tertio, ſub Clodoueo Tertio, & ſub Childeberto Tertio. Pontificatum medius inter Conſtantinum & Dodonem tenuit Rauigus. De tribus his Epiſcopis perperam Robertus in Gallia Chriſtiana ſic ſcribit. *Conſtantius vel Conſtantinus ab anno 515 ad 559. Rauigus vel Rogius vel Rodingus*, 560. *Dodo*, 586. Error huius Auctoris ex eo procedit, quòd Conſtantinum Rauigi deceſſorem Childeberto Primo, cuius obitus ſecundùm Sigeberti computationem anno Chriſti quingenteſimo vndeſexageſimo illigatur, & Dodonem Rauigi ſucceſſorem Chilperico Primo, cuius mors ſecundùm eandem Sigeberti Chronologiam in annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-ſeptimum incidit, ſynchronos putat. Sic autem videtur ſentire, quoniam Sanctum Lucianum, qui Bellouacenſibus Euangelium primus annuntiauit, non Diocletiani ſed Domitiani tempore Martyrio coronatum cenſet. At ex iis, quæ de Clemente Conſtantini deceſſore dicta ſunt, apertiſſimè colligis Childebertum Regem, ſub quo Conſtantinus Epiſcopus floruit, non illius nominis Primum ſed Tertium, vt probatum ſuprà, ſimiliterque Chilpericum Regem, quo regnante Dodo Pontificatum geſſit, non illius nominis Primum ſed Tertium fuiſſe, qui Regnum poſt Dagobertum Tertium ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum tenuit. Rauigus igitur, qui Conſtantino in Epiſcopatum ſucceſſit, ſedere cœpit ſub Childeberto Tertio, vitámque ſub Dagoberto Tertio clauſit. Tunc ad Epiſcopales Infulas aſſumptus eſt Dodo, qui poſteà Chilpericum Regem adiit, vt ipſemet Chilpericus in ſuo Diplomate iam deſcripto teſtatur.

[a] Lib. 2. c. 18.

BELLOVACENSES.

[b] Num. 20.

XXXV. Chilpericum Tertium vt Dodo Bellouacenſis Epiſcopus ſic & Ebrulphus Abbas Sancti Luciani conuenit. De Ebrulphi ſucceſſoribus nihil ante Nortmannorum irruptionem legitur, feliciùs actum cum Bellouacenſibus Epiſcopis, Demochares enim, Loiſelius, Chenutius, Robertus & Sammarthani communi conſenſu Dodoni proximè ſubiiciunt Erambertum, Recoaldum, Miroldum, Auſtringum, & Deodatum, cui Zacharias Romanus Pontifex anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequinquageſimo literas inſcripſit, vt ad illum annum probaturi ſumus.

XXXVI. AICHARDVS ABB. GEMMETIC. OBIT. Achardus ſiue Aichardus vel Aichadrus Gemmeticenſis Abbas Monaſterium ad hunc vſque circiter annum rexit. Obiit decimo-ſeptimo Kalendas Octobris, quo die colitur in Tabulis Eccleſiaſticis. Vixit annos circiter duos & ſexaginta.

XXXVII. De illius ætate duo certiſſima credimus, nempe quòd nec ante annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſexageſimum editus eſt in lucem, nec ante annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum ſublatus eſt ex hac vita. Primum ſic colligitur. Philibertus poſt Childerici Secundi mortem, cùm Ebroinus bellum in Neuſtria gerebat, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto pulſus eſt in exilium, ſeceſsítque in Diœceſim Pictauienſem, vbi duo Cœnobia conſtruxit, vnum in Hero Inſula, alterum Quinciaci, quorum poſterius auctum eſt poſteà redditibus ab Aichardo tunc annos tantùm viginti nato, vt ex ipſius Aichardi vita conſtat, Auctore Ful-

Digitized by Google

berto [a]; illam autem Aichardi donationem ſi quarto, vt admodum probabile videtur, Philiberti exulantis anno conſignas, eiuſdem Aichardi ortum neceſſe eſt anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo illiges. Alterum ſic probatur. Hugo Drogonis filius, cùm laicus adhuc eſſet, *anno primo* [b] *Clotharij* Quarti *Regis*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeuiceſimo, munificum ſe præbuit erga Monaſterium Fontanellenſe, poſteà Monachum apud Gemmeticum induit Aichardo illius loci tunc Abbate; vixit igitur Aichardus ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum, imò poſt illum annum aliquandiu vitam produxit, & ſupradictum Hugonem Monaſticen amplexum erudiuit; atque hæc eſt ratio, cur ipſius Aichardi mortem, quam plerique Neotericorum ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum referunt, in hunc circiter annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum viceſimum reiiciendam arbitramur.

AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

[a] Ap. Sur. d. 15. Sept.

[b] Chron. Fontanell. cap. 8.

XXXVIII. Auctor Neuſtriæ Piæ de Monachatu Hugonis apud Gemmeticum ſic loquitur in Fontanella [c]. *B. Hugo priùs Monachatum profeſſus ſub S. Aichadro 2. Abbate Gemmeticenſi; poſteà eidem loco præfuit.* Et paulò pòſt. *De Monachatu ipſius apud Gemmeticum conſtat: vbi & Abbatis munere functus eſt.* Deinde in Gemetico [d] ſic. *S. Aychadrus Gemeticenſis Abbas, vitæ moribus & virtutum coruſcatione fulgebat, ad cuius piam conuerſationem beatus iuuenis Hugo deninâ inſpiratione ſuccenſus, diſciplinam Monachorum & habitum ex toto deſiderio appetiuit, ſacriſque Magiſtri moribus informatus, omni virtutum genere perfectus emicuit. Interim . . . . obierúntque & B. Hugonis parentes, videlicet Drogo & Pepinus Groſſus, pater eius & auus; poſt quorum deceſſum, ſuſcepto Regularis profeſſionis ſchemate, in Gemeticenſi Cœnobio, publicè Monachus effectus eſt, cui poſteà præfuit Abbas.* In hoc textu deſcribendo poſt illam vocem, *interim*, has omiſimus, quæ proximè ſequuntur, *S. Aichadrus moritur an. 690.* quia prædictis apertiſſimè repugnant, nam ſi poſt aui Pippini mortem, quæ anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto contigit, Hugo rebus ſecularibus nuntium remiſit, & Cœnobiticam vitam ſub Aichardo Abbate profeſſus eſt, Aichardus poſt annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum ſuperſtes in viuis fuit annis quatuor ac viginti.

[c] Cap. 6.

[d] Cap. 10.

HVGO DROGONIS FILIVS MONACHVS GEMMETIC.

SVB AICHARDO ABBATE

XXXIX. Sancto Aichardo in adminiſtrationem Monaſterij Gemmeticenſis ſucceſſit Coſchinus, ſub cuius diſciplina Monachus quoque vixit Hugo, donec ex Aſceta Gemmeticenſi factus eſt Epiſcopus Rotomagenſis, vt ſuo loco dicturi ſumus [e]. Ceterùm hic Coſchinus, quem varij Nomenclatores in Gallia Chriſtiana & in Neuſtria pia Sancto Aichardo proximè ſufficiunt, diſtingui debet à recentiore Coſchino Abbate, cuius iuſſu Ermentarius Monachus Gemmeticenſis vitam Sancti Philiberti per initia Ludouici Pij Auguſti conſcripſit. Lege quæ ſcripta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum [f], & duos diſtingue Coſchinos Abbates Gemmeticenſes, quorum ſenior tertium locum in Abbatum Gemmeticenſium Catalogo retinere debet, iunior verò, quem ex illo loco ſummouendum aſſeruimus, Ludouico Pio æquális vixit, & Sancti Philiberti vitam ab Ermentario Monacho conſcribendam curauit.

ET COSCHINO.

[e] Ad an. 722. n. 4.

[f] Num. 16.

XL. Benignus Abbas Fontanellenſis, quem ſuo Monaſterio reſtitutum diximus, his circiter temporibus factus eſt etiam Rector Cœnobij Flauiacenſis. Id patet ex Chronico Fontanellenſi, nam capiti tertio præfigitur hic titulus. *Geſta Benigni Diaconi, Abbatis Fontanellenſis & Flauiacenſis.* Et idem caput ſic terminatur. *Benignus rurſum regiminis huius Cœnobij* nempe Fontanellenſis *ſortitur gradum per annos quatuor, id eſt, vſque ad annum Theodorici Iunioris Regis tertium, qui erat Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus vigeſimus-tertius. Huius Benigni Abbatis propinquus S. Gennardus Vicedominus Eccleſiæ Rothomagenſis & Abbas Cœnobij Flaniacenſis extitit. Qui, poſt receſſum ipſius Gennardi, Flauiacenſis Cœnobij factus eſt Rector.* Caue ne quorumdam Neotericorum errore deceptus credas Benignum, poſtquàm à Ragenfredo Maiore-domûs è

BENIGNVS ABB. FONTANELL. FIT ETIAM ABB. FLAVIAC.

Digitized by Google

AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5. Monaſterio Fontanellenſi pulſus eſt, in Abbatem à Monachis Flauiacenſibus aſſumptum fuiſſe. Seriùs id procul dubio contigit, poſt pugnam videlicet Sueſſionenſem, priùs enim in Neuſtraſia, vbi ſitum Flauiacum, nulla fuit auctoritas Caroli, quem adiit Benignus ſtatim ac Fontanellâ eiectum ſe vidit.

XLI. GENNARDVS ABB. FLAVIAC. SEPVLTVS IN MON. FONTANELL. In Catalogo Flauiacenſium Abbatum, Gennardus, cui Benignus ſucceſſit, tertium locum obtinet. Sancto Anſberto, cuius mortem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto conſignauimus, chariſſimus fuit, & iuxta illius corpus in Fontanellenſi Monaſterio ſepulturâ donari voluit.

XLII. AVGETVR POSSESSIONIBVS. Inter donationes, quæ Benigno Abbati Fontanellenſi poſt pugnam Sueſſionenſem in priſtinum gradum reſtituto collatæ ſunt, hæc ex Chronico Fontanellenſi [a] non videtur omittenda. *Benigno Abbati largitus eſt Benignus item Monachus ſenior frater Gennardi manſum in Magaciaco villa, quæ eſt in pago Veliocaſſino, cum vineis & mancipiis, quem ei dederat Ragenfridus Maior-domus quondam.*

[a] Cap. 7. Mon. Fontanell.

XLIII. EPISCOPI MELDENSES. Iacobus Seuertius hoc anno collocat mortem Ragaminati Meldenſis Epiſcopi, cui Sigenoldum Demochares, Chenutius, Robertus, Seuertius, Sammartiníque ſufficiunt, Sigebaldum Tauellus, ſed hic Sigenoldum Meldenſem Epiſcopum videtur confundere cum Sigebaldo ſeu Sigibaldo Epiſcopo, qui per idem tempus in Cathedra Metenſi ſedit. *Metæ* & *Meldæ*, ſimiliter *Metenſis* & *Meldenſis* voces ſunt adeò ſimiles, vt vna facilè in alteram tranſmutari poſſit. Acta iam examinauimus Sancti Landrici Sonegienſis Abbatis, quem Molanus Epiſcopum Metenſem, Meldenſem Miræus dixit, vterque vitioſè. Nec accuratiùs ſcripſerunt plerique de Sancto Pyrminio, quem alij Metenſem, alij Meldenſem Epiſcopum finxerunt, vt anno ſequenti fuſiùs exponemus.

XLIV. ABBATES S. CRVCIS. Obiit & hoc anno Odo Abbas, poſtquàm Monaſterium Sanctæ Crucis prope Meldas per annos duodequadraginta rexiſſet. Falluntur qui vitam beati Faronis ad eius vſque tempora prorogant. In adminiſtrationem Cœnobij ſucceſſit Ingelbaudus, qui vitam ſub Pippino Rege clauſit. Ita Codex à nobis ſæpè iam citatus.

XLV. WELTENBVRGIENSES. In Catalogo Weltenburgienſium Abbatum, qui Tomo tertio Metropoleos Saliſburgenſis inuenitur, hoc etiam anno Abbati Remperto ſubrogatur Heribato, cui nouem anni Præfecturæ tribuuntur.

XLVI. LITERÆ BVGGÆ AD WINFRIDVM. Hoc anno, qui & ab aduentu Winfridi in Germaniam & à Radbodi Regis obitu proximus fuit, Bugga, poſtquàm de rebus anno priori geſtis certior facta eſt, eidem Winfrido hanc ſcripſit epiſtolam [b]. *Venerando Dei famulo & plurimis ſpiritalium chariſmatum ornamentis prædito Bonifacio ſiue Wimfredo* (lege *plurimis ſpiritalium chariſmatum ornamentis prædito Wimfredo*) *digniſſimo Dei Presbytero, Bugga vilis vernacula perpetuæ charitatis ſalutem. Notum ſit Almitatis tuæ auctoritati, quòd gratias Omnipotenti Deo referre non deſino, eò quòd tibi, vt ſcriptione Beatitudinis tuæ agnoui, multipliciter miſericordiam ſuam tribuit, & te tranſeuntem per ignotos pagos piiſſimè conduxit. Primùm, Pontificem glorioſæ Sedis ad deſiderium mentis tuæ blandiendum inclinauit, poſteà inimicum Catholicæ Eccleſiæ Rathbodum coram te conſternauit, demum per ſomnium ſemetipſo reuelauit, quòd debuiſti manifeſtè meſſem Dei metere, & congregare ſanctarum animarum manipulos in horreum Regis cæleſtis. Idcirco eò magis confiteor, quòd nulla varietas temporalium viciſſitudinum ſtatum mentis meæ inclinare queat à propoſita charitatis tuæ cuſtodia, ſed ardentiùs vis amoris in me caleſcit, dum pro certo cognoſco, per orationum tuarum ſuffragia ad portum alicuius quietis perueniſſe. Ideo iterum humiliter moneo, vt interceſſionum tuarum ſtudia pro mea paruitate Domino offerre digneris, quatenus ſua gratia me faciat incolumem cum tuis protectionibus. Sciátque ſimiliter charitas tua, quòd paſſiones Martyrum, quas petiſti tibi tranſmitti, adhuc minimè potui impetrare, ſed dum valeam, faciam. Et tu, chariſſime, dirige meæ paruitati ad conſolationem, quod per dulciſſimas literas tuas promi-*

[b] Ep. 35.

Digitized by Google

ſiſti, id eſt, congregationes aliquas Sanctarum Scripturarum. Similiter depoſco, vt Sanctarum Miſſarum oblationes offerre digneris pro anima mei propinqui, qui mihi præ ceteris charus erat, cui nomen erat N. Et per eundem portitorem tibi nunc tranſmitto quinquaginta ſolidos, & pallium altaris, quia maiora munuſcula minimè potui adipiſci, ſed mihi hæc ſunt cum maxima charitate directa, licèt ſint parua in ſpecie. Vale in hoc ſeculo ſanctè & in charitate non ficta. AN. CH. 720. CHILPER. III. R. 5.

Hæ literæ inter Bonifacij Martyris & aliorum epiſtolas, quas Nicolaus Serarius è Codice Cæſareo publicauit, locum triceſimum-quintum obtinent, hócque datæ ſunt anno. Tria enim ex ordine commemorant beneficia, quæ Winfrido Deus recenter præſtitit, cùm *Pontificem glorioſæ Sedis*, id eſt, Papam, Gregorium videlicet Secundum, ad eius vota inclinauit; & è viuis abſtulit Radbodum Friſiæ Regem, Chriſtianæ Religionis hoſtem infenſiſſimum; prædixítque ſuſceptæ prædicationis vberrimos fructus fore. XLVII.

In iiſdem literis Bugga Miſſam pro defunctis celebrari teſtatur, vbi ait vnum è ſuis propinquis deceſſiſſe, rogátque Winfridum, vt, pro illius anima, *Sanctarum Miſſarum oblationes offerre* dignetur. Qua de materia lege quæ ſcripſimus Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum primum, in explicatione Miſſæ Latinæ antiquæ, quâ Franci ſuis in ditionibus vſi ſunt, priuſquàm ritum Romanum ſuſciperent regnante tum Pippino. XLVIII.

Porrò, cùm Bugga Winfridum ſeu Wimfredum in prædictis literis non Epiſcopum ſed Presbyterum vocet, inde liquidò apparet illum anno priori nequaquam Epiſcopum fuiſſe, quando in Germaniam à Gregorio Secundo Papa miſſus eſt ſuperſtite tum in viuis Radbodo Friſiorum Rege, nec Epiſcopali dignitate auctum eſſe ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium, quo Romam iterum perrexit. XLIX.

At nonnihil difficultatis in eo verſatur, quòd Bugga *Bonifacio ſiue Wimfredo digniſſimo Dei Presbytero* literas ſuas inſcribit, Winfridus enim ſeu Wimfredus ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium, quo conſecratus eſt Epiſcopus, nomen Bonifacij non accepit. L.

Vt vno ictu totam difficultatem amputes, neceſſe eſt aſſeras mendum lapſu temporis irrepſiſſe in titulum literarum, & Buggam non *Bonifacio ſeu Wimfredo digniſſimo Dei Presbytero*, ſed *Wimfredo digniſſimo Dei Presbytero ſcripſiſſe*. Iſtius emendationis, quâ vſi ſumus ſuprà, rationes nec paucas nec inualidas ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium proferemus. LI.

721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. III. R. 1.

ANNVS
CHRISTI 721.
CHILPERICI III. R. 6.
THEODORICI IV. R. 1.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, Chilpericus Rex obiit, vt patebit ex iis, quæ ad annum vltimum Theodorici ſucceſſoris, id eſt, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum dicemus. Regnauit annos quinque cum dimidio, modicóque temporis interuallo poſt ſuum ex Aquitania reditum ſuperſtes in viuis fuit. Vtrumque ſic teſtatur Anonymus in Geſtis [a] Regum Francorum. *Ille*, nempe Eudo Dux Aquitaniæ, *Chilpericum Regem cum multis muneribus reddidit. Sed non diu in Regno reſedit. Mortuus quidem eſt poſt hæc, & Nouiomo ciuitate ſepultus, regnauítque annis* v *& dimidio*. Hic Auctor, quia ſcribit res ſui temporis, & annis rotundis addit appendiciam dimidij, ceteris anteponi debet, qui vel ætate I. CHILPERICVS R. OBIT.

[a] Cap. 53.

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

remotiores ſunt, vel annos duntaxat rotundos Chilperici Regis aut quinque numerant aut ſex. In duobus breuiſſimis Chronicis, quorum vnum à Theodorico Tertio vſque ad Hildericum ſeu Childericum eiuſdem Theodorici abnepotem, alterum à Clotario Secundo vſque ad Pippini Regis obitum perducitur, hæc leguntur de Chilperico Tertio. *Hilpericus regnauit annos* v. Huic ſententiæ ſuffragari videtur Auctor Annalium Fuldenſium, Chilpericum enim, quem Hilpricum vocat, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo mortuum refert. Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi ſcripſit, Geſta Regum Francorum in ceteris ſecutus, Regno Chilperici ſex annos ſic attribuit. *Carolus per Miſſos ſuos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Chilpericum Regem cum multis muneribus recepit. Veniénſque vrbem Nouiomo, poſt non multum tempus curſum vitæ & regnum amiſit, & mortuus eſt, regnauítque annos ſex.* Apud Erchanbertum idem annorum numerus ſic exprimitur, *regnauit annis* VI. Hæ tamen opiniones, licèt diuerſæ videantur, in vnam recidunt, quia Chilpericus regnauit annos quinque completos, ſex autem incompletos. Nec aduerſatur Auctor Annalium Fuldenſium, quamuis anno ſuperiori mortem Chilperici Regis illigarit. Teſtatur enim Chilpericum obiiſſe anno poſt reditum ex Aquitania proximo, poſt pugnam Sueſſionicam ſecundo. Illius error ex eo procedit, quod bellum Saxonicum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo ſeptimo geſtum omittit, eodémque anno meminit prælij Sueſſionenſis, quod in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-octauum reiici debet. Auctor Annalium Petauianorum, qui deſinunt in anno Chriſti octingenteſimo, Chilpericum ſeu Danihelem, vt vocat, *anno* DCCXXVII *in Atiniaco* mortuum tradit. De loco, quem alij reticent, probabilis admodum eſt coniectura, de anno non ita, quia ceteri Scriptores apertè refragantur. Corpus ex Atiniaco villa Regia Nouiomum, vt ibi ſepeliretur, delatum fuiſſe nil vetat.

II. VINDICATVR A CALVMNIA.

Vixit Chilpericus annos quadraginta-nouem, nullam prolem ſuſcepit. Longè alius ab amente fuit & ab ignauo, nec otioſus in villa delituit, vt poſteri ſomniarunt. Diuerſas adiit Neuſtriæ ciuitates, ex ipſa Neuſtria profectus eſt in Auſtraſiam & in Aquitaniam, vt res poſtulare viſæ ſunt. Bis aperto campo cum hoſte pugnauit. Vſus eſt aduerſâ fortunâ, ideóne dicendus eſt ignauus & inſenſatus?

III. SVCCEDIT THEODORICVS QVARTVS.

Chilperico ſucceſſit Theodoricus Quartus. Hic puer erat ſeptennis, in cunis enim relictus fuerat à patre Dagoberto Tertio, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto conſignauimus. Educabatur in Monaſterio Calenſi, vicem enim rependerat Chilpericus, quem à patre Childerico Secundo in cunis relictum patruus Theodoricus Tertius, ipſius Theodorici Quarti proauus, apud Calam nutriri præceperat. A Cala Neoterici Calenſe cognomen indiderunt Theodorico Quarto, cuius aſſumptione in Regem Auctor coætaneus librum ſuum de Geſtis Regum Francorum ſic abſoluit. *Franci verò Theudericum II Cala Monaſterio enutritum, filium Dagoberti Iunioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt, qui vſque nunc in regno ſubſiſtit.* In hoc autem textu Theodoricus II dicitur is, quem Theodoricum IV appellamus. Error irrepſit, appoſitæ ſunt hæ literæ numerales II loco præpoſitionis *in*, quæ ſic reſtitui debet. *Franci verò Theudericum in Cala Monaſterio*, &c. Huic correctioni fauet Erchanbertus, apud quem legitur hæc eadem loquendi formula, *in Cala Monaſterio.* Deinde totum librum de Geſtis Regum Francorum reuolue, Reges non paucos inuenies æquiuocos, quatuor Clotarios, tres Clodoueos, totidem Childebertos, duos Theodobertos, totidem Dagobertos, neminem verò reperies, qui Secundus dicatur aut Tertius vt à ceteris eiuſdem nominis diſtinguatur. Non ignoramus Theodoricum Calenſem conſtantiſſimè vocari Theodoricum Secundum à Neotericis, apud quos ij tantùm Reges Francorum nominantur, qui poſt Childericum Faramundi pronepotem regnarunt Pariſiis hoc ordine, Clodoueus Primus, Childeber-

Digitized by Google

tus Primus, Clotarius Primus, Charibertus, Chilpericus Primus, Clotarius Secundus, Dagobertus Primus, Clodoueus Secundus, Clotarius Tertius, Childericus Secundus, Theodoricus Primus, Clodoueus Tertius, Childebertus Secundus, Dagobertus Secundus, Chilpericus Secundus, Theodoricus Secundus ſeu Calenſis. At in prædictis Regum Francorum Geſtis, Reges Francorum non minùs appellantur ij, qui non in Neuſtria cuius caput Pariſij, ſed in Auſtria vel in Burgundia imperarunt, vt Theodoricus Clodouei Primi filius natu maximus, & Theodoricus Clotarij Primi per Sigibertum & Childebertum Auſtriæ Reges pronepos, quorum ſenior à nobis dictus eſt Theodoricus Primus, vitámque clauſit anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto, iunior verò nuncupatus eſt à nobis Theodoricus Secundus, interiitque anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-tertio. Eâque ratione, Theodoricus, qui poſt Childericum Secundum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio regnare cœpit, in libro de Geſtis Regum Francorum cenſendus eſt Theodoricus Tertius, vt numeratus eſt à nobis, & Theodoricus Calenſis, de quo nunc agimus, in eodem libro non ſcriptus fuit Theodoricus II, cùm Theodoricus IV computandus eſſet. AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

Annaliſta Metenſis, qui totus eſt in laudibus Caroli, Theodoricum ne quidem nominat. Haud æquiores erga Regem fuerunt Auctores Annalium Nazarianorum, Petauianorum & Tilianorum, multíque alioquin illuſtres Chronographi, San-Dionyſianus, Regino & Sigebertus. Vnde obiter nota falli pleroſque, qui poſtremos Merouingicæ familiæ Reges in contemptum à ſe bellè vocatos putant, ſi per ludibrium temerè affirment nuda illorum Regum nomina Chronologiæ tantùm ſtabiliendæ inſeruire. Inter tot enim Scriptores, qui ſub Carolinis Regibus ſeriúſque vel Annales vel Chronica compoſuerunt, vix vllum reperies, qui tempora per annos eorumdem Regum digeſſerit, animaduertes autem annos Maiorum domûs ab omnibus diligenter annotari. IV.

In Geſtis Regum Francorum iam citatis, *Franci Theudericum in Cala Monaſterio enutritum, filium Dagoberti iunioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt.* Apud Erchanbertum res eadem ſic legitur. *Theodericum, filium Tagoberti Iunioris, Franci in Regem ſibi ſtatuunt, qui nutritus in Cala Monaſterio erat.* In Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta deſideratur hæc vox *(Franci)* quæ non ab Auctore ſed ab amanuenſi videtur omiſſa, reperitur enim apud Marianum longè recentiorem, qui Francis Carolum ſic adiecit, vt Theodoricum in paterno ſolio non à ſolis Francis, ſed à Francis ſimul & à Carolo collocatum inſinuarit. Textus [a] Anonymi, qui Francorum Hiſtoriam iubente Childebrando conſcripſit, talis eſt. *Theodoricum Regem ſtatuerunt in ſedem Regni.* Talis verò textus Mariani [b]. *Franci cum Carolo, qui & Maior domûs, Tiecdericum Calâ Monaſterio enutritum, filium Dagoberti iunioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt.* Franci ſumuntur pro Neuſtraſiis. Ager Pariſienſis, in quo ſita Cala, & Nouiomum, vbi ſepultus eſt Rex Chilpericus, pertinebant ad Neuſtriam. Auditâ Chilperici morte, Neuſtraſij Theodoricum, Dagoberti quondam Regis filium, in Regem ſibi ſtatuerunt inconſulto Carolo, virum enim Auſtraſium, à quo bis victi fuerant, vt hoſtem auerſabantur, ſéque, ſi Regem licèt puerum haberent, exiſtimabant inde potentiores atque audentiores fore. Diſſimulauit iſta Carolus, veritúſque ne Raginfridus iterum aut quis alius ex Neuſtraſiis ſub nouo Rege Maiorem Palatij Neuſtraſiani ſe diceret, hoc anno totus incubuit auctoritati ſuæ per Neuſtriam Burgundiámque ſtabiliendæ, nec vllum aduersùs exteras nationes bellum geſſit domeſticis tantùm rebus intentus. Hinc corrige Auctorem Annalium Fuldenſium, qui Theodoricum ab vno Carolo Regem conſtitutum ita ſcribit [c]. *Mortuo Hilprico, Carlus Teotricum in Sedem Regni conſtituit.* Et Hermannum, qui ſententiam eandem ſic amplectitur [d]. *Mortuo Hilperico, Theodericus Rex efficitur à Carolo.* V.

[a] Cap. 107.

[b] Ad an. 720.

[c] Ad an. 720.

[d] Ad an. 721.

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

VI. Eudo Dux Aquitaniæ, quem Carolus vt æmulum pertimeſcebat, hoc anno infenſiſſimos hoſtes expertus eſt Saracenos, qui cis Pyrenæos montes effuſi, Septimaniam primùm ſubegerunt cum nonnullis vrbibus Aquitaniæ, è quibus Gothi Rege Eruigio Francos expulerant; deinde Toloſam, ciuitatem Aquitaniæ tunc attributam, cinxerunt obſidione. Victoriam, quam de Saracenis Eudo reportauit, breuiter attingit Annaliſta Nazarianus. *Anno* DCCXXI. *eiecit Heudo Sarcinos de Aquitania.* Et Petauianus. *Anno* DCCXXI. *expugnauit Eodo Saracenos de terra ſua.* Conſulendi ſunt alij Scriptores, qui plura nos doceant.

SARACENI TOLOSAM OBSIDENT, ET A FRANCIS PROFLIGANTVR.

VII. Saraceni, quos Agarenos, Iſmaelitas, Arabes, Mauros & Mahometanos alij vocant, Aſiam, Africam & Europam magno terrore iam impleuerant, cùm de bello Francis inferendo cogitarunt. In ſuam enim poteſtatem armis redegerant Arabiam, Perſidem, Armeniam, Meſopotamiam, Syriam, Palæſtinam, Cyprum, Rhodum, Ægyptum, Marmaricam, Cyrenaicam, Africam propriè dictam, Mauritaniam, totam fermè Hiſpaniam & Septimaniam cum nonnullis vrbibus, quas Eruigius Wiſigothorum Rex ante aliquot annos in Aquitania Francis ademerat. Lege ſimúlque confer Chronographiam Theophanis, Hiſtoriam Arabum conſcriptam à Roderico Toletano Archiepiſcopo, necnon Hiſtoriam veterum Calipharum ex antiquis Arabum Annaliſtis præcipuè collectam. Quò potentiores erant Saracenorum vires, eò glorioſior fuit Francorum victoria. Saracenis præerat *Izid* ſiue *Izit*, Rex eorum decimus-ſextus, huius nominis ſecundus. Annum in Principatu ſecundum agebat, vt infrà patebit, annis Hegiræ cum Era Hiſpanorum & annis Incarnationis Dominicæ comparatis. Copiis, quas ad inuadendam Franciam collegerat, virum ſtrenuum præfecit Zamam nomine, ab aliquot annis Hiſpaniæ Septimaniæque adminiſtrationi præpoſitum, de quo ſic Rodericus [a]. *Zama, qui tribus annis ducatum tenuit, in Hiſpaniis proprio ſtylo deſcripſit vectigalia Hiſpanorum, & quod priùs indiuiſum ab Arabibus habebat, ipſe partem reliquit militibus diuidendam, partem fiſco de mobilibus & immobilibus aſſignauit, & Galliam Narbonenſem*, id eſt, Septimaniam, *diuiſione ſimili ordinauit, & Francorum gentem bellis frequentibus ſtimulauit, & Narbonæ ob tuitionem patriæ electos milites collocauit. Ipſe autem bellis plurimis Toloſam veniens, obſidionis ambitu circumcinxit, & cæpit eam variis machinis impugnare. Gens autem Francorum cum Eudone exercitûs ſui duce in obſeſſorum auxilium ſuperuenit. Cúmque vterque exercitus cæpit acriter dimicare, Franci Zamam ducem Arabum cum parte multitudinis peremerunt, reliqui obſidione relictâ ſe fugæ patrocinio commiſerunt, & qui euaſerant, Abderramen ſuper ſe principem elegerunt, donec Principalia iuſſa veniſſent.* Hæc Rodericus mutuatus eſt ab Iſidoro Epiſcopo Pacenſi *, qui res à Zama geſtas ſtylo valdè barbaro ſic deſcripſit. *In occiduis partibus multa Izit Regi Sarracenorum præliando perueniunt proſpera, atque per Zama nomine tres minùs paululum annos in Hiſpania ducatum habente, vlteriorem vel citeriorem imperium proprio ſtylo ad vectigalia inferenda deſcribit, prædæ & manualia, vel quicquid illud eſt, quod olim prædabiliter indiuiſum retemptabat. In Hiſpania gens omnis Arabica ſorte ſociis diuidendo partem ex omni re mobili & immobili fiſco adſociat. Poſtremò, Narbonenſem Galliam ſuam facit, gentémque Francorum frequentibus bellis ſtimulat, & ſeditas Sarracenorum in prædictum Narbonenſem oppidum ad præſidia tuenda decenter collocat. Atque in coniurenti virtute iamdictus Dux Toloſam vſque præliando peruenit, atque obſidione cingens, fundis & diuerſis generum machinis expugnare conauit. Sícque Francorum gentes tali de nuntio certi, apud Ducem ipſius gentis Eudonem nomine congregantur, vbi dum apud Toloſam vtrique exercitus acies graui dimicatione confligunt, Zaman ducem exercitus Sarracenorum cum parte multitudinis congregatæ occidunt. Reliquum exercitum per fugam elapſum ſequuntur, quorum Abdirraman cepit principatum vno per menſe, donec ad Principalia iuſſa veniret Ambiza eorum rector.* Huius Auctoris barbariem iam accuſauit Vaſæus, in cuius Chronico [b] hæc leguntur.

[a] Hiſt. Arab. cap. 11.

* *de Badaiox.*

[b] Cap. 4.

Iſidorus

Iſidorus Pacenſis Epiſcopus etiam ſcripſit Chronicon Hiſpaniæ ; cuius ſi eſt Chronicon illud , quod eius titulo prænotatum vidi , portentum potiùs dixerim quàm Chronicon ; adeò prodigiosè ſcribit , & Gothicè potiùs quàm Latinè. Certè mihi , tanquam in nouo quodam & inaudito idiomate , deſudandum fuit , vt intelligerem. AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6.

De Saracenis , quibuſcum Franci plerumque dimicarunt , ſæpiùs agendum nobis erit, ideóque placet hîc exponere nonnulla quæ ſpectant ad eorum originem ac Monarchiam , necnon ad annos Lunares Hegiræ , quos oportet cum annis Solaribus Chriſtianorum comparare, ne fluctuet aut turbetur Chronologia. THEODOR. IV. R. 1. VIII.

IX. SARACENORVM ORIGO.

Originum Scriptores originem Mohammedis deducunt ab Iſmaele,quem Abrahamo peperit Hagar ancilla Saræ, vnde Iſmaelitæ, Hagareni & Agareni dicti, qui Mohammedis pſeudoprophetæ falſos errores amplexi ſunt, & ſub eius aut ſucceſſorum imperio vitam duxerunt. Illi autem , vt rectè ab Hagar vocati ſunt Hagareni , ſic ineptè à Sara Saracenos ſe nuncupatos mentiuntur , oporteret enim aut à Sara Sareos appellatos , aut vxorem Abrahæ non Saram ſed Saraeam nominatam fuiſſe. Stephanus ait Σάρακα regionem eſſe Arabiæ , finitimam Nabatæis , à qua τοὺς Σαρακηνοὺς dictos arbitratur. Alij Saracenos deriuant ab Arabica voce *Sarak* quæ genus hominum ferox & ληστρικὸν indigitat. Verùm quia *Sarak* ſignificat *clàm furari,* nec illud vocabulum vſurpari commodè poteſt , vt Arabes publicis latrociniis infames deſignentur , Eduardus Pocockius Linguarum Hebraicæ & Arabicæ in Academia Oxonienſi * Profeſſor ad aliam recurrit etymologiam initio notarum , quibus libellum de Origine & Moribus Arabum à Gregorio *Abul-Farai* compoſitum illuſtrauit. Ait enim Saracenos non à vitæ inſtituto, ſed à ſitu , quod Orientales eſſent , ita nuncupatos fuiſſe , citátque Scriptores quoſdam Arabes, qui vicos quoſdam , Orientalis ad alia loca ſitûs ratione , *Sharakath* & *Sharakiah* nomen ſortitos memorant , adeóque incolas eorum Saracenos audiiſſe. Deinde , vt Arabia eſt Orientalis reſpectu Mauritaniæ , ſic vtriuſque regionis incolas diuerſis nominibus afficit, affirmátque Mauros vocari Magrebinos , id eſt, Occidentales, ab iis qui Arabiam incolunt & Maſaraceæ Saraceníque ſiue Orientales nuncupantur. Cetera gentis illius cognomina facilè deprehenduntur. Dicti ſunt Arabes ab Arabia. *Diuerſæ ſunt de Arabum denominatione ſententiæ* , inquiunt apud eundem Pocockium Auctores Arabes,*at omnium veriſſima, quæ illam deducit ab Arabia, quæ Tahamæ regionis pars eſt, quam olim Iſmael eorum pater incoluit.* Dicti ſunt Mauri à Mauritania , idque nominis obtinuerunt præſertim apud Occidentales Europæ populos , quibus poſt occupatam Mauritaniam primùm innotuerunt. Denique dicti ſunt Mahometani à Mahometo pſeudopropheta, Monarchiæ Saracenicæ, de qua loquimur, auctore.

NOMEN. * d'Oxfort.

X. HEGIRA.

Initium iſtius Monarchiæ petitur ab anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo, quo Mahometus propter hoſtium factionem Mechâ * Medinam ** fugit. Hanc epocham multis probationibus confirmant Ioſephus Scaliger libro ſecundo de Emendatione Temporum, & Ioannes Mariana in tractatu de Annis Arabum. Qui receſſerunt hactenus ab hoc calculo, non aduerterunt annos Lunares Arabum ab annis Solaribus Chriſtianorum multùm differre, Lunaris enim annus Solari minor eſt diebus ferè vndecim , annique Lunares triginta-tres continent annos duntaxat triginta-duos Solares cum diebus ſex totidémque ſcrupulis. Hinc ortæ tot ſententiæ , quas referre longum eſſet ac ſuperuacaneum. Multi , quibus perſuaſum erat primam Arabum in Hiſpaniam irruptionem contigiſſe anno eorumdem Arabum nonageſimo-tertio, Erâ Hiſpanorum ſeptingenteſimâ vndequinquageſimâ, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo, primum annum Arabicum inchoarunt Erâ ſexcenteſimâ quinquageſimâ-ſextâ , id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo duodeuiceſimo, rati Chronologiæ ſatis ſe conſuluiſſe,

* la Mecque. * Medine.

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

ſi primum annum Arabum auſpicarentur ab Era nonageſima-tertia ante ſeptingenteſimam vndequinquageſimam, quandoquidem annus Arabum nonageſimus-tertius in Eram ſeptingenteſimam vndequinquageſimam incide-rat. Alij primum annum Arabicum ſe putarunt aſſecutos, modò ab anno Incarnationis Dominicæ quo ſcribebant, tot annos ſubducerent quot Arabes ab initio ſui Principatûs numerabant, ideóque quò recentiores fuerunt Auctores, eò vetuſtiora Hegiræ principia repererunt. Poſteriorem hunc errorem hodie ſi ſequaris, initium Principatûs Arabici repetes ab anno Chriſti quingenteſimo vndenonageſimo, annus enim Arabum milleſimus octogeſimus Kalendis Iunij cœptus eſt hoc anno, poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-nono, quo noſtros Annales prælo ſubiicimus, ex annis autem ſexcentis ſexaginta-nouem ſupra mille ſi ſubduxeris mille & octoginta, reſidui manebunt quingenti vndenonaginta. De die, qui primum annum Arabum aperuit, non conueniunt Scaliger & Mariana, hic enim Idus Iulias & feriam quintam notat, ille feriam ſextam & diem poſt Idus Iulias proximum. Opinionem Marianæ potiorem remur, quia conuenit cum Hiſtoria veterum Calipharum [a]. Idibus igitur Iuliis, anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo, Mahometus pſeudoprophetes aufugit Mechâ, factionem hoſtium infeſtiſſimam expertus ob nouam legem quam prædicabat. Ab ea fuga, quam Arabes Hegiram appellant, annos numerant omnes Mahometani, vocántque annos Hegiræ, id eſt, fugæ.

[a] Lib. 1. in Mahomet.

XI. ANNI.

Arabes annum duodecim Lunationibus finiunt, vnicuique Lunæ tribuunt dies viginti-nouem, horas duodecim, minuta ferè quadraginta-quatuor, itaut totus annus contineat dies trecentos quinquaginta-quatuor, horas octo, minuta duodequinquaginta. Quemadmodum autem neceſſe eſt, vt alternatim vnus è duobus menſibus ſit dierum viginti-nouem, alter triginta, quia quælibet Lunatio præter dies viginti-nouem rotundos habet horas duodecim; ſic & ad conſumenda minuta ferè quadraginta-quatuor, quæ ſuperſunt adhuc ex vnaquaque Lunatione, cyclus Lunaris adinuentus eſt annorum triginta, quo temporis ſpatio dies vndecim intercalantur in fine totidem annorum, qui vocantur ob eam cauſam intercalares, cetería que, qui communes dicuntur, longiores ſunt vno die, annus enim communis conſtat diebus trecentis quinquaginta-quatuor, intercalaris trecentis quinquaginta-quinque.

XII. MENSES.

Primus igitur menſis anni Arabici, *Mucharam*, dies habet viginti-nouem; ſecundus, *Zaphar*, dies triginta; tertius, *Rabih alauel*, id eſt, Rabih prior, dies viginti-nouem; quartus, *Rabih alahar*, id eſt, Rabih poſterior, dies triginta; quintus, *Iumadi alauel*, id eſt, Iumadi prior, dies viginti-nouem; ſextus, *Iumadi alahar*, id eſt, Iumadi poſterior, dies triginta; ſeptimus, *Rageb*, dies viginti-nouem; octauus, *Sabauen*, dies triginta; nonus, *Ramadan*, dies viginti-nouem; decimus, *Sceual*, dies triginta; vndecimus, *Dulquehda*, dies viginti-nouem; duodecimus, *Dulhagia*, dies triginta ſi ſit annus communis, vnum & triginta ſi ſit annus intercalaris. Lunaris autem cycli primus annus eſt communis; ſecundus, intercalaris; tertius & quartus, communes; quintus, intercalaris; ſextus, communis; ſeptimus, intercalaris; octauus & nonus, communes; decimus, intercalaris; vndecimus & duodecimus, communes; decimus-tertius, intercalaris; decimus-quartus & decimus-quintus, communes; decimus-ſextus, intercalaris; decimus-ſeptimus, communis; decimus-octauus, intercalaris; decimus-nonus & viceſimus, communes; viceſimus-primus, intercalaris; viceſimus-ſecundus & viceſimus-tertius, communes; viceſimus-quartus, intercalaris; viceſimus-quintus, communis; viceſimus-ſextus, intercalaris; viceſimus-ſeptimus & viceſimus-octauus, communes; viceſimus-nonus, intercalaris; triceſimus, communis.

XIII. CALIPHÆ.

Mahometus, pleriſque Mahometes, Mahomedus, Mahomat, Muamed,

Digitized by Google

Muhamedes & Mohammet, Medinam ingreſſus eſt die ſexageſimo-octauo AN. CH.
poſtquam egreſſus eſt Mechâ, vt teſtatur Iſmael Abul-Feda. Mecham oc- 721.
cupauit anno Hegiræ octauo, magnámque multitudinem Arabum ad ſe ve- CHILPER.
nientem prauis dogmatibus decepit anno decimo. Mortuus eſt anno He- III. R. 6.
giræ vndecimo, die duodecimo menſis tertij ſeu Rabih prioris, id eſt, cùm THEO-
poſt fugam effluxiſſent anni decem, dieſque vnus & ſeptuaginta. Hæc le- DOR. IV.
guntur in Hiſtoria [a] veterum Calipharum. Annus autem vndecimus He- R. 1.
giræ inchoatus eſt quinto Kalendas Aprilis, anno Chriſti ſexcenteſimo tri- MAHOME-
ceſimo-ſecundo, dieſque duodecimus prioris Rabih coincidit cum octauo TVS.
Idus Iunias eiuſdem anni poſt Chriſtum natum ſexcenteſimi triceſimi-ſe-
cundi.

[a] Lib. 1.

Eodem die, quo Mahometes obiit, electus eſt qui ſocero vel cognato XIV.
ſuccederet eius aut gener aut cognatus Abubacharus. Hic, teſte Theopha-
ne [b], cepit vniuerſam Gazæ regionem, quæ versùs montem Sinæum de-
ſerti fauces occupat. Tenuit Principatum duobus annis. De numero anno-
rum conueniunt omnes, de minutiis menſium, ac dierum non parum diſ- ABVBA-
ſentiunt. Alij enim addunt menſes tres dieſque nouem; alij menſes qua- CHARVS.
tuor, totidem minùs diebus; quidam centum dies, Theophanes [c] dimi-
dium anni. Deinde alij mortuum tradunt feriâ ſextâ, die viceſimo-quarto
poſterioris Iumadi, alij feriâ tertiâ. Præ ceteris placet eorum ſententia, qui
præter biennium centum dies Principatûs attribuunt, mortémque conſi-
gnant feriâ tertiâ, anno Hegiræ decimo-tertio per dies centum ſeptuagin-
ta & vnum iam inchoato, annus enim Hegiræ decimus-tertius initium ce-
pit pridie Nonas Martias, dieſque illius anni centeſimus ſeptuageſimus-
primus, qui viceſimus-quartus poſterioris Iumadi fuit, coincidit cum feria
tertia, dieque decimo Kalendas Septembres anni poſt Chriſtum natum ſex-
centeſimi triceſimi-quarti, qui præditus fuit literâ Dominicali B.

[b] Ad an. 21. Heraclij Imp.

[c] Ad an. 24. Heracl. Imp.

Poſt Abubacharum ſiue Abubecrum eodem die regnare cœpit Omarus XV.
ſiue Vmarus. Hic ditiones ſuas per Arabiam, Ægyptum, Palæſtinam, Sy- OMARVS.
riam, Meſopotamiam & Perſidem multùm dilatauit. Damaſum cepit an-
no Hegiræ decimo-quarto, Ieroſolymam anno Hegiræ decimo-ſexto, Antio-
chiam anno Hegiræ decimo-ſeptimo, Edeſſam anno Hegiræ decimo-octa-
uo, Alexandriam anno Hegiræ viceſimo. Primus annos numerauit ab He-
gira ſeu fuga Mahometis. Primus quoque Ducem fidelium ſiue Amirama-
molinum ſe dixit. Principatum tenuit annis decem Lunaribus diebúſque
centum octoginta-ſeptem, ſiue annis decem Solaribus diebúſque ſeptuagin-
ta, id eſt, vſque ad feriam ſecundam ſeu diem viceſimum-ſextum menſis
duodecimi ſiue Dulhagiæ, quo claudebatur annus Hegiræ viceſimus-ter-
tius. Lege Hiſtoriam [d] veterum Calipharum cum Theophane [e]. Dies ille
coincidit cum Kalendis Nouembribus, quæ anno Chriſti ſexcenteſimo qua-
drageſimo-quarto, propter literam Dominicalem C, illigabantur feriæ ſe-
cundæ.

[d] Lib. 1. in Omar.

[e] Ad ann. 18. & 19. Heraclij Imp.

Vmaro ſucceſſit Autuman ſiue Othman vel Vthmanus, quo die incer- XVI.
tum. Alij enim Calipham creatum volunt anno Hegiræ viceſimo-tertio VTHMA-
nondum finito, alij aiunt id contigiſſe primo menſe anni ſubſequentis, nec NVS.
deſunt qui notent diem viceſimum iſtius menſis. Occubuit exeunte anno
Hegiræ triceſimo-quinto, die videlicet vndecimo vltimi menſis. Geſſiſſe
dicitur Principatum annos duodecim, octo minùs diebus, numerando ſci-
licet ab ipſo die quo deceſſor extinctus eſt. Annus Hegiræ fuit intercala-
ris, ideò menſis *Dulhagia* dies habuit vnum & triginta, & in Hiſtoria ve-
terum Calipharum à morte Vthmani vſque ad anni exitum rectè nume-
rantur dies duodecim. Perperam autem in eadem Hiſtoria quidam aſſerunt
Vthmanum occiſum fuiſſe die Martis, necatus eſt enim die Iouis, decimo-
ſexto Kalendas Iulias, anno biſſextili, poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo
quinquageſimo-ſexto, currente tunc literâ Dominicali B. Vthmanus expe-

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

ditionem in Africam mouit, Cyprum & Rhodum ſubegit, Iſauriam & Armeniam deprædatus eſt, Perſidem occupauit mortuo Iſdegerde Rege, claſſem ad obſidendam Conſtantinopolim parauit. Lege Auctores ſuprà citatos.

Poſt cædem Vthmani, ſi fides eſt Theophani [a], *diſſidium inter Arabes exortum eſt. Qui enim deſerti loca tenuere, Alis alterius Alim nepotem, Muamed generum, deſiderabant Principem. Qui verò Syriam & Ægyptum incoluere, Mauiam promouebant, cuius pars ſuperior extitit, & imperium obtinuit annos viginti-quatuor*, ἐκράτησε ἔτη κδʹ.

XVII. Eiuſdem diſſenſionis ita meminit Rodericus Toletanus in Hiſtoria [b] Arabum. *Mortuo Autuman, Moabia, qui & Maula, ſucceſſit in regno, anno* XXXV *Arabum, & regnauit annis* XXV, *ſed quinque annis (quia regnum eius turbatum variauit) contra ſuos prælia multa geſſit. Poſt quinquennium ſuis ſedatis feliciter rexit regnum.* At audiendus præ ceteris *Abu Iaafar Mohammed Ebn Iarir Al Tabari* toties laudatus in Hiſtoria Saracenica, qui natus anno Hegiræ ducenteſimo viceſimo-quarto in ditione *Tabaraſtan* ſeriem Hiſtoriæ ſuæ ad annum eiuſdem Hegiræ ducenteſimum triceſimum-ſecundum perduxit, &, vt *Ebn Challecan* teſtatur, *fidus fuit in allegationibus ſuis, eſtque Hiſtoria ipſius Hiſtoriarum veriſſima & certiſſima.* Subrogat autem hic Auctor Vthmano Alim; Ali Chaſanum, Chaſano Mauiam ſeu Mugeuiam.

[a] Ad an. 14. Conſtantis Imp.
[b] Cap. 7.

XVIII. ALIS. Succeſſit igitur Alis Vthmano, regnauítque annos quatuor diéſque ducentos ſexaginta-duos. Toto illo tempore ciuilibus bellis implicatus fuit æmulo Megauiâ. Cæſus interiit anno Hegiræ quadrageſimo, die viceſimo menſis noni, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, die viceſimo-ſexto Ianuarij.

XIX. CHASANVS. Chaſani, qui poſt Alim patrem regnauit, Principatus nec diuturnus fuit nec quietus. Durauit enim ſex tantùm menſes, diéſque quinque, ſiue vt alij loquuntur, dies centum octoginta-duos, deſiitque anno Hegiræ quadrageſimo-primo, menſis tertij die viceſimo-quinto, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-primo, die quinto Kalendas Auguſti.

XX. MEGAVIAS. Megauias, quem alij Mauiam, Moabiam & Maulam vocant, Chaſano cedente Principatum arripuit; ditiones ſuas aliquot vrbibus auxit in Africa; venit in ſuſpicionem apud pleroſque necis Chaſano exregi per venenum procuratæ anno Hegiræ quadrageſimo-nono; Izitum filium ſuum in Regni collegam aſſumpſit anno Hegiræ quinquageſimo; cúmque, vt Conſtantinopolim obſideret, inſtructiſſimæ claſſi poſteà præfecit, at irrito conatu. Regnauit annos vndeuiginti, menſes tres, diéſque quinque. Obiit anno Hegiræ ſexageſimo, die Veneris, menſe ſeptimo, vtrùm ineunte an medio non conueniunt omnes. At, cùm apud veterem Annaliſtam Arabum, dies ille cenſeatur centeſimus duodeſeptuageſimus anni ſexageſimi Arabici, dubium non eſt quin idem dies primus fuerit menſis ſeptimi ſeu *Rageb*. Annus ſexageſimus Arabum inchoatus eſt quarto Idus Octobris, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono. Mortuus eſt igitur Megauias anno biſſextili, Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, die Veneris, octauo Idus Aprilis, currente literâ Dominicali G.

XXI. IZITVS. Izitus poſt Megauiam patrem regnauit; quicquid dicat [c] Rodericus Toletanus, ditiones Arabum non amplificauit, quia bellis ciuilibus impeditus fuit. Tenuit Principatum annos tres, diéſque ducentos quadraginta-nouem. Obiit anno Hegiræ ſexageſimo-quarto, die Lunæ, decimo-quarto menſis tertij ſeu prioris *Rabih*, id eſt, die Lunæ, quinto Idus Nouembris, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo tertio, qui præditus fuit litera Dominicali D.

[c] Hiſt. Arab. cap. 8.

XXII. MEGAVIAS II. Megauias Iziti filius Arabibus præfuit dies quadraginta-quinque, vitámque clauſit anno Hegiræ ſexageſimo-quarto, die Iouis, ſeu die vltimo menſis quarti ſiue poſterioris *Rabih*; id eſt, die Iouis, viceſimo-quarto Decembris, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio.

Digitized by Google

Poſt obitum Megauiæ vacauit Principatus dies ſeptuaginta-nouem, incidit AN. CH.
enim longa concertatio inter Maroan ſeu Maruam & Abdallam ſeu Gabdol- 721.
lam. Hic propter diuitias, quas ex Africa tulerat, ſuperior primùm euaſit. Elec- CHILPER.
tus eſt enim Rex Arabum anno Hegiræ ſexageſimo-quarto, die viceſimo men- III. R. 6.
ſis ſeptimi ſeu *Rageb*, id eſt, quarto Idus Martias anni biſſextilis poſt Chriſ- THEO-
tum natum ſexcenteſimi octogeſimi-quarti. Sed Principatum poſt dies cen- DOR. IV.
tum & duodetriginta Maroæ ſeu Maruæ coactus ceſſit anno Hegiræ ſexageſi- R. 1.
mo-quarto, die primo menſis duodecimi ſeu Dulhagiæ, id eſt, decimo-quinto XXIII.
Kalendas Auguſtas, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto, feria ſe- ABDALLA.
cunda, currente tunc literâ Dominicali B.

Maroas ſeu Maruas regnauit apud Saracenos diebus ducentis nonaginta- XXIV.
octo, deſiitque viuere anno Hegiræ ſexageſimo-quinto, die quarto menſis de- MAROAS.
cimi ſeu *Sceual*, id eſt, quinto Idus Maias, anno Chriſti ſexcenteſimo octo-
geſimo-quinto.

Abimelech ſiue Abdelmelic Maruæ filius regnauit annos vnum & viginti XXV.
diéſque quindecim. Obiit anno Hegiræ octogeſimo-ſexto, die vndeuiceſimo ABIME-
menſis decimi ſeu *Sceual*, id eſt, quinto Idus Octobris anno poſt Chriſtum na- LECH.
tum ſeptingenteſimo quinto. Ceterùm anno Imperij ſui decimo-quinto, vt
Theophanes obſeruat, bellum geſſit in Africa, Carthaginem cepit, expulſiſ-
que Cæſaris præſidiis ditiones ſuas propagauit, vſque ad confinia Wiſigotho-
rum, qui partem Mauritaniæ iampridem occuparant à temporibus Siſebuti Re-
gis, eámque Hiſpaniam Transfretanam & Hiſpaniam Tingitanam appellabant.

Valid poſt patrem Abimelech regnauit annos nouem menſéſque octo. Wi- XXVI.
ſigothos, vt Scriptores rerum Hiſpanicarum narrant, expulit è Mauritania VALID.
Tingitana quæ trans fretum Gaditanum ſita eſt, & ex vniuerſa fermè Hiſpania
quæ Pyrenæis montibus Oceano maríque Mediterraneo clauditur. In Hiſtoria
veterum Calipharum [a], Hiſpania deſignatur per Andaluſiam & Regnum To- [a] Lib. 1. in
letanum, primúſque Arabum in Hiſpaniam ingreſſus conſignatur anno Hegiræ Valid.
nonageſimo-tertio, cuius initium coincidit cum die decimo-quinto Kalendas
Nouembres anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo Erâ ſeptingenteſimâ vnde-
quinquageſimâ. Obiit Valid anno Hegiræ nonageſimo ſexto, medio poſteriore
Iumado, id eſt, anno Chriſti DCCXV. ineunte menſe Martio.

Zuleman ſeu Suliman fratri Valid ſucceſſit. *Miſit Alohor, quem Hiſpaniæ præ-* XXVII.
fecerat, vt Narbonenſem Galliam deuaſtaret, & citeriorem Hiſpaniam, in qua Chriſtia- SVLIMAN.
ni aliqui rebellauerant, ſubiugaret, qui, teſte Roderico [b], *prædictam Galliam &* [b] Hiſt. Arab.
vtramque Hiſpaniam vi, fraude & deditione receptans vectigali ſubdidit ſeruituti. Re- cap. 10.
gnauit annos duos menſéſque octo, minus diebus quinque. Obiit die Veneris,
qui quinquageſimus fuit anni Arabici vndecenteſimi, id eſt, Kalendis Octobris,
anno Chriſti DCCXVII. qui præditus fuit litera Dominicali C.

Vmarus ſiue Omarus regnauit annos duos, menſes quinque, diéſque tres. XXVIII.
Obiit anno Hegiræ centeſimo primo, die viceſimo-tertio menſis ſeptimi ſeu *Ra-* OMARVS
geb, id eſt, ſeptimo Idus Februarias, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo. II.

Mortuo Vmaro Izit eius frater, quem in Regni Collegam aſſumpſerat, ſo- XXIX.
lus regnare cœpit. Anno ſui Principatûs ſecundo, Chriſti ſeptingenteſimo vice- IZITVS.
ſimo-primo, copias, vt ſuprà dictum eſt, ad inuadendam Franciam direxit. II.
Franci ſtrenuè reſtiterunt duce Eudone, tótque gentis Saracenicæ victoriis obi-
cem poſuerunt. Feliciſſimus fuit hic primus Francorum congreſſus cum Sara-
cenis. Subſequentur alij non pauci, nec minori cum laude. De ſingulis agemus
ſuis locis. Vt autem faciliùs intelligas, quàm benè in noſtris Annalibus Epo-
cha Chriſtiana, quâ vtimur, cohæreat cum Era Hiſpanorum & Hegira Sarace-
norum, hîc tabulam ſubiicimus, in qua comparantur anni Dominicæ Incar-
nationis cum Era Cæſaris atque annis Hegiræ & Calipharum, ad annum vſ-
que Hegiræ centeſimum viceſimum-tertium, quo adhuc currente Carolus Pip-
pini Herſtallij filius, qui toties de Saracenis nobiliſſimè triumpharat, ex hac vi-
ta diſceſſit menſe Octobri, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo.

Digitized by Google

AN. CH. 721.
CHILPER. III. R. 6.
THEODOR. IV. R. 1.

XXX.

Era Hiſpanica.	*Anni à Chriſto nato*	*Initia annorum Arabicorum.*	*Anni Arabici.*	*Caliphæ.*	*Anni Caliapharum.*
660.	622.	15. Iulij.	1.	Mahometus.	1.
661.	623.	4. Iulij.	2.		2.
662.	624.	23. Iunij.	3.		3.
663.	625.	12. Iunij.	4.		4.
664.	626.	1. Iunij.	5.		5.
665.	627.	22. Maij.	6.		6.
666.	628.	10. Maij.	7.		7.
667.	629.	30. Aprilis.	8.		8.
668.	630.	19. Aprilis.	9.		9.
669.	631.	8. Aprilis.	10.		10.
670.	632.	28. Martij.	11.	Abubacharus.	1.
671.	633.	17. Martij.	12.		2.
672.	634.	6. Martij.	13.	Omarus.	1.
673.	635.	24. Februarij.	14.		2.
674.	636.	13. Februarij.	15.		3.
675.	637.	1. Februarij.	16.		4.
676.	638.	22. Ianuarij.	17.		5.
677.	639.	11. Ianuarij.	18.		6.
678.	640.	1. Ianuarij.	19.		7.
		20. Decembris.	20.		8.
679.	641.	9. Decembris.	21.		9.
680.	642.	29. Nouembris.	22.		10.
681.	643.	18. Nouembris.	23.		11.
682.	644.	6. Nouembris.	24.	Vthmanus.	1.
683.	645.	27. Octobris.	25.		2.
684.	646.	16. Octobris.	26.		3.
685.	647.	6. Octobris.	27.		4.

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

Era Hiſpanica.	*Anni à Chriſto nato.*	*Initia annorum Arabicorum.*	*Anni Arabici.*	*Calipha.*	*Anni Calipharum.*
686.	648.	24. Septembris.	28.		5.
687.	649.	13. Septembris.	29.		6.
688.	650.	3. Septembris.	30.		7.
689.	651.	23. Auguſti.	31.		8.
690.	652.	11. Auguſti.	32.		9.
691.	653.	1. Auguſti.	33.		10.
692.	654.	21. Iulij.	34.		11.
693.	655.	10. Iulij.	35.		12.
694.	656.	29. Iunij.	36.	Alis.	1.
695.	657.	18. Iunij.	37.		2.
696.	658.	8. Iunij.	38.		3.
697.	659.	28. Maij.	39.		4.
698.	660.	16. Maij.	40.		5.
699.	661.	6. Maij.	41.	Chaſanus.	1.
700.	662.	25. Aprilis.	42.	Megauias.	1.
701.	663.	14. Aprilis.	43.		2.
702.	664.	3. Aprilis.	44.		3.
703.	665.	23. Martij.	45.		4.
704.	666.	12. Martij.	46.		5.
705.	667.	2. Martij.	47.		6.
706.	668.	19. Februarij.	48.		7.
707.	669.	8. Februariij.	49.		8.
708.	670.	28. Ianuarij.	50.		9.
709.	671.	17. Ianuarij.	51.		10.
710.	672.	7. Ianuarij.	52.		11.
		26. Decembris.	53.		12.
711.	673.	15. Decembris.	54.		13.

Digitized by Google

AN. CH
721.
CHILPER.
III. R. 6.
THEODOR. IV.
R. 1.

Era Hiſpanica.	Anni à Chriſto nato.	Initia annorum Arabicorum.	Anni Arabici.	Calipha.	Anni Caliphārum.
712.	674.	5. Decembr.	55.		14.
713.	675.	24. Nouembr.	56.		15.
714.	676.	13. Nouembr.	57.		16.
715.	677.	2. Nouembr.	58.		17.
716.	678.	22. Octobris.	59.		18.
717.	679.	12. Octobris.	60.		19.
718.	680.	30. Septembr.	61.	Izitus.	1.
719.	681.	19. Septembr.	62.		2.
720.	682.	9. Septembr.	63.		3.
721.	683.	29. Auguſti.	64.	Megauias II.	1.
722.	684.	17. Auguſti.	65.	Abdalla.	1.
				Maroas.	1.
723.	685.	7. Auguſti.	66.	Abimelech.	1.
724.	686.	27. Iulij.	67.		2.
725.	687.	17. Iulij.	68.		3.
726.	688.	5. Iulij.	69.		4.
727.	689.	24. Iunij.	70.		5.
728.	690.	14. Iunij.	71.		6.
729.	691.	3. Iunij.	72.		7.
730.	692.	22. Maij.	73.		8.
731.	693.	12. Maij.	74.		9.
732.	694.	1. Maij.	75.		10.
733.	695.	20. Aprilis.	76.		11.
734.	696.	9. Aprilis.	77.		12.
735.	697.	29. Martij.	78.		13.
736.	698.	19. Martij.	79.		14.
737.	699.	8. Martij.	80.		15.

738.

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

Era Hiſpanica.	*Anni à Chriſto nato.*	*Initia annorum Arabicorum.*	*Anni Arabici.*	*Calipha.*	*Anni Calipharum.*
738.	700.	25. Februarij.	81.		16.
739.	701.	14. Februarij.	82.		17.
740.	702.	3. Februarij.	83.		18.
741.	703.	23. Ianuarij.	84.		19.
742.	704.	13. Ianuarij.	85.		20.
743.	705.	1. Ianuarij.	86.		21.
		22. Decembr.	87.	Valid.	1.
744.	706.	11. Decembr.	88.		2.
745.	707.	30. Nouembr.	89.		3.
746.	708.	19. Nouembr.	90.		4.
747.	709.	8. Nouembr.	91.		5.
748.	710.	28. Octobris.	92.		6.
749.	711.	18. Octobris.	93.		7.
750.	712.	6. Octobris.	94.		8.
751.	713.	25. Septembr.	95.		9.
752.	714.	15. Septembr.	96.		10.
753.	715.	4. Septembr.	97.	Suliman.	1.
754.	716.	24. Auguſti.	98.		2.
755.	717.	13. Auguſti.	99.	Omarus II.	1.
756.	718.	2. Auguſti.	100.		2.
757.	719.	23. Iulij.	101.		3.
758.	720.	11. Iulij.	102.	Izitus II.	1.
759.	721.	30. Iunij.	103.		2.
760.	722.	20. Iunij.	104.		3.
761.	723.	9. Iunij.	105.		4.
762.	724.	28. Maij.	106.	Iſcam.	1.
763.	725.	18. Maij.	107.		2.

Digitized by Google

AN. CH 721. Chilper. III. R. 6. Theodor. IV. R. 1.

Era Hiſpanica.	*Anni à Chriſto nato.*	*Initia annorum Arabicorum.*	*Anni Arabici.*	*Calipha.*	*Anni Calipharum.*
764.	726.	7. Maij.	108.		3.
765.	727.	27. Aprilis.	109.		4.
766.	728.	15. Aprilis.	110.		5.
767.	729.	4. Aprilis.	111.		6.
768.	730.	25. Martij.	112.		7.
769.	731.	14. Martij.	113.		8.
770.	732.	2. Martij.	114.		9.
771.	733.	20. Februarij.	115.		10.
772.	734.	9. Februarij.	116.		11.
773.	735.	30. Ianuarij.	117.		12.
774.	736.	19. Ianuarij.	118.		13.
775.	737.	7. Ianuarij.	119.		14.
		28. Decembris.	120.		15.
776.	738.	17. Decembris.	121.		16.
777.	739.	5. Decembris.	122.		17.
778.	740.	25. Nouembr.	123.		18.
779.	741.	14. Nouembr.	124.		19.

XXXI. Hoc igitur anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-primo, quocum finis anni Arabici centeſimi ſecundi, initiúmque centeſimi tertij coinciderunt, Saraceni è Septimania in Franciam irrumpentes Toloſam obſidione cinxerunt. Præter Auctores ſuprà citatos id hoc anno geſtum confirmat Chronologus à Guillelmo *de Catel* in Hiſtoria Linguodochiana laudatus. Toloſam enim à Saracenis obſeſſam teſtatur *anno nono poſtquàm Hiſpaniam ingreſſi ſunt*. Primus autem Arabum ſeu Saracenorum in Hiſpaniam ingreſſus conſignatur anno Hegiræ nonageſimo tertio, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo, nam menſe Octobri anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi duodecimi finem accepit annus Hegiræ tertius ſupra nonageſimum. Porrò, de die, quo Franci Toloſam obſidione liberarunt, liceat nobis ceteríſque rerum Francicarum Scriptoribus id ad ſingularem Francorum laudem aſſerere, quod de die, quo Franci Saracenos in agro Pictauienſi profligarunt, à Ioanne Mariana [a], viro Hiſpano, non ad Francorum modò ſed ad omnium Chriſtianorum commendationem ſcriptum legimus. *Hic dies lætiſſimus Chriſtianis illuxit, non tam victoriæ præſentis fructu, etſi clariſſima fuit, quàm quòd eſſet documentum datum, inuictam eatenus* Saracenorum *gentem*, quæ

[a] Lib. 7. cap. 3.

recenter Hiſpaniam Septimaniámque ſubegerat, *noſtrorum* (quos Francos interpretamur, Mariana Chriſtianos) *virtute ſuperari poſſe*. Nec aliud edocebunt multa, quæ de variis Saracenorum ſtragibus ad annos Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum, ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum, & ſeptingenteſimum triceſimum-nonum hoc Tomo referemus, plura quoque ſubſequentibus Tomis enarraturi. AN. CH. 721. CHLPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

XXXII. EPISCOPI TOLOSANI.

Epiſcopi, qui per illa tempora Toloſanam Eccleſiam rexit, periit omnino memoria. Manci ſunt, qui prodierunt hactenus in lucem, Toloſanorum Epiſcoporum Catalogi. Poſt Mennam, quem anno Chriſti ſexcenteſimo primo ſediſſe Gregorius Magnus [a] in ſuis literis teſtatur, à Catello [b] recenſentur, Sedocus, Sanctus Erembertus, Villegiſelus, Sanctus Siluinus, & Arruſo Carolo Magno Regi ſynchronus. Willegiſelum Sancto Eremberto rectè præponunt Sammarthani, nam teſte Flodoardo [c] Willegiſelus anno Chriſti ſexcenteſimo vigeſimo-quinto Synodum Remenſem cum aliis Præſulibus celebrauit, & anno pòſt triceſimo Regnum iniit Clotarius Tertius, quo regnante promotus eſt ad Epiſcopatum Erembertus, vt Auctor vitæ tradit. Sedocus, aut potius Senocus, Eloſanæ Sedi reſtituendus eſt, id ex Fredegario [d] iam docuimus [e]. Sancto Siluino, de quo prolixè diſſeruimus anno ſuperiori, nec Toloſana, nec alia Diœceſis determinatè tribuenda. Sancti igitur Eremberti, qui Pontificatum ſub Clotario Tertio geſſit, ſucceſſores vſque ad Arruſonem ſiue ad ætatem vſque Caroli Magni hodie deſiderantur.

[a] Lib. 9. ep. 12.
[b] Lib. 5. Hiſt. Linguodoch.
[c] Lib. 2. c. 5.
[d] Cap. 54.
[e] Ad an. 6.6. n. 3.

XXXIII. HVBERTVS EP. RELIQVIAS S. LAMBERTI TRAIECTO TRANSFERT LEODIVM.

Hubertus Traiectenſis Epiſcopus, qui ſuperiore anno, Pontificatûs ſui duodecimo, per crebras viſiones admonitus fuerat, vt Sancti Lamberti deceſſoris ſui Reliquias Traiecto * Legiam * ad locum Martyrij transferret, id ipſum hoc anno, ſui Præſulatûs decimo-tertio præſtitit. Totum negotium, vt geſtum eſt, Auctor coætaneus in eius vita ſic deſcripſit. *In quodam meditullio poſitus, cùm neque viſioni certam fidem tribueret, neque omnimodis ei diffideret, quod ſibi occultum erat, indicauit à Domino quærendum. Nam indicto cunctis tam monaſterialibus, quam & ciuitatis Clericis, necnon & laicis ieiunio, quæ ſibi voluntas de his agere præciperet, magnoperè requirere ſtuduit. Tandémque edoctus, ancipiti ſubmotâ ſententiâ, tertio-decimo anno ſui Præſulatûs, cætu Clericorum ſibi adiuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Epiſcopis & Sacerdotibus, tumulum venerandi viri,* Lamberti videlicet deceſſoris, *adiit. Ibidémque ſpirituales obſeruantes excubias, Diuinitatémque pulſantes precibus, honorantes laudibus rogabant, vt quæ Antiſtiti ſuo facienda mandauerat, quò perficerentur, cæptis annueret, ſecundóſque prouentus attribuendo, ſuam voluntatem, vt taliter fierent, cunctis palàm oſtenderet. Quorum piis votis Omnipotentiæ Diuinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione vrnam, quâ ſanctiſſimus cinis conditus ſeruabatur, adeuntes, abſque aliqua difficultate buſta beati viri ex loculo protulere, & cum magno gaudio, quà venerant, pedem referentes, in loco, quo paſſus eſt, terræ mandauere.*

* *Maſtrich.*
* *Liege.*

XXXIV.

Tranſlatio Sancti Lamberti celebratur quarto Kalendas Maij, cui diei litera F præfigitur in Kalendario. Bucherius ſub finem diſputationis Hiſtoricæ *de primis Tungrorum Epiſcopis* vult diem illum Dominicum fuiſſe, *quo tales*, inquit [f], *ſolennitates vt plurimùm peragi ſolent*, ideóque Tranſlationem, de qua nunc agimus, conſignat anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, qui literâ Dominicali F præditus fuit, numeratúrque decimus-tertius ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto, quo Lambertum cæſum contendit decimo-quinto Kalendas Octobris, die Dominico, currente tum literâ Dominicali A.

[f] Cap. 6 n. 102.

XXXV.

Cur in aſſignandis annis Traiectenſium Epiſcoporum ab opinione Bucherij receſſerimus, expoſuimus ſuis locis. De ſola circa Sancti Lamberti Pontificatum diſcrepantia paucis hîc agemus. Theodardus, vt prævalidè probauimus, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-octauo Martyrium paſſus eſt. Ei ſucceſſit in Epiſcopatum Traiectenſem Lambertus, qui *quadraginta*

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

annis, vt Auctor ſuppar in Sancti Huberti vita teſtatur, apicem Pontificalem ſtrenuè tulit. Interemptus eſt igitur anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, & annus Huberti ſucceſſoris decimus-tertius, quo Reliquiæ Sancti Lamberti Leodium tranſlatæ ſunt, cum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo coincidit. Nec te moueat, quod dies decimus-quintus ante Kalendas Octobres, qui paſſione Sancti Lamberti celeberrimus eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo non fuit Dominicus, ſed incidit in feriam ſecundam. Bucherius enim gratis ait beatum Lambertum die Dominico necatum eſſe, nec illam diei Dominici circumſtantiam vllâ probat probaréue poteſt auctoritate, licèt in magno numero ſint iique ſatis antiqui Scriptores, qui tanti Martyris vitam literis commendarunt.

XXXVI. Vt beati Lamberti Martyrium, ſic & eius Tranſlationem feriâ quoque ſecundâ, Martyrium decimo-quinto Kalendas Octobris anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo, Tranſlationem quarto Kalendas Maias anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo collocare non dubitamus. Tranſlationes *vt plurimùm* die Dominico fieri ſolitas haud diffitemur, ſed negamus nullam omnino ac ne quidem illam de qua ſermonem habemus alio die factam fuiſſe. Bucherius, vt Sancti Lamberti Tranſlationem die Dominico peractam confirmet, hanc addit in margine notatiunculam. *Ita etiam innuit Godeſchalcus cap.* 14. Sed & id notat gratis. Nihil enim ſimile toto capite decimo-quarto Godeſchalci legitur, in quo tamen occurrunt multa, quæ pertinent ad prædictam narrationem, & in vita Sancti Huberti deſiderantur.

XXXVII. Ne fortè Scriptori pereruditо, quem ſæpè commendamus, hoc loco videamur imponere, textum ipſum Godeſchalci deſcriptum accipe. *Suffragante Deo narrare volumus, quòd nuper poſt aliquot annos Sanctus Lambertus cuidam viro venerabili apparens dixit corpus ſuum Leodium transferri oportere. Hoc idem Sacerdotibus & fidelibus viris Deum timentibus multimodâ viſionum apparitione reuelatum eſt. Sanctus autem Hubertus, quondam illius diſcipulus, illo tempore Pontificatum procurans, auditis, cum prædictis miraculis, his viſionum præceptis, cum timore Dei, omnem rei certitudinem ſciſcitatur, & cognitâ veritate, ſcilicet quòd Dei nutu hæc diſponi conſtaret, bonorum virorum annitente adiutorio & conſilio deliberauit, vt abſque dilatione corpus ſanctiſſimum ad locum prædeſtinatum cum magno honore deferretur. Præparauit etiam indumenta cultiora, & omnia, quæ eſſent neceſſaria in ſacratiſſimi corporis diuerſis impendiis, & acceſſit illuc cum multorum Sacerdotum & omnium Eccleſiaſticorum graduum comitatu, & cum Chriſtianorum multorum frequentia, qui ſecundùm ritum diuinæ religionis, Pſalmos & Hymnos decantarent. At venerabilia membra Chriſti Martyris, odore ſuauiſſimo fragrantia, Hubertus Pontifex ſalua & intemerata inuenit, quæ cum timore & honore, imo de ſepulchro eleuans, pretioſis veſtimentis inuoluit, ea verò, quibus fuerat tempore ſepulturæ indutus, ſub ſigillis ſignata repoſuit. Hinc inde fratrum fideliter pſallentium chori ſuauiſſimâ organorum & cymbalorum modulatione concinebant, & hinc Angelica agmina pſallentia & de triumpho Sancti Martyris Deum laudantia, ab idoneis teſtibus & viſa & audita ſunt. Et populus Traiectenſis concentu & gemitu, Antiphonarum quoque lugubri proſequutione, concrepuit præ magnitudine mæſtitiæ, vix hæc ſequentia lamenta proſequens. O Paſtor bone, cui hanc plebem ſeruandam committis? ô dulcedo pauperum! ô fortitudo debilium! ô lumen oculorum! ô ſuſtentaculum nutantium, noli deſerere eos, quos diuinis verbis & exhortationibus ſpiritualibus, more patris filium corrigentis, conſolabaris. His dictis, turba multa Sanctum Lambertum proſequebatur Leodium petentem. Refocillatâ autem plebe in villa Niuella vocata, contigit cæcum quendam cupientem feretrum ſancti corporis tangere, & ſpe recipiendi viſûs illuc aduenire, & antequàm feretrum attingeret, viſum recepit, & cum magnis vocibus gaudium cordis ſui demonſtrans, & laudibus, per Deum Sanctum Lambertum omnia poſſe denuntians, pariter cum populo corpus eius ſubſequebatur. Exinde procedentes continuato itinere in villam Harmalia dictam deuenerunt, vbi pauxillùm eis quieſcentibus, ad augendam populi fidem,*

Digitized by Google

& famam Sancti ſui perſonandam, allatus eſt contractus in locum, qui cùm aſpexiſſet feretrum, ſubitò omni compagine membrorum ſolidatâ & confirmatâ proſequutus eſt illud, & omnis populus glorificabat Deum. In præfatis autem locis, vbi, Deo annuente, hæ virtutes patratæ ſunt, à fidelibus & deuotis Chriſtianis Baſilicæ venerabiles in honore Sancti Lamberti ædificatæ ſunt. Poſt hæc ad optatum locum appropinquat. At omnes habitatores loci illius gaudentes, in occurſum ſancto corpori (quod diu deſiderauerant loco Paſſionis reportari) exeuntes, cum magno honore ſuſcipiunt, & condignum ei parant diuerſorium, intra ſepta clauſuræ ſuæ complectens Martyrij eius ædiculam, quod opere artificum mirabili & copioſâ mole auri & argenti & gemmarum lapidúmque pretioſorum, ac diuerſis ſtructuræ ſpeciebus ibidem à potentibus collatis ditatum eſt in tantùm vt vix ſermo exarantis queat exponere, ibíque, vt decebat, vrbana & honeſta memoria, ex ipſius Sancti Martyris præſentia, exorta eſt, vt omne decus & ſpecioſa compoſitio non ſolùm in Clero ſed etiam in plebe cœpit haberi, & in Dei veneratione populus, qui antè erat agreſtis & incultus, paulatim cœpit eſſe compoſitus, timoratus & religioſus. Hunc locum vndique conueniens multitudo nationum celebri laude nobilitat; hunc deuotio Chriſtiana frequentat; hunc omnis lingua celebrat; hunc, pro meritis tanti Patroni, grex in omnibus ſuis preſſuris adiutus, glorificat, beatificat, & longè latéque prædicando dilatat. Hic cæci lumen recipiunt, claudi greſſum, leproſi pruritu & ſcabie mundantur, paralytici à læſione ſua curantur, à dæmonibus vexati emundantur, & quicumque ſunt aliquâ debilitate diſſoluti reparantur. Sed ſi quis ſigillatim omnia mirabilia, quæ ibidem Deus per merita Sancti Lamberti aſſiduè operatur, aut geſta ſunt, nota facere voluerit, faſtidium legentibus ſuſcitabit. Nulla illic diei Dominici mentio. Si pertinaciùs contendas Tranſlationem illam die Dominico peractam eſſe, nobis ſubterfugium non deerit, nec inani coniecturâ nixum. Dicemus enim Sancti Lamberti corpus ex oppido Traiectenſi, vbi per annos duodecim menſéſque ſeptem quieuerat, auectum eſſe quinto Kalendas Maij die Dominico, & apud Leodium in Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani depoſitum eſſe quarto Kalendas Maij, feriâ ſecundâ, diémque Tranſlationis à Leodienſibus celebrari cœptum qui depoſitionis fuit intra Baſilicam Leodienſem.

AN.CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

XXXVIII. De Legiæ ſeu Leodij ſitu déque Eccleſia Sanctorum Coſmæ & Damiani, Nicolaus Canonicus Leodienſis in vita [a] Sancti Lamberti ſic ſcribit. *Vicus Legia in valle ſitus, inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus & fluuiolis per prona decurrentibus, valdè erat delectabilis & irriguus. Diſtat autem à Tungris versùs meridiem vix tribus miliaribus. Hunc locum, ſicut narrat antiquitas, & ſcripta patrum edocent, cùm beatus Monulphus, viceſimus-primus Tungrorum Epiſcopus, quadam die cum ſuis intrâſſet, captus ſitu & amœnitate ſubſtitit, propheticóque ſpiritu tactus, eia, inquit aſtantibus, locus, quem Dominus ad ſalutem multorum fidelium ſuorum elegit, & quem per merita cuiuſdam ſerui ſui poſtmodum magnificè illuſtratum ſummis ciuitatibus æquabit. Statímque Eccleſiolam illic ædificare præcepit, quam, in honorem Sanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum, Domino dedicauit.* Et Ægidius Aureæ Vallis Monachus in additionibus ad Harigerum [b]. *Beatus Monulphus Dionantum viſitaturus Caſtrum hæreditariè ſuum, in proficiſcendo cominus conſpicans villam in valle ſitam, inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus & fluuiolis per prona decurrentibus, valdè delectabilem & irriguam. Nam ab Occidentali & Septentrionali plaga montibus & ſyluis maximis claudebatur, per Meridianam verò partem Moſa fluuius reducto & curuato paulùm ſinu ambiens, inacceſſibilem faciebat; ſed quà Orientem ſpectat, adiri faciliùs poterat, montanis à Moſa aliquantulum recedentibus, ſéſeque iuxta eius ripam, quinque ferè miliaribus, vſque Traiectum in directam & ſpecioſam longitudinem clementer extendentibus. Diſtat & à Tungris versùs Meridiem vix tribus miliaribus. Hunc locum cùm beatus Epiſcopus Monulphus cum ſuis comitibus intrâſſet, captus ſitu & amœnitate eius ſubſtitit, vocabulum loci quæſiuit, Legiam nominatam audiuit. Móxque prophetico tactus ſpiritu, eia, inquit aſtantibus, locus*

[a] Cap. 16.

[b] Cap. 55.

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

quem Dominus ad ſalutem multorum fidelium ſuorum elegit, & quem per merita cuiuſdam ſerui ſui poſtmodum magnificè illuſtratum ſummis ciuitatibus æquabit. Statímque deſcendit, locum orationis deſignauit, conſtructam Eccleſiam in honore Sanctorum Coſmæ & Damiani Martyrum Domino conſecrauit, quam poſtmodum Sanctus Martyr Lambertus ſuo ſacro ſanguine nobilitauit. De Sancto Monulpho actum Tomis noſtrorum Annalium primo & ſecundo, Pontificatum enim ab anno Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ad annum vſque Chriſti quingenteſimum vndenonageſimum geſſit, dictus eſt à nobis Epiſcopus Traiectenſis, quia Sedes Epiſcopalis Tungris Traiectum ad Moſam iam tranſlata erat.

XXXIX. Cvm Sede Episcopali.

Hubertus Epiſcopus Traiecto Leodium non tantùm Reliquias S. Lamberti ſed & Cathedram Pontificalem tranſtulit. Deinceps à Legia ſeu Leodio Legienſes ac Leodienſes vocati ſunt Epiſcopi, qui priùs à ſuperiori Traiecto Traiectenſes, atque antiquiſſimè à Tungris Tungrenſes appellabantur. Legia vicus erat perexiguus ætate Sancti Monulphi Traiectenſis Epiſcopi; creuit temporibus Sancti Lamberti poſtquàm hic ibi Sanctum Theodardum deceſſorem ſuum ſepulturâ donauit; auctus eſt plurimùm poſt Martyrium Sancti Lamberti, locus enim Paſſionis à populis etiam remotis orationis gratiâ frequentari cœpit; denique recuperato Sancti Lamberti corpore ſub Huberto Epiſcopo in vrbem euaſit, cuius pomœria poſteris ſeculis adeò dilatata ſunt, vt inter nobiliſſimas Europæ ciuitates hodie nomen ſibi comparet. Par fermè obſeruatio de Sancti Lamberti Baſilica fieri debet. Quam enim ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum [a] in loco Martyrij, vbi primùm Sanctus Monulphus Oratorium Deo in honorem Sanctorum Coſmæ & Damiani dedicarat, apud Leodium extructam obſeruauimus, poſt Sancti Lamberti Tranſlationem amplificauit plurimùm miréque exornauit Hubertus Epiſcopus, vt Auctor vitæ coætaneus infrà citandus docet. Bartholomæus Fiſenus in Sancto Huberto, capitibus tertio & quarto, multa ſcribit, quorum nullum apud antiquos Auctores extat veſtigium. Imprimis caue ne credas Epiſcopalem Cathedram Traiecto Leodium tranſlatam eſſe ex prouincialium Epiſcoporum Decreto, qui iuſſu Ioannis Papæ Septimi, quem Hubertus Epiſcopus conſuluiſſet, ea ſuper re Synodum habuerint. Ad annum enim Chriſti ſeptingenteſimum nonum, quo Fiſenus Reliquias Sancti Lamberti Legiam cum Epiſcopali Sede tranſlatas ait, haud peruenit Ioannes Papa Septimus, obiit quippe ſepultúſque eſt, vt Anaſtaſius teſtatur, *ſub die* 15. *Kalend. Nouembris, Indictione ſextâ*, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo.

[a] Num. 3.

XL.

Adrianus *de la Morliere* libro ſecundo [b] Antiquitatum Ambianenſium, ex vita [c] Sancti Huberti à Ioanne *Roberti* publicata refert *Tranſlationi* Sancti Lamberti *adfuiſſe Annonem Archiepiſcopum Rhemenſem, Vindicianum Epiſcopum Atrebatenſem, Garulfum Tornacenſem, Dominicum Ambianenſem & Willebrordum Vltraiectenſem.* Sammarthani in auctiore Gallia Chriſtiana, vbi Catalogum Ambianenſium Epiſcoporum contexunt, eoſdem Pontifices, quos Adrianus Morlierius enumerauit, prædictæ Tranſlationi præſentes interfuiſſe volunt, ſed Annonem ſimpliciter Archiepiſcopum vocant ſuppreſſo Sedis nomine, nec malè, non enim Remenſi ſed Colonienſi Cathedræ inſedit Anno, de quo iam locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum [d]. Fiſenus vtrumque Metropolitanum nominauit, Annonem Colonienſem, Remenſem Robertum, ſeu Rigobertum; addidit & Agrebertum Epiſcopum Virodunenſem, ſed hic à multis annis obierat. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana, cùm agit de Dominico Epiſcopo Ambianenſi, ſcribit illum Tranſlationi Sancti Lamberti adfuiſſe *cum Herkemboldo Nouiomenſi & Vindiciano Atrebatenſi*, ſed error in textum irrepſit, Erkenbodus enim Morinenſem Epiſcopatum geſſit, Nouiomenſem minimè. Quicquid autem Claudius *Robert* & Ioannes *Roberti* aliique de Erkenbodo déque Vindiciano pronuntient, Tranſlatio Sancti Lamberti facta eſt Vindiciano Epiſcopo

[b] In Epiſc. 15.
[c] Annot. 75.
[d] Num. 1.

Digitized by Google

mortuo & Erkenbodo ſiue Erkenbodone nondum Epiſcopo. De ceteris Epiſcopis antè nominatis conuenimus. Coloniæ ſedebat Anno. Tornacenſis Epiſcopus erat Garulfus, in Nouiomenſium enim ac Tornacenſium Epiſcoporum Nomenclatura poſt Mummolinum, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum incidit, recenſentur Hautgarius & Gunduinus de quibus ſuprà, tum Garulfus ſeu Guarulfus, cui poſt Sancti Lamberti Tranſlationem mortuo ſucceſſit hoc ipſo anno Framengerus, vt poſt biennium probabimus. Eccleſiam Ambianenſem regebat Dominicus, ſucceſſerat enim Verſimanno ſeu Bertmanno, hic autem Theodofrido qui viuebat anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo. Traiectenſi ſiue Vltraiectinæ vel inferioris Traiecti Diœceſi præerat Willibrordus Epiſcopus, cui propter morum virtutúmque ſimilitudinem ac locorum viciniam maxima fuit amicitia cum Lamberto & Huberto ſuperioris Traiecti ſanctiſſimis Epiſcopis. Claudius Robertus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo Tranſlationem Sancti Lamberti conſignat, nos anno ſequenti. Si Tranſlatio hæc facta eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, vt Bucherius, Morlierius, Fiſenus, Sammarthani, aliíque multi opinantur, ſedebat tunc Remis Robertus ſeu Rigobertus qui poſteà pulſus eſt in exilium à Carolo Maiore-domûs, & Eccleſiam Virodunenſem adminiſtrabat Agrebertus ſiue Aggrebardus Epiſcopus, qui eodem illo anno, Childeberti Tertij Regis decimo-quinto, chartæ pro Monaſterio Sancti Michaelis ad Moſam ſubſcripſit, ſed Vindicianus Atrebatenſis Epiſcopus ante quadriennium ex hac vita diſceſſerat, & Erkenbodus Epiſcopatum Morinenſem ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum non obtinuit. AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

XLI. E præcipuis rationibus, quibus tueri ſe plerique Neotericorum conantur, qui Reliquias Sancti Lamberti Traiecto Leodium anno Chriſti ſeptingenteſimo nono tranſlatas ſcribunt, hanc eſſe ſemper putauimus, quòd Grimoaldum, Pippini Herſtallij filium, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, Leodij in Baſilica Sancti Lamberti peremptum legerint, ídque nominis huic Eccleſiæ poſt prædictam Tranſlationem inditum arbitrentur. At Godeſchalcus [a], cuius auctoritas potentiſſima eſt, affirmat *in villa Leodio intra Oratorium, vbi Sanctus Dei felicem fudit cruorem*, patrata ſtatim crebra miracula, ibíque prælaudati Martyris *honori & nomini* ædificatam Eccleſiam à plebe in admirationem tot tantorúmque prodigiorum rapta, cùm locus ille corpore Martyris apud Traiectum adhuc quieſcente careret. *Quibus*, inquit, miraculis *auditis, cæperunt multi de longè & de vicino venerationem debitam Sancto Dei exhibere, & eundem locum reuerenter frequentare, ſtudioſéque ei quaſi præſenti deſeruire, & ſuis eum neceſſitatibus aduocare. Poſtmodum ibidem populus cœpit eius honori & nomini ædificare (ex virtutum illius magnificentia & admiratione animatus) honeſti cultûs Eccleſiam, quæ ad augmentum dilatandæ gloriæ eius multùm profecit, vt quamuis ille locus eius careret corpore, tamen & ex ædificio Eccleſiæ pateret, & ex meritis & miraculis ipſius, quod ibi ſemper præſens eſſet. Quod non ideo factum eſt, quaſi non niſi Eccleſiæ adiutorio non poſſet eum Dominus famoſum facere omni mundo, ſed vt populum, præ oculis habitâ Eccleſiâ, faceret illius memorem eſſe, faceret etiam deuotiorem & frequentiorem in eius expetendis ſuffragiis.* Eccleſiam illam Sancti Lamberti recenter ædificatam adiit, in eâque trucidatus eſt Grimoaldus Pippini Herſtallij filius, anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo decimo-quarto, poſt eiuſdem Sancti Lamberti Martyrium ſexto, & ante illius Tranſlationem ſeptimo. Noſtræ igitur Chronologiæ non refragantur antiqui Scriptores, qui Grimoaldum Leodij in Eccleſia Sancti Lamberti necatum aſſerunt.

[a] Cap. 12.

XLII. LEODII ÆDIFICAT ECCLESIAS. Baſilicam, in qua Reliquiæ Sancti Lamberti Martyris apud Leodium reconditæ ſunt, ab Huberto Epiſcopo, cuius miniſterio illuc ex oppido Traiectenſi tranſlatæ ſunt, amplificatam miréque exornatam fuiſſe ſic inſinuat Auctor coætaneus in eiuſdem Sancti Huberti vita. *Fabrica eiuſdem Baſilicæ,*

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

quâ beati viri Lamberti *conditæ ſunt Reliquiæ, qualiter ab eodem Sancto viro Huberto ordinata ſit, quia oculis videntium ſe offert, de ea aliquid dicere ſuperſedi.* Prætereà idem Hubertus teſte eodem Anonymo aliam Eccleſiam apud Leodium erexit, Deóque in honorem Principis Apoſtolorum dedicauit. Fiſenus ibi primùm Monachos, quibus poſteà Canonici ſucceſſerint, inſtitutos ſic tradit. *Proximum in extremo Publici montis iugo condidit Hubertus Sancti Petri Monaſterium, quindenísque Monachis addixit, quibus deinde Canonici ſucceſſere.* Subdit hic Auctor clauem, quam Hubertus Romæ à Sancto Petro ſibi delatam acceperat, diu ſeruatam fuiſſe, donec iniuria temporum periit. *Hic*, id eſt, in Baſilica Sancti Petri, *clauem auream, quam Sancti Petri munus fuiſſe diximus, ſeruandam dediſſe fertur; exiſtimántque temporum iniuriâ periiſſe, cùm, quæ oſtenditur, nimis vilis ſit vel materiâ vel artificio, alteríque priori ſubſtituta videtur, ne illius omnis efflueret memoria.* Hæc ille. Quid autem de Huberti peregrinatione ad Apoſtolorum limina ſentiendum putaremus, expoſuimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum [a], quo Sanctus Lambertus Martyrium ſubiit.

[a] Num 43.

XLIII. AVGET CVLTVM SANCTORVM.

Alia tria Fiſenus de Huberto commemorat, quæ pertinent ad cultum Sanctorum, & ad commendationem Eccleſiæ Leodienſis, nec hoc loco videntur omittenda. Thecam, in qua ſacræ exuuiæ Sancti Lamberti continebantur, Hubertus auro gemmíſque adornauit. Sacros beati Theodardi cineres, quos Lambertus Traiectenſis Epiſcopus Leodij ſepelierat, idem Hubertus terrâ eduxit ac populo colendos exhibuit. Nec contentus ſanctiſſimos deceſſores ſuos Theodardum & Lambertum tali cultu & officio ſibi ſuíſque Diœceſanis conciliaſſe, nouum aliquod & præcipui cuiuſdam roboris ſubſidium à finitimo Epiſcopatu Cameracenſi acceſſiuit, & S. Madelbertæ virginis, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinto conſignauimus, ſacrum corpus Malbodio, vbi Monialibus cum Abbatiſſæ titulo præfuerat, in vrbem Legiam, vbi etiamnum quieſcit, feliciter aduexit.

XLIV. E MVLTIS REGIONIBVS EXTIRPAT IDOLOLATRIAM.

Intra Leodienſis vrbis pomœrium haud coercita eſt Huberti Epiſcopi vigilantia, ſed latiùs diffuſa idololatriam ex Arduenna, è Taxandria & ex Brachbante ſeu Brachbanto penitus expulit. De illarum regionum ſitu dictum alibi. A Brachbante ſeu Brachbanto poſteri Brabantiam deriuarunt, cui variæ rerum viciſſitudines terminos longè ſpatioſiores fecerunt. Egregios Huberti labores aduersùs idololatras cum multis miraculis, quibus ſuperſedemus, in eius vita copioſè deſcripſit Auctor [b] coætanæus, quem conſule ſi lubet.

[b] Ap. Surium d. 3. Nou.

XLV. Inter Epiſcopos, qui Tranſlationi Sancti Lamberti Martyris, hoc anno, menſe Aprili, præſentes interfuerunt, Erkenbodoni locum meritò abiudicauimus. Erkenbodo enim Abbas Sitiuenſis hoc eodem anno, menſe Nouembri, Morinenſem Epiſcopatum nondum obtinebat, cùm Theodoricus Rex proaui ſui æquiuoci largitiones Monaſterio Sitiuenſi factas confirmauit. Extant pro illo Cœnobio duo Præcepta Regia, primo Theodorici Regis anno data, vnum die tertio Martij, alterum die decimo Nouembris. De vtroque mentionem Iperius in Chronico Bertiniano ſub Dagoberto Rege ſic facit. *Anno ſuo primo D. Erkembodoni Abbati noſtro conceſſit Priuilegium libertatis & confirmationis, quod ſic incipit. Theodericus Rex Francorum, vir illuſter, Graſionibus, ſeu & omnibus agentibus, &c. Data, quando fecit Martius dies tres, anno primo Regni noſtri. Item aliud de terris, quas S. Bertinus adhuc viuens emerat de fiſco Regum, quod ſic incipit. Theodericus Rex Francorum. Quem diuina pietas, &c. Data, quando fecit Nouember dies decem anno primo Regni noſtri.* Ceterùm, quia Præceptum, quod die tertio Martij datum eſt, præponitur alteri, quod decimo Nouembris emiſſum eſt, & vtrumque primo Theodorici Regis anno datum reperitur, inde præualidum eruitur argumentum, vt eundem Theodoricum hoc anno ante menſem Martium in ſolio Regio collocatum probes.

Primum

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

XLVI. Primum illorum Diplomatum Miræus inter Belgica [a] ſic integrum deſcripſit. *Theodericus Rex Francorum, Vir Illuſter, Grauionibus ſeu & omnibus Agentibus vel Iunioribus eorum, tam præſentibus quàm futuris, in . . . . . , actionibus Monaſterij Sithin . . . . . . Si facta parentum noſtrorum, quæ ad loca Sanctorum præſtiterunt vel conceſſerunt, per noſtra oracula confirmamus, dignâ conſuetudine exercemus hoc ideo vt nobis ad laudem vel ſtabilitatem Regni noſtri, in Dei Nomine, pertinere confidamus. Igitur Venerabilis Vir Erkembodus Abbas de Monaſterio Sithiu, quod eſt in pago Taruanenſi, in honore S. Mariæ Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, necnon & SS. Petri & Pauli Apoſtolorum vel ceterorum dominorum Sanctorum conſtructum, ad noſtram acceſſit præſentiam, & Clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit eò quòd proauus noſter Clodouæus quondam Rex de omnibus curtibus vel villis ipſius Monaſterij, quidquid eo tempore poſſidebant, aut adhuc in anteà ex munere Regum, vel de collato populi, ſeu de comparato, aut de comparando, aut de quolibet attracto, in quibuſlibet pagis aut territoriis inibi additum eſt vel collatum, integrâ emunitate Anteceſſori ſuo Bertino quondam, vel ad prædictum Monaſterium conceſſiſſet, vt nullus Iudex publicus ibidem ad cauſſas audiendas, aut freda exactanda, vel fideiuſſores tollendos, nec manſiones aut paratas faciendas, nec homines ipſius Monaſterij, tam ingenuos quàm & ſeruientes, qui ſuper terras ſuas commanent, diſtringendos, nec vllas redibitiones requirendas nec exactandas. Iudiciaria ibidem poteſtas ingredi non præſumat, niſi ſub noſtræ emunitatis nomine, omni tempore cum omnibus fredis conceſſum pars ipſius Monaſterij perenniter debeat poſſidere. Vnde & Præceptionem ipſius Principis proaui noſtri Clodouæi, cum confirmationibus prædeceſſorum auunculorum noſtrorum Clotarij & Childerici, ſeu auorum noſtrorum Theoderici & Childeberti, atque conſobrini noſtri Chilperici quondam Regis, ex hoc præ manibus habere affirmat, vt & ipſa beneficia conceſſa ab eo tempore vſque nunc videantur eſſe confirmata. Sed pro integritatis firmitate petiit à Celſitudine noſtra memoratus Erkembodus Abbas, vt hoc erga ipſum locum per noſtram auctoritatem pleniùs in Dei nomine confirmare deberemus. Cuius petitioni, ad mercedis noſtræ augmentum vel reuerentiam ipſius ſancti loci, ita præſtitiſſe, & in omnibus confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim præcipimus, vt quidquid conſtat ſupraſcriptum proauum Clodouæum quondam Regem de ipſa emunitate, ſicut ſuperiùs eſt comprehenſum, conceſſiſſe præfato Bertino Anteceſſori ſuo, vel poſteà ipſi auunculi, vel auus noſter, Clotharius & Theodericus, Childebertus & Chilpericus, etiam & confirmationes conſobrini noſtri Chilperici quondam Regis tempore vſque nunc recto tramite ſunt conſeruatæ, ita & in poſtmodum per noſtrum Præceptum pleniùs in Dei Nomine confirmemus inſpectas ipſas Præceptiones ſupraſcriptorum Principum, ſicut per eaſdem declaratur circa ipſum Erkembodum Abbatem vel ſucceſſores ſuos, aut circa ipſum locum Sithiu omni tempore ipſa beneficia conceſſa in omnibus valeant eſſe conſeruata, & nullam refragationem nec vllum impedimentum à Iudicibus publicis exinde quoquam tempore habere non pertimeſcant. Vnde & ipſa Congregatio pro ſtabilitate Regni noſtri vel ſalute patriæ, Domini miſericordiam iugiter debeat exorare. Et vt hæc auctoritas firmior habeatur, & in omnibus conſeruetur, manûs noſtræ ſubſcriptionibus eam decreuimus affirmare. Signum Glorioſi Regis Theoderici. Data quando fecit Martius dies tres, anno primo Regni noſtri, Sueſſionis ciuitate, in Dei Nomine feliciter.*

[a] Tom. 1. c. 6.

PRÆCEPTA REGIA PRO MON. SITIVENSI.

XLVII. Editis Diplomatibus Belgicis, idem Miræus altero pòſt anno fragmentum Præcepti ſuprà deſcripti rurſum publicauit in Notitia [b] Eccleſiarum Belgij, ſed adeò infeliciter, vt omiſsâ periodo, quæ Genealogiam Regum Francorum ſatis clarè delineabat, alteram exhibuerit, quæ Lectorem plurimùm torquet, quia eſt deprauata egétque emendatione. Operæpretium videtur vtramque repetere.

[b] cap. 15.

XLVIII. Prior talis eſt. *Vnde & Præceptionem ipſius Principis proaui noſtri Clodouæi, cum confirmationibus prædeceſſorum auunculorum noſtrorum Clotarij & Childerici, ſeu auorum noſtrorum Theoderici & Childeberti, atque conſobrini noſtri Chilperici quondam Regis, ex hoc præ manibus habere affirmat, vt & ipſa beneficia conceſſa ab eo*

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

tempore vſque nunc videantur eſſe confirmata. Theodoricus proaui auorúmque nominibus Reges deſignat à quibus originem per lineam rectam trahit, auunculos verò vocat eos, qui fratres eorumdem Regum extiterunt, appellátque conſobrinum cui pater fuit quiſpiam ex prædictis auunculis. Neminem in antiquis monumentis illorum temporum vel mediocriter verſatum fugere poteſt hæc interpretatio. Theodoricus patrem habuit Dagobertum Tertium, auum Childebertum Tertium, proauum Theodoricum Tertium, abauum Clodoueum Secundum, maiores patruos ſeu fratres proaui Clotarium Tertium & Childericum Secundum, agnatum Chilpericum Tertium Childerici Secundi maioris patrui filium. Proauum igitur Clodoueum Secundum minùs propriè vocat, quem nuncupare debet abauum. Deinde Theodorico & Childeberto nomen aui ſimul tribuit, idque minùs exactè, vtrique enim vel eorum ſaltem alteri talem titulum abiudicet neceſſe eſt, auus ei Childebertus Tertius, proauus Theodoricus Tertius. Præterea Clotarium & Childericum auunculos impropriè vocat. Vitium eſt Auctoribus illius ſeculi valdè familiare, vt auunculos pro patruis in ſuis ſcriptis vſurpent. In propria ſignificatione patrui ſunt qui fratres patris, & vt Dagoberto Tertio nullus frater fuit, ita nec vllus patruus prædicto Theodorico Dagoberti Tertij filio. Patruos igitur apud Theodoricum auunculorum loco repoſuiſſe non ſufficit, niſi patruos interpreteris maiores patruos ſeu fratres proaui. Vt enim patruus eſt qui frater patris, ſic magnus patruus eſt qui frater aui, & maior patruus qui frater proaui. Clotarius autem Tertius & Childericus Tertius fratres extiterunt Theodorici Tertij, qui proauus fuit Theodorici Quarti. Denique hic Theodoricus Chilpericum Tertium conſobrinum appellat, quem agnatum nuncupare debet, ambo enim per virilis ſexûs perſonas cognatione coniunguntur, quia Clodouei Secundi nepos eſt Chilpericus Tertius, per Childericum Secundum, abnepos Theodoricus Quartus per Theodericum Tertium, Childebertum Tertium & Dagobertum Tertium. Hæc autem omnia clariùs ex ſequenti Tabula patefient.

	Clodoueus II.	
Clotarius III.	Childericus II.	Theodoricus III.
	Chilpericus III.	Childebertus III.
		Dagobertus III.
		Theodoricus IV.

XLIX. Poſterior periodus talis eſt. *Quicquid conſtat ſupraſcriptum proauum Clodoueum quondam Regem de ipſa emunitate, ſicut ſuperiùs eſt comprehenſum, conceſſiſſe præfato Bertino Anteceſſori ſuo, vel poſteà ipſi auunculi, vel auus noſter Clotharius & Theodericus, Childebertus & Chilpericus, etiam & confirmationes conſobrini noſtri Chilperici quondam Regis iuſtè & rationabiliter conceſſerunt vel confirmauerunt.* Hæc periodus cum priori conuenit in Clodoueo proauo ſiue abauo & in Chilperico conſobrino ſiue agnato, ſed in cæteris multùm differt. *Ipſi*, inquit, *auunculi, vel auus noſter Clotharius & Theodericus, Childebertus & Chilpericus.* Prior vt auunculos ſic & auos in plurali numero dicit. Auunculos, id eſt, maiores patruos vocat Clotarium & Childericum; auos, id eſt, proauum & auum, Theodoricum & Childebertum nuncupat. Hæc autem auunculos ſeu maiores patruos appellat Clotarium & Theodoricum, auum Childebertum, additque Chilpericum ab altero Chilperico conſobrino ſiue agna-

to diſtinctum. Sed Theodoricum proauum non fratrem proaui vel maiorem patruum vocare debet, & Chilperici loco reſtituere Childericum Clotarij fratrem maiorémque patruum Theodorici Quarti. Sic igitur corrigenda eſt, vt priori fiat conſentanea. *Quicquid conſtat ſupraſcriptum proauum Clodoueum quondam Regem de ipſa emunitate, ſicut ſuperiùs eſt comprehenſum, conceſſiſſe præfato Bertino Anteceſſori ſuo, vel poſteà ipſi auunculi Clotharius & Childericus, vel aui noſtri Theodericus & Childebertus, etiam & confirmationes conſobrini noſtri Chilperici quondam Regis iuſtè & rationabiliter conceſſerunt vel confirmauerunt.*

L. Vixit Bertinus in Monaſterio Sitiuenſi ſub Clodoueo Secundo, eiúſque filiis, Clotario Tertio, Childerico Secundo, Theodorico Tertio, ac nepotibus Clodoueo Tertio & Childeberto Tertio. Sitiuenſi Cœnobio *vndecim Priuilegia Regio communita chirographo, quot & quanta nullus*, vt Malbrancus [a] credit, *vnquam Præſul in Galliа impetrauit*. Poſt Childebertum Tertium, quo regnante Bertinus obiit, Regnum tenuit Dagobertus Tertius, tum Chilpericus Tertius. Hic anno Regni ſui tertio rogatus ab Erkenbodo Abbate donationes Sitiuenſi Monaſterio anteà factas confirmauit. Idcircò Theodoricus Quartus in ſuo Diplomate non tantùm mentionem facit Regiorum Præceptorum, quæ Bertino Clodoueus Secundus abauus, Clotarius Tertius & Childericus Secundus maiores patrui, Theodoricus Tertius proauus, & Childebertus Tertius auus conceſſerunt, ſed & peculiariter meminit prædictæ confirmationis à Chilperico Tertio emiſſæ & à nobis ante triennium [b] laudatæ.

LI. Super Clodoueo Secundo non leuis oboriri videtur difficultas, quia Bertinus Abbas eſſe cœpit regnante iam Clotario eiuſdem Clodouei filio.

LII. Quæſtionem paucis enodabimus. Clodoueus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, cùm Adroaldus vir prædiues ad ædificandum Monaſterium villam ſuam *Sithiu* piiſſimis Monachis, Bertino, Mummolino & Ebertramno tradidit, annum Regni vndecimum agebat in Neuſtria & Burgundia. Regiam emunitatem, cuius formulam à nobis Tomo primo [c] ex Marculfo deſcriptam conſule, ſtatim conceſſit Bertino, qui primarium locum inter prædictos Monachos obtinebat. Actum poſteà de præficiendo Abbate, penes quem cura Monaſterij foret, Mummolinus Bertino prælatus eſt, vtpote grandior ætate, quin & Ebertramnus Abbas Sancti Quintini priùs factus eſt, quàm Bertinus Mummolino ad Epiſcopatum Nouiomenſem promoto in munus Abbatiale ſuccederet, vnde fit, vt in antiquis monumentis illorum temporum, nonnumquam Mummolino & Ebertramno præponatur, aliquando medius inter Mummolinum & Ebertramnum collocetur, vtrique verò non raro poſtponatur. Nihil igitur obeſt, quominùs à Clodoueo Secundo Regiam emunitatem obtinuiſſe perhibeatur, licèt Abbas eſſe cœperit regnante iam Clotario Tertio eiuſdem Clodouei Secundi filio ac ſucceſſore. Lege quæ diximus ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-octauum [d], cùm ex variis obſeruationibus, quas ad illum annum fecimus, oſtenderemus tres prænominatos Cœnobitas non eodem ſemper ordine recenſeri.

LIII. Alterius Præcepti fragmentum Malbrancus ſic refert. *Theodoricus Rex Francorum. Igitur cognoſcat Magnitudo ac Vtilitas veſtra, Venerabilem virum Erkenbodum Abbatem de Monaſterio Sithiu per Miſſos ſuos Clementia Regni noſtri detuliſſe in notitiam, quòd tritauus noſter Theodoricus quondam Rex per Præceptionem ſuam ſuâ manu ſubſcriptam Anteceſſori ſuo Bertino quondam Abbati tale beneficium conceſſiſſet, &c. Signum glorioſi Domini Theodorici. Data quod fecit Nouemb. dies decem, anno I Regni noſtri. Conſelentis Caſtro. Ego Conradus iuſſus recognoui & ſubſcripſi.* Theodoricus Quartus, qui Præceptum hoc emiſit, loquitur de Regio Diplomate, quod eius proauus Theodoricus Tertius Bertino tunc Abbati Sitiuenſi conceſſit teſte eodem Malbranco [e], apud quem Præceptionis à Theodorico Tertio datæ fragmentum etiam occurrit cùm hac ſubſcriptione. *Signum Glorioſi Regis Theodorici. Data ſub die* x *Kal. No-*

[a] Lib. 4. c. 49.

[b] Ad an. 718. num. 5.

[c] Ad an. 496. num. 151.

[d] Num. 31.

[e] Lib. 4. c. 16.

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEO-DOR. IV. R. 1.

uembris, anno x *Regni noſtri, Compendio Palatio, in Dei Nomine feliciter.* Porrò Theodoricus Quartus in ſuo Diplomate Theodoricum Tertium, vt idem Malbrancus [a] obſeruat, non generatione ſed Regni ſucceſſione tritauum ſuum dicit, hunc enim generatione proauum habuit. Inter Theodorici Tertij filios fuit Childebertus Tertius, qui pater extitit Dagoberti Iunioris, auúſque Theodorici Quarti per eundem Dagobertum. Si ratio ſucceſſionis attenditur, longè maiori numero Reges inter vtrumque Theodoricum medij reperiuntur, Clodoueus Tertius, Childebertus Tertius, Dagobertus Tertius, Chilpericus Tertius, Clotarius Quartus, quorum duo poſtremi ſi patris auíque loco habentur, ſequitur vt Dagobertus Tertius ſit loco proaui, Childebertus Tertius loco abaui, Clodoueus Tertius loco atraui, & Theodoricus Tertius loco tritaui. Generatione verò pater eſt Theodorici Quarti Dagobertus Tertius, auus Childebertus Tertius, proauus Theodoricus Tertius, maiores patrui Clodoueus Tertius & Clotarius Quartus, agnatus Chilpericus Tertius. Hæc ex ſequenti tabula clariùs innoteſcent, in qua Theodoricus Tertius eiúſque ſucceſſores ad pronepotem vſque Theodoricum Quartum maiuſculis literis exhibebuntur.

[a] Lib. 4. c. 58.

Clodoueus II.

Childericus II. — THEODORICVS III.

CHILPERICVS III. (filius Childerici II.) — CLODOVEVS III. CHILDEBERTVS III. CLOTARIVS IV. (filii Theodorici III.)

DAGOBERTVS III. (filius Childeberti III.)

THEODORICVS IV. (filius Dagoberti III.)

LIV. EPISCOPI AMBIANENSES.

Poſt prædictam Sancti Lamberti Tranſlationem Dominicus Ambianenſis Epiſcopus ſtatim obiit; nam ſucceſſor eius Chriſtianus, vt Morlierius & Sammarthani teſtantur, in Chartophylacio Cathedralis Eccleſiæ, indeterminatè *circa annum* 720 ſediſſe dicitur, id eſt, paulò poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum, quia Dominicus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, cùm corpus Sancti Lamberti ex oppido Traiectenſi Legiam tranſlatum eſt, in viuis adhuc ſupererat. Qui Dominico ſucceſſit in Epiſcopatum Chriſtianus, is anteà Reomaenſis Abbas fuit, eidémque ad Ambianenſes Infulas aſſumpto ſubrogatus eſt qui Monaſterium Reomaenſe regeret Maurellus Abbas illius loci decimus-quartus.

ABBATES REOMAENSES.

LV. Quot annis Chriſtianus Epiſcopatum geſſerit, haud ſcimus. Eo Pontifice floruerunt in agro Ambianenſi Domitius Eremita, & Wlfia Virgo. Vitam Sanctæ Wlfiæ publicauit Bollandus pridie Kalendas Februarij, & in prolegomenis per anteceſſum varia fragmenta retulit ex vita Sancti Domitij decimo Kalendas Nouembris edenda. Sauſſaius ad illos dies vtriuſque meminit in Martyrologio Gallicano, vt & Morlierius libro primo Antiquitatum Ambianenſium in Sancta Wlfia & libro ſecundo in Chriſtiano Epiſcopo. Ex illis Auctoribus hanc epitomen confecimus.

LVI. VLPHIA VIRGO.

Wlfia ſiue Vlphia parentes habuit genere claros, à multis fruſtrà expetita eſt in coniugem, virginitatem ſeruauit vtroque parente factum probante, diuinitus edocta paratas ſuæ pudicitiæ inſidias vitauit, fictâ mentis amentiâ procos omnes à ſe repulit. Relicto natali ſolo venit Ambianum, à Chriſtiano Epiſcopo ſacrum velamen accepit anno ætatis ſuæ duodetriceſimo, tum profecta in deſertum quarto circiter miliario ab eadem vrbe iuxtà riuum Noyæ nutu diuino fontem in loco vepribus & frutetis pleno atque ab hominum conuerſatione ſequeſtrato reperit. Ibi, cùm aliquandiu commorata eſſet, admonita eſt diuinitus circa horam ſextam, vt redeunti

Digitized by Google

a Vigiliis ſeni occurreret. Iuſſis non defuit; in terram ſe proſtrauit coram viro Dei, eúmque ſibi Patrem & Magiſtrum vitæ ſpiritualis adoptauit. Domitius (hoc erat illi nomen) in diem ſequentem reſponſum diſtulit, annuítque poſtridie diuinâ voluntate interim cognitâ. Ambo arctiſſimè iuncti ſunt affinitate ſpirituali. Vlphia Domitium ex intimo corde humillimè reuerebatur, ſemper Patrem ac Dominum ſuum vocabat, Domitius Vlphiam vice verſâ diligebat vt filiam, &, vt ſemper de bono in melius proficeret, aſſiduè hortabatur. Poſt aliquos dies Vlphia * cellæ, quam Domitius iuxta prædictum fontem extruendam curarat, ſponte ſe incluſit. Qualibet nocte Domitius ad Vigilias iturus baculo cellam Vlphiæ pulſabat, illa mox egrediebatur, viæque ſe dabat cum venerabili ſene, cuius ætas in decrepitam iam vergebat, finitis verò Vigiliis pariter ad cellulas ſuas ambo ſimul redibant. Cùm autem Domitius * ad præmium vocatus, poſt diuturnam Chriſto exactam in eremo ſeruitutem, extremum in morbum incidiſſet, deuota virgo animaduertens, quòd ipſam non ampliùs ad nocturnam ſynaxim excitaret, ad cellam eius anxia tum perrexit, quem cùm valdè ægrotantem reperiſſet, concito gradu Sacerdotem accerſiuit, vt Dei famulo Eccleſiæ Sacramenta miniſtraret. Quibus magno cum pietatis ſenſu perceptis, filiam ſuam ſpiritualem ad perſeuerantiam adhortatus eſt, Deóque glorioſum ſpiritum reddidit, ad cuius egreſſum cella ſuauiſſimo repleta eſt odore. Conditus eſt in ſuo ſacello, Vlphiâ funus curante. Colitur decimo Kalendas Nouembris, qui dies obitûs fuit. Quot annos ei ſuperfuerit Vlphia, manet incompertum. Hæc duas ſibi virgines ſociauit, quarum alteri nomen Aurea. Quadam die, cùm ægritudine laboraret, poſt Vigiliarum & Laudum ſynaxim, in Miſſa diluculo celebrata Viaticum ſalutare petiit & accepit, ſtatímque ad ſuam cellam reuerſa eſt, in qua paulò pòſt obiit pridie Kalendas Februarij, quo die celebris eſt eius memoria. Sepulta eſt in eremo, vbi vitam duxerat. Poſteà delatæ ſunt Ambianum Reliquiæ cùm Sancti Domitij tum Sanctæ Vlphiæ, erectáque eſt Eccleſia in loco vbi Sanctus Domitius terrâ tectus requieuerat, nequaquam autem in loco vbi ſancta iacuerat Vlphia, licèt illuc ob crebra miracula plebs conflueret in eius præcipuè feſto pridie Kalendas Februarij, ſub initium tandem ſeculi decimitertij Puellare Paracliti Monaſterium ibi conſtructum fuit.

AN. CHR. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

DOMITIVS EREMITA.

* *Vlphe.*

* *Domice.*

LVII. ECCLESIA CATHEDRALIS AMBIANENSIS.

Quæſtionem mouet Morlierius ſuper Eccleſia, quam Domitius & Vlphia, vt nocturnis Vigiliis intereſſent, è ſuis cellis adire conſueuerant. In eius opinionem, quæ manuſcriptis Codicibus nititur, imus facillimè. Extra ciuitatem Ambianenſem, vbi Monaſterium Sancti Acceoli * nunc conſpicitur, Eccleſia iam erat ætate Sancti Firmini Confeſſoris. Aliam fruſtrà quæras, quam Domitius & Vlphia frequentarint. Altera controuerſia eſt, vtrùm illa Baſilica tempore Chriſtiani Epiſcopi Pontificali Sede nobilitaretur. Aſtipulamur rurſum Morlierio. Baſilica Cathedralis ea quondam fuit, ad quam Domitius & Vlphia ſingulis ibant noctibus, ſed longè ante octauum ſeculum, quo Chriſtianus Epiſcopus cum prælaudatis Domitio & Vlphia florebat, inde Pontificia Sedes in ciuitatem Ambianenſem tranſlata eſt, relictis ibi nonnullis Sacerdotibus ac Clericis, qui diuinum officium in eodem loco celebrarent. Domitium, fortè quia nocturnis Vigiliis adeſſe conſueuerat, plerique Canonicis Ambianenſibus accenſent, æquiùs Eremitam dixeris, alium enim ea, quæ narrauimus, haud repræſentant.

* *S. Acheul.*

LVIII. FLOCOALDVS EPISC. AVTISSIOD. OBIT.

Flocoaldus ſeu Focoaldus aut Socoaldus Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cùm annos quinque, menſes quatuor ſediſſet, obiit decimo-quinto Kalendas Aprilis, hoc vtique anno, vt colligere eſt ex iis quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum, quo ſedere cœpit.

LIX. INDEX EPISCOPOR. AVTISSIOD. EXAMINATVR.

De ſucceſſore non leuis eſt difficultas. In omnibus Catalogis Flocoaldum ſequuntur, Sauaticus, Hainmarus, Theodrannus, Quintilianus, Cillianus, Clemens, Aidulfus.

Digitized by Google

AN. CH. Sauaricum Flocoaldo præpoſuimus. Vt ita faceremus ſuaſit epocha pu-
721. gnæ in Cotia ſylua commiſſæ, eodem enim anno Sauaricus extinctus eſt.
CHILPER. Id in Hiſtoria Epiſcoporum [a] Autiſſiodorenſium ſic indicatur. *Franci inter*
III. R. 6. *ſe diſſidentes, cùm plurima ciuilia bella commouerent, in ſylua Cotia in inuicem*
THEO- *irruentes maximâ cæde ſeſe mactauerunt, tunc idem Epiſcopus poſtponens Pontifica-*
DOR. IV. *lem dignitatem, cùm Lugdunum pergeret, vt eam ſibi ferro ſubiugaret, diuino ful-*
R. 1. *mine perculſus, citâ morte interiit.* In Geſtis [b] autem Regum Francorum, pu-
LX. gnam, quam in Cotia ſylua Franci conſeruerunt, proximè ſequitur obitus
Dagoberti Regis. *In illis diebus, inſtigante diabolo, Franci denuò in Cotia ſylua*
in Francos inuicem inruunt, ac ſe mutuò duriſſimâ cæde proſternunt. Theudoaldus
autem per fugam elapſus, ereptus eſt. Fuítque illo tempore valida perſecutio. Theu-
doaldo enim fugato, Ragenfredum in Maiorem domatum elegerunt. Qui commoto
cum Rege exercitu, Carbonariam ſyluam tranſeuntes, vſque Moſam fluuium terras
illas vaſtantes ſuccenderunt. Cúmque Radbodo Duce gentili amicitias feriunt. Caro-
lus his diebus cùm captus à Plectrude fœmina ſub cuſtodia teneretur, auxiliante Do-
mino vix euaſit. Sequente tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus eſt. Necnon
in Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta [c]. *Franci mutuò in ſeditionem*
verſi, conſilio inutili, commiſsâ acie in Cotia ſylua, contra Theudoaldum & Leudes
Pippini quondam, atque Grimoaldum, iniere certamen. Corruítque ibi immodicus
exercitus. Theudoaldus itaque à ſodalibus ſuis per fugam lapſus euaſit. Magna &
valida perturbatio & perſecutio extitit apud gentem Francorum. Eo tempore elege-
runt in honorem Maioris-domûs quendam Francum nomine Raganfridum. Commo-
tóque exercitu hoſtili vſque Moſam fluuium properant, cuncta vaſtantes, cum Rad-
bodo Duce fœdus inierunt. His diebus Carolus Dux à præfata fœmina Plichtrude ſub
cuſtodia detentus Dei auxilio liberatus eſt. Eodem tempore Dagobertus Rex obiit.
Breuiùs clariúſque ſub eodem anno prædicta pugna mórſque Dagoberti Re-
gis in Annalibus Nazarianis ita collocantur. *Anno* DCCXV *pugna Francorum*
& mors Dagoberti Regis. Et in Annalibus Petauianis obitus Dagoberti Regis
anno pariter Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ſic conſignatur. *Anno*
DCCXV *Dagobertus Rex mortuus eſt.* Hæc de anno, quo Dagobertus Tertius
obiit, adeò diſtinctè hoc loco notamus, ne, quia Cotia ſylua Sueſſionibus
vicina eſt, pugnam in illa ſylua commiſſam confundas cum alio prælio,
quod Chilpericus Dagoberti ſucceſſor infeliciter *ad Sueſſionis ciuitatem* poſt
quadriennium conſeruit. Ambo certamina, Cotium videlicet ac Sueſſio-
nenſe, in Geſtis Regum Francorum & in Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcrip-
ta diſtinguuntur, vnum ponitur ſub Dagoberto Rege, alterum refertur ſub
Chilperico. Diſtinguuntur etiam in Annalibus Nazarianis; Cotium ad an-
num Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum ſic perſtringitur, *anno*
DCCXV *pugna Francorum & mors Dagoberti Regis;* Sueſſionenſe ad annum
Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum ſic, *anno* DCCXIX *occiſio Franco-*
rum ad Sueſſionis ciuitatem. In dubium igitur vocari non poteſt, quin Sauari-
cus Flocoaldum in Epiſcopatu præceſſerit, annóque Chriſti ſeptingenteſimo
decimo-quinto viuere deſierit.

[a] Cap. 26.
[b] Capp. 50. 51.
[c] Capp. 104. 105. 106.

LXI. Sauarico in ſuum locum reſtituto, proximus Flocoaldi ſucceſſor haud
ſtatim deprehenditur. In Hiſtoria enim Epiſcoporum Autiſſiodorenſium &
in omnibus eorumdem Pontificum Catalogis Sauaricum immediatè ſequun-
tur Hainmarus & Theodrannus, at ille Pontificatum geſſit Pippino Caroli
filio iam Rege, hic ordinatus fuit Epiſcopus ex ipſius Hainmari conſenſu.
In eadem autem Hiſtoria iiſdémque Catalogis occurrit Aidulfus, qui ſedit
annos XV. fuítque *temporibus Caroli Maioris*, id eſt, Martelli, *& perdurauit*
vſque ad Pipinum. Atque inde colligere eſt Hainmarum & Theodrannum
poſt Aidulfum reiiciendos eſſe, nec Aidulfum Flocoaldo proximè ſucceſſiſ-
ſe, quoniam à morte Flocoaldi Epiſcopi ad obitum vſque Caroli Martelli
ſeu Maioris effluxerunt anni viginti.

LXII. Inter Theodrannum & Aidulfum Epiſcopos in Catalogis Autiſſiodorenſi-

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

bus medij collocantur, Quintilianus, Cillianus & Clemens. Tres ij Pontifices Autiſſiodorenſi Eccleſiæ per annos tredecim præfuerunt. Apud Seuertium anno vno completo circumſcribitur Epiſcopatus Quintiliani. In Hiſtoria [a] Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, Cillianus ſedet *annos ſex*, *menſes duos*, obitque *pridie Nonas Auguſtas*, Clemens verò ſedet *annos* v. *menſem* I. *dies* x. tum dimittit Epiſcopatum. Id eſt, cùm poſt Flocoaldi mortem ciuitas Autiſſiodorenſis, vt eadem Hiſtoria [b] teſtatur, ſine Epiſcopo *dies* VII fuiſſet, hoc ipſo anno Quintilianus Epiſcopatum ſuſcipit menſe Martio, vitámque claudit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo; Cillianus eodem anno menſe Iunio fit Epiſcopus, moritúrque pridie Nonas Auguſtas anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-octauo; eodem anno Clemens ordinatur Epiſcopus, & annis quinque, menſe vno, diebúſque decem tranſactis abdicat Epiſcopatum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio.

[a] Capp. 30. 31. 32.
[b] Cap. 25.

LXIII.

Huic Chronologiæ conſentiunt ea, quæ commemorantur de Aidulfo ſucceſſore, déque Hainmaro, quem eidem Aidulfo poſtponendum eſſe iam diximus. In Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium, Aidulfus [c] ſedet *annos* XV. floret *temporibus Caroli Maioris*, perdurat *vſque ad Pippinum*, obitque *Idibus Nou*. Hainmarus [d] Epiſcopatu quoque potitur *annos* XV, temporibus Pippini. Id eſt, Aidulfus poſt Clementem fit Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio, Carolo tum Maiore-domûs, deſinitque viuere anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-octauo, Pippino ſupradicti Caroli filio tum Maiore-domus; deinde Hainmarus Aidulfo ſuccedit, Epiſcopatúmque gerit ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſexageſimum-tertium, partim Pippino Maiore-domûs, partim eodem Pippino Rege. Quibus de rebus ad illos annos fuſiùs acturi ſumus.

[c] Cap. 31.
[d] Cap. 27.

LXIV. QVINTILIANVS FIT EP. AVTISSIOD.

Quintilianus, qui Flocoaldo in Epiſcopatum Autiſſiodorenſem hoc anno ſucceſſit, *fuit nobilis genere. Ante Epiſcopatum Abbas fuit Monaſterij Sancti Germani*, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum [e] iam dictum eſt, *ſed ob vitæ meritum ac generis nobilitatem à Monaſterio populi electione vocatus, Paſtor eſt Eccleſiæ ſubrogatus*. Lege Hiſtoriam [f] Epiſcoporum Autiſſiodorenſium. De Abbatibus, qui Cœnobium Sancti Germani poſt Quintilianum proximè rexerunt, nihil occurrit.

[e] Num. 27.
[f] Cap. 29.

LXV. LIS INTER RIGOBERTVM ET MILONEM DE EPISCOPATV REMENSI.

Anno priori actum de Legatione in Waſconiam à Carolo miſſâ, déque Rigoberti Epiſcopi reditu in agrum Remenſem. Orta poſtmodum grauis inter Rigobertum & Milonem contentio, quia Milo, qui Rigoberto Epiſcopium Remenſe ſe redditurum ſpoponderat, promiſſis ſtare recuſauit, niſi conditiones adderentur iniquæ, quibus Rigobertus nec voluit nec licitè potuit aſſentiri. Totum negotium ſic exponit Flodoardus [g]. *Fertur hunc virum Dei*, nempe Rigobertum, *præfatus Milo, cui Epiſcopium Remenſe datum fuerat à Carolo, functus legatione ad Waſcones in hac regione reperiſſe, eique, vt in Franciam reuerteretur, ſuaſiſſe, ſuúmque ſibi redhibendum Epiſcopium ſpopondiſſe. Qui regreſſus petitur à Milone, vt res, quas Eccleſiæ iam delegauerat, in ius proprium ſibi traderet, quod eo nullatenus aſſentiente, & Milone ſe de pollicitatione mutante, altare tantùm vir Dei ſibi rogat concedi Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, vt ſcilicet in eo Miſſas ſibi liceat celebrare.* Anonymus, qui vitam Sancti Rigoberti ſeriùs ſcripſit, violatæ pollicitationis crimen in eundem Rigobertum ſic reiecit. *Hunc prædictus Milo Abbas, qui ante Karlum habebat Remenſe Epiſcopium, reperit in eadem regione, functus apud eoſdem Vaſcones Legatione, cui & dixit. Quid hic agis? Reuertere in Franciam, & ſi proprias res, quas ibi habes, mihi dederis, ego tuum faciam tibi à Principe reſtitui Epiſcopatum. Ad quod Sanctus Pontifex Domini reſpondit ei. Quaſcumque res inibi videor poſſidere, tibi dabo ſi feceris quod polliceris. Regreſſus eſt itaque in Franciam, & in memorata Gerniaca-curte, peculiari poſſeſſione ſua, verſabatur, quem è veſtigio adiit præfatus Milo, trade, inquiens, mihi res quas pollicitus fuiſti, tibi quippe*

[g] Lib. 2. c. 11.

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

apud Procerem obtinui quod ſpopondi. Cui beatus ait Rigobertus. Quotquot res habere viſus fui, dedi Eccleſiæ Chriſti, non poſſum modo tollere ei, & dare alteri. Ad quem furibundus Milo. Quia me fefelliſti, tuus nunc tibi non reddetur Epiſcopatus. Et idem mox illi dedit dignum Epiſcopo reſponſum, altare, aiens, mihi, quæſo, obtineas S. Mariæ: de rebus Epiſcopij facito quod volueris, vnde minùs curo. At ſtandum potiùs à Flodoardo, vt aliâ occaſione iam monuimus.

LXVI. Cur Milo à præcitato Anonymo Abbas appelletur, haud capimus. Priùs enim ordinatus eſt Epiſcopus Treuirenſis, quàm Epiſcopium Remenſe occuparet pulſo Rigoberto, & quoniam *ſolâ tonſurâ Clericus* apud Flodoardum [a] dicitur, illum, vt Nicolaus *Cheſneau* perperam interpretatur, caue ne ſolâ tonſurâ * inſignitum nec ad Eccleſiaſticos Ordines promotum putes. Flodoardus, vbi Remenſe Epiſcopium *cuidam Miloni ſolâ tonſurâ Clerico* à Carolo Maiore-domûs datum queritur, eadem repetit verba, quibus ante illum vſus eſt Adrianus Romanus Pontifex, cùm in ſuis ad Tilpinum Remenſem Epiſcopum literis magnam querimoniam faceret, quòd *donatus atque magis vſurpatus contra Deum & eius auctoritatem fuit ille Epiſcopatus* Remenſis, *ſimul cum alio Epiſcopatu* nempe Treuirenſi, *& aliis Eccleſiis, à ſecularibus poteſtatibus Miloni cuidam, ſolâ tonſurâ Clerico, nihil ſapienti de Ordine Eccleſiaſtico.* Illis autem verbis Adrianus Papa Milonem, quem depoſitâ comâ Clericum prædicat, non innuit in tonſura Clericali conſenuiſſe, nec vllo vnquam gradu Eccleſiaſtico fuiſſe initiatum, ſed illum oſtendit indignum prorſus Epiſcopatu, quòd ſolâ tonſurâ ſeu ſolâ comâ detonsâ Clericus appareret, nihil verò ſaperet de Ordine Eccleſiaſtico, nec eos induiſſet mores qui Clericum decent.

[a] Lib. 2. c. 12.

*Simple tonſuré, ap. Nicolaum *Cheſneau*. lib. 2. c. 12.

CVR MILO SOLA TONSVRA CLERICVS DICATVR?

LXVII. Olim Tonſura Clericalis ſeparatim non dabatur, ſed ſimul cum primo Ordine, velut ritus collationi illius Ordinis annexus. Huius rei coniecturam admodum probabilem Ioannes Morinus noſtræ Congregationis Preſbyter in eruditiſſimo Commentario [b] de Sacris Eccleſiæ Ordinationibus colligit, *quòd antiquiores Canones & Decretales, Tonſuræ Clericalis nullam mentionem faciunt, ſed ſtatim à Laicatu tranſeunt ad Oſtiaratum, conſtat tamen Clericos tonſos fuiſſe, primus igitur ad Clericatum gradus erat Oſtiaratus, ſeu Lectoratus, atque in eius collatione, Tonſuræ Clericali inaugurabatur Laicus, eóque primo gradu ſuſcepto tum Clericus dicebatur.*

TONSVRA CVM PRIMO GRADV ECCLESIASTICO OLIM DATA.

[b] Part. 3. exercit. 15. cap. 3.

LXVIII. Poſteà Tonſura Clericalis ſeparatim ab Oſtiaratu & aliis gradibus Eccleſiaſticis dari cœpit. Hoc prælaudatus Auctor factum arbitratur *circa annum à Chriſto ſeptingenteſimum*, & iſtius innouationis hanc occaſionem profert. *Parentes filios ſuos impuberes, imò ferè infantes Eccleſiaſticis officiis conſecrabant, & Epiſcopis inſtituendos offerebant. Eos Epiſcopi in eadem domo educandos & inſtruendos curabant, vt eſſent Cleri reparandi velut Seminarium. Eorum inſtitutioni ſenex aliquis è Clero præficiebatur, atque vt plurimùm Archidiaconus. Cùm autem propter ætatis infirmitatem, Oſtiariorum aut Lectorum officiis in Eccleſia fungi non poſſent, Ordines iſtos illis non conferebant, ſed ſolam Tonſuram cum veſte Clericali; Tonſuram ideo ab Ordine ſeparantes, ne pueri iſti Eccleſiæ miniſteriis parentum pietate deuoti, vt prorſus ſeculares & prophani, hominum oculis comparerent.* Id in vſu fuiſſe, cùm Remenſis Epiſcopatus Miloni datus eſt, imò ante annum à Chriſto nato ſeptingenteſimum, pro certo & indubitato tenemus.

POSTEA SEPARATIM.

LXIX. At *longo pòſt tempore*, vt idem Commentator affirmat, *quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus vſurpatum eſt, Tonſuráque Clericalis, vt Ordo quidam ab aliis ſeparatus, quibuſcumque ſeparatim collata eſt.* Deinde *illi paulatim plurima & eximia Priuilegia conceſſa ſunt, quibus frui quotidie videmus qui eâ ſolâ inſigniti ſunt.* Atque inter illa Priuilegia non vltimum eſt, quòd eiuſmodi Clerici, licèt nullo gradu Eccleſiaſtico, ne Oſtiaratu quidem, aut Lectoratu donati ſint, per Tonſuram Clericalem habiles fiant ad obtinenda Sacerdotia etiam pinguiſſima. Milonem, de quo nunc agimus, talem nobis exhibet Nicolaus *Cheſneau* qui Flodoardum Gallicâ linguâ donauit; ſed ipſius Flodoardi atque Adriani Papæ ab eodem Flodoardo citati mentem

Digitized by Google

mentem non eſt aſſecutus, Milonis enim ætate, qui ſolâ Tonſurâ inſigniti AN. CH.
erant Clerici non iis gaudebant Priuilegiis, quibus gaudere cœperunt ſe- 721.
culis multò recentioribus, CHILPER.
Tantùm autem abeſt, vt Rigobertus ſecundùm opinionem Anonymi, qui III. R. 6.
vitam illius in literas retulit, de rebus Epiſcopij Remenſis minùs curarit, THEO-
aut Epiſcopatûs recuperandi deſiderio res proprias Miloni ſe traditurum ſpo- DOR. IV.
ponderit, quin à Theodorico Rege, qui Regnum hoc anno ſuſcepit, duas R. I.
Præceptiones poſtulauit obtinuítque, vnam immunitatis pro rebus omni- LXX.
bus quas Eccleſia Remenſis poſſidebat, alteram ſpecialiter pro villa Calmi- RIGOBER-
ciaco. De vtraque ſic Flodoardus [a]. *A filio ipſius*, nempe Dagoberti Tertij, TVS A THEO-
id eſt, à Theodorico Quarto, Dagoberti Tertij filio, *ſuper huiuſce auctoritatis* DORICO R.
ſeu Præceptionis à Dagoberto Tertio emiſſæ *corroboratione, & à ceteris ſui* DVAS PRÆ-
temporis Regibus immunitatis, ac teloneorum remiſſionis Præcepta Eccleſiæ ſuæ obti- CEPTIONES
*nuit permanere, item Theodorici Regis ſpecialiter pro villa Calmiciaco *, quam Gri-* IMPETRAT.
moaldus vir illuſtris Eccleſiæ Remenſi contulerat. Deinde illas Præceptiones, vt [a] Lib. 2. c. 11.
& immunitatis Præceptum, quod Rigobertus à Dagoberto Tertio impetra- * *Chaumuſi*.
uit, & à Theodorico eiuſdem Dagoberti filio corroborari fecit, in Archiuo
Remenſis Eccleſiæ cuſtodiri ſic teſtatur. *Quarum adhuc Regalium monimenta
Præceptionum in Archiuo ſanctæ huius Remenſis conſeruantur Eccleſiæ*. Liceat ite-
rum hoc de Scriptore conqueri, quòd Regiarum harumce Præceptionum,
vt & Donationum, quas Eccleſiæ Remenſi Rigobertus Epiſcopus aliíque
ſub eius Pontificatu contulerunt, chartas integras cum ſuis ſubſcriptioni-
bus in lucem non ediderit, vetera enim illa monimenta rebus Chronologi-
cis plurimùm lucis afferrent.

Rigobertus altari beatiſſimæ Virginis obtento, vt in eo ſibi liceret Miſ- LXXI.
ſas Remis celebrare, vitam in Gerniaca-corte duxit, vnde ſæpè ciuitatem ALTARE
Remorum inuiſebat, & in ara beatæ Mariæ, vt optauerat, Miſſas celebra- A MILONE.
bat. *Quo*, nempe altari Sanctæ Dei genitricis Mariæ, *demum obtento*, in-
quit Flodoardus [b], *habitauit in Gerniaca-corte, tempore non pauco, vitam in* [b] Lib. 2. c. 12.
*humilitate, parcitate, vigiliis, orationibus, & eleemoſynis, ceterorúmque bonorum
operum exhibitionibus, agens. Moríſque fuit ei, ciuitatem Remorum frequenter in-
uiſere, & in ara beatæ Mariæ Miſſas, vt optauerat, celebrare. Tum per Eccleſiam
Sancti Mauricij ad Sanctum Remigium orandi gratiâ pergere. Inde Sancti Theode-
rici Monaſterium viſitare, ac per Eccleſiam Sancti Cyrici de Calmiciaco ad Sanctum
Petrum in Gerniacam-cortem redire.*

Vt Flodoardus ſuprà citatus, ſic & Anonymus, qui vitam Sancti Rigo- LXXII.
berti conſcripſit, ipſum Rigobertum, poſtquàm è Vaſconia rediit, in Ger-
niaca-corte *tempore non paruo* vixiſſe teſtatur. Per *tempus* autem *non pau-
cum*, ſeu per *plures annos*, vt iidem Auctores inferiùs loquuntur, quantum
annorum numerum intelligant, haud liquet. Annum reditûs ab exilio,
quem aliunde collegimus, neuter determinatè deſignat. Annum obitûs re-
ticet Flodoardus, Anonymus audacter notat *Dominicæ Incarnationis circiter
ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-tertium*, quem illigat *Indictioni* VIII. Sed nec
octaua Indictio cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-tertio com-
ponitur, nec Rigobertus, qui Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo no-
nageſimo-nono ſuſcepit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum ſeptua-
geſimum-tertium creditur perueniſſe. De die, quo Rigobertus obiit, non
diſſentiunt Auctores ſuprà nominati. Deceſſit Rigobertus *pridie Nonas Ia-
nuarij*. Per menſem Ianuarium cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptua-
geſimo-tertio non octaua ſed vndecima comparatur Indictio. Claudius Ro-
bertus in Gallia Chriſtiana, cùm de Sancto Rigoberto loquitur, illum ait
obiiſſe *anno* 733. Hæc opinio Bollando non diſplicet. Vt enim Robertus 773
in 733, ſic Bollandus DCCLXXIII in DCCXXXIII commutat. Rober-
tum ſequuntur Sammarthani, ſcribúntque Rigobertum, poſtquàm è Vaſ-
conia reuerſus eſt, *annis circiter vndecim* vixiſſe, ſed vnde hoc acceperint,

non produnt. Rigobertum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertiò mortuum non inficiamur, ſed annum illum decimum-tertium numeramus poſt reditum ab exilio.

LXXIII. MIRACVLIS CLARET.

Toto illo tempore, quod à Rigoberti reuerſione in agrum Remenſem, vſque ad eius obitum effluxit, Flodoardus hanc vnam narrationem init [a]. *Contigit quondam, dum ad Sanctum Cyricum oratum veniſſet in Culmiciacum, locutum eum cum Oeconomo Remenſis Eccleſiæ qui aderat, rogatúſque ad prandium recuſauit, vtpote Miſſas acturus ad Sanctum Petrum* in Gerniaca-corte. *Intereà mulier quædam anſerem attulit Vicedomino, quem ille offerens Epiſcopo, petit vt iubeat recipi, ſecúmque deferri. Quem puer viri Dei ſuſcipiens ferebat, cùm ſubitò de manibus eius euadens auolauit, ſpémque reſumendi puero abſtulit. At Pater Sanctus puerum vehementer anxiatum conſpiciens, blandè ceu vir mitiſſimus conſolatur, docens de temporalium amiſſione rerum nequaquam flendum vel contriſtandum, quin immò ſemper in Domino, qui dat omnibus affluenter, ſperandum. Et ecce poſt aliquod ſpatium auis vltrò reuolans ad terram coram Sancto Præſule deſcendit, cúmque quaſi prædux præiens, nuſquam à tramite deuiat, donec ad Gerniacam-cortem, quo ibant, peruenit. Quam vir Domini non paſſus occidi, præuiam habebat itineris. Fertur enim ante ſe curſitare ſolita, dum ciuitatem* Remenſem *adibat, aut redibat.*

[a] Lib. 2. c. 13.

LXXIV. OECONOMVS ECCLESIÆ AN DIFFERAT A VICEDOMINO.

Abſtinuiſſemus lubenter ab iſta narratione deſcribenda, niſi ſuper *Oeconomo Remenſis Eccleſiæ* & *Vicedomino* nonnihil difficultatis viſum fuiſſet occurrere. De Oeconomis & Vicedominis ſermonem ſæpè faciemus. Inter Oeconomum & Vicedominum id olim diſcriminis erat. Oeconomus bonis omnibus, quæ pertinebant ad Clerum, curandis, adminiſtrandis & diſtribuendis deputabatur. Vicedominus erat Maior domûs Epiſcopalis, regebat Epiſcopalem familiam, Epiſcopúmque in multis miniſteriis domeſticis ſubleuabat. Conſule Ioannem Morinum noſtræ Congregationis Preſbyterum in Commentario ſuprà laudato, parte tertiâ, Exercitatione decimâ-ſextâ, capitibus quinto & octauo.

LXXV. Quandiu primæuus bonorum Eccleſiaſticorum is viguit ſtatus, vt cuiuſcumque generis eſſent, ad Epiſcopum omnémque Clerum pertinerent, nec eſſet deſignata pars aliqua, quæ vel Epiſcopo, vel huic aut illi Clerico attribueretur, neceſſe fuit vt è Clero quis eligeretur, qui bona illa curaret, adminiſtraret, diſtribuerétque, ne ſi Epiſcopus ea ſolus adminiſtraſſet, excepiſſet, diſtribuiſſet, ſuſpectus aliquando fieret rei communis malè adminiſtratæ, ſurreptæ, ſibi vindicatæ, atque eo nomine apud Clerum & Laicos malè audiret. Atque hæc Oeconomi inſtituendi ratio fuit neceſſitáſque, nec inde malè colligitur quodnam eius officium eſſet.

LXXVI. Quemadmodum Oeconomus ab Epiſcopo vniuerſóque Clero inſtitutus eſt, vt curaret, adminiſtraret, diſtribuerétque bona Eccleſiaſtica, quæ tum viritim Clericis haud diuidebantur, ſed ad Epiſcopum omnémque Clerum indiuiſim atque in ſolidum pertinebant, ſic & ab Epiſcopo Vicedominus inſtitutus eſt, vt Epiſcopalem familiam regeret, & bonorum Eccleſiaſticorum partem, quæ factâ diſtributione ceſſerat Epiſcopo, prudenter adminiſtraret, vnde Vicedominum non malè dixeris ſpecialem Oeconomum Epiſcopi, ſiue, vt Gloſſa [b] exponit, *Oeconomum rerum Epiſcopalium*. Patres Concilij Romani ſub Sylueſtro Papa de bonis Eccleſiaſticis ita decernunt. *De reditibus Eccleſiæ quatuor partes fiant, quarum vna cedat Pontifici ad ſui ſuſtentationem; alia Presbyteris & Diaconis & omni Clero; tertia templorum & Eccleſiarum reparationi; quarta pauperibus, infirmis & peregrinis.* Et Gregorius Magnus *de obuentionibus Eccleſiaſticis diuidendis* ita ſcribit in reſponſione ad primam Auguſtini interrogationem. *Mos Apoſtolicæ Sedis eſt ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, vt de omni ſtipendio quod accedit, quatuor fieri debeant portiones; vna videlicet Epiſcopo & familiæ eius propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem; alia Clero; tertia pauperibus; quarta Eccleſiis reparandis.* Idem Gregorius, quæ de Vicedomini officio diximus, vera eſſe ſatis ſupérque oſtendit [c], cùm in li-

[b] C. Volumus, diſtinct. 89.

[c] Lib. 9. ep. 66.

Digitized by Google

teris ad Anthemium Campaniæ Subdiaconum ait velle ſe, vt Paſchaſius AN. CH.
Epiſcopus *Vicedominum ſibi ordinet & Maiorem domûs, quatenus poſſit vel hoſpitibus ſuſcipiendis, vel cauſis, quæ eueniunt, idoneus & paratus exiſtere.* Et in literis [a] ad Clementinam Patriciam excuſat ſe, quòd ad eam Diaconum Anatholium non direxerit, quia Vicedominum illum conſtituit, qui Epiſcopium diſponat. *Diaconum*, inquit, *Anatholium, quem ad vos dirigi popoſciſtis, hoc nos facere non poſſe, cauſæ magis modus quàm rigoris auſteritas facit. Vicedominum enim eum conſtituimus, cuius arbitrio Epiſcopium commiſimus diſponendum.*

721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

[a] Lib. 1. ep. 11.

Quamuis inter Oeconomum & Vicedominum ea eſſet differentia quam ſtatuimus, exiſtimamus in textu præcitato eundem Clericum à Flodoardo *Oeconomum Remenſis Eccleſiæ* & *Vicedominum* promiſcuè appellari. Ita iam cenſuit Anonymus in vita Sancti Rigoberti, mentem enim Flodoardi ſic expreſſit. *Deuenit in Culmiſiacum ad S. Cyricum pro ſe ſuâque Eccleſiâ, vt conſueuerat, exorandum, & factâ oratione locutus eſt cum Oeconomo Remenſi, qui aderat, nomine Wiberto. Qui mox ſuppliciter accerſiuit eum ad prandium, quod ſibi fuerat præparatum. Quod ille renuens dixit. Ad S. Petrum in Baſilica mea habeo Miſſas facere, idcircò quod poſtulas non poſſum adimplere. Dúmque colloquerentur, paupercula quædam vidua huic Vicedomino in eulogiis attulit anſerem, reſpiciénſque Vicedominus ad Sanctum Epiſcopum, quoniam, inquit, non dignamini nobiſcum veſci, veſtro præcipite puero ſaltem hunc recipere, & cùm veneritis domum, parare ad opus veſtrum. Quem puer viri Dei ſuſcipiens ferebat, quouſque ſubitò in via de manibus eius auolauit*, &c. Ita quoque iam ſenſit Nicolaus *Cheſneau*, loco enim Flodoardi ſuprà recitato, Oeconomum & Vicedominum Gallicè eodem vocabulo donauit. Quin & ipſemet Flodoardus Oeconomum Remenſis Eccleſiæ & Vicedominum Remenſis Eccleſiæ promiſcuè vſurpauit. Oeconomum Remenſis Eccleſiæ ſic libro ſecundo, capite decimo-tertio, in textu quem examinamus. *Contigit locutum eum cum Oeconomo Remenſis Eccleſiæ, qui aderat.* Vicedominum Remenſis Eccleſiæ ſic, libro primo, capite decimo-ſeptimo. *Homines de Celto *, quoniam Vicedominum Eccleſiæ Remenſis in eadem villa necarunt, exterminauit.* Adde & anguſtias, ad quas Rigobertus tunc redactus erat. A Milone Remenſis Epiſcopatus occupabatur; Rigoberto nec familia nec opes erant, quibus Vicedominum præficeret. LXXVII.

* *Cernay.*

Hoc anno, vt Ioannes Ruyrus in Antiquitatibus Voſagenſibus [b] teſtatur, Adalbertus Dux Alamanniæ, frater Odiliæ Hohenburgenſis Abbatiſſæ, Monaſterium Sancti Michaelis in Inſula *Honow* vnâ leucâ infra Straſburgum inchoauit. Illic inſtituti primùm Monachi cum Canonicis; Monachis præerat Abbas, Canonicis Præpoſitus; duplex erat chorus ad perſoluendum Officium diuinum, in vno Monachi pſallebant, in altero Canonici. Deſideratur cùm Abbatum tum Præpoſitorum Catalogus. Inter Monachos enituerunt magnæ ſanctitatis viri beatus Tumbanus & beatus Benedictus. Epiſcopatum ambo geſſerunt in Hibernia, relictâ pòſt patriâ venerunt in Franciam, & in prædicto Cœnobio Monaſticen ad obitum vſque coluerunt. Quandiu Monachi cum Canonicis in eodem vixerunt Monaſterio, quoties Abbas eligendus fuit, ad comitia non tantùm Monachi ſed & Canonici ſunt euocati, hac tamen inter eos differentiâ, quòd Abbas ſuffragiis quidem vtrorumque, ſed è ſolo cœtu Monachorum eligeretur. Lapſu temporis hoc Monaſterium abiit in Eccleſiam Collegiatam, cuius variæ fuerunt viciſſitudines ac tranſlationes, Rhinouiam enim ſupra Argentoratum tranſlati ſunt Canonici, poſtremò in vrbe Straſburgenſi ad Sanctum Petrum Seniorem conſederunt. Ob frequentes Rheni adluuiones hæ migrationes factæ. Hæc Ruyrus. LXXVIII.

[b] Part. 2. lib. 4. cap. 13.

MONASTERII HONENOVIENSIS INITIA.

Guillimannus [c] alia ſcribit de Monaſterio Hohenouienſi * ſiue Hohenauienſi *, quæ commodè ad tria capita reduci poſſunt; ad loci dignitatem, de cuius Epiſcopali Sede, quæ diuerſa eſſet ab Argentoratenſi, nonnihil LXXIX.

[c] Cap. 6.

* *Honovv.*

* *Honavv.*

VICISSITVDINES.

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

GVILLIMANNI SCRIPTA DE MONASTERIO HOHENAVIENSI EXAMINANTVR.

ſcriptum inueniri teſtatur; ad inſtitutum Monachorum, quos Scotici generis fuiſſe tradit; ad tranſportationes eorumdem Monachorum, quibus apud Argentoratum Ædem Sancti Thomæ poſtremò conceſſam affirmat. *Neque tamen*, inquit, *hoc intermiſerim adeſſe Scriptores, qui tradiderint duos fuiſſe quondam Epiſcopatus, alterum Argentorati cis Rhenum, alterum Hohenouiæ vltra. Et Hohenauiam quidem milliari Germanico infra Argentoratum primùm excoluiſſe iidem Auctores memorant Adalbertum Ducem, condito, vt priùs Argentorati fœminarum, ſic ibidem virûm Monaſterio præcipuè Scotorum. Eodem tot contuliſſe opes, vt pares eſſent ad Epiſcopalem dignitatem tuendam. Inde Monaſterij Præſidem aliàs ſe Epiſcopum ſcripſiſſe, aliàs Abbatem. Illum verò hodierni Epiſcopatûs partem eam præcipuè adminiſtraſſe, quæ in Germania magna, dexterâ Rheni, Mortnouia appellatur. Hunc etiam Epiſcopatum confirmaſſe Theodoricum Regem, Dagoberti nepotem. Sed vltra tamen annos ſexaginta non perduraſſe, vtriuſque ripæ adminiſtratione ad Argentinenſem Epiſcopum delatâ. Monaſterium Hohenauiæ Rheni adluuionibus pluriens infeſtatum, inde Rhinouiam ſupra Argentoratum tranſlatum & poſtremò Argentoratum ad Sanctum Thomam eiuſdem Scotici generis ordinem.* Quæ de Hohenauienſi Epiſcopatu à recentioribus Auctoribus ſcripta perhibentur, ad fabulas amandamus, & ſi quod Theodorici Regis inſtrumentum reperitur, vbi Hohenauienſium vel Monachorum vel Canonicorum mentio fiat, id exiſtimamus non Theodorico Tertio, Dagoberti Magni nepoti, ſed Theodorico Quarto, Theodorici Tertij pronepoti tribuendum eſſe, quia Theodoricus Tertius priùs obiit quàm beati Stephani Monaſterium ab Adalberto Duce conderetur, illóque Sancti Protomartyris Cœnobio recentius Hohenauienſe non negat Guillimannus in textu præcitato, imò Ruyrus, vt obſeruatum ſuprà, primam Monaſterij Hohenauienſis originem non altiùs repetit, quàm ab hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-primo, quo Theodoricus Quartus in Francorum Regnum Chilperico Tertio ſucceſſit. Super Hohenauienſis Monaſterij tranſportationibus non conueniunt Ruyrus & Guillimannus. Apud Ruyrum, Hohenauienſe Monaſterium mutatur in Eccleſiam Collegiatam, poſteà eadem Eccleſia Collegiata Rhinouiam transfertur. At ex Guillimanno colligere eſt Monachos ipſos Hohenauienſes Rhinouiam primùm, deinde Argentoratum migraſſe. Quibus temporibus factæ ſint hæ migrationes, Ruyrus haud notat, obſeruat autem Guillimannus adiecto, ad prioris maginem, anno Chriſti milleſimo ducenteſimo nonageſimo-ſecundo, &, ad marginem poſterioris, anno Chriſti milleſimo vndequadringenteſimo. Præterea Ruyrus Eccleſiam Collegiatam, quæ Hohenauiâ Rhinouiam tranſlata fuerat, Argentoratum tranſlatam ad Sanctum Petrum Seniorem affirmat. Guillimannus verò ſcribit *Monaſterium Hohenauiæ, inde Rhinouiam ſupra Argentoratum tranſlatum, & poſtremò Argentoratum ad Sanctum Thomam eiuſdem Scotici generis ordinem.* Idem Auctor [a], vbi ſermonem *de Æde Cathedrali, Collegiis, Monaſteriis, aliiſque locis ſacris vrbis Argentinenſis* inſtituit, Eccleſiam Sancti Petri Senioris ab Eccleſia Sancti Thomæ diſtinguit. De Baſilica Sancti Petri Senioris ſic loquitur. *Primum & antiquiſſimum Argentinæ Templum Diui Petri eſt, quod Senioris vocant, ad alterius differentiam conditi multis poſt annis.* De Baſilica Sancti Thomæ ſic. *Sancti Thomæ Collegij (fuit priùs Monaſterium Scotorum) ex primis etiam vrbis ſacris Ædibus, auctor incertus eſt, niſi quòd Diuo Florentio tertio Epiſcopo tribuitur, qui in eo quoque primò ſepultus.* Ambo tamen ſimul conciliari poſſunt, ſi iuxta Guillimanni opinionem Hohenauienſes cùm Monachi tum Canonici Rhinouiam tranſlati ſunt, & vtrique Rhinouiâ poſteà migrarunt Argentoratum, Canonici ad Sanctum Petrum Seniorem, Monachi ad Sanctum Thomam, vbi & alij quoque tunc Monachi *Scotici generis*. Fortè Hohenauiæ, vt in pleriſque locis contigit, ex antiquiſſimis Abbatibus nonnulli fuerunt Scoti, qui, priuſquàm Monachi Abbatéſue fierent, ordinati ſunt Epiſcopi, ſiue vt Diœceſim in Scotia regerent, ſiue vt Euangelium quibuſcumque nationi-

[a] Cap. 9.

bus annuntiarent. Vnde factum, vt poſteri, cùm quoſdam apud Hohenauiam & Epiſcopos & Abbates nuncupatos ſcirent, Sedem olim Epiſcopalem illic fuiſſe crediderint. Porrò Guillimannus in Argentinenſium Epiſcoporum Catalogo plurimùm aberrat, vbi tres primos Epiſcopos hoc ordine recenſet, Sanctum Amandum, Sanctum Arbogaſtum, Sanctum Florentium; & encomium Sancti Amandi ſic auſpicatur [a]. *Fuit S. Amandus primus ab Dagoberto M. Francorum Rege Argentinenſium inſtitutus Epiſcopus, circiter an. Domini noſtri 640. Gente is, vt plerique ſcribunt, Aquitanus, ſtirpe nobilis, patre Sereno, aut Serrano, matre Amantiâ, profeſſione Monachus, loco Elnonenſis, qui ab eo deinceps nomen retinuit. Vicus nunc egregius cum Abbatia Sancti Amandi, inter Belgicas facilè opulentiſſima ad fl. Scarpim Tornacenſis agri.* Floruit apud Argentinenſes Epiſcopus, nomine Amandus, ſed hic anno Chriſti circiter trecenteſimo quinquageſimo-ſecundo interfuit Synodo Agrippinenſi, & Dagobertum Magnum ac Sanctum Amandum Abbatem Elnonenſem, qui Traiecti ad Moſam Epiſcopus quoque fuit, multis ſeculis anteceſſit. Ab anno, quo Amandus Argentoratenſis Epiſcopus Agrippinenſi Concilio ſubſcripſit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quartum, quo Heddo Argentoratenſem Epiſcopatum iniit, per quatuor ferè ſecula numerantur Argentoratenſes Epiſcopi quatuor ac viginti, quorum nomina Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-ſeptimum recitauimus. Locum illum adi. Ætate Dagoberti Magni duos Amandos Epiſcopos eóſque ſanctitate conſpicuos diſtingues; vnum, qui Wormatiæ ſedit; alterum, qui pleraſque gentes erudiuit, & Traiectenſis Epiſcopus per aliquot annos fuit. Illis temporibus Amandum in Argentoratenſium Epiſcoporum Catalogo non reperies, & ab Amando Argentoratenſi Epiſcopo, qui Concilio Agrippinenſi interfuit, Epiſcopos inuenies ſeptemdecim, antequam peruenias ad Arbogaſtum, qui, ſi fides eidem Guillimanno [b] habetur, Amando Argentinâ diſcedenti ſucceſſit in Epiſcopatum, vixit *ſub Dagoberto Rege*, ab eo accepit *multa beneficia*, Pontificali dignitate perfunctus eſt *annos* XXVII, atque in cælum aſſumptus *an. 668*. Guillimannus vitam Dagoberti Magni, quo regnante Amandum & Arbogaſtum in Argentoratenſi Cathedra ſediſſe contendit, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum duodequinquageſimum prorogat. At decennio citiùs obiit Dagobertus Magnus, & ab eo diuerſus eſt Dagobertus, qui Sanctum Arbogaſtum Argentoratenſem Epiſcopum beneficiis affecit. Dagobertum hunc Secundum, Sigiberti Tertij filium, Dagoberti Magni nepotem, qui Regnum Auſtraſianum poſt Childericum Secundum ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum tenuit, ignorauit Guillimannus. De Sancto Arbogaſto Argentoratenſi Epiſcopo egimus Tomo ſuperiore. Sanctus Arbogaſtus Argentoratenſem Epiſcopatum geſſit vitámque clauſit regnante Dagoberto Secundo. Succeſſit in Pontificatum Florentius, cuius Præſulatum Guillimannus [c] annis octo circumſcribit, mortémque conſignat anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſexto. Eidem Sancto Florentio plures annos in Epiſcopali Cathedra non tribuimus, ſed eos ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono, quo Dagobertus Secundus in viuis ſuperſtes adhuc regnat, ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum numeramus. Ad Heddonem vſque, qui Pontificatum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto ſuſcepit, tres ſuperſunt Argentoratenſes Epiſcopi, Wicgernus, Wandelfridus & Aulidulfus, annique reſtant quadraginta-ſeptem, quos commodè partieris in tres Præſulatus, atque inde rectè colliges ſediſſe Aulidulfum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-primo, cùm Adalbertus Alamanniæ Dux prima Hohenauienſis Monaſterij fundamenta iecit.

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

EPISCOPI ARGENTORAT.

[a] In Epiſc. 1.

[b] In Epiſc. 2.

[c] In Epiſc. 3.

LXXX. ADALBERTI DVCIS OBITVS.

Eiuſdem Adalberti poſtremum hoc opus arbitramur, quia rebus humanis exemptus eſt ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum, quo Theodoricus Rex Luitfrido eius filio tunc Alamanniæ Duci Re-

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

gium Diploma pro Cella Leobardina direxit, vt ſuo loco dicturi ſumus. Inter varia fragmenta vitæ Sanctæ Odiliæ, quæ Hieronymus Vignierus noſtræ Congregationis Preſbyter in probationibus [a] Alſaticæ familiæ publicauit, hæc leguntur de morte Adalberti déque dolore quem ex ea percepit ſoror Odilia. *Contigit vt quidam ex ſeruitoribus eius Monaſterij ipſius occideret fratrem. Tunc ipſa magnoperè pro ipſius morte contriſtari cæpit, omníſque Congregatio ſimul cum ea. Vnde etiam Dominum rogabant, vt ipſe & in eo, qui eam tam fortiter contriſtauit, vindicare dignaretur, melius eſſe dicentes, vt in præſenti dignam caſtigationem, quàm in futuro perpetuam pænam ſubiret. Quarum preces, vt poſteritas illius probat, exaudiri meruerunt, quia nullus poſteà ex ipſius progenie humanam ſortitus eſt vitam, qui non aliquid in ſe debilitatis haberet.*

[a] Ad pag. 2.

LXXXI. VXORES ET LIBERI. Adalbertus bis vxorem duxit, primò Gerlindem, deinde Bathildem; ex priore ſex liberos ſuſcepit, tres mares, Luitfridum, Eberardum & Maſonem, totidem fœminas, Ataliam, Eugeniam & Gunlindem; ex poſteriore duas filias, Sauinam & Lutgardem. Sepultus fuit Straſburgi in choro Eccleſiæ Sancti Stephani cum vtraque coniuge duabúſque filiabus Sauina & Lutgarde. Lege Ruyrum in Antiquitatibus Voſagenſibus [b].

[b] Part. 2. lib. 4. cap. 11.

LXXXII. LANTFRIDVS DVX ALAMANNIÆ. Iiſdem temporibus, in alia parte Alamanniæ, Ducis officio functus eſt Lantfridus, Gothofridi quondam Ducis filius. Alterum horum Ducum in Heluetia commorantem atque habitantem in caſtello Pfungæ, vbi hodiéque arx & vicus eſt illius nominis, adiit Pyrminius Abbas & Epiſcopus cum quatuor Monachis, & annuente Duce manſit in ſolitudine cum ſociis ad montem ſupra Pfungam, vbi fons eſt, qui etiamnum Pyrminij fons appellatur. Pyrminium ad Gothofridum Ducem acceſſiſſe ſcribit Martinus Crucius primâ parte [c] rerum Sueuicarum. Meliùs hanc Pyrminij profectionem in Alamanniam ad tempora Lantfridi Ducis cum Gabriele Bucelino [d] reiicies, habitâ ratione annorum, quibus Gothofridus, Lantfridus, & Pyrminius, obierunt. SVSCIPIT PYRMINIVM. Gothofridus anno Chriſti ſeptingenteſimo nono mortuus eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo vitam clauſit Lantfridus. Vtrumque conſtat ex Annalibus Nazarianis. Pyrminius autem Sancto Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo ſuperſtes vixit, vt Tomo ſequenti probabimus. Non deſunt è recentioribus, qui duplicem Alamanniam duplici cognomine diſtinguant, Alamanniam videlicet Alſaticam, vbi Ducatum geſſit Adalbertus, & Alamanniam Helueticam, vbi Dux inſtitutus eſt Lantfridus, ſed huiuſcemodi cognominum in antiquis Auctoribus nullum indicium.

[c] Lib. 10. c. 11.

[d] In Chronol. Rhæt. a. 711.

LXXXIII. In manuſcripto Codice vitam Sancti Pyrminij legimus, quam Othlonus Fuldenſis Monachus vndecimo ſeculo conſcripſit, Surianæque Collectioni cum hoc titulo nouiſſimè inſertam reperies tertio Nonas Nouembris. *S. Pyrminij vita & res geſtæ, deſcripta per Othlonum Fuldenſem Monachum, edita & illuſtrata per R. P. Chriſtophorum Brouuerum Societatis Ieſu.* Opus hoc, quia ſcriptum eſt ab Auctore, qui procul ab ætate Sancti Pyrminij vixit, næuis non paucis deturpatur.

LXXXIV. VITA S. PYRMINII. Si fides eſt huic ſcriptioni, *Pyrminius obtinuit Sedem Epiſcopatûs in caſtello Meltis* (ſeu *Meleis* vt manuſcriptus Codex habet) *appellato, tempore quo Theodoricus Rex Francorum ſceptra tenebat.* Tunc *erat quidam vir inter Alamanniæ Primates, nomine Sintlaz, diuino cultui ſtudioſâ deuotione intentus, qui loca Sanctorum circumquaque ſiſtentia luſtrando, precúmque vota vbertim ſoluendo, animæ ſuæ lucra ſummoperè quærebat. Cúmque huiuſcemodi officio ſedulus inſtaret, contigit eum ad locum, quo ſacratiſſimus Pontifex Pyrminius manſitabat, deueniſſe. Cùm verò prædicationis ſermoni eius aures mentémque adhiberet, tum ex ſuauitatis affluentia, tum ex efficaci in excolendis cordibus potentia, ſupra modum attonitus, vice Æthiopum Reginæ, non habebat vltrà ſpiritum.* Quapropter ſterilitatem ſuæ gentis deflere cœpit, cui nullus *diuina fluenta* propinabat, & ſecretò beatum Epiſcopum aggreſſus rogauit eum enixiſſimè, vt opus tam pium támque neceſſarium ſuſciperet, ſuâque prohiberet præſentiâ, ne regionis illius

Digitized by Google

incolæ rurſum fierent idololatræ. Sintlacis comites eandem poſtulationem ſæpè replicarunt. Reſpondit Pyrminius *ſancitum Canonibus ſacris, ne quis ſibi aliquid arroget in alterius Diæceſi Pontificis*, negauítque ſibi licitum *illuc migrare, quò neque à Præſulibus illarum partium euocatus, neque ab Apoſtolicæ Sedis Antiſtite deſtinatus eſſet.* Quamobrem, ſi Romam proficiſci vellent, eò quoque ſe iturum ſpopondit, vt itineris in eorum prouinciam ſuſcipiendi prædicandíque Euangelij licentiam iunctis ſimul precibus à Romano Pontifice faciliùs impetraret. Annuit Sintlaz. Mox viæ ſe commiſit Pyrminius, cúmque Romam perueniſſet, *die quadam beati Petri Apoſtolorum Principis domum ingreſſus cunctas ibi conſiſtentes aras contriti cordis immolatione fumigabat. Vbi quoque ab Apoſtolico Præſule primò eum videri contigit. Qui à cæteris perquirens ſecretò, ſi noſſent quis eſſet aut vnde veniſſet, reſponſo didicit hunc Præſulem eſſe, & de Galliæ finibus illuc aduenıſſe. At Apoſtolicus, multum, inquit deſipitis, quòd aliunde venientes minùs cautè obſeruatis, à talibus denique plura ſæpè perperam geſta fuiſſe percepimus. Interim beato Pyrminio ſingula perluſtrante altaria, accidit eum ad ſacratiſſimam beati Petri tumbam deueniſſe. Vbi cùm orationis gratiâ genua flectere in voto haberet, pedum Paſtorale limpido commiſit pauimento. Quod nulli adhærens materiæ tractabili, tamdiu, mirum dictu, immobile perſtabat, donec ab oratione ſurgentis recipientíſque manui ſe vltrò immitteret. Motus autem hoc Apoſtolicus euentu, intimam cæpit habere pœnitudinem, quòd, ante oſtenſionem huiuſcemodi ſigni, vllam de beato viro mali geſſiſſet ſuſpicionem, celeritérque ad eius ſe proucluens veſtigia, huiuſce reatûs obnixè poſtulauit indulgentiam. Cúmque vir beatus humiliter eum ſuſciperet, dulcibus oſculis ſanctíſque amplexibus magnoperè ſe commendantes mutuò, ad miſcenda pietatis colloquia, pariter conſederunt.* Aduentûs ſui cauſam expoſuit Pontifici Pyrminius. *Addidit quoque ſe mirari oppidò, quænam Sintlacem præpediret occaſio, quòd non adeſſet ex condicto.* Tunc coram Papa ſtitit ſe Sintlaz, & quæ dicta fuerant à Pyrminio, ſuis aſſertionibus confirmauit. Extemplò Pontifex *epiſtolam cum beato viro abſque dilatione per venerabilem virum Sintlacem ad Regem Francorum Theodoricum direxit, monens, ſuadens & imperans, vt reſpectu diuinæ remunerationis, viri Dei votum piâ opitulatione duceret ad effectum, edocens hoc ita demùm ſagaciter fieri poſſe, ſi cunctis tam Alemanniæ quàm Franciæ Præſulibus conuocatis imputaret neglectûs ipſorum deſidiam, reatûs notificaret pondus, quòd nequirent euadere, niſi beatiſſimum Pyrminium ad ſuas Diæceſes ducerent, peſſumdatíque gregis damna reſtaurare flagitarent. Porrò Rex, epiſtolâ peruiſâ, honorificè ab Apoſtolico ſuſcepit directos, ac cuncta, quæ mandata ſunt, libenti animo perficere curauit. Nam coadunatis Epiſcopis, ceteráque Cleri ac populi catervâ, miſſum à Papa Sintlacem videlicet in medio ſtare iuſſit, pálámque referre, quomodo Papa reuerendus illorum Pontificum inertiam doleret, quomodo labefactati populi diſpendia lugeret, ſuâque iuberet auctoritate, vt inclytus Pyrminius ab eis gratanter ſuſciperetur, gemendæ iacturæ futurus efficax reſtaurator. Pontifices, talibus auditis, compunctionis ſtimulo ſunt ſalubriter accenſi, virúmque Dei in ſua adſciſcentes, omnem opportunitatem ac libertatem ſe ei paraturos ſpoponderunt ad peragenda, quæ diuinitus ſunt inſtituta & ab Apoſtolico imperata. Acceptâ igitur tam congruæ occaſionis facultate, vir Dei primò ad Alemannorum gentem proficiſci diſpoſuit, quò dum perueniſſet, veluti cælitus imber diffuſus, omnium ad ſe venientium corda fæcundiſſimo ſalutaris verbi rore maritauit, commoránſque in loco, qui vocatur Sintlacis Owa, venienti viam parauit Domino, praua mutans in directum & aſpera in vias planas, & ex duris impolitíſque lapidibus filios Abrahæ quadrans. Cúmque non modicum tempus in huiuſmodi exercitio deſudaret, vir eximius Sintlaz, cuius etiam filium Pater ſanctiſſimus de ſancti lauacri fonte leuauit, humiliter adiit eum*, rogauítque vt *pio conſilio* ſuggereret, quo in loco, poſtquàm illinc *forſan* diſceſſiſſet, *domum orationis* conſtruere poſſent. Pyrminius ad Inſulam, quæ in conſpectu propè erat, properandum dixit, quia *fortaſſis* ibi benignus Deus ſuam quærentibus gratiam expreſſurus eſſet. Sintlaz, quia ſerpentes verméſque horrendi totam Inſulam occupa-

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

bant, negauit locum illic hominum habitationi commodùm fore, ſed ob modicam fidem à beato viro increpitus ſtatim opportunitatem nauigij præbuit. *Mox autem, vt Sacerdos Sanctus Inſulam attigit, omnis illa venenatorum turba, veluti nimiâ contrarietatis vi vrgente, fugiendo, Inſulam deſeruit, tantáque multitudo eorum abire viſa eſt, vt tribus diebus ac noctibus tota ſuperficies maris, per quod natando tranſierunt, cooperta videretur, nuſquàm verò poſteà comparuit.* Beatus Epiſcopus *in Chriſti honore Oratorium conſtruere aggreſſus eſt, ad quod plures fidei ardore animati, prædia ſua conferre decreuerunt, præcipuè tamen deuotiſſimus Sintlaz, qui in ambitu ipſius loci multa hæreditario iure poſſidebat, Chriſti domicilium amplificare ſtudebat, vbi poſteà plures adunati, ſeculi huius transfugæ, Religionis ſanctæ facti ſunt aſſeclæ, procelloſi mundi vitantes inquietudinem, tutiſſimi portûs obtinent ſtationem.*

LXXXV. Hæc fuerunt initia celeberrimi Monaſterij, cui nomen inditum eſt Owæ ſiue Augiæ, lapſúque temporis acceſſit cognomentum diuitis. Atque ad iſtius vſque Cœnobij primordia, de Sancto Pyrminio plura in illius vita cùm manuſcripta tum excuſa non leguntur. Porrò Pyrminius anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto prima Monaſterij fundamenta iecit. In illum igitur annum reiiciendus eſt, qui de Augia fieri debet à nobis ſermo; quæ verò Monaſterij inceptionem præceſſiſſe dicuntur, hoc loco ſunt examinanda.

LXXXVI. EXAMINATVR. De Sancti Pyrminij patria, parentibus, ortu, pueritia & adoleſcentia ſilet Auctor vitæ, ſuámque lucubrationem ab eius Epiſcopatu exorditur. Scribit Pyrminium regnante Theodorico Epiſcopum ſediſſe *in caſtello Meltis* ſeu *Meleis*, cùm venit ad eum Sintlaz *inter Alamanniæ Primates* vir inſignis. Epiſcopatum Pyrminio non abiudicamus. De tempore quoque conuenimus, exiſtimamus enim Sintlacem ad Pyrminium anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto acceſſiſſe, quo tempore Monarchia Francorum penes Theodoricum Quartum erat. Sed ſuper caſtello, in quo Pyrminius tunc morabatur, non parua difficultas occurrit.

LXXXVII. Caſtellum illud alij Mettas ſeu Metas, alij Meldas interpretantur, & Pyrminium alij Metenſem Epiſcopum, alij Meldenſem conſtituunt. At nec Metis nec Meldis Epiſcopatum geſſit vnquam Pyrminius. Toto tempore, quo Theodoricus Quartus regnauit, Eccleſiam Metenſem rexit Sigibaldus, Epiſcopatum enim ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum tenuit annis viginti-quinque, vt obſeruatum eſt ſuprà [a]. Regnante eodem Theodorico Quarto, tres in Meldenſi Cathedra ſederunt Epiſcopi, Sigenoldus cuius mentionem anno priori iam fecimus, Erlanreus, & Aydenetus qui prædicto Regi ſuperſtes vixit.

[a] Ad an. 716. num. 17.

LXXXVIII. Exiſtimamus Pyrminium vel in Britannia vel in Hibernia natum, ibíque ordinatum Epiſcopum fuiſſe, deinde patriâ relictâ varias adiiſſe prouincias, vt eas aut à dæmonum cultu reuocaret ſi nondum Chriſtianæ eſſent, aut in vera fide confirmaret ſi nuntium idolis iam remiſiſſent, tandémque conſediſſe cum ſociis atque cooperatoribus in ea Sueuiæ ſiue Alamanniæ parte, vbi Lantfridus Ducatum gerebat. Duæ res ſunt in ipſa Othloni narratione, quæ noſtram opinionem de ſitu loci, in quo Pyrminius habitabat, egregiè confirmant. Clerici, qui Romæ ſunt in comitatu Papæ, Pyrminium aiunt *Præſulem eſſe & de Galliæ finibus illuc*, nempe Romam, *adueniſſe*. Deinde domicilium Sintlacis, & Inſula, in qua Pyrminius Augienſe Monaſterium poſteà conſtruxit, à Caſtello *Meltis* ſeu *Meleis*, in quo Pyrminius manſionem fixerat, haud procul diſtant.

LXXXIX. Vulgatâ Pyrminij Epiſcopi famâ, Sintlaz vnus ex Alamanniæ Primatibus ad eum acceſſit. Id in dubium non vocamus, ſed reiiciendum putamus in annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quartum, quo Pyrminius Augienſis Monaſterij prima fundamenta iecit, nam fabulis accenſemus

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. III. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

mus excuſationem quâ Pyrminius fertur vſus ne Sintlacem quamprimùm ſequeretur, & vtriuſque profectionem ad Romanum Pontificem, necnon epiſtolam Papæ ad Theodoricum Regem Francorum, aliáſque res non paucas, quæ Monaſterij Augienſis inchoationem præceſſiſſe perhibentur.

Primò, Pyrminius à Sintlace eiúſque comitibus enixè rogatus, vt eiuſdem Sintlacis terras poſſeſſionéſque luſtraret, ac populum illic commorantem erudiret, hæc reſpondiſſe dicitur. *Pia equidem ſunt, ô viri Deo deuoti, quæ poſtulatis, ſed in omni re, ſicut ipſi noſtis, plurimùm valet cautela conſilij prudentis. Sancitum profectò conſtat Canonibus ſacris, ne quis ſibi aliquid arroget in* XC. *alterius Diæceſi Pontificis. Et quomodo me cogitis illuc migrare, quò neque à Præſulibus illarum partium ſum euocatus, neque ab Apoſtolica Sedis Antiſtite deſtinatus?*

Non inficiamur ſacris Canonibus cautum eſſe, *ne quis ſibi aliquid arroget* XCI. *in alterius Diæceſi Pontificis.* Sed quâ fronte Pyrminius, ne proficiſceretur in eam Alamanniæ partem vbi Sintlacis opes prædiáque erant, hanc excuſationem prætexere potuit, quòd *à Præſulibus illarum partium* euocatus non eſſet, cùm Sintlacis opes prædiáque in Epiſcopatu Conſtantienſi * eſſent, vbi Pyrminius ipſe iam morabatur, ſi benè de Caſtello *Meltis* ſeu *Meleis* coniectauimus? Similiter quâ fronte, ne Sintlacis poſtulationibus acquieſceret, alteram excuſationem afferre potuit, quòd eò non eſſet *ab Apoſtolica Sedis Antiſtite* deſtinatus, cùm procul à patria poſt longas peregrinationes in Caſtello *Meltis* ſeu *Meleis*, quod in Alamannia ſitum erat, ipſe iam conſediſſet, nec anteà Romam profectus aut in Alamanniam à Papa miſſus legatur?

* de Conſtance.

Secundò, Romanus Pontifex Theodorico Francorum Regi ſcripſiſſe per- XCII. hibetur, *vt viri Dei*, id eſt, Pyrminij, *votum piâ opitulatione duceret ad effectum*, quod ita demùm ſagaciter fieri poſſet, *ſi* Rex *cunctis tam Alemanniæ quàm Franciæ Præſulibus conuocatis imputaret neglectûs ipſorum deſidiam, reatûs notificaret pondus, quod nequirent euadere, niſi beatiſſimum Pyrminium ad ſuas Diæceſes ducerent, peſſundatíque gregis damna reſtaurare flagitarent.*

Epiſtolæ Gregorij Secundi Papæ, quæ Winfridi Apoſtolatum commen- XCIII. dant, non paucæ leguntur, nulla verò, quæ mentionem Pyrminij faciat. In epiſtolis etiam, quas Gregorius pro Winfrido ſcripſit, nihil accedit ad ea, quæ ſcripta in cauſa Pyrminij perhibentur. Inter fabulas igitur repone, quidquid de Papæ literis ad Theodoricum Regem, quarum alibi nulla memoria eſt, in vita Sancti Pyrminij circumfertur.

Tertiò, Epiſcopi, quotquot in Alemannia ſunt & in Francia, veniunt XCIV. omnes ad indictam Synodum, ſuámque deſidiam ac negligentiam coram Theodorico Rege faſſi, opportunitatem ac libertatem Pyrminio ſpondent, vt peragat, *quæ diuinitus ſunt inſtituta & ab Apoſtolico*, ſeu Papa, *imperata*.

At vbi habitum hoc Concilium? Quinam huic Synodo interfuerunt XCV. Epiſcopi? Quid Othlonus per Alemanniam, quid per Franciam intellexit? Franciam in alio non videtur vſurpaſſe ſenſu, quàm Willibaldus in vita Sancti Bonifacij, vbi ait illum è Thuringia *Franciam* ingreſſum eſſe, atque inde nauigio delatum in Friſiam. Franciæ vocabulo recentiorem Franconiam ſeu Franciam Orientalem, vbi nulla tunc Sedes Epiſcopalis, à Willibaldo deſignari nemo non videt. Hæc prouincia pars olim Alamanniæ fuit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium [a] obſeruauimus. Reliquam autem Alamanniam moderni Scriptores in duplicem diſtinxerunt Alamanniam, quarum alteram, vt ſuprà dictum eſt, Helueticam, alteram Alſaticam cognominarunt, in hac Epiſcopi erant Nemetenſis & Argentoratenſis, in illa Conſtantienſis & Auguſtanus, nullus prætereà. Quis autem Othloni textum, qui *de cunctis tam Alemanniæ quàm Franciæ Præſulibus* ſynodaliter *conuocatis* circumfertur, ad quatuor duntaxat Epiſcopos reſtringat? Longè abſurdior eſt *Franciæ & Alemanniæ* interpretatio, ſi ditiones omnes, quæ Theodorico Francorum Regi cis & vltra Rhenum parent,

[a] Num. 39.

Digitized by Google

AN. CH. 721. CHILPER. II. R. 6. THEODOR. IV. R. 1.

Franciæ & Alemanniæ vocabulis comprehenſas putes. Vt enim transſhenanos Epiſcopos omittamus, quàm magnus ciſrhenanorum per Galliam numerus in Regno Theodorici? quàm diſiuncti plerique à regionibus, ad quas Pyrminius à Papa directus fertur?

XCVI. Commentitius igitur Othloni textus in multis rebus, quæ Monaſterij Augienſis inchoationem, ſiue annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimumquartum præceſſerunt, nec ante illud tempus de Pyrminio Epiſcopo quidquam credendum videtur, niſi quòd relictâ patriâ, Britanniâ videlicet aut Hiberniâ, varias adiit prouincias, vt eas aut ab idololatria reuocaret ſi nondum Chriſtianæ eſſent, aut in vera fide confirmaret ſi dæmonum cultui iam renuntiaſſent, tandémque conſedit cum ſociis atque cooperatoribus in Epiſcopatu Conſtantienſi, id eſt, in ea Sueuiæ ſiue Alamanniæ parte, vbi Lantfridus Gothofridi quondam Ducis, anno Chriſti ſeptingenteſimo nono mortui, filius Ducatum tunc gerebat.

XCVII. SVAVARICVS AVRELIANENSIS EP. OBIT. Ineunte Theodorici Regis adhuc pueri Principatu, cùm Carolus Maiordomûs auctoritati ſuæ per Neuſtraſiam & Burgundiam ſtabiliendæ totus incumbebat, Suauaricus Aurelianenſis Epiſcopus obiit. Succeſſit Eucherius Gemmeticenſis Monachus, nepos eius ex fratre. Rem, prout geſta eſt, in Actis Sancti Eucherij Scriptor perantiquus ſic enarrat. *Eo tempore, Suauaricum eius*, nempe Eucherij, *patruum, qui Aurelianenſis Eccleſiæ populum in Pontificalis honoris Cathedra regebat, contigit ex hac luce migraſſe. Tunc verò omnis plebs Aurelianorum à Senatu accerſita, Domino annuente, ad Carolum inclytum ſeculi Principem Francorum Legatos cum muneribus atque humili prece mittunt. Ipſi verò, cum velocitate, illius præſentiæ prolati, pedibus ipſius aduoluti, lacrymabilem proferunt ſalutationem, & poſteà huiuſmodi ſermocinationem, dicentes. Domine Princeps inclyte, ſuggeſtioni familiæ tuæ plebis Aurelianorum quæſumus aſpectum minacem non aperias, ſed libenter adimpleas poſtulata. Dominus atque Paſtor noſter, ſeruus tuus Suauaricus, vocante Domino eum, de hoc mundo animam noſcitur emiſiſſe. Obſecramus igitur tuæ pietatis clementiam, vt nepotem eius Eucherium famulis tuis plebi Aurelianorum Pontificem iubeas annecti.* SVCCEDIT EVCHERIVS MONACHVS GEMMETIC. *Ille verò poſtulationem eorum benigniter ſuſcipiens, prouidente Domino ratum præſtitit, quod ab eo humiliter poſtulabant, & ex aula ſua Procerem fidelem direxit miniſtrum, beatum virum, de quo loquimur, ex Cœnobio, quo ſe locauerat, aduocaret, etſi non ſpontaneum, inuitum tamen ad vrbem iam dictam duceret, quatenus ibidem iam iámque ordinaretur Epiſcopus. Quo comperto vir beatus mœſtus ac mœrens flere cœpit coram omnibus fratribus ſuis, dicens ad eos. Ouem veſtram, dilectiſsimi fratres, cur permittitis laqueis implicari ſeculi? An amando mundum, & eius concupiſcentias ſequendo, faucibus diaboli obuolutus, palmam, de qua ſollicitus eram, forſitan non amittam? Tunc fratres omnes ad hanc vocem præ gaudio cum mœrore flere cœperunt; ex gaudio, eò quòd ex eorum ouili ſuper gregem ſuum Dominus Paſtorem prouidiſſet; ex mœrore, eò quòd eius abſentia acquieſcere omnimodis formidabant, erat quippe carus & acceptus omnibus. Egreſſus ergo ex Cœnobio, benedicente Abbate, omnibúſque fratribus proſperitatem ipſius Domino ſupplicantibus, atque vtriſque pariter acclamantibus, ad vrbem vſque præfatam cum velocitate peruenerunt. Tunc Epiſcopis vicinarum ciuitatum accerſitis, omnis plebs vrbana ad eius ordinationem conuenit cum cereis, Crucibus, & choris pſallentium, ac variis veſtimentis induti, & in Cathedra ipſius vrbis Deo digniſſimum Eucherium conſtituunt Præſulem gaudentes, imò ac ſuper omnia gratulantes, quòd tantum talémque Paſtorem ſibi à Domino conceſſum cernerent, maximâque exultatione ſuffulti, vnuſquiſque iocundatus rediit in ſua.* Lege quæ de anno, quo beatus Eucherius Aurelianenſem Pontificatum ſuſcepit, à Bollando [a] ſcripta ſunt in Commentario [b] vitæ eiuſdem Sancti Eucherij præfixo. Gemmeticenſe Monaſterium, vbi Monachum Eucherius induerat, tunc adminiſtrabat Coſchinus, de quo iam locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum [c]. Qualem autem in Pontificatu ſe geſſerit Eucherius, in eius vita paucis ſic deſcribit Auctor iam lauda-

[a] d. 20. Febr.
[b] Num. 10.
[c] Num. 39.

Digitized by Google

tus. *Suſceptam ſarcinam onus ſibi deputauit non honorem. Cæpit dehinc Eccleſias excolere, Clerum diligere, plebem prædicatione ſuâ corrigere, Cænobia circumquaque conſtructa frequenter circuire, atque in eis commorantes omni caritate ac fraternitate diligere. Tanto erga eum omnis Clerus & populus amore tenebatur, quòd ei omnia ſua ſéque dantes in ſuæ obſequium ſe ſubdiderunt ſeruitutis. Erat etenim mente tranquillus, vultu ſerenus, aſpectu amabilis, corpore decorus, & corde ſtrenuus.*

ANNVS CHRISTI 722.
THEODORICI IV. R. 2.

I. ANNO DCCXXII. *magna fertilitas, & bella contra Aquilonem.* Hæc breuiter Annaliſtæ, Nazarianus & Petauianus. Per *bella contra Aquilonem* deſignari putamus expeditionem aliquam in Saxones aut in Friſios à Carolo Maiore-domûs ſuſceptam, Francis enim illæ gentes Septentrionem verſùs erant conterminæ. Waſburgius ſcribit [a] Peponem Virodunenſem Epiſcopum, cùm Carolus in procinctu belli Saxonici eſſet, obiiſſe hoc anno, eíque datum ſucceſſorem Volchiſum ſeu Melchiſum, curante id fieri eodem Carolo.

BELLVM SAXONICVM.

[a] In Epiſc. 20. 21.

EPISCOPI VIRODVNENS.

II. Corbinianus Epiſcopus, ſeptennio poſt ſuum ex Italia reditum expleto, Romam iterùm proficiſci ſtatuit, itérque, quod ab Aribone perantiquo Friſingenſium Epiſcopo prolixè deſcribitur, per Alamanniam, Boioariam, Longobardiam ac Tuſciam confecit. *In Noricum veniens*, ſic Aribo Boioariam vocat, *ibi aliquandiu demoratus, verbi diuini ſeminauit doctrinam, & nonnullorum ſacra verba penetrabant, gratiâ Dei, corda in augmentum fidei Chriſti. Quæ gens adhuc rudis erat, & nuper ad Chriſtum conuerſa. Eo namque tempore erat ibi deuotiſſimus Theodo Dux, inſignis potentiâ & virilis virtute, filiis ornatus, & nobilium virorum alacritate præcipuus. Cuius cùm longè latéque felix fama increuiſſet, prouinciam ipſam ſibi & liberis*, Grimoaldo videlicet, Theodebaldo & Hugiberto, de quibus iam locuti ſumus, *in quatuor partes diuiſit, charíque ibi habebantur Sacerdotes, vt ſolet apud nouitios. Qui dum virum Dei Corbinianum adueniſſe cognouit, ad ſe inuitauit, eúmque humillimâ ſupplicatione flectere conabatur, vt ab ipſo honores ſibi debitos acciperet. Sed obtinere non potuit, quòd vir Dei mallet paupertatem tranquillam ſectari, quàm diuitiis frui perituris. Itaque multa ei munera largitus Dux permiſit abire.* Deinceps, vt Brunnerus [b] obſeruat, nulla Theodonis apud Scriptores eſt memoria. Paulò pòſt enim obiit, nec in viuis ſuperſtes videtur fuiſſe, cùm Corbinianus, vt anno ſequenti dicemus, Româ in Boioariam remeauit. At narrationem Aribonis perſequamur.

CORBINIANVS EPISC. PRÆDICAT IN BOIOARIA.

CHARISSIMVS FIT THEODONI DVCI.

[b] Lib. 5. n. 8.

QVI PAVLO POST OBIT.

III. Relicto Theodone, Corbinianus *in partes filij eius, nomine Grimoaldi venit, qui eum honorificè recepit, & de tanti Pontificis gratulabatur aduentu, nec tantùm ipſe, ſed etiam vniuerſa turba quæ erat in ditione eius. Cùm autem guſtaſſet dulcedinem doctrinæ illius, cæpit multis blanditiis ei ſupplicare, & nimiis inſiſtere precibus, vt eum nequaquam deſereret, pollicebatur enim eum comparticipem facere filiorum ſuorum. Sed vir Dei ad eius promiſſionem ab ſtatu ſuæ mentis minimè declinauit, ſed immobilis ad explendum iter arreptum permanſit, & ſe nequaquam recedere ab huius tramitis perfectione profeſſus eſt. Idem verò Grimoaldus munera illi non modica largitus fecit ei copiam abeundi, direxítque miniſtros, qui eum cum ſummo honore deducerent à finibus Noricenſibus vſque in Italiæ partes. Qui iuſſa complentes, ſub debito honore benedictionem petentes, reuerſi ſunt. Sed ſilenter,*

NECNON GRIMOALDO EIVS FILIO.

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

ignorante quidem viro Dei, iubente autem eodem Principe, actoribus vel habitatoribus Alpium mandauerunt, tam Venuſtica vallis, quàm aliis circumquaque, vt ſi quando eum reuerti in illas partes contingeret, eum à finibus Boioariorum nequaquam paterentur abire, niſi ad iam dictum Principem perueniret. Quid ſecutum ſit dicemus anno ſequenti, quo conſignandus eius ex Italia in Boioariam reditus.

IV. Hoc anno mortuus eſt Grippo Rotomagenſis Epiſcopus, ſedit enim XXIV *annis*, vt Ordericus teſtatur [a]. Cur Reginaldo Gripponem, aduerſùs eiuſdem Orderici ceterorúmque Nomenclatorum opinionem, poſtponamus, expoſuimus ad annum Chriſti duodeſeptingenteſimum [b]. Succeſſit in Epiſcopatum Hugo, qui Monaſticen ab aliquot annis in Cœnobio Gemmeticenſi ſub Aichardo & Coſchino Abbatibus excolebat. *Hic etiam*, vt Auctor [c] Chronici Fontanellenſis docet, *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit, factione ſcilicet patrui ſui Caroli Principis, extra Decreta tamen Canonum; Cœnobia verò nobiliora Fontinellam & Gemmeticum.* Quinque illas Eccleſias, quas Hugo rexit, enumerat etiam Ordericus, & præcitatus Chronographus eos, qui pleniùs Hugonis geſta ſcire cupiunt, monet, vt *ſcrinia ciuitatum, Rothomagenſis, Pariſiacæ & Baiocaſſinæ, & Cœnobij Fontinellenſis, ſimúlque Gemmeticenſis reuoluant.*

[a] Lib. 5. ad an. 1080.

[b] Num. 2.

HVGO FIT EP. ROTOMAG.

[c] Cap. 8.

V. Quinque igitur Eccleſiis, tribus Epiſcopalibus, duabúſque Abbatialibus, ſimul præfuit Hugo, ſed quibus annis adminiſtrationem ſingularum ſuſceperit, haud facile eſt deprehendere. Hoc anno factus eſt Epiſcopus Rotomagenſis. Id conſtat ex Orderico, qui à morte Anſberti Epiſcopi, ſiue ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto, ad Hugonis vſque Pontificatum, annos numerat ſeptem ac viginti. Annum quo Rotomagenſem Præſulatum ſuſcepit Hugo, ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum à Chriſto nato determinatè nominant Dadræus in Archiepiſcoporum Rotomagenſium Chronologia, Chenutius in Hiſtoria Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ, Seuertius in Serie Archiepiſcoporum Rotomagenſium, Miræus in Faſtis [d] Belgicis.

[d] 9. April.

VI. Ioannes Chenutius Hugonis encomium ſic auſpicatus eſt. *S. Hugo Conſobrinus Pippini Regis Francorum, præfuit Eccleſiis Pariſienſi & Baiocenſi, Abbatiis quoque Gemmeticenſi & Fontinellenſi ad annum vſque 722, quo electus eſt Archiepiſcopus Rothomagenſis.* Chenutium deſcripſit Miræus. Seuertius, cùm de ſolis Epiſcopatibus ageret, Abbatiarum Fontanellenſis ac Gemmeticenſis nullam mentionem fecit, Hugonémque aſſeruit factum primò Pariſienſem Epiſcopum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, deinde & Baiocenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, denique & Rotomagenſem eodem anno.

VII. Sed aduerſùs Chenutium eiúſque aſſeclas duæ res ex Chronographo [e] Fontanellenſi conſtant. Hugo, cùm factus eſt Abbas Fontanellenſis, Epiſcopus Rotomagenſis iam erat, regiménque Cœnobij Fontanellenſis poſt Abbatis Benigni mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio ſuſcepit. Præterea ex eodem Chronographo non obſcurè eruitur, quòd Hugoni delatæ ſunt primo loco Rotomagenſes Infulæ, ſecundo Pariſienſes, poſtremo Boiocaſſinæ, quódque idem Hugo Monaſterij priùs Fontanellenſis, quàm Gemmeticenſis, Abbas fuit.

[e] Cap. 8.

VIII. Hoc igitur anno id vnum de Hugone obſeruandum occurrit, quòd ex Aſceta Gemmeticenſi creatus eſt Rotomagenſis Epiſcopus. In Chronico Fontanellenſi, vt à Luca Dacherio [f] publicatum eſt, dicitur *in Sede Rathumagenſi vigeſimus à Mellone primo Pontifice eiuſdem vrbis*, in variis autem lectionibus eiuſdem Chronici, quas idem Dacherius euulgauit, non habetur vigeſimus, ſed *vigeſimus-tertius à Mellone*, eámque poſteriorem opinionem confirmant, Ordericus, Demochares, aliíque recentiores Nomenclatores.

[f] Tom. 3. Spicileg.

IX. Superſtes in viuis tunc erat Benignus Abbas Fontanellenſis ac Flauiacenſis, de quo ſic Auctor [g] Chronici Fontanellenſis. *Hic Benignus Abbas euin-*

[g] Cap. 7.

BENIGNVS ABB. FONTANELL. EVINDICAT MONTECELLVM VILLAM.

Digitized by Google

dicauit contra Bertharium Comitem villam, quæ vocatur Montecellus, quæ eſt ſita AN. CH.
in pago Oximenſi, coram Carolo Maiore-domûs, mediante aduocato ſuo, nomine Ro- 722.
berto. In quo Conuentu interfuerunt hi Epiſcopi, Ebbo, Baldoinus & Milo, ſeu alij THEO-
illuſtres viri & Comites, Teudericus, Rotgarius, Anginulfus, & Haregarius. Diem DOR. IV.
ac locum huius euindicationis idem Auctor ſic notat. *Celebrata eſt hæc euin-* R. 2.
dicatio anno tertio, tertij loco ſecundum repone, *regnante Theoderico Iuniore*
Rege, XIV. *Kal. Auguſti, Tulpiaco Caſtro*, vel, vt alia lectio habet, *Tulbiaco*
Caſtro. De ſitu Tulpiaci ſeu Tulbiaci *, vbi Clodoueus Magnus de Regi- * *Zulch.*
bus Alemannorum ac Boiorum triumphauit, egimus ad annum Chriſti qua-
dringenteſimum nonageſimum-ſextum [a]. Porrò in præcitato Fontanellen- [a] Num. 4.
ſis Chronici textu ſecundum Theodorici Regis annum loco tertij legendum
diximus, quia Benignus Abbas, vt anno ſequenti ex eodem Chronico [b] pro- [b] Capp. 7. 8.
babimus, migrauit ex hac vita decimo-tertio Kalendas Aprilis, anno Chriſti
ſeptingenteſimo viceſimo tertio, priuſquàm Theodoricus annum Regni ſui
tertium per menſem Iulium, ſeu XIV. *Kal. Auguſti*, numeraret.

X. Inter teſtes iſtius euindicationis, tres nominantur Epiſcopi, *Ebbo, Baldoi-*
nus & Milo. Duo erant Metropolitæ, Ebbo Senonenſis, Remenſis Milo. EPISCOPI
Cuius Sedis Epiſcopus eſſet Baldoinus, haud ita liquet. Baldoinus ſeu Bal- TRECENSES.
duinus nobis idem videtur ac Arduinus Trecenſis Epiſcopus, qui Gauthe-
rio Aldoberti à nobis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum [c] laudati proxi- [c] Num. 37.
mo ſucceſſori immediatè ſucceſſit.

XI. Gautſerium ſeu Gautcerium, qui deceſſor Arduini fuit, proximum Al-
doberti ſiue Aldeberti ſucceſſorem dicimus, licèt in Catalogis Trecenſium
Epiſcoporum hactenus editis, ſi vnum excipias, quem initio Antiquitatum
Tricaſſinarum Nicolaus Camuzatus è Codice manuſcripto Cœnobij Arre-
marenſis euulgauit, haud ignoremus locum inter Aldobertum & Gautſe-
rium concedi Fredeberto, quem Demochares, Chenutius ac Seuertius Fre-
debertum ac Frodobertum vocarunt. At vt Camuzatus, in cuius manus
confecto iam & abſoluto Antiquitatum Tricaſſinarum Promptuario Codex
Arremarenſis ſeriùs venit, in præfatione ad Indicem Epiſcoporum Trecen-
ſium ex illo Codice publicandum rectè ratiocinatur, Fredebertus ille ſeu
Frodobertus expungi debet, *qui cùm Abbas Cellenſis fuerit & nominatiſſimus, à*
quibuſdam Elenchorum concinnatoribus, re non ſatis exactè perpenſâ, in dictorum
Præſulum ordine eſt collocatus. De Sancto Frodoberto Cellenſi Abbate, qui
Kalendis Ianuariis anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſeptuageſimo feliciter ex
hac vita migrauit, & ab Abbone Trecenſi Epiſcopo ſepulturæ traditus eſt,
actum fusè Tomo ſuperiori.

XII. In prælaudato Codice Arremarenſi, poſt Abbonem, qui Sanctum Frodo-
bertum ſepeliuit, ſequuntur *Wandelmarus* ſeu Waymerus, aut Wammirus,
Vulfeudus ſeu Vulfredus, *Raganbertus* ſeu Ragembertus, *Aldebertus* ſiue Al-
dobertus, *Gautcerius* ſiue Gautſerius, *Arduinus*, de cuius ætate nunc inqui-
rimus. Præſules illos nec Auctor iſtius Codicis nec Demochares per annos
diſtinxit. Democharem imitati ſunt, Camuzatus, Robertus, Sammar-
thani.

XIII. Petrus Pithœus, quibus temporibus Abbo & Aldebertus floruerint, co-
natus eſt indicare, neutrius ætatem benè attigit, quia in deprauatum Flo-
doardi textum incidit, vbi mentio fit Abbonis Tricaſſini Epiſcopi, nec Al-
debertum ab Adalberto ſatis diſtinxit. Ex Flodoardi lectione finxit Abbo-
nem Dagoberto Regi & Leudegeſilo Remenſi Metropolitæ ſynchronum,
& ex Arremarenſis Cœnobij fundatione, quam medio octauo ſeculo atque
annuente Aldeberto factam putauit, ad eiuſdem Aldeberti latus annum
Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum appoſuit.

XIV. Vulgati Flodoardi [d] textus talis eſt. *Leudegeſilus, Attilæ Epiſcopi* Laudu-
nenſis *frater, tempore Dagoberti Regis Epiſcopium* Remenſe *rexit, quod etiam re-* [d] Lib. 2. c. 6.
bus emptis, ſcilicet ſyluis, pratis, ruribus auxit. Quædam quoque cum Abbone Tri-

Digitized by Google

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R 2. *caſſino Epiſcopo pro vtriuſque partis opportunitate commutauit.* Textum illum Tomo ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum [a] allegauimus, oſtendimúſque interpolatum fuiſſe adiecto hoc vocabulo, *Tricaſſino*, quod demere debeas, vt in Leudegeſili Remenſis Antiſtitis encomio Abbonem ſimpliciter Epiſcopum legas interpreteríſque Metenſem Epiſcopum, quia Goericus cognomento Abbo Metenſis Epiſcopus Leudegeſilo Remenſi Epiſcopo & Attilæ Leudegeſili fratri Laudunenſi Epiſcopo ſynchronus vixit. Diœceſim Metenſem ab anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſexto ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum gubernauit Goericus Abbo; Diœceſi Remenſi præfuit Leudegeſilus ab anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-primo ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-primum; Attila factus eſt Epiſcopus Laudunenſis anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo, ſuperſtéſque adhuc erat in viuis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo. Longè ſeriùs poſt Dagoberti Regis obitum Leudegeſilique Remenſis Epiſcopi mortem ad Epiſcopatum Tricaſſinum promotus eſt Abbo cognomento Felix, Pontificales enim Infulas geſſit poſt Bertoaldum, Bertoaldus poſt Leuconium, Leuconius poſt Lupum, Lupus autem, vt ipſemet Pithœus fatetur, floruit *ſub Clodoueo*, id eſt, ſub Clodoueo Secundo, ipſius Dagoberti filio ac ſucceſſore.

[a] Num. 15.

XV. Ioannes Chenutius, vt anachroniſmum Pithœi vitaret, ad Dagobertum Iuniorem, ſuperioris abnepotem, confugit ſic. *Abbo-Fœlix regnante Dagoberto, anno* 710. Nec ſuæ computationi ſatis conſuluit. Iunior enim Dagobertus in Regnum Childeberto Patri ante annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum haud ſucceſſit. Addequòd hic Dagobertus, qui poſt Childebertum Tertium Patrem regnauit, procul abfuit ab ætate Leudegeſili Remenſis Epiſcopi, qui vitam anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-primo clauſit. Chenutius, vt Abbonis Epiſcopatum in regnum Dagoberti Iunioris reiiceret, adductus præcipuè videtur, quòd Aldeberti Pontificatum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo cum Pithœo conſignare vellet. At de tempore, quo ſedit Aldebertus, agemus infrà.

XVI. Nicolaus Camuzatus vitæ Sancti Frodoberti, vbi agitur de Abbone Epiſcopo Trecenſi, qui eundem Sanctum Frodobertum ſepulturæ tradidit, hanc notatiunculam ad marginem adiecit, *an. circiter* 700. Et in Catalogo Epiſcoporum Trecenſium, vbi ad eundem Abbonem peruenit, de illo ſic ſcripſit. *Abbo-Felix memoratur etiam in Frodobertina Hiſtoria; auctórque eſt Frodoardus eum prædia quædam cum Leudegiſillo Archi-præſule Rhemenſi commutaſſe, ad vtriuſque Eccleſiæ, Rhemenſis videlicet & Trecenſis commodiorem vſum.* Locum quoque Flodoardi ſic in margine notauit, *Hiſt. Rhem. lib. 2. cap. 6.* Sed nomen Dagoberti Regis, cuius tempore Leudegeſilus teſte eodem Flodoardo Epiſcopium rexit, de induſtria reticuit, quia circa annum Chriſti ſeptingenteſimum Dagobertus in Francia non regnabat. Tres apud Francos imperarunt Dagoberti; primus, de quo loquitur Flodoardus ſuprà citatus, obiit ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo duodequadrageſimo; ſecundus, quem Camuzatus ignorauit, occubuit anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, tertius Regnum anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo ſuſcepit. Lege quæ Tomo ſuperiori aduersùs Camuzati notatiunculam ſuperiùs allegatam dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum [b], triáque obſerua de Abbone Epiſcopo, quæ validis argumentis eodem Tomo probata ſunt. Abbo Trecenſem Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo gerebat, Kalendis Ianuarij proximè ſequentibus interfuit exequiis Sancti Frodoberti, vitámque clauſit anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, itaut ab eius obitu ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum tres ac viginti ſupereſſent anni.

[b] Num. 4.

XVII. Nicolaus Deſguerroiſius vtramque Camuzati & Chenutij de Abbone Epiſcopo ſententiam complexus eſt, ſcripsítque Abbonem à quibuſdam Epi-

Digitized by Google

ſcopum vocari ad annum Chriſti ſeptingenteſimum, ab aliis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum. Neutram illarum opinionum tueri quis poteſt. Abbonis enim obitus annum Chriſti ſeptingenteſimum annis tribus ac viginti; ſeptingenteſimum decimum, triginta-tribus, anteceſſit. AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

XVIII. Iacobus Seuertius ceteris audacior de Abbone eiúſque ſucceſſoribus in hunc modum ſcripſit. *Abbo-Felix vbique, ad an.*700. *Vulfredus apud omnes, finiens an.*720. *Ragembertus pariter, tendens ad* 730. *Aldebertus vel Aldobertus, vir ſummi ingenij, vſque ad an.*750. Licèt magna cum fiducia his vocibus vtatur, *vbique* in Abbone, & *apud omnes* in Vulfredo, ducem, quem ſequatur, vnum habet in Abbone Camuzatum, in Vulfredo & Ragemberto neminem, in Aldeberto Pithœum & Chenutium. Pugnantia loquitur Camuzatus; Pithœus eiúſque aſſecla Chenutius triplicem in Aldeberto errorem committunt.

XIX. Camuzatus à ſeipſo diſſidet, quoniam ad vitam Sancti Frodoberti Abbatis, vbi de Abbone Epiſcopo Trecenſi ſermo inſtituitur, in margine annum Chriſti circiter ſeptingenteſimum notat, & in Catalogo Trecenſium Epiſcoporum ex auctoritate Flodoardi contendit Abbonem Trecenſem Epiſcopum prædia quædam cum Leudegeſilo Remenſi Metropolita commutaſſe. *Leudegeſilus* autem, vt eodem loco [a] Flodoardus teſtatur, *tempore Dagoberti Regis Epiſcopium rexit*, nec is Dagobertus alius fuit à Dagoberto Magno ſeu Primo, nam Flodoardus de Leudegeſili ſucceſſoribus Angelberto & Landone hæc eodem capite ſubiungit. *Hunc*, nempe Leudegeſilum, *ſequitur Angelbertus. Ipſe quoque rebus emptis auxiſſe reperitur Epiſcopium. Cui ſucceſſit Lando vir illuſtriſſimus, & multorum poſſeſſor prædiorum. Fuit autem Sigeberti Regis tempore*, id eſt, Epiſcopatum geſſit regnante tum Sigiberto Tertio, qui poſt Dagobertum Magnum patrem in Auſtraſia regnauit, & ex hac vita migrauit Kalendis Februariis anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto. Flodoardus rectè ſcribit Landonem Epiſcopum fuiſſe *Sigeberti Regis tempore*, Remenſem enim Eccleſiam ab anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quinto ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndequinquageſimum gubernauit Lando, qui poſt Angelbertum Leudegeſili ſucceſſorem ſedit. Ergo Abbo Trecenſis Epiſcopus, ſi quædam prædia cum Leudegeſilo Remenſi Metropolita commutauit, Pontificatum longè ante annum Chriſti ſeptingenteſimum tenuit. Ab Abbone Epiſcopo, cuius mentionem Flodoardus facit, diſtinguendus eſt Abbo Tricaſſinus Epiſcopus. Hic enim ſeriùs Leudegeſilo vixit, nec tamen ad annum Chriſti circiter ſeptingenteſimum peruenit, eius obitum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo conſignauimus. Succeſſit in Epiſcopatum Trecenſem Waymerus ſeu Wammirus aut Wandelmarus, qui ſedit annum vnum deſiitque viuere anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo. De ſucceſſoribus Vulfredo & Ragemberto nihil in antiquis monumentis præter nomina legitur. Habitâ præcedentium Pontificatuum ratione, Aldebertum, quem in vita Sancti Frodoberti laudatum reperimus, diximus Epiſcopum anno Chriſti ſeptingenteſimo fuiſſe.

[a] Lib. 2. c. 6.

XX. Pithœus Epiſcopatum Aldeberti, quem tamen proximum Ragemberti ſucceſſorem agnoſcit, in annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum reiicit, hac vnâ propoſitâ ratione, quòd Aldebertus Epiſcopus Arremaro locum condendo Monaſterio, quod ab eiuſdem Arremari nomine noſtris etiam temporibus Arremarenſe nuncupatur, conceſſit anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo quadrageſimo vel ſeptingenteſimo quinquageſimo ſub Gregorio Quarto Papa. Chenutius ſeruato Aldeberti nomine, quod apud Pithœum occurrebat, adiecit Aldoberti nomen, quod in vita Sancti Frodoberti legebatur, & Aldebertum ſiue Aldobertum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo Trecenſem Epiſcopum dixit. Eadem ſcripſit Seuertius.

Digitized by Google

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

In Pithœi aſſertione, quâ ſolâ Chenutius & Seuertius nituntur, triplex eſt error.

XXI. Primò, Aldebertus ſiue Aldobertus Epiſcopus, de quo nunc agimus, diſtinguendus eſt ab Adelberto ſiue Adalberto, qui locum ad condendum Monaſterium Arremaro ſiue Adremaro conceſſit. Inter vtrumque in Arremarenſi Codice medij ſedent octo, apud Pithœum vndecim, tres enim irrepſerunt in vulgatos Catalogos, quibus Arremarenſem præferendum Camuzatus initio Antiquitatum Tricaſſinarum meritò cenſet.

XXII. In hoc Catalogo viceſimum-quartum locum obtinet Aldebertus, triceſimum-tertium Adelbertus. Quòd autem Arremarenſe ſiue Adremarenſe Monaſterium nono ſeculo fundatum ſit, cùm Trecenſes Infulæ penes Adelbertum ſiue Adalbertum eſſent, cui locus inter Trecenſes Epiſcopos triceſimus-tertius in Arremarenſi Codice tribuitur, id Camuzatus in Miſcellaneis probat ex vetere monumento, quod infrà deſcripturi ſumus. Ergo Pithœus ex Arremarenſis Monaſterij fundatione validum eruere non poteſt argumentum, vt Aldeberti, qui viceſimus-quartus inter Epiſcopos Trecenſes ordine recenſetur, Pontificatum anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo vel ſeptingenteſimo quinquageſimo illiget.

XXIII. Secundò, Pithœus incunabula Cœnobij Arremarenſis ab anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo vel ſeptingenteſimo quinquageſimo malè repetit. Hæc enim, vt Camuzatus in Miſcellaneis Hiſtoricis teſtatur, in eiuſdem Monaſterij Codice vetuſtiſſimo ſic indicantur. *Anno ab Incarn. Domini* 837. *Indict.* . . . . . *fundatum eſt Cœnobium in ſylua, quæ vocatur Deruus, in loco, qui dicitur Manſus Corbonis, poſteà nona Cella, in pago Tricaſſino à Presbytero quodam Adremaro, exiſtente tunc Tricaſſino Antiſtite Adalberto, Comite Aledranno.* Apud Camuzatum legitur *Indict.* 11. ſed vitiosè, annus enim Chriſti octingenteſimus triceſimus-ſeptimus, quo Præſulatum Adalbertus ſiue Adelbertus iam obtinebat, partim Indictioni decimæ-quintæ, partim Indictioni primæ illigatur. Ceterùm vt clariùs intelligas, primam originem Arremarenſis Monaſterij non ad Aldeberti ſiue Aldoberti ſed ad Adelberti ſiue Adalberti Pontificatum referendam eſſe, nota eidem Adelberto ſiue Adalberto proximè ſucceſſiſſe Prudentium, cui Leo Papa Quartus ipſummet Arremarum Româ redeuntem per literas commendauit, quas, ſi lubet, apud Baronium [a] conſule.

[a] Tom. 10. an. 855. n. 10.

XXIV. Tertiò, Gregorius Quartus Papa nec anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo vel ſeptingenteſimo quinquageſimo ſedit, nec Aldeberto ſiue Aldoberto Trecenſi Epiſcopo ſynchronus vixit. Florebat autem anno Chriſti octingenteſimo triceſimo-ſeptimo, cùm Monaſterium Arremarenſe fundatum eſt, Adelberto ſiue Adalberto Epiſcopo Eccleſiæ Trecenſi tunc præſidente, vt obſeruatum eſt ſuprà.

XXV. Pithœo, qui Chenutium & Seuertium fefellit, ſic confutato, nihil vetat, quominùs Aldebertum ſiue Aldobertum Trecenſem Epiſcopum anno Chriſti ſeptingenteſimo vixiſſe cenſeamus. In Arremarenſi Codice, qui ceteris præſtat, proximi ſucceſſores ſequuntur Gautſerius & Arduinus. Hunc Arduinum ſuſpicamur eundem eſſe cum Baldoino ſeu Balduino Epiſcopo, cuius meminit Chronographus Fontanellenſis ſub Theodorico Quarto Rege & Benigno Abbate Fontanellenſi, ad hunc videlicet annum, Natiuitatis Dominicæ ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum, vt dictum eſt ſuprà. Tempus certè conuenit, idque patet ex prædictis, nec multùm differunt hæc vocabula, *Arduinus*, *Alduinus*, *Ardoinus*, *Aldoinus*, *Balduinus*, *Baldoinus*. Amanuenſium librariorúmque vitio *a* in *o* & *r* in *l* ſæpè mutantur, atque inde fit vt vnus idémque vir *Arduinus*, *Ardoinus*, *Alduinus* & *Aldoinus* appelletur. Nonnumquam etiam deprehendimus literam *B*, quæ nomini præponebatur, & *Beatum* ſignificabat, alio errore cum ipſo nomine coniunctam fuiſſe. In vita Sanctæ Odiliæ manuſcripta, quam legimus, *B. Erhartus* Epiſcopus

ſcopus corruptè *Berhartus* vocatur. Simili modo *B. Alduinus* ſeu *B. Aldoinus* vitioſè *Balduinus* & *Baldoinus* ſcribi potuit. AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

XXVI. Quicquid ſit illo de nomine, Lectori noſtra coniectura ſeu placeat ſeu diſpliceat, Arduinum Epiſcopum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo in Trecenſi Cathedra ſediſſe non eſt quod in dubium quis reuocare poſſit. Hæc computatio colligitur ex præcedentibus Pontificatibus, ſubſequentibúſque præualidè confirmatur. In Codice Arremarenſi recentioribúſque Catalogis poſt Arduinum hi ponuntur Epiſcopi, Cenſardus, Bobinus, Amingus. Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo quo florebat Arduinus, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum quo Pippinus Regnum ſuſcepit, effluxerunt anni triginta, quorum primam partem Arduino, mediam Cenſardo, poſtremam Bobino ſic attribuimus, vt eiuſdem Bobini Pontificatum ad Regnum vſque Pippini perueniſſe cenſeamus. Opinioni noſtræ plurimùm patrocinatur Camuzatus. *Coniecturâ*, inquit, *aſſequi facile eſt, eos*, Amingum videlicet eiúſque proximos ſucceſſores, *Pipini & Caroli Magni Chriſtianiſſ. Regum temporibus vixiſſe.*

XXVII. In Catalogis Epiſcoporum Trecenſium hactenus editis, ſi Seuertianum excipias, ab Aldeberto Epiſcopo ad Heliam vſque qui Adalbertum anteceſſit obiitque Ludouico Pio Imperium tunc obtinente, nullus occurrit Character Chronologicus. Sic autem procedit computus Seuertij.

30. *Aldebertus vel Aldobertus, vir ſummi ingenij, vſque ad an.* 750.
31. *Fredebertus ſeu Frodobertus ad an.* 760.
32. *Gauſerius & Gauterius ad an.* 770.
33. *Arduanus ſeu Arduinus ad an.* 780.
34. *Cenſardus circa an.* 790.
35. *Robinus in Camuzato, ſeu Babinus apud Democharem, & S. Bobinus apud Chenutium, a.* 810.
36. *Almulgus ſiue Amigus Demochari, Amingus Camuzato, & Amugus Chenutio, anno* 800.
37. *Adelgarius prioribus, & Adelgarus poſtremo, ſub an.* 810.

XXVIII. Aduersùs hunc Auctorem, præter ea quæ ſuperiùs allegata ſunt, hæc duo maximè ſunt obſeruanda. Primò, Fredebertus ſeu Frodobertus Cellenſis Abbas fuit, ſepulturæ traditus eſt ab Abbone Epiſcopo Trecenſi, nec vnquam geſſit Epiſcopatum. Deinde, ſi Bobinus Epiſcopus ſedebat anno Chriſti octingenteſimo decimo, quomodo de proximis illius ſucceſſoribus Amingo & Adelgario quis audeat aſſerere, quòd Amingus Sedem tenuerit anno Chriſti octingenteſimo, Adelgarius ſub annum Chriſti octingenteſimum decimum. Plura de Bobino ſucceſſoribúſque dicemus Tomo ſequenti.

XXIX. BASINVS FIT EPISC. NEMETENSIS POST LONGVM INTERPONTIFICIVM. His circiter temporibus Epiſcopatum Nemetenſem regendum ſuſcepit Baſinus, de quo ſic Bruſchius in Spirenſium Nemetenſium Pontificum Catalogo. *Baſinus ſucceſſit Tragebodo, cùm vacaſſet tamen aliquandiu Eccleſia Nemetum. Præfuit autem temporibus Caroli Martelli annis ſeptem, menſibus octo; quando ex hoc ſeculo emigrauit, aut quo anno præſidere cœperit, ignoratur.* Tomo ſuperiore mortem Tragebodi Epiſcopi Nemetenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto conſignauimus. Ab illo anno ad hæc circiter tempora interpontificium annorum circiter ſeptem ac triginta collocamus. Bucelinus parte primâ Germaniæ Sacræ, cùm Catalogum Epiſcoporum Spirencum edit, hoc loco differt à Bruſchio, nam Tragebodo, quem æquè ac Bruſchius anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto mortuum perperam tradit, Baſinum abſque vllo interpontificio ſubrogat, tum aliquorum, qui Baſino ſucceſſerint, ait deeſſe nomina, deinde, vt in gratiam cum Bruſchio redeat, Latonem ſiue Iattonem Epiſcopum affirmat anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo deceſſiſſe. Bruſchius quidem Eccleſiam Nemetum vt ante ſic & poſt Baſini Præſulatum interpontificio laboraſſe teſta-

Digitized by Google

tur, aſſerit enim Baſinum præfuiſſe *temporibus Caroli Martelli, annis ſeptem, menſibus octo*, & Latonis ſiue Iattonis ad Epiſcopatum promotionem in annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſextum reiicit. At Lato nec Epiſcopatum iniit anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-ſexto vt vult Bruſchius, nec è vita diſceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo vt idem Bruſchius & Bucelinus contendunt, Dauid enim ipſius Latonis ſucceſſor Pontificatum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequinquageſimo iam gerebat, vt patet ex literis Zachariæ Papæ, quas ſuo loco recitabimus. Epiſcoporum igitur Nemetenſium ſeu Spirenſium Chronologiâ diligenter inſpectâ nihil nobis veriſimilius viſum eſt, quàm vt Baſinum anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, Latonem anno pòſt octauo ſiue anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo triceſimo, Dauidem anno pòſt vndecimo ſiue anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo, Pontificalibus Infulis donatos diceremus.

XXX. ABBATVM WEISSENB. CATALOGVS EXAMINATVR. Iiſdem temporibus in eodem Epiſcopatu Nemetenſi florebat Weiſſenburgum, inſigne Monaſterium, quod à Dagoberto Magno ſolius Auſtraſiæ tunc Rege conſtructum eſt. Abbatum Catalogus apud Bruſchium in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ talis inuenitur.

XXXI. 1. *Principius Abbas & Epiſcopus Spirenſis, ſed vtri dignitati priùs præfectus, incertum; ego ex Abbate Epiſcopum factum exiſtimo.* Suffragamur Bruſchio. Principius à primo conditu Cœnobium rexit, donec poſt Athanaſij Nemetenſis Epiſcopi mortem, cùm Sigibertus Tertius in Auſtraſia regnaret, anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſecundo factus eſt Epiſcopus, vt Tomo priori ad illum annum obſeruauimus.

XXXII. 2. *Cheodonius.* Hic Abbatiale munus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-ſecundo ſuſcepit, cùm Principius Abbas ad Epiſcopatum Nemetenſem promotus eſt.

XXXIII. 3. *Radefridus, huic Badenſes Thermæ conceſſæ eſſe leguntur.* Iſtius donationis tabulæ reperiuntur apud Coccium [a], datæ ſunt anno ſecundo Dagoberti Regis, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto, cùm enim Childericus Secundus anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio interiiſſet, Dagobertus Sigiberti Tertij filius, Dagoberti Magni nepos, ex Hibernia ſtatim reuocatus eſt vt in Auſtraſia regnaret, annóque ſui Principatûs ſecundo Thermas Badenſes Monaſterio Weiſſenburgenſi, cui tunc Radefridus Abbas præerat, inſigni munificentiâ tradidit.

[a] Cap. 18.

XXXIV. 4. *Ehrwaldus.*

XXXV. 5. *Iuſtulphus Abbas aliquot annorum, & tandem Epiſcopus, ſed cuius loci, id incertum eſt. Quidam Catalogi Moguntino Epiſcopatui eum præfuiſſe, & Haiſtulphum eſſe aiunt, qui obiit Moguntiæ anno 825. Sed cùm numeri annorum non correſpondeant, aut hunc Catalogum mendoſum eſſe neceſſe eſt, aut Moguntino Epiſcopatui Iuſtulphum hunc non præfuiſſe. Iudicium ſit penes Lectorem.* Exiſtimamus mendoſum eſſe hunc Catalogum, & Iuſtulphum eundem ſtatuimus cum Haiſtulpho, cui locus inter Abbates Weiſſenburgenſes ſub Carolo Magno, deinde inter Archiepiſcopos Moguntinos ſub Ludouico Pio tribuendus.

XXXVI. 6. *Aſtrammus.*

XXXVII. 7. *Gerbertus.*

XXXVIII. 8. *Ehrimbertus, vel Erembrechtus Abbas, & tandem Wormatienſis Epiſcopus, vbi præfuit anno 798. Hîc iterum Catalogum hunc mendoſum & perturbatum eſſe iudico, in quo nihil tamen temerè mutare volui.* Mendoſus certè hoc loco Catalogus, nec dubium quin Ehrimbertus in tempora Caroli Magni remittendus ſit, quo regnante factus eſt primùm Weiſſenburgenſis Abbas, deinde Wormatienſis Epiſcopus.

XXXIX. 9. *Dragebodo Abbas Weiſſenburgenſis, tandem Epiſcopus Spirenſis deſignatus anno Domini 678.* Mendoſus etiam hoc loco Catalogus. Nam Dragebodo ſeu Dragebodus Epiſcopus, qui poſt Principium in Cathedra Nemetenſi

ſeu Spirenſi ſedit, ſi priuſquàm ad Epiſcopatum eueheretur, Abbas extitit Weiſſenburgenſis, Radefridum anteceſſit in adminiſtratione Monaſterij, nec illius loci nonus Abbas ſed tertius haberi debet. AN. CH. 722.

10. *Charialdus.* THEODOR. IV.

11. *Bernhardus, alibi Wernharius, ex Abbate tandem Wormatienſis Antiſtes.* Hunc Wernharium in Tomum ſequentem reiiciemus. Fuit enim Abbas R. 2.
Weiſſenburgenſis regnante Pippino, & eodem Pippino morti proximo electus eſt Epiſcopus Wormatienſis. XL. XLI.

12. *Dauid anno 767 ex Abbate Spirenſis Epiſcopus deſignatur à ſuperſtite adhuc Pipino Rege.* Dauidem ex Abbate Weiſſenburgenſi factum Epiſcopum Nemetenſem ſeu Spirenſem non inficiamur, ſed ex Zachariæ Papæ literis conſtat eum ordinatum Epiſcopum Pippino nondum Rege. XLII.

XLIII. Gabriel Bucelinus in Epiſcopis Spirenſibus obſeruat pleroſque eorum, vel ex Monachis Weiſſenburgenſibus, vel ex Abbatibus illius loci, factos Epiſcopos, idque veriſimillimum putamus. A primo Weiſſenburgenſis Monaſterij conditu ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum, quo Pippinus regnare cœpit, quinque duntaxat ordinati ſunt Nemetenſes Epiſcopi, Principius, Tragebodus, Baſinus, Lato, & Dauid. E quibus tres, antequàm ad Epiſcopatum aſſumerentur, apud Weiſſenburgum Abbatiali munere defuncti ſunt, Principius, Tragebodus, Dauid. De Baſini Latoniſque Monachatu altum apud Auctores ſilentium, ideóque eos ante ſuſceptum Pontificatum Clericos fuiſſe rectè cenſueris.

XLIV. His ita poſitis, Abbatum Weiſſenburgenſium, qui ſub Merouingis Regibus vixerunt, accuratum Indicem accipe. Principius Monaſterium à primo conditu rexit ſub Dagoberto Primo & Sigiberto Tertio Regibus ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſecundum, quo factus eſt Epiſcopus Nemetenſis. Eodem anno Cheodonius Abbatiale munus iniit. Huic ſucceſſit in adminiſtrationem Cœnobij Tragebodus, cui, regnante Childerico Secundo, Nemetenſes Infulæ anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo delatæ. Tunc Radefridus Abbas eſſe cœpit, ſuperſtéſque erat in viuis anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quinto, cùm Dagobertus Secundus Thermas Badenſes Monaſterio Weiſſenburgenſi contradidit. Poſt Radefridum, quem Dagoberto Secundo Regi ſuperuixiſſe credimus, eidem Monaſterio præfuerunt, Erhwaldus, Aſtrammus, Gerbertus, Abbates ſolis nominibus noti. Tum Dauid, qui factus eſt Epiſcopus Nemetenſis anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo, eodémque tempore conſtitutus eſt Aſcetarum Weiſſenburgenſium Abbas Charialdus, de cuius ſucceſſoribus agemus Tomo ſequenti.

XLV. *WINFRIDVS RELICTA FRISIA, RECVSATOQVE EPISCOPATV.*

Hoc anno Winfridus, cùm in erudiendis Friſiis triennium cum Willebrordo illius regionis Epiſcopo inſumpſiſſet, Epiſcopali dignitate recuſatâ Friſiam deſeruit, vt Germaniæ partes adiret, ad quas ſe miſſum à Gregorio Papa dicebat. Rem, vt geſta eſt, ſic in eius vita deſcribit beatus Willibaldus. *Sanctus hic Dei famulus cooperator factus etiam eſt per tres inſtantes annos Willibrordi Archiepiſcopi, multúmque in Chriſto laborans non paruum Domino populum deſtructis delubrorum fanis, & exſtructis Eccleſiarum oratoriis, præfato Pontifice opitulante, acquiſiuit. Cùm verò ſummus hic ſenuiſſet Pontifex & ætatis plurimis grauaretur annis, decreuit etiam ſuggerente diſcipulorum cœtu, vt ſolatium tanti miniſterij ſuæ decrepitæ ſenectuti prouideret, & fidelem de parua congregatione virum eligeret, qui tanto præeſſe potuiſſet populo. Accitóque hoc famulo, ſalutari cum inſtructione admonuit, vt Epiſcopalis regiminis ſuſciperet gradum, & ad regendum Dei populum ſibi ſubueniret. Qui etiam humiliter repentè reſpuens, minimè ſe dignum eſſe Epiſcopatûs gradu referebat, &, ne ſibi tantæ dignitatis faſtigium adoleſcentiæ adhuc in annis conſtituto imponeret, deprecatus, &, quoniam quinquageſimi anni, iuxta canonicæ rectitudinis normam, necdum plenè reciperet ætatem, teſtatus eſt, vt omni ſe penitus excuſationis tergiuerſatione ab huius gra-*

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

dûs celſitudine declinaret. Prædictus itaque tam ſancti præconij Pontifex placidè illum verbis increpauit, & diligenti eum curâ ad huius propoſiti gradum inſtigauit, populíque ſubiecti maximam magnoperè paupertatem prædicebat. Sed cùm neque ſic correptus ad ſuſcipiendum huius celſitudinis gradum conſentiret, iámque per longas tricationum moras ſpiritualis inter eos exorta contentio,& conſona pulchra diſcretionis facta eſt diſſenſio. Hic verò grandi præuentus humilitate tanti gradum contradixit honoris, ille autem piiſſimi appetitu lucri irretitus ſalutem concupiuit animarum. Cúmque ſic diuerſa iam ſermocinationum verba inuicem protuliſſent, ſanctus hic Dei ſeruus, velut in ſpirituali quodam ſtadio poſitus placidè prorſus excuſationis exerens ſermonem ait. O ſummæ ſanctitatis Pontifex, ô ſpiritualis proreta agonis, ego enim à beato ſanctæ recordationis Gregorio Papa Germanicis mandatum gentibus detuli, ego Apoſtolicæ Sedis Legatione fungens ad Occidentales barbarorum regiones, ſponte tuæ me dominio gubernationis iniunxi, & propriæ voluntatis arbitrio, ignorante dominorum ſublimatu, copulaui, quorum vſque in hodiernum diem ſponſionis voto conſtrictus ſum ſeruituti atque ſubiectus. Quapropter, ſine Apoſtolicæ Sedis conſultu & authenticæ iuſsionis mandato, tam præclaræ ſublimitatis ordinem ſuſcipere non audeo. Sed & alia quæque rationabili petitionis ſupplicatione verba proferebat dicens. Obſecro igitur, vt me propriæ ſponſionis vinctum cathenis ad has, ad quas primitus à Sede Apoſtolica miſſus ſum, terras deſtinando dirigas. Cui protinus vir Dei, auditâ tantæ profeſſionis causâ, datâ ei benedictione, licentiam dedit abeundi. Qui etiam ſtatim proficiſcens peruenit ad locum, cui nomen inſcribitur Ameneburgh, iuxta Apoſtolum enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam aſſecutus eſt. Per ſingulos enim à proœmio gradus, virtutis documenta & laboris in Domino conſtantiam huius ſancti viri perſtrinximus, vt ſapientia ſubtiliùs bonorum eius exempla conglobatim ad memoriam reuocemus. Cúmque ingentem Domino populum in Freſonibus acquireret, multíque ab eo ſpirituali doctrinâ edocti ad agnitionem veritatis irradiantibus veræ lucis radiis peruenirent, tunc quippe Domino patrocinante alias Germaniæ prædicandi causâ partes adiit, & ſupradictum locum, cui gemini præerant germani, Derdic videlicet & Deorulf Domino auxiliante obtinuit, eóſque à ſacrilega idolorum cenſura, quâ ſub quodam Chriſtianitatis nomine malè abuſi ſunt, reuocauit, ac plurimam populi turbam, rectè patefactâ intelligentiæ viâ, errorum depoſito horrore à maleuola gentilitatis ſuperſtitione retraxit, & Monaſterij, collectâ ſeruorum Dei congregatione, cellam conſtruxit. Similiter & iuxta fines Saxonum, Heſſorum populum paganicis adhuc ritibus oberrantem, à dæmoniorum, Euangelica prædicando mandata, captiuitate liberauit.

XLVI. Othlonus [a] eadem breuiùs clariúſque ſic enarrat. *Per venerabilem Willibrordum Traiectenſis Eccleſiæ Præſulem buccina cæleſtis doctrinæ in Freſiam inſonuit. Cuius ſtudio ſanctus Dei famulus Bonifacius omnimodo congaudens & adhærens, per tres continuos annos laborauit cum illo, tam in deſtruendis fanis, quàm in conſtruendis Eccleſiis, omnibúſque negotiis diuinis. Vnde factum eſt, vt quia prædictus Pontifex ætate iam decrepitâ grauatus, ſuggerentibus diſcipulis, ſolatium ſuæ ſenectuti prouidere cupiebat, hunc Dei famulum ad Epiſcopalis regiminis ſuſcipiendum gradum regendúmque ſibi commiſſum populum vnicè obſecraret. Sed ille talia humiliter reſpuens, minimè ſe dignum eſſe Epiſcopali gradu referebat, &, ne ſibi in annis adoleſcentiæ adhuc conſtituto tantæ dignitatis faſtigium imponeret, precibus omnibus inſtabat, atteſtans etiam, quia iuxta canonicæ inſtitutionis præcepta, necdum quinquageſimi anni ætatem, qui huius gradûs culmini conueniret, pleniter reciperet. Prædicto verò Pontifice blandis illum verbis increpante, & ad ſuſcipiendum Epiſcopatûs ordinem inſtigante, diuerſíſque pro hac ſpirituali contentione verbis inuicem prolatis, hic ſanctus vir in tanto agone poſitus, placidum tandem excuſationis ſermonem protulit dicens. Onus regiminis, quod mihi indigno imponere cupis, ſancte Præſul, ſuſcipere non audeo, quia à beato Gregorio Papa in Germaniam ob euangelizandi cauſam directus ſum, ipſiúſque Legationis gratiâ in has barbaras nationes adueniens, ſponte me tuæ gubernationis imperio ſubieci. Tantum ergo mandatum præterire, & aliud quodlibet negotium ſubire nullatenus præſu-*

[a] Lib. 1. cc. 14. & ſeqq.

Digitized by Google

no. Vnde, Pater venerande, obſecro, vt in illas regiones, ad quas à Præſule Apoſtolico miſſus ſum, cum tua gratia ſimul & licentia tranſire merear. Hæc audiens Sanctus Willibrordus, datâ benedictione, permiſit eum abire. Ille verò exinde proficiſcens peruenit ad locum, cui nomen eſt Amanaburg, Deum vbique habens conuiatorem, cuius etiam virtute atque protectione ſuffultus, quocumque perrexit, vbique ſacræ doctrinæ notitiam dilatauit. Cúmque ingentem populum Domino in Freſia prædicando acquireret, multi ab eius ſpirituali doctrina educati, ad agnitionem veritatis peruenerunt, adeò vt ſupradictum locum, cui gemini præerant germani, Dietib videlicet & Dierorolf, Domino Deo auxiliante obtinens, collectâ non paucâ fratrum congregatione, Monaſterium conſtrueret. Tunc etiam alias Germaniæ partes, prædicandi causâ, adiit, Heſſones videlicet in Saxonum confinio poſitos.

Ex his textibus liquet Winfridum ſeu Bonifacium toto illo triennio, XLVII.
quo verſatus eſt in Friſia cum Willebrordo, nondum Epiſcopum fuiſſe. Agemus infrà de illius aſſumptione ad Epiſcopalem dignitatem, cùm Romam ſecundò ſe contulerit, obiectionéſque, quæ fieri poſſunt ab aduerſariis, illo loco diluemus. Res aliæ, quæ ad ætatem cùm Willebrordi Epiſcopi tum Winfridi Preſbyteri ſpectant, impræſentiarum ſunt enucleandæ.

Licèt in præcitatis Auctoribus Willebrordus Epiſcopus de Winfrido ſibi XLVIII.
ſubrogando cogitaſſe perhibeatur, cùm ipſe iam *ſenuiſſet & ætatis plurimis grauaretur annis*, ſolatiúmque tanti miniſterij vellet *ſuæ decrepitæ ſenectuti* prouidere, caue ne qualem illum hæ phraſes exhibent, talem tunc fuiſſe credas. Annos natus erat tantummodo ſexaginta-quinque, venit enim primùm in Franciam cum ſociis anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, vt ſuo loco probatum eſt, *ætatis* autem *ſuæ anno triceſimo & tertio* vt Alcuinus in eius vita teſtatur. Poſt Winfridi diſceſſum è Friſia multos annos ſuperſtes fuit, vnde opinionem noſtram præualidè confirmare poſſis. Nec te moueat, quòd apud Sanctum Willibaldum ſuprà citatum Winfridus, dum Pontificiam auctoritatem allegat, hiſce, inter alia, verbis vtitur. *Ego à beato ſanctæ recordationis Gregorio Papa Germanicis mandatum gentibus detuli.* Nam qui *ſanctæ recordationis* dicitur Gregorius Secundus Papa, viuebat adhuc cùm Winfridus iſta loqueretur, & ſcriptio Willibaldi non conuenit tempori quo Winfridus illa dixit ſed quo Willibaldus calamo manum admouit. Quapropter epitheton illud mortuale, quod annorum difficultatem parere videbatur, Othlonus omiſit, & ipſemet Willibaldus mortem Gregorij Secundi Papæ notauit poſt alteram Winfridi ad Apoſtolorum limina profectionem de qua inferiùs agemus ſuo loco. Nihil igitur occurrit in textu Willibaldi, quod ſuadeat in aliud tempus reiiciendum eſſe Winfridi cùm diſceſſum è Friſia tum reditum in Germaniam Epiſcopali dignitate tunc recuſatâ. Serarius [a] id fateri cogitur. *Epiſcopatum*, inquit, *refugiens in Germaniam rediit, & fidem in ea Chriſtianam propagauit eodem anno 722.*

Super ætate Winfridi maior eſt difficultas, quia poſt ſuſceptum Preſby- XLIX.
teratum quot annos in Anglia tranſegerit, antequàm in Galliam veniret, nullus veterum prodit. Illud interuallum Serarius in notis [b] ad Othlonum quadriennio circumſcribit. Id autem ſi verum eſt, Epiſcopatum hoc anno refugit, vnius & quadraginta vel eo ampliùs annorum ætatem habens, ordinatus eſt enim Preſbyter *triginta aut eo ampliùs*, vt Sanctus Willibaldus in eius vita loquitur, *annorum habens ætatem*, &c, vt fuſiſſimè validiſſiméque probatum eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto in Franciam primùm transfretauit. At poſt initum Sacerdotium plures quàm quatuor in patria, priuſquàm peregrinationem inſtitueret, annos egiſſe declarant multa quorum meminit Sanctus Willibaldus, nempe magna de ipſo iam Preſbytero fama, eius ad Archiepiſcopum Berthwaldum legatio, & creberrima in Synodis præſentia. Propiùs igitur ad annum ætatis quinquageſimum accedebat, cùm ſibi Pontificales Infulas imponi non eſt paſſus. Annos tunc natum putamus ſeptem & quadraginta, nec aliud hæc inſinuat excuſatio,

[a] Not. 54. in vit. S. Bonifac.

[b] Not. 54.

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

quoniam quinquageſimi anni necdum plenè reciperet ætatem. Quòd autem *adoleſcentiæ adhuc in annis* ſe conſtitutum ait, adoleſcentiam interpretare ætatem maturiore illâ, quæ annorum eſt quinquaginta, minorem. Winfridus enim adoleſcentiæ nomine vocat quamlibet ætatem, quæ gerendo Epiſcopatui nondum idonea videtur, ſiue quæ eſt infra annum quinquageſimum, & quamuis hoc loco *iuxta canonicæ rectitudinis normam* ſe loqui teſtetur, id exquiſitæ potiùs excuſationi attribue quàm canonicæ regulæ, non ignorat enim Willebrordum ipſum, vt ceteros omittamus, Epiſcopum ordinatum fuiſſe, cùm annum ætatis quinquageſimum, imò quadrageſimum nondum expleuiſſet. Willebrordus, vt ex Alcuino dictum eſt ſuprà, *triceſimo & tertio ætatis ſuæ anno* venit in Franciam, cùm annus à Chriſto nato ſexcenteſimus nonageſimus numerabatur, deinde *anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo-ſexto*, vt apud Bedam [a] legitur, ordinatus eſt Epiſcopus, cùm natus eſſet annos duntaxat nouem ac triginta. Exemplum afferri magis appoſitè non poteſt, Willebrordus enim vt Winfridus & Anglus patriâ & profeſſione Monachus fuit.

[a] Lib. 5. c. 12.

L. Winfrido præcipuum excuſationis caput hoc erat, quòd Euangelij prædicandi causâ liberam à Gregorio Papa, quocumque vellet, eundi licentiam nactus eſſet, ideóque relictâ Friſiâ, cuius Epiſcopus erat Willebrordus, in Germaniam interiorem ſtatuit proficiſci. Priùs autem adiit Palatiolum, celebre puellarum prope Treuirim ad Moſellæ ripam Monaſterium, cui Addula illuſtris Abbatiſſa, Dagoberti Secundi quondam Regis filia, præerat. Fortè quem in diſciplinam ſuam tunc accepit, adfuit ibidem Gregorius puer, ſupradictæ Addulæ ex Albrico filio legitimus nepos. Ipſius Gregorij vitam ſcripſit beatus Ludgerus eius diſcipulus, ibíque rem totam, vt geſta eſt, prolixâ complexus eſt enarratione. Mendum, vt alibi iam notauimus [b], in textum irrepſit, Winfridus enim, qui tres duntaxat annos in Friſia priùs egerat, in tribus eiuſdem prouinciæ locis annos tredecim commoratus dicitur, decem in vno, tres in altero, totidem in tertio. Mendâ ſublatâ ſanam integrámque huius Auctoris ſcriptionem accipe.

[b] Ad an. 715. num. 89.

LI. *Ipſe electus Dei Bonifacius* ſeu Winfridus *Martyr poſt tres annos peractæ in Freſonia prædicationis, dum admonitus à Deo ad Haſſos & Thuringos, Orientales regiones Francorum, iter agere cœpiſſet lucrandorum Deo populorum causâ, peruenit ad Palatiolum Monaſterium virginum prope Treueris ciuitatem, in ripa fluminis Moſellæ, cui tunc præerat Abbatiſſa nomine Addula religioſa valdè & timens Deum. Quæ cùm vidiſſet Athletam Dei peregrinum & egentem, gratulabunda ſuſcepit eum in hoſpitium ſuum, implens Dominicam adhortationem. Hoſpes eram & collegiſtis me. Cúmque ille ſacer ſanctus viator Bonifacius ſecundùm ſolitum morem ſuum Miſſarum myſteria peregiſſet, vt propemodum omni die agere conſueuit, ſederunt ad menſam ipſe ſcilicet & ancilla Dei Addula Abbatiſſa cum familia ſua. Cœperunt autem ad ipſum ſanctum conuiuium, pluſquàm epulas, ſolatium ſanctæ ſcripturæ expetere, quo fieret fides audientium accenſa, ſpéſque & charitas renouata in Deum, qui vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Tunc quæſitus eſt Lector, & iuxta Dei voluntatem inuentus eſt electus puer Gregorius, qui per idem tempus nuper à ſchola & Palatio reuerſus, ſub laico adhuc habitu, quaſi quartum-decimum aut decimum-quintum agens ætatis annum, Dei inſtinctu venit ad auiam ſuam, id eſt, ad matrem patris ſui Albrici ſupradictam Abbatiſſam Deum timentem Addulam, datúſque eſt ei liber, qui, acceptâ benedictione, cœpit legere, & iuxta modum ætatis ſuæ benè perlegere. Intelligens verò magiſter ſagacem mentem pueri bonámque indolem, cœpit eum conſummatâ lectione his verbis moderatè laudare & dicere. Benè legis, fili, ſi intelligis quæ legis. Ipſe autem adhuc temporis ſapiens vt paruulus, & loquens vt paruulus, ſe ſcire profeſſus eſt quæ legebat. Dic mihi, inquit, quomodo intelligis quæ legis? Ipſe repetebat ab exordio lectionem ſuam, volens legere ſicut priùs. Præceptor autem ſanctus diſtulit eum paululum, & dixit. Fili, quæro vt dicas mihi lectionem tuam, ſed ſecundùm proprietatem linguæ*

ADIT PALATIOLVM MONAST.

Digitized by Google

tuæ, & ſecundùm naturalem parentum tuorum loquelam ediſſere mihi quæ legis. Hac ille ratione conuictus, confeſſus eſt, quia non poſſet facere. Sanctus verò ait Bonifacius. Vis, fili, vt ego tibi dicam? Volo, inquit. Tunc beatus Bonifacius, repete, ait, ab exordio lectionem tuam, & diſcretè lege. Quod dum faceret, exorſus eſt Magiſter, & clarâ voce cœpit prædicare & Matri & omni familiæ. Quæ prædicatio ex quo fonte proceſſerit, claret in conuerſione Gregorij ingenioſi pueri & ſagacis, quia non ab humana facundia, quæ frequenter ad tempus deludit, ſed ex Sancti Spiritûs gratia, ſecundùm promiſſum Euangelij in modum fluminis aquæ viuæ de ventre fluxit Doctoris, & cor prudens ac docile pueri Gregorij tantâ virtute & velocitate penetrauit, vt ad vnam incogniti eatenus Magiſtri exhortationem & prædicationem obliuiſceretur & parentum & patriæ, ipsâque horâ, dum compleſſet Magiſter ſanctus prædicationem ſuam, nolens ab eo vltrà diſiungi, iuit ad auiam ſuam prædictam Abbatiſſam venerabilem Addulam, dicens ſe velle cum homine pergere, & ad diſcendos diuinos libros diſcipulatum eius ſubire. At ipſa, carnali affectu conſtricta, illicò repulit eum, & omnimodis hoc fieri poſſe renuit, quia vtique non noſſet hominem, neque quò iret. Sed, ſicut ſcriptum eſt, aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem; puer Gregorius in propoſito ſuo permanſit, & dixit ad Addulam auiam ſuam. Si non vis mihi dare equum vt equitare poſſim cum eo, pedibus ambulando abſque dubio vadam cum illo. Sic ergo altercando de ignoto itinere diutiùs diſceptabant ad inuicem, ſed tandem præualuit caritas electi pueri Gregorij, &, vt dignum erat, carnalem amorem vicit dilectio ſpiritalis. Videns ergo famula Dei Addula, quia prudens erat fœmina, animum inflexibilem pueri, dedit illi pueros & equos, & dimiſit eum ire cum Sancto Magiſtro in opus quod compleuerunt ſimul, vſque ad Sanctum Martyrium eius, id eſt, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quintum, quo Winfridus ſeu Bonifacius palmam Martyrij conſecutus eſt. Sancto Bonifacio Gregorius ſuperſtes vixit annis duobus ac viginti, vitámque clauſit anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, natus annos ſeptuaginta, vnde cenſeas illius ortum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo illigandum eſſe, & annum ætatis decimum-quintum, quo Winfridum ſequi cœpit, in hunc annum, à Chriſti nato ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum incidiſſe. Lege quæ de illius ætate iam aliâ occaſione ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum [a] dicta ſunt.

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 2.

GREGORIVM PVERVM IN DISCIPLINAM ACCIPIT.

[a] Num. 79.

LII. Winfridus comite Gregorio, vt in huius vita ſuprà citata beatus Ludgerus ſcribit, ad Haſſos & Thuringos profectus eſt. Sanctus Willibaldus Haſſiam quoque allegatus ſolos Heſſos ſiue Haſſos in vita Winfridi nominat. Vtrorumque verò meminit in ſuis epiſtolis Gregorius Papa, vt patebit infrà. Luctuoſiſſimus erat Thuringiæ ſtatus propter paganorum viciniam paupertatémque incolarum penè incredibilem, de qua prædictus Ludgerus in prælaudata Sancti Gregorij vita. Fuit & in Winfridi comitatu Sturmius adoleſcens, cuius mentionem iam fecimus ſæpéque facturi ſumus.

IT IN HASSIAM ET THVRINGIAM.

LIII. Quintilianus Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cùm annum vnum ſediſſet, hoc anno viuere deſiit. Sepultus eſt in Baſilica Sancti Germani, cuius Abbas olim fuerat. Succeſſit Cillianus, qui Pontificatum ſex annis duobúſque menſibus tenuit, & ex hac vita pridie Nonas Auguſti migrauit, vt Hiſtoria Epiſcoporum Autiſſiodorenſium teſtatur [b].

EPISCOPI AVTISSIODOR.

[b] Capp. 29. 30.

LIV. Hoc eodem anno, Nonis Aprilis, die Dominico, Anſemundus Bellicenſis Epiſcopus, vt Samuel Guichenonus ex veteribus Bellicenſis Eccleſiæ monumentis refert, ſummum altare illius Eccleſiæ aliáque octo conſecrauit. Cetera interierunt Anſemundi geſta. Huic prædictus Auctor Hippolytum proximum ſucceſſorem in Bellicenſium Epiſcoporum Catalogo ſubiicit, tum Gundoaldum, & alios nouem, quorum ſola nomina ſuperſunt. At cùm Hippolytus Epiſcopatum ante annum quartum Pippini Regis haud obtinuerit, exiſtimamus Anſemundo ſucceſſiſſe Gundoaldum, deinde Agiſ-

BELLICENSES.

Digitized by Google

AN. CH. 722. Theodor. IV. R. 2.

lum, huic autem ipſummet Hippolytum, de cuius Pontificatu Tomo ſequenti diſſeremus.

LV. Monaſterium Flaviniacenſe.

Noſtrâ ætate, cùm inter Benedictinos & Franciſcanos orta eſſet contentio de loco, vbi beatæ Reginæ corpus quieſcit, Domnus Georgius *Viole* Benedictinus è Congregatione Sancti Mauri, vt illud à multis retrò ſeculis in Monaſterio Flauiniacenſi Ordinis Benedictini cuſtoditum probaret, ex Archiuis iſtius Cœnobij varia monumenta publicauit. Omnium antiquiſſimum eſt Wideradi Abbatis Teſtamentum, quod decimo-quinto Kalendas Februarias, anno primo Theodorici Regis, datum reperitur. Annum illum Theodorici Regis primum Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana cum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſexto comparauit, Theodoricum enim interpretatus eſt Sigiberti & Brunichildis nepotem, qui Regno Burgundiæ, vbi ſitum Flauiniacum * Diœceſeos Auguſtodunenſis, poſt Childebertum patrem potitus eſt, ſed hic Theodoricus anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſexto regnare cœpit, & annus primus illius per menſem Ianuarium anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-ſeptimo illigatur. Meliùs Theodorici Regis nomine Georgius *Viole* & Sammarthani Theodoricum cognomento Kalenſem intelligunt, ſed nec illius annum primum benè aſſequuntur, dum annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum vel ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum fuiſſe volunt, nam Theodoricus Kalenſis anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo Regnum ſuſcepit, & decimo-quinto Kalendas Februarias anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo annum Regni primum adhuc numerabat.

* *Flanigny.*

LVI. In illo Teſtamento Wideradus Abbas de Monaſterio Flauiniacenſi loquitur, vt de opere à ſe nouiſſimè conſtructo, cui Magnoaldum primum Abbatem præpoſuit, ſe verò Abbatem quoque dicit, quia loca multa Sanctorum in ſua cura ſuſcepit. Charta Teſtamenti talis eſt. *Anno primo, regnante Theodorico Rege, ſub die* XV *Calendarum Februariarum, ego in Dei Nomine Wideradus Abba, filius viri inluſtris Corbonis quondam, ſanâ mente, integróque conſilio, metuens humanæ fragilitatis caſus, Teſtamentum meum condidi, quem * Aldofredo Notario ſcribendo * commiſi, vt quando dies legitimus poſt tranſitum meum aduenerit, recognitis ſigillis, inciſo ligno, vt legis decreuit auctoritas, perinluſter vir Amalſindo, quem in hac pagina Teſtamenti noſtri legatarium inſtitui, geſtis Reipublicæ municipalibus titulis, ab ipſis eius proſecutione muniatur, & in charta Baſilicæ Sancti Praiecti, quam ego ædificaui, conſeruandam decreui, & quidquid vnicuique de rebus meis propriis habere decreui, ſingulariter in hoc Teſtamentum meum inſerere curaui. In reliquo verò qualeſcunque à quocunque epiſtolæ, aut teſtamenta, vel conſcriptiones de nomine meo, vel manu meâ firmatæ, oſtenſa fuerint ante hoc Teſtamentum prænotata, quas hîc non commemorauero, exceptis ingenuitatibus, quas pro animæ noſtræ remedio fecimus, aut adhuc facere volumus, vacuæ permaneant, & quod vnicuique per Teſtamentum dedero, daréque iuſſero, vt id fiat, detur, præſtetur, impleatur, te, Omnipotens, teſtem committo. Quapropter dum non habetur incognitum, qualiter diſpenſante Domino ad habendum, loca Sanctorum, Sancti Andochij Sedelocinſe *, & Sanctæ Reginæ Alſinſe, & Sancti Ferreoli, vbi pretioſè requieſcunt in corpore, in mea cura ſuſcepi. Inſuper etiam & in loco, nuncupato Flauiniaco, in agro Burnacinſe, in pago Alſinſe *, Monaſterium in re mea propria, meo opere conſtruxi, atque Magdoaldo Abbati cum Monachis ſuis delegaui, regulariter in perpetuum ad poſſidendum. Dono igitur, ad Baſilicam ſuprà memoratam Sancti Andochij Martyris, portiones meas, atque loca denominata hæc ſunt. In pago Alſinſe, & in Pauliacinſe, Meſeriacum *, Cereſiacum *, Vallinſe *. In pago Auallinſe, Paſariniacum *. In pago Commauorum, Stolingus & Macerças *. In pago Porſinſe, Eriſſonuilla *, & Dagomundi curtem. In pago Neuerninſe, Senſeriacum *, & Ariacum. Præter illas vineas, quomodo ille riuulus currit, qui de vineis Aldeberti ad pratum vadit, totum illum clauſum, quem nos iuſſimus plantare ad integrum, cum exſo & regreſſo, vnà cum manſo, & colonica*

* *quod*
* *ſcribendum*
* *Saulieu.*
* *L'Auxois.*
* *Miſſeray.*
* *Ceſeray.*
* *la Vau.*
* *Paſſy.*
* *Maizière.*
* *Eſſour.*
* *Sancerre.*

*lonica illa, quæ fuit Auſeberto, & modò tenet illam Sicbertus, & ipſum Sicbertum cum vxore ſua, vel infantes eorum, qui ipſam vineam debeant procurare, quam Sancto Præiecto dedimus. In reliquo verò hæc omnia ſuperſcripta, ſicut à me tam de alodo parentum, quàm per quemlibet adtractum, dominatum atque poſſeſſum eſt, omnia ex omnibus cum domibus, ædificiis, terris, campis, cultis, & incultis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, omne genus pecudum maiore atque minore, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquiſitam, quidquid in ipſa loca ſuperiùs nominata habere videor, totum & ad integrum ad Sancti Andochij Baſilicam proficiat in augmentum. Similiter donamus ad Baſilicam Domnæ Reginæ, vbi ipſa pretioſa requieſcit in corpore, in pago Ternodrinſe, Videbelum, Cecunias *, Ancyanum *, Rabarias *; in pago Latinſinſe, Villam Mauriane *, Alta-ripa *, Baniolum *; in pago Duiſmenſe, Staſiacum *, Colubarium *, Villenecum *; in pago Ammauiorum, Cariniacum * & Caſellas *; in pago Portinſe, Auiciacum & Paſſionem *. Hæc omnia ſuperiùs comprehenſa, ſicut & illa alia loca, ad Sanctum Andochium dedimus; ita & iſta ad Sanctæ Reginæ poteſtatem cum omnibus integritatibus earum delegauimus. Wideradus Abba. Actum Sinemuro * Caſtro, die Cal. Febr. XV. & ſcriptum per manum Haddofreti Notarij, ſuadente & deprecante eodem venerabili Abbate Widerado, immò ſigillante perinluſtri viro Amalſindone ſigillo Regio, adſtante nobili & firmante vulgari populo, vnà cum defenſore Gerefrido clariſſimo viro.*

* *Chichée.* * *Ancy le Franc.* * *Rauiere.* * *Ville-Maurien.* * *Haulte-riue.* * *Baignole.* * *Sauoiſy.* * *Coulmiers.* * *Ville-neuue.* * *Charny.* * *Chaſelles.* * *Poieul.* * *Semur.*

LVII. ABBATES.

Antiquior Cœnobij Flauiniacenſis memoria non extat. Illius Monaſterij conditor fuit Wideradus, primus Abbas Magnoaldus. Natus eſt Wideradus patre Corbone illuſtri quondam viro. Nonnulla Sanctorum loca, ſancti videlicet Andochij, Sanctæ Reginæ, & Sancti Ferreoli, regenda priùs ſuſcepit, quàm Flauiniacenſe Monaſterium in ſuo fundo conſtrueret. In huius Cœnobij adminiſtrationem Magnoaldo ſucceſſit, ſuperſtes erat in viuis anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-quinto, nec diu poſt illum annum vixit, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo duodequinquageſimo Præfectura Monaſterij penes ſucceſſorem, nomine Cayroinum ſeu Gayroinum, erat. Hæc vetuſtiſſimorum Flauiniacenſium Abbatum ſeries nos adigit, vt poſt Magnoaldi mortem, cùm Wideradus factus eſt Abbas Flauiniacenſis, loca, quibus hic anteà præerat, deinceps Flauiniacenſi Cœnobio ſubiecta cenſeamus. In ſingulis illorum locorum erant Monaſteriola, quæ cognominabantur à ſuis patronis; à Sancto Andochio Monaſteriolum Sancti Andochij, à Sancta Regina Monaſteriolum Sanctæ Reginæ, & à Sancto Ferreolo Monaſteriolum Sancti Ferreoli. Quieſcebat tum Aliſiæ * Sancta Regina, quæ poſteà Flauiniacum tranſlata eſt, vt ſuo loco dicturi ſumus. Eius Martyrium ſeptimo Idus Septembris celebrauit Vſuardus ſub Olybrio Proconſule.

* *Alize.*

LVIII. HVGO EP. ALBIGENSIS. BERTRANDVS ABBAS CASTRENSIS.

In Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſium, quod ſæpè citauimus, hæc leguntur. *Anno 722. Hugo epiſcopabat, Bertrandus abbatizabat.* Hic multis annis Monaſterium rexit, Abbas iam erat anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, cùm Citruinus Albigenſem Epiſcopatum adminiſtrauit, ſed Albiga, vt anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo penes Wiſigothos, ſic anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo penes Saracenos fuit, ad quos à Gothis tranſierat, ideóque ad noſtros Annales nec Hugo Epiſcopus, nec Bertrandus Abbas pertinebit ante annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum, quo Franci protritis Saracenis Albigam & Caſtra recuperabunt.

LIX. EPISCOPI LAVREAC. ET PATAVIENS.

Tomo primo Metropoleos Saliſburgenſis, duæ producuntur ſententiæ ſuper anno quo Theodorus Archiepiſcopus Laureacenſis & Epiſcopus Patauienſis è vita migrauit. *Obiit anno 722, ſecundùm Catalogum; at ſecundùm Annales, 721; ſub Theodorico Dagoberti Galliarum Regis filio.* Deinde hæc de Viuilone proximo ſucceſſore ſubiiciuntur. *Viuilo à Scriptoribus tortâ & deprauatâ voce iam Vnilo, iam Vilo, ſed in Conciliorum libris Phiphilo, à quibuſdam Chro-*

AN. CH. 722. *nographis Veiuolus variè nuncupatus, Laureacenſi Eccleſiæ præficitur anno 722. Rexit piè & fideliter annis 23.*

THEODOR. IV. R. 2. In illa lucubratione Theodoricus Quartus, qui Regnum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo poſt Chilperici Tertij mortem ſuſcepit, filius Dagoberti Regis, id eſt, Dagoberti Tertij, rectè appellatur. Rectè quoque

LX. à tempore, quo Theodorus Epiſcopatum iniit, anni ſex & quadraginta numerantur, donec Viuilus è vita diſceſſit. Theodorum anno Chriſti vndeſeptingenteſimo promotum ad Pontificatum, & Viuilonem anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-quinto ſublatum è viuis arbitramur, ſed annos ſex & quadraginta, quibus Præſulatum Theodorus & Viuilus geſſerunt, in duas partes æquales haud diuidimus, quia Theodorum poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum diu ſuperſtitem putamus, licèt Hundius in Metropoli Saliſburgenſi & Bucelinus in Germania Sacra ſecus ſentiant.

LXI. Hi Scriptores in errorem adducuntur, quia literas, quibus Gregorius Papa Viuilum Epiſcopum à ſe ordinatum teſtatur, à Gregorio Secundo ſcriptas exiſtimant. Hundium iam redarguit Chriſtophorus Gewoldus in additionibus ad Epiſcopos Friſingenſes. Qui literas ipſas legerit, certè non inficiabitur exaratas à Gregorio Tertio, datæ ſunt enim *quarto Kalendas Nouembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Leone, Imperij eius anno viceſimo-tertio, ſed & Conſtantino Magno Imperatore eius filio, anno viceſimo, Indictione octaua*, id eſt, quarto Kalendas Nouembris, anno Chriſti ſeptingenteſimo vndequadrageſimo, Gregorij Tertij Papæ iam currente anno nono, Indictione octauâ inchoatâ.

LXII. Gregorius Tertius de Viuilo bis in prædictis literis loquitur, vtrobique affirmat ordinatum à ſe Epiſcopum. Primò ſic. *Viuilum, quem nos. . . . . ordinauimus.* Iterum ſic. *Viuilus Epiſcopus à nobis eſt ordinatus.* Prior textus, cuius voces aliquas ſuppreſſimus, duobus modis editus eſt. Apud Othlonum, Serarium, Velſerum, Gewoldum, Binium, Caniſium, Baronium, Alfordum, ſic. *Quem nos paulò ante ordinauimus.* Apud Antonium de Aquino & Iacobum Sirmondum ſic. *Quem nos ante tempus ordinauimus.* Hæc editio videtur obſcurior. Quid enim Gregorius his vocibus ſignificat, *ante tempus?* An Viuilum *ante tempus* ſiue ante ætatem legitimam & à Canonibus præſcriptam aſſerit ordinatum à ſe Epiſcopum? An ait Viuilum Epiſcopum à ſe ordinatum *ante tempus*, quo Bonifacius vniuerſam Boioariam in quatuor Parochias ſeu Diœceſes aut Epiſcopatus diſtinxit? Clarior & acceptior eſt altera editio, quâ Gregorius Viuilum *paulò antè* à ſe ordinatum Epiſcopum teſtatur, id eſt, paulò anteqùàm Bonifacius, cui de quadripertita Boioariæ diuiſione per literas gratulatur, ipſam Boioariam in quatuor Epiſcopatus ſepararit. Hanc opinionem iam amplexi ſunt, Velſerus [a], & qui Velſerum laudant Serarius [b] & Gewoldus [c]. *Theodoro*, inquiunt, *Viuilum ſiue Viuilonem Gregorius non ita dudum ſurrogarat.* Item Brunnerus [d], ſic. *Huic*, nempe Theodoro, *non ita pridem Viuilum ſeu Viuilonem Gregorius ſuffecerat.* Et Adlzeiretterus [e], ſic. *Theodoro Viuilum ſiue Viuilonem Gregorius Pontifex nuper ſurrogarat.* Quantùm autem temporis connotent hæ loquendi formulæ, *paulò antè, non ita dudum, non ita pridem*, & *nuper*, determinatè nemo prodit. Bonifacius, ſi Serarius benè Chronologiam ſuam inſtituit, anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequadrageſimo Romam vadit, Româque redit in Boioariam cum literis Apoſtolicis ad Epiſcopos Alemanniæ & Boioariæ, in quorum numero ponitur Viuilus, atque inde coniectamus differendam eſſe in annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum mortem Theodori Epiſcopi, cui ſub finem eiuſdem anni Viuilus in Epiſcopatum ſucceſſerit.

[a] Lib. 5. rer. Boic.
[b] Notat. 28. in vit. S. Bonifac.
[c] In addition. ad Ep. Friſing.
[d] Lib. 5. n. 9. ad an. 739.
[e] Part. 1. l. 7. num. 24.

LXIII. Hoc anno, Theodorici Regis ſecundo, Wolfandus Comes villam Condenſem *, quam pretio ſibi comparарat, Monaſterio Caſtellionis ſeu Sancti

* *Condé en Barrois.*

Digitized by Google

Michaelis à ſe in Diœceſi Virodunenſi conſtructo tradidit. Huius donationis meminit Waſburgius [a], ſed Theodorici Regis annum ſecundum, qui de Theodorico Quarto intelligi debet, de Theodorico Tertio Quarti proauo perperam interpretatur. Conſule quæ inferiùs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quartum dicentur de permutatione, quam prælaudatus Wolfandus Comes cum Sigibaldo Metenſi Epiſcopo tunc fecit.

[a] In Epiſc. 17.

WOLFAND. COMES MVNIFICVS ERGA MON. S. MICHAELIS.

ANNVS CHRISTI 723. THEODORICI IV. R. 3.

723. THEODOR. IV. R. 3.

1\. KALENDIS Ianuariis, ineunte anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio, cùm ſecundus annus Theodorici Regis adhuc numerabatur, Carolus Maior-domûs Eccleſiam Vltraiectinam inſigni munificentiâ dotauit. Ipſum Diploma donationis accipe ex Hiſtoria Vltraiectina Willhelmi Hedæ, quam Bernardus Furmerius anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo duodecimo Leouardiæ Friſiorum publicauit. *Ego in Dei Nomine Illuſter vir Carolus Maior-domûs, filius Pippini, quondam cogitans caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata poſſum abluere, & donante Deo ad æterna gaudia peruenire, idcircò donamus à die præſenti, per hanc paginam Teſtamenti, & donatum in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt, ad Monaſterium, quod eſt infra muros in Traiecto Caſtro conſtructum, vbi & Apoſtolicus vir Dominus & in Chriſto Pater noſter Willebrordus Archiepiſcopus, ſub ſancta conuerſationis Cœnobitali ordine, cuſtos præeſſe videtur, omnem rem in fiſci ditionibus, quidquid in ipſo Traiecto Caſtro, tam infra muros quam à foris, cum omnibus adiacentiis vel appenditiis, cum illo paſcuo Praueiungo, vel quidquid ibi fiſci ad præſens eſſe videtur, omnia & ex omnibus totum & ad integrum cum omni re quæſita & inquiſita, & ſimiliter villam vel Caſtrum nuncupatum Fethna* *, *ſitum in Inſterlaco, cum omni iure & ſoliditate ſua, omnes adiacentias vel appenditias, tam ad ipſam villam Fethnam vel Caſtrum, vel etiam ad iam dictum Traiectum Caſtrum, vt diximus, aſpicere vel pertinere videtur, cum omni integritate eorum, quidquid dici vel nominari poteſt, hoc eſt, vnà cum manſis, terris, caſis, domibus, ædificiis, accolabus, lucis, mancipiis, campis, pratis, paſcuis, ſyluis, aquis, aquarúmque decurſibus; greges cum paſtoribus vtriuſque generis ſexûs, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum, vt diximus, à die præſenti ad ipſum Monaſterium, vel ad ipſam caſam Dei, tradimus atque delegamus perpetualiter in Dei nomine ad poſſidendum, itaut ibidem ab omni tempore pro noſtra mercede proficiat in augmentis. Et quidquid exinde Patres antè iam dicti Monaſterij, vel Rectores, pro eorum opportunitate facere decreuerunt, liberam & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, ſiue nos ipſe, vel aliquis de hæredibus & prohæredibus, ſeu quælibet oppoſita vel extranea perſona, contra hanc donationem, quam nos pro diuino intuitu & anima noſtra remedio ad inſtar Teſtamenti fieri & affirmari decreuimus, venire aut agere, vel eam infringere conauerit, imprimis iram Dei cæleſtis incurrat, à liminibus Sanctorum vel conſortio Chriſtianorum efficiatur extraneus, inſuper inferat vnà cum ſocio fiſco auri libras quinque, argenti pondera decem coactus exoluat, & quod repetit euindicare non valeat, ſed præſens donatio ad inſtar Teſtamenti à me facta, omni tempore firma & ſtabilis permaneat, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum Hereſtallio villâ publicâ in ipſo die Kalend. Ianuarij, anno* II. *regnante Glorioſo Domino Theodorico Rege. Signum Illuſtris viri Caroli Maioris-domûs, qui hanc donationem fieri & affirmari rogauit. Signum Carolomanni filij eius. Signum Gariaonis. Signum Odonis. Signum Baldrici. Signum Abbonis. Signum En-*

CAROLVS MAIORDOMVS MVNIFICVS ERGA ECCLESIAM VLTRAIECTINAM.

* Fechten.

Digitized by Google

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

gilbaldi. Signum Adalhardi. Signum Theodoldi nepotis eius. Signum Boſonis. Signum Widonis. Signum Gintfridi. Ego Rothbertus ſubſcripſi. Harirardus ſubſcripſi. Audoinus Presbyter ſubſcripſi. Chelmoinus ſubſcripſi. Chaldo Cancellarius rogatus à Carolo ſupradicto ſcripſi & ſubſcripſi. Miræus eiuſdem Diplomatis potiorem partem in Notitia Eccleſiarum Belgij deſcripſit, & Monaſterium, cuius mentionem Carolus fecit, Eccleſiam Cathedralem iam interpretatus eſt. Prætereà ſunt in eodem Præcepto duæ res multùm obſeruandæ. Carolus nec ſe Principem Francorum dicit, nec annos ſui Maioratûs numerat, ſed Maiorem-domûs filiúmque Pippini ſe vocat, ſuíſque literis nullum Characterem Chronologicum apponit præter Kalendas Ianuarias & annum ſecundum Theodorici Regis.

II. DVO FILII DROGONIS INCARCERANTVR.

II. De rebus hoc anno geſtis breuiſſimè ſic Annaliſta Nazarianus. *Anno* DCCXXIII. *duo filij Drogonis ligati, Arnoldus & vnus mortuus, & Karolus infirmatus.* Conformis eſt Petauianus ſic. *Anno* DCCXXIII. *duo filij Drogonis ligati, & vnus mortuus, & Karolus infirmatur.*

III. Drogoni Pippini Maioris-domûs & Plectrudis filio natu maiori, qui parentibus adhuc ſuperſtitibus anno Chriſti ſeptingenteſimo octauo vitam cum morte commutauit, quatuor filios, Arnulphum, Hugonem, Pippinum & Godefridum, plerique Neotericorum tribuunt, ſolis innixi chartis, quas ad illum annum examinauimus refutauimúſque. Annaliſtæ prælaudati duos indicant, quos aiunt *ligatos* ſeu coniectos in carcerem fuiſſe. Incarcerationis cauſa refundenda eſt in inſidias, quas Carolo patruo vel paraſſent vel paraturi crederentur, ægro enim animo ferebant ſe patris auíque titulis ac dignitatibus haud gaudere. Vnus illorum in Annalibus Nazarianis Arnoldus appellatur; alterius, qui mortuus eſt in cuſtodia, nomen reticetur; hunc Hadrianus Valeſius [a] Hugonem vocat, ſed nihil tale legitur in ipſius Hugonis vita, qui nuncium rebus ſecularibus ab aliquot annis remiſerat, & anno proximè elapſo iam factus fuerat Rotomagenſis Epiſcopus è Monacho Gemmeticenſi.

a Lib. 24. ad an. 723.

HVGO ILLORVM FRATER EP. ROTOMAG. FIT ETIAM ABB. FONTANELL.

Fuerunt igitur Drogoni tres ſaltem filij, Arnoldus, quem Carolus patruus ſub cuſtodia detinuit; Hugo Epiſcopus & Abbas, de quo ſæpè verba fecimus faciemúſque; tertius, de quo nec nomen nec aliud quidquam in antiquis Annalibus occurrit, niſi quòd vnà cum Arnoldo fratre coniectus fuit in carcerem, ibíque vitam clauſit. Hugo, quem anno priori Rotomagenſem Epiſcopum ex Aſceta Gemmeticenſi creatum diximus, hoc anno factus eſt etiam Abbas Fontanellenſis, cùm Benignus Abbas

MORTVO BENIGNO ABB. FONTANELL. ET FLAVIAC.

Fontanellenſis ac Flauiacenſis deceſſiſſet *decimo-tertio Kalend. Aprilis*, vt in fine capitis ſeptimi teſtatur Chronographus Fontanellenſis, apud quem de Hugone hæc initio capitis ſubſequentis enarrantur. *Hugo, filius Drogonis, vir venerabilis, à matre, nomine Adaltrude, progenitus, nepos Karoli ſagaciſſimi Principis, Archiepiſcopus Rothomagenſis Eccleſiæ, poſt præfatum Benignum regimen huius Cœnobij*, nempe Fontanellenſis, *ſuſcepit ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio, Indictione* VI. *qui erat annus Principatûs Karoli nonus, Gregorij verò ſecundi Papæ, qui loco nonageſimo à Sancto Petro Romanæ præfuit Eccleſiæ, annus ſeptimus inſtabat.* Cum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio rectè comparantur Indictio ſexta & annus nonus Caroli Maioris-domûs, ſi Maioratus à Pippini patris obitu computetur. Error autem eſt in anno Gregorij Secundi Papæ, nam Gregorius anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, vt ad illum annum aliâ occaſione probauimus, in Romana Cathedra ſedere cœpit. Quod attinet ad Monaſterium Flauiacenſe, cui pariter ac Fontanellenſi Benignus præfuit, Abbatum Flauiacenſium, qui Benignum proximè ſecuti ſunt, interciderunt nomina. *Porrò*, vt Chronographus Fontanellenſis capite nuperrimè citato ſubiungit, Hugo *in regimine Cœnobij Fontinellenſis à beato Wandregiſilo, ſeptimo in loco: ſimiliter à S. Philiberto in regimine Cœnobij Gemmeticenſis.* Super Catalogo Fontanellenſi nulla difficultas. Octo enim Abbates antiquiſſimi Fontanellæ recen-

Digitized by Google

ſentur hoc ordine, Wandregiſilus, Lantbertus, Anſbertus, Hilbertus, Bainus, Benignus, Wando, Benignus iterum, Hugo. Series Abbatum Gemmeticenſium non ita conſtat. Apud Robertum ſex vetuſtiſſimi Gemmeticenſes Abbates ſic enumerantur. *S. Philibertus, S. Achardus, Coſchinus, Dructegangus, Hildegarius, Landricus.* In auctiore Gallia Chriſtiana Sammarthanorum & in Neuſtria Pia medius inter Hildegarium & Landricum collocatur Hugo, qui iuxta illos calculos quintum duntaxat locum poſt Sanctum Philibertum obtinet, ſeptimum verò, ſi reponantur Chrodobertus & Ragentrannus, qui Monaſterium per abſentiam ſiue exilium Sancti Philiberti rexerunt, vt Ermentarius in eiuſdem beati Philiberti vita teſtatur. Octo igitur antiquiſſimi Gemmeticenſes Abbates hi fuerunt, Philibertus, Chrodobertus, Ragetrannus, Philibertus iterum, Aichardus, Coſchinus, Dructegangus, Hildegarius, Hugo. Prefecturæ Coſchini, Dructegangi & Hildegarij, non fuerunt diuturnæ, Hugo enim Hildegario in Abbatiale munus anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo duodetriceſimo ſucceſſit. Eodem itaque tempore, quo Hugo Fontanellenſis Abbas eſſe cœpit, mortuus videtur Coſchinus Abbas Gemmeticenſis, qui diſtingui debet, cùm à Clotino Abbate Centulenſi, de quo locuti ſumus ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quartum [a], tum ab altero Coſchino Abbate Gemmeticenſi, qui, Ludouico Pio Auguſto Imperium iam obtinente, Sancti Philiberti vitam ab Ermentario Monacho conſcribi iuſſit. De ſucceſſore id vnum habemus, quòd variis nuncupationibus, Dructegangus, Dructegandus & Druciegangangus, appelletur. AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

[a] Nu. 15. 16.

IV. CAROLVS ÆGROTAT.

Lupus in libro de vita & miraculis Sancti Maximini Treuirenſis olim Epiſcopi, quem anno Chriſti octingenteſimo triceſimo-nono exarauit, de morbo, in quem Carolus hoc anno incidit, mentionem fecit. In illa enim lucubratione duos laudauit Carolos, vnum quem Principem vocauit, alterum quem cognomento Magnum ac Pipini Regis filium dixit. De priore autem, quem nemo alium à Martello iudicabit, hæc commemorauit. *Iam verò illud quàm eſt mirabile quod Carolo Principi obtulit? Namque is, cùm longâ febrium vexaretur moleſtiâ, &, cibi potûſque faſtidio, vita periculum incurriſſet, ei beatus Maximinus capienti ſomnum apparuit, vtque ſe ad ſuam abeuntem ſequeretur memoriam, demonſtrauit. Expergefactus Carolus ſatellitem, qui ſibi fortè aſſiſtebat, percontatur, ſi videret beatum Maximinum, qui ſecum paulò antè contuliſſet ſermonem? Illo verò negante, modò, inquit, foras egreditur, atque imperauit vt ſe continuò ſequerer, apud eius tumulum ſalutis compos futurus. Ita illô lecticâ deportatum & in ſoporem reſolutum Sanctus Maximinus iterum alloquitur, ſéque pro illo Domini poſtulaſſe clementiam oſtendit, illum verò, ne ſe vltrà dedat vitiis, admonet. Mox igitur vt euigilauit Carolus, exſurrexit, & pro votis promiſſis in ſacrarium ſeceſſit, ſibíque offerendos cibos popoſcit, qui, triginta diebus proximis, ſumendorum alimentorum ſibi poſſibilitate ſublatâ, vix vitam, ſolius aquæ hauſtu, retinuerit. Eſcis itaque ſumptis, amiſſas redire vires perſenſit, huiúſque non immemor beneficij, Cœnobium Sancti Maximini prædiis auxit, quorum vnum Patrioſala, aliud Witmaris Eccleſia, tertium Comiciacus vocatur. Sancto autem Petro Andaclanam obtulit villam.*

RECVPERATA SANITATE FIT MVNIFICVS ERGA MON. S. MAXIMINI.

V. CORBINIANVS ROMA REDIT IN BOIOARIAM.

Corbinianus Epiſcopus, de quo ſermonem anno priori fecimus, iter perſecutus tandem Romam peruenit, fruſtráque Gregorium Papam rogauit, vt Epiſcopali munere dimiſſo Monaſterium ingredi ſibi liceret. *Iter perſequens,* inquit Aribo, *Romam vſque peruenit, & oratione factâ ad vtraque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina, ad ſummi Pontificis beati Gregorij præſentiam veniens, ad eius ſe ſtrauit veſtigia. At ille ſurgere illi imperans, ſedémque iuxta ſe poni faciens, ſedere præcepit. Qui cùm ſediſſet, non modica dona tanto Dei viro obtulit, & cuncta ſibi de ſua conuerſatione diſplicentia enarrauit, quomodo videlicet & quibus quaſi immenſis fluctibus quateretur huius mundi honoribus, & quomodo ei nec murorum clauſtra tranquillitatem præſtare potuiſſent, & quantùm huius*

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

mundi formidaret diuitias, quippe qui nec vllum vellet habere colonum. Secretum ergo petens, vt ei omnes perturbationes animi ſui atque anguſtias liberè poſſet referre lachrymis fuſis, flebili voce deplorat, vt ſuum ſecretum impoſito honore perdiderit, in priſtina petitione perſiſtens, vt ad Cœnobium ipſum ire permitteret, vel in quandam cellulam includeret, vel in aliqua ſecreta ſylua ad operationem ipſi concederet agellum. His auditis tantam humilitatem eius miratus eſt ſummus Papa, eóque à ſe dimiſſo, ad ſecreta neceſſaria Synodum congregauit, & in eo Conuentu iſta recitauit. Quibus illi auditis, vnâ voce omnes eum reuerti debere proclamabant, multis teſtimoniis Scripturarum id confirmantes. His ita dicentibus, virum Dei in medium venire iuſſit. Quorum verbis ſe victum conſiderans, vt iniunctum ſibi à tanto patre officium nullo modo omitteret, & à lucro vacuus rediret ad aream, cum ſummo ibi aliquantùm temporis retentus honore, benedictione acceptâ, valefaciens omnibus triſtis receſſit.

VI. Româ per Longobardiam in Boioariam rediit. *Cùm autem Magienſe caſtrum,* quod ad Boioariam pertinebat, *intraſſet, à cuſtodibus captus eſt, ſicut* anno priori *diximus à Grimoaldo Duce præceptum eſſe, nec vlteriùs eum abire ſinebant, niſi ad eorum Principem ſe iturum promitteret. Ibíque nolens & coactus tamdiu detentus eſt, vſquedum ab eis miſſus Grimoaldo hoc nuncians reuerteretur. Quæ vir Dei impedimenta viæ ſuæ diligenter pertractans, conſiderauit diuinæ virtutis gratiâ vacua non fuiſſe. Tunc enim ad beati Valentini Confeſſoris Chriſti ſepulchrum, ſitum in eodem caſtro, ſanctæ orationis causâ ſe contulit. Sollicito animo vniuerſam montanam regionem, vrbi illi confinem, circuiuit, vidítque terram fructiferam & ſyluoſam. Inuenit etiam inter duos riuulos locum ſecretum & purum abſque habitatoris tramite, qui appellabatur vſitato nomine Camina. Intellexit ergo non ſine diuino nutu & voluntate ibi ſe eſſe detentum, conſiderânſque locum ſecretum, & ad ſanctæ religionis cultum valdè commodum, cum magno amauit affectu, cogitauítque ſibi ſecretum ibi hoſpitiolum conſtruere, ſi eum condigno poſſet pretio comparare. Perquiſiuit ergo diligenter, cuius vel quorum is eſſet proprius, vt accedente opportunitate temporis, propter vicinitatem Sancti Valentini Eccleſiæ, ſibi ad ſecretum hoſpitium eum vindicaret. Intereà illi, qui ad Grimoaldum Ducem pro annunciando aduentu eius miſſi fuerant, reuertebantur, cum ſumma eum veneratione rogantes, vt ad eum venire non dedignaretur. Adiecerunt etiam, vt ſi ſponte venire nollet, datum ſibi eſſe præceptum, vt inuitum eum deducere deberent. Intellexit vir Dei illorum inſidias, & in prædicto caſtro relictis ſarcinis ſuis, ad dictum Principem mæſtus perrexit.*

MORATVR IN DITIONIBVS GRIMOALDI DVCIS.

VII. *Cùm autem ad Palatium prædicti Principis peruenit, per quendam dilectum eius Cubicularium eidem Principi demandauit, nequaquam ſe faciem illius videre velle, antequàm laſciuam coniugem à ſe expelleret, quam ſibi tunc copulauerat, poſt obitum fratris ſui Theodaldi* ſeu Theodebaldi nuperrimè mortui, *viduam. Quæ quidem ſecundùm huius carnis putredinem pulchra videbatur & decora, nomine Pilidrud, & genere præclara, ex Galliæ partibus genitricem ſecuta, iſtas peruenerat in partes. Sed cùm Epiſcopi dictis conſentire nollent, ipſe in ſua perſeuerauit ſententia, eiſque egregij prædicatoris Pauli ea verba demandauit inter cetera. [Quia neque adulteri, neque fornicatores, Regnum Dei poſſidebunt.] Illa autem funeſta Herodiadis ſequens exemplum, de morte viri Dei cum maleuolis quibuſdam tractare cœpit. At vir Dei pro tali crimine meminerat Iohannem increpaſſe Herodem & Herodiadem, quam tulerat fratri ſuo viuenti vxorem, atque ob hoc ab Herode interemptum eſſe, ideóque nullatenus in tantum facinus ſe conſentire prædixit, antè ſe eſſe potiùs moriturum. Sic ergo quadraginta diebus ab eorum ſe ſubtraxit obtutibus, eóſque per ſuos iugiter admonere non deſtitit, vt tam execrabile coniugium relinquerent, congruíſque temporibus, iam quidem, ſi conuerterentur ad pœnitentiam, blandis ſermonibus Dei Regnum promiſit, porrò ſi permanerent in malitia, terrorem magni iudicij Dei æternúmque eis citò venturum minabatur ſupplicium. Tandémque Dei Omnipotentis conſolante clementiâ perduxit eos ad promiſſionem ſeparationis ſuæ. Tunc vir Sanctus in Domini Chriſti Ieſu confiſus gratia, eos fecit*

DVCEM ILLVM INCESTVM AD POENITENTIAM ADDVCIT.

Digitized by Google

ad ſuam venire præſentiam. Qui venientes, humi ſe proſtrauerunt ambo, & extenſis ad pedes eius brachiis, ſe grauiter peccaſſe, ſe nimiùm reos eſſe confeſſi ſunt, & ita purâ confeſſione ad pœnitentiæ confugerunt remedia. Quorum capitibus vir Dei manus imponens, ſigno æternæ ſalutis eos munire curauit; ex humo eos erigens, tam grauiter lapſis pœnitentiam deſignauit; viam eis ſalutis oſtendit; remediorum ſolatia, eleemoſynarum largitate, ieiuniorum & orationum frequentiâ, adipiſcenda monſtrauit; & vt ampliùs peccare cauerent, ſollicitè præmonuit. Sícque domum ingreſſi, communiter ſumpſerunt cibum. Sicut autem à menſa Principis vir Dei alimoniam corporis ſumpſit, ita illis alimoniam animarum, prædicando verbum Domini, miniſtrauit. AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

VIII. *Tunc quoque vir Sanctus locum amœnum in confinio Magienſi, cuius ſuperiùs mentionem fecimus, Grimoaldo Principi à poſſeſſoribus iuſto pretio emere perſuaſit, vt haberet iuſto labore adeptum, vnde animæ ſuæ remedium acquirere poſſet. Ei verò Princeps libenti animo obediuit, eóque cum beato Corbiniano veniens, conuocauit ad ſe poſſeſſores loci illius, qui vulgò adhuc dicitur Camina, inter duos riuulos Timonem & Finalem, & dato iuſto pretio emit à viris nobilibus tam agros quàm prata & vineas cum parte Alpium. Illi verò venditores cum teſtimoniis & teſtibus hoc illi confirmauerunt, ſicut mos eſt, in proprietatem. Quo facto, ex conſilio fidelium & Deo deuotarum perſonarum tradidit hoc ipſum per manus beati Corbiniani Deo & ſanctæ Dei Genitrici Mariæ ad Eccleſiam eius, ſitam in caſtro Friſingenſi ſuper fluuium Iſaram, & coram teſtibus eidem perpetuo iure ſeruiturum firmauit. Tunc quoque vir Domini Corbinianus habitaculum ſibi conſtruere illic feſtinauit, Baſilicam ædificauit, & Sancti Valentini atque beati Zenonis in ea patrocinia collocauit, & in eorum dedicauit honorem, vineáſque ibi plantans pomiferis ornauit arboribus, & alimoniam pauperibus præparauit. Cœpítque fama ſanctitatis eius ſpargi latè per orbem, à cuius ore laus Dei iugiter emanabat.*

MVLTIS PRÆDIIS DITAT ECCLESIAM FRISINGENSEM.

IX. *Fuítque inde non longè manens quædam vidua, nomine Fauſta, cum duabus filiabus, bonam habens ſubſtantiam. Quæ Fauſta diuidens cum filiabus poſſeſſionem, portionem ſuam Grimoaldo Principi eo pacto tradidit, vt vſque dum illa viueret, eam tueretur & cuſtodiret, & poſt eius deceſſum eam ſibi haberet propriam in loco, qui dicitur Chories, cum omnibus rebus eò pertinentibus. Poſt eius verò obitum beatus Corbinianus dedit Grimoaldo Principi nongentos auri ſolidos, quos ei dudum Pipinus Maiordomûs Francorúmque Princeps pro eleemoſyna largitus erat, & comparauit hoc ipſum in Chories; & ambo pariter poſteà, beatus Corbinianus Epiſcopus & Grimoaldus Princeps, tradiderunt hoc Deo & Sanctæ Mariæ ad prædictam Eccleſiam in caſtro Friſingas, vbi tunc beatus Corbinianus Cathedram tenuit Pontificalem.*

X. Hæc fuerunt Epiſcopatûs Friſingenſis initia, cui Corbinianus ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum præfuit. Friſinga vrbs primaria Diœceſeos in colle ſita eſt ad Moſaci & Iſaræ confluentes. Corbinianus Sanctos Valentinum & Zenonem, quorum patrocinia ſeu Reliquias Baſilicæ à ſe conſtructæ intulit, maximâ veneratione proſequutus eſt. Vtriuſque tumulum nuper adierat; vnum, cùm Romam proficiſceretur; alterum, cùm Româ rediret. Eunti enim Tridento Papiam iter Veronâ fuit, vbi ſepulchrum beati Zenonis, & in Boioariam reuerſo mora fuit aliquot dierum apud caſtrum Magienſe ſeu Maienſe, vbi tumulus beati Valentini. Celeberrima eſt Zenonis Epiſcopi memoria, *qui inter procellas perſecutionis*, vt Martyrologium Romanum [a] teſtatur, *Eccleſiam* Veronenſem *mirâ conſtantiâ gubernauit, & Gallieni tempore Martyrio coronatus eſt.* Sancto Zenone multò recentior Sanctus Valentinus. Hic ineunte quinto ſeculo floruit. Ita cenſent Matthæus Raderus Tomo primo Bauariæ Sanctæ, Andreas Brunnerus libro quarto [b] rerum Boicarum, Ioannes Bollandus ſeptimo Idus Ianuarij, Ioannes Adlzreitterus libro quinto [c] Annalium Boicorum. Nec audiendus Gabriel Bucelinus in Chronologia Rhætiæ ſacra & prophana, vbi eundem Sanctum Valentinum anno Chriſti treceenteſimo quadrageſimo ſublatum ex

FIT EPISC. FRISINGENSIS.

IBI COLLOCAT RELIQVIAS S. ZENONIS.

[a] Die 12. Apr.

[b] Num. 4.

[c] Num. 27.

Digitized by Google

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

hac vita ſcribit. Ex illis autem Auctoribus & ex Surio [a], necnon ex Breuiario Paſſauienſi collegimus quæ ſequuntur. Initio quinti ſeculi Batava caſtra ſeu Batava Noricorum, (poſteris Batauium, Patauium, Patauia & Paſſauium *) eorúmque confinia duplici malo laborabant, idololatriâ videlicet & Arianiſmo. Venit illuc Valentinus vir ad Oceanum natus, ægréque cum immitibus ingeniis colluctatus, ſemel atque iterum adiit Romanum Pontificem à quo donatus eſt Epiſcopalibus Infulis. Româ verò cum ampliſſima poteſtate reuerſus, ſtrenuè pro commiſſa ſalute animarum deſudauit. Sed apud obſtinatos cùm paganos tum hæreticos rem pro voto promouere non potuit, imò ab Arianis vrbe pulſus Rhætiam ſibi ſumpſit excolendam, in qua progreſſus fecit minimè pœnitendos. Exinde migrauit ad Alpes Maias, haud longè à Merania vrbe Tiroleos, vbi populum moribus alioquin aſperum ita manſueſecit, vt plurimi ad Chriſtianam Religionem libentes tranſirent. Demum multis pro Deo perfunctus laboribus, collecto ingenti animarum lucro, mortis proximè imminentis è cælo admonitus, beato fine quieuit, ſepultúſque eſt in Maienſi * caſtro, vbi Corbinianus Epiſcopus, vt dictum eſt ſuprà, moras per aliquot dies agere coactus eſt, donec nuncius è comitatu Grimoaldi Ducis rediret. Corbinianus igitur, poſtquàm Sedem Epiſcopatûs apud Friſingam in Boioaria fixit, Sanctum Valentinum tanquam vnum è primariis illius prouinciæ patronis præcipuè coluit, eiúſque ſimul ac beati Zenonis patrocinia ſeu Reliquias apud eandem ciuitatem in Eccleſia nuper à ſe conſtructa collocauit.

[a] d. 4. Aug.
* *Paſſau.*
ET S. VALENTINI.
* *Matſch.*

XI. Interim Winfridus Euangelium in Haſſia & Thuringia prædicabat feliciſſimo ſucceſſu. *Tunc,* inquit beatus Ludgerus in vita Sancti Gregorij, *priores & prudentiores Francorum, qui electum Dei Martyrem Bonifacium* ſeu Winfridum, *eiúſque diſcipulos, venerabilem Gregorium & ſocios eius, in tanta virtute operum & fortitudine conſtantiæ noſſe & intelligere potuerunt, cœperunt eis & ſua offerre diligentiùs de die in diem & laudem tantæ beatitudinis & vnitatis apud Regem Francorum* (Maiorem-domûs interpretare) *ſeniorem videlicet Carolum, non celare. Cœpítque & ipſe Rex,* id eſt, Maior-domûs, *virum Dei Bonifacium velle videre, iuſſítque eum venire ad ſe. Qui cùm veniſſet, non ſtatim in initio honore ſibi condigno receptus eſt à Rege* ſeu Maiore-domûs, *ſed ſic competenter dilatus, quia fuerunt quidam pſeudo-doctores & adulatores, qui famam ſancti viri & diſcipulorum eius obfuſcare & impedire conati ſunt apud Regem* ſeu Maiorem-domûs. *Verumtamen ex illo die creuit amor & honor hominis Dei & diſcipulorum eius apud omnes, qui fidem illorum & vitam ſcire & inueſtigare interiùs deſiderabant, &, iuxta dictum Euangelij, iuſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis. Redierunt electi Dei iterum ad ſua & in cœpto opere ſine vlla haſitatione permanentes in Thuringiis & in Haſſis, vbi tunc temporis maximè opus erat doctrinâ illorum, ob vicinitatem paganorum, & indoctam plebem.* Winfridus de proſperrimo ſuſceptæ prædicationis euentu Romanum Pontificem per nuncios certiorem fecit, ſtatímque Romam literis Apoſtolicis inuitatus eò contendit magnis itineribus, & pridie Kalendas Decembris ordinatus eſt Epiſcopus in Feſto Sancti Andreæ. Illa omnia hoc anno geſta ſunt, vt inferiùs ex epiſtolis Gregorij Papæ probabimus, & à Sancto Willibaldo copioſè ſic enarrantur. *Heſſórum populum paganicis adhuc ritibus oberrantem, à dæmoniorum, Euangelica prædicando mandata, captiuitate liberauit, multíſque millibus hominum, expurgatâ paganicâ vetuſtate, baptizatis, idoneum quippe nuntium ac fidelem ſuarum literarum portitorem, nomine Bymiam,* (Othlono Bynnam) *Romam direxit, Patríque venerabili Apoſtolicæ Sedis Pontifici vniuerſa, quæ circa illum Domino dante facta ſunt, mutâ quidem literâ miniſtrante per ordinem reuelauit, & quòd magna multitudo hominum, diuino illuſtrante Spiritu, regenerationis perciperet ſacramentum, manifeſtauit. Sed & de rebus, quæ ad quotidianam Eccleſiæ neceſſitatem populíque prouentum pertinebant, plura ob conſilium Sedis Apoſtolicæ interrogando conſcripſit. Cùm enim aliquantos dies præfatus hic nuntius prædicto maneret loco, & iam reditùs ſui tempus*

WINFRIDVS DE PROSPERO APVD HESSOS ET THVRINGOS SVSCEPTÆ PRÆDICATIONIS EVENTV PAPAM PER NVNCIOS CERTIOREM FACIT.

ROMAM INVITATVS EO PERGIT.

Digitized by Google

tempus inſtaret, tunc etiam à præfato Sedis Apoſtolicæ Pontifice mutuum Legationis ſuæ reſponſum accepit, & ſtatim reuerſus chartam Sedis Apoſtolicæ conſcriptionis, iam non multo tranſacto tempore, Magiſtro attulit. Cúmque Sanctus vir allatas legiſſet literas, carptim ſe inuitatum ad Romam intellexit, feſtinúſque ſummum obedientiæ gradum implere tentauit, clientúmque confeſtim ſtipatus catervâ, & fratrum circumſeptus agmine, Francorum ac Burgundionum Italiæque, iam collibus Alpium tranſcenſis, limitum fines militúmque terminos tranſmigrauit, & Romanæ vrbis mænibus conſpectis, altithrono repentè condignas gratiarum laudes rependit, & ad B. Petri mox Eccleſiam perueniens diligenti ſe oratione muniuit. Cúmque laſſata membra pauliſper quieuiſſent, iam B. Gregorio Apoſtolicæ Sedis Pontifici nuntiatum eſt, quòd hic Dei famulus adueniret. Qui etiam benè ſuſceptus in Xenodochium adductus eſt. Adueniente itaque opportuno collocutionis eorum die, & ad Baſilicam beati Petri Apoſtoli aduentante glorioſo Sedis Apoſtolicæ Pontifice confeſtim hic Dei famulus inuitatus eſt. Et cum paucis ad inuicem ac pacificis ſe ſalutaſſent verbis, iam de ſymbolo & fidei Eccleſiaſticæ traditione Apoſtolicus illum Pontifex inquiſiuit. Cui mox vir Dei humiliter reſpondit, dicens. Domine Apoſtolice, noui me imperitum, iam peregrinus veſtræ familiaritatis ſermone, ſed quæſo, vt otium mihi & tempus conſcribendæ fidei mihi concedas, & muta tamen litera meam rationabiliter fidem adaperiat. Qui etiam protinus conceſſit, & vt feſtinè hanc ſcripturam deferret imperauit. Cùm aliquanto temporis euoluto ſpatio, Sanctæ Trinitatis fidem vrbanâ eloquentiæ ſcientiâ conſcriptam detuliſſet, reddidit præfato Pontifici. Expectauit quippe nihilominùs dies aliquos, ſic ſaltem reinuitatus eſt, & Lateranum inductus humiliter prono vultu protinus poſtulatâ benedictione, pedibus Apoſtolici Pontificis aduolutus eſt. Quíque repentè eum eleuauit à terra, & chartam, in qua integra & incorrupta fidei patuit veritas, huic famulo Dei reddidit, eúmque conſedere fecit, & ſalutari eum admonitione doctrinæ inſtruxit, vt hanc ſine intermiſſione intemeratam fidei munitionem obſeruaret, & aliis inſtanter ſuarum pro poſſibilitate virium prædicaret. Multa quoque alia de religione ſanctitatis (Othlono ſpiritalis vitæ) *& fidei veritate ſciſcitando profert, itaut omnem penè diem pariter colloquendo alternatim ducerent, & ad extremum qualiter populi, per deuia priùs facinorum oberrantes, fidei documenta ſuâ prædicatione perciperent, ſuſcitatus eſt. Et cùm pro certo comperiſſet, quòd maximam quidem multitudinem plebis à ſacrilega dæmonum cultura ad conſortium Sanctæ Eccleſiæ aſciſceret, intimauit ei, quia Epiſcopatûs ſibi imponere gradum voluiſſet, populis Paſtorali priùs ſollicitudine priuatis, & iuxta ſententiam Domini Dei noſtri iacentibus ſicut oues non habentes Paſtorem, præferre. Sed quia contradicere huic tanto Pontifici Apoſtolicæ Sedis Prælato non auderet, conſenſit etiam & obediuit. Síque ſummæ authoritatis Pontifex diem conſtituit ordinationis, id eſt, pridie Calendarum Decembrium. Cúmque ſacroſanctus ſolemnitatis dies, & natalitius Sancti Andreæ, & præfinita ordinationis illuxiſſet, iam ſacer Sedis Apoſtolicæ Pontifex, Epiſcopatûs ſibi, & nominis, quod eſt Bonifacius, impoſuit dignitatem.*

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

ORDINATVR EPISCOPVS, ET MVTATO NOMINE DICITVR BONIFACIVS.

XII.

Othlonus [a] eadem ſcribit. Vltima tantùm proferemus, quæ pertinent ad Epiſcopatum, ad nominis mutationem, & ad iuramentum Gregorio Romano Pontifici præſtitum, de quo ſilet Sanctus Willibaldus. *Ille*, nempe Gregorius Secundus Papa, *intimauit ſancto viro* Winfrido, *quia Epiſcopatûs gradum ſibi imponere voluiſſet, vt eò conſtantiùs errantes quoſlibet corrigere & ad viam veritatis conuertere poſſet, quò maior authoritate Apoſtolicæ dignitatis fulciretur, eſſétque cunctis tantò acceptior in prædicandi officio, quantò plùs clareſceret, quia ad hoc à Præſule ordinatus eſſet Apoſtolico. Quæ omnia vir Dei ſagaciter perpendens, ſimúlque cauens quod ſcriptum eſt,* [*qui noluit benedictionem, elongabitur ab eo,*] *benedictionis tantæ gratiam non recuſauit. Adueniente ergo ordinationis eius die, quæ erat pridie Kalendarum Decembrium, hoc eſt, in natali Sancti Andreæ Apoſtoli, impoſuit ei venerabilis Papa & Epiſcopatûs ordinem, & alterius nominis, quod eſt Bonifacius, dignitatem, nam anteà Winfrid dicebatur. Deinde vt eum ad obedientiam ſibi ſucceſſoribúſque ſuis exhibendam, necnon ad omnem ſacræ fidei traditionem obſeruandam arctiùs conſtringeret, exegit & accepit ab eo iuramentum.*

[a] Lib. 1, cc. 17. 18.

Digitized by Google

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

XIII. A die, qui Kalendas Decembres huius anni præceſſit, ad Nonas vſque Iunias anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi quinquageſimi-quinti, quibus Winfridus ſeu Bonifacius Martyrium conſummauit, anni duntaxat vnus & triginta cum ſex menſibus diebúſque totidem effluxerunt, ideóque impropriè, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-octauum obſeruauimus, eidem Bonifacio anni ſex & triginta cum ſex menſibus diebúſque totidem in Epiſcopatu tribuuntur. Anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeuiceſimo Winfridus non eſt ordinatus Epiſcopus, ſed præco Chriſtianæ fidei Legatúſque Sedis Apoſtolicæ creatus eſt, vt auctoritate Apoſtolicâ gentibus, quibus Chriſtus nondum annunciatus, Euangelium prædicaret, ipſúmque concionandi officium adimpleret, quod eſt inter præcipua Epiſcopi munia atque interdum Apoſtolatus appellatur. At hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-tertio, Romæ à Gregorio Secundo Papa conſecratus eſt Epiſcopus, vt Apoſtolicæ dignitatis auctoritate fulciretur, & in officio prædicandi cunctis acceptior fieret.

XIV. Diſtingue autem duo Epiſcoporum & Archiepiſcoporum genera. *Quibuſdam*, inquit Serarius [a], *certa Sedes, certúſque locus & fixus eſt, cuius Epiſcopi aut Archiepiſcopi appellentur. Quibuſdam verò incerta Sedes, nullúſque certus & fixus locus, & poſterius hoc genus in iis plerumque gentibus ac prouinciis inuenitur, quæ ad Chriſti fidem aggregari primò inceptant. Cùm enim ij, qui Euangelium iis annunciant, huc illuc procurrere debeant, neque congregatum adhuc ouile in vna quapiam aut ditione aut vrbe obtineant, Epiſcopalem quidem Presbyterorum ordinandorum, variíſque in locis collocandorum, vel Archiepiſcopalem etiam creandorum Epiſcoporum poteſtatem ab Apoſtolico accipiunt, ſed incertis intereà vagantur Sedibus, & ad verum ſummúmque animarum Paſtorem Chriſtum Ieſum, quotquot & vndique poſſunt, oues congregant. Et hi quidem præcisè ac ſimpliciter Epiſcopi, vel generatim eius regionis, in qua laborant gregémque Domino conquirunt, Epiſcopi & Archiepiſcopi nuncupantur.* Poſterioris generis Epiſcopus fuit Winfridus, cui nec certa Sedes, nec locus fixus, vt ex ſequentibus patebit.

[a] Not. 25. in vit. S. Bonifac.

XV. Porrò, qui Winfrethus, Wynfrethus, Winfredus, Wynfrithus, Winfretus, Wimfredus, Winfridus, Winefridus, Binfridus, & Wunefres anteà vocabatur, in Epiſcopali conſecratione Bonifacius à Gregorio Papa nuncupatus eſt. Quia *Frid* apud Germanos pacem, *win* vinum, *wind* ventum, *winnen* vincere ſignificat, Serarius [b] Winfridi nomen *à vini forſan, aut venti, aut victoriæ pace* petitum dicit. A *bonis* verò *factis* tam præteritis quàm futuris ei nomen Bonifacij Gregorius Secundus impoſuit. Habitâ præteritorum benefactorum ratione, apud Egilwaldum *bonis ex factis ſuis, mutato nomine per Gregorium Papam Bonifacius appellatus, & Pontifex conſecratus, atque Legatus Apoſtolicus in partes Germanicas deſtinatus* dicitur. Futura benefacta conſiderauit Vates, qui Moguntinum eiuſdem Bonifacij tumulum hiſce verſibus exornauit [c].

[b] Not. 26. in vit. S. Boniſac.

[c] Ap. Serar. not. 47. in vit. S. Boniſac.

Quàm benè Romuleus commutat nomina Paſtor,
Dum te Teutonicas iuſſit adire plagas!
Scilicet augur erat, tanti præſaga boni mens,
Vt pro Winfrido Bonfacium indigitet.
Túque adeò egregiè magni vim nominis imples,
Dum bona multa aliis vitâ obitúque facis;
Dum mala profligas, inconceſſóſque Hymenæos;
Atque fidem, mores, iuráque ſacra doces.
Ne mala ſint aliis, vltrò mala deligis vnus;
Ne plures pereant, eligis ipſe mori.
Sentiat, ô, ſacri Clerus vim nominis, hæres
Sit fidei, atque tuæ ſit pietatis amans;
Vt qui Pontificem gaudet te habuiſſe, ſequatur
Virtutem, & factis æmula facta tuis.

Digitized by Google

Quod in Winfrido præſtitit hoc anno Gregorius Papa, Sergius quoque Romanus Pontifex in Willebrordo ante annos ſeptem ac viginti præſtiterat, vbi enim hunc Archiepiſcopum Friſonum ordinauit, ei nomen Clementis impoſuit. Quapropter ipſemet Bonifacius in literis ad Stephanum Tertium Papam, quas Baronius ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquaſimum-quintum [a] recitat, de eodem Willebrordo ſic ſcribit. *In tempore Sergij Apoſtolicæ Sedis Pontificis venit ad Limina Sanctorum Apoſtolorum Presbyter quidam miræ abſtinentiæ & ſanctitatis, generis Saxonum, nomine Willebrord, & alio nomine Clemens vocatus.* Willebrordus antiquum nomen in Tabulis Eccleſiaſticis retinet ſeptimo Idus Nouembris, & ad illum diem inter alia Baronius hæc habet. *Barbarum ac pronunciatu aſperum nomen Sergius Papa, cùm illum Romæ in Eccleſia Cæciliæ ordinaret Epiſcopum, mutauit in Clementem, tamen priori nomine potiùs appellatus reperitur.* In iiſdem Tabulis Bonifacius Nonis Iunij celebratur, nulla Winfridi ſeu prioris nominis facta mentione. Willebrordum vt ante, ſic & poſt Epiſcopalem ordinationem vſitato nomine ſemper appellauimus appellabimúſque; quem verò Winfridum hactenus, Bonifacium deinceps vocabimus. Epiſtolas, quotquot hic ſcripſiſſe vel accepiſſe comprobatur, legimus attentiſſimè, nec minùs accuratè ſingularum apices inſpeximus atque examinauimus, vt obſeruatâ titulorum differentiâ, quantùm fieri poſſet, tempora diſtingueremus. Antequàm Epiſcopus ordinaretur, Winfridus nuncupabatur, Bonifacius nequaquam. Teſtes literæ [b], per quas Daniel in Occidentali Britanno-Saxonia Ventæ ciuitatis Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeuiceſimo *Wynfrithum* ex Anglia iter ad Apoſtolorum limina ſuſcipientem Chriſtianis omnibus commendauit. Teſtes & literæ [c], quas Winfridus Eadburgæ Abbatiſſæ ſic inſcripſit. *Beatiſſimæ virgini, imò dilectiſſimæ dominæ Eadburgæ, Monaſticæ normulæ conuerſationis emeritæ. Winfredus exiguus in Chriſto Ieſu intimæ charitatis ſalutem.* Vbi verò factus fuit Epiſcopus, impoſterum Bonifacius ſimpliciter appellatus eſt nullâ veteris nominis factâ mentione, vel coniunctim vocatus eſt Bonifacius & Winfridus, vt is indicaretur Bonifacius, qui priùs Winfridi nomen geſſerat. Epiſtolæ, in quibus, poſtquàm ad Epiſcopatum promotus fuit, dictus eſt ſimpliciter Bonifacius, occurrunt tanto numero, vt ſuperuacaneum videatur eas allegare. Quinque autem deprehenduntur, ſecunda videlicet, ſexta, viceſima-ſecunda, quadrageſima, & quadrageſima-tertia, in quibus poſt obtentam Epiſcopalem dignitatem Bonifacius ac Winfridus ſimul nominatus inuenitur. Secundæ titulus talis eſt. *Venerandæ ac dilectiſſimæ ſorori Buggan, Bonifacius, qui & Winfrethus, ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.* Et ne ſuſpiceris hanc epiſtolam ab eo nondum Epiſcopo ſcriptam fuiſſe, obſerua directam eſſe Buggæ iam ſeni, vt docent hæc verba. *Ipſe eſt, qui modò in ſenectute tua*, &c. Senectutem autem iſtius Abbatiſſæ, cui nomen *Buggan*, ſiue *Bugge* vel *Bugga*, cum ætate Bonifacij iam Epiſcopi, vel etiam Archiepiſcopi, componendam docent Ethilberti Cantiæ Regis ad eundem Bonifacium literæ [d], quæ ſic incipiunt. *Domino beatiſſimo, & Pontificali Infulâ meritò decorato, Archiepiſcopo Winfretho, cognomento Bonifacio, Ethilbertus Rex Cantiæ, in Domino dominorum ſalutem. Ante paucos namque annos venerabilis Abbatiſſa Bugge, poſtquàm Romanæ vrbis loca ſacratiſſima orationis videlicet obtentu adierat, & exinde huc rurſus remeando ad propriam peruenit patriam, & ad Monaſterium Sanctimonialium fœminarum, quod anteà ſub iure Eccleſiaſtico benè regebat, ſtatim cùm veniſſem rogatus ad eius colloquium, inter alia deſiderabilia, hæc vel maximè auditui noſtro inculcare curauit, quòd dediſſes ei licentiam familiariter loqui de rebus ſcilicet ſibi neceſſariis apud tuam affabilem amabilémque Sanctitatem, dum ambo videlicet Romæ eſſetis, & limina beatorum Apoſtolorum frequenter viſitando terere non ſuperſediſſetis.* Epiſtolæ ſextæ titulus talis eſt. *Vniuerſis reuerendiſſimis Coepiſcopis, venerabilibus Presbyteris, candidatis gratiâ Diaconibus, Canonicis, Clericis, vero gregi Chriſti præla-*

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3. XVI.

[a] Nu. 32. 33.

[b] Ep. 53.

[c] Ep. 21.

[d] Ep. 42.

Digitized by Google

AN.CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

tis Abbatibus, ſeu Abbatiſſis humillimis, & pro, Deo ſubditis, Monachis, conſecratis & Deo deuotis virginibus, & cunctis conſecratis ancillis Chriſti, imo generaliter omnibus Catholicis Deum timentibus de ſtirpe & proſapia Anglorum procreatis, eiuſdem generis vernaculus, vniuerſalis Eccleſiæ Legatus Germanicus, & ſeruus Sedis Apoſtolicæ, Bonifacius, qui & Wynfrethus, ſine prerogatiua meritorum nominatus Archiepiſcopus, humillima communionis & ſinceriſſimæ in Chriſto charitatis ſalutem. Viceſimæ-ſecundæ titulus hic eſt. *Dilecto filio Duddo Abbati Bonifacius, qui & Winfredus, ſeruorum Dei filius, optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.* Et ne dubites eum iam Epiſcopum fuiſſe, cùm illas literas exarauit, audi quomodo de ſe iam ſene, imò iam decrepito, ſub initium earumdem literarum loquatur. *Memorem te eſſe, fili chariſſime, deſidero ſapientis cuiuſdam ſententiæ, quâ dixit, [ſerua antiquum amicum,] vt antiqua amicitia, quam in pueritia iam olim cœpimus & ſeruauimus, in ſenectute non obliuiſcaris, ſed recorderis patris tui iam nunc decrepiti & membris omnibus ad viam vniuerſæ terræ vergentis. Et licèt parùm doctus præceptor fuiſſem, tamen tibi omnium deuotiſſimus, vt ipſe teſtis es, eſſe ſtudui. Illius deuotionis memor iam, ſenis, Germanici tempeſtatibus maris vndique quaſſantibus fatigati, miſerere.* Titulus epiſtolæ quadrageſimæ iam allegatus eſt. *Domino beatiſſimo, & Pontificali Infulâ meritò decorato, Archiepiſcopo, Winfretho, cognomento Bonifacio, Ethilbertus Rex Cantiæ, in Domino dominorum ſalutem.* Denique talis eſt titulus epiſtolæ quadrageſimæ-tertiæ. *Domino meo dulciſſimo, ac ſinceriſſimo charitatis cultu, & præcipuè Dei gratiâ copioſo, ſempérque in Chriſto paſtoralis curæ regimina gubernanti Bonifacio, qui & Winfrithus, Archiepiſcopo, Torthelmus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, in Domino ſalutem.* Hæc obſeruatio nos adduxit, vt anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, qui & ab aduentu Winfridi Sacerdotis in Germaniam cum literis Apoſtolicis, & à Radbodi Friſiæ Regis obitu proximus fuit, epiſtolam [a] à Bugga non *Bonifacio ſiue Winfredo digniſſimo Dei Presbytero*, vt vulgatus titulus habet, ſed *Winfredo digniſſimo Dei Presbytero* inſcriptam moneremus. Similiter & è titulo aliarum literarum [b], quæ in vulgatis editionibus *venerabili Winfritho cognomento Bonifacio, Presbyteratûs priuilegio prædicto* inſcribuntur, duas haſce voces, *cognomento Bonifacio*, abrade. Winfridus, ſi poſtquàm Epiſcopus fuit, quandoque *cognomento Bonifacius* dictus eſt, vt in literis Ethilberti Regis, quas ſuprà citauimus, cognomentum ſeu cognomen pro alio nomine vſurpatum puta, & quoties Winfridum cognomine ſeu cognomento Bonifacium legis, Winfridum alio nomine Bonifacium vocatum interpretare, ídque inficiare priùs in vſu fuiſſe quàm Epiſcopus à Gregorio Secundo Papa ordinaretur.

[a] Ep. 35.

[b] Ep. 38.

XVII. Iuramentum, quod Gregorius Romanus Pontifex à Bonifacio Epiſcopo accepit, *in antiquis exemplaribus*, vt Othlonus [c] affirmat, ita ſcriptum reperitur. *In Nomine Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperante Domino Leone Magno Imperatore, anno* VII *poſt Conſulatum eius, ſed & Conſtantini Magni Imperatoris eius filij anno* IIII. *Indictione* VI. *Promitto ego Bonifacius Dei gratiâ Epiſcopus tibi, beate Petre Apoſtolorum Princeps, Vicarióque tuo beato Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus eius, per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiuſdem fidei, Deo operante, perſiſtere, in quo omnis Chriſtianorum ſalus eſſe ſine dubio comprobatur; nullo modo me contra vnitatem communis & vniuerſalis Eccleſiæ, ſuadente quopiam, conſentire, ſed, vt dixi, fidem & puritatem meam atque concurſum, tibi & vtilitatibus tuæ Eccleſiæ, cui à Domino Deo poteſtas ligandi ſoluendíque data eſt, & prædicto Vicario tuo atque ſucceſſoribus eius per omnia exhibere, ſed &, ſi cognouero Antiſtites contra inſtituta antiqua Sanctorum Patrum conuerſari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem; ſed magis, ſi valuero prohibere, prohibebo; ſin minùs, hoc fideliter ſtatim Domino meo Apoſtolico renuntiabo. Quòd ſi, quod abſit, contra huius profeſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio, vel occaſione, ten-*

[c] Lib. 1. cc. 18. 19.

IVRAMENTVM PRÆSTAT GREGORIO PP.

Digitized by Google

tauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ & Saphiræ incurram, qui AN.CH.
vobis etiam de rebus propriis fraudem facere præſumpſit. Hoc * *autem Indiculum* 723.
Sacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propriâ ſcripſi, atque ponens ſu- THEO-
pra ſacratiſſimum corpus Sancti Petri, ita vt præſcriptum, Deo teſte & iudice, feci DOR. IV.
Sacramentum, quod & conſeruare promitto. R. 3.

Iuramentum, vt ſolemnius fieret, in Templo Vaticano ad Sancti Petri * Sur hunc.
Reliquias præſtitit Bonifacius. Id indicant hæc verba, *& hoc ſacratiſſimum* XVIII.
corpus tuum. In illo autem iuramento duæ difficultates occurrunt, vna pertinet ad Gregorij Papæ titulum, ad Chronologiam altera.

Bonifacius Gregorium Papam beati Petri Vicarium vocat. *Promitto ego* XIX.
Bonifacius Dei gratiâ Epiſcopus tibi, beate Petre Apoſtolorum Princeps, Vicarióque tuo beato Gregorio Papæ. Similiter in literis ad Stephanum Tertium Romanum Pontificem idem Bonifacius Papam Vicarium Sancti Petri ſic appellauit. *Decreuimus in noſtro Synodali Conuentu, & confeſſi ſumus fidem Catholicam, & vnitatem, & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ noſtræ velle ſeruare, Sancto Petro, & Vicario eius velle ſubiici.* Sed vtrobique, vt Baronius in margine poſteriorum literarum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-quintum [a] notat, vſurpatur impropriè vox iſta, *Vicarius*, vſu lo- [a] Num. 4.
quendi illius temporis, quòd loco Petri, Chriſti vicem Papa gerat in terris.

Bonifacius pridie Kalendas Decembris ordinatur Epiſcopus; eodémque XX.
die iuramentum Gregorio Papæ præſtat, *imperante Domino Leone Magno Imperatore, anno* VII *poſt Conſulatum eius, ſed & Conſtantini Magni Imperatoris eius filij anno* IIII. *Indictione* VI. Leo imperare cœpit κε΄ τοῦ Μαρτίου μηνὸς, τῆς ιε΄. ἰνδικτιῶνος, die viceſimâ-quintâ menſis Martij, Indictione decimâ-quintâ, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum [b] aliâ occaſione probauimus. Er- [b] Nu. 17. & ſeqq.
go anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio, pridie Kalendas Decembris, annum agebat Imperij ſeptimum per octo menſes ac dies quinque iam inchoatum. Porrò anno Imperij ſui quarto, Indictione tertiâ, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, ipſo Paſchæ die Conſtantinum filium ſuum Imperatorem coronauit. Qua de re Theophanes ad illum annum, quem diuinæ Incarnationis ſeptingenteſimum duodecimum τῆς θείας σαρκώσεως ψιβ΄ vocat, durante inter nos annorum octo, de quo nos alibi [c], diſſidio, [c] Ad an. 697. nn. 27. 28.
ſic ſcribit. Τούτῳ τῷ ἔτει ἰνδικτιῶνι γ΄ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ Πάσχα ἐστέφθη Κωνσταντῖνος ὑπὸ Λέοντος τοῦ πατρός. Et Anaſtaſius. *Diuinæ Incarnationis anno* DCCXII. *Anno verò Imperij Leonis quarto, Indictione tertiâ, die Paſchæ, coronatus eſt Conſtantinus à Leone patre ſuo.* Vt igitur anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio, pridie Kalendas Decembris, annus Leonis Imperatoris ſeptimus per octo menſes ac dies quinque iam inchoatus, ſic & annus Imperatoris Conſtantini quartus per octo quoque menſes ac dies duos incœptus rectè numeratur. At difficultas eſt ſuper Indictione ſexta, quia Indictio ſeptima pridie Kalendas Decembris anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio iam currit. Vitium ſanè vel in annos Imperatorum vel in ipſam Indictionem irrepſit. Sirmondus mendum in annis Imperatorum eſſe putat, nos Indictionem corrigendam exiſtimamus, & ſextæ loco ſeptimam reponendam arbitramur, quoniam anno ſequenti octaua Indictio per menſem Decembrem cum anno octauo Leonis Imperatoris & anno quinto Conſtantini Imperatoris componetur, & anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſexto per menſem quoque Decembrem Indictio decima cum anno decimo Leonis Imperatoris & anno ſeptimo Conſtantini Imperatoris comparabitur.

Sanctus Willibaldus, poſtquàm Bonifacium in feſto Sancti Andreæ Epi- XXI.
ſcopum ordinatum dixit, hæc proximè ſubiungit. *Ei Gregorius Papa libellum, in quo ſacratiſſima Eccleſiaſticæ conſtitutionis iura Pontificalibus geſta ſunt Conuentibus, accommodauit, & vt ex hoc inconuulſa apud ſe Pontificalis hæc diſci-*

Digitized by Google

AN. CH. *plina & inſtitutionis ordo permaneret, populíque ſubiecti his imbuantur exemplis,*
723. *imperauit, ſed & familiaritatem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ tam ſibi quàm omnibus ſibi ſubiectis ex hoc in futurum condonauit, & Caroli Ducis glorioſi ſuis ſacratiſſimis*
THEODOR. IV. R. 3. *literis regni munimine ac deuotione ſanctum hunc virum Epiſcopatûs gradu pollentem ſubiugauit.*

XXII. [a] Lib. 1. c. 20. ROMA DISCEDIT CVM LITERIS PP.

Textus Othloni [a] multò clarior eſt. *Poſtquàm ergo* Bonifacius Epiſcopus *huiuſmodi promiſſionem coram Gregorio Papa peregit, tunc & ipſe eum in omnibus adiuuare, præferre & venerari ſtuduit. Nam libellum, in quo ſacratiſſima Eccleſiaſticæ Inſtitutionis iura, Pontificalibus digeſta Conuentibus, habebantur, ei donauit, præcipiens, vt tam Clerus, quàm ceteri populi, ſuo regimini ſubiiciendi, inſtitutis talibus erudirentur. Sed & familiaritatem Sedis Apoſtolicæ ſibi omnibúſque ſibi ſubiectis perenniter reſeruandam Priuilegio confirmauit, ſicque eum literis tranſmiſſis non ſolùm Karolo Duci glorioſo, qui per idem tempus Francorum Regnum gubernabat, ſed etiam vniuerſis Eccleſiaſticis viris, Principibúſque in Germania conſtitutis, muniendum commendauit.*

XXIII. [b] Lib. 1. cc. 21. & ſeqq.

Apud hunc Auctorem [b] ſuper ea re leguntur ſex epiſtolæ Gregorij Papæ, quarum editiones apud Surium, Baronium, Serarium, Binium & Sirmondum conſuluimus ſimúlque contulimus, vt correctiores hîc cuderentur.

XXIV. AD CAROLVM MAIOREM DOMVS.

Prima Carolo Maiori-domûs inſcribitur. *Domno glorioſo filio Karolo Duci Gregorius Papa. Comperientes te, in Chriſto dilectiſſime, religioſæ mentis affectum gerere, in multis opportunitatibus, debito ſalutis præmiſſo, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præſentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, à nobis Epiſcopum conſecratum, atque inſtitutionibus Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſiæ generali ſollicitudine informatum, ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diuerſis in Orientali Rheni fluminis parte conſiſtentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obſcuritatibus præpeditis, neceſſariò deſtinare. Pro quibus eum glorioſæ beneuolentiæ tuæ omnimodo commendamus, vt in omnibus neceſſitatibus adiuuetis, & contra quoſlibet aduerſarios, quibus in Domino præualetis, inſtantiſſimè defendatis, certiſſimè retinentes, vos exhibere Deo, quæcumque huic promptiſſimo impenderitis fauore, qui Sanctis Apoſtolis ſuis, ad lucem gentium deſtinatis, ſuſcipientibus eos, ſe ſuſcipiendum prædixit, quorum inſtitutionibus per nos informatus præmiſſus Antiſtes in ſortes prædicationis procedit.*

XXV. AD OMNES CHRISTIANOS IN GERMANIA CONSTITVTOS.

Secunda omnibus Chriſtianis in Germania conſtitutis inſcribitur. *Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis Reuerentiſſimis & Sanctiſſimis fratribus Coepiſcopis, Religioſis Presbyteris ſeu Diaconibus, glorioſis Ducibus, magnificis Caſtaldis, Comitibus etiam, vel cunctis Chriſtianis Deum timentibus. Sollicitudinem nimiam gerentes pro ſpeculatione nobis credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga Orientali Rheni fluminis, antiquo hoſte ſuadente, errare, & quaſi ſub Religione Chriſtiana idolorum culturæ ſeruire cognouimus, aliquos verò, qui nec Dei cognitionem habentes, nec baptiſmatis ſacrâ vndâ ſunt loti, ſed comparatione brutorum animalium pagani, factorem ſuum non recognoſcunt, neceſſarium duximus pro vtrorumque illuminatione ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum literarum portitorem Bonifacium, reuerentiſſimum fratrem & Coepiſcopum noſtrum, ad eaſdem partes dirigere, vt & illis prædicando verbum ſalutis, vitam prouideat ſempiternam, & ſi quos fortè vbicumque à rectæ fidei tramite deuiaſſe cognouerit, aut aſtutiâ ſuaſos diabolicâ erroneos repererit, corrigat, atque ſui euocatione ad portum reſtituat ſalutis, eóſque ex Apoſtolicæ Sedis huius doctrina informet, & in eadem Catholica fide permanere inſtituat. Cui hortamur ob amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum eius reuerentiam, vt in omnibus ſolatia exhibeatis, eúmque in nomine Ieſu Chriſti recipiatis, vt ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis.* [*Qui vos recipit, me recipit.*] *Prouidentes inſuper neceſſaria itineris eius, comitéſque tribuentes, cibum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit, largientes, vt vno labore & ſociâ voluntate, opus ſibi creditum pietatis, & negotium ſalutis, an-*

Digitized by Google

nuente Deo, perficiatur, atque præmium laboris percipere mereamini, déque conuerſione errantium merces vobis aſcribatur in cælis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad illuminationem gentium ab hac Apoſtolica atque Catholica Dei Eccleſia deſtinato, aſſenſum vel concurſum præbuerit, exorantibus Apoſtolorum Principibus, conſortia mereatur Sanctorum Martyrum Chriſti Ieſu. Si quis verò, quod non optamus, aduerſari eius labori conatus fuerit, aut contrarius extiterit miniſterio illi credito, ſucceſſorúmque eius in eundem laborem intrantium, ex ſententia diuina, anathematis vinculo ligatus, perpetuæ damnationi ſubiaceat. Data Kal. Decembris, imperante Domno piiſsimo Auguſto Leone, Imperij eius anno VII. *ſed & Conſtantini Imperatoris eius filij anno* IV. *Indictione* VI. De Characteribus hiſce Chronologicis actum ſuprà. Hîc tantùm obſerua ſcriptas has literas poſtero poſt Bonifacij Epiſcopi ordinationem die, vnde apparet inſignis cùm Gregorij Papæ tum prædicti Bonifacij diligentia, vt negotium Orbi Chriſtiano adeò profuturum mirâ celeritate promoueretur perficeretúrque. AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

XXVI. AD CLERVM ET PLEBEM THVRINGIÆ.

Tertia epiſtola Clero plebíque Thuringiæ inſcribitur, vt ex Editione Iacobi Sirmondi [a] liquet. *Gregorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Clero, ordini, & plebi conſiſtenti Thuringi, dilectiſsimis filiis, in Domino ſalutem. Probabilibus deſideriis nihil tarditatis præſtantes, fratrem iam & Coepiſcopum noſtrum Bonifacium vobis ordinauimus Sacerdotem. Cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel Curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium, notatúmque, ad ſacros Ordines permittat accedere, ſed ſi quos huiuſmodi fortè repererit, non audeat promouere. Afros paſſim ad Eccleſiaſticos Ordines prætendentes nullâ ratione ſuſcipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpiùs ſunt probati. Miniſteria atque ornatum Eccleſiæ non minuere ſtudeat ſed augere. De reditu verò Eccleſiæ vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones, quarum vnam ſibi ipſe retineat, alteram Clericis pro officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis nouerit reſeruandam, de quibus diuino erit iudicio redditurus rationem. Ordinationes verò Presbyterorum, ſiue Diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis ieiuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali, atque medio, veſpere Sabbati nouerit celebrandas. Sacroſancti autem Baptiſmi ſacramentum, non niſi in Paſchali feſtiuitate & Pentecoſte nouerit eſſe præbendum, exceptis iis, quibus mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubuenire. Huic ergo Sedis noſtræ præcepta ſeruanti deuotis animis obſequi vos oportet, vt irreprehenſibile placitúmque fiat corpus Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit & regnat cum Deo Patre Omnipotente, per omnia ſecula ſeculorum. Deus incolumes vos cuſtodiat, dilectiſsimi. Data Kalendis Decembris, imperante Domno piiſſimo Auguſto Lone, à Deo coronato Magno Imperatore, anno* VII. *ſed & Conſtantino Magno Imperatore eius filio, anno* IV. *Indictione* VI. At in his literis, vt & in præcedentibus, necnon in Bonifacij Epiſcopi iuramento, de quo ſuprà, Indictionis ſextæ loco reſtituenda ſeptima.

[a] Tom. 1. Conc. Gall.

XXVII.

Porrò mandata, quæ Gregorius ſuis literis complexus eſt, deſumpta videntur ex epiſtola [b] Gelaſij Papæ Primi ad Epiſcopos *per Lucaniam & Brutios & Siciliam* conſtitutos directa *quinto Idus Martij, Aſterio & Præſidio Viris Clariſſimis Conſulibus*, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo nonageſimo-quarto. De ſingulis inſtitutis agendum.

[b] Ep. 9.

XXVIII. DE CAVENDIS ILLICITIS ORDINATIONIBVS.

Gregorius Papa, præter Afros de quibus infrà, octuplex hominum genus, nempe bigamos qui duas vxores duxerunt, renuptarum maritos, illiteratos, deformes corpore, pœnitentiam ſolemnem ſeu publicam ob graue crimen geri ſolitam profeſſos, Curiæ obnoxios, ſeruos, infamatos ſeu maculis ſcelerum notatos arcet à Clericatu. Gelaſius in prælaudatis literis ſimili prorſus modo præcipit, *vt, ſi quis etiam de religioſo propoſito & diſciplinis monaſterialibus eruditus ad Clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur; ſi nullo graui facinore probatur infectus; ſi ſecundam non*

Digitized by Google

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

habuit fortaſſis vxorem, nec à marito relictam ſortitus oſtenditur; ſi pœnitentiam publicam fortaſſis non geſſit, nec vllâ corporis parte vitiatus apparet; ſi ſeruili aut originariæ non eſt conditioni obnoxius; ſi Curiæ iam probatur nexibus abſolutus; ſi aſſecutus eſt literas. Et ne putes hæc ab eo de Monachis tantùm decerni, qui promouentur ad Clerum, mox iſta ſubiungit de laicis qui Clero cupiunt accenſeri. *Si verò de laicis, quiſpiam Eccleſiaſticis eſt aggregandus officiis, tantò ſollicitiùs in ſingulis, quæ ſuperiùs comprehenſa ſunt, huiuſmodi decet examinari perſonam, quantùm inter mundanam Religioſámque vitam conſtat eſſe diſcriminis.* Deinde Præceptionem ſuam ſic abſoluit nullâ Monachorum laicorúmque diſtinctione factâ. *Nec fas eſſe confidat quiſque Pontificum, bigamos, aut coniugia ſortientes ab aliis derelicta, ſiue quoſlibet pœnitentiam profeſſos, vel ſine literis, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut Curiæ publicarúmque rerum nexibus implicatos, aut paſſim nullâ temporis congruentis expectatione diſcuſſos, diuinis ſeruituros applicare myſteriis.* Eaſdem prohibitiones ſuis quoque decretis complexi ſunt, qui paulò pòſt in Francia Synodos celebrarunt Epiſcopi. Lege quæ Tomo primo [a] dicta ſunt ad Canonem ſextum Concilij Aurelianenſis tertij, quo ſtatuitur, *ne vllus ex laicis ante annualem conuerſionem, aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam profeſſus, aut ſemus corpore ad Ordines promoueatur;* & ad Canonem viceſimum-ſextum eiuſdem Synodi, quo decernitur, *vt nullus ſeruilibus colonariiſque conditionibus obligatus, iuxta ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, ad honores Eccleſiaſticos admittatur, niſi priùs aut teſtamento, aut per tabulas legitimè conſtiterit abſolutum.*

[a] Ad an. 538.

XXIX. Gregorius cur Afros addat, peculiarem hanc rationem reddit, quòd *aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpiùs ſunt probati.* Saraceni, priuſquàm in Hiſpaniam & Galliam tranſirent, Africam occuparunt, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum, quo prima Francorum cum illis pugna conſignatur, obſeruatum ſuprà. Porrò extorres Africani ſeſe in Europam infuderunt, victúmque ex Ordinibus Eccleſiaſticis cœperunt quærere. Verùm quia plerique eorum agniti ſunt vel Manichæi vel Donatiſtæ, *vniuerſali lege*, vt Baronius [b] ſcribit, ſancitum eſt, ne Africanus aliquo modo à quopiam Epiſcoporum ordinaretur. Dubium non eſt, quin Gregorius per Afros, *qui rebaptizati ſæpiùs ſunt probati*, deſignet Donatiſtas, qui magno numero fuerunt in Africa, pertinacitérque anabaptiſmum defenderunt. Aduersùs hos hæreticos egregiè diſputauit Sanctus Auguſtinus. Quod attinet ad Manichæos, hi dicebant duo eſſe principia coæterna, vnum bonum, alterum malum; nihil eſſe verè ſpirituale, ſed omnia eſſe corporalia; hominem non eſſe liberi arbitrij, & omnium peccatorum cauſam eſſe naturam mali principij; Manichæum eſſe Spiritum Sanctum, quem Chriſtus promiſit; carnem & vinum eſſe res immundas naturâ ſuâ, & ideo ab iis abſtinendum eſſe; animas migrare de corpore in corpus; vetus Teſtamentum eſſe à malo principio, & ideò reiiciendum. Lege S. Epiphanium [c] ſi plura cupis. Afrorum non meminit Gelaſius, quia tunc extorres nondum facti.

[b] Ad hunc an. n. 8.

[c] Hæreſ. 66.

XXX. DE DISTRIBVTIONE REDITVVM ECCLESIASTICORVM.

Quam Gregorius Papa quadripertitam Eccleſiaſticorum redituum diſtributionem præcipit, anno Chriſti quingenteſimo vndecimo Patres Concilij Aurelianenſis Primi ſub Clodoueo Magno non obſcurè præſcripſerunt ſtatuentes Canone quinto, *vt in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum, vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, & Clerici ad adiutorium Eccleſiaſtici operis conſtringantur.* Clariùs autem Gelaſius ante annos ſeptemdecim, ſic. *Quatuor tam de redditu, quàm de oblatione fidelium, prout cuiuſlibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, conuenit fieri portiones. Quarum ſit vna Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda.*

XXXI. DE LEGITIMIS DIEBVS ORDINATIONVM.

Gregorius ordinationum celebrationi deſtinata quinque Sabbata recenſet; vnum in ieiunio quarti menſis, id eſt, Sabbatum poſt Pentecoſten, ſeu Sabbatum quatuor temporum in menſe Iunio; alterum in ieiunio ſeptimi menſis,

Digitized by Google

menſis, id eſt, Sabbatum quatuor temporum in menſe Septembri; tertium AN. CH.
in ieiunio decimi menſis, id eſt, Sabbatum quatuor temporum in menſe 723.
Decembri; quartum in ingreſſu Quadrageſimali, id eſt, Sabbatum poſt THEO-
Dominicam primam Quadrageſimæ; quintum in medio Quadrageſimali, DOR. IV.
id eſt, Sabbatum ante Dominicam Paſſionis. Eadem leguntur apud Gela- R. 3.
ſium, ſic. *Ordinationes etiam Presbyterorum & Diaconorum, niſi certis temporibus & diebus, exercere non debent, id eſt, quarti menſis ieiunio, ſeptimi & decimi, ſed & etiam Quadrageſimalis initij, ac medianâ Quadrageſimæ die, Sabbati ieiunio circa veſperam nouerint celebrandas.* Quartum illorum Sabbatorum, quod Gelaſius & Gregorius Papæ Sabbatum initij Quadrageſimalis appellant, in veteri Ordine Romano vocatur Sabbatum menſis primi ſeu ieiunij in menſe primo ſiue Martio, id eſt, Sabbatum quatuor temporum in menſe Martio. *Nec mireris*, inquit Micrologus [a], *hoc ieiunium potiùs Martio quàm Fe-* [a] Cap. 24.
bruario adſcribi, quamuis in Februario cum ipſa Quadrageſima nonnunquam occurrat. Semper enim idem ieiunium, aut Kalendaria aliquando, aut Lunationem Martij, aut vtrumque ſimul incurrit: Februarij autem Kalendaria aliquando, Lunationem verò numquam attingit. Ergo multò congruentiùs Martio aſcribitur, quem numquam relinquit, quàm Februario, quem multoties penitus non attingit. Obſeruatur ſanè hoc ieiunium cum ipſa Quadrageſima ſecundùm Lunationem, ſicut & Paſcha. Vnde non incongruè ipſum Martio propter Lunationem aſcribitur, quamuis in Februario. Sicut & Paſcha Aprili ſemper aſcribitur, quamuis ſæpè in Martio contingat. Nec hoc vtique probabili exemplo carebit, ſi ſacrorum Ordinum diſpenſatio nonnumquam fiat in Februario, dum hoc exegerit Quadrageſimalis initij præmutatio. Nam Reuerendiſſimi Patres noſtri, ſanctitate & Apoſtolicâ auctoritate præcipui, videlicet Simplicius, Gelaſius, Symmachus, Felix, in Februario ordinationes feciſſe dicuntur, cùm iam Sancta Romana Eccleſia ieiunia quatuor temporum in ordinatione obſeruare decreuerit, hócque aliis quoque Eccleſiis ita obſeruandum promulgauerit. Ieiunium igitur vernum ſeu ieiunium Quadrageſimalis initij dicitur ieiunium menſis primi ſeu Martij, quia, licèt menſe Februario ſæpè celebretur, pertinet ſemper ad Martij Lunationem, ſæpè etiam ad ipſa Martij Kalendaria, quorum initium notatur poſtridie Idus Februarias ſeu die decimo-quarto Februarij. Par eſt ratio ieiunij æſtiualis, ſeu ieiunij poſt Pentecoſten, quod vocatur ieiunium menſis quarti ſeu Iunij, menſe tamen Maio plerumque celebratur, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſextum [b] iam notauimus. [b] Num. 33.

XXXII. Hodiernus adhuc vſus eſt Eccleſiæ, vt ſtatis quinque ſupradictis Sabbatis ordinationes fiant, ceteris verò diebus nequaquam, niſi peculiare priuilegium accedat, quod *extra tempora* vocant, excipitur tamen Sabbatum Sanctum, quod Gulielmus Durandus [c] *priuilegiatum* dicit, *quia in eo fiunt* [c] Lib. 6. c. 35.
Ordines, Catechumeni poſt baptizantur, cereus benedicitur, & plures lectiones leguntur. At temporibus Gregorij Secundi Papæ nondum vſus inualuerat, vt ordinationes Sabbato Sancto celebrarentur. Textus Gregorij diuerſis modis excuſus inuenitur, variæque lectiones nonnihil difficultatis parere poſſunt. Apud Surium [d] ſic legitur. *Ordinationes verò Presbyterorum ſeu Dia-* [d] d. 5. Iun. in vit. S. Boniſac.
conorum, non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis ieiuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali atque medio veſpere Sabbati nouerit celebrandas. Apud Baronium [e] & Binium [f] interſeritur virgula poſt verbum *Quadrageſimali*. Apud [e] Tom. 9. ad an. 723. n. 9.
Serarium [g] ſic habetur. *Ordinationes verò Presbyterorum ſeu Diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi & decimi menſis ieiuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali,* [f] Tom. 3. Concil. part. 1.
atque medio, veſpere Sabbato ſacro nouerit celebrandas. Optimè apud Sirmondum [h], ſic. [g] Lib. 3. rer. Mogunt.
Ordinationes verò Presbyterorum, ſiue Diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis ieiuniis, ſed & in ingreſſu Quadrageſimali, atque medio, veſpere Sabbati nouerit celebrandas. [h] Tom. 1. Concil. Gall.
Iſtius conſtitutionis ſenſus eſt, ordinationes non eſſe celebrandas, niſi veſpere Sabbati in ieiuniis ſiue in quatuor temporibus menſis quarti ſeu Iunij, menſis ſeptimi ſeu Septembris, & men-

Digitized by Google

AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

ſis decimi ſeu Decembris, necnon in ingreſſu ac medio Quadrageſimali, ſiue in hebdomada prima Quadrageſimæ & in hebdomada quæ Dominicam Paſſionis antecedit. Ordinationes autem antiquitus *veſpere Sabbati* celebrari ſolitas, multis auctoritatibus egregiè probat Micrologus in Eccleſiaſticis [a] Obſeruationibus. *Celebratio ordinationum iuxta Decreta Sanctorum Patrum, tam ſerò fiebat in Sabbato, vt potiùs Dominicæ, quàm Sabbato, aſcriberetur. Nam beatiſſimus Leo Papa Primus vſque in mane Dominicæ diei ordinationes ritè celebrari poſſe teſtatus eſt, continuato tamen Sabbati ieiunio; immo ipſas Leuiticas ordinationes & Sacerdotales numquam, niſi in Dominica, iuſſit celebrari, Dioſcoro ſcribens Epiſcopo. Conſecrandis, inquit, numquam benedictio detur, niſi in Dominica, quæ à Sabbati veſpera initiatur. Item beatus Gelaſius Papa ſucceſſor eius, omnibus Epiſcopis ſcribens, decreuit, vt in Sabbatis quatuor temporum ordinationes circa veſperam celebrarentur. Vnde & Romanus Ordo in Quadrageſima in Sabbato ordinationum orationem ſuper populum interdicit, ad quam antiqui non ſolùm capita ſed & genua flectebant, quod Nicæni Canones in Dominica fieri penitus vetant.*

[a] Cap. 29.

XXXIII. ET BAPTISMI.

Denique Gregorius Papa vetat, ne Bonifacius Epiſcopus excepto neceſſitatis caſu Baptiſmum extra feſtum Paſchæ ac Pentecoſtes conferat. Præiuit Gelaſius Papa, Baptiſmum enim in Paſchate & Pentecoſte conferendum ſic docuit. *Baptizandi ſibi quiſquam paſſim quocumque tempore nullam credat ineſſe fiduciam, præter Paſchale feſtum & Pentecoſtes venerabile ſacramentum, excepto duntaxat grauiſſimi languoris incurſu, in quo verendum eſt, ne morbi creſcente periculo, ſine remedio ſalutari fortaſſis ægrotans exitio præuentus abſcedat.* Lege quæ Tomo primo ea de re dicta ſunt ad annum Chriſti quadringenteſimum nonageſimum-quartum [b], id eſt, ad eundem annum quo Gelaſius Papa literas ſuas ſcripſit.

[b] Num. 7.

XXXIV. AD OPTIMATES THVRINGORVM.

Quarta Gregorij epiſtola Optimatibus Thuringorum inſcribitur. *Viris magnificis, Aſolfo, Godolao, Wilario, Gunthario, Alboldo, & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Chriſtianis, Gregorius Papa. Inſinuatam nobis magnificæ in Chriſto fidei veſtræ conſtantiam agnoſcentes, quòd paganis compellentibus vos ad idola colenda fide plenâ reſponderitis, magis velle feliciter mori, quàm fidem ſemel in Chriſto acceptam aliquatenus violare, nimiâ exultatione repleti gratias debitas perſoluimus Deo noſtro & Redemptori, bonorum omnium largitori, cuius gratiâ comitante vos ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei veſtræ propoſitum Sanctæ Sedi Apoſtolicæ religioſis mentibus adhærere, & prout opus popoſceris ſacræ Religionis, à memorata Sancta Sede Apoſtolica ſpirituali omnium fidelium matre ſolatium quærere, ſicut decet filios cohæredes Regni à Regali parente. Miniſterio quoque præſentis fratris cariſſimi Bonifacij, quem ad vos Epiſcopum conſecratum in ſorte prædicationis deſtinauimus, Apoſtolicis inſtitutionibus informatum, ad inſtruendam fidem veſtram, in omnibus volumus & hortamur obedientes ei conſentire ad complementum in Domino veſtræ ſaluationis.*

XXXV. AD VNIVERSVM POPVLVM THVRINGORVM.

Quinta vniuerſo populo Thuringorum inſcribitur. *Gregorius, ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſo populo Thuringorum. Dominus Ieſus Chriſtus, filius Dei, & verus Deus, de cælis deſcendit, homo factus eſt, & ſepultus tertiâ die reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cælum, diſcipulis etiam ſuis ſanctis ait,* [*euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti,*] *ipſe in ſe credentibus vitam æternam promiſit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiſcum gaudere, vbi finis gaudij nullus eſt, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, ſed gloria ſempiterna, ideò fratrem noſtrum ſanctiſſimum Bonifacium Epiſcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare, & fidem Chriſti docere, & ab errore ad viam ſalutis deducere, vt ſalutem habeatis & vitam ſempiternam. Vos ergo ei in omnibus obedite, & ſicut patrem veſtrum illum honorate, & ad eius doctrinam corda veſtra inclinate, quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus, ſed pro lucro animarum veſtrarum ad vos eum miſimus. Diligite ergo Dominum, &, in nomine eius, Baptiſmum ſuſcipite, quia Dominus Deus noſter, quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis aſcendit, præparauit diligentibus*

Digitized by Google

ſe. Iam recedite à malis operibus, & agite benè; non adoretis idola, nec immole- AN. CH.
tis carnes, quia Deus non recipit iſta, ſed in omnibus ſecundùm quod frater noſter 723.
Bonifacius docuerit, obſeruate & agite, & ſalui eritis, & vos, & filij veſtri in THEO-
ſempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipſe Pater veſter Epiſcopus habi- DOR. IV.
tare, & Eccleſias vbi orare debeatis, vt Deus indulgeat peccata veſtra, & donet R. 3.
vobis vitam ſempiternam.

Sexta *vniuerſo populo prouinciæ Altſaxonum* inſcribitur. Hanc autem lubenter omittimus, ne videamur extra Francorum limites diuagari. XXXVI.

Tantarum literarum auctoritate ſuffultus ſanctus Præſul Bonifacius proficiſcitur in Germaniam, veniénſque ad præfatum Principem Karolum, literas ei Romani Pontificis detulit, ſeséque illius dominio atque patrocinio ſubiiciens, cum conſenſu eius in Heſſorum metas, quibus & anteà prædicare cœperat, perrexit. Hæc Othlonus [a]. Othlono præiuit Sanctus Willibaldus, ſic. *Dum per longos viarum anfractus, ingentium populorum adiſſet confinia, iam quidem ad præfatum Francorum Principem venit, & venerabiliter ab eo ſuſceptus literas prædicti Romani Pontificis Sediſque Apoſtolicæ Carolo Duci detulit, eiúſque dominio ac patrocinio ſubiectus, ad obſeſſas anteà Heſſorum metas, cum conſenſu Caroli Ducis rediit.* De illa Bonifacij profectione in Haſſiam agemus anno ſequenti. XXXVII.

[a] Lib. 1. c. 27.

In Hiſtoria Swibertina, de Willeico Presbytero, qui Werdenſe Monaſterium poſt Sanctum Swibertum gubernauit, hæc leguntur. *Præfuit Sanctus Willeicus Monaſterio Werdenſi annis decem poſt deceſſum ſanctiſſimi Præſulis Swiberti, & mortuus eſt anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo, ſexto Nonas Martij. Ad cuius ſepulchrum, ad indicium virtutis illius, ſolent crebra ſanitatum miracula fieri.* Totum illum Textum veritati conſentaneum putamus, ſi, ſublato Dominicæ Incarnationis anno ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo, reſtituatur ſeptingenteſimus viceſimus-tertius, quia Sanctus Swibertus in cælum migrauit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio. Colitur Sanctus Willeicus ſexto Nonas Martij. De ſucceſſoribus, penes quos cura Monaſterij Werdenſis fuit, nihil accepimus. XXXVIII. WILLEICVS PRESBYTER OBIT.

Apud Antonium Sanderum in Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ legitur Index Abbatum Gandenſium ſeu Bauonianorum, quorum quintus nomine Reynerus Monaſterio Gandenſi præeſt annos quatuordecim, obítque Idibus Maiis, hoc vtique anno, ſi Fulconi ſucceſſor anno Chriſti ſeptingenteſimo nono datus fuit. Albericus, qui proximè ſucceſſit, idem Cœnobium annis duntaxat ſeptem gubernauit. XXXIX. REYNERVS ABB. GANDENSIS OBIT. ALBERICVS SVCCEDIT.

Erkenbodus Abbas Sitiuenſis, qui factus etiam hoc anno Morinenſis Epiſcopus curam Sitiuenſis Monaſterij nec depoſuit nec ſepoſuit, emptione factâ complures villas cenſui domeſtico Monachorum Sitiuenſium adiunxit. Extat apud Malbrancum [b] charta venditionis è Sitiuenſi Tabulario in hunc modum deſcripta. *Domino atque Apoſtolico Patri Erkenbodo Epiſcopo atque emptori, & eius Congregationi ibidem conſiſtenti, ego Rigobertus vendidi & in præſenti tradidi, hoc eſt, omnes villas meas nuncupantes Sethiaco ſuper fluuium Agniona cum adiacentiis ſuis Kelmias & Strato & infra Mempiſco Leodedringas manſiones, ſeu Bebrinio ſuper fluuio Quantia ſitas in pago Taruannenſe cum adiacentiis ſuis quæ ſunt in pago Pontiuo in loco nuncupante Mentek ſuper fluuio Æteya. Actum Sithiu Monaſterio publicè, IV. Cal. Sept. anno 3. Regni Domini noſtri Theodorici Glorioſi Regis. Ego Rigobertus hanc venditionem à me factam relegi & ſubſcripſi. S. Dodoni. S. Leudegeſili. S. Chimbaldi Centenarij. S. Cherebaldi. S. Ellemberthi. S. Ingomari. Winidmarus Diaconus hanc venditionem ſcripſi & ſubſcripſi.* Inter Iperij fragmenta, quæ Philippus Labbeus in miſcellaneis [c] curioſis publicauit, id de Erkenbodonis Abbatis Sitiuenſis promotione ad Epiſcopatum Taruannenſem legitur. *Anno tertio Theodorici Regis dictus Erkembodo noſter Abbas, Taruannenſis Eccleſiæ Antiſtes ſublimatur poſt Ranengerum, qui Baini, qui Drancij, qui B. Præſulis Audomari fuerunt ſucceſſores.* In vulgatis exemplaribus, Taruannenſis loco malè ſcribitur Tornacenſis, vt XL. ERKENBODVS EPISC. TARVANN. ET ABB. SITIVENS. AVGET REDITVS MONASTERII SITIVENSIS.

[b] Lib. 4. c. 58.

[c] Cap. 5. §. 10.

AN.CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

LAVS RAVANGERII DECESSORIS.

ª Lib. 4. c. 58.

& Orancius pro Drancio. Hoc igitur anno Theodorici Regis tertio Taruannenſem Epiſcopatum obtinere cœpit Erkenbodus. Eius deceſſor Ranengerus ſeu Rauangerius piè ſanctéque vixit, vitæ ſanctimoniæ mortem reſpondiſſe haud dubium, licèt improba vetuſtas eius maiora decora nobis præripuerit. Saltem ab Eccleſia Morinenſi Cælitibus adſcriptum teſtantur apud Malbrancum ª illa ex antiquis membranis decidua Lectionum ramenta. *Ipſe homo ab adoleſcentia meruit infirmos curare, dedit illi Dominus ſcientias Sanctorum, honeſtauit illum in laboribus, & ad portas Paradiſi coronauit eum.* Eiuſdem Rauangerij ſanctitatem ſic etiam publicauit Matthæus *Deſprets*, qui ſub ipſam Taruannæ ſubuerſionem floruit. *Etiamnum in hac vrbe extat Capellula, quæ Rauangerÿ dicitur, dicata SS. Nicaſio & ſociis primitus.*

XLI. TRANSLATIO S. BONITI EP. QVONDAM ARVERNENSIS.

In Martyrologio Claromontano, quod Bollandus poſt Sauaronem citat, hæc octauo Idus Iunij leguntur. *Tranſlatio Sancti Boniti Aruernorum Præſulis à ciuitate Lugduno ad vrbem Aruernam. In ſuburbio dedicatio Baſilicæ eiuſdem prædicti Confeſſoris.* Proculus Aruernenſis Epiſcopus, cùm Eccleſiam S. Mauricij Martyris in ſuburbio ciuitatis Aruernicæ ſub initium ſui Pontificatûs magnificè reparaſſet, per Oratores Lugdunum miſſos corpus Sancti Boniti Aruernenſis olim Epiſcopi apud Lugdunum quieſcentis Aruernis reddi poſtulauit, quódque Nordobertus Aruernenſis quoque Pontifex ante decennium à Godino Metropolita Lugdunenſi fruſtrà popoſcerat, ipſe à Fulcoaldo Godini ſucceſſore facilè obtinuit. Eodem deinde die, vt infrà patebit, & ſacras exuuias Lugduno auectas in ſuburbanam beati Mauricij Baſilicam intulit, & Eccleſiam iſtam dedicauit. Si dies ille, qui teſte Auctore Martyrologij Claromontani cum octauo Idus Iunij coincidit, Dominicus fuit, currebat tum litera Dominicalis C, agebatúrque annus Chriſti vel ſeptingenteſimus decimus-ſeptimus vel ſeptingenteſimus viceſimus-tertius. Elegimus poſteriorem hunc annum, quia Godinus Metropolites Lugdunenſis & Nordobertus Aruernenſis Epiſcopus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimotertio ſupererant, nec facilè credimus intra quadriennium, quod inde ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſeptimum excurrit, vtrumque obiiſſe cum Bubo, qui Nordoberto ſucceſſerat, & à Proculo eiuſdem Bubi ſucceſſore Baſilicam Sancti Mauricij reparatam eſſe.

XLII. Totum negotium, vt geſtum eſt, ab Auctore ſynchrono, qui vitam Sancti Boniti conſcripſit, ſic enarratur. *Cùm vir venerabilis Proculus Præſulatûs Cathedrâ Aruernicæ vrbis poſt virum Dei* Bonitum *loco tertio ſublimatus fuiſſet, bonum ſtatim ſuæ militiæ dignúmque arripuit opus. Nam cùm beati Mauricÿ Baſilicam omni ex parte reperiſſet incultam, atque ipſius Ædis nonnulla diruta, miro modo non ſolùm ad ſtatum priſtinum reuocauit, ſed etiam ſublimiùs atque præclariùs imminere fecit. Móxque conſilium ipſi cum Sacerdotibus atque ciuibus fuit, vt iteratâ vice ad deferendum beati viri* Boniti *corpus mitteretur, vt ex eius aduentu vrbs munita maneret, & beati Martyris* Mauricij *nobilitando diteſceret aulam. Eodem tempore cuidam viro beatus Sacerdos in ſomnis in eadem beati Mauricÿ Baſilica apparuit, dicens. Vade & dic Confratri meo Proculo Epiſcopo, hîc & hîc ita peragat. Etiam ſui ingreſſûs locum deſignauit, dicens. Quia per hunc locum ego regrediens intrabo. Vnde certum tenens gaudénſque promiſſum, ad eum deferendum dignos dirigit Sacerdotes, Venerabilem ſcilicet Adelphium Monaſterÿ Magnilocenſis Abbatem, necnon & Eoaldum Voluicenſis Cœnobÿ Patrem, Moderatúmque Teclatenſis Monaſterÿ Rectorem, vnà cum reliquis Sacerdotibus ac Monachis, qui ad tale officium arbitrati ſunt digni. Cúmque Lugdunenſem vrbem ad induſtrium virum Fulcoaldum, qui eo tempore Præſulatûs officio erat prælectus, peruentum fuiſſet atque ſuggeſtum, ille intulit dicens. Voluntatem Dei implorate, cui nullus reſiſtere neque obuiare poteſt, & ſi ipſe veſtræ petitioni fauens atque propitius eſſe voluerit, ego contraire non valeo. Sed cùm noſtris*, id eſt, Aruernis, *hæc optio data fuiſſet, inchoato, vt oportebat, ieiunio, Sanctorum circumquaque orando Eccleſias peragrantes, interuentum ſuæ petitionis apud Dominum cum magna contri-*

Digitized by Google

tione depoſcunt, verentes ne fruſtrato labore ac vacui ad propria redirent. Iam die AN.CH.
tranſacto, cùm in eodem Monaſterio, vbi vir Domini quieſcebat, vigilias celebrare 723.
voluiſſemus, nobis aditum nullatenus Mater ipſius Congregationis permiſit. Tunc THEO-
conſilij fuit, vt in Eccleſia beati Stephani protomartyris pernoctantes, ſanctæ age- DOR.IV.
rentur excubiæ. Vnde cùm ante diluculum in eandem vrbem regreſſi fuiſſemus, nec R. 3.
mora, duo ab eodem prælecto Sacerdote miſſi ſunt, qui nobis optatum ac nimiùm deſideratum nuntium detulerunt, dicentes, ite, inquiunt, & ſicut petiſtis, reliquias vel artus beati Sacerdotis abſque mora leuate, quia ipſi, quod voluntas Omnipotentis Domini foret, per ſcriptas probauerant breues. Poſt hac, cùm ad locum ſacri tumuli peruentum fuiſſet, & Venerabilis Sacerdos Adelphius inibi ſacrificium offerens altari adſiſteret, duo geſta coram omnibus fuere non ſilenda Miracula. Venientes itaque ipſius ciuitatis Sacerdotes vnà cum ſacrificio ac Clericorum dignitate, necnon cum modulamine cantûs, iuxta morem Sanctæ Crucis præferentes vexillum, mox Eccleſia beati Stephani ita contremuit, vt à ſummitate cacuminis vſque ad fulcra maceriæ caſura videretur. Quæ Baſilica beati Martyris iuxta eandem beati Petri Apoſtoli, in qua vir Domini quieſcebat, geminata conſiſtit. Vnde quis dubitet, quòd Sanctus Sacerdos cum Sanctorum cœtu ſuo aduentu partibus ſuorum ciuium eſſet fauens, vt æmula corda tanto miraculo ab altercatione ceſſarent? Quod in ſequenti de eius præſentia idoneo patet Miraculo. Nam quadam puella Deo dicata ad ſepulchrum beati viri paralyticâ reptando cunctis videntibus venit. Vbi cùm ſopore depreſſa iaceret, nec mora, vnus ex noſtris eam concitè ſurgere compellit, quia cancellum, quod ſupra viri Dei corpus inerat, aliam in partem tranſponi non poterat. Ipſa ergo, vt ex ſomno ſurrexit, continuò pedibus ſuis ſtetit, ac membrorum, quod amiſerat, officio reddita eſt, atque ad Matrem Monaſterij regreſſa ita narrauit, dicens. Ego vidi beatum Sacerdotem, & mihi in hunc modum tibi ſuæ iuſſionis verba deferre præcepit. Vade, inquit, & dic Abbatiſſæ Didæ, vt partem amphibali mei, quo caput tegitur, ſecum retineat. Hæc ideo vir ſanctus intulit, vt & ipſa & cuncti qui aderant patulè cognouerint, quòd ipſe ad propriam remearet vrbem, & plebem, quam ſuperſtes dereliquerat, ſuarum reliquiarum conſolari cuperet aduentu. Quæ res noſtris magnam contulit eum leuandi fiduciam. Móxque cuncti noſtris partibus fauentes magna adminiculi præſtiterunt ſolatia, vſquequò Aruernorum fines ingrederemur, ita eorum proſecutio perſeuerauit.

Hanc narrationem breuiori politioríque ſtylo reddidit Theophilus Raynaudus in Indiculo Sanctorum Lugdunenſium, vbi ſermonem fecit de Sancto Bonito, qui *Natalibus ad gloriam & felici obitu Lugdunenſis* fuit. Obſeruauit illum Lugduni conditum fuiſſe *in Templo Parthenônis D. Petri*. Id ex Auctore vitæ coætaneo rectè collegit. Tria enim de Sancti Boniti ſepultura vetus ille Scriptor, qui ſe Tranſlationi præſentem interfuiſſe teſtatur, in textu proximè recitato commemorauit. Bonitum Epiſcopum *in Monaſterio* ſepultum dixit; de Dida Abbatiſſa eiuſdem Monaſterij Matre locutus eſt; Baſilicam, quæ locum ſepulturæ dedit, vocauit Eccleſiam *beati Petri Apoſtoli*. Puellare Sancti Petri Monaſterium à Sancto Annemundo tunc Epiſcopo Lugdunenſi conſtructum eſt regnante Clodoueo Secundo, vt dictum Tomo ſuperiori. Nobiliſſimum illud Cœnobium duas habebat Baſilicas, vnam Sancti Petri Apoſtoli, alteram Sancti Stephani protomartyris. Id Anonymus ſuprà citatus docet hac periodo. *Baſilica beati Martyris* Stephani *iuxta eandem* Baſilicam *beati Petri Apoſtoli, in qua vir Domini* Bonitus *quieſcebat, geminata conſiſtit*. Nec noua res tunc viſa eſt duas in eodem Monaſterio ſtare Baſilicas, plures in multis aliis Cœnobiis fuiſſe ſuis locis oſtendimus. Dida Abbatiſſa quos Proculus Aruernenſis Epiſcopus direxerat aditu Baſilicæ Sancti Petri Apoſtoli, vbi beatus Bonitus quieſcebat, obſtinatiſſimè prohibuit, nequaquam autem aditu Baſilicæ Sancti Stephani protomartyris, vbi pernoctantes ſacras excubias egerunt. Inde verò cùm *ante diluculum in vrbem regreſſi* dicantur, certè Monaſterium Sancti Petri tunc extra muros Lugdunenſes fuit. Lege quæ de antiquo Lugduni ſitu à Ioanne *de* XLIII.

AN. CH. 722. THEODOR. IV. R. 3.

Saint Aubin in Hiſtoria Lugdunenſi ſcripta ſunt, parte primâ, ſectione quintâ.

XLIV. Inter Oratores, quos Proculus Lugdunum miſit, præcipui nominantur, Adelphius Abbas Magnilocenſis & Eoaldus Abbas Volouicenſis. De Monaſteriis Magnilocenſi & Volouicenſi, quorum alterum [a] Sanctus Geneſius Aruernorum Epiſcopus, alterum [b] Sanctus Auitus Aruernorum quoque Pontifex erexit, actum iam Tomo ſuperiori. Monachis Magnilocenſibus * primus Abbas præfuit Euodius, tum Bobo, deinde Adelphius. Hic Bonito Epiſcopo, cùm Tillonem in cella prope Solemniacum conſuluit, aſſiſtebat Diaconus; Boboni in adminiſtrationem Monaſterij Magnilocenſis poſteà ſucceſſit; Tranſlationi Sancti Boniti, quam hoc anno conſignandam probauimus, ſuperſtes vixit; & Monacho coætaneo, vt eiuſdem Sancti Boniti vitam, Tranſlationem ac Miracula ſcriberet, author fuit teſte ipſiuſmet operis prologo. Volouicenſis * Monaſterij primus Abbas à Sancto Auito conſtitutus eſt Godo, Godoni ſucceſſit Eoaldus.

[a] Ad an. 656. n. 35.
[b] Ad an. 674. n. 19.
* de Manlieu.
* de Voluic.

XLV. Cum prædictis Abbatibus Adelphio & Eoaldo miſſus eſt etiam Lugdunum Moderatus, qui quoniam Monialium Camelarienſium ſeu Teclatenſium curam ſuſceperat, *Teclatenſis* * *Monaſterij Rector* appellatur. De Camelarienſi ſeu Teclatenſi Cœnobio, quod Sanctus Geneſius Comes Aruernenſis hortante Sancto Præiecto tunc Epiſcopo conſtruxit, actum quoque Tomo ſuperiori [c]. Duplex illi Monaſterio nomen, vnum à Camelaria ſuburbano ciuitatis Aruernæ loco vbi ſitum, alterum à Sancta Tecla quæ ibi requieſcit. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quintum [d]. Sanctus Præiectus, cuius obitus in annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum incidit, Monaſterij Camelarienſis * ſeu Teclatenſis primum inſtituit Rectorem Euodium ab Euodio primo Abbate Magnilocenſi longè diuerſum, cuius proximus ſucceſſor Moderatus Tranſlationi Sancti Boniti præſens interfuit.

* de Sainte Tecle.
[c] Ad an. 665. n. 7.
[d] Num. 7.
* de Chameliere.

XLVI. Vetus Anonymus, è cuius textu Tranſlationem illam Sancti Boniti Lugduno ad fines vſque Aruerniæ iam deſcripſimus, reliquum itineris ſic perſequitur. *Cùm Aruernorum tellurem fuiſſemus ingreſſi, quanti nobiles viri ac fæminæ occurrentes eum ſuis humeris magna cum alacritate ac deuotione ferebant! Erátque inter eos pia altercatio, vt aut quis primus aut quis plùs eo pio in opere laboraret. Cúmque propinquiùs vrbem accederent, magis magíſque ſuæ ad eum oues confluebant, atque ex nimio gaudio flentes nonnulli clamabant. Ecce Domine, vrbem, quam reliqueras, recognoſce, gregem tibi à Deo commiſſum tuâ interceſſione defende. Poſt hæc cùm iam viri Dei Reliquiæ vrbi eminus graderentur, cum qua deuotione atque apparatu ſacratiſſimo occurriſſet Epiſcopus, intimari poſſe difficilè puto. Nam in vtraque parte tanta erat populi cum Clericis multitudo, vt exercitum coadunatum aut nundinas crederes celebrari. Cúmque in eius occurſum, Sanctorum idem Epiſcopus ex vrbe pignora humeris deferens graderetur, tam diligenter ac reuerenter occurrit, vt corporaliter Sancti Dei cum Sacerdotio occurriſſe viderentur. Exinde cùm ab Epiſcopo in Eccleſiam beati Mauricij portaretur, in ipſo ingreſſu quidam claudus, nomine Valdinus, in foribus iacens, Sancti Sacerdotis præſtolabatur aduentum. Sed mox vt ſuper eum viri Dei corpus tranſiit, ipſe ſanitatis gaudia ſenſit, & in eadem Eccleſia vſque hodie permanens valuarum cuſtos exiſtit. Poſt hæc Sancti Sacerdotis membra digna ſepulturæ ſunt tradita iuxta beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli atque Sancti Andreæ altare, quorum Reliquias præfatus Pontifex* Proculus *ex vrbe iuſſit deferri, & magna cum deuotione locum ipſum dedicans ac pridie carie depoſitâ renouauit. Et dignum erat, vt quorum flagrauit amore ſancto igni ſuccenſus, eorum ſemper eius etiam ſepulchrum iungeretur altario. Deinde Mauſoleum beati Sacerdotis auri argentíque mirificè decorauit metallo.*

XLVII. Quæ Sancti Mauricij Baſilica tunc appellabatur, ſancti poſteà Boniti nomen accepit. Illa de Baſilica ſic ſcripſit [e] Anonymus, qui duos libros de Eccleſiis & Altaribus in Claromonte conſiſtentibus exarauit. *In Eccleſia S. Bo-*

[e] Lib. 1. c. 4.

Digitized by Google

niti, altare S. Mauritij, altare S. Angeli, altare S. Petri, & S. Mariæ, ibi requieſcit S. Bonitus in corpore. Ad illum textum obſeruat Sauaro Baſilicam illam dici hodie Sancti Boniti vel Sancti Ferreoli, & Eccleſiam eſſe parœcialem atque Prioratum ditionis Illidianæ. Tranſlatas inde Sancti Boniti Reliquias in Eccleſiam Cathedralem, vbi caput integrum capſæ argenteæ inauratæ incluſum cuſtoditur, idem Sauaro teſtatur in Originibus Claromontanis. AN. CH. 723. THEODOR. IV. R. 3.

XLVIII. Prætereà in iiſdem Originibus affirmat etiamnum aſſeruari Claro-monte* caſulam Sancti Boniti texturæ admirabilis, quæ antiquâ eius Eccleſiæ traditione creditur cælitus ei à Virgine Deipara donata, eámque rem narrari veteri prologo vitæ, qui Latino rhythmo deſcriptus illic extat. Huius caſulæ meminerunt moderni Scriptores, quos idem Sauaro citat in prælaudatis Originibus. At huiuſcemodi Hiſtoriæ, quam Bollandus ex Speculo Vincentij Bellouacenſis & ex ſupradicto rhythmo publicauit, nulla mentio fit in vita Sancti Boniti ab Anonymo ſynchrono conſcripta, qui Lugdunum cum aliis Aruernis hoc ipſo anno profectus eſt, factâque Sancti Boniti Lugduno in Aruerniam Tranſlatione calamo manum paulò pòſt admouit, & opus Adelphio Abbati Magnilocenſi atque Euterio Abbati, vt remur, Symmionenſi dedicauit.

* *Clermont.*

XLIX. EPISCOPI ARVERNI. Quot annos poſt illam Tranſlationem Proculus Epiſcopus ſederit, manet incompertum. Proximè ſubrogatus eſt Thaido, de cuius ſucceſſoribus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum diſputabimus.

L. VESONTIONENSES. His circiter temporibus obiit Euroldus Veſontionenſis Epiſcopus, cùm Diœceſim ſuam per annos duodecim quietiſſimè gubernaſſet. Succeſſit in Epiſcopatum Aurulcus ſiue Arulcus, nonnullis Arnulphus, vir illuſtris genere, rerúmque gerendarum peritiâ clarus, quem virtutum ceterarum maximéque virginitatis ac puritatis integerrimæ nomine, Deo iuxtà atque hominibus charum prædicat Ioannes Iacobus Chiffletius in Hiſtoria Veſontionenſi[a].

[a] Part. 2. nn. 33. 34.

LI. NOVIOMENSES ET TORNACENS. Framengerus Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus hoc anno migrauit è vita. Nouiomenſium Tornacenſiúmque Pontificum Chronologia ſic ſtabilitur. Anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo Tranſlationi Sancti Lamberti Traiectenſis olim Antiſtitis Guarulfus Tornacenſis ac Nouiomenſis Epiſcopus interfuit. Eliſæo Nouiomenſi ac Tornacenſi Epiſcopo Zacharias Romanus Pontifex ſcripſit anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequinquageſimo. Eccleſias Nouiomenſem ac Tornacenſem illo temporis interſtitio rexerunt Framengerus, Hunuanus, Guido & Enucius. Sederunt Framengerus annis duobus, Hunuanus duodeuiginti, ſex Guido & Enucius, vtrùm autem hi ſimul an ſucceſſiuè, fuſiùs examinabimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum, quo Guido Pontificatum ſuſcepit. Ex vetere Catalogo, quem Iacobus Vaſſorius in Annalibus Nouiomenſibus haud improbat, hanc annorum partitionem habet Iacobus Couſinus in Hiſtoria Tornacenſi. Finem igitur viuendi fecit hoc anno Framengerus, cui ſucceſſit in Epiſcopatum Hunuanus ſiue Hymanus aut Numianus vel Minardus ſeu Minarus. Vtriuſque geſta perierunt.

Digitized by Google

AN.CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

ANNVS CHRISTI 724.
THEODORICI IV. R. 4.

I. BONIFACIVS EPISC. BENIGNE SVSCIPITVR A CAROLO MAIORE-DOMVS.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto Bonifacius Epiſcopus, quem initio menſis Decembris proximè elapſi Româ cum Gregorij Papæ literis ad Carolum Maiorem-domûs commendatitiis diſceſſiſſe diximus, in Haſſiam profectus eſt annuente Carolo, qui lectis Apoſtolicis literis ipſum perhumanè ſuſcepit, & in vniuerſa cis & vltra Rhenum Francia ſartum tectum eſſe præcepit auctoritate protectoriarum literarum, quas è manuſcripto Codice Virodunenſis Eccleſiæ deſcriptas Cæſar Baronius [a] in hunc modum primus publicauit. *Dominis Sanctis & Apoſtolicis Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domeſticis, vel omnibus agentibus iunioribus noſtris, ſeu Miſsis decurrentibus & amicis noſtris, Illuſtris vir Carolus Maiordomûs benecupiens veſtri. Cognoſcatis qualiter Apoſtolicus vir in Chriſto Pater Bonifacius ad nos venit, & nobis ſuggeſsit, quòd ſub noſtro mundeburde vel defenſione eum recipere deberemus. Quod ita nos gratanti animo feciſſe cognoſcite. Proinde vos taliter, vti fecimus ei manu noſtrâ roboratam dari, vel vbicumque, vbi & vbi ambulare videtur, cum noſtro amore vel ſub noſtro mundeburde & defenſione quietus & conſeruatus eſſe debeat, in ea ratione vt iuſtitiam reddat, & ſimpliciter iuſtitiam accipiat. Et, ſi aliqua cauſatio vel neceſsitas ei aduenerit, quæ per legem definiri non potuerit, vſque ante nos quietus vel conſeruatus eſſe debeat, tam ipſe, quàm qui per ipſum ſperare videntur, vt ei nullus vllam contrarietatem vel damnationem aduersùs eum facere debeat, niſi vt omni tempore ſub noſtro mundeburde vel defenſione quietus & conſeruatus reſidere debeat. Et vt certiùs credatur, manu propriâ ſubter firmauimus, & de annulo noſtro ſubter ſigillauimus.*

[a] Hoc an. n. 2.

II. CONCIONATVR IN HASSIA.

Bonifacius Epiſcopus in Haſſia & Thuringia per ſeptennium, donec Gregorius Secundus Papa rebus humanis exemptus eſt, res quamplurimas laude digniſſimas geſſit, quas Sanctus Willibaldus in eius vita conglobatim ſic enarrauit annorum nullâ diſtinctione factâ. *Ad obſeſſas anteà Heſſorum metas, cum conſenſu Caroli Ducis, rediit. Tum verò Heſſorum iam multi Catholicæ fidei ſubditi, ac ſeptiformis Spiritûs gratiâ confirmati, manûs impoſitionem acceperunt. Et alij quidem necdum animo confortati, intemeratæ fidei documenta integrè recipere renuerunt, alij etiam lignis & fontibus clanculò, alij autem apertè ſacrificabant. Alij verò aruſpicia & diuinationes, preſtigia atque incantationes occultè, alij quidem manifeſtè exercebant. Alij quidem auguria & auſpicia intendebant, diuerſóſque ſacrificandi ritus incoluerunt. Alij etiam, quibus mens ſanior inerat, omni abiectâ gentilitatis profanatione nihil horum commiſerunt. Quorum conſultu atque conſilio arborem quandam miræ magnitudinis quæ priſco paganorum vocabulo appellatur robur Iouis, in loco qui dicitur Giceſmere, ſeruis Dei ſecum aſtantibus, ſuccidere tentauit. Cúmque mentis conſtantiâ confortatus arborem ſuccidiſſet, magna aderat copia paganorum, qui & inimicum deorum ſuorum intra ſe diligentiſsimè deuocabant. Sed ad modicum quidem arbore preciſâ, confeſtim immenſa roboris moles, diuino deſuper flatu exagitatur, & palmitum confracta culmine corruit, & quaſi ſuperni nutûs ſolatio in quatuor etiam partes dirupta eſt, & quatuor ingentis magnitudinis æquali longitudine trunci, abſque fratrum labore aſtantium, apparuerunt. Quo viſo, priùs deuocantes pagani, etiam verſæ vitæ benedictionem Domino, priſtinâ abiectâ maledictione, credentes reddiderunt. Tunc autem ſummæ ſanctitatis Antiſtes, conſilio inito cum fratribus, ligneum ex ſupradictæ arboris metallo Oratorium conſtruxit, illúdque in honorem*

Sancti

Digitized by Google

AN.CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

Sancti Petri Apoſtoli dedicauit, atque vniuerſis, quæ prædiximus, completis, & ſuperno ſuffragante nutu peractis, ad Thuringiam profectus eſt, & ſeniores plebis populique principes affatus eſt, eóſque, relictâ ignorantiæ cæcitate, ad acceptam dudum Chriſtianitatis Religionem iterando prouocauit, quia fatiſcente ſuorum Regum dominio, magna quidem eorum Comitum multitudo ſub Theobaldi & Bedenis periculoſo primatu, qui lugubre ſuper eos tyrannici Ducatûs, & infeſtum vaſtationis potiùs quàm deuotionis obtinebant imperium, vel corporali per eos præuenta morte, vel hoſtili ſiquidem eductione captiuata eſt, in tantumque diuerſis conſtricta malis, vt cetera quæ manebat reſidua populi turba, Saxonum ſe ſubiiceret Principatui, quo ceſſante religioſorum Ducum dominatu, ceſſauit etiam in eis Chriſtianitatis & Religionis intentio, & falſi ſeducentes populum introducti ſunt fratres, qui ſub nomine Religionis maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt ſectam, ex quibus eſt Trotoin, & Berechther, Etanberecht, & Hunreth, fornicatores & adulteri, quos iuxta Apoſtolum Dominus iudicauit. Hi validiſſimum aduersùs hominem Dei excitauerant conflictum, ſed veris verborum oppoſitionibus confutati, dignam reprehenſionis ſortiti ſunt ſententiam. Cúmque renouatus per populum fidei illuxiſſet candor, & plebs ab ingenti erroris erepta eſſet laqueo, iam expulſis profani hoſtis amicis, & infeſtis populi ſupradictis ſeductoribus, meſſem quidem multam cum paucis admodum meſſoribus incoluit, & magnam primitùs mundi huius penuriam ac fragilitatem ſuſtinuit, magníſque tribulationum anguſtiis coarctatus, verbi Dei ſemina propagauit. Sed cùm credentium polleſceret multitudo, prædicatorum quoque multiplicatus eſt & catalogus. Tunc etiam Eccleſiæ repentè inſtaurantur, & prædicationis eius doctrina multiformiter emanauit, Monaſteriúmque, congregatâ ſeruorum Dei vnitate & Monachorum ſanctitate, conſtructum eſt in loco qui dicitur Ortorf, qui propriis ſibi more Apoſtolico manibus victum veſtitúmque inſtanter laborando acquiſierunt. Sícque ſanctæ rumor prædicationis eius diffamatus eſt, in tantúmque inoleuit, vt per maximam iam Europæ partem fama eius perſtreperet, & ex Britanniæ partibus ſeruorum Dei plurima ad eum tam Lectorum quàm etiam Scriptorum, aliarúmque artium eruditorum virorum congregationis conueniret multitudo. Quorum quippe quamplurimi Regulari ſe eius Inſtitutioni ſubdiderant, populúmque ab erratica gentilitatis profanatione plurimis in locis euocauere, & alij quidem in prouinciam Heſſorum, alij etiam in Thuringiam diſperſi, latè per populorum pagos ac vicos, verbum Dei prædicabant.

III. Eandem narrationem iniit quatuor capitibus, illuſtrauítque nonnullis obſeruationibus Othlonus. Imprimis res in Haſſia geſtas iiſdem penè verbis, quibus beatus Willibaldus, ita deſcripſit [a]: *In Heſſorum metas, quibus & anteà prædicare cœperat, perrexit. Illuc ergo adueniens repperit plures ex eis, relictâ Chriſtianæ Religionis culturâ, variis erroribus implicatos. Alij namque lignis & fontibus clàm vel apertè ſacrificabant, alij verò auruſpicia, & diuinationes, præſtigia & incantationes exercebant. Quidam autem alia nefanda quædam ſacrilegia intendebant, pauci verò in via veritatis, quam ſemel acceperant, perſtiterunt. Quorum etiam conſilio arborem quandam miræ magnitudinis, quæ priſco paganorum vocabulo appellabatur arbor Iouis, in loco qui dicitur Geſmere, ſeruis Dei ſecum aſtantibus ſuccidere tentauit. Ad eiuſmodi autem arboris inciſionem magna paganorum multitudo concurrit, cupientes in ſanctum virum, velut inimicum deorum ſuorum, inter ipſa inciſionis opera, irruere & interficere. Sed dum arbor eadem paululum incideretur, mox quaſi nutu diuino agitata, in quatuor partes diſcerpta eſt. Quo viſo pagani, qui illuc mente peruerſâ conuenerant, abiicientes omnem malitiam, benedicentéſque Deo crediderunt. Tunc Sanctus Præſul, conſilio inito cum fratribus, ex illa ingentis arboris mole Oratorium conſtruxit, hócque in honorem Sancti Petri Apoſtoli dedicauit.* Excreuit verò procedente tempore ſacra hæc Ædicula in perampla ac perinſignem Ædem, quæ, proh nefas, vt Serarius [b] deplorat, exſtructoris primíque Chriſtiani Doctoris ſui Doctrinam ac Religionem amiſit. Eſt enim Geiſmaria * in Haſſia inferiore, pagus quondam, vrbs modò nouitiis opinionibus fœdata, quæ ad Schonebergenſem * hodie Toparchiam ſpectat.

ORATORIVM CONSTRVIT.

a Lib. 1. c. 27.

b Not. 19. in vit. S. Bonifac.

* *Geiſmar.*

* *de Schenebergꝫ.*

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

IV. Sanctus Willibaldus & Othlonus Bonifacium ex Haſſia in Thuringiam profectum teſtantur, copioſiorémque ſermonem de rebus extra Thuringiam ab eo geſtis non habent. At Serarius [a] quas omittere non debemus multò plures Bonifacij victorias ex aliis Auctoribus commemorat. Inter Haſſiam & Thuringiam hodie ditio eſt, quæ vel à veteribus querceris Eichsfeldia, vel à gelu ac frigore Eisfeldia dicitur. In huius regionis præcelſo colle fuit idolum, cui nomen Stuffo, vnde & mons Stuffonius ſeu *Stuffenberg* appellatus. Bonifacius montem iſtum aſcendit; dæmonem, qui reſponſa dabat hominéſque dementabat, in Chriſti Ieſu nomine illicò excedere imperauit; ſimulachrum ipſum deiecit confregítque. Fama porrò ad hodiernam vſque poſteritatem tulit, tanto imperio tantíque vi nominis preſſum nequam illum genium exceſſiſſe ſtatim, ſéque in montis cauernas, neſcio quas, proripuiſſe ac condidiſſe, vnde ſuperſit hodie nomen *Stuffensloch* & *Stuffenhole*. Sacram Ædiculam in huius montis vertice conſtruxit Bonifacius, ac è ſuis vnum eodem in loco Presbyterum reliquit, à quo poſthac vberiorem in ſacroſancta Chriſti fide inſtitutionem & ſacramenta populi circùm poſiti perciperent. E Stuffonio monte progreſſus eſt in Goetingenſe territorium; illic in monte, vbi hodie Hardeſianum oppidum, ne fortunæ idolum diſiiceret, à furente gentilium multitudine prohibitus eſt, atque Goetingam * verſùs in ſolitudinem, vbi nunc Weenda pagus eſt, venit, ibidémque pernoctauit, ac in honorem Sancti Petri, prout poſteà factum eſt, ſacellum erigi voluit, poſtridie verò in Eichsfeldiam reuertit. Hinc Moguntiam perrexit, Eccleſias ac Monaſteria viſitauit. Deinde per Saxoniam in Friſiam vlteriorem excurrit, atque ex eadem Friſia per Saxoniam in Thuringiam tandem ſe contulit. Multa in vlteriore Friſia & in Saxonia euertit ſimulachra, ſed de his conſule præcitatum Auctorem, nobis enim extra Franciam diuagari non licet.

[a] Not. 20 21. in vit. S Bonifac.

VARIAS REGIONES LVSTRAT.

* *Gottingen.*

V. Res ab Epiſcopo Bonifacio in Thuringia geſtas, vt Sanctus Willibaldus ſic & Othlonus ab hæreticorum expulſione ſic auſpicatus eſt [b]. *Ad Thuringiam profectus eſt, illiúſque populi Principes magna ex parte à Chriſtiana Religione deficientes corrigere ſtuduit. Poſtquam enim Religioſorum Ducum dominatio in eis ceſſauit, ceſſare etiam Chriſtianæ Religionis intentio cœpit, falsíque quidam Chriſtiani, quorum nomina ſunt Drothwin *, & Bertheri *, Canbereth *, & Hunred *, inter eos hoſpitantes, maximam hæreticæ prauitatis introduxerunt ſectam. Qui ſcilicet fornicatores & adulteri cùm validiſſimum aduerſùs hominem Dei excitarent conflictum, veris verborum oppoſitionibus confutati, dignam recompenſationis ſortiti ſunt ſententiam. Nam excommunicati & expulſi ſunt de Eccleſia.*

[b] Lib. 1. c. 28

REDIT IN THVRINGIAM.

* * * * willibaldo, *Trotoin, Berechther, Etanberecht, Hunreth.*

VI. Ambobus Scriptoribus ſimul collatis has Thuringiæ viciſſitudines obſerua. *Fatiſcente*, vt ſanctus Willibaldus loquitur, *ſuorum Regum dominio*, id eſt, poſt Dagoberti Secundi Regis mortem, quam anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo conſignauimus, cùm propter abſentium tum Regum quos in Neuſtraſia commoratos eſſe conſtat, tum Maiorum-domûs qui rebus Neuſtraſianis ſe plurimùm immiſcuerunt, ſumma rerum Thuringicarum penes Gubernatores potiſſimùm fuit, quos Othlonus Duces, ſanctus Willibaldus modò Comites, modò Duces appellauit. Ex iis duo, Theobaldus & Ebanes auctoritatem ſibi maximam arrogarunt, quæ verſa eſt in tyrannidem, atque inde tumultus orti, ſecutáque luctuoſa Thuringiæ clades, complures enim incolarum in vicinam Saxoniam migrarunt vbi vigebat idolorum cultus, ac plerique illorum, qui ſolum vertere noluerunt, aut relapſi ſunt in idololatriam aut prolapſi ſunt in hæreſes. Præcipuos hæreticæ prauitatis auctores nominant quidem, ſed, in quibuſnam articulis errarint, haud produnt ſanctus Willibaldus & Othlonus, illud tamen maximè notandum, quòd eos *fornicatores & adulteros* dicunt, vt intelligas huiuſcemodi pſeudo-doctores non doctrinâ modò ſed moribus etiam

HÆRETICOS INSECTATVR.

Digitized by Google

corruptiſſimos fuiſſe. Bonifacius de hæreſi non minùs magnificè quàm de idololatria triumphauit, in hæreticos ſuprà nominatos latâ damnationis ſententiâ, nam, vt ſanctum Willibaldum Othlonus exponit, *excommunicati & expulſi ſunt de Eccleſia.*

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

VII. Pergit Othlonus, & primam Ordorffenſis Monaſterij originem ex antiquo Codice ſic deſcribit [a]. *Cùm autem prædicationis eius*, nempe Bonifacij, *fama vndique emanaret, credentiúmque multitudo excreuiſſet, Eccleſiæ inſtaurantur, Monaſteria ædificantur. Tunc etiam congregatâ ſeruorum Dei multitudine, conſtructum eſt Monaſterium in loco, qui dicitur Ordorf, ſub honore ſancti Michaëlis Archangeli. Qui ſcilicet omnes, Apoſtolico more viuentes, labore proprio victum veſtitúmque acquiſierunt. Cur autem in honore ſancti Michaelis conſtructum fuerit idem Monaſterium, breuiter dicendum. Nam cùm ſanctus Bonifacius prædicando & baptizando in Thuringia tranſiret, & prope flumen, cui nomen eſt Oraha, tentoriis fixis pernoctaret, tunc per totam noctem lux magna de cælo ſeſe protendens, locum, vbi manebat Epiſcopus, circumfulſit. In qua etiam luce ſanctus Michael Archangelus adueniens, Epiſcopo apparuit, eúmque alloquens in Domino confortauit. Mane itaque facto, laudans & benedicens Deum, ibidem Miſſarum ſolemnia celebrauit. Deinde in eodem loco prandium ſibi parari præcipiens, ſed à miniſtro ſuo audiens, cibum, quo veſci poſſet, ſe non habere, reſpondit. Nonne qui multitudinem populi in deſerto, XL. annis, mannâ de cælo miſſo, potuit paſcere, mihi indigno ſeruo ſuo non præualet ad vnius diei refectionem eſcam impendere? Hæc cùm dixiſſet, vt menſa ſibi apponeretur, præcepit. Intereà quædam auis aduolans, piſcem talem, qui ad vnius diei refectionem ſufficeret, attulit, & ante menſam proiecit. Quo viſo, ſanctus Præſul Deo gratias retulit, piſcémque allatum citò præparari iuſſit. Illo verò præparato & comeſo, reliquias in flumen proiici præcepit. Exinde cæptum carpens iter, & Thuringiam peragrans diligenter inueſtigauit, cuius ille locus eſſet, vbi viſio tanta ſibi apparuit. Compertóque quòd Hugo, qui dicebatur ſenior, illius loci poſſeſſor eſſet, petiit ab eo, vt ſibi dare dignaretur. At ille petita annuens, primus omnium Thuringorum, hæreditatem ſuam tradidit venerando Præſuli. Deinde verò Albolt, alijque plures contigua prædicto loco prædia tradiderunt. His igitur adeptis, ſanctus Bonifacius rediens, in eodem loco frutecta extirpare, terrámque incolere iuſſit, & iacto fundamento Eccleſiam conſtrui fecit. Hæc autem in libro quodam antiquo ſcripta reperiens, ideo inſerere decreui, vt agnitâ causâ, vnde Monaſterium prædictum extructum fuerit, & ipſe locus & fundator eius Angelicâ viſitatione digni, ſub veneratione maiori habeantur.* Ceterùm qui fluuius Othlono eſt Oraha, pluribus Ora, vulgò dicitur *Or*, vnde Monaſterio & oppido nomen *Ordorf.*

[a] Lib. 1. c. 29.

CONDIT MONAST. ORDORFFENSE.

VIII. Sanctus Willibaldus, cuius textum ſuprà recitauimus, auxiliares virorum copias in Germanicæ vineæ opus à ſancto Bonifacio ex Anglia euocatas teſtatur, Othlonus non virorum modò ſed & fœminarum meminit, & vtrorumque nomina ſic recenſet [b]. *Prædicans ergo & baptizans ſanctus Præſul Bonifacius in Thuringorum & Heſſorum regionibus, perſpexit meſſem quidem eſſe multam, ſed operarios paucos, ad copioſam multitudinem credentium inſtruendam. Vnde in prouinciam patriámque ſuam mittens, exinde tam fœminas quàm viros religioſos ſcientiáque variâ imbutos, plures venire fecit, ſuíque laboris onus inter eos diuiſit. Inter quos erant præcipui quidem viri, Burchardus & Lullus, Willibalt & Wannibalt frater eius, Witta & Gregorius; fœminæ verò religioſæ, matertera ſcilicet ſancti Lulli, nomine Chunihilt, & filia eius Berathgit, Chunidrut, & Tecla, Lioba, & Waltpurgis ſoror Willibaldi & Wunibaldi. Sed Chunihilt & filia eius Berathgit valdè eruditæ in liberali ſcientia, in Thuringorum regione conſtituebantur magiſtræ; Chunitrud in Bagoariam deſtinata eſt, vt verbi diuini ſemina ibidem ſpargeret; Teclam verò iuxta fluuium Moin, in locis Kilhingen & Ochſnofrutt nuncupatis, collocauit; Liobam quoque ad Biſcofeſchein, vt illic multitudini virginum congregatæ præeſſet, conſtituit.* De ſingulis nonnulla ſunt præmittenda, vt error Othloni manifeſtiùs appareat.

[b] Lib. 1. c. 30.

AN TVNC EVOCARIT EX ANGLIA

Digitized by Google

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

IX. BVRCHARDVM,

Burchardus, cùm Bonifacij diſciplinæ ſe tradidit, erat iam Preſbyter, vixítque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum nonageſimum-primum. Hæc conſtant ex eius vita, quam Egilwaldus Monachus duobus libris conſcripſit. Illam conſule, obſeruáque nihil ibi de Burchardo legi, ex quo venit in conſpectum Bonifacij, donec idem Bonifacius Pippinum Maiorem-domûs adiit Childerico iam Rege. Atque inde colligimus Burchardum ex eorum numero expungendum eſſe, qui Bonifacium ex Anglia conuenerunt ſuperſtite in viuis Gregorio Secundo Papa.

X. WILLIBALDVM, WVNIBALDVM, WALTPVRGEM,

Willibaldus ad Bonifacium Româ miſſus eſt à Gregorio Tertio Papa, nec citiùs ad eundem Bonifacium ſe contulit Willibaldi frater Wunibaldus, aut vtriuſque ſoror Waltpurgis. Illorum Acta lege apud Henricum Caniſium [a], nomináque ex Othloni præcitato textu abrade, quia Gregorio Secundo Papâ iam mortuo Bonifacium adierunt.

[a] Tom. 4. antiq. lect.

GREGORIVM,

Inter Bonifacij diſcipulos, quos Othlonus in Anglia natos, & ex Anglia in Germaniam ab eodem Bonifacio vocatos ait, perperam recenſetur Gregorius. Erat enim Francus, puérque quindecim circiter annorum, cùm in conſpectum Bonifacij primùm venit, in Cœnobio Palatiolenſi fortuitò degebat, ad auiam Adelam, illius loci primam Abbatiſſam, è Regio Palatio

XI.

nuperrimè reuerſus. Id anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo contigit. Lege quæ ſcripſimus ad illum annum, necnon ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum, non enim ſemel nobis diſputandum fuit ſuper anno, quo Bonifacius, qui Winfridus tunc appellabatur, ad Palatiolenſe Monaſterium prope Treuiros è Friſia peruenit. Serarius, cùm Gregorium patriâ Britannum aſſerere non auderet, illum affirmauit inter Bonifacij diſcipulos ab Othlono numeratum, non quòd ex Anglia venerit, ſed quòd inter præcipuos Bonifacij diſcipulos & adiutores fuerit, eámque ob cauſam poſt eos, quos Othlonus ex Anglia veniſſe dixerat, poſtremo loco nominatum fuiſſe. Vanum illud ſubterfugium aſpernare, & ex Othloni textu Gregorium vnà cum Burchardo, Willibaldo & Wunibaldo dele.

XII. LVLLVM, WITTAM,

Super Lullo & Witta maior eſt difficultas; tamen, quia vterque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum octogeſimum-ſeptimum vixit, neutrum ad Bonifacium ante Pontificatum Gregorij Tertij veniſſe credimus.

XIII. LIOBAM,

Rudolphus Rabani Abbatis diſcipulus, vt ex ipſius operis prologo conſtat, literis commendauit Acta ſanctæ Liobæ, prout *à viris venerabilibus* accepit, *qui quatuor diſcipularum eius, Agathæ videlicet, & Teclæ, Nanæ & Eolibæ, fideli narratione comperta, ſinguli pro captu ingenij ſui, ſicut ſibi tradita ſunt, literis mandare, & ad exemplum poſteris relinquere ſtuduerunt, ex quibus vir religioſus Mago Presbyter & Monachus prædictis fœminis admodum familiaris extitit.* Othlono igitur, qui ſeculo vndecimo vixit, vt antiquitate, ſic & auctoritate plurimùm præſtat. De Liobæ autem aduentu in Germaniam ita differit. *Quadam nocte per ſomnium vidit quaſi purpureum filum de ore ſuo deſcendere. Quod apprehenſum manu cùm extrahere conaretur, prolixiùs cœpit extendi, &, velut ex interioribus viſcerum procederet, paulatim creſcebat in maius, & augmenta ſui capiebat. Cùm autem exuberante materiâ, colligendo manum impleret, & filum nihilominùs ex ore dependeret, globum ex eo rotundo ſchemate voluendo formauit. In cuius confectione cùm nimis laborioſè deſudaret, præ anguſtia ſomno ſoluta eſt, cœpítque intra ſe cogitare, cupiens ſomnij cognoſcere diſcretionem. Intellexit enim ſibi non ſine cauſa viſionem apparuiſſe, ſed aliquid ei latentis ineſſe myſterij. Erat ergo in eodem Monaſterio ſoror quædam maturæ ætatis, quæ ex euentu rerum, quas ſæpè prædixerat, prophetiæ ſpiritum habere noſcebatur. Cui illa quidem ſomnium de ſua perſona referre noluit, ſed vni ex diſcipulabus ſuis totum per ordinem, ſicut viderat, reuelauit, præcipiens vt iret ad eam, & expoſito, quaſi ſibi apparuiſſet, ſomnio precaretur, vt quicquid in eo intelligeret, ſuo manifeſtaret eloquio. Perrexit itaque puella, & fecit ſicut à magiſtra fuerat inſ-*

Digitized by Google

AN.CH. 724. THEODOR.IV. R. 4.

tructæ. Cúmque omnem ſomnij tenorem quaſi ex propria perſona expoſuiſſet, ſoror illa futurorum præſcia cum indignatione reſpondit. Vera quidem viſio eſt, & bona futura portendens; tu autem cur tibi talia apparuiſſe mentiris? Hæc enim non tibi conueniunt, ſed electæ Dei & dilectæ. Liobam ſcilicet virginem cognominis ſuauitate ſignificans, illi, inquit, hæc oſtenſa ſunt, cui merito ſanctitatis & ſapientiæ talia congruunt, quoniam multis profutura eſt tam verbo prædicationis quam bonæ operationis exemplo. Filum enim, quod per os eius ex viſceribus prodiit, doctrina ſapientiæ eſt, vocis miniſterio ex illius corde procedens. Quòd autem manum impleuit, hoc ſignificat, quia omnia, quæ ore docuerit, operibus exæquabit. Porrò globus, qui voluendo conficitur, & rotunditate ſui volubilis eſt, myſterium exprimit verbi diuini, quod per os actúſque prædicantium voluitur, & nunc per actiuam vitam in imis verſatur, nunc per contemplatiuam in ſublimia erigitur, nunc ſe per compaſſionem proximi humiliat, nunc per dilectionem Dei exaltat. His quidem indiciis Deus magiſtram tuam verbo & exemplo multis profuturam oſtendit, effectus autem procul ab hoc loco in aliis nationibus erit, quò eam proficiſci oportet. Hanc igitur interpretationem ſomnij veram fuiſſe, rerum probauit euentus. Igitur eo tempore, quo cæleſtis vitæ ſtudiis beata virgo Lioba in Monaſterio floruerat, Sanctus Martyr Bonifacius à Gregorio Romanæ Sedis Antiſtite, qui Conſtantino in Pontificatu ſucceſſit, Epiſcopus ordinatur, &, ad prædicandum verbum Dei, Germaniæ populis mittitur. Vbi cùm meſſem quidem multam, & pronos ad fidem populos reperiſſet, operarios autem, qui ſibi collaborarent in agro Dominico, paucos haberet, in terram Anglorum, vnde ipſe ex parentibus ortus erat, legatos & epiſtolas miſit, atque ex diuerſo Clericorum ordine nonnullos accerſiuit doctos lege diuinâ, &, ad prædicationem verbi, vitæ merito morúmque probitate idoneos, quorum adminiculo iniunctam ſibi legationem non ſegniter adminiſtrauit. Magnam enim Germaniæ partem doctrinâ ſalutari virtutúmque miraculis Chriſto acquiſiuit. Nam cùm quotidie populorum frequentia fidei ſacramentis imbueretur, diuinus ſermo non ſolùm in Eccleſiis, verùm etiam per pagos & caſtella diffundebatur in tantùm, vt & fideles Catholici aſſiduis exhortationibus firmarentur, & deprauati viam correctionis agnoſcerent, & pagani fide inſtructi, certatim ad gratiam Baptiſmatis conuolarent. Videns itaque vir beatiſſimus Eccleſiam Dei creſcere, & certantibus ſtudiis ad vota perfectionis accendi, duplicem viam ad profectum Religionis inſtituens, Monaſteria conſtruere cœpit, vt ad fidem Catholicam populi non tam Eccleſiaſticâ gratiâ, quàm Monachorum ac Virginum congregationibus, raperentur. Volens ergo vtriuſque profeſſionis ordinem regulariter obſeruari, idoneum vtrique Magiſterium ſtuduit adipiſci, miſítque in Caſſinum montem Sturmi diſcipulum ſuum, virum genere & moribus nobilem, vt in Monaſterio, quod beatus Pater Benedictus inſtituit, diſciplinam regularem, & vitam moréſque monaſticos agnoſceret; Paſtórque futurus, diſcipulus fieret; atque in ſubiectione diſceret, quomodo aliis præeſſe debuiſſet. Similiter & in patriam cum epiſtolis legatos direxit ad Tettam Winbrunnenſis in Anglia Monaſterij *Abbatiſſam, deprecans, vt ad ſolatium ſuæ peregrinationis, atque ad auxilium legationis ſibi iniunctæ, tranſmitteret ei Liobam virginem, quam fama ſanctitatis & doctrina virtutum tunc per longinqua terrarum ſpatia diuulgarat, & laude celebri multorum ora repleuerat. Eius itaque abſceſſum mater Congregationis moleſtiſſimè quidem ferebat, ſed tamen quia diuinæ diſpenſationi reſiſtere non potuit, beato eam viro, ſicut rogauerat, cum honore direxit, vt ſomnij, quod olim viderat, interpretatio vera fuiſſe probaretur. Quam, cùm veniſſet, vir Deo plenus cum ſumma veneratione ſuſcepit, diligens eam non tantùm propter affinitatem, quâ ſibi ex materno ſanguine iungebatur, quantùm propter ſanctitatem vitæ & ſapientiæ doctrinam, quâ plurimis & verbo profuturam nouerat & exemplo. Igitur, ſicut deſiderauerat, Monaſteriis cuſtodiam & regularis diſciplinæ normam inſtituit, & Monachis quidem Sturmi Abbatem prætulit, Liobam verò virginem ſpiritalem virginum matrem eſſe decreuit, ſtatuítque ei Monaſterium in loco, qui vocatur Biſchoffsheim, vbi non paruus ancillarum Dei numerus collectus eſt, quæ, ad exemplum beatæ magiſtræ, cæleſtis diſciplinæ ſtudiis inſtituebantur, & intantùm doctri-*

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

nâ eius proficiebant, vt plures ex illis poſtmodum magiſtræ fierent aliarum, itaut nulla, aut etiam rara, in illis regionibus eſſent Monaſteria fæminarum, quæ non diſciplinarum eius magiſteria deſiderarent. In hoc Rudolphi [a] textu diſtinguenda duo tempora. Bonifacius Epiſcopus, cùm à Gregorio Secundo Papa, Conſtantini ſucceſſore, directus in Germaniam fuiſſet, *in terram Anglorum, vnde ipſe ex parentibus ortus erat, legatos & epiſtolas miſit, atque ex diuerſo Clericorum ordine nonnullos accerſiuit, doctos lege diuinâ, & ad prædicationem verbi, vitæ merito morúmque probitate idoneos, quorum adminiculo iniunctam ſibi legationem non ſegniter adminiſtrauit.* Poſteà, cùm *Eccleſiam Dei creſcere* iam videret, & vtriuſque ſexûs *Monaſteria conſtruere* vellet, ex eadem Anglia Monachos ac Moniales euocauit. Id autem præſtitit Romanam Sedem obtinente tum Gregorio Tertio, qui Gregorio Secundo in Pontificatum proximè ſucceſſit. Certè Lioba, ſi, cùm Sturmius ad Caſinum montem perrexit, ex Anglia tunc in Germaniam venit, vt præcitatus Rudolphus affirmat, id itineris ante Pontificatum Gregorij Tertij non confecit. Temporibus igitur huius Pontificis ex Anglia ſoluerunt *religioſæ fæminæ*, quas Othlonus in ſua narratione commemorauit. Generalis hæc de cunctis aſſertio, itémque ſpecialis de Lioba, ſumuntur ex prælaudatis Rudolphi ſcriptis in eiuſdem Liobæ vita. TECLAM, Nec aliter ſentiendum de Tecla, quia Kiczingenſis Monaſterij, cuius mentio fit apud Othlonum, prima fundamenta iacta ſunt, Gregorio Secundo Papâ iam mortuo. CHVNITRVDEM, Quod ad Chunitrudem pertineat, nihil omnino legimus præter ea, quæ ſuperiùs deſcripta ſunt ex eodem Othlono. Atque vt inficiamur Waltpurgem ad Bonifacium citiùs Willibaldo & Wunibaldo fratribus acceſſiſſe; ſic & negamus ante Lullum in Germaniam profectas eſſe, CVNIGHILDEM, BERGITEM. Chunihilt ſeu Cunigildem aut Cunighildem ipſius Lulli materteram, & eiuſdem Cunighildis filiam Berathgit ſeu Bergitem.

[a] Ap. Sur. d. 28. Sept.

XIV. Ex prædictis liquet, auxiliarium copiarum vtriuſque ſexûs, quas Othlonus in opus vineæ Germanicæ à Bonifacio ex Anglia vocatas ait enumerátque, perperam ſub Gregorij Secundi Pontificatu mentionem fieri, cùm ſeriùs in Germaniam venerint.

XV. Licèt autem de Othloni textu ſic ſentiamus, non vocamus in dubium, quin Bonifacius Epiſcopus, ſuperſtite in viuis Gregorio Secundo Papâ, frequenter nuncios cum literis ad Reges, ad Epiſcopos, ad Abbates, ad Abbatiſſas, ad Monachos, ad Moniales, in Angliam direxerit. Id ex epiſtolarum Codice, quas ſcripſit accepítque, clariùs patet, quàm vt egeat probatione.

XVI. LITERAS ACCIPIT A DANIELE VENTANO EP. VALDE VTILES AD CONVERSIONEM PAGANORVM.

Præ ceteris Epiſcopis Daniel Ventanus Pontifex, de quo iam locuti ſumus, maximam ſibi laudem comparauit, ſcriptis ad Bonifacium hiſce literis [b] inſtar Cathecheſeos, quâ gentiles ipſi poſſent ad credendum inſtrui. *Venerando & amando Antiſtiti Bonifacio, Daniel plebis Dei famulus. Quamuis, mi frater conſacerdóſque chariſſime, te primam virtutum promereri gaudeam palmam, quia ſaxea ſteriliáque hactenus gentilium corda, fidei magnitudine fretus, fiducialiter digrediendo, vomere Euangelicæ prædicationis infatigabiliter ſubigens in glebas fertiles quotidiano labore conuertere niteris, vt verè tibi aptari Propheticum Euangelicúmque dictum poſſit.* [*Vox clamantis in deſerto*, &c.] *Tamen ſecundæ portio palmæ non incongruè etiam ipſis præſtabitur* [1], *qui tam pio, tam ſalubri operi congratulando, quibus valent ſubſidiis fauent, eorúmque indigentiam* [2] *competentibus adminiculis ſupplent, quò alacriùs cœptum prædicationis opus & ſpirituales Chriſto generare filios ſtudeant. Vnde & deuotâ beneuolentiâ pauca tuæ ſuggerere prudentiæ curaui, quò magis aduertas ſecundùm meum ſenſum, quâ potiſſimùm ratione, obſtinationem agreſtium conuincere promptus queas. Neque enim contraria iis, de ipſorum, quamuis falſorum, Deorum genealogia, aſtruere debes. Sed* [3] *ſecundùm eorum opinionem, quoſlibet ab aliis generatos, per complexum mariti & fæminæ, concede eos aſſerere, vt ſaltem modo hominum natos Deos ac Deas,*

[b] Ep. 67.

1. Baron. *parabitur.*
2. Baron. *indulgentiam.*
3. Serar. deeſt *ſed.*

Digitized by Google

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

potiùs homines non Deos fuiſſe , & eſſe cœpiſſe , qui antè non erant, probes. Cùm verò initium habere Deos , vtpote ab aliis generatos , coacti didicerint , item interrogandi , vtrùm initium habere hunc mundum , an ſine initio ſemper extitiſſe arbitrentur ? Si initium habuit , quis hunc creauit ? Procul dubio[4] *, ante conſtitutionem ſeculi , nullatenus genitis Diis inuenient*[5] *ſubſiſtendi vel habitandi locum. Mundum enim non hunc*[6] *viſibilem tantùm , cælum & terram , ſed cuncta etiam extenta locorum ſpatia , quæ ipſi quoque pagani imaginari*[7] *cogitationibus poſſunt , dico. Quòd*[8] *ſi ſine initio ſemper extitiſſe mundum contenderint , hoc multis refutare ac conuincere documentis & argumentis ſtude. Iterum*[9] *altercantes interroga , quis ante natos Deos , mundo imperaret ? quis regeret ? quomodo item*[10] *ſuo*[11] *ſubdere dominatui , vel ſui iuris facere mundum ante ſe ſemper ſubſiſtentem , potuerunt ? Vnde autem , vel à quo , vel quando inſtitutus , aut genitus primus Deus , vel Dea fuerit ? Vtrùm autem adhuc generare Deos , Deáſque , alios , aliáſque ſuſpicantur ? Vel ſi iam non generant , quando , vel cur ceſſauerint à concubitu & partu ? Si autem adhuc generant , infinitus iam Deorum effectus numerus eſt. Et quis*[12] *tamen inter tot tantóſque potentior ſit , incertum mortalibus eſt , & valdè cauendum ne in potentiorem*[13] *quis offendat. Vtrùm autem pro temporali ac præſenti , an potiùs pro æterna & futura beatitudine colendi ſint , arbitrentur*[14]*. Si pro temporali , in quo iam feliciores pagani Chriſtianis*[15] *ſunt*[16]*, dicant. Quid autem ſe ſuis conferre*[17] *ſacrificiis lucri Diis*[18] *ſuſpicantur pagani cuncta*[19] *ſub poteſtate habentibus*[20] *, vel cur in poteſtate ſibi ſubiectorum fieri permittunt ipſi Dij , quod*[21] *ipſis tribuant. Si talibus indigent , cur non ipſi*[22] *magis potiora eligunt ? Si autem non indigent , ſuperfluè iam talibus hoſtiarum collationibus placare Deos poſſe putent. Hæc & his ſimilia multa alia , quæ nunc enumerare longum eſt , non quaſi inſultando vel irritando eos , ſed placidè & magnâ obiicere moderatione debes. Et per interualla noſtris , id*[23] *eſt , Chriſtianis , huiuſmodi comparandæ*[24] *ſunt dogmatibus ſuperſtitiones , & quaſi è latere tangendæ , quatenus magis confuſi quàm exaſperati pagani erubeſcant pro tam abſurdis opinionibus , & ne nos latere ipſorum nefarios ritus ac fabulas æſtiment. Hoc quoque inferendum , ſi omnipotentes ſunt Dij , &*[25] *benefici , & iuſti , non ſolùm ſuos remunerant cultores , verùm etiam puniunt contemptores , & ſi hæc*[26] *vtraque temporaliter faciunt, cur ergo parcunt Chriſtianis , totum penè Orbem ab eorum cultura auertentibus , idoláque euertentibus ? Et cùm ipſi , id*[27] *eſt , Chriſtiani , fertiles terras , viníque & olei feraces , ceteríſque opibus abundantes poſſident prouincias ; ipſis autem , id*[28] *eſt , paganis , frigore ſemper rigentes terras cum eorum Diis reliquerunt*[29]*, in quibus iam tantùm*[30]*, toto Orbe pulſi , falsò regnare putantur*[31]*. Inferenda quoque ſæpiùs eis eſt Orbis auctoritas Chriſtiani , in cuius*[32] *comparatione ipſi pauciſſimi in vanitate antiqua adhuc perſeuerant. Et , ne quaſi de legitimo , ſemper à principio*[33] *, ſuper ipſas gentes Deorum iactitent imperio , intimandum eis cunctum priùs mundum idolorum deditum culturæ , donec Chriſti gratiâ , veri*[34] *omnipotentis conditoris , rectoris , vniúſque Dei notitiâ illuminatus , viuificatus , reconciliatúſque Deo eſt. Nam quòd*[35] *apud Chriſtianos fidelium quoque baptizantur filij , quid aliud faciunt , niſi à ſorde & reatu gentilitatis , quâ*[36] *totus olim conſtitutus*[37] *mundus*[38] *eſt , per ſingulos eos purgant. Hæc charitatis intuitu , frater mi , breuiter tuæ commemorare libuit dilectioni. Et qui corporali prægrauatus languore laboro itaut congruè illud Pſalmiſtæ dicere poſſim. [Cognoui , Domine , quia iuſtum iudicium tuum , & verè afflixiſti.] Vnde*[39] *obnixiùs tuam peto reuerentiam , quatenus cum his , qui tecum Chriſto , in ſpiritu ſeruiunt , pro me ſupplicationum fundere preces digneris , vt Dominus , qui me vino compunctionis potauit , citò etiam ſuâ anticipet miſericordiâ , vt qui iuſtè corripuit , clementer ignoſcat , Propheticúmque illud ſuâ faciat pietate me gratulabundum poſſe cantare. [Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo , conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] Opto vt in Chriſto benè valeas , & mei memineris , conſacerdos chariſſime.* Languor, quo Daniel Epiſcopus laborare ſe conqueritur, vitium fuit oculorum, vt ex Bonifacij literis infrà patebit.

4 Serat. *cùm procul dubio*
5. Serat. *inueniant*
6. Baron. *hanc viſibilem tantùm terram & cælum.*
7. Serat. *imaginare*
8. Serat. *Quare*
9. Baronio *tamen*
10. Baron. *autem*
11. Baron. deeſt *ſuo*
12. Baron. *quiſnam inter*
13. Serat. *potiorem*
14 Baron. *arbitrantur.*
15. Baron. deeſt *Chriſtianis*
16. Baron. *ſint.*
17. Baron. *conſequi*
18. Baron. deeſt *Diis*
19. Baron. *cunctis*
20. Baron. *exiſtentibus ,*
21. Baron. *quid*
22. Baron. *ab ipſis*
23. Baron. *etiam*
24. Baron. *confutandæ*
25. Baron. *& benè ſcilicet iuſti.*
26. Baron *horum*
27. Baron. *iidem*
28. Baron. *hoc*
29. Baron. *reliquere ,*
30. Baron. *tamen ,*
31. Baron. *putentur.*
31. Serat. *quorum*
33 Serat. *principe.*
34. Baron. deeſt *veri*
35. Serat. *quot*
36 Baron *quo*
37. Baron. *conſtrictus*
38. Baron. deeſt *mundus.*
39. Baron. *inde*

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

XVII.

Exeunte hoc anno, pridie Nonas Decembris, Gregorius Papa literas [a] Bonifacio Epiſcopo ſcripſit, partim gratulatorias, quòd pleroſque paganorum ad Chriſtianam Religionem perduxiſſet, partim exhortatorias, vt in cœpto verbi miniſterio conſtanter inſiſteret. *Reuerentiſſimo* [1] *& ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo* [2], *Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Creditæ ſpeculationis ſollicitudine permoti, Euangelicâ quoque inſtitutione, quâ Chriſtus ait,* [*obſecrate dominum meſſis vt eiiciat* [3] *operarios in meſſem ſuam,*] *tuam proinde reuerendam fraternitatem ad imitationem Apoſtolorum, qui* [4] *Domino iubente præcepti ſunt,* [*Euntes prædicate Euangelium Regni, gratis accepiſtis, gratis date,*] *in partibus Heſperiarum* [5] *ad illuminationem Germanicæ gentis in vmbra mortis ſedentis dirigere prænidimus, lucrum vt inde apportare deberes, quaſi ſeruus ille de negotio talenti, ſicut ſcriptum eſt, fidus in futuro, auctori aſſerit* [6] *Deo feciſſe. Quod quia ex obedientiæ munere miniſterium verbi cernimus adolere, & prædicationis præconio populum infidelem, vt innotuiſti, audiuimus conuerti, Domini potentiæ gratias referentes, vt ipſe, à quo bonum* [7] *procedit, & ad agnitionem vult omnes venire veritatis, tibi optamus vt cooperetur, & à tenebris ad lucem populum illum, ſuæ potentiæ inſpiratione, reducat. Hinc enim vobis* [8] *merces copioſa, credimus, quod ab omnipotente Domino adſcribatur in cælis. Bonum enim certamen, ſi perſeuraueris, poſſis cum Apoſtolo dicere, certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Sed vt coronam percipias laboris, inſiſte. Pollicetur enim perſeuerantibus in finem ſalutem. Ne* [9] *minæ terreant* [10], *nec deiiciant terrores, ſed fixam in Deo tenens fiduciam, veritatis verbum denuncia. Erit enim ex adiutorio diuino protectio* [11], *tantùm ſit bonum in voluntate opus. Igitur quantos ab errore conuerteris, ſyllabarum tuarum recenſito textu cognouimus; læti, vberes Deo noſtro gratias agentes, de lucro animarum exultamus. Porrò, pro Epiſcopo illo, qui nunc vſque, deſidiâ quadam in eadem gente prædicationis verbum diſſeminare neglexerat, & nunc ſibi partem quaſi in parochiam* [12] *defendit, Carolo, Excellentiſſimo filio noſtro, Patricio, vt eum compeſcat, ſuadentes paternis literis ſcripſimus, & credimus quòd hoc vitari præcipiat; ipſe verò opportunè, importunè, prædicare quæ ſunt ſalutis, ne* [13] *deſinas. Igitur Thuringis & Germaniæ populo ea, quæ ad animæ reſpiciunt vtilitatem & ſalutem, ſcribere non omiſimus, inter alia, vt conſtruant Epiſcopia, & Eccleſias condant, iniungentes* [14]. *Ipſe enim, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat, erit in* [15] *omnibus daturus incrementum. Deus te incolumem cuſtodiat.* Sequuntur Characteres Chronologici, de quibus infrà.

[a] Epiſt. 125. Et a Gregorio PP.
1. Baron. *Reuerendiſſimo*
2. Baron. deeſt *Coepiſcopo*.
3. Baron. *intreiat*
4. Baron. *vt*
5. Baron. *Hiſpaniarum* Alford. *Hasbaniarum*
6. Serar. *aſſeris* Baron. *abſenti*
7. Baron. *bonum omne*
8. Serar. *nobis*
9. Baron. *Nec te*
10. Baron. *teneant*.
11. Serar. *perfectio*.
12. Baron. *parochia*
13. Baron. *non*
14. Sirmond. *admonentes*.
15. Baron. deeſt *in*

XVIII. Baronius, cuius editionem cum aliis Antonij de Aquino, Serarij, Binij, Sirmondi & Alfordi contulimus, Bonifacium Epiſcopum non *in partibus Heſperiarum*, vt genuinus textus habet, ſed *in partibus Hiſpaniarum* ad illuminationem Germanicæ gentis vult degiſſe, ſuper *Hiſpaniarum* tamen vocabulo difficultatem eſſe non diſſimulat, &, additâ in margine notatiunculâ, *Hiſpaniarum* loco nomen *Hasbaniarum* vel *Heſſorum* reponendum ſuſpicatur. A Germania longiùs abſunt Hiſpaniæ, quàm vt in Hiſpaniis domicilium is elegiſſe cenſeatur, qui Germanicis gentibus Euangelium annunciare debuit. Haſbania, cuius ſitum iam deſcripſimus, non Germaniæ ſed Galliæ accenſebatur, pertinebátque ad Diœceſim Leodienſem, cuius ſedulæ adminiſtrationi totus inuigilabat Hubertus Epiſcopus plurimis etiam aduersùs idololatras laboribus victoriiſque conſpicuus. Heſſorum in Germania nomen eſt etiamnum celebre, nec dubium quin Bonifacius ad illam gentem directus ſit. Re tamen accuratiùs examinatâ nomen *Heſperiarum* in literis Gregorij Papæ retinendum videtur, quia deriuatur ab Heſpero, prouinciáſque Occidentales ſignificat, & Bonifacius in Occidentalibus Germaniæ regionibus quales ſunt, Haſſia, Saxonia, Friſia, aliæque finitimæ, de quibus Auctores vitæ loquuntur, Apoſtolicum munus ſtrenuè geſſit. Ipſemet Gregorius Pontifex in literis proximè recitatis, vbi *Thuringis & Germaniæ populo* quidpiam iniungit, Thuringos à reliqua Germania ſic diſtinguit, vt per Germaniam deſignet ſpatium illud terrarum, quod cis Thuringiam

Digitized by Google

Thuringiam ad Occaſum vergit, & Haſſiam, Saxoniam, Friſiam, circumiacentéſque prouincias ad Rhenum & Oceanum vſque complectitur. AN.CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

Serarius, in notis ad eandem Gregorij Pontificis epiſtolam, per Epiſcopum, qui deſidiâ quadam verbum prædicationis per Germaniam diſſeminare neglexerat, gentéſque, quas Bonifacius ab idololatria reuocarat, ſuæ Diœceſi volebat attribui, ſuſpicatur Epiſcopum deſignari Colonienſem, de quo poſteà queſtus eſt idem Bonifacius [a] apud Stephanum Papam, quòd Willebrordi quondam Epiſcopi Sedem ad ſe pertinere diceret. At ratio temporum refragatur. Ab hoc enim anno quo Gregorius Bonifacio prædictas literas ſcripſit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum quo Stephanus aſſumptus eſt in Pontificem, plures ſederunt Antiſtites cùm Coloniæ, tum Moguntiæ. Poſt Annonem, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo ſuperſtitem diximus, Diœceſim Colonienſem rexerunt Pharamundus, Raginfredus, Agilolphus, Hildegarius, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-tertio veteres Annaliſtæ ab Andrea Ducheſnio [b] è Bibliothecis Petauiana & Tiliana publicati conſignant. Eccleſiæ verò Moguntiacenſi poſt Sigebertum, de quo locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum, præfuit Geroldus, tum Geruilio, eóque depoſito Bonifacius, qui tunc deſignatus eſt illius ciuitatis Archiepiſcopus, decimóque pòſt anno, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-quinto, Martyrium feliciter in Friſia conſummauit. Tot autem Epiſcoporum Colonienſium ac Moguntiacenſium geſtis ſingulatim inſpectis, nullus occurrit, cuius deſidiam Bonifacius arguiſſe potiùs videatur, quàm Geroldi Moguntiacenſis Antiſtitis, qui teſte Petro Merſſæo Cratepolio, *erat vir prudens, callidus, ac ad maximas res, magis tamen ad ciuiles quàm Eccleſiaſticas, gerendas ſummè appoſitus & idoneus; corporis ſtaturâ inſigni, animo verò intrepido ac longè maximo; aulicæ vitæ ſtudioſior, quàm Eccleſiaſticarum cæremoniarum, quas parum aut omnino non curabat*, &, vt eius luctuoſa cædes infrà demonſtrabit, artis bellicæ, quàm munerum Epiſcopalium peritior haberi voluit. Epiſcopatum autem geſſit poſt Sigebertum, de quo nihil poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum duodecimum legimus, vixítque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-tertium, quo geſtum eſt bellum Saxonicum, vt conſtat ex Annalibus Nazarianis ac Tilianis, quorum illi in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, hi in anno Chriſti octingenteſimo octauo deſinunt.

XIX.

[a] Ep. 97.

[b] Tom. 2. Collect. Hiſt. Franc.

ADVERSVS GEROLDVM EP. MOGVNTINVM.

XX. Literæ Gregorij Papæ, de quibus nunc agimus, Tomo ſecundo epiſtolarum Decretalium datæ reperiuntur *pridie Nonas Decembris, imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato Magno Imperatore, anno octauo; ſed & Conſtantino Magno Imperatore eius filio, anno quinto, Indictione octauâ*. Hæc editio eſt omnium antiquiſſima, ceteríſque præſtat, nec vllam difficultatem patitur. Anno enim Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto per menſem Decembrem iam currebat Indictio octaua, necnon Leonis Imperatoris annus octauus, idémque Conſtantini Imperatoris annus quintus, quia, vt ſuperiùs probatum eſt, Leo octauo Kalendas Aprilis, Indictione decimâquintâ, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, imperare cœpit, annóque Imperij ſui quarto, Indictione tertiâ, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo, ipſo Paſchæ die, Conſtantinum filium ſuum Imperatorem coronauit. Baronius autem, quoniam Leonis Imperium anno vno præuertit, illúdque auſpicatur octauo Kalendas Aprilis, Indictione decimâ quartâ, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, cogitur in margine prædictarum literarum annum Leonis Auguſti nonum octaui loco ſcribere, ſed, vbi ſtudet emendationi, textum ipſum deprauat, & Lectorem, niſi prudenter ſibi caueat, in fraudem atque errorem adducit. Alfordus, licèt ex notatiuncula Baronij ad marginem poſita nomen *Hasbaniarum* in epiſtolæ textum ſuperiùs intruſerit, annum Leonis Imperatoris

Digitized by Google

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

octauum, quem Serarius etiam & Sirmondus exhibent, conſtantiſſimè retinet, nec ad marginem ponit annum nonum, quamuis à Binio, qui Baronio nimiùm fidit, id factum ſciat. Præter Characteres Chranologicos, de quibus ſuprà, Serarius addit Patriciatûs Leonis annum octauum, & Sirmondus poſt Conſulatum eius annum pariter octauum. Serarius ſic. *Pridie Nonas Decembris, imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato Magno Imperatore, anno octauo; Patriciatûs eius anno octauo; ſed & Conſtantino Magno Imperatore eius filio, anno quinto; Indictione octauâ.* Sirmondus ſic. *Pridie Nonas Decembris, imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato Magno Imperatore anno octauo; P. C. eius anno octauo; ſed & Conſtantino Magno Imperatore eius filio, anno quinto, Indictione octauâ.* Patricij dicebantur olim Senatorum filij, quòd, vt Feſtus & Velleius aiunt, *patres ciere poſſent.* Hic titulus attributus eſt poſteà principibus viris, qui vel Imperatorum Regúmue præcipui Conſiliarij, vel alicuius populi principes eſſent, quaſi videlicet patres forent, eo ſenſu Gregorius Pontifex in ſuis literis, Carolum, qui Maioratu Regiæ domûs apud Francos defungitur, Patricium vocat. Denique ipſimet Imperatores, quia patres populi, non dedignati ſunt ſe Patricios appellari, ſuíque Patriciatûs vt Imperij numerarunt annos, atque inde contigit, vt in iiſdem Gregorij Papæ literis annus octauus cùm Imperij tum Patriciatûs Leonis idem annotaretur. Sirmondus in notis ad Indiculum Sacramenti, quod Bonifacius edidit Romæ, cùm Epiſcopus ordinaretur, de Leonis Imperio ac Conſulatu ſic ſcribit. *Leo Iſaurus Imperium iniit* VIII *Kalendas Aprilis, & mox, vt coniectura eſt, Conſulatum proximis Kalendis, anno Chriſti* DCCXVII. Apud quoſdam autem Auctores [a] Faſtorum Conſularium, vt aliàs oſtendimus [b], qui poſt Conſulatum ſecundus annus dicitur, is à ſuſcepto Conſulatu proximus eſt, habitâque huius obſeruationis ratione, Imperij ac poſt Conſulatum Leonis idem demonſtratur annus octauus per menſem Decembrem, illigatúrque anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-quarto.

[a] Victor Tunnunenſis.
[b] Tom. I. a. 542. n. 30.

XXI. EPISCOPI COLONIENSES.

Cùm Bonifacius has Gregorij Papæ literas accepit, Geroldus in Moguntiacenſi Cathedra ſedebat. Id certum videtur ex prædictis. Quis Eccleſiam Colonienſem tunc adminiſtraret, haud ita patet, Colonienſium enim Epiſcoporum ſeries anníque per octauum ſeculum non parum controuertuntur. De ſingulis quid ſentiamus, per ordinem ad tempora vſque Pippini Regis hîc exponemus.

XXII. GISO.

Giſo Colonienſis Epiſcopus, vt Ægidius Gelenius [c] teſtatur, *floruit Clodoueo & Hildeberto Francorum Regibus*, dicitúrque quieſcere Coloniæ in Æde Sancti Seuerini, *in crypta ſub maiore Choro ante aram primariam B. M. V. Annunciatæ dicatam, eleuato nonnihil marmoreo ſaxo quadrato ad pedes conſtrictiore.* Superſtes in viuis erat ineunte octauo ſeculo.

[c] Lib. 3. Synt. 2. §. 3. n. 4.

XXIII. ANNO.

Anno Giſoni ſucceſſit. Idem Auctor de illo ſic ſcribit [d]. *In veſtibulo maioris Chori aſſurgit marmoreus ſarcophagus complectens oſſa Annonis I. Archiepiſcopi Colonienſis, qui ſeptem præbendas iſtius Collegij*, nempe Sancti Seuerini, *inſtituit, non ferculatas, vti appellant, id eſt, ſacerdotia, quæ vetuſtiſſimis aliquibus cenſibus non perfruuntur æquè atque illi, quos S. Seuerinus fundarat. Doctor Hermannus de Weſalia, S. Seuerini olim Canonicus, in manuſcripto Chronico Colonienſi, ait ibidem conſeruari ex ſerico Caſulam donum Annonis primi. Necrologium Eccleſiæ emortualem eius diem commemorat in prouigilio Dominicæ Natiuitatis*, 24. *Decembr. Floruit an.* 708, *quo videtur interfuiſſe eleuationi S. Huberti, & an.* 709. *nam ipſe illo anno cum B. Plectrude honorificè excepit Coloniæ B. Suibertum, nec longè poſt moriens B. Plectrudi carus in paucis, ingens ſui deſiderium, & Sedem Colonienſem Pharamundo ſucceſſori vacuam reliquit. Videtur verò cum Pipino adulterante aliquando portionem ſuam poſuiſſe Anno I. Archiepiſcopus, ſiquidem Leodienſes Hiſtorici tradunt ab Annone S. Lambertum perſecutiones paſſum ob veritatem, & indicto aliquot Epiſcoporum conuentu Annonem authorem fuiſſe depoſitionis S. Lamberti,*

[d] Lib. 3. Synt. 2. §. 3. n. 5.

Digitized by Google

quod delictum alienum expiatum eſſe docet ſancta amicitia inita cum B. Plectrude. De præbendis quas Anno inſtituit, de illius Caſula, de die mortis, déque loco ſepulturæ non diſputamus. In reliquo verò textu quot næui! AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

Primò, quod ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum de eleuatione S. Huberti dicitur, id de Sancti Huberti ordinatione ſeu promotione ad Epiſcopales Infulas intelligendum monuimus ad illum annum, quia reuerà tunc Hubertus poſt Sanctum Lambertum Traiectenſis Epiſcopus eſſe cœpit. XXIV.

Secundò, quod de Suiberti aduentu Coloniam, vbi ab Annone & Plectrude ſuſceptus ſit, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum refertur, id biennio citiùs contigiſſe probauimus, & aduersùs pſeudo Marcellinum, qui Pippinum apud Iuppiliam & Plectrudem apud Coloniam tunc degiſſe contendit, oſtendimus vtrumque Coloniæ ſimul vixiſſe. XXV.

Tertiò, perperam Anno poſt ſuſceptum Suibertum ſtatim mortuus dicitur, Suibertus enim anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptimo Coloniam ſe contulit, & Anno Tranſlationi Sancti Lamberti poſt annos quatuordecim, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, præſens interfuit. Apud eundem pſeudo-Marcellinum, cùm Pippinus Heriſtallius obit, Agilolphus Eccleſiæ Colonienſi præſidet. Inde profluxit error illorum, qui mortem Annonis vel anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, vel eodem, quo Suibertus Coloniam venit, anno conſignarunt. XXVI.

Quartò, Anno traducitur immeritò, quòd adulteranti Pippino non ſatis animosè reſtiterit, authórque fuerit perſecutionum Lamberto Traiectenſi Epiſcopo quondam irrogatarum. Lambertus enim in exilium actus eſt, imò reuocatus eſt ab exilio, priuſquàm Infulæ Colonienſes Annoni deferrentur. Quin & Pippinus Alpaidem ſuperinduxit dimiſítque Annone nondum Epiſcopo. Hæc ſuis locis probata ſunt. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto Lambertus è ſua Sede pulſus eſt ab Ebroino, ſuæque Eccleſiæ à Pippino reſtitutus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo primo. Idem Pippinus anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-octauo, ſiue anno poſt pugnam Textricianam proximo, cùm pacatâ Neuſtraſiâ rediit in Auſtraſiam, Plectrudem nondum repudiarat, & anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo, ſiue anno poſt Dagoberti Secundi Regis mortem duodecimo, cùm erga Baſilicam S. Arnulphi ſe munificum cum Plectrude coniuge præbuit, ab Alpaidis contubernio iam receſſerat. Childebertus autem, quo regnante Giſo Colonienſis Epiſcopus Sedem Annoni ſucceſſori vacuam reliquit, ante annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quartum Regno nuſquam potitus eſt. XXVII. VINDICATVR A CALVMNIA.

Quintò, Titulus Archiepiſcopi malè tribuitur Annoni, quia Colonienſis Eccleſia ius Metropoliticum per illa tempora nondum recuperarat. Quis ex Annonis ſucceſſoribus dignitate Metropolitæ primus auctus ſit, dicemus infrà ſuo loco. XXVIII.

Annoni ſucceſſit in Epiſcopatum Faramundus, de quo ſic Gelenius [a]. *Sedit temporibus Pipini Heriſtalli ſub* 711. *annis circiter duobus, putatur idem qui ex Clero Colonienſi intruſus in Cathedram exulantis S. Lamberti fuerat. Vide Nicolaum Scriptorem vitæ ſancti Lamberti & alios Leodienſes Scriptores.* Gelenium in epitomen ſic redegerunt Sammarthani. *Faramundus circa ann.* 711. *duobus annis Epiſcopatum rexit. Memoratur à Nicolao Scriptore vitæ S. Lamberti.* Petrus Merſſæus Gelenio vetuſtior aliam iniit Chronologiam, quam Claudius Robertus antiquior quoque Gelenio non dedignatus eſt ſequi. Merſſæus igitur & Robertus Pharamundum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodetriceſimo Pontificem conſtituunt. Merſſæus ſic. *Pharamundus anno Domini 728 ad gubernaculum admotus eſt.* Robertus ſic. *Farmundus* 728. Nec habet plura de Faramundo. Merſſæus autem iſta proximè ſubiungit. *Hic ſancti viri officium reipsâ declarauit, nam victu ſobrius, actu iuſtus, ſenſu pius fuit.* Elogium adeò magnificum Faramundo non conuenit homini nequiſſimo, qui pulſo Lamberto ſanctiſſimo Pontifice Traiectenſem Eccleſiam inuaſit, nec XXIX. PHARAMVNDVS

[a] Lib. 1. Synt. 6. n. 21.

AN.CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

à Nicolao vel ab vllo alio vitæ beati Lamberti Scriptore Colonienſis Epiſcopus memoratur.

XXX. Tomo ſuperiori [a], cùm de ſancto Lamberto verba primùm fecimus, varios Auctores vitæ recenſuimus, quorum plerique Nicolao vetuſtiores. Nicolaus Canonicus ac Diaconus Eccleſiæ Leodienſis librum ſuum de vita ſancti Lamberti Wederico Letienſi Abbati inſcripſit, Wedericus autem electus eſt Abbas Letienſis anno Chriſti milleſimo centeſimo viceſimoquarto, vt ex illius Cœnobij Chronicis atteſtatur Chapeauillus in notis, quibus ipſam Nicolai epiſtolam dedicatoriam illuſtrauit. Antiquitate longiſſimè præſtant; Anonymus, qui Theodoenum S. Lamberi in exilio ſocium multa *de illius vita & operibus* narrantem ſæpè audiuit; Godeſchalcus Canonicus ac Diaconus Leodienſis, qui floruit ſub Pippino & Carolo Regibus, vitámque S. Lamberti in literas retulit iuſſu Agilfridi, quarti poſt eundem Lambertum Epiſcopi; Stephanus Epiſcopus, qui ſexto loco poſt Agilfridum in Epiſcoporum Leodienſium Catalogo numeratur, & *vitam ſancti Lamberti ſcriptam incultiùs à Godeſchalco ſcripſit vrbaniùs ad Hermannum Coloniæ Archiepiſcopum;* Anſelmus Canonicus Leodienſis, qui Leodienſem Hiſtoriam ad obitum vſque Waſonis Epiſcopi, ſiue ad annum vſque Chriſti milleſimum duodequinquageſimum perduxit teſte Ægidio Manacho. Quatuor hi Scriptores, Anonymus videlicet coæuus, Godeſchalcus, Stephanus & Anſelmus, de Faramundo loquuntur, eum iniuſtè per annos ſeptem, quibus Lambertus Epiſcopus exulauit, in Cathedra Traiectenſi ſediſſe memorant, ſed nullum habent verbum, vnde colligere quis poſſit eidem poſteà Faramundo collatum eſſe Colonienſem Epiſcopatum. Anonymus de Faramundo hæc tantùm ſcribit apud Andream Ducheſnium [b]. *Depoſuerunt eum*, nempe Lambertum, *de Sede ſua ſine cauſa, & priuatus eſt de honore ſuo abſque culpa. Poſt hæc Faramundum in Cathedram illius conſtituerunt. Pòſt, ſeptem annis expletis, depoſitus eſt Faramundus de Sede Pontificale, & eiectus de prouincia Triiectenſe.* Godeſchalcus hæc, apud Caniſium [c], & Chapeauillum [d]. *Praualuit iniquitas, vt eum*, id eſt, Lambertum, *abſque cauſa, & ſine cauſa, de Sede ſua deponerent, & honore debito priuarent. Poſtquàm autem talia peregerunt, Pharamundum in Cathedra illius conſtituerunt. Poſt ſeptem verò annos expletos, Pharamundus de Sede Pontificali & de prouincia Traiectenſi depoſitus atque repulſus eſt.* Stephanus hæc, apud Surium [e], & Chapeauillum [f]. *Lambertus Sacerdos Chriſti inclytus, debiti honoris priuatur dignitatibus, ac de Pontificali Cathedra vir celebris eiicitur ſine cauſa. Tunc ſuggeſtum Traiectenſis Eccleſiæ latro Pharamundus inuaſit ineptè. Præſulatûs nempe curam, ad ſeculi miſerrimus rapuit pompam, non ad perennis vitæ palmam. Etenim vſurpauit Epiſcopium, inuaſit dominium, animarum extitit latro, Eccleſiæ publicus prædo. Temerauit ſacramenta Dominici Corporis, commaculauit apicem Canonicæ rectitudinis, violauit ſanctuarium, profanauit Sacerdotium, confudit Religionem, immutauit ordinem, perdidit innocentiam, captiuauit naturam, æquitatem debellauit, iuſtitiam exhorruit, benedictionem habere contempſit, maledictionem adquirere non timuit, nullum facinus execratus eſt, nullum ſcelus intactum reliquit, monſtrauit verbo & opere, quâ mentis intentione ad regimen introductus fuiſſet Eccleſiæ. Plura referre pudet, quæ doli magiſter egiſſet. Infelix inuaſor Eccleſiæ Traiectenſis, Pharamundus videlicet, filius iniquitatis, falsò nuncupatus paſtor ouium, appellandus meritò Angelus tenebrarum, ſuis exigentibus culpis, plurimorum criminatus conuitiis, expulſus eſt à Pontificali Cathedra & ab eadem eiectus prouincia. Septem quippe annis præfuit ibi ſolùm nomine, nullâ tamen die, actionis profuit opere. Dignè à fidelibus in terra eſt perſequutus, qui manifeſtè Deo erat contrarius.* Et Anſelmus hæc, apud eundem Chapeauillum [g]. *Deuotio filiorum Eccleſiæ Traiectenſis, commiſſi paſtoris* Lamberti exulis *damnum ſerò reminiſcitur, tandémque detrectans impiiſſimi iugum ſupplantatoris*, id eſt, Faramundi, *qui per ſeptem iam annos oues Dominicas indigniſſimè tractauerat, venerabilem virum Lambertum vehementiſſimè*

DISTINGVITVR AB ALIO PHARAMVNDO SEDIS TRAIECT. INVASORE.

[a] An. 636. n. 10.
[b] Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc. p. 675.
[c] Tom. 2. ant. lect.
[d] Tom. 1.
[e] D. 17. Sept.
[f] Tom. 1.
[g] Tom. 1.

Digitized by Google

reluctantem, maximo conamine de Monaſterio Stabulenſi extractum, ad Sedem Epiſcopij reducunt. Nicolaus, quo ſolo Gelenius & Sammarthani nituntur, plura de Faramundo non refert apud eundem Chapeauillum [a]. *Timens*, inquit, *prædictus vir nequam* Ebroinus, *ne eum*, nempe Lambertum, *qui ſanctitate & authoritate cæteris præminebat, ſuæ factionis haberet contrarium, & iuſtitiæ ac publicæ libertatis defenſorem, eum ab Epiſcopatu Tungrenſi expulit, & Pharamundum quendam, vt dicunt, Colonienſem Clericum, calcatâ omni ſacrorum Canonum reuerentiâ, illuc obtrudendo, violenter inthronizauit. Quanta autem, per hunc inuaſorem, facta fuerit, in Tungrenſi Eccleſia, totius diuini & humani iuris confuſio, bonorum omnium deſolatio, quam oppreſſa æquitas, quàm diſſoluta prauitas, ſi vellemus ſcripto proſequi, non iam videremur inchoati operis hiſtoriam texere, ſed tragœdiam deplorando conſcribere. Per hunc Tungrenſis Eccleſia plùs experiendo quàm legendo didicit, quia fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat. Euoluto ſeptennio, irâ Dei in miſericordiam versâ, poſt horridam tempeſtatem facta eſt in Eccleſia Dei tranquillitas. Quod Pharamundus Traiectenſis Eccleſiæ inuaſor, & peſtis, conſiderans, qui in rerum motibus, & dubiis temporibus, firmiſſimam ſpem hactenus habuerat, cœpit formidare pacati ſtatum temporis, Eccleſiaſtici æquitatem examinis, &, ſicut ſcriptum eſt, fugit impius nemine perſequente, proprij ſceleris eum perurgente conſcientiâ, Epiſcopalem Sedem, quam malè diu occupauerat, peiùs fugiendo dereliquit, &, vt dicitur, in tota illa prouincia nunquam poſteà comparuit. Sic tandem Deo propitio, à tyrannide eius liberata Traiectenſis Eccleſia.* Renerus ad Sanctum Laurentium prope Leodium Monachus Nicolao Canonico prænominato ſynchronus vixit, florebat enim circa annum Chriſti milleſimum centeſimum triceſimum. In vita autem ſancti Lamberti, quam literis commendauit, de Faramundo ſic diſſerit [b]. *Fertur Colonienſis Epiſcopus conſpiraſſe prauorum factioni, zelo inuidiæ ductus, & primores populi, datâ pecuniâ, ad odium Lamberti concitaſſe, qui etiam Clericum Eccleſiæ ſuæ Pharamundum ad Epiſcopatum Traiectenſem, contra ius & fas, paſſus eſt promoueri. Qui miſer, quia abiit in conſilio impiorum, in cathedra peſtilentiæ ſedit; de quo quid aliud poterit dici, quàm quod veritas dicit. [Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro; qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.] Euoluto ſeptennio, tandem Altiſſimo placebat, vt, poſt horridam & diuturnam tempeſtatem, cæli faciem ſerenaret. Traiectenſis mercenarius Pharamundus, tandem iuſtâ Cleri & populi abdicatus ſententiâ, non tantùm ab Eccleſia Traiectenſi, ſed etiam à tota prouincia expellitur.* Fruſtrà per plures rerum Leodienſium Scriptores iremus. Sex hi ſufficiant, vt aſſeras Pharamundum, qui pulſo Lamberto Traiectenſem Eccleſiam iniuſtè occupauit, Epiſcopum Colonienſem nunquam fuiſſe. Duos igitur diſtingue Pharamundos, vnum qui Lamberto exulante Traiectenſem Epiſcopatum inuaſit; alterum qui mortuo Annone Colonienſis Epiſcopus æquis calculis factus eſt. Vt ita ſentias, ratio temporis exigere videtur. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto beatus Lambertus exulare cœpit. Faramundus verò poſt annos quadraginta-ſeptem, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, Colonienſes infulas nondum obtinebat, tunc enim eius deceſſor Anno Tranſlationi ſancti Lamberti præſens interfuit. Quonam anno Faramundus inierit Pontificatum, quot annis illum tenuerit, quonam anno diſceſſerit è vita, quémve ſucceſſorem habuerit, non apertè conſtat. Qui duos circiter annos ei tribuunt in Epiſcopatu, Chronologiam ſuam ſic inſtituunt. Annonis mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo nono conſignant, tum duobus circiter annis Faramundum, Agilolphum ſex circiter annis ſediſſe volunt, & hunc eodem quo pugnatum eſt ad Amblauam anno, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto necatum affirmant. Sed hæc præcipuè colligunt è pſeudo-Marcellino, in cuius opinione Suibertus ante annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum ab Annone Colonienſi Epi-

[a] Tom. 1.

[b] Ap. Chapeauill. To. 1.

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

ſcopo ſuſcipitur, & anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, quo Pippinus obit, Agilolphus Eccleſiæ Colonienſi præeſt. Superſtes autem Pippino diu vixit Anno, nec Agilolphus Faramundo proximè ſucceſſit. Merſſæus, qui Faramundum ad regimen Eccleſiæ Colonienſis anno Chriſti ſeptingenteſimo duodetriceſimo admotum ſcribit, peccat quoque contra Chronologiam, eodem enim anno Pontificales Inſulas Agilolpho delatas ſic ſubiungit. *Sanctus Agilolphus Eccleſiæ Colonienſi datus eſt Archiepiſcopus anno ſalutis noſtræ* 728. At Agilolphus ſeriùs ad Epiſcopatum promotus eſt, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo duodequinquageſimo, vt ex Zachariæ Papæ literis probabimus, erat adhuc Epiſcopus, ciùſque deceſſor Raginfredus quædam mancipia cum Willibrordo Vltraiectino Pontifice commutauit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quinto, vt Ægidius Gelenius [a] à Chriſtophoro Browero ex Archiuis referri teſtatur.

[a] Lib. 3. Synt. 7. §. 4. n. 1.

XXXI. RANGINFREDVS.

De Faramundo igitur Epiſcopo Colonienſi hæc tantùm aſſerimus. Annoni ſucceſſit Faramundus; incertum quo anno, certè poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum. Alius fuit ab illo Faramundo, qui Traiectenſem Epiſcopum per abſentiam Sancti Lamberti contra ius fáſque ſe geſſit. De mortis anno nihil ſtatui poteſt. Succeſſor quoque controuertitur, is tamen procul dubio fuit Ranginfredus, cui poſteà ſucceſſit Agilolphus, licèt hic in vulgatis Catalogis eidem Ranginfredo præponatur. Plura de Ranginfredo ſeu Raginfredo vel Reginfrido dicemus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quintum. Plura ſuis etiam locis dicemus de Agilolpho, qui literas anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequinquageſimo à Zacharia Romano Pontifice accepit, nec omittemus Hildegarium proximum Agilolphi ſucceſſorem, qui regnante Pippino in cælum migrauit. Atque hæc impræſentiarum de Colonienſibus Epiſcopis ſufficiant.

XXXII. SCHWAZACHIVM MON. CONDITVR.

Paulus Voltius, Abbas Hugonis-Curiæ * in Diœceſi Straſburgenſi, ſic, apud Guillimannum [b] in libro de Epiſcopis Argentinenſibus, loquitur de *Schwarzach* Alſatiæ Monaſterio. *Legimus in veterum Commentariis Schwarzachenſis Monaſterij fundatorem fuiſſe Ruthardum Alſatiæ Ducem cum Irmenſinde coniuge, quando primùm ædificaretur prope Kotzenhuſen anno* DCCXXIIII. *S. Pirminius autem ingreſſus ſit Alſatiam an.* DCCXXX *ſecundùm Vrſpergenſem Abbatem. Idem verò Monaſterium poſteà in eo loco, vbi nunc eſt, ædificatum eſt adminiculo Comitis Meygenhardi, deſolato priori, ſub anno Chriſti* DCCCXVII. Tria ſunt Monaſteria Schwarzachienſia; vnum virorum in Alſatia; duo in Franconia, virorum vnum, alterum fœminarum. De ſingulis agit Bucelinus in Germania Sacra [c], obſeruátque vtriuſque Schwarzachij, quod in Franconia ſitum eſt, origines in nonum ſeculum reiiciendas eſſe, Schwarzachium autem Alſaticum, de quo nobis hîc ſermo, vel hoc anno vel ſequenti conſtructum affirmat, déque illius conditoribus ac ſitu ſic ſcribit. *Ruthardus Agilolfingus Alſatiæ Princeps & Irminſinda eius contheralis, inſtinctu S. Pirminij, in ripa Rheni, fluuiorum Germaniæ Regis, condidit, & à fundamentis extruxit; quod deinceps ope & operâ Meginhardi Comitis, aliò, non procul à Liechtenaw oppido, tranſpoſitum fuit.* Hic Auctor in Genealogica Germaniæ notitia ſub initium multa de Stemmate Agilolfingico refert, quæ fabulis accenſenda Lector in veteribus Hiſtoriis verſatus facilè iudicabit. Agilolfingicæ familiæ adſcribit Adalbertum fratrem Sanctæ Odiliæ, eiuſdémque Adalberti ex Eberhardo filio, qui Murbacenſe Monaſterium erigendum curauit, nepotem conſtituit Ruthardum, qui Schwarzachium Alſaticum ad ripam Rheni fundauit. In Genealogia Domûs Alſaticæ nec Ruthardus nominatur, nec vllus Eberhardi filius recenſetur. Agemus de Eberhardo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-primum, cùm de Murbachienſis Monaſterij conditu verba faciemus. Ex prædictis autem collige Ruthardum nec Eberhardi filium, nec Alſatiæ Ducem fuiſſe, nec ad Cœnobij Schwarzachienſis erectionem hoc anno prouocatum eſſe *inſtinctu Sancti Pir-*

* *Hugeshofen.*
[b] In Epiſc. 1.
[c] Part. 2.

Digitized by Google

minij, qui multò ſeriùs in Alſatiam venit, vt ex Abbate Vrſpergenſi probat Voltius ſuprà citatus, & ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum ex vetuſtioribus Auctoribus confirmabimus.

XXXIII. PYRMINIVS ADIT AVGIAM INSVLAM.

Antequàm Ruthardus in Alſatia Monaſterium Schwarzachienſe conſtrueret, Pyrminius in Diœceſim Conſtantienſem venit, cúmque in ea per aliquot annos iam moratus eſſet, hoc eodem anno, quo Schwarzachium à Ruthardo ædificatum eſt, ad Augiam Inſulam inuitatus acceſſit, ibíque prima celeberrimi Monaſterij fundamenta collocauit. Ad hunc annum Hermannus ita ſcribit in editione Piſtoriana. *Sanctus Pirminus ad Augiam Inſulam venit.* In editione Vrſtiſiana, ſic. *Sanctus Pirminus & Chorepiſcopus à Carolo Augiæ Inſulæ præfectus, ſerpentes inde fugauit, & Cœnobialem vitam ibi inſtituit, anno tertio.* Denique in Caniſiana, ſic. *Sanctus Pirminius Abbas & Chorepiſcopus, à Berchtoldo & Vebi Principibus ad Carolum ductus, Augiæque Inſulæ ab eo præfectus, ſerpentes inde fugabat, & Cœnobialem inibi vitam inſtituit tribus annis.* Cur poſteriores editiones Piſtorianâ longè auctiores ſint, duas rationes afferunt, vnam Vrſtiſius, alteram Caniſius. Exiſtimat Vrſtiſius fœtum Auctori adeò placuiſſe, vt illum lambendo formauerit variauerítque aliquoties, ac proinde acceſſerint multa. Caniſius verò, cui potiùs aſſentimur, tot varietates ipſis adſcribit deſcriptoribus, quorum alius nonnulla adiecerit, alius reſecuerit, vnuſquiſque pro ſuo captu. Certè multa, quæ ſpectant ad Augienſe Monaſterium, à quopiam illius loci Monacho ſuperaddita videntur, nec omni ex parte vera ſunt. Non pauca, vt occurrent, accurato diſcutiemus examine. Impræſentiarum agendum de Pyrminij aduentu ad Augiam. Pyrminius hoc anno ad Augiam Inſulam venit. Id aſſeritur apud Hermannum editum à Piſtorio, nec à quoquam in dubium vocatur. Alia ſuperadiecta ſunt in poſterioribus editionibus, quæ partim vera ſunt, partim falſa. Pyrminius in editionibus Vrſtiſiana & Caniſiana *Chorepiſcopus* dicitur. Vrſtiſius in margine Chorepiſcopum interpretatur *regionalem Epiſcopum, qui per regiones diſcurrit*, in eóque ſenſu Pyrminium Chorepiſcopum fuiſſe non inficiamur. In iiſdem editionibus Pyrminius *à Carolo Augiæ Inſulæ præfectus*, & in Vrſtiſiana *à Berchtoldo & Vebi Principibus ad Carolum* primò *ductus* perhibetur. Hæc procul abſunt à vero, nam Berchtoldus & Vehus, quorum mentionem Crucius facit [a], ante Gotfridum floruerunt, conſilium autem opuſque Pyrminij promouerunt ſoli Lantfridus eiuſdem Gotfridi filius & Sintlaz, ille prouinciæ Dux ſeu Gubernator, hic loci dominus, nec iis addendus Carolus Maior-domûs, Lantfridus enim erat è Ducum ſeu Præfectorum numero, qui diſſidebant à Carolo, Regiámque auctoritatem aduersùs eundem Carolum, plùs potentiæ ſibi, quàm Maioratus poſcebat, arrogantem, intrepidè tuebantur. Veriſſima ſunt quæ ſequuntur in iiſdem editionibus. Pyrminius ſerpentes ex Augia Inſula fugauit, & Cœnobialem ibi vitam inſtituit. Sed in deſignando tempore, quo Pyrminius in Augia Inſula Cœnobialem vitam inſtituit, editio Caniſiana poſtponitur Vrſtiſianæ. Hæc enim ſic habet, *Cœnobialem vitam ibi inſtituit, anno tertio;* illa ſic, *Cœnobialem inibi vitam inſtituit tribus annis.* S. Pyrminius in Augia Inſula Cœnobialem vitam inſtituit anno tertio, annus ille tertius ab eius aduentu vel in Epiſcopatum Conſtantienſem vel in Augiam Inſulam ſumi debet. Prior opinio ſtare poteſt, nihil enim vetat, quominùs Pyrminius in Diœceſim Conſtantienſem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo veniſſe cenſeatur, Lantfrido Alamanniæ ſeu Sueuiæ tum Duce. Poſterior corruit, quia Pyrminius anno poſt aduentum in Augiam tertio, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo ex eadem Inſula pellitur teſte Hermanno genuino ſeu Piſtoriano, cui Vrſtiſianus & Caniſianus ſuffragantur. Diutiùs tamen Pyrminius in Augia moratus eſt, illic enim adhuc verſabatur, cùm vitam clauſit Lantfridus, cuius obitum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo Nazarianus Annaliſta conſignat. Nec adeò mirum eſt

[a] Lib. II. rer. Sueuic. c. 2.

Digitized by Google

AN. CH 724. THEODOR. IV. R. 4. XXXIV. in geſtis Pyrminij deſcribendis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum erraſſe triennio Hermannum, qui poſt annos trecentos ſeriúſque vixit, & ſuam lucubrationem ad annum vſque Chriſti milleſimum quinquageſimum-quartum perduxit.

INCHOAT MONASTERIUM

Monaſterij in Augia Inſula condendi occaſionem ſic Othlonus in vita Sancti Pyrminij deſcribit. *Vir eximius Sintlaz, cuius etiam filiam Pater ſanctiſſimus* (Pyrminius) *de ſancti lauacri fonte leuauit, humiliter adiit eum, dicens. O Sacerdos inclyte, in tuo aduentu, omnia mortua reuiuiſcunt, arida virent & florent, tellus noſtra germine vitalis fructûs grauida facta eſt, rogamus nunc, vt pio conſilio ſuggeras, quo in loco, poſtquàm hinc forſan diſceſſeris, conſtruere queamus domum orationis. At beatus Pyrminius, videre, inquit, videor Inſulam, quam celeriter nauigando quimus attingere, properemus ad eam, fortaſſis ibi benignus Dominus ſuam nobis exprimet gratiam. Reſpondens autem prædictus vir ait. Abſit, abſit hoc, Domine mi, quia in illa Inſula ſerpentium extat vermiúmque horrendorum poſſeſſio, nec hominis vlla ibi poterit eſſe habitatio. Tunc Pater almus, quid, inquit, loqueris modicæ fidei? Nonne Chriſtus retulit ſibi donatam eſſe omnem poteſtatem in cælo & in terra? Nonne electis ſuis conceſſit ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem atque draconem? His auditis ſupradictus vir beato viro annuere, ipſíque nauigij opportunitatem præbere non tardauit. Mox autem vt Sacerdos ſanctus Inſulam attigit, omnis illa venatorum turba, veluti nimiâ contrarietatis vi vrgente fugiendo, Inſulam deſeruit, tantáque multitudo eorum abire viſa eſt, vt tribus diebus ac noctibus tota ſuperficies maris, per quod natando tranſierunt, cooperta videretur, nuſquam verò poſteà comparuit. Tunc egregius Chriſti agricola, tam horribili hoſtilitate anathematizatâ, ſociatíſque fidelium adminiculis, ſtirpes inutiles, ſpinas, tribulos, fruticúmque inculta præcidere curauit, nec deſtitit, donec omni fætori atque vligini abſceſſum pararet, Soli verò ac iocundo aeri locum faceret, atque ita ſub celeri dierum momento, facta eſt apta hominum habitatio, vbi ante conſtiterant immanium viperarum cubilia. Deinde in Chriſti honore Oratorium conſtruere aggreſſus eſt, ad quod plures fidei ardore animati prædia ſua conferre decreuerunt, præcipuè tamen deuotiſſimus Sintlaz, qui in ambitu ipſius loci multa hereditario iure poſſidebat, Chriſti domicilium amplificare ſtudebat, vbi poſteà plures coadunati, ſeculi huius transfugæ, religionis ſanctæ facti ſunt aſſeclæ, procelloſi mundi vitantes inquietudinem, tutiſſimi portûs obtinent ſtationem.* Hoc fuit initium nobiliſſimi Monaſterij, cui poſteà nomen Augiæ diuitis inditum. A prælaudato Sintlace quem Bruſchius Sindeleſium, Crucius Sindelium, Sindeſlaum Bucelinus appellant, nomen accepit Sindleſaugia, vulgò *Sindleſaw* ſeu Sindleſouia vel Sindleoſana, quaſi Sintlacis augia ſiue ager aut pratum, id enim Germanis *ow* dicitur. Acceſſit poſteà cognomentum diuitis, ídque ſub Kebone tertio illius loci Abbate factum tradunt Bruſchius & Bucelinus. *Rhenus*, vt Mela [a] teſtatur, *ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit.* Horum lacuum alterum ſuperiorem, inferiorem alterum vocant. Superiorem Plinius [b] & Solinus [c] Brigantinum ab oppido Brigantio *, nuperi Scriptores Conſtantienſem ab vrbe Conſtantia * & Podamicum ab oppido *Podmen*, vulgus detorto vocabulo *der Bodenſee* dixit. Inferiorem ab oppido Cella Cellenſem * hodie appellant, vulgò *Celler-ſee.* De vtroque fuſiùs ad annum Chriſti ſexcenteſimum decimum [d] Tomo ſecundo locuti ſumus. Martinus Crucius [e] de Podamico ſic ſcribit. *Lacus Podamicus, Brigantinus, Acronius, Inſulas habet duas; in ſuperiori parte Augiam minorem (Meinow;) in inferiore infra Conſtantiam Augiam maiorem ſeu diuitem (Reichenow.)* De Cellenſi ſic. *Inferior lacus (qui & Cellenſis dicitur) quadam peninſulâ in duas partes diſtinguitur, in cuius altera parte, fortè dimidiato milliari infra Conſtantiam eſt Inſula Richenoia, olim Sindleſaugia dicta, poſteà diues Augia propter donatarum ei copiam diuitiarum.* Licèt Crucius hærere dubius videatur, vtrùm Augiam maiorem in Lacu Podamico an in Cellenſi collocare debeat, hæc Inſula ſita eſt in lacu Cellenſi, patet in longitudinem dimi-

IN LACU CELLENSI.

[a] Lib. 3. c. 2.
[b] Lib. 9. c. 17.
[c] Cap. 24.
* *Bregentz.*
* *Conſtance.*
* *Cell.*
[d] Num. 11.
[e] Part. 1. rer. Sueuic. l. 11. c. 2.

Digitized by Google

dimidium milliarij Germanici, in latitudinem verò quadrantem, habétque tres Parochiales Eccleſias. Lege Bruſchium in Chronologia Monaſteriorum [a] Germaniæ, & eundem Crucium in rebus Sueuicis loco iam citato, vbi leguntur & hi duo verſus in memoriam miraculi ſuprà narrati, necnon precationis ab incolis contra venena cibo potuíque ſic fieri ſolitæ.

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

Sanctificet noſtram ſanctus Pirminius eſcam.
Pirminij dextra benedicat pocula noſtra.

[a] In Augia diuite.

XXXV. CAROLVS PROFLIGAT RAGINFRIDVM IN ANDEGAVIA.

De rebus hoc eodem anno geſtis Annaliſta Nazarianus ſtylo valdè barbaro ſic ſcribit. *Anno* DCCXXIV. *leuauit contra Karlo & Karlus perrexit Andegauis.* Petauianus clariùs in hunc modum. *Anno* DCCXXIV. *Karolus migrauit ad Andegauos, qui rebellabant aduerſùs eum.* Ex duobus illis Scriptoribus, quorum prior in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, poſterior in anno Chriſti octingenteſimo deſinit, colligere eſt errare recentiores Annaliſtas, qui tumultum Andegauenſem vel anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo [b], vel anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto [c] referunt. Hæc ad Chronologiam. Quæ verò ſequuntur, ex Annalibus Metenſibus deſcripta ſunt, bellíque, quod hoc anno geſtum eſt, quis exitus fuerit, ſic declarant. *Raginfridus quondam Maiordomûs contra Karolum ſe erigere temptauit. Contra quem Karolus exercitum duxit, & illum in ciuitate Andegauis incluſit, filiúmque eius obſidem ducens, ipſum Comitatum ſibi, quamdiu vixit, ſolâ pietate habere conceſſit.*

[b] Annal Fuld.
[c] Annal Metenſ.

XXXVI. E GALLIA REVERSVS DEBELLAT SAXONES.

Saxones occupato in Andegauia Carolo, cùm longiùs rem ductum iri putarent, bellum aduersùs Francos renouarunt, ſed à Carolo è Neuſtraſia in Auſtraſiam, è Gallia in Germaniam, à Meduana fluuio ad Viſurgim magnâ celeritate profecto, velut in ipſo conatu ſuo ſunt oppreſſi debellatíque. Vtramque Caroli expeditionem eodem anno ſic Auctor Annalium Fuldenſium perſtringit [d]. *Carlus Raginfridum perſequens Andegauis vrbem cepit. Poſteà Saxones vaſtando, victor redit.* Nec aliter ſentit Auctor [e] Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptæ, ſic enim de vtroque bello ſuprà memorato loquitur. *Carolus Princeps inſecutus Raganfredum, Andegauis ciuitatem obſedit, vaſtatâ eâdem regione cum plurimis ſpoliis remeauit. Per idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carolus Princeps eos præoccupauit ac debellauit, victórque reuertitur.*

[d] Ad an. 721.
[e] Capp. 107. 108.

XXXVII.

Hugo Caroli Maioris-domûs ex Drogone fratre nepos Eccleſias quinque rexit; tres Epiſcopales, Rothomagenſem, Pariſienſem, & Baiocenſem; duas Abbatiales, Fontanellenſem & Gemmeticenſem. Quando ſingularum adminiſtrationem inierit, haud produnt antiqua monumenta, ſi duas exceperis, Rotomagenſem & Fontanellenſem, quarum priorem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, poſteriorem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio gubernandam ſuſcepit. De ceteris coniectandum. Habitâ ratione rerum, quas hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-quarto, Carolus in Neuſtraſia geſſit, Hugonem Pariſienſis Eccleſiæ regimini tunc admotum opinamur. *Hic etiam*, ait de illo Hugone Chronographus Fontanellenſis [f], *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit, factione ſcilicet patrui ſui Caroli Principis.* Et paulò pòſt. *Rector quoque ſiue Procurator vrbis Pariſiacæ trigeſimusquintus à B. Dionyſio conſtituitur.* In hoc poſteriore textu, vox, *Procurator*, plurimùm eſt attendenda. Videtur enim ſignificare, quòd Hugo rerum duntaxat temporalium in Epiſcopatu Pariſienſi curam geſſerit, ne Sede vacante à quoquam dilapidarentur. Eò vergit opinio Franciſci Pommerayi [g]. Statum tamen illorum temporum quiſquis accuratè perpenderit, facilè ſibi perſuadebit Carolum, cùm Lutetia Pariſiorum, ciuitas totius Neuſtraſiæ primaria, poſt Bernecharij Epiſcopi mortem Paſtore deſtitueretur, egiſſe maximâ contentione, vt Hugo ſuus ex fratre nepos, à quo nihil ſibi timendum nouerat, illius vrbis Epiſcopus fieret, & vtramque Eccleſiam Roto-

[f] Cap. 8.

HVGO EIVS EX FRATRE NEPOS FIT EP. PARIS.

[g] In Archiep. Rotomag. n. 25.

AN. CH. 724. Theodor. IV. R. 4. XXXIV.

in geſtis Pyrminij deſcribendis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum erraſſe triennio Hermannum, qui poſt annos trecentos ſeriúſque vixit, & ſuam lucubrationem ad annum vſque Chriſti milleſimum quinquageſimum-quartum perduxit.

Inchoat Monaſterium.

Monaſterij in Augia Inſula condendi occaſionem ſic Othlonus in vita Sancti Pyrminij deſcribit. *Vir eximius Sintlaz, cuius etiam filiam Pater ſanctiſſimus* (Pyrminius) *de ſancti lauacri fonte leuauit, humiliter adiit eum, dicens. O Sacerdos inclyte, in tuo aduentu, omnia mortua reuiuiſcunt, arida virent & florent, tellus noſtra germine vitalis fructûs grauida facta eſt, rogamus nunc, vt pio conſilio ſuggeras, quo in loco, poſtquàm hinc forſan diſceſſeris, conſtruere queamus domum orationis. At beatus Pyrminius, videre, inquit, videor Inſulam, quam celeriter nauigando quimus attingere, properemus ad eam, fortaſſis ibi benignus Dominus ſuam nobis exprimet gratiam. Reſpondens autem prædictus vir ait. Abſit, abſit hoc, Domine mi, quia in illa Inſula ſerpentium extat vermiúmque horrendorum poſſeſſio, nec hominis vlla ibi poterit eſſe habitatio. Tunc Pater almus, quid, inquit, loqueris modicæ fidei? Nonne Chriſtus retulit ſibi donatam eſſe omnem poteſtatem in cælo & in terra? Nonne electis ſuis conceſſit ambulare ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcare leonem atque draconem? His auditis ſupradictus vir beato viro annuere, ipsíque nauigij opportunitatem præbere non tardauit. Mox autem vt Sacerdos ſanctus Inſulam attigit, omnis illa venatorum turba, veluti nimiâ contrarietatis vi vrgente fugiendo, Inſulam deſeruit, tantáque multitudo eorum abire viſa eſt, vt tribus diebus ac noctibus tota ſuperficies maris, per quod natando tranſierunt, cooperta videretur, nuſquam verò poſteà comparuit. Tunc egregius Chriſti agricola, tam horribili hoſtilitate anathematizatâ, ſociatíſque fidelium adminiculis, ſtirpes inutiles, ſpinas, tribulos, fruticúmque inculta præcidere curauit, nec deſtitit, donec omni fætori atque vligini abſceſſum pararet, Soli verò ac iocundo aeri locum faceret, atque ita ſub celeri dierum momento, facta eſt apta hominum habitatio, vbi ante conſtiterant immanium viperarum cubilia. Deinde in Chriſti honore Oratorium conſtruere aggreſſus eſt, ad quod plures fidei ardore animati prædia ſua conferre decreuerunt, præcipuè tamen deuotiſſimus Sintlaz, qui in ambitu ipſius loci multa hereditario iure poſſidebat, Chriſti domicilium amplificare ſtudebat, vbi poſteà plures coadunati, ſeculi huius transfugæ, religionis ſanctæ facti ſunt aſſeclæ, procelloſi mundi vitantes inquietudinem, tutiſſimi portûs obtinent ſtationem.* Hoc fuit initium nobiliſſimi Monaſterij, cui poſteà nomen Augiæ diuitis inditum. A prælaudato Sintlace quem Bruſchius Sindeleſium, Crucius Sindelium, Sindeſlaum Bucelinus appellant, nomen accepit Sindleſaugia, vulgò *Sindleſaw* ſeu Sindleſouia vel Sindleoſana, quaſi Sintlacis augia ſiue ager aut pratum, id enim Germanis *ow* dicitur. Acceſſit poſteà cognomentum diuitis, ídque ſub Kebone tertio illius loci Abbate factum tradunt Bruſchius & Bucelinus. *Rhenus*, vt Mela [a] teſtatur, *ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit.* Horum lacuum alterum ſuperiorem, inferiorem alterum vocant. Superiorem Plinius [b] & Solinus [c] Brigantinum ab oppido Brigantio *, nuperi Scriptores Conſtantienſem ab vrbe Conſtantia * & Podamicum ab oppido *Podmen*, vulgus detorto vocabulo *der Bodenſee* dixit. Inferiorem ab oppido Cella Cellenſem * hodie appellant, vulgò *Celler-ſee.* De vtroque fuſiùs ad annum Chriſti ſexcenteſimum decimum [d] Tomo ſecundo locuti ſumus. Martinus Crucius [e] de Podamico ſic ſcribit. *Lacus Podamicus, Brigantinus, Acronius, Inſulas habet duas; in ſuperiori parte Augiam minorem (Meinow;) in inferiore infra Conſtantiam Augiam maiorem ſeu diuitem (Reichenow.)* De Cellenſi ſic. *Inferior lacus (qui & Cellenſis dicitur) quadam peninſulâ in duas partes diſtinguitur, in cuius altera parte, fortè dimidiato milliari infra Conſtantiam eſt Inſula Richenoia, olim Sindleſaugia dicta, poſteà diues Augia propter donatarum ei copiam diuitiarum.*

In lacu Cellenſi.

Licèt Crucius hærere dubius videatur, verùm Augiam maiorem in Lacu Podamico an in Cellenſi collocare debeat, hæc Inſula ſita eſt in lacu Cellenſi, patet in longitudinem dimi-

[a] Lib. 3. c. 2.
[b] Lib. 9. c. 17.
[c] Cap. 24.
* *Bregentz.*
* *Conſtance.*
* *Cell.*
[d] Num. 11.
[e] Part. 1. rer. Sueuic. l. 11. c. 2.

dimidium milliarij Germanici, in latitudinem verò quadrantem, habétque tres Parochiales Eccleſias. Lege Bruſchium in Chronologia Monaſteriorum [a] Germaniæ, & eundem Crucium in rebus Sueuicis loco iam citato, vbi leguntur & hi duo verſus in memoriam miraculi ſuprà narrati, necnon precationis ab incolis contra venena cibo potuíque ſic fieri ſolitæ.

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

[a] In Augia diuite.

Sanctificet noſtram ſanctus Pirminius eſcam.
Pirminij dextra benedicat pocula noſtra.

XXXV. CAROLVS PROFLIGAT RAGINFRIDVM IN ANDEGAVIA.

De rebus hoc eodem anno geſtis Annaliſta Nazarianus ſtylo valdè barbaro ſic ſcribit. *Anno* DCCXXIV. *leuauit contra Karlo & Karlus perrexit Andegauis.* Petauianus clariùs in hunc modum. *Anno* DCCXXIV. *Karolus migrauit ad Andegauos, qui rebellabant aduersùs eum.* Ex duobus illis Scriptoribus, quorum prior in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo, poſterior in anno Chriſti octingenteſimo deſinit, colligere eſt errare recentiores Annaliſtas, qui tumultum Andegauenſem vel anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo [b], vel anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto [c] referunt. Hæc ad Chronologiam. Quæ verò ſequuntur, ex Annalibus Metenſibus deſcripta ſunt, bellíque, quod hoc anno geſtum eſt, quis exitus fuerit, ſic declarant. *Raginfridus quondam Maiordomûs contra Karolum ſe erigere temptauit. Contra quem Karolus exercitum duxit, & illum in ciuitate Andegauis incluſit, filiúmque eius obſidem ducens, ipſum Comitatum ſibi, quamdiu vixit, ſolâ pietate habere conceſſit.*

[b] Annal Fuld.
[c] Annal Metenſ.

XXXVI. E GALLIA REVERSVS DEBELLAT SAXONES.

Saxones occupato in Andegauia Carolo, cùm longiùs rem ductum iri putarent, bellum aduersùs Francos renouarunt, ſed à Carolo è Neuſtraſia in Auſtraſiam, è Gallia in Germaniam, à Meduana fluuio ad Viſurgim magnâ celeritate profecto, velut in ipſo conatu ſuo ſunt oppreſſi debellatíque. Vtramque Caroli expeditionem eodem anno ſic Auctor Annalium Fuldenſium perſtringit [d]. *Carlus Raginfridum perſequens Andegauis vrbem cepit. Poſteà Saxones vaſtando, victor redit.* Nec aliter ſentit Auctor [e] Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptæ, ſic enim de vtroque bello ſuprà memorato loquitur. *Carolus Princeps inſecutus Raganfredum, Andegauis ciuitatem obſedit, vaſtatâ eâdem regione cum plurimis ſpoliis remeauit. Per idem tempus rebellantibus Saxonibus, Carolus Princeps eos præoccupauit ac debellauit, victórque reuertitur.*

[d] Ad an. 721.
[e] Capp. 107. 108.

XXXVII.

Hugo Caroli Maioris-domûs ex Drogone fratre nepos Eccleſias quinque rexit; tres Epiſcopales, Rothomagenſem, Pariſienſem, & Baiocenſem; duas Abbatiales, Fontanellenſem & Gemmeticenſem. Quando ſingularum adminiſtrationem inierit, haud produnt antiqua monumenta, ſi duas exceperis, Rotomagenſem & Fontanellenſem, quarum priorem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo, poſteriorem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio gubernandam ſuſcepit. De ceteris coniectandum. Habitâ ratione rerum, quas hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-quarto, Carolus in Neuſtraſia geſſit, Hugonem Pariſienſis Eccleſiæ regimini tunc admotum opinamur. *Hic etiam*, ait de illo Hugone Chronographus Fontanellenſis [f], *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit, factione ſcilicet patrui ſui Caroli Principis.* Et paulò pòſt. *Rector quoque ſiue Procurator vrbis Pariſiacæ trigeſimus-quintus à B. Dionyſio conſtituitur.* In hoc poſteriore textu, vox, *Procurator,* plurimùm eſt attendenda. Videtur enim ſignificare, quòd Hugo rerum duntaxat temporalium in Epiſcopatu Pariſienſi curam geſſerit, ne Sede vacante à quoquam dilapidarentur. Eò vergit opinio Franciſci Pommerayi [g]. Statum tamen illorum temporum quiſquis accuratè perpenderit, facilè ſibi perſuadebit Carolum, cùm Lutetia Pariſiorum, ciuitas totius Neuſtraſiæ primaria, poſt Bernecharij Epiſcopi mortem Paſtore deſtitueretur, egiſſe maximâ contentione, vt Hugo ſuus ex fratre nepos, à quo nihil ſibi timendum nouerat, illius vrbis Epiſcopus fieret, & vtramque Eccleſiam Roto-

[f] Cap. 8.

HVGO EIVS EX FRATRE NEPOS FIT EP. PARIS.

[g] In Archiep. Rotomag. n. 25.

Digitized by Google

AN. CH. 724. THEODOR. IV. R. 4.

magenſem videlicet ac Pariſienſem ſimul gubernaret. Locus ei triceſimusſeptimus in omnibus Catalogis Pariſienſium Epiſcoporum hactenus editis tribuitur. Illo de Hugone Metropolita Rotomagenſi Ioannes *Mabillon*, in notis ad vitam S. Walarici ſeu Walerici vel Gualarici primi Leuconaenſis Abbatis, rectè interpretatur Prologum eidem vitæ præfixum, cuius Auctor calamo ſe manum admouiſſe teſtatur, vt Hugonis Archiepiſcopi ſui iuſſis obtemperaret, & Abbatis Theodini Monachorúmque Leuconaenſium poſtulationibus acquieſceret. *Domino meo ſemper proprio & inſolubili caritatis vinculo retinendo Domno & Patri Theodino Abbati, & omni ſanctæ Congregationi veſtræ, quæ vobiſcum Domino deſeruit, & ſub regulari cura viuere gaudet, amicus veſter proprius & omnium Chriſtianorum ſeruus, perpetuam vobis in Chriſto ſalutem. Imprimis quaſi prouolutus veſtris veſtigiis, humili prece depoſco, vt adſiſtentes vos ſacris altaribus, qui ſedulas & dignas Deo quotidie ſoluitis preces, me etſi indignum famulum veſtrum in alta memoria cordis veſtri ſemper dignemini habere. De cetero verò, vt ſcitis, cùm ante plures dies in veſtro Cœnobio poſitus vobiſcum, vt conuenerat, loqui cupiſſem, veſtra tunc fraternitas noſtram paruitatem ſumma cum humilitate poſtulabat, vt vitam Patroni veſtri beati Gualarici ſuccincto & compto ſermone ederem, quem ante aliquot annos venerandus vir Raimbertus Abbas ſummo quidem ſtudio, ſed nimis prolixo & ſimplici ſermone dictauerat. Sed & hoc mihi ipſum addebatis, quòd Hugo Archiepiſcopus noſter ipſe hoc iuſſerat, vt mediocritas mea præfatam vitam quaſi apertiùs ac luculentiùs vobis deberem conſcribere, cuius iuſſionibus, in quantum valemus, contradicere non debemus. Et duplex exinde nos cauſa hortatur, dum & veſtra me delectat caritas, & ille qui eſt ſummus Pontifex hoc fieri iubet. Et ideo nos ita calamum temperauimus, vt ſermo breuis & admodum planus ſimplicioribus fratribus intelligentiam augeret, & nec nimis ruſticus & indoctus eſſet, ne ſtudioſis præberet faſtidium.* Ex hac lucubratione colligitur ſeries Abbatum Leuconaenſium ad hoc vſque tempus haud interrupta. Raimbertus enim ſeu Ragimbertus Abbas, qui Monaſterij Leuconaenſis adminiſtrationem poſt obitum Sancti Blitmundi regnante tum Clodoueo Secundo ſuſcepit, labente ſeculo ſeptimo vitam clauſit, eiúſque proximus ſucceſſor Theodinus cenſeri poteſt.

XXXVIII. CORBINIANVS EP. FRISINGENSIS

In Boioaria, Pilitrudis, licèt vulnus occultum, quod in horas exacerbabatur, arte muliebri tegeret, vltionem aduersùs Corbinianum Friſingenſem Epiſcopum animo meditabatur. Idoneam occaſionem viſum eſt præbere factum Antiſtitis, *quod*, vt Ioannes Adlzreitterus in Annalibus Boicis [a] opinatur, *hodierni mores nimiæ ſeueritatis accuſarent, niſi priſcæ ſimplicitatis auſteritas & feruens animarum zelus ſanctum virum abſoluerent.* Totum negotium ab Aribone ſic deſcribitur. *Quadam die vir Dei beatus Corbinianus cum præfato Principe* Grimoaldo *recumbens ad prandium, appoſitâ menſâ, ſalutifero Crucis Chriſti ſigno cum laude ſuperpoſitam conſignauit alimoniam. Prædictus verò Princeps ex menſa dilecto ſibi cani panem per incuriam proiecit. Quod vbi vir Dei conſpexit, dextro pede tripodi calcem impegit, & menſam euertit, itaut argentea vaſa per pauimentum huc illúcque ſpargerentur, & ex ſcamno proſiliens aiebat eum tantâ benedictione indignum, quam cani non veritus eſſet proiicere, domúmque illius egreſſus dixit ſe ab eius cura omnino ſe abſtrahere, & nequaquam cum eo vlteriùs panem communem ſumere velle. Tum verò mulier de morte viri Dei cœpit tractare, inuidiæ facibus ſuccenſa, eò quòd à viri ſui illicito concubitu per verba eius ſeparata eſſet, inceſſantérque in aures viri ſui inuidiæ & odij fomitem ingeſſit contra virum Dei, dixitque in Principis ignominiam hoc egiſſe Epiſcopum, ideóque mortis eſſe reum. At rem ipſam Princeps idem diligenter perpendens, patientiæ ſeruans cuſtodiam, aditum claudi iuſſit, ne tantus à ſe vir Dei recederet irâ permotus. Ipſéque cum Primatibus ſuis Palatium egreſſus, viri Dei prouoluebatur veſtigiis, ſatisfactionem ſpopondit, magníſque precibus atque blanditiis, necnon & muneribus motum mitigauit Epiſcopum, & tandem ægrè pacis oſculum à beato promeruit Epiſcopo, & ſic iterum pariter communem ſumpſe-*

[a] L. 7. n. 18.

IN MAGNA EXISTIMATIONE APVD GRIMOALDVM DVCEM BOIOARIÆ.

Digitized by Google

runt cibum. Cœperúntque viro Dei diuitiæ, quas non amabat, quotidie accreſcere, & loca augeſcere. AN. CH.

Idem Auctor duo proximè ſubiicit inſignia miracula. Primum ſic. *Cùm quadam die in Epiſcopio Friſingæ ſederet, moleſtiâ corporis correptus, more ſolito in vicinum montem ad Oratorium beati Stephani Martyris venire nequiuit ad matutinas Deo perſoluendas laudes. Clerum itaque excitans, illuc ire præcepit. Illíſque aſcendentibus vox pſallentium in Eccleſia obuiam illis venit, tantáque concordia modulaminis magis ac magis in aures audientium ſe intulit, quantò ad Eccleſiam propiùs accedebant. Ex feneſtris quoque & tecto tanta vis clari luminis radiabat per latera eiuſdem montis, vt claritatem diei ſuperaret. Illis ergo feſtinantibus & Eccleſiæ ianuam ingreſſis, tantus claritatis fulgor euanuit, odor tamen incredibili ſuauitate ibi triduo permanſit. Clerici quoque nimio timore perterriti, & velut mortui corruerunt in terram, alij ante fores, alij limina Eccleſiæ ingreſſi. Vbi tandem vires recepere, domum cucurrerunt, & omnia viro Dei indicarunt. His ille auditis ſe illuc deferri præcipiens, ibi ad manendum domum ſibi conſtrui iuſſit exiguam.* Alterum ſic. *Cùm autem miniſtri de aquarum penuria propter altitudinem montis, quòd ibidem quotidie ferendo laſſarentur, murmurare cæpiſſent, vir Dei quodam die diluculo conſurgens, ſolus montis latera circumiens, in plaga meridiana ad orationem ſe humi proſtrauit. Quâ completâ, baculum, quo ſuſtentabatur, in terram defixit. Cúmque paululum perfodiſſet, tanta mox ex eadem fouea aquarum emanauit abundantia, vt ad totius cellulæ miniſterium ſufficeret, inſuper & vſque ad montis imam crepidinem deflueret, & eo viuente numquam deeſſet.* Quid autem poſt eius obitum contigerit, exponemus ſuo loco.

724. THEODOR. IV. R 4.

XXXIX. CLARET MIRACVLIS.

XL. DEOTILA ABBATISSA BLANGIACENSIS OBIT.

Obiit hoc anno Deotila Blangiacenſis Abbatiſſa. *Rexit* enim *regimen loci illius vnà cum pia ac ſanctiſſima matre* Bertha *annis viginti & nouem*, vt vetus Anonymus in ipſius Berthæ vita teſtatur. Bertha filiæ ſuæ quinquennio ſuperſtes vixit. Abbatiſſarum, penes quas cura Monaſterij poſt obitum Deotilæ fuit, exciderunt nomina, quia Cœnobium Blangiacenſe funditus à Nortmannis dirutum fuit.

XLI. IZITVS DVX ARABVM OBIT.

Hoc anno, quinto Kalendas Iunij, cœptus eſt annus Arabum centeſimus ſextus, & hic Iſcami apud Arabes regnantis primus numeratur. Izitus enim eius frater, qui anno Hegiræ centeſimo primo, die viceſimo-tertio menſis ſeptimi ſeu *Rageb*, id eſt, ſeptimo Idus Februarias, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo regnare cœpit, apud Theophanem regnat annis quatuor, apud Rodericum [a] *quarto Regni ſui anno completo* vitam finit, apud Georgium Elmacinum [b] imperat *annos* 4, *& dies* 29, ſeu menſem vnum, cui biduum addimus, quoniam ille initium Principatûs in diem viceſimum-quintum menſis Regiebi ſeu *Rageb* reiecit. Iſcamus igitur, qui Thomæ Erpinio Hiſiamus eſt, Iſidoro Pacenſi Iſcam, Roderico Toletano Hiſcam, Izito fratri, vt Georgius Elmacinus [c] teſtatur, ſucceſſit *die* 25 *menſis Siabani* ſeu Sahaueni, *anni* 105, id eſt, pridie Nonas Februarias, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto. Imperauit *annos* 19, *menſes* 7, *& dies* 11, ſiue *annos* 19, *& dies* 219. Obiítque *die ſexto Rabij poſterioris, elapſis annis Hegiræ* 124, *& diebus* 95, vel, vt reſtituendum videtur, *diebus* 94, id eſt, pridie Nonas Februarias, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio.

[a] In Hiſt. Arab. c. 12.
[b] Lib. 1. c. 16.
[c] Lib. 1. c. 17.

XLII. SVCCEDIT ISCAMVS EIVS FRATER.

De illo Calipha ſiue Amiramomeno ſic Rodericus Toletanus capite duodecimo Hiſtoriæ Arabicæ, ex editione Thomæ Erpinij. *Izit quarto Regni ſui anno completo vitam finiuit, & fratrem ſuum, Hiſcam nomine, inſtituit ſucceſſorem, tali pacto, vt filius eius proprij ſeminis, Abulit nomine, fratri ſuccederet in honorem. Hiſcam autem in ſuæ primordiis poteſtatis, anno Regni Arabum centeſimo ſeptimo, ſatis modeſtum & pacificum ſe oſtendit, & regnauit annis viginti & vno. In Romania & in partibus Orientis proſperè multa geſſit, non præſentialiter, ſed per duces terrâ & pelago deſtinatos, & in Occidentis partibus nihil egit præclarum.* Cum illius exercitibus Franci ſæpè conflixerunt, vt ſuis locis dicemus. Eam ob cauſam, de tempore, quo regnauit, adeò ſollicitè inquirimus. Corri-

Digitized by Google

AN. CH. 724. THEO-DOR. IV. R. 4. gendus ſanè Rodericus textu proximè citato, vbi ſcribit Iſcamum *anno Regni Arabum centeſimo ſeptimo* cœpiſſe regnare, nam paulò pòſt eodem capite annum ſextum Iſcami cum anno Arabum centeſimo vndecimo bis comparat; ſemel ſic, *anno itaque Regni Arabum centeſimo vndecimo, Hiſcam verò ſexto ſuſcepit Regnum Arabum in Hiſpaniis Odoyſa;* iterum ſic, *Temen filium Abinazæ ad regimen Hiſpaniæ deſtinauit, anno Regni Arabum centeſimo vndecimo, Hiſcam verò ſexto;* vnde patet ex ipſiuſmet Roderici opinione primordia Iſcami cum anno Arabum centeſimo quinto coincidiſſe. Eſt & alius error in textu Roderici præcitato, Iſcamus enim non regnauit annos XXI, ſed tantùm XIX, eóſque rotundos in calculis Chriſtianorum, ſed in Arabica computatione ſuperaddendæ menſium dierúmque minutiæ, de quibus ſuprà.

---

725. THEO-DOR. IV. R. 5.

ANNVS
CHRISTI 725.
THEODORICI IV. R. 5.

I. IN Annalibus Nazarianis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum tria ſic perſtringuntur. *Hrothrudis mortua. Betto mortuus. Sarcini venerunt primitus.* In aliis Annalibus altum de Bettone ſilentium, nec quis ille fuerit, vllibi legitur. Alia duo fuſiùs ſunt exponenda.

II. CAROLVS ROTRVDEM VXOREM AMITTIT. Hrotrudem ſeu Chrotrudem hoc anno mortuam non tantùm Annales Nazariani ſed etiam Petauiani produnt. Fuit hæc prior vxor Caroli, qui Carolomannum, Pippinum aliáſque proles ex ea ſuſcepit. Eodem autem anno quo Carolus Rotrudem amiſit, in Boioaria primùm dimicauit, aliámque coniugem duxit. Belli Boioarici mentionem ad hunc annum ſic facit Annaliſta Petauianus. *Anno* DCCXXV. *Quando Karolus primùm fuit in Bawarios, & Chrotrudis moritur.* Et Tilianus. *Anno* DCCXXV *Karolus primùm pugnauit in Baioaria.* Necnon Auctor Chronici San-Dionyſiani ſic. *Anno* DCCXXV *Karolus primùm fuit in Baioaria.* Regino non recedit ab hoc computo, victoriam enim, quam Carolus de Boioariis reportauit, ſic laudat. *Carolus Princeps X anno regni ſui cum Baioariis pugnauit, eóſque vicit.* Hic Auctor à die, quo Carolus è cuſtodia liber euaſit, eius Principatum ſeu regimen auſpicatur, annorúmque ſex ac viginti ſpatio circumſcribit, mortémque anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo collocat, itaut nemini dubium eſſe poſſit, quin annum decimum Caroli Maioris-domûs cum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-quinto compararit. Andreas Brunnerus [a] bellum illud Boioaricum bienne conſtituit, ſcribítque confectum annis Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo & ſeptingenteſimo viceſimo-tertio. *Carolus*, inquit, *Pipini ex Alpaide filius, qui Martellus dictus eſt, anno ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo Boios bello deuicit, cauſa non proditur; rebellionem fuiſſe ſuſpicor, quæ ſequenti anno infeliciter reſumpta Carolum iterum in Boicam traxit, qui ſubactam prouinciam partis longâ pace theſauris multauit.* Huius opinionis auctor Annaliſta Fuldenſis. Bellum enim Andegauenſe, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto geſtum eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo conſignat, deinde ad annos proximè ſequentes de Boioariis, quos & Noricos vocat, ita loquitur. *Anno* DCCXXII *Carlus Alamannos & Baioarios armis ſubegit. Anno* DCCXXIII *iterum Alemanni & Norici pacis iura temerare nituntur.* Carolus in Boioaria bellum duobus annis continuis haud geſſit, ſed, vt Annaliſta Tilianus & Auctor Chronici San-Dionyſiani teſtantur, in Boioaria ſemel pugnauit an-

BELLVM GERIT IN BOIOARIA.

[a] Lib. 5. n. 8.

Digitized by Google

no Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto, iterum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodetriceſimo. Præterea vetuſtiſſimi Annaliſtæ, cùm de Caroli profectione in Boioariam agunt hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-quinto, nullam Alamannorum mentionem faciunt, quos Auctor Annalium Fuldenſium tunc Boioariis fœderatos inſinuat, nec huic Scriptori fauet Hiſtoria iuſſu Childebrandi ſcripta, cuius textum infrà deſcribemus. AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

III. CORBINIANVS EPISC. FRISINGENSIS FVGIT INSIDIAS PILITRVDIS.

In vita Sancti Corbiniani, primi Friſingenſi Epiſcopi, quam Aribo quartus eiuſdem ciuitatis Antiſtes in literas retulit, mentio fit belli Boioarici, quod hoc anno geſtum eſt, narrantúrque multa ſcitu digniſſima, quorum lectione palàm fit Deum vſum Carolo, vt inſidias Corbiniano paratas vlciſceretur. *Cùm quadam die vir Sanctus veſpertinâ horâ ad Eccleſiam beatæ Mariæ in caſtro Friſingenſi ad perſoluendas Deo laudes veniret, ecce quædam mulier ruſtica cum muneribus ei obuiam perrexit, quæ de maleficij ſuſpicione iam anteà viro Dei fuerat delata. Ibant cum ea onuſti carnibus viri, & animal viuum ſecum ducebant. Quod vir Dei cernens, ſubtiliter inquiſiuit, quinam eſſet illius aduentus. Ad hæc mulier doloſa quandam in iuuentutis flore Principis ſobolem quibuſdam illuſionibus dæmonum aſſerebat fuiſſe commotam, ſéque ſuo carmine ſuíſque artibus ad ſalutem perduxiſſe gloriabatur, & inde hæc xenia apportare. Quibus auditis vir Dei vehementer expauit, & ex equo proſiliens, tanto commouebatur zelo, vt ipſe eam propriis non parceret manibus cædere, & cuncta, quæ cum ea portabantur, xenia ad portam ciuitatis, domum reuertens, pauperibus diſtribuens, perfidiam Principis non ceſſaret deflere. Socia verò antiqui hoſtis, vt ſerpens in paradiſo, ſparſis crinibus, receptis viribus, cruentatâ facie, Principis ſeſe offerebat obtutibus. Quam cùm ita flentem* Pilitrudis *inceſta vxor* Grimoaldi *Principis videret, diabolico inſtinctu, furore incenſa, vultu mutato, vim veneni, quam in corde ferebat, adſpicientibus demonſtrauit, vitam Epiſcopo auferre volens. Quod tamen viro indicare diſtulit, ſed clàm ei inſidias in ſuam perniciem præparare non diſtulit, cuidam Secretario ſuo, nomine Nino, occultè præcipiens, vt cùm ab eadem villa receſſiſſet Epiſcopus, collectis famulis, eum interimeret. Cúmque ad aliam pergere vir Dei diſponeret villam, quidam Deum timens, per fratrem ipſius Epiſcopi beatæ memoriæ Erimbertum ei demandare curauit, quòd in eadem nocte æquiſſimo mulieris conſilio occideretur, niſi ſe mutatione loci ſtudioſè ſeruaret. His dictis fidem Epiſcopus adhibuit, & intempeſtæ noctis ſilentio occultè ſe ad aliam contulit villam. Inde ſequente crepuſculo ecce Ninus ille collectis famulis domum viri Dei circumcinxit, & eum diligentiſſimè inquirentes, vt interficerent, ſed minimè reperientes, cunctis ædificiis euerſis, vacui & confuſi reuerſi ſunt. Epiſcopus autem, ſumpto ſecum Clero, locum reliquit, ad Magienſe caſtrum perrexit, per quendam ex ſuis Principi demandauit, quod ſub omni celeritate ipſa maligna mulier in foueam, quam ipſi parauerat, corrueret, & ipſe citò vitam finiret. Eas inſidias ſuæ coniugis vbi Grimoaldus cognouit, & abſceſſum viri Dei, miſit, & humiliter eum, vt rediret, rogauit. Ille autem minimè aſſenſit, ſed Iezabelis peſſimæ mulieris inſidias oportere cauere dixit.*

IV. PVNITVR PILITRVDIS CVM DVCE GRIMOALDO.

Vltio diuina ſtatim ſecuta. Carolo in Boioariam aduentante diſſipata Grimoaldi domus; eius ſoboles morbo conſumpta; ipſe per inſidias interemptus; Ninus lanceâ confoſſus; Pilitrudis in Galliam à victore abducta; liberíque, quos Theodebaldo pepererat, priuatam vitam agere coacti. Breuiter hæc Aribo ſic complectitur. *Quæ verò tales inſidias*, quas videlicet Pilitrudis Corbiniano Epiſcopo per Ninum parauerat, *fuerit ſecuta vindicta, ſilentio non eſt premendum. Filius eius*, nempe Grimoaldi, *quem nefando carmine, vt diximus, machinis diaboli mulier incantauerat, rebus exceſſit humanis. Eóque mortuo Grimoaldus ab inſidiatoribus interfectus eſt. Prædictus verò Ninus, qui necem Epiſcopo afferre voluit, probroſâ morte vitam finiuit. Cùm enim ventrem purgaret, lanceâ percuſſus interiit. Ad vltimum verò Piltrud Carolum in Gallias ſequens, pro meritis ſuis ab eo repudiata, omnem honorem & gloriam perdidit, pro-*

Digitized by Google

AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

priíſque exuta ſubſtantiis, nouiſſimè nihil niſi vnum aſellum ad ſubuectionem poſſidens in Italia vitam finiuit. Natíque eius, qui ex illius prodierant vtero, cum multa tribulatione regno, id eſt, præfecturâ Boioariæ, *priuati*. Hos Pilitrudis filios genitos à Grimoaldo putat Ioannes Adlzreitterus [a], ſed genitos potiùs exiſtimamus à Theodobaldo Grimoaldi fratre, quocum Pilitrudis legitimas, vt antè dictum eſt, nuptias contraxit. Idem Auctor, cùm Grimoaldi mortem in annum Chriſti ſeptingenteſimum duodetriceſimum ex Annalium fide reiicit, in deprauatum Codicem videtur incidiſſe, Aribo enim ſuprà citatus haud obſcurè docet Grimoaldum eodem anno interiiſſe, quo Carolus bellum in Boioaria geſſit, & Pilitrudem in Galliam ſecum abduxit.

[a] Lib. 7. n. 20.

V. PLECTRVDIS DISTINGVITVR A PILITRVDE.

In Annalibus Boiorum apud Ioannem Auentinum [b], belli Boioarici, de quo nunc agimus, omnis cauſa refunditur in Plectrudem Pippini quondam Maioriſdomûs viduam, quæ Carolum acerrimis odiis proſecuta fugerit in Boioariam, & Grimoaldum illius prouinciæ Ducem ſeu Gubernatorem ad defectionem ſuis exhortationibus impulerit. At vocum ſimilitudine deceptus Plectrudem pro Pilitrude perperam accepit. Plectrudis poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum, quo Theudoaldi nepotis ſui mortem defleuit, & adminiſtrationem Auſtraſiæ Carolo è cuſtodia dilapſo delatam vidit, vitam ſüam longè aliter inſtituit, animum enim à rerum ſecularium cura penitùs reuocauit, &, vt Ægidius Gelenius Coloniæ ad Sanctum Andream Canonicus libro tertio [c] de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine teſtatur, *Deo ſe totam, & ſua Capitolinæ Eccleſiæ*, in qua cœtum Monialium à multis annis congregarat, *impendens, obiit in ſenectute bona in medio Baſilicæ ſepulta, cuius anniuerſaria memoria vndecimâ die Auguſti ibidem peragitur.* Quonam anno ex hac vita migrarit, haud ſcimus. Fortè nec ad annum vſque vixit, quo Carolus aduersùs Grimoaldum Boioariæ Præfectum mouit. Eius munificentia erga Eccleſiam Capitolinam, ſepultura, ſanctitas, laudantur in Carmine, quod Ferdinandus & Georgius Ludouicus Comites *in Schewartzenburg* apud eundem Gelenium ſic edunt.

[b] Lib. 3.

[c] Syntagm. 9.

LAVDATVR OB MVNIFICENTIAM ERGA ECCLESIAM CAPITOLINAM COLONIÆ.

Hic, vbi nunc cernis Capitolia ſtructa, Viator,
Aula fuit Ducibus, Principibúſque domus.
Aula fuit, ſed magnifico iam Regia luxu
Inſcribi Titulo conueniente poteſt.
Non cuius tectum radiante refulgeat auro,
Aut latus argento veſtibulúmque micet.
Sed gazis opulenta ſacris, & ſplendida Diua
Plectrudis meritis Relliquiíſque potens.
Cedant belligerûm Capitolia celſa Quiritum
Inceſto quondam templa dicata Ioui.
Hic ſacra ſupremi Capitolia cerne Tonantis
Non niſi virgineis templa ſacrata choris.
Templa triumphali veteres ſubiere quadrigâ,
Hoſtis vbi fauſto Marte ſubactus erat.
Ex his, Angelicis Plectrudis vecta quadrigis
Æthera tranſcendit cælituúmque domos.

VI. Aliam belli Boioarici cauſam fruſtrà quæras præter audaciam Grimoaldi, qui Theodorico Rege puero & Carolo Maioredomûs Neuſtraſianis rebus occupato iugum Francorum excutere voluit, & ſupremum apud Boioarios imperium per inſignem temeritatem ambiuit. Caroli profectionem in Boioariam cum exercitu non omiſit Anonymus in Hiſtoria [d] iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta; tempus, iter, victoriam paucis ita complexus eſt. *Secutis diebus, euoluto anni circulo*, ex quo de Raganfredo apud Andegauum déque Saxonibus proximè nominatis triumpharat, *coactâ agminum*

[d] Cap. 108.

Digitized by Google

multitudine Carolus *Rhenum fluuium tranſiit, Alemannóſque & Suauos luſtrat, atque Danubium peraccesſit, illóque tranſmeato fines Baiorenſes occupauit. Subactâ regione illâ, theſauris multis, cum matrona quadam Bilitrude, & nepte ſua Sonichilde egreditur.* De belli Boioarici tempore diſputatum ſuprà, nec cuiquam poteſt eſſe dubium, quin anno poſt Andegauenſe ac Saxonicum primo, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto geſtum ſit. Iter Carolo in Boioariam fuit per Alamanniam ſeu Sueuiam, ſed Alamannos ſeu Sueuos in fœderis ac rebellionis ſocietatem cum Boioariis aduersùs Francos veniſſe non prodit textus ſuprà recitatus. Idem Carolus in Galliam reuerſurus Hugiberto ſiue Hucberto Grimoaldi fratri Præfecturam Boioariæ commiſit, deinde captis Grimoaldi theſauris cis Rhenum remeauit habens in comitatu Pilitrudem ſeu Bilitrudem, quæ variarum inter Corbinianum Friſingenſem Epiſcopum & Grimoaldum Boioariæ Præfectum cauſa foméſque diſcordiarum fuerat, necnon eiuſdem Bilitrudis neptem Sonichildem, quam ſibi coniugem ſociauit Grifonis matrem futuram. Bis igitur Carolus vxorem duxit, primò Rotrudem, cuius obitum Annaliſta Petauianus hoc eodem anno conſignat quo geſtum eſt bellum Boioaricum, deinde Sonichildem de qua mentionem ſæpè facturi ſumus. Caue ne Pilitrudem Carolo quoque nuptam atque ab eo poſteà repudiatam putes, quia de illa ſic Aribo loco iam citato loquitur. *Ad vltimum verò Pilitrud Carolum in Gallias ſequens, pro meritis ſuis ab eo repudiata, omnem honorem & gloriam perdidit.* In illo textu vox *repudiata* non ſumenda eſt in propria ſignificatione, non enim vxorem ſignificat à marito repudiatam ſed mulierem eiectam ſiue ablegatam è comitatu. Pilitrudis in Galliam cum Sonichilde nepte ſua, id eſt, fratris aut ſororis filia, venit; apud Carolum neptis ſuæ virum valuit gratiâ non mediocri; ſed paulò pòſt excidit ex hoc loco; & è regno Francorum abire iuſſa, in Longobardiam ſe recepit, auctórque fortè fuit diſcordiarum, quæ inter Luitprandum Longobardorum Regem & Hugibertum Boioariæ Ducem poſteà pullularunt.

AN. CH. 725. THEODOR. IV, R. 5.

CAROLVS VXOREM DVCIT SONICHILDEM.

VII. HVGIBERTVS DVX TOTIVS BOIOARIÆ CONSTITVTVS REVOCAT CORBINIANVM EP. FRISINGENSEM.

Hugibertus, ſiue, vt Aribo vocat, *Hucbertus*, qui ſolus è Theodonis Quinti filiis ſupererat, cùm totius Boioariæ Præfecturam ſuſcepiſſet, tot triſtibus motus exemplis, per quæ Deus acerrimam vltionem de iniuria Corbiniano Epiſcopo illata ſumpſerat, & raptus in admirationem virtutum, quæ micabant in tanto Pontifice, ſtatim *humaniſſimè & ſummo cum honore virum Dei ad ſe reuocauit, cúmque tanto venerabatur ſtudio, vt ſanctis eius meritis dignum erat, atque etiam ſacro fontis lauacro eum ſibi ſociauit.* Quæ Corbinianus poſt ſuum è Maienſi caſtro reditum geſſit, obliuione ſepulta ſunt, Auctor enim vitæ mox ad eius mortem exequiáſque tranſit, de quibus poſt quinquennium agemus.

VIII. SARACENI IN FRANCIAM IRRVMPVNT.

Eodem autem anno quo Carolus in Boioaria *primùm* pugnauit, Saraceni, ſiue, vt Annaliſta Nazarianus ſcribit, *Sarcini venerunt primitus.* At ſub ea voce *primitus* nonnihil difficultatis latet, neque enim hoc anno in Franciam primùm irruperunt Saraceni, quos ante quadriennium Toloſam vrbem nobilem Franciæ ditionis obſediſſe, & ab Eudone Aquitaniæ Duce ſeu Præfecto profligatos fuiſſe diximus eodem nixi Annaliſtâ Nazariano, apud quem de Sarcinis ſeu de Saracenis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum hæc leguntur. *Eiecit Heudo Sarcinos de Aquitania.* Vt Annaliſta Nazarianus, ſic & Petauianus, duas priores Saracenorum in Franciam irruptiones diſtinguit. Vnam ſic, *anno* DCCXXI. *expugnauit Eodo Saracenos de terra ſua*, id eſt, de finibus ſuæ Præfecturæ ſiue Aquitaniæ cui Toloſa tunc attribuebatur. Alteram ſic, *anno* DCCXXV. *quando Karolus primùm fuit in Bawarios, & Chrotrudis moritur, & Saraceni venerunt.* Poſterior hic Annaliſta voce *primitus* abſtinuit, quâ prior ad ſecundam Saracenorum irruptionem deſignandam vſus eſt. Vt autem ambo Annaliſtæ ſimul concilientur, Nazarianus hac benignâ indiget interpretatione. Saraceni

Digitized by Google

AN. CH. anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo factâ in Franciam leui impreſ-
725. ſione ſtatim receſſerunt clade quoque & ignominiâ propter ſolutam Tolo-
THEO- ſanæ ciuitatis obſidionem affecti. Deinde anno Chriſti ſeptingenteſimo vi-
DOR. IV. ceſimo-quinto *venerunt primitus* in eandem Franciam, id eſt, oppida & vr-
R. 5. bes *primitus* ſeu primâ vice Francis ademerunt, ſuámque dominationem per Aquitaniam pulſis Francorum præſidiis cœperunt dilatare.

IX. Saracenos per Diœceſim Cadurcenſem, vbi Calabrenſe Monaſterium, tunc effuſos vel ex Sanctæ Mundanæ Martyrio colligimus, de quo Bernardus Guidonis in vita [a] Sancti Sacerdotis Lemouicenſis Epiſcopi ſic ſcribit. *Longo verò poſt tempore ab obitu Sancti Sacerdotis, dum piis lachrymis Sancta Mundana filij ſui Mauſoleum irrigaret, ſub Vandalica perſecutione, interemptione gladij impiorum occubuit, & propter inſuperabilem Chriſti confeſſionem Martyrium ſuſtinens palmam Martyrij obtinuit. Porrò corpus eius à fidelibus eſt collectum, & iuxta filij ſui Sancti Sacerdotis ſepulchrum diligenter humatum, vbi diuinâ operante gratiâ multa miracula ſunt patrata.*

[a] Cap. 12.

MVNDANAM S. SACERDOTIS MATREM INTERFICIVNT IN DIOECESI CADVRCENSI.

X. De Sancti Sacerdotis ætate ſuprà non ſemel diſputatum. Eius ortum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo ſeptuageſimo, obitum anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo viceſimo conſignauimus. Sancto Sacerdoti mater fuit Sancta Mundana. Ex ætate filij, matris ætatem collige. Si filius quinquagenarius obiit, mater vltra quinquennium vix ei ſuperſtes fuit. Illa nos ratio potiſſimùm impulit, vt Sanctæ Mundanæ Martyrium, quod in perſecutione Vandalica ſeu Saracenica contigit, ad hunc annum referremus, quo Saraceni ſuas primùm ditiones per Aquitaniam auxerunt occupatis aliquot locis, vbi Franci priùs dominabantur. Nec te moueat, quòd Vandalos cum Saracenis confundimus. Id enim Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana iam præſtitit, cùm in elogio Sancti Ceſſatoris Lemouicenſis Epiſcopi, *qui*, teſte Bernardo Guidonis, *multùm & diu contra Vandalos dimicauit*, Vandalorum nomine *Saracenos & infideles quoſlibet* intellexit. Et Petrus Franciſcus Chiffletius in Paulino illuſtrato [b] non tantùm obſeruauit Vandalos à probatiſſimis Auctoribus pro Hunnis, Alanis, aliíſque barbaris vſurpatos fuiſſe, ſed & duo ſubiecit plurimùm aduertenda; primum, quòd Gregorius Magnus [c] cùm Italiam æuo Paulini Nolenſis Epiſcopi vaſtatam à Vandalis ſcribit, Vandalorum vocabulo Alaricum Gothorum Regem ipſóſque Gothos deſignat; alterùm quòd *eo etiam Vandalus fuit ſequentium ſeculorum vſu, quo & Romani & Catholici nominis immaniſſimus hoſtis*, itaut octauo ſeculo pro Saraceno capi poſſit. Andreas Sauſſaius ſimiliter in die natali [d] Sancti Ceſſatoris Epiſcopi, quos *Vandalos* Bernardus Guidonis ſuprà citatus dixit, *Saracenos* appellauit, illum enim beatiſſimum Lemouicenſis vrbis Antiſtitem hac affecit laude, quòd *zelo Dei plenus viriliter contra Saracenos in Aquitaniam irruentes decertauit*. Hic Auctor in encomio Sanctæ Mundanæ Viduæ ac Martyris, quod ſupplemento [e] Martyrologij Gallicani inſeruit, Vandalorum loco, quos Bernardus Guidonis in vita Sancti Sacerdotis ſuperiùs allegata ſcripſit, Saracenos quoque potuit ſubſtituere, ſed à Vandalorum Saracenorúmque nominibus abſtinuit, & Hiſtoricæ veritati ſatis conſultum eſſe duxit, ſi beatam Mundanam *à barbaris Gallias vaſtantibus* impiè mactatam affirmaret, quos enim barbaros octauo ſeculo præter Saracenos in Aquitaniam irrupiſſe quis ſuſpicetur?

CVR DICTI VANDALI.

[b] Part. 2. c. 17.

[c] Lib. 3. Dial. cap. 1.

[d] Martyrol. Gallic. d. 15. Nou.

[e] D. 5. Maij.

XI. Vandalorum nomen in Galliis à longiſſimo tempore non audiebatur. Arcadio Auguſto ſextùm & Probo Conſulibus, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo ſexto, *Vandali & Alani*, vt Proſper in Faſtis tradit, *Gallias traiecto Rheno pridie Kalendas Ianuarias ingreſſi*. Triennio nondum expleto relictâ Galliâ tranſierunt in Hiſpaniam. De illis enim ad annum Chriſti quadringenteſimum nonum, qui Honorio Auguſto ſeptimùm & Theodoſio Auguſto ſecundùm Conſulibus notatur, idem Auctor ſic ſcribit. *Vandali Hiſpanias occupauerunt*. Deinde in iiſdem Faſtis, Hierio & Ardabure Conſulibus, ſiue

Digitized by Google

ſiue anno Chriſti quadringenteſimo viceſimo-ſeptimo, *gens Vandalorum ab Hiſpania ad Africam tranſit.* Denique Dioſcoro & Eudoxio Conſulibus, id eſt, anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo-ſecundo, *cum Ginſirico* Rege Vandalorum *ab Auguſto Valentiniano pax confirmata, & certis ſpatiis Africa inter vtramque diuiſa eſt.* Abhinc Vandalorum Regnum in Africa per annos duos ac nonaginta ſtetit, extinctúmque eſt anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto, ſiue Paulino Iuniore Conſule, Indictione duodecimâ, vt Marius Lauſannenſis Epiſcopus ad illum Conſulatum illámque Indictionem his verbis in ſuo Chronico declarat. *Eo anno, Africa Romano Imperio poſt nonaginta & duos annos per Beleſarium Patricium reſtituitur, & Gelimer Rex Vandalorum captiuus Conſtantinopoli exhibetur, & Iuſtiniano Auguſto cum vxoribus & theſauris à ſupraſcripto Patricio præſentatur.* En variæ migrationes, quæ non tantùm quando in Gallia, ſed etiam quando in Hiſpania & Africa Vandali regnare deſierint, palàm oſtendunt. Atque inde colligere eſt barbaros, qui Diœceſim Cadurcenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimoquinto vaſtarunt, & beatam Mundanam, ad Sancti Sacerdotis ſepulchrum orantem, impiè peremerunt, alios à Vandalis fuiſſe.

AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

XII. In Supplemento Martyrologij Gallicani, tertio Nonas Maij, Sancta Mundana ſic commendatur. *In territorio Petracoricenſi, Sanctæ Mundanæ Viduæ & Martyris, quæ Sancti Sacerdotis Epiſcopi Lemouicenſis mater, cùm ad filij ſepulchrum micans diuinis prodigiis deuotè oraret, apud Argentoratum à barbaris Gallias vaſtantibus impiè mactata, animam puro famulatu Deo gratam ad cæleſtia tabernacula tranſmiſit, quæ à Chriſtianis ſepulta prope eundem locum, Eccleſiæ ibi ad ſuam memoriam ædificatæ nomen ſuum venerabile indidit.* In illo textu nonnulla ſunt corrigenda. Loco enim Argentorati legendum *Argentacum*, vt eſt in vita Sancti Sacerdotis. Deinde apud Argentacum nec tumulatus Sanctus Sacerdos, nec occiſa mater eius Sancta Mundana. Sanctus Sacerdos Lemouicenſis Epiſcopus, cùm ab vrbe Lemouica profectus vicum Calabrum natale ſolum repeteret, in itinere apud Argentacum obiit tertio Nonas Maij, deinde naui impoſitus per alueum Dordoniæ delatus eſt ad prædictum vicum, ibíque ſepultus in Monaſterio, vbi primùm Monachus, tum Abbas fuerat, priuſquàm Epiſcopus ordinaretur. Hæc omnia in vita [a] Sancti Sacerdotis ſic enarrantur. *Sentiens Sancto ſibi Spiritu reuelante extremum diem ſui obitûs imminere, valedicens fratribus, ab vrbe Lemouica diſceſſit, & natale ſolum vicum Calabrum repetere ſtuduit. Ibi namque cupiebat vt eius conderetur corpuſculum, vbi Religionis ſumpſerat exordium. Recedens autem ab vrbe Lemouica venit ad quandam villam, quæ Argentacum vocatur, ibíque iam diu maceratus dolore, graui febrium afficiebatur acredine. Videns autem ſupremum ſibi illuxiſſe diem diſcipulos in vnum conuocauit, corpúſque ſuum Eccleſiæ, in qua Religionis ſumpſerat exordium, mandauit vt in ea traderetur Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Deinde ſuſceptis diuinis myſteriis, & viatico Dominici Corporis exitum ſuum præmuniens, poſt ſacræ exhortationis verba, ſpiritum reddidit Deo Patri, tertio Nonas Maij. Diſcipuli verò eius præceptum Magiſtri implere ſatagunt, corpúſque eius naui imponunt, & per Dordoniæ alueum iter arripiunt, & ad prædictum vicum Calabrum & Monaſterium deferunt tumulandum. Monachi verò præfati Monaſterij de Calabro occurrentes & ſacrum corpus de naui deponentes, ſuíſque humeris imponentes, ad Eccleſiam & Monaſterium, vbi Abbas extiterat & ſepeliri elegerat, detulerunt.* Non igitur in Argentaco villa ſed in vico Calabro ſepultus fuit Sanctus Sacerdos, ad cuius tumulum in eodem vico Martyrium poſteà ſubiit mater eius Sancta Mundana, de illa enim Bernardus Guidonis hæc proximè ſubiungit in prælaudata Sancti Sacerdotis vita [b]. *Dum piis lachrymis Sancta Mundana filij ſui Mauſoleum irrigaret, ſub Vandalica perſecutione, interemptione gladij impiorum occubuit. Porrò corpus eius à fidelibus eſt collectum, & iuxta filij ſui Sancti Sacerdotis ſepulchrum diligenter humatum.* Quieuerunt ambo in vico Calabro, donec Caroli Magni ætate tranſlati ſunt ad Sarlatenſe Monaſterium, & in

[a] Capp. 8. & ſeqq.

[b] Cap. 11.

Digitized by Google

AN.CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

Eccleſia Sancti Saluatoris digno cum honore tumulati. Meminit & iſtius Tranſlationis idem Auctor [a]. *Monachi*, inquit, *Monaſterij Sarlatenſis ad ſuperiùs nominatum vicum Calabrum iam penè in ſolitudinem redactum abeuntes nocte vnâ vtriuſque, ſcilicet Sancti Sacerdotis Confeſſoris & matris eius Sanctæ Mundanæ Martyris, ſepulchra confringentes, & eorum ſacra corpora colligentes, & inde ſecum apud Sarlatum * deferentes, intra Eccleſiam Saluatoris digno cum honore tumulauerunt. Facta eſt autem prædicta ſanctorum corporum Tranſlatio tempore Karoli Magni.* Hæc per anteceſſum notata ſunto, ne Sanctam Mundanam apud Argentacum vel Martyrio coronatam, vel ſepulturâ donatam putes.

[a] Cap. 14.
* Sarlat.

XIII. Prætereà ex iſta Tranſlatione conſtat diuerſa eſſe Monaſteria, Calabrenſe & Sarlatenſe, nam Sanctus Sacerdos è Calabrenſi vbi poſt obitum regnante Chilperico Tertio ſepulturam acceperat, ad Sarlatenſe tranſlatus eſt ætate Caroli Magni. Quapropter corrigendus Auctor Martyrologij Gallicani tertio Nonas Maij, cùm in elogio Sancti Sacerdotis Calabrum & Sarlatum ſic confundit. *Ad æternæ hæreditatis fruitionem lætanter perrexit Argentaci, vnde corpus, vt ſupremo voto edixerat, ad natale ſolum Calabrum delatum, ibidem funere honorifico tumulatum eſt in Cœnobio, cui deinde Sarlatum nomen, vbi Abbas fuerat.* Sancti Sacerdotis natale ſolum ſeu vicum Calabrum *ſitum inter Caturcenſium & Petragoricorum fines* ait Bernardus Guidonis in eiuſdem Sancti Sacerdotis vita [b]. Sarlatum autem à finibus Cadurcenſium remouetur, ad Diœceſim Petragoricenſem multis ſeculis pertinuit, vſquedum Epiſcopali faſtigio à Ioanne Viceſimo-Secundo Romano Pontifice inſignitum eſt, Abbatiali Baſilicâ Sancti Saluatoris in Cathedralem erectâ.

[b] Cap. 1.

XIV. Beati Sacerdotis encomium apud Sauſſaium bis inuenitur, ſemel tertio Nonas Maias in Martyrologio Gallicano, iterum quarto eaſdem Nonas in Supplemento prædicti Martyrologij. Vtrobique Auctor Calabrum cum Sarlato commiſcet. Textus Martyrologij recitatus eſt ſuprà. Supplementi textus talis eſt. *Quieſcit beatiſſimus Antiſtes* Sacerdos *in Eccleſia Cathedrali Sarlatenſi anteà Cœnobitica, ad quam ex Argentaco* (malè Argentorato) *pridem tranſlatus fuit, iam eiuſdem glorioſus tutelaris.* Ex villa autem Argentaco, vbi obiit, delatus eſt, vt præceperat, ad Monaſterium Calabrenſe, quod Auctor hoc loco Sarlatenſe nuncupat.

XV. Sanctus Sacerdos, quem Bernardus Guidonis ex hac vita *tertio Nonas Maij* ſublatum ſcribit, in Tabulis Eccleſiaſticis quarto eaſdem Nonas celebratur. Inde factum exiſtimamus, vt tertio Nonas Maij Martyrologio Gallicano, & quarto eaſdem Nonas Supplemento prædicti Martyrologij ſit inſcriptus. Cur autem ſanctæ quoque Mundanæ memoria tertio eaſdem Nonas recolatur, hæc potiſſima ratio videtur eſſe, quòd Sanctus Sacerdos eius filius eodem die ante aliquot annos defunctus eſſet, niſi matrem dicas à Saracenis interemptam, *dum piis lachrymis filij ſui Mauſoleum* in anniuerſaria obitûs die *irrigaret.* Quicquid ſit de die, quo Sancta Mundana Martyrium ſubiit, eodem die meritò cum filio colitur, diu enim quieuerunt in Eccleſia Calabrenſi, ſimúlque poſteà tranſlati ſunt ad Sarlatenſem, vbi piam fidelium venerationem hodiéque recipiunt.

XVI. De bello, quod hoc anno Saraceni Francis intulerunt, intelligendus eſt Anaſtaſius in vita Gregorij Secundi Papæ, vbi ſic ſcribit. *Nefanda Agarenorum gens, cùm iam Hiſpaniarum prouinciam per decem tenerent annos peruaſam, vndecimo anno Rhodanum conabantur fluuium tranſire, ad Francias occupandum, vbi Eudo præerat. Qui factâ Francorum generali motione contra Saracenos, eos circundantes interfecerunt. Trecenta enim ſeptuaginta-quinque millia vno ſunt die interfecti, vt eiuſdem Eudonis Francorum Ducis miſſa Pontifici epiſtola continebat. Mille tantùm quingentos ex Francis fuiſſe mortuos in eodem bello * dixerunt. Adiiciens quòd anno præmiſſo in benedictionem à prædicto viro eis directis * tribus ſpongiis, quibus ad vſum menſæ Pontificis apponuntur, in hora quâ bellum committebatur, idem Eudo Aquitaniæ Princeps populo ſuo per modicas partes tribuens*

* libello dicebat.
* directum.

Digitized by Google

ad ſumendum eis, nec vnus vulneratus eſt, nec mortuus ex his, qui participati ſunt. AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

XVII. Chronologia rectiſſimè conuenit. Arabes traiecto freto Gaditano in Hiſpaniam ex Africa primùm tranſierunt anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo, Erâ ſeptingenteſimâ quinquageſimâ, currente tum anno Hegiræ nonageſimo-tertio, vt probatum eſt ſuprà. *Biennio* totam Hiſpaniam occuparunt, vt Garcias Loaiſa teſtatur in Chronologia Conciliorum Hiſpaniæ, quæ temporibus Gothorum Regum ſunt indicta. Quapropter apud Rodericum Toletanum libro tertio [a] de rebus Hiſpaniæ *finitur gloria Gothica Maieſtatis Ærâ* DCCLII, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto. Annus igitur pòſt vndecimus, quo Saracenos Anaſtaſius à Francis profligatos aſſerit, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto illigabatur.

[a] Cap. 11.

XVIII. Licèt huius Auctoris Character Chronologicus cum Hegira Saracenorum, cum Era Hiſpanorum, cum Annalibus Francorum tam benè conſentiat, textus tamen ſuprà citatus eget emendatione, nec adeò facilè corrigi poteſt, quia mutilus eſt ac deprauatus. De vtroque vitio ſingulatim agemus.

XIX. Primæ periodi pars hæc mutila eſt. *Rhodanum conabantur fluuium tranſire, ad Francias occupandum, vbi Eudo præerat.* Saraceni enim Wiſigothis è Mauritania Tingitana, ex vniuerſa fermè Hiſpania, & è Septimania pulſis, dominationem quidem ſuam ad fines vſque Francorum propagarunt, & Rhodanus, qui Francorum Wiſigothorúmque limes ab anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-ſexto fuerat, eoſdem Francos à Saracenis diſterminare cœpit, ſed nec Wiſigothos, nec Saracenos ab ea ſeparauit Franciæ parte, cuius adminiſtrationi præpoſitus à Rege Dux Eudo. Qua de cauſa ſenſum, qui mutilus eſt, ita reſtitue. *Rhodanum conabantur fluuium tranſire, cúmque illud exequi non poſſent aliò ſe mouerunt ad Francias occupandum, vbi Eudo præerat*, id eſt, ad occupandam Aquitaniam, quæ fidei regiminíque Eudonis Ducis commiſſa fuerat. Inter varias Anaſtaſij lectiones, quæ prodierunt è Typographia Regia, vna ſic habet. *Vndecimo anno cum vxoribus & paruulis venientes, Aquitaniam Galliæ prouinciam quaſi habitaturi ingreſſi ſunt.*

XX. Poſtrema periodus deprauata eſt. *Adiiciens quòd anno præmiſſo in benedictionem*, &c. Nec inde quidquam colligi poteſt, niſi quòd Eudoni Duci, qui Saracenos ad Toloſam profligarat, Gregorius Papa genus aliquod eulogiarum tranſmiſit, quarum qui participes facti ſunt, è prælio illæſi abierunt.

XXI. De loco, vbi certatum, nihil inuenimus. Caue ne Carolum, qui bellum in Boioaria tunc gerebat, pugnæ credas interfuiſſe, quia Paulus Diaconus & Auctor Annalium Fuldenſium id teſtari videntur. Paulus in Geſtis [b] Langobardorum, de Saracenorum irruptione ac ſtrage ſic ſcribit. *Ex Aphrica transfretantes vniuerſam ferè * Hiſpaniam inuaſerunt. Deinde poſt annos decem cum vxoribus & paruulis venientes Aquitaniam Galliæ prouinciam quaſi habitatores * perpetui ingreſſi ſunt. Carolus ſiquidem cum Eudone Aquitaniæ Principe tunc diſcordiam habebat. Qui tamen in vnum ſe coniungentes contra eoſdem Sarracenos pari conſilio dimicarunt. Nam irruentes Franci ſuper eos trecenta ſeptuaginta * eorum millia interemerunt. Ex Francorum verò parte mille quingenti tantùm ibi ceciderunt. Eudo quoque cum ſuis ſuper eorum caſtra irruens pari modo multos interfecit *, omniáque deuaſtauit.* Et Auctor Annalium Fuldenſium, quem Petrus Pithœus ſub *incerti ſed vetuſti Scriptoris* titulo primus publicauit, ad annos Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum & ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum hæc habet. DCCXXV. *Sarraceni ab Eudone in auxilium ſuum vocati cum Rege ſuo Abdirama, Garonnam Burdigalémque perueniunt, cunctis locis vaſtatis & Eccleſiis igne crematis. Baſilicam quoque Sancti Hylarij Pictauis incendunt.* DCCXXVI. *Carlus Sarracenis cum manu valida occurrens, & auxilio Dei fretus, Regem eorum cum infinita multitudine proſtrauit, de-*

[b] L. 6. c. 14. vet. edit. c. 46. nouæ edit.

* In noua edit. deeſt *ferè*.

* In noua edit. *habitaturi ingreſſi ſunt.*

* In noua edit. *ſeptuaginta quinque.*

* In noua edit. *interficiens omnia deuaſtauit.*

AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

uictíſque hoſtibus cum triumpho regreditur. Locum hunc Annalium Fuldenſium ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum examinabimus.

XXII. Duo diſtingue prælia, quæ ſimul confunduntur in Geſtis Langobardorum & in Annalibus Fuldenſibus ſuprà citatis; vnum, quod hoc anno poſt occupatam à Saracenis Hiſpaniam vndecimo geſtum eſt; alterum, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo in Annalibus Nazarianis, Petauianis, Tilianis ac Metenſibus, & in Chronicis San-Dionyſiano ac Fontanellenſi conſignatur. Vtrumque autem commiſſum eſt regnante apud Arabes Iſcamo, qui Principatu per annos nouemdecim ab anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-tertium potitus eſt.

XXIII. Hoc anno, Saraceni nec Rhodanum nec Garumnam tranſierunt, ſed è Septimania viciníſque Diœceſibus Aquitaniæ, Ruthenenſi & Albigenſi, quas Wiſigothis pariter eripuerant, vlteriùs in Aquitaniam per Epiſcopatus Cadurcenſem & Petragoricenſem effuſi ſunt, cùm omnem Galliam ſpe iam deuoraſſent. His obicem ſe oppoſuit Eudo cum copiis non tantùm ex Aquitania & Vaſconia, quas Regis Theodorici nomine gubernabat, ſed etiam è Neuſtraſia vbi propter ſuum in Regem ſtudium non parua erat in exiſtimatione, collectis. Initum eſt atrox cruentúmque prælium menſe Iulio [a]. Victoria penes Chriſtianos ſtetit. Ceciderunt trecenta ſeptuaginta-quinque millia Saracenorum. Eudo nec ſexui nec ætati pepercit, è ſuis autem mille duntaxat ac quingentos interemptos defleuit. Ciuitates Albigenſium Rutenorúmque tum recuperatæ. Albigenſi Eccleſiæ præerat Hugo Epiſcopus, & Caſtrenſe Monaſterium in eadem Diœceſi regebat Bertrandus Abbas. De vtroque ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum iam fecimus. Mancus eſt circa hæc tempora Rutenenſium Epiſcoporum Catalogus. Procul aberat ab Aquitania Carolus bello in Boioaria occupatus. Corrigendus igitur Paulus Diaconus, vbi ſcribit pacatis inter Carolum & Eudonem inimicitiis eos ſimul in Saracenos irruiſſe. Seriùs enim inter Carolum & Eudonem pullulauit diſcordia, nec Carolus aduersùs Eudonem ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-primum mouit, vt Annales Nazariani, Petauiani & Tiliani docent. Anno proximo Eudo cum Saracenis infeliciter pugnauit, cúmque Vaſconiam & Aquitaniam ab iis vaſtari cerneret, Carolum in auxilium vocauit. Ventum iterum ad certamen. Profligati rurſum Saraceni menſe Octobri. Carolus & Eudo victores effecti. Poſterius hoc prælium, quod iidem Annales anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo commiſſum teſtantur, Auctor Annalium Fuldenſium deſcribere voluit, cùm enim illud anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto initum putaret, hæc, quæ in annum Chriſti ſptingenteſimum triceſimum-primum reiicienda erant, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quartum præmiſit. *An.* DCCXXIIII. *Carlus tranſito Ligere, Eudonem fugat, vaſtatâ & incenſâ regione eius.* Sícque de priore pugna, quæ conſerta eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto, nihil omnino ſcripſit, ad illum annum ſubſtitutâ poſteriore, quæ cum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo coincidit, vt ſuo loco dicturi ſumus.

[a] Falcet. l. 5. c. 19.

VINCVNTVR AB EVDONE AQVITANIÆ PRÆFECTO.

XXIV. Vt Hugonem Epiſcopum Albigenſem ſic & Bertrandum Abbatem Caſtrenſem ad hunc vſque annum, quo Albiga & Caſtra in Francorum poteſtatem redierunt, in viuis ſuperſtitem fuiſſe exiſtimamus. Vterque in Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſium, quod Lucas Dacherius Tomo ſeptimo Spicilegij Benedictini publicauit, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum commendatur. Bertrandus, antequàm Hugo Albigenſis Epiſcopus fieret, Abbas Caſtrenſis eſſe cœpit, Abbatis enim munere ſub Citruino Epiſcopo, Hugonis deceſſore, iam

ALBIGA ET CASTRA REDEVNT IN POTESTATEM FRANCORVM.

Digitized by Google

fungebatur, vt ex eodem Chronico ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonagesimum-ſecundum conſtat. Hugoni quoque Epiſcopo videtur ſuperfuiſſe, quia vixit annos ſex ſupra centum, vt indicant hi Verſus fronti maioris ianuæ Eccleſiæ ſancti Benedicti Caſtrenſis inſcripti. AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

Dulce iugum Chriſti teneris portauit ab annis,
Euitans cautè dæmonis inſidias.
Centum térque duos vitam produxit in annos
Bertrandus, ſummi plenus amore Dei.
Hanc tandem ſubitâ at præuiſâ morte precando
Eiicit, æternâ vt luce frui valeat.

XXV. Extat apud Coccium [a] Diploma Theodorici Regis cum hac ſubſcriptione. *Metis in Cœnobio Sancti Arnulphi, eiuſdem loci Epiſcopi, quod eſt conſtitutum in ſuburbio, ſub die Kalend. May, anno Dominicæ Incarnationis* DCCXXIV, *Indictione tertiâ, anno verò Regni Domini Theodorici quinto.* Annus Chriſti ſeptingenteſimus viceſimus-quartus cum Indictione tertia temerè fuit à Neotericis inſertus, quia Theodorici Regis temporibus neuter horum Characterum Regiis Diplomatibus aſcribi ſolebat, deinde nec annus Chriſti ſeptingenteſimus viceſimus-quartus cum anno Theodorici Regis quinto, nec Indictio tertia cum anno vel Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto vel Theodorici Regis quinto coincidit. Suſpectum quoque in illo Diplomate nomen *Domini Benedicti*, quia Theodoricus Rex donationes Monaſterio Cellæ Leobardinæ factas confirmat, & illius Cœnobij fundamenta regnante in Auſtraſia Childeberto Secundo iacta fuit à Leobardo, qui, prout ratio temporum docet, & Tomo ſecundo [b] iam dictum eſt, in Monaſticis diſciplinis vſus eſt magiſtro, non quidem ſancto Benedicto qui pridem in Italia deceſſerat, ſed Columbano qui cum ſociis in loco cui nomen Anagrates in Voſago monte à multis annis degebat.

[a] Cap. 6.

[b] ad an. 586. n. 42.

XXVI. PRÆCEPTVM REGIVM PRO CELLA LEOBARDINA. Cetera, quæ continentur in Regio Diplomate, veritati videntur conſona. Tenor talis eſt. *Theodericus diuina fauente Clementiâ Rex Francorum viro illuſtri* (meliùs *vir illuſter* vt hic honoris titulus ad ipſum Regem referatur) *Luitfrido Alemanorum Duci. Si petitionibus Deo ſeruientium, quæ ad eorum quietem & tranquillitatem pertinent, libenter præſtamus, atque ad effectum perducimus, Regiam conſuetudinem exercemus, & ad mercedem vel ſtabilitatem Regni noſtri pertinere confidimus, ideo notum eſſe volumus tam futuris quàm præſentibus, qualiter venerabilis Maurus de Monaſterio Domini Leobardi quondam Abbatis, in honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Sancti Martini peculiaris Patroni noſtri, conſtructo, Clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, quòd Anteceſſori ſuo Domino Leobardo quondam Abbati, qui ipſum Monaſterium ſuo opere à nouo fundamento ædificaſſe noſcitur, inclytæ memoriæ parens noſter Childebertus, quondam Rex, ad opportunitatem ipſius Monaſterij terram illam, quam de deſerto ipſe ad excolendum vel commanendum praeoccupauerat, per loca prænominata, de ponticulo ad Fuenheim vſque ad publicam ſtratam Tabernenſem ac deinde ad ſtratam pagi vel oppiduli Marleienſem, hinc terminum de fonte Ciſternato cum adiacentibus ſuis, vſque ad Gunſium riuum, indéque ad montem Cuberbum per fraxinetum, tum demum ad locum, qui vocatur Iſtaſcqwa, & ſic per fluuium Sornam, vſque ad Crucem Petrinam, tum demum ad Mauri riuum pro futura mercede eiſdem conceſſiſſet, vt nullus ibidem campos facere, nec porcos ſaginare, nec materiam ſuccidere, neque ipſius fines penitus irrumpere præſumeret. Sed hoc ipſi Monaſterio omni tempore conceſſum eſſe deberet, & quidquid intra vel extra præſcriptos terminos in quacumque prouincia vel pago ipſe vel aliquis Regum prædeceſſorum eius tradidiſſet, ſeu ſucceſſorum quilibet, potens vel vilis perſona, memorato loco, Abbati eiúſque ſucceſſoribus, pro anima ſua ſalute tradidiſſet, nullo contradicente aut reſiſtente, liberè atque licenter poſſidere liceret. Vnde ipſam Præceptionem memorati Principis, ſeu diuinæ recordationis Theodoberti, Clothary, Dagoberti, Sigeberti, itémque Dagoberti, quondam Regum, nobis ad confirmationem oſtendit in præſenti relegendam, ſed pro firmitatis ſtudio,*

AN.CH. 725. THEODOR. IV. R. 5. *noſtrum ſibi expetiit ex hoc ipſo in eodem Monaſterio vel circa eius terminos omniáque ad id pertinentia confirmare Præceptum. Cuius petitionem pro Dei intuitu vel mercedis noſtræ augmento benignè ſuſcipientes, ita nos confirmaſſe, & in omnibus præſtitiſſe Regiâ conſuetudine cognoſcite. Præcipimus enim, vt quidquid per inſpectas ſupradictorum Regum Præceptiones, ad ipſum Monaſterium longè vel propè noſcitur conceſſum fuiſſe, per hanc auctoritatem noſtram ipſi Monaſterio, vel memorato Mauro Abbati ſuíſque ſucceſſoribus, omni tempore in Dei nomine, & ipſum Priuilegium noſtris & futuris temporibus ſtabile Deo auxiliante omnimodis conſeruetur. Similiter petiit, vt eum cum omni familia rebúſque Monaſterij ſui longè vel propè conſtitutis, ſub noſtro mundiburdio & defenſione reciperemus, quod nos pro mercedis noſtræ augmentis ita & præſtitiſſe cognoſcite & confirmaſſe. Quapropter per præſens decernimus ac iubemus Præceptum, vt neque vos neque iuniores veſtri ſeu ſucceſſores, nulláque omnino cuiuſcumque ſit potentiæ perſona, ipſum Abbatem, neque Monachum, neque certos homines iniuriare, neque condemnare, neque infra vel extra Monaſterium rem irrationabilem facere penitus, neque de rebus ad ſe pertinentibus quidpiam auferre præſumat, ſed liceat ei ſuíſque omnibus ſub immunitatis titulo & noſtro mundiburdio vel defenſione cum omnibus rebus ſuis & Monaſterij ſui, ſecundùm normam Patrum Domini Benedicti & Domini Columbani*, (vel, vt legendum ſuprà diximus, *ſecundùm normam Domini Columbani) quietos reſidere atque ſecuros, quo potiùs ipſam Congregationem ſanctam meliùs delectet pro ſtabilitate Regni noſtri miſericordiam Domini die noctúque crebriùs exorare. Data Metis*, &c. vt ſuprà.

XXVII. In iſto Diplomate Theodoricus Quartus Childebertum Secundum vocat parentem, id eſt, agnatum, nam Childebertus Secundus & Theodoricus Quartus ex eadem ſtirpe Regia proceſſerunt, quia Childebertus Secundus patrem habuit Sigibertum Primum, cui frater fuit Chilpericus Primus, proauus Clodouei Secundi, cuius abnepos fuit Theodoricus Quartus. Vt Childebertus Secundus, ſic & alij Reges, quos Theodoricus Quartus in ſuo Diplomate nominat, id eſt, Theodobertus Secundus, Clotarius Secundus, Dagobertus Primus, Sigibertus Tertius & Dagobertus Secundus, in Auſtraſia regnarunt, vbi ſita Cella Leobardina. Theodorici Quarti Tritauus fuit Clotarius Secundus, atauus Dagobertus Primus. Agnati ceteri. Theodobertus Secundus nepos fuit Sigiberti Primi, cui frater Chilpericus Primus, pater Clotarij Secundi, cuius trinepos Theodoricus Quartus. Sigibertus Tertius frater fuit Clodouei Secundi, cuius abnepos idem Theodoricus Quartus. Dagobertus Secundus frater patruelis fuit Theodorici Tertij, qui proauus extitit Theodorici Quarti. E duobus Dagobertis, qui nominantur in Diplomate ſuprà recitato, poſteriorem, qui Sigiberto poſtponitur, interpretati ſumus Dagobertum Secundum, qui filius Sigiberti Tertij fuit, & inſtar patris in ſola regnauit Auſtraſia. Fuit & Childeberti Tertij filius hæréſque Dagobertus Tertius, de quo ſuprà, ſed hoc de Dagoberto ſi mentionem feciſſet Theodoricus Quartus, multò magnificentiùs locutus eſſet, patrem enim eundem Dagobertum Tertium habuit. Hæc autem clariùs ex ſequenti Tabula innoteſcent, in qua Theodoricus Quartus aliíque Reges, qui Cellam Leobardinam Regiâ liberalitate locupletarunt, maiuſculis literis repræſentabuntur.

Digitized by Google

XXVIII.

Clotarius I. Monarcha Francorum.

Chilpericus I. R. Neuſtraſiæ.	Sigibertus I. R. Auſtraſiæ.
CLOTARIVS II. Monarcha Francorum.	CHILDEBERTVS II. R. Auſtraſiæ.
DAGOBERTVS I. Monarcha Francorum.	THEODOBERTVS II. R. Auſtraſiæ.
Clodoueus II. R. Neuſtraſiæ.	SIGIBERTVS III. R. Auſtraſiæ.
Theodoricus III. Monarcha Francorum.	DAGOBERTVS II. R. Auſtraſiæ.
Childebertus III. Monarcha Francorum.	
Dagobertus III. Monarcha Francorum.	
THEODORICVS IV. Monarcha Francorum.	

XXIX.

Ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium [a], quo mortem Ethiconis ſiue Athici Ducis Alamanniæ ſeu Sueuiæ conſignauimus, obſeruauimus Alamanniam in varios Ducatus ſeparatam fuiſſe. Diſtinximus tres Ducum familias valdè diuerſas, quas plerique Neotericorum confundunt, maximè cùm quædam nominum accedit ſimilitudo. Floruerunt iiſdem temporibus ſub Theodorico Quarto Rege Luitfridus & Lantfridus Alamannorum ſeu Sueuorum Duces. Luitfridus patrem habuit Adalbertum, auum Ethiconem ſiue Athicum, proauum Leutharium, auiam Berchſindam, amitam Odiliam Hohenburgenſem Abbatiſſam, de quibus ſuprà. Ducatum geſſit Alamanniæ Rheno adiacentis. Fuit ex alia prorſus familia, Ducatúmque obtinuit in alia Sueuiæ ſiue Alamanniæ parte Lantfridus, cuius mentio fit in Annalibus Nazarianis, Petauianis ac Tilianis, necnon in libello de Maioribus-domûs edito à Petro Pithœo & ab Andrea Ducheſnio. Patre, vt Martinus Crucius in rebus Sueuicis [b] teſtatur, natus eſt Gottefrido Sueuiæ Duce, cuius mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo nono retulimus. Vocatur ab eodem Auctore Luitfridus. Atque inde quæſtio moueri poteſt, vtrùm huic Luitfrido Gottefridi Ducis filio, an alteri Luitfrido Adalberti

LVITFRIDVS ET LANTFRIDVS DVCES ALAMANNIÆ DISTINGVVNTVR.

[a] Nn. 38. & ſeqq.

[b] Part. 1. l. 10. cap. 11.

Digitized by Google

AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

Ducis filio ſuprà memorato Præceptum ſuum Theodoricus Rex inſcripſerit. Verùm duæ res omnem dubitationi locum adimunt, manifeſtiſſiméque docent Regiam Præceptionem Luitfrido Duci, Adalberti Ducis filio, directam fuiſſe. Filius Gottefridi in antiquis monumentis Lantfridus conſtantiſſimè nuncupatur, nec affertur ratio, cur à Crucio aliiſque Neotericis appelletur Luitfridus. Prætereà in Præcepto Theodorici Regis agitur de Cella Leobardina, celebri Monaſterio Diœceſeos Argentoratenſis, vbi Ducum officio functi ſunt Adalbertus eiúſque filius Luitfridus, nequaquam verò Gottefridus eiúſque filius Lantfridus, quorum remotior fuit Ducatus.

XXX. LVITFRIDVS EIVSQVE FRATRES

Luitfrido Alamanniæ Duci, vt obiter ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum primum [a] iam obſeruauimus, duo fuerunt fratres, Eberardus & Maſo, ſorores quinque, Eugenia, Atalia, Gutlindis, Sauina, Lutgardis. Adalbertus enim eius pater bis vxorem duxit; ex Gerlinde tres filios ſuprà memoratos ſuſcepit cum totidem filiabus Atalia, Eugenia, Gutlinde; ex Batilde altera vxore duas habuit filias Sauinam & Lutgardem. De Sauina & Lutgarde apud Ruyrum in Antiquitatibus Voſagenſibus [b] id vnum legimus, quòd Argentorati ſepulturâ donatæ ſunt in Eccleſia ſancti Stephani. Plura de ceteris Adalberti liberis innoteſcunt.

[a] Num. 73.
[b] L. 4. c. 13.

XXXI. ERGA VARIA MONASTERIA MVNIFICI.

À recentioribus Auctoribus vt Luitfridus ſic & eius fratres Eberardus ac Maſo Duces Alamanniæ ſeu Sueuiæ nominati reperiuntur. Bruſchius [c] in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ, Murbachium fundatum ait *à Sueuiæ ac Alemanniæ Duce quodam Eberhardo, habitante in Alſatiæ arce Egysheym.* Miræus in Originibus Benedictinis [d], idem Cœnobium conditum ſcribit *ab Eberardo Sueuiæ & Alemanniæ Duce.* Munſterus [e], vbi loquitur de Monaſterio cui nomen vulgò *Maſmunſter*, illud erectum teſtatur *à Maſone Duce Alemanniæ, à quo vallis illa denominata eſt vallis Maſonis.* Chartis tamen Theodorici Regis attentè lectis, in quibus Luitfridus Alamannorum Dux, Eberhardus ſiue Ebrohardus eius frater Comes appellatur, Luitfridum è Ducis Adalberti filiis natu maximum putamus, qui ſolus in Ducatum patri ſucceſſerit, auitáque bona partitus ſit cum fratribus Eberardo & Maſone. Sedem habuit Eberardus *in arce Egysheym*, vt Bruſchius ſuprà citatus affirmat, arcem illam *Egesheim* vocat Guillimannus libro tertio [f] de rebus Heluetiorum, & Munſterus [g], vbi agit de Sunggoia, Eberhardum ab eadem arce *Egysheym* Comitem Egisheimenſem ſic vocat. *Eberhardus Comes Egisheimenſis fundauit Monaſterium Murbacenſe ſub Theodorico Rege Francorum.* Extat apud Bruſchium in Chronologia iam citata Regium Diploma, in quo Theodoricus Rex Murbacenſe Monaſterium *in allodio Ebrohardi Comitis* conſtructum dicit. Maſo ſedem habuit in valle prope Sunggoiam ſita, cui nomen dedit, ipſe apud Ruyrum in Antiquitatibus Voſagenſibus [h] Comes nuncupatur.

[c] Pag. 93.
[d] Cap 36.
[e] Lib. 3.
[f] Cap. 4.
[g] Lib. 3.
[h] Part. 2. l. 4. c. 14.

XXXII. ATALIA SOROR NATV MAXIMA ABBATISSA. ALIÆ DVÆ SORORES MONIALES.

Tres hi fratres ab Adalberti patris pietate non degenerarunt, vt infrà patebit ex variis Monaſteriis inſigni eorum munificentiâ vel erectis vel locupletatis. Tres quoque ſorores conſpicuæ fuerunt propter egregias virtutum dotes. In vita ſanctæ Odiliæ manuſcripta, quam ſæpè allegauimus, *vna Eugenia, alia Atalia, tertia Gunlindis* appellatur. Atalia ſiue Attala, cùm Theodoricus Rex Luitfrido eius fratri Alamanniæ Duci Præceptum pro Cella Leobardina direxit, apud Argentoratum Monaſterio ſancti Stephani cum Abbatiſſæ titulo præerat, Eugenia verò & Gunlindis apud Honenburgum ſub Odiliæ amitæ ſuæ diſciplina Monaſticam vitam ducebant.

XXXIII. BEREGISVS ABB. ANDAINENSIS.

Molanus [i] teſtatur legi, *quòd ſanctus Beregiſus Abbas Andainenſis Clericos ſuos & diſciplinis inſtruxerit regularibus, atque in ſpiritualibus & temporalibus promouerit.* Atque in confirmationem allegat donationem, quam hoc anno, Theodorici Regis quinto, Beregiſus à Grimberto Comite accepit. *Donationem*

[i] D. 2. Octob. n. 29.

nationem, inquit, *vinearum Treuiris à Grimberto Comite, anno quinto Theodorici regis, cum multis aliis obtinuit.* Quot annos deinceps vixerit, haud ſcimus. Obiit ſexto Nonas Octobris, quo die colitur in Eccleſiis Sarchinienſi & Andainenſi, ſiue in Cœnobiis, vt hodie vocant, ſancti Trudonis, & S. Huberti. AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

De ſucceſſoribus nihil occurrit ad ſanctum vſque Alueum, qui, temporibus Ludouici Pij, *commutato*, vt Ægidius [a] in Additionibus ad Anſelmum loquitur, *ordine Clericali* primus Abbas Monachorum conſtitutus eſt à Walcando Leodienſi Pontifice, &, vt Andainum Reliquiæ ſancti Huberti transferrentur, ab eodem Epiſcopo impetrauit. XXXIV.

[a] Cap. 34.

Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana Monaſterium Andaginum ſiue Andainum, corruptè *Audainum*, fundatum ait *à Volcando Epiſcopo* 35. *Leodienſi, Beregiſo Abbate primo conſtituto circa ann.* 825. Opinionis ſuæ teſtem allegat Miræum *Origin. Benedict. cap.* 29. *& in Faſtis Belgicis.* A Roberto non diſſentiunt Sammarthani. Sed neutri Miræum legerunt. XXXV.

Miræus in Originibus Benedictinis, capite viceſimo-nono, hæc habet de Monaſterio Andaginenſi. *Cœnobij iſtius condendi auctor fuit S. Beregiſus, qui in Sarchinienſi Cœnobio recèns exſtructo, regularibus diſciplinis informatus, locum hunc à Pipino Maiore domûs Regiæ impetrauit.* Deinde Chronographum Trudonenſem citat in hunc modum. *Beregiſus ex pago Condroſio ortus, & à parentibus intra Monaſterium S. Trudonis, ſub habitu religionis, litterarum ſtudiis & lege diuinâ imbuendus traditus, largiente Pipino Principe eidem lata prædia, Monaſterium Andainenſe in honore S. Petri conſtruxit, in quo Clericis ordine Canonico militantibus, ipſe Pater in eodem habitu eſt ſociatus, quod modò S. Huberti in Arduenna nuncupatur, vbi Waſò Leodienſis Epiſcopus, delato eodem à Traiecto corpore dicti S. Huberti, pro Canonicis Regularibus Monachos inſtituit.* An Pippinus Maioratu potitus eſt circa annum Chriſti octingenteſimum viceſimum-quintum? Quæ proximè ſequuntur, adhuc clariora ſunt apud eundem Miræum, nam duo diſtinctiſſima deſignant tempora, quibus apud Andainum Clerici primùm ſeu Canonici regulares, poſteà Monachi conſtituti ſunt. *Ex quibus Trudonenſis Chronographi verbis* ſuprà deſcriptis, inquit Miræus, *illud effici videtur, cùm apud Sarchinienſes ſeu Trudonenſes, tum apud Andaginenſes ex primæua inſtitutione fuiſſe non Monachos, ſed Clericos ſeu Canonicos, vt vocant, regulares.* Quibus telis hanc aſſertionem oppugnet Hugo Menardus, oſtendemus infrà. XXXVI.

Miræus de Sancto Beregiſo, ſexto Nonas Octobris, in Faſtis Belgicis, ita ſcribit. *S. Beregiſus Abbas & fundator Monaſterij Andainenſis, quod nunc S. Huberti dicitur, vbi & quieſcit, colitur Sarchinij ad S. Trudonem, & Andaini ad S. Hubertum, quæ duæ nunc ſunt Benedictinorum Abbatiæ in Diœceſi Leodicenſi. Sarchinij quidem (quod hodie eſt S. Trudonis oppidum & Monaſterium) Beregiſus litterarum ac pietatis rudimenta hauſit. Grandior factus, vt erat nobili genere natus, cùm in aula Pipini Heriſtallij verſaretur, ab eius coniuge Plectrude locum in media ſylua Arduenna (qui Andainum ab Andaina contiguo fonte dicebatur) dono accepit, & in eo Monaſterium à fundamentis ædificauit, quod Sancti Huberti, eò poſteà tranſlati, nomen induit. Vixerunt autem Andaini primùm Clerici ſeu Canonici regulares, quibus amotis Valcandus Epiſcopus Leodicenſis Benedictinos ſubſtituit, vt Ionas in Hiſtoria Tranſlationis S. Huberti commemorat.* In hoc quoque textu Miræus duas res diſtinguit, quæ temporibus valdè diuerſis geſtæ ſunt. Ætate *Pipini Heriſtallij* Beregiſus Monaſterium Clericorum apud Andainum conſtruxit. *Valcandus Epiſcopus Leodicenſis*, qui ſub Carolo Magno & Ludouico Pio Pontificatum geſſit, amotis Clericis Benedictinos Monachos in eodem Cœnobio ſubſtituit. XXXVII.

Robertus igitur & Sammarthani, vt Beregiſum Andaini primum Abbatem, qui Sanctis Epiſcopis Lamberto atque Huberto Maioribúſque domûs Regiæ Pippino Heriſtallio & Carolo Martello ſynchronus vixit, in tempora XXXVIII.

AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

Ludouici Pij Auguſti & Walcandi Epiſcopi atque in annum Chriſti octingenteſimum viceſimum-quintum reiiciant, Origines Benedictinas Faſtóſque Belgicos Miræi, quibus opinionem ſuam tueantur, perperam adducunt.

XXXIX. Vtrobique Miræus, vbi Clericos cùm apud Sarchinium tum apud Andainum à primæua inſtitutione fuiſſe ſcribit, Molanum ita iam ſenſiſſe conſtanter affirmat. *Ex Trudonenſis Chronographi verbis*, inquit in Originibus [a] Benedictinis, *illud effici videtur, cùm apud Sarchinienſes, tum apud Andaiginenſes ex primæua inſtitutione fuiſſe non Monachos ſed Clericos ſeu Canonicos, vt vocant, regulares. Quod ante nos & Ioannes Molanus, vir antiquitatum Eccleſiaſticarum, præſertim noſtratium, peritiſſimus, obſeruauit.* Et in Faſtis [b] Belgicis, ſic. *Vixerunt autem Andaini primùm Clerici ſeu Canonici regulares, quibus amotis, Valcandus Epiſcopus Leodicenſis Benedictinos ſubſtituit, vt Ionas in Hiſtoria Tranſlationis Sancti Huberti commemorat. Ex quo Molanus hoc loco rectè colligit in S. Trudonis quoque Monaſterio, ex primæua inſtitutione, non Monachos ſed Clericos ſeu Canonicos regulares vixiſſe. Quòd & legere me memini lib. 1. cap. 16. in Chronico MS. Trudonenſi.*

[a] Cap. 29.

[b] D. 2. Octobr. in Beregiſo Abb.

XL. Textus Molani talis eſt in Natalibus Sanctorum Belgij, ſexto Nonas Octobris, vbi de Sancto Beregiſo Abbate, déque Andainenſi Monaſterio ſermonem facit. *Andaini nomenclatura, ab Andaina contiguo fonte deriuata, nunc extra vſum eſt. Poſtquàm enim Sanctus Hubertus, eò allatus à Vulcando, aſſiduis miraculis locum longè latéque celebrem fecit, poſteritas ab eo pagum & Monaſterium Sancti Huberti nominauit. Quomodo ob merita S. Trudonis Sarchinienſes, extincto hoc nomine, nunc ſunt Trudonenſes. Veriſimile eſt autem ex primæua inſtitutione, vtrobique fuiſſe Clericos ſiue Canonicos regulam profeſſos. De Vulcando enim ſcribitur* in Tranſlatione videlicet Sancti Huberti, *quòd pro Canonicis ad Sanctum Hubertum Benedictinos inſtituerit, cùm illi à ſua regula degeneraſſent. Et alibi legitur, quod Sanctus Beregiſus Abbas Clericos ſuos & diſciplinis inſtruxerit regularibus, atque in ſpiritualibus & temporalibus promouerit.*

XLI. Manuſcriptum Chronicon Trudonenſe, quod Miræus à ſe lectum teſtatur, haud vidimus. Aliud in libros tredecim diſtinctum, cuius Auctor Rodulfus eiuſdem Monaſterij Abbas, anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto publicauit Domnus Lucas Dacherius Tomo ſeptimo ſui Spicilegij. Florebat Rodulfus Abbas anno Chriſti milleſimo centeſimo viceſimo. Initio ſui operis aſſeruit *Sanctum Trudonem Clericum fuiſſe & Sacerdotem & Cænobij* Sarchinienſis *primum ædificatorem*, ídque ex illius vita necnon ex Actis beati Remacli probauit, ſed ſtatim queſtus eſt, quòd *hoc manifeſtè neque ibi neque aliàs vſquam datur intelligi, vtrùm per eum ipſum* Trudonem *regeretur primò ædificatum Cænobium* Sarchinienſe, *ſiue per alium; Clerici quoque ſiue Monachi fuerint quos in eo conſtituerit, & quando Monachi in eo eſſe cæperint.*

XLII. Hugo Menardus in Obſeruationibus [c] ad Martyrologium Benedictinum, vt inanem oſtendat coniecturam Molani, qui primos Sancti Trudonis ſodales Canonicos fuiſſe ſuſpicatur, vult Sanctos Trudonem & Beregiſum fuiſſe Monachos, licèt negare non audeat hunc Canonicis in Andainenſi Monaſterio præfuiſſe. *Sanctus*, inquit, *Beregiſus fuit primus Abbas Monaſterij Andainenſis, aliàs S. Huberti in Arduenna ſylua, in quo non Monachos ſed Canonicos regendos habuit, vt ſcribunt Auctor anonymus Tranſlationis corporis S. Huberti, & Chronographus Trudonenſis apud Miræum in Chronico Benedictino. Ex quo aliquis ſuſpicari poſſet hunc Sanctum Beregiſum non fuiſſe Monachum ſed Canonicum, quippe qui Canonicis præfuit non Monachis. Verùm non dubium eſt, quin Sanctus iſte fuerit Monachus, iſque Benedictinus. Siquidem à parentibus Sancto Trudoni regularibus diſciplinis imbuendus traditus fuit, qui fuit Monachus non Canonicus, vt eius Acta teſtantur apud Surium, & familiariter vſus eſt Sancto Remaclo, qui Monachus fuit iuxta inſtitutum Sancti Columbani, ad quod Regula Benedictina ob-*

[c] Lib. 1. d. 2. Octobr.

Digitized by Google

ſeruantiam adiunxit, prout mos erat illorum temporum. Notgerus enim in eius vita ait S. Remaclum Regulæ ſancti Benedicti fuiſſe obnoxium. Nec valet hîc coniectura Molani, qui ſuſpicatur primos S. Trudonis ſodales fuiſſe Canonicos. AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

Tota ratiocinatio in hoc vertitur, quòd Beregiſus vixit in Monaſterio Sarchinienſi ſub diſciplina ſancti Trudonis, quem Menardus non Canonicum ſed Monachum fuiſſe contendit, cùm ex eius Actis editis à Surio, tum ex familiaritate, quâ beato Remaclo, olim quoque Monacho, coniunctiſſimus fuit. XLIII.

Fatemur Beregiſum apud Sarchinium à ſancto Trudone eruditum fuiſſe. Sanctum verò Trudonem Monachum extitiſſe inficiamur, eiúſque Monachatum negamus aut ex Actis à Surio publicatis, aut ex beati Remacli familiaritate probari poſſe. XLIV.

Extat apud Surium [a] vita ſancti Trudonis in duos libros digeſta à Theodorico, quorum prior octodecim capita, poſterior vnum ac viginti complectitur. In toto illo opere nullum de Trudonis Monachatu verbum. Libro primo, capite ſeptimo, Trudo vadit *ad beatum Remaclum Tungrenſem* ſeu Traiectenſem *Epiſcopum*. Capite nono, ab eodem Remaclo *Mediomatricum* mittitur. Capite duodecimo, perofficiosè excipitur à ſancto Clodulpho Epiſcopo Metenſi. Capite decimo-quinto, liberales artes ſcripturáſque ſacras ediſcit, deinde *manibus Epiſcopi ſui*, nempe Clodulphi, *tonſuratus, exuit laicum, & indutus Clericatum, iuratus in Chriſti bella miles aſſumitur, & ad expugnandum Pharaonis equitatum, gladio Spiritûs Sancti accingitur. Proficiebat interim giganteis, vt ita loquar, paſſibus per gradus Eccleſiaſticos, donec concordi acclamatione omnium peteretur, traheretur ad Sacerdotium.* Capite decimo-ſeptimo redit ad Remaclum Epiſcopum, *mirâ vterque alacritate repleti, gaudia ſua communicant, & de omni euentu & fortuna alter alterum ſolitâ illâ ſuâ familiaritate docent & inſtruunt; tum verò Epiſcopus tanti Sacerdotis ſapientiam & profectum ſua lucra reputans, eum in opus Euangelij collegam & quaſi commilitonem ſibi aſſumit, & partito cura Paſtoralis onere Eccleſias ordinare, & verbum Dei in Diœceſi ſua iniungit annuntiare, vt quoties manus Pontificis pro Iſrael extenſæ cum Moyſe grauarentur, toties ex miniſterio Sacerdotis, tanquam Aaron adminiculante, ſuſtentarentur; & peracto aliquot dierum familiari contubernio ſanctæ animæ poſt mutuam & ſufficientem ſui conſolationem ad negotia ſua redeunt, ille* Remaclus *ad requieſcendum cum Maria in cæleſtium contemplatione, iſte* Trudo *ad laborandum cum Martha in Eccleſiarum ſolicitudine, non multò pòſt enim ſanctus Epiſcopus* Remaclus *pertæſus ſecularium tumultuum, abrenuntiatis omnibus, in ſuo Stabulenſi Monaſterio Monachum profitetur, ibíque ſecum habitans, S. Theodardum, poſteà Chriſti Martyrem futurum, in Epiſcopatu ſucceſſorem habuit.* Libro ſecundo, capite ſecundo, Trudo *Cœnobium* condit. Capite tertio, parochiam ſupplicantem viſitat, *Clericorum ſtipatus agmine.* Huc vſque altum de Trudonis Monachatu ſilentium. Capite ſexto deſcribitur eius obitus. *Aſſidebant continuè lectulo venerabiles Sacerdotes cum religioſiſſimo Monachorum cœtu, hoc vno mæſtus lachrymas alternatim conſolantes, quòd magiſtrum non amitterent, ſed magis ad Deum præmitterent.* Vnus hic tantùm textus occurrit, vnde quis inferat Trudonem Monachis apud Sarchinium præfuiſſe. Sed, etſi Trudo Monachos in Cœnobio Sarchinienſi rexerit, non inde ſequitur eum Monachis accenſendum. Idem Theodoricus, qui vitam ſancti Trudonis ſuprà citatam ſcripſit, in literas quoque retulit vitam Sancti Bauonis, è qua Tomo ſecundo [b] probauimus in Cœnobio Gandenſi Clericos Monachóſque quondam fuiſſe, quibus vnus idémque Abbas præpoſitus eſſet. Vt autem apud Gandam, ſic & apud Sarchinium præter Clericos, qui finitimis populis Euangelium Dei per vicos & pagos annuntiabant, inſtituti quoque ſunt Monachi qui vel rarò vel nunquam ex illo loco diſcedebant. Vtrique lectulo Trudonis morientis aſſederunt. At caue ne Trudonem, quem Monachi æquè ac Clerici *magiſtrum* vocant, exinde Monachum ſta- XLV.

[a] D. 23. Nou.

[b] Ad an. 631. n. 7.

Digitized by Google

AN. CH. 725. THEODOR. IV. R. 5.

tim concludas. E textu proximè deſcripto potiorem pro Trudonis Monachatu quàm pro Clericatu rationem non erues. Ex aliis verò quæ præceſſerunt, eius Clericatum aſſeres prævalidè, non enim tantùm fit Clericus ordinatúrque Preſbyter, ſed etiam poſt erectum Monaſterium parochiam viſitat, *Clericorum ſtipatus agmine*, vt obſeruatum eſt ſuprà.

XLVI. De ſancto Remaclo fusè diſſeruimus Tomis ſecundo & tertio. Illum Trudo nec vt Monachus adiit, nec vt Monachum conſuluit adiuuítue. Nondum depoſuerat habitum laicalem, cùm ab Angelo monitus eſt, vt *ad beatum Remaclum Tungrenſem* ſeu Traiectenſem *Epiſcopum* vaderet, cúmque ab eodem Remaclo Epiſcopo miſſus eſt Metas ad beatum Clodulphum illius Ciuitatis Antiſtitem. Illic *manibus Epiſcopi ſui* ſeu prædicti Clodulphi *tonſuratus exuit laicum*, profecítque *giganteis, vt ita loquar, paſſibus per gradus Eccleſiaſticos, donec concordi acclamatione omnium peteretur, traheretur ad Sacerdotium*. Factus Preſbyter rediit ad Remaclum adhuc Epiſcopum, qui *tanti Sacerdotis ſapientiam & profectum ſua lucra reputans, eum in opus Euangelij collegam & quaſi commilitonem ſibi* aſſumpſit, *& partito curæ Paſtoralis onere Eccleſiis ordinare, & verbum Dei in Diœceſi ſua* iniunxit *annunciare*. Quin etiam poſteà, cùm idem Remaclus abdicato Epiſcopatu Stabuletum ſeceſſit, vt *Monachum* profeſſus *in cœleſtium contemplatione cum Maria* requieſceret, Trudo *cum Martha*, vt anteà, laborauit *in Eccleſiarum ſolicitudine*, imò multò ſeriùs poſt conditum Sarchinienſe Monaſterium parochias viſitauit *Clericorum ſtipatus agmine*. Hæc ex eius Actis [a] conſtant, libro primo, capitibus ſeptimo, nono, decimo quinto, decimo-ſeptimo; & libro ſecundo, capitibus ſecundo & tertio. Corruit igitur argumentum, quod Menardus elicere conatur ex familiaritate, quæ Trudoni cum beato Remaclo interceſſit, nec ex ea ſuſpicari licet Trudonem Monachum extitiſſe.

[a] Apud Sur. d. 23. Nou.

XLVII. Sed eſto. Trudo Monachus habeatur. An quia Monachus fuit, curámque Monaſterij geſſit, in quo Clerici pariter ac Monachi degebant, Beregiſus, qui tunc in eodem Cœnobio vixit, Monachis potiùs quàm Clericis adſcribi debet? Acta Beregiſi conſulenda. Beregiſus diu fuit in Comitatu Pippini Maioris-domûs. Hoc vitæ genus Clerico conuenientius quàm Monacho. Beregiſus apud Andainum Clericos collocauit, laudatúrque potiſſimùm, quòd eoſdem Clericos & *diſciplinis inſtruxerit regularibus, atque in ſpiritualibus & temporalibus promouerit*. Hæc quoque geſta potiùs à Clerico quàm à Monacho videntur.

XLVIII. Menardus, vt Beregiſum Monachum probet, aliud argumentum ex eius habitu deſumit, atque in illam rem allegat manuſcriptum Chronicon Trudonenſe, quod à Miræo in Originibus [b] Benedictinis ita citatur. *Beregiſus ex pago Condroſio ortus, & à parentibus intra Monaſterium S. Trudonis, ſub habitu religionis, litterarum ſtudiis & lege diuinâ imbuendus traditus, largiente Pipino Principe eidem lata prædia, Monaſterium Andainenſe in honore Sancti Petri conſtruxit, in quo Clericis ordine Canonico militantibus, ipſe Pater in eodem habitu eſt ſociatus.* Canonici, qui canonicè regularitérque in commune viuebant, à reliquis Clericis diſtinguebantur, nec dubium quin & habitu diſtinguerentur. Habitum autem illum *habitu religionis* in Trudonenſi Chronico deſignari credimus, quia huiuſmodi Canonicos olim *Religioſos Clericos* appellatos teſtatur Petrus Griſius in hiſtoria [c] de Clericis Regularibúſue vtriuſque ſexûs, & vt ibi *Religioſus* non ſignificat Monachum, ſic & in prædicto Choronico *Religio* non ſumitur pro Monachatu, nihílque vetat quominùs *habitus religionis* idem cenſeatur qui Religioſi Clerici ſeu Canonici Regularis. Quamuis autem hæc interpretatio non admitteretur, argumenta, quæ præmiſimus, ad opinionis noſtræ confirmationem ſatis auctoritatis habitura confidimus.

[b] Cap. 29.

[c] Sect. 12. n. 5

XLIX. AVRISCANDVS EPISC. REDONENS. ET GOBRIANVS EREMITA MORIVNTVR.

Auriſcandus Redonenſis Epiſcopus hoc anno diſceſſit è vita. Succeſſit Rothandus. Hoc eodem anno migrauit in cælum Sanctus Gobrianus Ve-

netenſis quondam Epiſcopus, qui relicto Epiſcopatu in ſolitudinem ab annis octo ſeceſſerat. In illo eremo Ædiculam erexit cum altari, cuius dextero lateri tumulum ſuum proximum eſſe voluit, curauitque præparari. Morte pòſt imminente, Dilem Epiſcopum Canonicóſque Venetenſes vt ad ſe venirent, per nuncium humillimè poſtulauit. In eorum præſentia prædictum ſarcophagum aperiri præcepit, Eccleſiæ Sacramentis ritè ſe muniuit, animámque Creatori reddidit decimo-ſexto Kalendas Decembris, quo die colitur in pleriſque locis Armoricæ. Lege Albertum de Monte Relaxo in Catalogis Epiſcoporum Redonenſium ac Venetenſium, necnon in vita Sancti Gobriani.

L. Idem Auctor è vetere manuſcripto Codice, aliíſque monumentis, quæ ſeruantur in parœcia Sancti Vitalis * in Ducatu Ratiatenſi, vitam eiuſdem Sancti Vitalis concinnauit, obſeruauítque illum relictâ Britanniâ Inſulâ, vbi lucis vſuram acceperat, ad oſtium Ligeris appuliſſe, auditâque Herenſium * Monachorum famâ ſtatim profectum eſſe ad Herum Inſulam, vbi benigniſſimè ab Abbate loci ſuſceptus Monachum hoc ipſo anno induit. Poſt aliquot autem annos, obtentâ priùs ab Abbate licentiâ, ſeceſſit in pagum Ratiatenſem, vt Eremiticam illic vitam duceret. Domicilium fixit in monticulo, cui nomen tunc *Scobrith*, non procul à ſiniſtra Ligeris ripa.

* *S. Viau an Duché de Retz.*

* *de Nermonſtier.*

VITALIS FIT MONACH. HERENSIS, EREMITA.

---

726. THEODOR. IV. R. 6.

ANNVS CHRISTI 726. THEODORICI IV. R. 6.

I. ANNO Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſexto, ſiue anno ſexto Theodorici Regis, menſe Iulio, Carolus Maior-domûs cùm apud Tulpiacum moraretur, Eccleſiam Vltraiectinam inſigni munificentiâ ditauit. Chartam donationis in Hiſtoria [a] Epiſcoporum Vltraiectinorum ſic recitat Wilhelmus Heda. *Ego in Dei Nomine Inluſter Vir Carolus Maior-domûs, filius Pippini, quondam cogitans caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata abluere poſſim, & donante Deo ad æterna gaudia peruenire. Idcircò trado à die præſenti per hanc paginam Teſtamenti pro redemptione animæ meæ, donatúmque in perpetuum eſſe volo in loco nuncupato Marithaine, vbi Caſtrum fuit, ad Baſilicam, quæ eſt conſtructa in honore Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatæ Mariæ Genitricis Dei, ſed & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omniúmque Apoſtolorum, ſanctíque Ioannis Baptiſtæ, vel ceterorum Sanctorum noſcitur eſſe ædificata, quæ eſt ſita in pago Bathua, villa iuris noſtri nuncupata Heliſte, quantumcunque ibi habuit vel poſſedit Euerhardus, dum ipſe infidelis Regi apparuit, & in Regis Francorum infidelitate, foris patriæ ad infideles ſe ſociauit, & propter hoc omnes res ſuæ in fiſco Regali fuerunt redactæ, quas Glorioſus Rex Hildebertus genitori noſtro Pippino de ſuo fiſco, & ex largitatis ſuæ munere conceſſit, mihíque genitor meus Pippinus iure hæreditario in proprietatem conceſſit ſupramemoratam villam Heliſte, quæ alio nomine Marithaine vocata, quicquid ſupradictus Euerhardus ibi poſſedit vnà cum manſis, terris, caſis, domibus, ſyluis, campis, mancipiis vtriuſque ſexûs, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum; hæc omnia concedimus ad præfatam Eccleſiam, & quicquid Euerhardus habuit in Bathua vel poſſedit, eâ ratione vt Dominus Willebrordus Epiſcopus præfatas res in ius & dominium ſuum recipiat, ſuorúmque ſucceſſorum in Dei nomine ad poſſidendum, itaut ibidem omni tempore proficiat in augmentum pro remedio animæ noſtræ. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, contra hanc traditionis chartam, aliquam iniuſtam interpellationem facere voluerit, imprimis iram Dei Omnipotentis incurrat,*

[a] In Epiſc. 1.

ECCLESIA VLTRAIECTINA DITATVR A CAROLO MAIORE-DOMVS.

Digitized by Google

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

& à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ efficiatur extraneus, & ſit anathemati datus, ſítque maledictus eâdem maledictione, quæ deſcendit ſuper Datham & Abyron, quos terra viuos abſorbuit, &, quod repetit, euindicare non valeat, ſed præſens traditio ad inſtar Teſtamenti à nobis facta omni tempore firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum Tulpiaco publicè menſe Iulio, nono die, anno ſexto regnante Glorioſo Rege Francorum Theodorico. Signum Caroli Inluſtris Viri, qui hanc traditionem fecit & affirmare rogauit. Signum Saleconis Comitis. Signum Folcarij Comitis. Signum Bergetoſienis Comitis. Signum Maguchary Comitis. Signum Lindolphi. Signum Odonis. Signum Agilonis. Signum Herigeri Comitis. Signum Erkenfridi Comitis, qui Aduocatus fuit Epiſcopi, & hanc traditionem manu ſua cum domino ſuo recepit. Aldo Clericus iuſſus à domino meo Carolo ſcripſi & ſubſcripſi hanc Teſtamenti chartam in Dei nomine feliciter, Amen. Eliſte ſiue Heliſte, hodie *Elſt*, pagus eſt medio itinere inter Arnhemum * & Neomagum *. Rurſum hîc obſerua de Carolo, quòd non Principem Francorum ſed Maiorem-domûs ſe vocat, ſuíſque literis non annum ſui Maioratûs ſed annum Theodorici Regis apponit.

* *Arnhem.* * *Nimegue.*

II. Hoc eodem anno, menſe Octobri, Rohingus eiúſque coniux Bebelina Willebrordo Epiſcopo Vltraiectino Eccleſiam Caſtri Antuerpienſis & tertiam telonei partem donarunt. Charta donationis apud Aubertum Miræum in Codice [a] donationum legitur ex Epternacenſi Tabulario ſic deſcripta. *Credimus mercedis lucra conquirere, ſi aliquid de rebus noſtris, pro peccatis noſtris redimendis, Sacerdotibus Dei conferimus. Igitur ego in Dei Nomine Rohingus & coniux mea Bebelina donamus Apoſtolico Domino & Patri noſtro Willibrordo Epiſcopo, donatúmque in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt, Eccleſiam, quæ conſtructa eſt infra Caſtrum Antuerpis ſuper fluuium Scalde, quam Dominus Amandus Pontifex in honore SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Principum, vel ceterorum Sanctorum conſtruxit, & nos pro ipſa Eccleſia, vel quidquid ibidem aſpicere videtur, venerabili viro Firmino Abbati de Monaſterio Quercolodora locellum noſtrum nuncupatum Tumme in concambio dedimus, & nos poſteà à die præſenti iam dictam Eccleſiam vnà cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, manſis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmque decurſibus, adiacentiis, appendiciis, ibidem aſpicientibus, farinariis, gregibus cum paſtoribus, mobilibus & immobilibus, re acquiſita & inacquiſita, totum & ad integrum, quidquid dici vel nominari poteſt, tam de dote quàm de comparato, vel de qualibet re ad nos noſcitur perueniſſe, nos à die præſenti, ſupraſcripto Domino Willibrordo donamus atque tradimus; & illud telonium, quod ad partem noſtram ibidem venerat, hoc eſt, illam tertiam partem ad integrum ei conceſſimus atque donauimus, in ea ratione, vt ibi thus vel luminaria debeant eſſe procurata, & Presbyteri, qui ibi ſeruiunt, pro peccatis noſtris Domini miſericordiam debeant exorare, & vt ipſe ſupraſcriptus Dominus Willibrordus ipſam Eccleſiam, vel quidquid ibidem aſpicere videtur, ſeu ipſum telonium habeat, teneat atque poſſideat, dandi vel commutandi, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem. Si quis verò (quod futurum eſſe non credo) hæredum vel prohæredum meorum, vel qualibet oppoſita perſona contra hanc donationis chartam venire tentauerit, & eam infringere conatus fuerit, primitus iram Dei Omnipotentis incurrat & Sanctorum Angelorum, & à liminibus Eccleſiæ alienetur, partémque habeat cum Iuda, & vltione Ananiæ & Saphiræ vel leprâ Giezi percutiatur, inſuper inferat fiſci iuribus auri libras duas, argenti pondo quinque. Nec ſi quid repetit, euindicare valeat, ſed firma & immobilis hæc donatio perennibus temporibus permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum publicè eſt hoc Weimodo, Regiâ villâ, cùm fecit October dies viginti, regnante Theodorico Rege anno ſexto.* Baſilica, cuius mentio fit in hac Charta, Caſtrenſis hodie ſeu Burgenſis Eccleſia, vulgò *Borchkerke* nuncupatur, haud procul à ripa Schaldis ſita, in veteri oppido ſeu burgo Antuerpienſi, cuius ambitus fuit perexiguus, quod foſſæ etiamnum integræ demonſtrant, vt Miræus in ſuis ad eandem Chartam Notationibus obſeruat. Idem Auctor locellum *Tumme*

[a] Cap. 6.

WILLIBRORDVS EP. VLTRAIECTINVS MVNIFICOS EXPERITVR ROHINGVM ET EIVS VXOREM BEBELINAM.

Digitized by Google

ſuſpicatur eſſe Turninum *, de quo locuti ſumus ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum, vbi ſermonem fecimus de Sancto Fredegando Preſbytero, Sancti Furſei quondam Diſcipulo, qui populum Antuerpienſem erudiuit. AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6. * Doorne. III.

In eodem Epternacenſi Tabulario reperitur hoc alterius donationis à Rohingo quoque factæ fragmentum, quod Miræus in Notitia [a] Eccleſiarum Belgij & in Codice [b] donationum publicauit. *In nomine Dei, ego illuſter vir Rohingus & coniux mea Bebelina donamus ad Sacroſanctam Eccleſiam Petri & Pauli Apoſtolorum, quam Dominus Amandus Pontifex in Antwerpo conſtruxit, vbi Willibrordus Epiſcopus praeſſe videtur, donatúmque in perpetuum eſſe volumus, hoc eſt, villam noſtram, quæ eſt conſtructa in pago Renenſium ſuper fluuium Nutta, quæ mihi de paterno iure legibus obuenit, in loco nuncupato Prepruſdare, cum omni integritate, & in alio loco de materno iure ad me pertinente, vocato Winlindechim, medietatem de caſis, domibus, Eccleſiis, mancipiis, & omnibus pertinentibus, tradimus atque transfundimus* ...... Deſunt cetera. Pagi Renenſis ſeu potiùs Rienſis * caput eſt Antuerpia. Nutta ſeu Neta fluuiolus per eundem pagum Rienſem & Liram oppidum lapſus in dexteram Rupelæ ripam deuoluitur. Locus *Winlindechim*, hodie *Wiinechem* vicus eſt altero lapide ab Antuerpia paulò ſupra Turninum.

[a] Cap. 15.
[b] Cap. 7.
* *Le Payi de Ryen*

IV. Extat & in eodem Epternacenſi Tabulario Teſtamentum Willibrordi Epiſcopi Vltraiectini, quod hoc eodem ſexto Theodorici Regis anno conditum ſic inuenitur apud Miræum in Codice [c] donationum iam laudato. *In Chriſti nomine. Oportet Chriſtianos viam veritatis agnoſcere, per quam Creatori ſuo dignè meritis ſuis ſeruire poſſint, vt oblatio eleemoſynarum eorum & deuotio perueniat ad ſalutem, ipſo Summo dicente, [Date & dabitur vobis] & [facite eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.] Idcircò ego in Dei nomine Clemens Willibrordus Epiſcopus cogitans caſum humanæ fragilitatis, qualiter peccata mea poſſum abluere, & donante domino ad æterna gaudia peruenire, dono à die præſenti, donatúmque eſſe perennibus temporibus volo, hoc eſt, ad Monaſterium Epternacum, quod eſt conſtructum ſuper fluuio Sura, in pago Bedenſi, in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, & SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, & S. Ioannis Baptiſtæ, vel ceterorum Sanctorum, vbi ego ipſe Clemens Willibrordus cuſtos vel gubernator præeſſe videor, &, ſi Chriſto placet, corpus meum ibidem requieſcere debet. Hoc eſt, quod dono vel trado ad ipſum ſanctum locum Epternacum omnem rem, vel villas, ſeu mancipia, quæ mihi ingenui Franci, pro amore eorum & ſalute, tradiderunt vel condonauerunt. Similiter illas res, quas Dominus Pipinus mihi condonauit vel delegauit, ſeu matrona ſua Plictrudis, ſiue filius ſuus Dominus noſter Carolus, Maior-domûs, quas res ipſas Dominus Carolus & genitor Pipinus, tam me viuente, quàm de iſta vita migrante, pro eorum mercede condonauerunt. Et illas alias res ex parte denomino, vel homines qui mihi eas tradiderunt vel delegauerunt, id eſt, vt hac ſcriptura ſolenniter, pro temporum ſerie, confirmare debeat; & hi ſunt homines nominibus his nominati. Rohingus mihi condonauit vel tradidit Eccleſiam aliquam, quæ eſt conſtructa in Antuerpo Caſtello ſuper fluuio Scalde in pago Renenſium cum appendiciis ſuis, villas denominatas his nominibus, Baccualde, Wimmelincheime, Furgalare, & in ipſo Caſtello Antuerpo tertiam partem de illo teloneo. Et Heribaldus Clericus mihi condonabat & tradidit Eccleſiam aliam in pago Marſum, vbi Moſa intrat in mare, cum appendiciis ſuis, & mariſcum vnde berbices naſcuntur. Et Angilbaldus mihi condonabat vel tradidit villam, quæ vocatur Wadradoch, in pago Taxandrio, ſuper flumine Duthmala. Et Ansbaldus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem ſuam in villa, quæ vocatur Buſloth, in pago Taxandrio. Et Berethinda, Deo ſacrata fœmina, mihi condonabat vel tradebat omnem portionem ſuam in villa Bobanſchot, in pago Taxandrio. Et Henricus mihi condonabat in villa, quæ vocatur Pieplo. Et Engelbertus mihi quondam donabat vel tradebat mihi omnem portionem ſuam in villa, quæ vocatur Hineſloten in pago Taxandrio. Item quod Engelbertus mihi condonabat vel*

[c] Cap. 8.
CONDIT TESTAMENTVM.

Digitized by Google

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

tradebat villam, quæ vocatur Alpheim, in ipſo pago Taxandrio. Item Anſbaldus Clericus mihi condonabat vel tradebat villam, quæ vocatur Dioſna, in pago Taxandrio, ſuper fluuio Digena. Et Thietbaldus mihi condonabat vel tradebat Eccleſiam aliquam, quæ eſt in villa Montnachim, quæ Ataride vocatur, cum appendiciis ſuis. Et Illuſter Vir Hedenus mihi condonabat vel tradebat omnem portionem ſuam in villa, quæ vocatur Aimiſtadi, ſuper fluuio Wielheo, in pago Turingaſnes. Superiùs nominatas vel ſcriptas res ego Clemens Willibrordus trado atque transfundo ad illam caſam Dei ſuperiùs nominatam Epternacum, vel ad illam Sanctam Congregationem fratrum ibidem Deo ſeruientium, eâ verò ratione, vt quidquid de iiſdem rebus ſuperiùs nominatis facere decreuerint, in omnibus habeant poteſtatem faciendi, vt & ibidem omni tempore pro noſtra mercede vel ſeniore noſtro Carolo, Maiore-domus, ſeu eorum hominum, qui mihi ſuas res tradiderunt, proficiant in augmentis. Et illud placuit nobis inſerendum. Si fuerit vllus de heredibus vel prohæredibus meis, ſeu qualibet oppoſita aut extranea perſona, ſeu indiciaria poteſtas, quæ contra hoc Teſtamentum vel Donationem meam, quam ego Clemens Willibrordus Epiſcopus ſanâ mente plenóque conſilio & deuotione integrâ fieri iuſſi, venire aut agere, vel etiam infringere voluerit, & ſi iſta Charta ei oſtenſa ad relegendum fuerit præſentata, ſe exinde compeſcere noluerit, imprimis iram Dei Omnipotentis incurrat & Sanctorum Angelorum, & ab omnibus Eccleſiis vel conſortio Chriſtianorum efficiatur extraneus, & habeat partem cum Iuda, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiron, quos terra viuos deglutiuit, & inſuper inferat cum forio fiſco auri libras decem, argenti pondo quinquaginta coactus exſoluat, & quod repetit euindicare non valeat. Actum anno VI. *regnante Theodorico Rege.*

V. De ſitu [a] Epternacenſis Monaſterij, déque Rohingi [b] donationibus, & de pago [c] Taxandrio ſiue de Taxandria dictum ſuprà. Reſtat vt quorumdam locorum Nomenclaturam hîc attendamus. *Bacuualde*, hodie *Boecholt*, & *Winnelincheime*, hodie *Wiineghem*, de quo nuperrimè locuti ſumus, duo ſunt vici Campaniæ ſeu Campiniæ Brabanticæ prope Antuerpiam. *Furgalare* videtur ager eſſe *Woghelaer* prope eandem Antuerpiam Turninum verſùs. In Heribaldi donatione, *mariſcum* locus eſt paludoſus, Belgis *moras*, Francis *marais*, & *berbices* piſces ſunt in Moſa frequentes, *Barbeelen* vulgò dicti. *Duthmala* * fluuius, ſuper quo ſitæ res ab Angilbaldo collatæ, per Boxtellam & Syluam-Ducis in Moſam defluit. Villa *Bobanſchot*, hodie vicus *Boeſchot*. *Pieplo* nunc *Poppel*, vicus inter Herentaliam & Syluam-Ducis. *Alpheim*, hodie *Alphen*, vicus eſt tertio lapide à Breda. *Dioſna*, nunc *Dieſſen* vicus eſt primo lapide ab Hiluaribeca.

[a] Ad an. 698. n. 6. [b] Hoc anno, nn. 2. 3. [c] Ad an. 685. n. 50.

* *la Dommele.*

VI. MIRACVLIS CLARET IN HORREENSI MONASTERIO

Willibrordus Epiſcopus, vt Alcuinus in eius vita teſtatur, multis miraculis inclaruit, è quibus vnum duntaxat commemorabimus, vnde Miſſæ & aquæ benedictæ effectum ſingularem notare poſſis. *Eſt in Treuerenſi ciuitate Monaſterium, quod temporibus beati Willibrordi Epiſcopi peſtis acerrima inuaſit. Cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur, quædam verò longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo. Ceteræ verò nimio terrore turbatæ, quaſi præſentem mortem metuebant. Et quia propè eſt prædictæ ciuitati ſancti viri Monaſterium, quod appellatur Epternaco, ideo antedicti fœminæ Monaſterij audientes ſanctum virum illuc venire, ſtatim miſerunt legationes, poſtulantes eum non tardare venire. Qui beati Petri Principis Apoſtolorum mitiſſimo doctus exemplo, de Ioppe ob viduarum Chriſti petitionem venientis Lyddam, vt ſanctam ſuſcitaret Tabitham, feſtinus venit, audito deſiderio ancillarum Chriſti, ad illas. Et veniens, mox in eodem Monaſterio Miſsâ pro infirmis celebratâ aquam benedixit, quâ & domos illarum adſpergi iuſſit, & ægrotantibus potandam transmiſit. Quæ citò, diuinâ donante miſericordiâ, conualuere, nec vlla in eo Monaſterio prædictâ peſte exinde moriebantur.*

VII. CORAM IRMINA ABBATISSA.

Monaſterium, cuius nomen Alcuinus reticuit, Ioannes Trithemius libro tertio [d] de Viris Illuſtribus Ordinis Benedictini interpretatur Horreum, vulgariter *Oëren*, cui tunc Irmina fundatrix ac prima Abbatiſſa, Dagoberti Secundi quondam Regis filia, non ſemel à nobis iam laudata, præerat. Idem Auctor

[d] Cap. 138.

Digitized by Google

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

Auctor prædicto miraculo dedicationem Parochialis Eccleſiæ ſic ſubiungit. *Hic etiam beatiſſimus Pontifex* Willibrordus *Parochialem Eccleſiam Sancti Pauli iuxta Horreum à Sancta Irmina cum duodecim præbendatis fratribus inſtitutam eodem tempore dedicauit.* Tum elogium eiuſdem Irminæ benè prolixum ſic abſoluit. *Sancta virgo, vt ſe dignam Chriſto ſponſam redderet, totis viribus inſiſtebat obſeruantiæ regulari, quam ſuo tempore in eodem Monaſterio multis virtutibus roborauit, tandem poſt multos labores à Domino Ieſu ad thalamum æternæ felicitatis vocata non ſine manifeſtis indiciis ſanctitatis, beata illa anima carne exuta tranſuolauit ad cælos nono Calendas Ianuarij, illuceſcente iam die ipſâ Chriſti Natiuitatis. Eius autem feſtum propter Natalem Domini diem, ad decimum Calendas Ianuarij, celebrandum præuenitur. Huius corpus poſt multos annos de ſepulchro leuatum, integrum & ſine corruptione inuentum eſt. Sicut etiam capitis eius ſacratiſſimi decor demonſtrat, quod nos in noſtro habere Cænobio Spanhemenſi ſuprà iam diximus. Reliqua autem pars corporis in Monaſterio Sanctorum Petri & Pauli in Wiſſenburg recondita dicitur. Nam in Monaſterio ſuo Treuerenſi parum de eius Reliquiis nouimus haberi.* Hæc Trithemius. Lege quæ Tomo ſuperiore per occaſionem ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-ſecundum [a] de capite Sanctæ Irminæ Spanheimium delato dicta ſunt. Iodocus Coccius, qui poſt Trithemium ſcripſit, idem caput in Eccleſiam Weiſſenburgenſem relatum affirmat, idque contigiſſe ſuſpicatur [b], *ex quo hæreſis Spanheimij inundans ſacra omnia cœpit peſſundare*: Sed extra noſtrorum Annalium metas hæc obſeruatio.

[a] Nn. 78. 79.

[b] Cap. 18.

VIII. An Irminæ ſucceſſit Modeſta?

Quonam anno Sancta Irmina in cælum migrarit, *id incertum* ait Bruſchius in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ. Super Abbatiſſis, quæ proximè ſucceſſerunt, non leuis eſt difficultas. Apud Scheckmannum titulo primo de Monaſterio Sanctimonialium virginum in Horreo recenſentur hoc ordine, Modeſta, Anaſtaſia, Baſiliſſa, Helia, Iulia, Lucia. Sic autem apud Bruſchium in eodem Horreo, Modeſta, Iulia, Helya, Anaſtaſia, Baſiliſſa, Lucia. Bruſchio ſuffragatur Bucelinus parte ſecundâ Germaniæ Sacræ. Sed Modeſta Antiſtita, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſexageſimum [c] iam probauimus, expungenda eſt ex Horreenſium Abbatiſſarum Catalogo, Monaſterium enim Auendenſe ſeu Sancti Montis, hodie Sancti Romarici * gubernauit. Difficultatem agnouit Trithemius. In compendio enim libri primi Annalium Francorum ſub Clodoueo Secundo, cuius ſororem Irminam fuiſſe ſibi perſuaſit, de eadem Irmina ſubſequentibúſque Horreenſibus Abbatiſſis determinatè ſic locutus eſt. *Huic Irmina in regimine Sanctimonialium Cænobij memorati ſucceſſit Modeſta, Cænobij Romarici alumna, & filia ſororis beati Modoaldi Archiepiſcopi Treuirorum; poſt quam Anaſtaſia, & quarto loco Baſiliſſa. Quæ inter Sanctos omnes ſunt relatæ.* Deinde libro tertio [d] de Viris Illuſtribus Ordinis Benedictini, cùm de Modeſta Antiſtita ſermonem fecit, illam conſtanter Horreenſibus Abbatiſſis accenſere non eſt auſus. *Volunt*, inquit, *quidam, quòd hæc ſacrata virgo fuerit ſecunda Abbatiſſa in Horreo Treuerenſi, quod an ita ſit, temporis diſſenſio me non ſinit diſcernere. Probet alius.* Certè Modeſta Monialis Auendenſis, quæ Sancti Modoaldi Treuirenſis Epiſcopi neptis ex ſorore fuit, ætate plurimùm differebat ab Antiſtita, quæ Monaſterium Horreenſe poſt beatam Irminam rexit. Modeſtæ Irminam longo annorum ſpatio ſuperſtitem declarant multa, quæ Tomo ſuperiore de vtraque narrata ſunt.

[c] Num. 2.

* Remiremont.

[d] Cap. 143.

IX.

Qui Modeſtam in Horreenſium Abbatiſſarum Catalogo retinendam pertinaciùs contendunt, illam Sancti Willibrordi ſororem fuiſſe fabulantur. Scheckmannus ſic. *Non defuit huic Congregationi* Horreenſi *Pater Willibrordus, quin ſalubri ſuo hortamento eam ad rectiſſima vitæ frugem induceret. Succeſſerunt alteræ aliis approbatæ virgines in Prælatura. Modeſta virgo ſanctiſſima, alumna Cænobij Montis Romarici, contemporanea & collactanea Sanctæ Gertrudis virginis, filia ſororis Sancti Modowaldi, &, vt aliqui dictitant, ſoror Sancti Willibrordi.*

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

Bruſchius ſic. *B. Modeſta S. Willibrordi Archiepiſcopi Vltraiectini ſoror, & S. Modewaldi Treuirorum Epiſcopi è ſorore neptis, alumna priùs Montis Romarici Monialium antiquiſſimi Cœnobij, beatæ Gertrudis familiaris ſocia, ſucceſſit ad aliam patriam euocatæ, ex hac lachrymarum valle, dominæ Irminæ.* Bucelinus ſic. *Succeſſere ſanctiſſimæ Antiſtiti* Irminæ, *memorando ad æternitatem omnem exemplo plures deinceps ex ordine, pari vt regiminis ſic vitæ dignitate. S. Modeſta nimirum, S. Willibrordi Archiepiſcopi Vltraiectini ſoror,* &c.

X. Tres autem hi Scriptores, ſi verba eorum attentè perpenduntur, inter ſe plurimùm differunt. Scheckmannus Modeſtam Sancti Modoaldi neptem ex ſorore fuiſſe multò aſſeuerantiùs ſcribit quàm eandem Sancti Willibrordi ſororem extitiſſe; primum indubitanter aſſerit, alterum ait ab aliquibus tantùm dictitari. Bruſchius vtrumque affirmat intrepidè. Bucelinus Modeſtam ſororem Sancti Willibrordi conſtituit, Sancti autem Modoaldi neptem ex ſorore neutiquam prodit, quia rem arbitratur incredibilem, vt eadem Abbatiſſa Sancti Modoaldi neptis ex ſorore ſorórque Sancti Willebrordi cenſeatur. Fuit Modoaldus *ex inclyta Aquitanorum proſapia*, duas habuit ſorores Ittam & Seueram; Itta Pippino Landenſi peperit Grimoaldum, Gertrudem & Beggam Pippini Herſtallij matrem futuram; Seuera Monaſterio Sancti Symphoriani cum Abbatiſſæ titulo præfuit. Lege [a] ipſiuſmet Modoaldi vitam ab Abbate Stephano conſcriptam, nullum ibi verbum reperies de alia ſorore, quæ nupſerit in Britannia, matérque fuerit cùm Willebrordi Epiſcopi tum Modeſtæ Abbatiſſæ. Prætereà quis ſibi perſuadeat Modeſtam, quæ Monialibus Auendenſibus, cùm Gertrudis Abbatiſſa Niuigellenſis obiit, anno Chriſti ſexcenteſimo vndeſexageſimo præerat, poſt annos ſexaginta & ampliùs ad regimen Horreenſis Monaſterij tranſlatam fuiſſe?

[a] Ap. Sur. d. 12. Maij.

XI. AN DVÆ DISTINGVENDÆ MODESTÆ? Ergo, ſi beatæ Irminæ Modeſta ſubſtituitur, duæ diſtinguendæ ſunt Modeſtæ; vna quæ Sancti Modoaldi neptis ex ſorore fuerit, & in Auendenſi Cœnobio munus Abbatiſſæ ſapienter exercuerit regnante tum Clotario Tertio; altera quæ Willibrordi Epiſcopi ſoror habeatur, & Horreenſis Monaſterij Præfecturam temporibus Theodorici Quarti Regis obtineat. Sed de hac Willibrordi ſorore altum apud antiquos Auctores ſilentium, &, vt dictum ſuprà, Modeſta è Catalogo Horreenſium Abbatiſſarum expungi debet. Sanctæ Irminæ in adminiſtrationem Horreenſis Monaſterij ſucceſſit Anaſtaſia, quæ vinearum commutationem cum Willibrordo fecit. Theodericus enim ex veteribus teſtamentorum codicillis apud Browerum hæc refert teſte Henſchenio in Diatriba [b] de tribus Dagobertis. *S. Willibrordus & Domina Anaſtaſia Abbatiſſa puellarum in Horreo fecerunt inter ſe commutationem vinearum, & dedit Dominus Willibrordus Dominæ Anaſtaſiæ vineæ petituras duas, in monte Paginſe iuxta flumen Rhenum, cum vinitore & omni peculio ſuo, quæ ſibi illuſtris fœmina Irmentrudis filia Pantini, conſobrina S. Irminæ, dederat; & recepit ab ea alias duas petituras in monte Cabracenſi ſuper flumen Moſellæ cum vinitore & omni peculio.*

[b] L. 2. c. 12.

XII. AN DVÆ DISTINGVENDÆ IRMINÆ? Willibrordus Boſchartus diſſertatione nonageſimâ nonâ de Friſiæ veteris primis Apoſtolis, vt Henſchenius loco proximè citato teſtatur, duas Irminas, filias Regum Dagobertorum, obtrudit, & quia Dagobertum Secundum penitus ignorat, alteram Dagoberti Primi, alteram Dagoberti Tertij filiam ſcribit. Seniorem agnoſcit primam fundatricem Horreenſis Monaſterij, cuius fundationem poſt eius diſceſſum Modeſta cum Modoaldo Epiſcopo Treuirenſi auunculo ſuo promouerit. Iuniorem arbitratur *deuotam Sancto Willibrordo* fuiſſe. Sed vtrobique à recta Chronologia procul aberrat.

XIII. Quæ de Seniore Irmina profert, Priuilegio, quod Horreenſi Monaſterio Leo Papa conceſſerit, innixa dicit. Illud Priuilegium libro ſecundo [c] Diplomatum Belgicorum à Miræo ſic publicatum eſt. *Ego Leo, Vicarius Sancti*

[c] Cap. 3.

Digitized by Google

Petri Principis Apoſtolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipſius dignitate Romani fungens Præſulatûs, Cœnobium Horreenſe à Modowaldo Treuerorum Archiepiſcopo, ſubminiſtrante beatâ Modeſtâ, filiâ ſororis eius, è Regalibus horreis, à quibus & nomen accepit, ad diuini cultûs officium reſtaurandum, poſt diſceſſum beatæ Virginis Irminæ, quæ prima hunc locum prouehendum ſuſcepit, tantâ reuerentiâ & honore apprimè donatum accepimus, vt matre iſtius Congregationis vitâ excedente, nulla ab extraneis quocumque modo, ſed vna ex ipſis ſubrogetur, Principibus Eccleſiæ Treuirenſis ex conſulto fauentibus, ſororibus electione potitis, ipſo quoque Præſule deuotè annuente. Quod tantâ auctoritate ſubnixum, vt in æternum ſtabile permaneat & fixum, in nomine Ieſu Chriſti Domini noſtri, Sanctique Prædeceſſoris Petri, & omnium electorum Dei, æterno ſeruetur damnandus iudicio, ſi quis Prælatus tanto hîc commorantes exinaniuerit Priuilegio. Fiat, fiat. Amen, amen. Miræus & Boſchartus Auctorem iſtius Priuilegij faciunt Leonem Secundum, cuius Pontificatus partim anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-tertio, partim anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-quarto illigatur. Browerus, quia Sanctam Irminam Leoni Secundo ſuperſtitem nouit, recurrit ad Leonem Tertium, prædictúmque Diploma cenſet *à poſteris interpolatum*, vt inde nihil certi confici poſſit, nos ſuppoſititium remur. Quis enim Irminam Dagoberti Regis & Nanthildis filiam priùs mortuam credat, quàm Horreenſe Monaſterium, Modeſtâ ſumptus ſubminiſtrante, Modoaldus Epiſcopus inſtauraret? Dagobertus Magnus teſte Fredegario [a], *cùm iam anno* VII *regnaret*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo duodetriceſimo Nanthildem duxit, Irminam anno ſequenti natam ſi ſupponas, ab eius ortu ad obitum vſque Modoaldi Treuirenſis Epiſcopi numerabis annos circiter decem.

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

[a] In Chron. c. 58.

XIV. Corruunt etiam quæ de Iuniore Irmina, Sancto Willibrordo deuota, proferuntur à Boſcharto, hæc enim quomodo Dagoberti Regis, qui Childeberto Patri ſucceſſit, filia cenſeri poteſt, cùm Epternacenſe Monaſterium, vt ſuo loco dictum eſt, anno quarto eiuſdem Childeberti dotauerit? Ex illius donationis chartula, quam Miræus libro ſecundo [b] Diplomatum Belgicorum & in Notitia [c] Eccleſiarum Belgij publicauit, rectè infert Henſchenius Irminam iſtius Dagoberti filiam aſſeri non poſſe, quin nata cenſeatur *ante annum* Childebertum, *qui iuuenis cœpit regnare.*

[b] Cap. 4.
[c] Cap. 11.

XV. Non igitur Irminæ duæ, ſed tres diſtinguendi ſunt Dagoberti, è quibus duo tantùm, Primus videlicet ac Tertius, in notitiam Boſcharto venerunt, neutrius autem iſtorum, at Secundi filia fuit Irmina. In Auſtraſia, vbi Treuiri, tres regnarunt Dagoberti, Primus ab anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-tertium, Secundus ab anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, Tertius ab anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum. Irmina patrem habuit Dagobertum Secundum, ſed eo nata eſt nondum Rege cùm in Hybernia exularet, Horreenſe Monaſterium patre adhuc ſuperſtite conſtruxit, nec ei tantùm, ſed & illius ſucceſſoribus Theodorico Tertio, Clodoueo Tertio, Childeberto Tertio, Dagoberto Tertio, Clotario Quarto & Chilperico Tertio ſuperuixit, obiítque regnante tum Theodorico Quarto, Dagoberti Tertij filio, Dagoberti Secundi agnato, Dagoberti Primi atnepote, vt ſequens tabula te docebit.

Digitized by Google

DAGOBERTVS I.

Sigibertus III. — Clodoueus II.

Sigibertus III.: Dagobertvs II.

Clodoueus II.: Clotarius III. Childericus II. Theodoricus III.

Dagobertvs II.: Irmina Abb. Horreensis.

Childericus II.: Chilpericus III.

Theodoricus III.: Clodoueus III. Childebertus III. Clotarius IV.

Childebertus III.: Dagobertvs III.

Dagobertvs III.: Theodoricus IV.

XVI. Irminæ ſorores, Rothildis, Addvla, Ragintrvdis. — Sanctæ Irminæ tres fuerunt ſorores, Adela, Ragintrudis & Rothildis. De Rothilde ſeu Rithilde vel Rathilde, cuius meminit Coccius [a], capienda ſunt Acta Sancti Florentij Argentoratenſis Epiſcopi, qui filiam Dagoberti Regis *à natiuitate cæcam & mutam* ſanauit. Adela ſiue Adhela vel Addula, poſt mariti mortem, Irminæ ſororis exemplo inflammata, monaſtico item cultu aſſumpto, ſanctiſſimam vitam traduxit, ac Monaſterio Palatiolo, quod ad Moſellæ ripam ædificarat, Abbatiſſa præfuit, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum iam diximus. Extat illius Teſtamentum apud Browerum & Henſchenium, quod ad duodecimum Theodorici Quarti Regis annum, quo datum reperitur, integrum deſcribemus. Ragintrudis ſeu Regentrudis in eadem Charta memoratur, Adela enim, vbi varia enumerat bona, quorum hæredem Eccleſiam Palatiolenſem ſcribit, non omittit ea, quæ dato pretio à dulciſſima ſorore ſua Regentrude comparauit. *Similiter*, inquit, *à Deipara Matris hoc Monaſterio poſſideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis Beſlanciòque ſita; quæque à dulciſſima germana mea Regentrude dato pretio comparaui.*

[a] Cap. 11.

XVII. Abbatiſſæ Horreenſes. — Anaſtaſia, quæ Monaſterium Horreenſe poſt Sanctam Irminam adminiſtrauit, in Martyrologio Benedictino colitur quinto Idus Septembris, ibíque donatur hoc elogio. *Treuiris Monaſterio Horreo, depoſitio Sanctæ Anaſtaſiæ, tertia illius loci Abbatiſſæ & virginis.* Auctor iſtius Martyrologij loquitur in eorum opinione, qui ſecundum locum Modeſtæ, tertium Anaſtaſiæ tribuunt in Horreenſium Abbatiſſarum Catalogo, Sauſſaius idem quoque præſtat ad eundem diem in Martyrologio Gallicano. Sed, quidquid hi ſcribant, abradendum Modeſtæ nomen, nec Anaſtaſia Hortei tertia dici debet Abbatiſſa, ſed Baſiliſſa, quæ proximè ſucceſſit Sanctæ Anaſtaſiæ, vt hæc Sanctæ Irminæ. Licèt autem ignoremus, quot annos hæ cœtui Monialium ſingulæ præfuerint Abbatiſſæ, ex prædictis admodùm probabile nobis videtur plures apud Horreum haud inſtitutas fuiſſe, donec Pippinus Regiâ dignitate potiri cœpit.

XVIII. Gregorii PP. reſponſiones ad interrogationes Bonifacii Ep. — Hoc anno Bonifacius Epiſcopus Denualem Preſbyterum è Germania Romam miſit, & Gregorium Pontificem Romanum de quibuſdam quæſtionibus per literas conſuluit. Ad ſingulas conſultationes reſpondit Papa decimo Kalendas Decembris, Indictione decimâ inchoatâ, cœptíſque anno Leonis Imperatoris decimo & anno Conſtantini Imperatoris ſeptimo. Initium Pontificiarum literarum tale eſt. *Reuerentiſſimo [1] ac Sanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Deſiderabilem [2] mihi à te miſſus Denual Religioſus Presbyter attulit nuncium, cùm te ſoſpitem narrauit, & in miniſterio, pro quo miſſus es, fauente Deo, proficere nuntiauit. Detulit etiam à te miſſas literas, vbi indicaſti quòd ager dominicus, qui incultus iacebat, & ſpinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomere tua doctrina exarante, ſemen ver-*

[1] Baron. Reuerendiſſimo.
[2] Baron. Deſiderabile.

Digitized by Google

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

bi ſuſcepit, & fertilem meſſem protulit fidelitatis. In iiſdem literis quadam ſubnexuiſti Capitula, ſciſcitando qualiter teneat vel doceat hac [3] *ſancta Apoſtolica Romana Eccleſia. Benè* [4] *ſatis, quia beatus Petrus Apoſtolus & Apoſtolatûs & Epiſcopatûs principium extitit, & conſulenti tibi de ſtatu Eccleſia, non ex nobis quaſi ex nobis, ſed eius gratiâ, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas, qualiter tenere debeas, Apoſtolici vigoris doctrinam dicimus.* Sequuntur duodecim reſponſiones, de quibus ſingulatim agendum.

3. Baron. deeſt *hac.*
4. Baron. *noſcis ſatis.*

I. Igitur in primis legebatur, in [5] *quota progenie propinquorum matrimonium copulatur. Dicimus quòd oportuerat quidem, quamdiu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad huius copula non accedere ſocietatem. Sed quia temperantia magis, & præſertim in* [6] *tam barbara gente plùs placet, quàm diſtrictio cenſura, concedendum eſt, vt poſt quartam generationem iungantur.* Similem quæſtionem Gregorio Magno propoſuit Auguſtinus Anglorum primus Epiſcopus, & ab eo reſponſionem paulò mitiorem accepit, *vt iam tertia, vel quarta generatio fidelium licenter ſibi iungi debeat.* XIX.

5. Serar. *Vt quarta progenies propinquorum matrimonio copuletur.*
6. Baron. *Inter barbaram gentem.*

II. Nam quòd propoſuiſti, quòd ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum eſſet ſi ſic permaneret, vt abſtinentia vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille, qui ſe non poterit continere, nubat magis: non tamen ſubſidij opem ſubtrahat ab illa [7], *cui* [8] *infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit.* Hoc loco *nubere* dicitur de viro, nec id alienum ab antiqua vocis vſurpatione, *nubere* enim, teſte Nonio, *veteres non ſolùm mulieres ſed etiam viros dicebant.* Eſt autem maior de re quàm de verbo difficultas, cùm Pontifex matrimonij diſſoluendi poteſtatem facere videatur. Lege partem ſecundam Decreti, cauſâ triceſimâ-ſecundâ, quæſtione ſeptimâ, capite duodeuiceſimo. Gratianus, poſtquàm reſponſum Gregorij proximè recitatum allegauit, de eo ſic loquitur. *Illud Gregorij ſacris Canonibus, immò Euangelica & Apoſtolica doctrina penitus inuenitur aduerſum.* Sed rectè Gloſſa ibidem obiicit, quòd *Leo Quartus dicta Gregorij minoris ſine exceptione mandauit tenenda*, vt habetur parte primâ Decreti, diſtinctione viceſimâ, capite primo, vbi *Gregorij iunioris* ſeu minoris aut Secundi nomen exprimitur inter Præſules Romanos, *per quos iudicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul iudicantur & Clerici.* Multæ in eadem Gloſſa tanguntur propoſitæ difficultatis enodationes. Ex omnibus ea placet, quæ Pontificem ait *de muliere arcta* loqui, modò per vnam quaſi ſpeciem, vt Serarius notat, intelligatur ſynecdochicè totum ægritudinis genus, quod mulierem ad coniugium impotentem ineptámque reddit. Huiuſmodi enim impedimentum non ſinit ratum eſſe coniugium, & matrimonio iam contracto diremptionem infert. Vnde Baronius [a] ad illud loci, *verba Gregorij ſic accipias*, monet, *vt dicat de impedimento perenni, quod neſciebatur vbi contraxit.* Per *opem ſubſidij*, quam Pontifex iſtiuſmodi mulieri iam dimiſſæ ſubtrahendam negat, intelligitur omnis honeſta illam iuuandi occaſio, ſi qua ſeſe offerat; non autem illa ſuſtentatio & cura, quæ neceſſariò vxori à viro præſtanda eſt. Æquum enim, vt quæ arctiſſimo amoris vinculo ſe viro iungere cupiebat fœmina, cùm eam non culpa voluntatíſque immutatio, ſed neceſſitas disiungat, adhuc diligatur, omníque honeſtâ & opportunâ ratione adiuuetur. XX.

7. Alford. *Ea*
8. Baron. *Quam.*
[a] Hoc an. n. 45.

III. De [9] *Presbytero verò, ſi quilibet Sacerdos à populo fuerit accuſatus, ſi certi non fuerint teſtes, qui criminis illati approbent veritatem, iuſiurandum* [10] *erit in medio, & illum teſtem proferat de innocentia ſua puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia, ſícque maneat in proprio gradu.* Ratio eſt, quia donec fateatur crimen, aut reus conuincatur, innocens habetur. XXI.

9. Baron. *Presbyter verò vel quilibet Sacerdos.* Serar. *De Presbytero verò vel quolibet Sacerdote à populo accuſato.*
10. Serar. *Iureiurando.*

IV. Nam de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis reiteratio prohibenda eſt. Hæc leguntur apud Gratianum de Conſecratione, diſtinctione quintâ, capite nono, citantúrque perperam ex Gregorio Tertio, qui poſt Gregorium Secundum ſedit. Vt autem ex hoc capite, ſic & ex XXII.

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

multis aliis eiuſdem diſtinctionis duo conſtant, nempe Pontificem, id eſt, Epiſcopum, miniſtrum eſſe Confirmationis & Confirmationem non iterandam eſſe.

XXIII. *V. In Miſſarum ſolenniis illud* [11] *obſeruandum eſt, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus Sanctis ſuis tribuit Diſcipulis. Accepit namque Calicem dicens.* [*Hic eſt Calix noui Teſtamenti in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque ſumitis.*] *Vnde congruum non eſt, duos vel tres Calices in altario ponere cùm Miſſarum ſolennia celebrantur.* Ad quem locum Serarius ita commentatur. *Videntur alicubi plures tum in Altari poſiti Calices, vt communicantium multitudini ſufficere poſſet ſanguis Dominicus. Ideóque vel capaciores facti Calices, vel ex vno minore in alios, alio decoro poſitos loco, calices facta conſecrati iam vini transfuſio. Et hi, quibus populo miniſtrabatur ſanguis Domini, vocabantur Calices miniſteriales, de quibus apud Damaſum & Bibliothecarium in vita Sylueſtri & Sixti III. eiúſque modi fuit ille, quem Eccleſiæ ſuæ Rhemenſi obtulit Sanctus Remigius his inſcriptum verſibus.*

11. Baron. deeſt *illud*.

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro,
Iniecto æternus quem fudit vulnere Chriſtus,
Remigius reddit Domino ſua vota Sacerdos.

XXIV. *VI. De immolatitiis* [12] *autem eſcis conſuluiſti, ſi à fidelibus ſuperductum fuerit viuifica Crucis ſignum, edi liceret, an non. Illud ſufficit reſpondere, quod beatus Paulus Apoſtolus dicit.* [*Si quis dixerit, quia hoc immolatitium eſt, nolite edere propter eum qui indicauit, & propter conſcientiam.*] Apud Apoſtolum [a] proximè ſequitur hic verſus. [*Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.*] Apoſtoli mentem, quâ Gregorius nititur, nunc attende. In prandio vel cœna quis dicit carnem hanc idolis eſſe oblatam & ſacram, ac conſequenter religiosè edendam. Si qui ſic loquitur, infidelis eſt qui te vocauit ad menſam, aut alius idololatra, noli carnem huiuſcemodi manducare, quia ſi poſt illius indicium eam comedas, te ſecum participem idololatriæ fieri putabit. Si verò Chriſtianus eſt atque ſcrupuloſus, & hac carne, tanquam per idololatriam pollutâ, veſci non licere arbitratur, ab ea quoque poſt illius indicium abſtine, ne ſis ſcandalo, & fratris tui in fide infirmi, tibi in menſa aſſidentis, conſcientiam lædas, dum eum tuo exemplo prouocas, vt contra conſcientiam ſuam idolothyta comedat. Alioqui, ſi ſcandalum omne tam fidelium quàm infidelium ceſſet, idolothytis etiam indicatis & cognitis veſci licet.

12. Serar. *immolaticis*.

a Ep. 1. ad Corinth. c. 10.

XXV. *VII. Addidiſti etiam, quòd ſi pater vel mater filium vel filiam* [13] *intra ſepta Monaſterij in infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina, vtrùm liceat eis, poſtquàm pubertatis impleuerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc omnino deuitamus, quia nefas eſt, vt oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur.* Hic Gregorij textus refertur à Gratiano, parte ſecundâ Decreti, causâ viceſimâ, quæſtione primâ, capite ſecundo, & à Neotericis dicitur intelligendus *de illis, qui poſt adultam ætatem conſenſum accommodauerint.* Sed lege quæ Tomo primo [b] dicta ſunt ad caput quinquageſimum-nonum Regulæ Benedictinæ, quod totum eſt de pueris, quos Deo parentes offerunt in Monaſterio. Viguit ſanè multis ſeculis hæc Eccleſiæ Monaſteriorúmque praxis, vt pueri ſiue infantes à parentibus oblati perpetuo aſtringerentur Monachatui, nec eis liceret hunc vitæ ſtatum ante vel poſt pubertatis annos repudiare. Quoniam autem eiuſmodi oblationes puerorum ſiue infantium abrogatæ ſunt, multi hodie ſtupent ad lectionem Regulæ Benedictinæ ſimiliúmque ſanctionum, quas in vſu quondam fuiſſe vix ſibi perſuadere poſſunt. Verba Pontificis clariſſima ſunt, nec vllâ egent interpretatione vel reſtrictione. Quæritur, vtrùm exire de Monaſterio, & matrimonio copulari poſſint, qui à parentibus in infantiæ annis Monaſterio traduntur? Reſpondet Gregorius id non licere, quia nefas eſt, vt voluptatis fræna relaxentur filiis, qui Deo à parentibus offeruntur. Hæc Papæ reſponſio lec-

13. Gratian. *filiámue*. Serar. *filiamque*.

b Ad an. 544. n. 74.

Digitized by Google

tori ſtuporem immittere non debet. Vir Italus ſtatuit id in Germaniæ partibus Franciæ Monarchiæ ſubiectis faciendum eſſe, quod in Italia fieri nouit ex Regula Sancti Benedicti, necnon in Francia ex Synodo Aurelianenſi quinta, cuius Canone decimo-nono puellæ quæ *propria voluntate Monaſterium expetunt*, diſtinguuntur ab aliis, quæ *à parentibus offeruntur.* Sequentibus Tomis occurrent exempla non pauca, quæ ſanctionem hanc apud Francos cis & vltra Rhenum multis ſeculis in vſu fuiſſe demonſtrabunt.

AN.CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

XXVI. *VIII. Enimuerò quoſdam abſque interrogatione ſymboli ab adulteris & indignis Presbyteris faſſus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ, quia quiſquis* [14] *in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti baptizatus eſt, rebaptizari* [15] *eum minimè decet* [16]. *Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis, huius gratiæ donum percipitur. Et teneatur quod Apoſtolus ait.* [*Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.*] *Doctrinam verò ſpiritualem* [17] *talibus ſtudioſiùs vt impertias demandamus.* Rectè Pontifex Bonifacium monet, vt doctrinam ſpiritualem ſtudioſiùs impertiat iis, qui abſque ſymboli interrogatione baptizati ſunt, quoniam eruditione plùs indigent.

14 Serar. *quiſque.* 15 Serar. *Rebaptizari liceat minimè* 16 Baron. *Licet.* 17. Serar. *Spiritalem.*

XXVII. *IX. De* [18] *paruulis vero, qui à parentibus ſubtracti ſunt* [19], *& an baptizati ſint* [20] *an* [21] *non, ignorant, quia interrogaſti, hos vt baptizare debeas ſecundùm Patrum traditionem, ſi non fuerit qui teſtificetur* [22], *ratio poſcit.* In pari caſu ſimilem reſponſionem iam dederant Leo Magnus Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi & Traianus Epiſcopus Sanctonenſis Eumerio Epiſcopo Namnetenſi, de quibus actum Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimumſecundum [a].

18. Serar. *Pro.* 19 Serar. Deeſt *ſunt.* 20. Baron. *Sunt.* 21. Serar *Vel.* 22 Serar. *Teſtificet.* a. Num 6.

XXVIII. *X. Leproſis autem, ſi fideles Chriſtiani fuerint, Dominici Corporis & Sanguinis participatio tribuatur, cum ſanis autem conuiuia celebrare prohibeantur* [23].

23 Baron. & Serar. *Negentur*

XXIX. *XI. Adiecisti etiam, quòd ſi peſtifer morbus, aut mortalitas in Eccleſia vel Monaſteriis irrepſerit, hi, quos nondum tetigit, an debeant à loco fugere, euitantes periculum. Quod valdè fatuum videtur. Non enim valet quiſquam Dei effugere manus.* Ita legitur apud Sirmondum. Apud Antonium autem de Aquino & apud Cæſarem Baronium ſic. *Adiecisti etiam, quòd ſi peſtifer morbus, aut mortalitas in Eccleſia vel Monaſteriis irrepſerit, quos necdum tetigit, à loco fugiunt euitantes periculum. Valdè fatuum hoc videtur* [24]. *Non enim valet quiſquam Dei effugere manus.* Loquitur Pontifex de iis, qui ſi è peſtifero loco abeant, omne ſe mortis periculum euaſiſſe pro certo putant, vt notat Serarius. Deinde abſurdum eſt, in morbi contagione omnes fugere, ægris enim ac peſtiferis opem ferre quis poterit? Atque hoc non fatuum modò, ſed & inhumanum.

24. Serar *Iudicantur. Non enim quiſquam Dei effugere manus poterit.*

XXX. *XII. In fine Epiſtola continebat, quod ſunt quidam Presbyteri ſeu Epiſcopi, multis vitiis irretiti, quorum vita in ſeipſis Sacerdotium maculat; ſi tibi liceret cum eis edere aut loqui, niſi coerciti fuerint. Dicimus vt hos ex Apoſtolica auctoritate redarguendo admoneas, & ad munditiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ reducas. Et ſi quidem obedierint, ſaluabunt animas ſuas, & ipſe mercedem lucratus es. Verumtamen colloquium & menſam communem cum eis agere non recuſes. Plerumque enim contingit, vt quos correctio diſciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conuiuiorum ſedulitas & admonitio blanda ad viam perducat iuſtitiæ. Idipſum autem & in illis Proceribus, qui tibi adiutorium præſtant, obſeruare debebis.* Certè momenti ſemper aculeíque aliquid habent voces bonorum virorum non in templis tantùm & curiis ſeriæ, ſed in prandiis etiam cœníſque leniores & quodammodo remiſſiores.

XXXI. Poſt duodecim haſce reſponſiones ſequitur epilogus Epiſtolæ cum nota temporis. *Hæc ergo, frater cariſſimè, ex Apoſtolica Sedis vigore ſcripta ſufficiant. De reliquo, Dei imploramus clementiam, vt qui te illis in regionibus vice noſtrâ ex Apoſtolica auctoritate pergere fecit, & in opacam ſyluam lumina veritatis per os tuum micare prædeſtinauit, opitulationis ſuæ miſericordiſſimum tribuat incremen-*

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

tum, quatenus de fructu operis & ipſe valeas præmia percipere, & veniam peccatorum inuenire. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data x. *Kalendas Decembris, imperante Domino Piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato Magno Imperatore, anno* x *Imperij eius; ſed & Conſtantino Magno Imperatore, Regni eius anno* VII. *Indictione* x. Hi Characteres Chronologici deſignant annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum, vt conſtat ex iis quæ de annis Leonis & Conſtantini Auguſtorum ſæpè dicta ſunt. Baronius, quia Leonis Imperium anno vno præuertit, annum Leonis vndecimum ad marginem reponit. Multò grauior eſt error Gratiani, Antonij de Aquino, aliorúmque, prædictas literas Gregorio Tertio tribuentium, cuius Pontificatus initium ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-primum haud ſumpſit.

XXXII. Obiit hoc anno [a] Sigenoldus Meldenſis Epiſcopus. Succeſſit Erlanreus ſiue Erlanceus, cuius meminerunt omnes Nomenclatores.

[a] Seuert.

EPISCOPI MELDENSES.

In Catalogo Niuernenſium Epiſcoporum, quem Ioannes Chenutius contexuit, poſt Opportunum, cuius mentionem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſecundum fecimus, ſequitur Nectarius, de quo ſic ille. *Nectarius ſeu*

XXXIII. *Nictarius anno 726. temporibus Gregorij II. Papæ & Chilperici II. Regis.* Annus Chriſti ſeptingenteſimus viceſimus-ſextus cum Pontificatu Gregorij Secundi rectè quidem conuenit, ſed à Regno Chilperici Secundi, ſeu Tertij vt vocauimus, aliquot annis remouetur, quia Chilpericus Rex, Childerici quondam Regis filius, ineunte anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo vitam clauſit. Melius igitur Robertus de Nectario hæc tantùm habet. *Nectarius ſiue Nictarius 726.* Et Sammarthani. *Nectarius inuenitur in tabulis anno 726.* Apud Coquillium perperam inter Opportunum & Nectarium medius collocatur Gilbertus, qui multò citiùs ſedit, vt dictum eſt Tomo ſuperiori [b].

NIVERNENSES.

[b] An. 664. n. 3.

XXXIV. Quot annis Epiſcopatum tenuerit Nectarius, haud ſcitur, ſucceſſorem habuit Waldonem, de quo recurret ſermo ſub Pippino Rege.

XXXV. Hubertus Leodienſis Epiſcopus mortem ſibi *poſt anni vertentis circulum* imminere cæleſti reuelatione cognouit, hoc vtique anno, nam proximo conſignabimus illius obitum, nec alio vtemur teſte quàm Auctore [c] vitæ, qui præſens interfuit.

MORS HVBERTI EP. LEOD. REVELATVR.

[c] Ap. Sur. d. 3. Nou.

His circiter temporibus, Hugo, qui tres Eccleſias, Epiſcopales videlicet Rotomagenſem & Pariſienſem, necnon Abbatialem Fontanellenſem,

XXXVI. iam regebat, factus eſt etiam Epiſcopus Baiocenſis, vt ex Chronico Fontanellenſi [d] patet. In Epiſcoporum Baiocenſium Catalogis proximus poſt Framboldum collocatur, Framboldus autem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-primo ſedere cœpit.

HVGO FIT EP. BAIOCENSIS.

[d] Cap. 8.

XXXVII. His quoque circiter temporibus, cùm Ductegangus Gemmeticenſis Abbas obiiſſet, adminiſtrationem Monaſterij ſuſcepit Hildegarius, cui poſtea ſucceſſit etiam ſupradictus Hugo, quinque Eccleſiarum Rector tunc futurus, vt poſt biennium dicemus.

HILDEGARIVS ABB. GEMMETIC.

XXXVIII. Ad hunc vſque annum, Theodorici Regis ſextum, Geſta Regum Francorum perduxit Auctor coætaneus, cuius hæc eſt vltima periodus in vulgatis editionibus [e]. *Franci verò Theodericum II. Calâ Monaſterio enutritum, filium Dagoberti Iunioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt. Qui vſque nunc in Regno ſubſiſtit.* Et apud Continuatorem Aimoini [f]. *Franci verò Theodoricum in Kala Monaſterio enutritum, filium Dagoberti Iunioris, Regem ſuper ſe ſtatuunt. Qui nunc anno ſexto in Regno ſubſiſtit.* Quæ ſequuntur apud eundem Aimoini Continuatorem ad mortem vſque Caroli Martelli, deſumuntur ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis conſcripta, incipiúntque ab his vocibus, *per idem tempus rebellantibus Saxonibus*, id eſt, à capite centeſimo octauo iſtius Hiſtoriæ. Ceterùm qui Continuatorem Aimoini variis auxit interpolationibus, is poſt Geſta Regum Francorum, quæ deſinunt in anno ſexto Theodorici Regis, priuſquàm ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi conſcripta quidquam

[e] Ap. Andr. Duchesn. Tom. 1. Coll. Hiſt. Franc.

[f] Lib. 4. c. 52.

Digitized by Google

AN. CH. 726. THEODOR. IV. R. 6.

quam deſcriberet, hæc, quæ abſunt à Codice Seguieriano, de Monaſterio Sancti Germani prope Pariſios ſito inſeruit. *Thedelmaro autem Abbate Monaſterij Sancti Germani defuncto, Lanfredus ei in regimine ſubrogatur.* Lanfredus igitur hoc anno in adminiſtrationem prædicti Cœnobij Thedelmaro ſucceſſit.

ABBATES S. GERMANI. XXXIX.

Vt Geſta Regum Francorum, quæ vetus Anonymus ad hunc vſque annum perduxit, ſic & Hiſtoria Francorum, quam Childebrandus Comes edendam curauit, exarata eſt regnante Theodorico. Sic enim Auctor ſcribit capite centeſimo ſeptimo. *Quo*, nempe Chilperico, *mortuo*, *Theodoricum Regem ſtatuerunt in Sedem Regni, qui nunc locum ſolij Regalis obtinuit annis vitæ ſimul præſtolatis*, vel vt Labbeus [a] legendum cenſet, *protelatis*. Exiſtimamus vocem *vſque* in eodem textu deſiderari, qui ſic reſtitui debeat. *Quo mortuo, Theodoricum Regem ſtatuerunt in Sedem Regni, qui vſque nunc locum ſolij Regalis obtinuit annis vitæ ſimul protelatis.* Annum, quo ſcripſit, nempe ſeptingenteſimum triceſimum-quintum vt ipſe ſupputat, idem Auctor capite centeſimo nono ſic indicat. *Cal. Ianuar. die Dominicâ, anni* DCCXXXV. At eædem Kalendæ Ianuarij, quæ ſecundùm illius Auctoris computationem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quintum pertinent, nobis aperiunt annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſextum, quia principium anni non à Paſchali Solemnitate ſed ab iiſdem Kalendis Ianuarij ſumimus. Aucta eſt poſteà hæc Hiſtoria nonnullis ſectionibus ſeu capitulis, & ad Regnum vſque Pippini Regis, id eſt, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum perducta.

[a] In Elog. Hiſt. Theodor. II.

XL. AIMOINI CONTINVATIO.

Aimoini Continuator, vbi ab Anonymo, qui Geſta Regum Francorum ad annum vſque ſextum Theodorici Regis, id eſt, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum, literis mandauerat, deſtitutum ſe vidit, ad Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis exaratam confugit. At eam non deſcripſit ab illo loco, in quo Geſta Regum Francorum deſierant, ſed multa repetiit de bello Saxonico, quod exarſit anno quarto Theodorici Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto, necnon de bello Boioarico, quod *euoluto anni circulo*, ſiue anno quinto Theodorici Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto geſtum eſt. Id te monitum volumus, ne duo illa bella poſt annum ſextum Theodorici Regis, id eſt, poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum, confecta credas. Idem Aimoini Continuator ſimili modo primam auctionem quam è Geſtis Regum Francorum deſumpſit, exorſus eſt à morbo & obitu Dagoberti Magni, quamuis ipſemet Aimoinus Hiſtoriam ſuam ad annum vſque decimum-ſextum poſt mortem eiuſdem Dagoberti, ſiue ad annum vſque decimum-ſextum Clodouei Secundi Regis perduxiſſet. Textus Aimoini talis eſt capite quadrageſimo-primo libri quarti, ſeu capite vltimo totius operis. *Clodoueus Rex anno decimo-ſexto, ex quo ſceptra ſuſceperat Regalia, Pontifices & totius gentis Principes Clippiacum conuenire iubens*, &c. Continuator verò caput proximum ſiue auctionem ſuam è Geſtis [b] Regum Francorum ſic auſpicatur. *Poſt hæc igitur Rex Dagobertus à febre valida correptus, ægrotans mortuus eſt.*

[b] Cap. 43.

Digitized by Google

AN. CH. 727.
THEODOR. IV. R. 7.

ANNVS CHRISTI 727. THEODORICI IV. R. 7.

LOTHARIVS PRÆPOSITVS SARCHINIENSIS OBIT. SVCCEDIT GRIMO.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo Lotharius Sarchinienſis Præpoſitus obiit. Succeſſit Grimo, qui neglecto pòſt Præpoſiti Titulo dignitate Abbatis auctus eſt. Lege Catalogum Abbatum Trudonenſium à Bartholomeo Fiſeno in Floribus [a] Leodienſis Eccleſiæ publicatum.

[a] d. 23. Nou.

ALDO ABB. HASNONIENSIS OBIT. SAVERICVS SVCCEDIT.

BERTRVDIS ABBATISSA HASNONIENSIS.

II. Obiit & hoc eodem anno Aldo Haſnonienſis Abbas. Succeſſit Savericus eius propinquus, qui vitam clauſit regnante Carolo Magno. Tunc Haſnonienſe Monaſterium in duas manſiones ſeparabatur, quarum vnam Monachi cum Abbate, Moniales alteram cum Abbatiſſa inhabitabant. Vtrùm Aldoni fratri ſoror Abbatiſſa Bertrudis, an huic ille ſuperuixerit, incertum eſt. De Abbatiſſis, quæ Congregationem Monialium poſt Bertrudem rexerunt, ante nonum ſeculum nihil occurrit. Haſnonienſium cùm Abbatum, tum Abbatiſſarum, Catalogum conſule apud Franciſcum Vinchantium in Annalibus [b] Hannoniæ.

[b] Lib. 3. c. 15.

DOTATIO CATHEDRALIS ECCLESIÆ VIVARIENSIS.

III. Ioannes *Columbi*, libro primo [c] de rebus geſtis Epiſcoporum Viuarienſium, dotationem Eccleſiæ Cathedralis Viuarienſis euulgauit, opus ſanè antiquum, planéque dignum, quod noſtris Annalibus cum breuibus notis inſeratur.

[c] Nu. 21. & ſeqq.

IV. In tota illa dotatione, quæ ſex ac viginti conſtat articulis, vnus duntaxat inuenitur Character Chronologicus, qui poſt articulum viceſimum-quintum ſic ſubiicitur. *Omnia iſta dotauerunt ad ſanctum Vincentium, vel ad ipſa corpora Sanctorum, quæ in circuitu requieſcunt, anno ſeptimo, regnante Domino noſtro Galdeberto, & etiam Domino Cheuberto Rege, indictione vndecimâ.* Id eſt, vt rectè Columbus interpretatur, omnia hactenus recitata ſeu ſuperioribus articulis viginti-quinque comprehenſa, donauerunt Sancto Vincentio & Sanctis cum eo quieſcentibus, vſque ad annum ſeptimum Galdeberti & Cheuberti Regum. Sic exponendæ ſunt illæ voces, *anno ſeptimo*, quoniam aliter explicari non poſſunt. Neque enim verum eſt viros totâ dotatione memoratos, in quibus plures ſunt Epiſcopi Viuarienſes, vno anno aliquo ſeptimo Regum aut vixiſſe aut ea donaſſe quæ in prædictis viginti-quinque ipſius dotationis articulis continentur. Hic eſt igitur ſenſus periodi ſuprà deſcriptæ. Atque hæc ſunt, quæ pij viri donauerunt Sancto Vincentio vſque ad annum ſeptimum Galdeberti & Cheuberti Regum. Sed qui iſti Reges?

V. *Exiſtimo*, inquit Columbus, *Galdebertum ſcriptum pro Childeberto; neque inſolens aut turpis eſt hic error ſcribæ, & Childebertum addo Secundum dici, vt Cheubertus nunc appelletur, quem vulgò appellamus Dagobertum, qui fuerit binomius. Etenim non occurrit alius cum Childeberto Rex; & Dagobertus Secundus potuit regnare cum patre, qui anno poſt eum quarto mortuus reliquit filios Chilpericum & Theodoricum, alterum Regem poſt alterum. Dagoberto autem Secundo fuiſſe etiam nomen Cheuberti, aut Cheriberti, ſeu Chereberti (quæ videntur Synonyma) non mirabitur, qui cogitauerit Othonem Burgundiæ Comitem dictum etiam fuiſſe Guilelmum, ex Chronico Abbatiæ Sancti Benigni Diuionenſis; & Guilelmo filio Henrici Primi Regis Angliæ, ex Hiſtoriis Anglorum fuiſſe quoque nomen Adelini. Nam quis neſcit Carolum Magnum appellari Dauidem ab Alcuino? Sunt qui Childebertum iſtum faciant primum, & pro Cheuberto Theodoricum inducant, ſed & nouum eſt cenſere annos à duobus Regibus, quorum alterum non habeas tuum*

Digitized by Google

Regem, Childebertus autem & Theodoricus nullibi Galliarum ſimul imperarunt; neque afferes cur ceteros cum ipſis fratres, filios omnes Clodouei non numerarit ſcriba. Hic ſeptimus annus Childeberti Secundi, fuit octauus Chriſti ſupra ſeptingenteſimum. AN. CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

VI. Validæ ſunt huius Auctoris rationes, vt Childebertum Primum & Theodoricum eius fratrem, filios Clodouei Magni, excludat. Adde autem duas omnium potentiſſimas, quæ diſputationem omnem penitus adimunt. Anno ſeptimo Childeberti & Theodorici Regum, filiorum Clodouei, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo duodeuiceſimo, Burgundiæ Regnum, in quo ſitum erat Viuarium, Francicis ditionibus nondum acceſſerat. Deinde plerique, quorum inſignis liberalitas in illa doratione celebratur, poſt annum Chriſti quingenteſimum duodeuiceſimum floruerunt, vt Ardulphus, Venantius, & Longinus, Epiſcopi Viuarienſes, qui ſuam munificentiam teſtantur articulis decimo-quarto & viceſimo-ſecundo, necnon Macedonia Auli Viuarienſis olim Epiſcopi ſoror, quæ ſe quoque munificam præſtat articulo viceſimo-quarto.

VII. Non adeò firmæ ſunt rationes, quas idem Auctor affert pro Childeberto Secundo, ſiue, vt vocamus, Tertio, eiúſque filio Dagoberto. Childebertus Theodorici Tertij filius ab anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum regnauit. Annus ſeptimus illius Regis cum anno Chriſti ſeptingenteſimo primo coincidit. Annus autem Chriſti ſeptingenteſimus primus nec cum Indictione vndecima nec cum anno ſeptimo Dagoberti Regis componitur, illigatur enim partim Indictioni decimæ-quartæ, partim Indictioni decimæ-quintæ, nec qui ſeptimus Childeberti Regis fuit, is quoque ſeptimus Dagoberti Regis putandus annus, quia Childebertus regnare cœpit prole nondum ſuſceptâ, imò vxore nondum ductâ, nec ex vllo veteri monumento liquet Dagobertum in Regni conſortium à patre Childeberto adſcitum fuiſſe. Dagobertus obiit, vt Columbus fatetur, *anno* poſt patrem *quarto*, id eſt, anno Chriſti, vt ſupputauimus, ſeptingenteſimo decimo-quinto. Duos non reliquit filios, *Chilpericum & Theodoricum*, quos ei perperam ab eodem Auctore attributos audiſti. Mortuus eſt relicto in cunis vno Theodorico, qui Regno poſt Chilpericum potitus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, Chilpericus autem, qui poſt Dagobertum ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum proximè regnauit, Childerici quondam Regis filius fuit.

VIII. Opinione Columbi ſic exploſâ, recurrendum eſt ad poſteriores Reges, qui poſt Dagobertum Childeberti filium regnarunt. Quatuor occurrunt è ſtirpe Merouei, Chilpericus Tertius, Clotarius Quartus, Theodoricus Quartus, & Childericus Tertius. De Chilperico actum ſuprà, actum & de Clotario, neuter annum Regni ſeptimum attigit; regnauit Chilpericus annis quinque cum dimidio, Clotarius biennio non integro; neuter quoque Regnum per Indictionem vndecimam tenuit, nam Chilpericus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum regnauit, & Clotarius, qui Regium nomen anno Chriſti ſeptingenteſimo duodeuiceſimo aſſumpſit, anno proximo vitam clauſit. Superſunt Theodoricus & Childericus, prædicti Dagoberti ille filius, hic nepos. Vterque vltra ſeptennium Regio Titulo gauiſus eſt. At annus ſeptimus Childerici Regis ab Indictione vndecima procul abfuit. Annus autem ſeptimus Theodorici Regis partim Indictioni decimæ, partim Indictioni vndecimæ illigatur. Atque hæc nos ratio potiſſimùm impulit, vt examen dotationis Viuarienſis in hunc annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum reiiceremus, quocum annus ſeptimus Theodorici Regis penè totus conuenit, Chilpericus enim Theodorici deceſſor ineunte anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo viuere de-

AN. CH. ſiit. Hæc ad Chronologiam, ſingulos dotationis articulos nunc expendamus.

727. THEODOR. IV. R. 7. IX.

Primò, Ioannes, cùm factus fuiſſet Epiſcopus, duas villas, Clariacum videlicet & Caſſaniam, Eccleſiæ Viuarienſi donauit. Textus dotationis talis eſt. *Domnus Ioannes dotauit promotus Epiſcopus Sancti Vincentij, villas duas, Clariaco, Caſſaniæ.* Ioannes ad Epiſcopatum promotus eſt Epiſcopali Sede, quæ prius Albæ * fuerat, Viuarium ab Auxonio Epiſcopo iam tranſlatâ, ſed Viuario * in Francorum poteſtatem nondum redacto. Sedit enim poſt Auxonium, & in Epiſcopatu anteceſſit Melanum, Lucianum, Aulum, Valerium, Venantium, quo Pontifice ſubactum à Francis Regnum Burgundiæ, cuius pars Viuarium. Anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quarto, ſiue, vt Marius in ſuo Chronico loquitur, *Paulino Iuniore Conſule, Indictione duodecimâ, Reges Francorum, Childebertus, Chlotarius & Theudebertus, Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege Regnum ipſius diuiſerunt.* Iidem Childebertus & Clotarius Reges, vt Tomo primo probatum eſt, anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-ſecundo, cùm in Hiſpania Cæſarauguſtam * obſidione cinxiſſent, vbi Reliquiæ Sancti Vincentij Martyris cuſtodiebantur, belli molem aliò tranſtulerunt, pace cum Cæſarauguſtanis firmatâ, cuius præcipuam conditionem eſſe voluerunt, vt earumdem Reliquiarum parte donarentur, quam ſecum victores in Galliam tranſportarunt. Ab eo tempore nomen Sancti Vincentij per vniuerſam Galliam plurimùm inclaruit. Tunc enim, vt innumera per omnes Francorum prouincias ad illius preces patrata ſunt miracula, ſic pleræque Baſilicæ nomen ipſius acceperunt. Certè San-Iulianus in Antiquitatibus Matiſconenſibus & Cabilonenſibus aduertit earum ciuitatum Cathedrales Eccleſias à Reliquiis Sancti Vincentij, quas Childebertus Rex intulit, mutaſſe nomen, cùm priùs appellarentur, hæc à Sancto Stephano, illa à Sanctis Petro & Bartholomæo Apoſtolis, Stephano, Geruaſio & Protaſio Martyribus. Subdubitat Columbus [a], vtrùm quid apud Viuarium in nomine principis Eccleſiæ mutatum ſit, &, ſi quæ facta eſt mutatio nominis, hanc inſinuat ad annum Chriſti ſexageſimum-quartum ſupra octingenteſimum fortaſſe reiiciendam.

DICATÆ S. VINCENTIO.

Multò propenſior eſt animus, vt exiſtimemus nihil nominis immutatum, ex quo Viuarienſis Eccleſia Sedem Epiſcopalem obtinuit, quàm vt huiuſcemodi mutationem anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo-quarto factam arbitremur. Epiſcopi longè antiquiores, Ardulphus, Venantius & Longinus, multa dona largiuntur *Deo & Sancto Vincentio*, id eſt, Eccleſiæ Sancti Vincentij. *Ego Ardulphus Epiſcopus Sedis Viuarienſis dotaui Deo & Sancto Vincentio*, &c. *Ego Venantius Sedis Viuarienſis Epiſcopus dotaui Eccleſiam in Luciatenſe in honore Sanctæ Mariæ & Sancti Martini Beſſiaco. Dotaui eas calonicas* LXX. *& cum ſeruis ſuis, & dimiſi eas Deo & Sancto Vincentio.* Item. *Ego Longinus Epiſcopus ædificaui Eccleſiam in honorem Sancti Stephani in monte Conato, quæ dicitur ad Scans. Dotaui calonicas viginti. Et Eccleſiam Sancti Laurentij dotaui calonicas quindecim. Et ego indignus & peccator conſecraui eas, & dereliqui Deo & Sancto Vincentio.* Tres hi Pontifices in Cathedra Viuarienſi ſub Regibus Francorum ſederunt. Nec aliter locuti dicuntur Ioannes & Lucianus Epiſcopi, qui priùs floruerunt, quàm Viuarium Regno Francorum accenſeretur. In eadem enim dotatione Ioannes vocatur *Epiſcopus Sancti Vincentij.* Deinde hæc de Luciano ſubiiciuntur. *Dotauit Lucianus Epiſcopus Ameliaco villa, Blandamiſco, Occiaco. Iſta omnia dereliquit Deo & Sancto Vincentio.* Viuarienſem Eccleſiam, cuius nomen aliquando mutatum fuiſſe non apparet, à primo conditu Deo in honorem Sancti Vincentij dicatam fuiſſe nil vetat, ſeu Vincentius is Leuita fuit, qui Valentiæ in Hiſpania Martyrium ſub Daciano Præſide conſummauit, ſeu quis alius, plures enim cùm in Gallia tum in Hiſpania Vincentij Martyres coluntur. Ebreduni * vndecimo Kalendas Februarij celebratur memoria *Sanctorum Martyrum, Vincentij, Orontij & Victoris*; Aginni * quinto

* *Alb.*
* *Viuiers.*
* *Sarragoce.*
[a] Lib. 1. n. 16.
* *Ambrun.*
* *Agen.*

Idus Iunij paſſio *Sancti Vincentij Leuitæ & Martyris*, de quibus Tabulas Ec- AN. CH.
cleſiaſticas ad illos dies conſule.
Secundò, Melanus duas donauit villas, quæ in eadem regione cum ſu- 727.
pradictis Clariaco & Caſſania ſitæ erant, vocabantúrque Axnacenum & Ca- THEODOR. IV.
ſanenſe, de quibus ſic alter articulus dotationis. *Melanus ibi Axnacenum & R. 7.*
Caſanenſe, ſupple *dotauit*, quod habetur in articulo præcedenti, refertúr- X.
que ad vtrumque ſenſu valdè claro, ſi coniunctim vterque articulus ſic le-
gatur. *Domnus Ioannes dotauit promotus Epiſcopus Sancti Vincentij, villas duas,*
Clariaco, Caſſania; Melanus ibi Axnacenum & Caſanenſe. Melanus hic, licèt
in ipſa dotatione non dicatur Epiſcopus, alius non videtur à Melano, qui
poſt prædictum Ioannem in Epiſcoporum Viuarienſium Catalogo proximum
locum occupat.

Tertiò, *dotauit Lucianus Epiſcopus Ameliaco villâ, Blandamiſco, Occiaco. Iſta* XI.
omnia dereliquit Deo & Sancto Vincentio, id eſt, Eccleſiæ Sancti Vincentij.
Lucianus hic Epiſcopus Eccleſiam Viuarienſem poſt Melanum rexit, eamque
munificentiſſimâ donatione plurimùm auxit, tres videlicet prænominatas
villas, eáſque totas nec vllâ parte agrorum truncas elargitus.

Quartò, *dotauit Domnus Valerius villa Coreſſe, Seudio, Muo. Dereliquit Deo* XII.
& Sancto Vincentio. Fuit hic quoque Valerius Viuarienſis Epiſcopus, qui Au-
lo ſupradicti Luciani ſucceſſori proximè ſucceſſit, dicitúrque *Domnus*, vt
Ioannes Epiſcopus, de quo ſuprà. Cur autem Aulum, à Nomenclatoribus
hactenus omiſſum, Luciano ſubiiciamus, exponemus infrà, cùm ad dona-
tionem Albini, ſiue ad dotationis, quam examinamus, articulum decimum-
quintum, peruenerimus.

Quintò, *dotauit S. Firminus cum vxore ſua Aula Ladacuſa, Meteratis cum Ec-* XIII.
cleſia Sancti Andreæ, Damate, Tornicate, Medio, Saconaco, Vocerno. Iſta omnia
dereliquit Deo & Sancto Vincentio. Et hunc Firminum, quem Titulo Domni
cohoneſtatum legis, credimus Epiſcopum quoque Viuarienſem fuiſſe, qui,
priuſquàm Epiſcopus fieret, duxerit vxorem, eámque poſt ſuſceptum Epiſ-
copatum non vt coniugem ſed vt ſororem deinceps habuerit. Sedit au-
tem Firminus immediatè poſt Venantium, qui ſuâ ſubſcriptione Syno-
dos Epaonenſem & Aruernenſem, illam anno Chriſti quingenteſimo de-
cimo-ſeptimo ſub Sigiſmundo Rege Burgundionum, hanc anno Chriſti
quingenteſimo triceſimo-quinto ſub Theodoberto Francorum Rege, firma-
uerat.

Sextò, *dotauit Domnus Eumachius Deciate cum Eccleſia, Saduaco, Caucolom-* XIV.
no, Cartennaco, Luguilano. Fuit & hic Eumachius Viuarienſis Epiſcopus,
proximúſque ſucceſſor Firmini, de quo actum ſuperiori articulo. Sex igi-
tur donationes, quas hactenus recenſuimus, ab Epiſcopis totidem Viua-
rienſibus collatæ ſunt, quorum duo duntaxat poſtremi, Firminus & Euma-
chius, ſub Regibus Francorum vixerunt, alij verò quatuor, Ioannes, Me-
lanus, Lucianus & Valerius, floruerunt Franciâ Viuarium vſque nondum
dilatatâ. Sequuntur viginti donationes; at è tanto numero tres vix occur-
runt, quas totidem Epiſcopi Viuarienſes, Ardulphus, Venantius & Longi-
nus, elargiti ſunt. Præterea inter ſuperiores ſex donationes vigintíque ſub-
ſequentes hæc inuenitur differentia, quòd in viginti ſubſequentibus is lo-
quitur qui donat Eccleſiæ, in ſex autem ſuperioribus dicitur donaſſe. Quæ
diuerſitas ſtyli facit, vt Columbus non immeritò putet ſex ſuperiores char-
tas ab eo exſcriptas qui puletum primus compegit, ſequentes autem iis
ipſis vocibus relatas, quas donatores in ſuis tabulis poſuerunt.

Septimò, Secundus & eius vxor Prima de propriis ſuis, de mancipiis, XV.
& de peculiaribus, ampliſſimam hanc donationem faciunt. *Ego Secundus*
cum vxore mea Prima, condonauimus Deo & Sancto Vincentio, de propriis noſtris,
de mancipiorum & peculiarium. Imprimis in Viuarienſe, quod antè Albenſe vo-
batur, Eccleſiam in honore Sancti Victoris, quæ eſt in vertice montis iuxta flu-

AN. CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

uium Rhodani, de Scotadio vſque ad Albis, & vſque ad ſummum montis Conati, & vſque ad Exemplatorium, & in alio loco Caput montis, cum calonicis ſexaginta cum ſeruis ſuis. Et in Burgundia in Comitatu Viuarienſe, in Tortiliano, dimidio vnà cum ſuis appendentiis, & in alio loco, qui dicitur Vieniſcio, totum & ad integrum tradimus. Et in Valentinenſe prope Rhodanum fluuium, villa quæ dicitur Cupertus cum ſeruis ſuis. In Arelatenſe in Vgio ſalinas areas octo. Per ſingulos annos exemi ſolidi trecenti. Iſta omnia dereliquimus Deo & Sancto Vincentio. In hac donatione ſunt nonnulli Gallicíſmi, vt *de mancipiorum & peculiarium,* id eſt, de mancipiis & peculiaribus. *Proprium* & *peculiare* ſonant vnum & idem. Secundus & Prima dant mancipia, & peculiaria, ſiue loca, prædia, & alia propria à mancipiis diſtincta. Quæ verò ſint hæc peculiaria, mox exponunt. In territorio Viuarienſi, quod olim vocabatur Albenſe, dant cum ſeruis agrum, qui Eccleſiam habet Sancti Victoris, & per Calonicas ſexaginta ductus deſcendit è vertice montis iuxta Rhodanum poſiti, finitúrque Scotadio, Albi, ſummo montis Conati, Exemplatorio, denique loco cui nomen Caput montis. In Comitatu Viuarienſi, dant dimidium Tortiliani cum appendentiis & Vieniſcium integrum. In territorio Valentinenſi dant cum ſeruis villam, nomine Cupertum. In territorio Arelatenſi dant octo areas ſalinarum. Eccleſiæ autem Viuarienſi tradunt hæc omnia ſub cenſu trecentorum ſolidorum. Columbus iſtam donationem in duas tantùm partes diuidit, quarum poſteriorem auſpicatur ab his vocibus, *& in Burgundia*, notátque *Comitatum Viuarienſem dici perueniſſe ad Burgundiam, & trans Rhodanum, vbi ſunt Valentia & Arelas.* At eandem donationem quatuor in partes ſeparamus. De prima cum Columbo conuenimus. Tres alias ita diſtinguimus, vnam in Burgundia & Comitatu Viuarienſi, alteram in agro Valentinenſi, poſtremam in Arelatenſi territorio collocamus, prædictáſque voces, *& in Burgundia*, ad eam duntaxat partem referimus, quæ in Comitatu Viuarienſi dimidium Tortiliani totúmque Vieniſcium complectitur. Secundus & Prima donationem ſuam, quæ numero ſeptima eſt inter eas, quibus dotatio Viuarienſis Eccleſiæ conſtat, tradiderunt ſedente apud Viuarium, vel Eumachio Epiſcopo, de quo ſuprà, vel Agripio eius ſucceſſore. Superſtites in viuis erant, qui Franciam Regno Burgundiæ nuper auxerant prælaudati Francorum Reges, Childebertus, Clotarius, & Theodobertus. Tam breui temporis interuallo, limites Burgundiæ nondum erant immutati. Burgundiæ tunc accenſebantur agri, Viuarienſis ſiue Albenſis cis Rhodanum, & Valentinenſis vltra illum amnem, Arelatenſis verò nequaquam. Quapropter hæ voces (*& in Burgundia*) quas ſecundæ tantum parti donationis ſuæ prædicti donatores præfigunt, vt ſecundæ illi parti, ſic & primæ tertiæque meritò conueniunt.

CALONICA, QVID.

Perampla fuit hæc donatio, ſed omnem prorſus fidem exuperat, ſi quælibet calonica, ſeu quodlibet calonicum vel colonicum, capit iugera duodecim, vt quidam annotarunt, id eſt, paſſus in longitudinem ſeptuaginta-ſex ſupra quingentos, in latitudinem ducentos octoginta-octo. Nam præter cetera, quæ commemorantur in eadem donatione, ſexaginta calonicæ ad iugera viginti ſupra ſeptingenta extenduntur, capiúntque longitudine quingentos ſexaginta paſſus ſupra milliaria triginta-quatuor, latitudine ducentos octoginta paſſus ſupra milliaria ſeptemdecim. Cui donationi ſi iunxeris calonicas vnam & quadraginta ſupra ſeptingentas, quas alij Viuarienſis dotationis articuli ſuppeditant, in ea dotatione numerabis calonicas octingentas & vnam, quarum longitudo ad trecentos ſeptuagintaſex paſſus ſupra milliaria quadringenta ſexaginta & vnum, latitudo ad ſexcentos octoginta-octo paſſus ſupra milliaria ducenta & triginta protendetur. Columbus ad tantum paſſuum numerum, ſeu longitudinis ſeu latitudinis, expaueſcit, & *quod villis, pagis, & vicis tum agreſtibus tum urbanis, hoc manſo denique & colonico* ſeu calonicæ *factum* ſcribit [a], *vt*

[a] Lib. 1. n. 60.

Digitized by Google

incerta ac non rarò permodicæ amplitudinis fuerint , neque vel duodecim bunnuaria ſeu iugera, aut etiam integrum aliquando iugerum impleuerint. AN. CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

Octauò, Leo & eius vxor Oſtiliana dant cum ſeruis Quiciacum per calonicas quinquaginta protenſum, in agro Samſonis pagi, Roſeriis loco Beſſinâque amne terminatum. *Ego Leo & vxor mea Oſtiliana condonauimus aliquid de noſtris rebus, quæ ſunt in Viuarienſe, in arce Samſonenſe, de villa quæ dicitur Quiciaco, cum ſeruis, vſque ad flumen Beſſina & Roſerias. Totum ſunt calonicas quinquaginta. Tradidimus Deo & Sancto Vincentio.* XVI.

Nonò, Marius dat Eccleſiam Sancti Mauritij, impoſitam Henticæ fluuio, cum triginta calonicis ac ſeruis ad eas colendas. *Ego Marius ædificaui Eccleſiam in honorem Sancti Mauritij, quæ eſt ſuper Henticam flumen. Dotaui eam calonicis* XXX. *vnà cum ſeruis ſuis. Tradidi eam Deo & Sancto Vincentio.* XVII.

Decimò, Bellus dat plures Eccleſias cum octoginta calonicis ac ſeruis ad earumdem calonicarum culturam. *Ego Bellus, qui fui natus in Viennenſe, & nutritus in Viuarienſe, in infirmitate mea fui annos* XXX. *Ædificaui Eccleſias ſuper Henticam flumen in honore Sancti Pet, S. P, S. Eulaliæ, & Sancti Romani. Dotaui eas de meis propriis in loco ipſo, calonicas* LXXX. *vnà cum ſeruis ſuis. Tradidi eas Deo & Sancto Vincentio.* Columbus quatuor Eccleſias enumerat, vnam *S. Pet*, alteram *S. P*, tertiam *S. Eulaliæ*, quartam *S. Romani.* Super duabus poſterioribus nulla difficultas. Textus ſuper duabus prioribus non æquè clarus. Vna dicitur *S. Pet.* id eſt, Sancti Petri, altera *S. P.* At quis Sanctus per has literas *S. P.* deſignatur? An Sanctus Paulus? itaut vna ſit Sancti Petri, altera S. Pauli, vel vna eadémque ſit Principum Apoſtolorum Petri & Pauli. XVIII.

Vndecimò, Ebo & eius vxor Berta dant duos agros, vnum calonicarum decem cum Eccleſia Sancti Symphoriani in valle Vinaria, alterum calonicarum viginti in monte Bergo. *Ego Ebo & vxor mea Berta donamus Sancto Vincentio de propriis meis Eccleſiam in honore Sancti Symphoriani, quæ eſt in valle Vinaria cum calonicis* X. *& in monte Bergo calonicas* XX. XIX.

Duodecimò, Marcellus ſimiliter duos dat agros, vnum calonicarum decem in monte Bergo, alterum viginti calonicarum in monte Celoto. *Ego Marcellus . . . . . . Botana Deo ſacrata condonaui de propriis meis, vel mancipiis, in monte Bergo, vbi dicitur Turnuſtus, calonicas* X. *& in monte Celoto calonicas* XX. XX.

Decimo-tertiò, in dotatione Viuarienſis Eccleſiæ, mentio fit Fredegundis Monialis, quæ puellare Monaſterium in honorem Sancti Stephani & Sancti Saturnini ædificauit, vbi & annos vixit iam nouem, & reliquam vitam ſtatuit agere. Textus dotationis talis eſt. *Ego Fredegundis, Deo ſacrata, ædificaui in Melotis, Monaſterium puellarum, in honore Sancti Stephani & Sancti Saturnini. Hic vixi annis* IX. *hic diffiniui.* Columbus ſubauditum ait *degere reliquam ætatem*, rectéque infert illud Monaſterium in poteſtate Viuarienſis Epiſcopi fuiſſe; cur enim alioqui poneretur in dotatione Viuarienſis Eccleſiæ? XXI.

Decimo-quartò, Ardulphus Viuarienſis Epiſcopus dat Mixanum, mediam partem Vicani, Canauarrum, Faram, Sculas Sancti Laurentij, curtem Crudatis, villas tres, Pociolos, Caligonem, & Oſiponem totum. *Ego Ardulphus Epiſcopus Sedis Viuarienſis dotaui Deo & Sancto Vincentio Mixanum, Vicano dimidio, Canauarro, Fara, cum Sculis ſancti Laurentij, & Crudatis curte, cum villis tres, Pociolis, Caligo, ex Oſippo totum.* Ardulphus Epiſcopus poſt Melanium, qui Cautinum Archidiaconum ad quintam Synodum Aurelianenſem anno Chriſti quingenteſimo vndequinquageſimo direxit, in Cathedra Viuarienſi proximè ſedit. XXII.

Decimo-quintò, Albinus dat Eccleſiæ ſancti Auli, extra ciuitatem Viuarienſem poſitæ, Cauſonenum, Nargatem, Congonem, Scondatem, Ano- XXIII.

Digitized by Google

AN. CH. 727. Theodor. IV. R. 7.

matem, Braudatium & Pallagionem. *Ego Albinus dotaui ſancti Auli foras ciuitatis, Cauſoneni, Nargatis, Congo, Scondolatis, & Anomatis, & Braudatij, & Pallagione.* Nomina locorum ſunt Gallico-Viuarienſia, quæ penitus exoleuerunt, vt & alia plurima quæ memorantur in dotatione de qua nunc agimus. Eccleſia verò ſancti Auli non leuem difficultatem parit, quis enim ille ſanctus Aulus? Inter Eccleſias, quæ priſcis temporibus extra ciuitatem Viuarienſem ſteterunt, *prima S. Auli Epiſcopi Viuarienſis* apud Columbum [a] nominatur. In Catalogis Epiſcoporum Viuarienſium, vnus duntaxat inuenitur ſanctus Aulus, qui ſancto Eucherio in Epiſcopatum ſucceſſit, vixítque longè recentior Albino, cuius donationem nunc explicamus. Ad octauum enim ſeculum pertigit, & donatio, quam eius ſoror Macedonia Viuarienſi Eccleſiæ contulit, Viuarienſium Epiſcoporum, Venantij Secundi & Longini donationibus, de quibus infrà, poſtponitur. Articulo dotationis decimo-quinto, quem exponimus, Albinus Eccleſiam ſancti Auli ſuburbanam multis prædiis auget. Articulo decimo-nono, Venantius Viuarienſis Epiſcopus Deo & ſancto Vincentio duas dat Eccleſias cum calonicis & ſeruis. Articulo viceſimo-ſecundo, idem præſtat Longinus Epiſcopus quoque Viuarienſis. Articulo viceſimo-quarto, Alcimus & eius vxor Macedonia, *quæ fuit ſoror S. Auli*, multa bona eidem Eccleſiæ ſancti Vincentij elargiuntur. Duos igitur diſtingue ſanctos Aulos; vnum, cuius Eccleſiam Albinus ſuâ munificentiâ ditauit, cùm Viuarienſes Inſulæ penes Ardulphum Epiſcopum erant; alterum, cuius ſoror fuit Macedonia, quæ longè poſt Ardulphi Epiſcopi Pontificatum póſtque ætatem prædicti Albini vixit. Hæc ſanctorum Aulorum diſtinctio colligitur ex Martyrologio Viuarienſi, cuius hæc ſunt verba decimo Kalendas Martij [b]. *Hac die, in noſtra præſente Eccleſia Viuarienſi fit feſtum de Tranſlatione ſancti Auli Epiſcopi, qui ſancto Luciano ſucceſſit, vt habetur in noſtris antiquis monumentis, quæ chartam antiquam vocant. Libri moderni habent eum ſucceſſiſſe beato Eucherio, cum tamen inter illos*, id eſt, inter ſanctum Lucianum & beatum Eucherium, *vt antiqua charta docet, ſint ſancti, Venantius, Ruſticus, Melanus, Firminus. Pòſt ſequitur Eucherius, cui ſucceſſit beatus Aulus, illi Eumachius.* Auctor enim huius Martyrologij libros duplicis generis allegat, antiquos qui ſanctum Aulum ſancto Luciano ſufficiunt, modernos qui ſanctum Aulum beato Eucherio ſubrogant. Rectè vtrique libri; veteres de Seniore Aulo loquuntur, recentiores de Iuniore. Sancto Luciano ſucceſſit ſanctus Aulus cognomento Senior ſeu Primus; beato Eucherio ſucceſſit ſanctus Aulus cognomento Iunior ſeu Secundus. Admittendi ſimiliter duo Luciani Viuarienſes Epiſcopi, vnus cui vetera monumenta ſanctum Aulum proximè ſucceſſiſſe teſtantur, alter cuius ſucceſſores in iiſdem veteribus monumentis hoc ordine recenſentur, ſanctus Venantius, ſanctus Ruſticus, ſanctus Melanus ſeu Melanius, ſanctus Firminus, ſanctus Eucherius, ſanctus Aulus. Ambo illi Luciani deprehenduntur in Epiſcoporum Viuarienſium Catalogis, quos Columbus & Sammarthani contexuerunt. In illis enim Nomenclaturis Melano ſuccedit Lucianus Senior ſeu Primus, Longino Lucianus Iunior ſeu Secundus. Deinde Lucianus Primus Pontificatum gerit, antequàm Franci Viuario potiantur, eiuſdem enim Luciani (omiſſo Aulo Primo) proximus ſucceſſor ſtatuitur Valerius, tum Venantius, ſub cuius Pontificatu Viuarium Francis cum reliqua Burgundia ceſſit. Lucianus verò Iunior ſeu Secundus Epiſcopatum obtinet Francis à longo tempore Viuario totâque Burgundia iam potitis, Melanium enim, cuius vices in Concilio Aurelianenſi quinto Cautinus Archidiaconus egit anno Chriſti quingenteſimo vndequinquageſimo, ſequuntur, Ardulphus, Venantius Secundus, Longinus, Lucianus. Auctor Martyrologij Viuarienſis duos etiam Lucianos Epiſcopos agnoſcit, vnum Valerij, alterum Eumachij deceſſorem. Prioris ita meminit [c]. *Quarto Kal. Febr. depoſitio beati Valerij Epiſcopi Viuarienſis, qui beato Luciano, regnante Alarico, ſucceſſit.* Poſterioris, ad diem decimum

Dvo distingvvntvr Avli Vivarienses Episcopi.

[a] Lib. 1. n. 17.

[b] Ap. Columb. lib. 1. de Geſt. Epiſc. Viuar. n. 4.

[c] Ap. Columb. lib. 1. de Geſt. Epiſc. Viuar. n. 7.

Digitized by Google

mum ante Kalendas Februarij, vbi agit de Tranſlatione ſancti Auli, vt obſeruatum ſuprà, poſt ſanctum enim Lucianum ex antiqua charta recenſet ſanctum Venantium, ſanctum Ruſticum, ſanctum Melanum ſeu Melanium, ſanctum Firminum, ſanctum Eucherium, ſanctum Aulum. De Seniore Luciano, in dotatione Cathedralis Eccleſiæ Viuarienſis, intelligendus articulus tertius, qui ſic habet. *Dotauit Lucianus Epiſcopus Ameliaco villâ, Blandamiſco, Occiano. Iſta omnia dereliquit Deo & ſancto Vincentio.* Huic Luciano ſubrogatus eſt ſanctus Aulus, cuius Eccleſiam Albinus ditauit. Seniorem hunc ſanctum Aulum, quem antiqua charta ſeu vetera monumenta Viuarienſia ſucceſſorem ſancti Luciani conſtituunt, Auctor Martyrologij Viuarienſis, licèt eandem antiquam chartam à ſe lectam fateatur, aſtutè diſſimulat [a], nullúmque commendat Aulum Epiſcopum præter Iuniorem, qui beato Eucherio in Epiſcopatum ſucceſſit. Nec aliam quære rationem, cur iſte Martyrologus in depoſitione beati Valerij, quarto Kalendas Februarias, eundem ſanctum Valerium beato Luciano proximè ſufficiat. Inde autem error in Epiſcoporum Viuarienſium Catalogos, etiam locupletiſſimos, dimanauit. In Geſtis enim Epiſcoporum Viuarienſium à Columbo concinnatis & in auctiore Gallia Chriſtiana Sammarthanorum, poſt beatum Auxonium, qui Sedem Epiſcopalem Viuarium tranſtulit, ad aduentum vſque Francorum, hi ſequuntur Epiſcopi, Ioannes, Melanus, Lucianus, Valerius, Venantius, quibus inſerendus poſt Lucianum ſanctus Aulus, Indice Viuarienſium Pontificum ſic inſtaurato; Ioannes, Melanus, ſanctus Lucianus, quorum donationes tribus primis articulis dotationis Viuarienſis exprimuntur; ſanctus Aulus, cuius Eccleſiæ multa dona confert Albinus articulo decimo-quinto eiuſdem dotationis; ſanctus Valerius, qui *regnante Alarico* floret, vt prælaudata charta Viuarienſis antiqua teſtatur; ſanctus Venantius, qui Concilio Epaonenſi ſub Sigiſmundo Burgundionum Rege ſic ſubſcribit, *Venantius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Albenſium relegi & ſubſcripſi die & Conſule ſupraſcriptis*, id eſt, *die* XVII *Calendas menſis octaui*, *Agapito V. C. Conſule*, & Aruernenſi ſub Theodoberto Francorum Rege ſic, *Venantius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Viuarienſis conſenſi & ſubſcripſi.* Ceterùm ex Alarici Principatu, ſub quo ſanctus Valerius vixit, & ex Synodis, quibus ſanctus Venantius interfuit, obſerua Viuarium à Wiſigothis ad Burgundiones, ab his ad Francos tranſiiſſe. Alaricus, vt Tomo primo [b] probatum eſt, apud Wiſigothos annis tribus ac viginti regnauit, Eurici patris Regnum obtinere cœpit anno Chriſti quadringenteſimo octogeſimo-quarto, in prælio Vogladenſi à Clodoueo Magno Francorum Rege interemptus occubuit anno Chriſti ſeptimo ſupra quingenteſimum. Viuarium, eo Rege adhuc ſuperſtite, in poteſtatem Burgundionum deuenit, cùm Pontificales Infulæ penes ſanctum Valerium ſancti Auli proximum ſucceſſorem erant. Sanctus Venantius, qui ſancto Valerio ſucceſſit, Epiſcopatum tenuit annis [c] viginti-ſeptem, ſub quatuor Regibus, nempe ſub Gundobaldo, Sigiſmundo, & Godomaro, Regibus Burgundionum, & ſub Theodoberto Francorum Rege. In Synodo Epaonenſi, cui ſub Sigiſmundo Burgundionum Rege ſubſcripſit anno Chriſti quingenteſimo decimo-ſeptimo, ſe dixit Epiſcopum *ciuitatis Albenſium*, Epiſcopum verò *Eccleſiæ Viuarienſis* in Synodo Aruernenſi, cui ſub Theodoberto Francorum Rege ſubſcripſit anno Chriſti quingenteſimo triceſimo-quinto, quia, licèt Epiſcopalis Sedes Albâ Viuarium à multis retrò annis per beatum Auxonium fuiſſet tranſlata, ſucceſſores eiuſdem Auxonij promiſcuè cùm Albenſes tum Viuarienſes Epiſcopos ſe nuncupabant. Sancto Venantio ſucceſſerunt, Firminus, Eumachius, Agripius, tum Melanius, qui Cautinum Archidiaconum ad quintam Synodum Aurelianenſem anno Chriſti quingenteſimo quadrageſimo-nono direxit, deinde Ardulfus, cuius temporibus Albinus vir prædiues erga ſuburbanam Eccleſiam ſancti Auli munificum ſe præbuit.

AN. CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

[a] d. 20. Febr.

[b] An. 507. n. 2.

[c] Breuiar. Viuar. d. 5. Aug.

AN.CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

XXIV. Decimo-ſextò, Bobo, eiúſque vxor Eulalia, & Rufinus frater, dant Eccleſiam Sancti Petri à ſe ædificatam ad Ligerim amnem, cum ſex calonicis, & villa Vtiaco ad Henticam fluuium ſita. *Ego Bobo, & vxor mea Eulalia, & frater meus Rufinus, ædificauimus Eccleſiam in Atuematenie, in honore Sancti Petri, ſuper fluuium Liger. Dotaui eam de propriis meis calonicas* VI. *& ſuper Henticam fluuium villâ quæ vocatur Vtiaco. Et iſta omnia tradimus Deo & Sancto Vincentio.*

XXV. Decimo-ſeptimò, Aſpaſia dat quinque prædia, vnum in territorio Caxonenſi, quatuor in territorio Melicianenſi. *Ego Aſpaſia dotaui Sancto Vincentio in Caxona Laudatis; & in Melicianenſe Seruationo totum vſque Inno, Volenceta, Vitem, & Pruinis totum vſque in fluuium Cicei.*

XXVI. Decimo-octauò, Sconbertus dat Eccleſiæ Sancti Romani, extra Viuarij muros poſitæ, villam Oiſianum in territorio Dienſi, necnon Caſtriam, & in Valuinaria campum modiorum ſexaginta, vineas tres, prata duo. *Ego Sconbertus dotaui Sancto Romano foras portas. In Dienſe, villam Oiſiano vſque in rio montis*, id, eſt vſque ad riuum è monte defluum. *In Valuinaria modia ter viginti, & vineas tres, pratis* 2. *& Caſtria totum vſque in ſummitate montis.* Bellus, vt dictum eſt ad articulum decimum dotationis, quam explicamus, Eccleſiam *ſuper Henticam flumen in honore S. Romani* ædificauit, eámque tradidit *Deo & Sancto Vincentio.* Sed hæc alia videtur ab ea, cuius mentionem facit Sconbertus in ſua donatione. Si Columbus [a] Eccleſias, quæ intra extráque ciuitatem Viuarienſem olim erant, benè numerauit, ſex hæ fuerunt ſuburbanæ, *prima Sancti Auli Epiſcopi Viuarienſis, ſecunda Sancti Martini, tertia Sancti Victoris, quarta Sancti Albani, quinta Sancti Victoreti, ſexta Sancti Iuliani.* Cur ſeptima Sancti Romani non addatur, haud capimus, de illa enim Sconbertus loquitur, vt articulo decimo-quinto Albinus de prima, quam nomine Sancti Auli dedicatam audiſti. Vtraque, quia in Cathedralis Eccleſiæ Viuarienſis dotatione cenſetur, ad illam Cathedralem Eccleſiam abſque dubio pertinuit. Aſſerit Columbus Eccleſiæ Sancti Romani nullum hodie in agro Viuarienſi veſtigium supereſſe.

[a] Lib. 2. de Geſt. Epiſc. Viuar. n. 17.

XXVII. Decimo-nonò, Venantius Viuarienſis Epiſcopus duas dat Eccleſias cum ſeptuaginta calonicis ac ſeruis. *Ego Venantius Sedis Viuarienſis Epiſcopus dotaui Eccleſiam in Luciatenſe in honore Sanctæ Mariæ, & Sancti Martini Beſſiaco. Dotaui eas calonicas* LXX. *& cum ſeruis ſuis, & dimiſi eas Deo & Sancto Vincentio.* Fuit hic Venantius Epiſcopus, illius nominis Secundus, & Ardulpho, cuius donationem articulo decimo-quarto ſuprà deſcripſimus, immediatè ſucceſſit.

XXVIII. Viceſimò, Yteria dat Eccleſias Sancti Thomæ & Sancti Sebaſtiani cum earum agris, qui fluuio per Scotadium labente & villâ Cacerde terminantur. *Ego Yteria fœmina, fui ſine viro ſexaginta annos, ædificaui Eccleſias in vertice montis, in honore Sancti Thomæ & S. Sebaſtiani. Dotaui eas vſque in fluuium Scotadij, & villam quæ dicitur Cacerdis, & tradidi eas Deo & Sancto Vincentio.*

XXIX. Viceſimo-primò, Antherius dat Albemiate Palatium ſuum ſecus Henticam fluuium cum Eccleſiis Sanctorum Saturnini & Lupi; villas Botellicum & Ragiatem; prædia Aicaiutem & Quabidem cum quatuor calonicis; villas Orachem & Cauinicas in Bocera; demum Eccleſiam Sancti Ioannis & Sancti Mauritij cum octoginta calonicis & ſeruis ad earum culturam. *Ego Antherius Patricius prouinciarum, & vxor mea Sulpitia, dotaui Sancto Vincentio de propriis noſtris Albemiate Palatium noſtrum, quod eſt constructum ſecus Henticam fluuium cum Eccleſias duas, vna Sancti Saturnini, alia Sancti Lupi; Botellicus villam, Ragiatis villam; Aicaiutis, Quabides, calonicas quatuor; Oraches villam, Canonicas villam in Bocera; Eccleſiam Sancti Ioannis & Sancti Mauritij. Sunt calonicas octoginta cum ſeruis ſuis. Iſta donamus Deo & Sancto Mauritio.*

XXX. Viceſimo-ſecundò, Longinus Viuarienſis Epiſcopus, huius nominis Secundus, Venantij quoque Secundi, cuius donationem articulo decimo-

nono ſuprà retulimus, duas dat Eccleſias, vnam Sancti Stephani cum viginti calonicis, alteram Sancti Laurentij cum calonicis quindecim, & medium inter vtramque agrum Ciluatenſem cum centum viginti calonicis & ſeruis earumdem calonicarum culturæ addictis. *Ego Longinus Epiſcopus ædificaui Eccleſiam in honorem Sancti Stephani in monte Conato, quæ dicitur ad Scans; dotaui calonicas viginti; & Eccleſiam Sancti Laurentij dotaui calonicas quindecim. Et ego indignus & peccator conſecraui eas, & dereliqui Deo & Sancto Vincentio, & Ciluatenſe medio, cum centum viginti calonicis vnà cum ſeruis ſuis.* AN. CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

Viceſimo-tertiò, Gombertus dat Eccleſiam Sancti Vincentij à ſe exædificatam cum Craſco villa ei attributa inſtructâque campis, pratis, ac vineis, nempe calonicis triginta, pratis quatuor, & vineis quæ vinum tantâ copiâ ferant, vt modij centum & octoginta impleri poſſint. *Ego Gombertus ædificaui Eccleſiam in honore Sancti Vincentij, in villa, quæ dicitur Craſco. Dotaui eam imprimis villâ cum* XXX *calonicis, pratos quatuor, de vineis vnde exire poſſunt modij centum octoginta.* Rectè monet Columbus ſubaudiendas has voces, *& dereliqui Sancto Vicentio.* Cur enim alioqui hoc poſitum in dotatione Eccleſiæ Cathedralis? Gombertus prædictis vocibus abſtinere voluit, vt æquiuocationem fugeret, quæ ex Eccleſia cognomine ab ipſo ædificata cooriri poſſet. XXXI.

Viceſimo-quartò, Alcimus & eius vxor Macedonia dant Cuiſinianum, Belli dimidium, Argentarias Inſulam. *Ego Alcimus & vxor mea Macedonia, quæ fuit ſoror Sancti Auli, dotauimus Sancto Vincentio de Cuiſiniano, quod eſt conſtructum ſuper flumen Rhodani vſque ad Bauarias, & vſque ad riuum Oſonem, & Bello dimidium, & in Tricaſtenſis Inſula, quæ vocatur Argentarias, quæ eſt ad Burgogiates ſuperiorem. Iſta omnia tradimus Deo & Sancto Vincentio.* Lege quæ de iſta donatione ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quintum [a] dicta ſunt. Lege & quæ de duobus Sanctis Aulis nuperrimè narrata ſunt ad articulum decimum-quintum dotationis quam examinamus. Macedonia, vxor Alcimi, fratrem habuit Sanctum Aulum Viuarienſem Epiſcopum, Iuniorem ſeu Secundum, cuius Pontificatus, vt ſæpè monuimus, ad octauum vſque ſeculum peruenit. XXXII.

[a] Nu. 24. 25.

Viceſimo-quintò, Rodulfus dat Eccleſias quatuor, beati videlicet Petri de Rumpone, Sancti Albani, Sancti Proiecti, & Sancti Stephani. *Ego Rodulfus dotaui Eccleſiam Sancti Petri de Rumpone monte, & in Valentinenſe ædificaui Eccleſiam in honore Sancti Albani. Dotaui Deo & Sancto Vincentio. Et in Valentinenſe ædificaui Eccleſias duas, in honore Sancti Proiecti, & Sancti Stephani. Dotaui eas. Iſta omnia tradidi Deo.* Hæc donatio videtur hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo, facta, nam poſtrema eſt omnium, quas hactenus recitauimus, eique proximè ſubiicitur hæc periodus. *Omnia iſta dotauerunt ad Sanctum Vincentium, vel ad ipſa corpora Sanctorum, quæ in circuitu requieſcunt, anno ſeptimo, regnante Domino noſtro . . . . . Indictione vndecimâ.* Obſcurum eſſe ſenſum huius periodi non inficiamur, ſed interpretationem conſule, quam attulimus ſuprà [b], aptauimúſque anno Theodorici Regis ſeptimo, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus viceſimus-ſeptimus penè totus conuenit. Sedebat tum Viuarij Longinus Epiſcopus, huius nominis Tertius, Eumachij, de quo locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quintum, proximus ſucceſſor. XXXIII.

[b] Nu. 4. & ſeqq.

Sequitur donatio viceſima-ſexta, quæ quidem recentiùs collata eſt, ſed incertum quonam anno. Placet illam ſubiungere, vt hoc loco nihil deſideretur, quod ad integram Viuarienſis Eccleſiæ dotationem pertineat. Aginus & eius vxor Petronilla dant Valligorgiam cum Eccleſia Sancti Martini latè fuſam per calonicas ſexaginta-nouem ſupra centum, necnon Eccleſiam Sancti Petri in Salua plantata cum agro calonicarum vndecim. *Ego Aginus vir illuſtris, & vxor mea Petronilla, dotauimus de propriis rebus noſtris Sanctum Vincentium in Caſtro Viuarij ſitum, quod de genitore meo Aprimi-* XXXIV.

AN. CH. 727. THEO-DOR. IV. R. 7.

culo iuſtiſſimè aduenit. Hoc eſt Valligorgia cum Eccleſia Sancti Martini cum ſuis appendentiis, Alpes duas, quæ nuncupant Taranicus, ibidem vſque ad Borna, & vſque ad Nitrenſe, ſiue vſque in valle Contronica, & vſque ad Linna quæ vergitur in Linna. Et in alio loco in ipſo Comitatu, vbi dicitur Salua plantata, Eccleſiam in honore Sancti Petri calonicis vndecim. Sunt in ſumma calonicæ centum octoginta. Cum ſeruis ſuis tradimus Deo & Sancto Vincentio. In hac donatione per Alpes, montes excelſos intellige. Sic apud Fortunatum Pyrenæi montes necnon Aruernici, quia ſunt alti, ſæpè Alpes appellantur.

Inde Pyrenæas per nubes tranſilit Alpes.
——— Ab Aruernis veniens feliciter aruis,
Alpibus ex illis properans.

XXXV. Prædictæ dotationi Cathedralis Eccleſiæ Viuarienſis apud Columbum libro primo [a] de rebus geſtis Epiſcoporum Viuarienſium ſubiicitur *Breue de obedientiis Canonicorum Viuarienſium.* In illo Breui ſiue albo recitantur Canonici Viuarienſes, enumerantúrque bona, quæ ſinguli ex ſui ſiue Epiſcopi ſiue Collegij præcepto adminiſtrant.

[a] No. 46. & ſeqq.

XXXVI. Dotatio Cathedralis Eccleſiæ Viuarienſis & Breue de obedientiis Canonicorum Viuarienſium, duo ſanè nobiliſſima ſunt antiquitatis monumenta, quæ Thomas Viuarienſis Epiſcopus ex vetere charta deſcribenda poſteríſque tranſmittenda curauit in politico ſeu puleto, per quod omnium ante ſe Præſulum res obliuione ſemiſepultas luci reſtituit. Audi illius præfationem [b]. *Ego Thomas Epiſcopus exemplaui illud politicum de aliis vetuſtiſſimis chartulis, quas inueni in chartulario Sancti Vincentij, & nec tertiam partem potui exemplare propter nimiam vetuſtatem, quâ conſumptæ ſunt; anno 14. regnante Domino Conrado Rege.* Hic eſt Conradus, qui teſte Dodechino Rex Romanorum electus eſt ineunte anno Chriſti milleſimo centeſimo duodequadrageſimo. Atque inde colligere eſt annum Conradi Regis decimum-quartum, quo Thomas Viuarienſis Epiſcopus puletum ſuum perfecit, cum anno Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo-ſecundo coincidiſſe. Multis igitur ſeculis ætatem Thomæ Viuarienſis Pontificis antecedunt omnes articuli dotationis Viuarienſis, ſed illâ dotatione longè recentius videtur Breue de obedientiis Canonicorum Viuarienſium, licèt annus, quo confectum eſt, haud ſciatur. De illo agemus Tomo ſequenti.

[b] Ap. Columb. l. 2. de geſt. Epiſc. Viuar. n. 2.

XXXVII. HVBERTVS LEODIENSIS EPISCOPVS.

Hubertus Leodienſis Epiſcopus, *cùm* iuxta viſionem, quam anno ſuperiori perſtrinximus, *ſciret imminere tempus, quo anima eius ergaſtulo corporis abſoluenda foret, diſcurrens per memoriam Sanctorum, & loca orationum, per eorum interceſſionem Domino commendabat ſuam reſolutionem. Nam veniens ante ſepulchrum beati Lamberti in Baſilicam, quam ipſe condiderat, & pia oſſa inibi terræ mandauerat, orationi diutiſſimè incubuit, ſolitóque fonte lachrymarum genas rigauit, oculis lachrymis perfuſis, arámque deoſculans, fratribus circumſtantibus ſemet humiliter commendauit. Progrediénſque inde, Baſilicam, quam ipſe ſub honore beati Petri Principis Apoſtolorum Domino dicauerat, oraturus adiit. Inde etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem Baſilica Domino conſecrauerat, diutiùs curuatis genibus orationem profudit. Móxque ab oratione ſurgens dixit.* [*In memoria æterna erit iuſtus, &c.*] *Conuerſúſque ad parietem, & protenſis per eum brachiis, locum ſepulchri ſui permenſus, ait. Hic defoſſâ humo locus meræ ſepulturæ paretur. Nam iſtud corpus miſerrimum iſtic collocari diſpoſui, precórque vt meæ migrationi veſtris precibus adminiculemini. Inſtat enim tempus, quo hæc torpentia membra ſpiritus relinquat, iudicíque ſuo præſentandus occurrat.* Sic familiares ſuos ac domeſticos allocutus eſt, inter quos erat is, qui vitam literis poſteà commendauit. Hæc enim proximè ſubiunxit. *Non multùm igitur temporis interfluxit, iuxta quod vir Dei ſuper ſepulturæ ſuæ celebratione ore præſago actitandum fore diſpoſuerat, nos fideliſſimi ac deuotiſſimi eius famuli flebiliter executi ſumus, quoniam, triginta dierum ſpatio euoluto, ſpiritu eius in aſtra feliciter ab Angelis euecto, ſacrum corpus eius ad eundem tumulandum adueximus locum.*

Digitized by Google

AN. CH. 727. THEODOR. IV. R. 7.

Occurrent adhuc alij textus, qui Scriptoris vt ætatem, ſic auctoritatem, oſtendent.

XXXVIII. DICAT ECCLESIAM IN BRACHBANTO.

Inter opera, quæ Hubertus Epiſcopus poſtremis triginta vitæ ſuæ diebus confecit, idem Auctor recenſet dedicationem Eccleſiæ in Brachbanto. *Rogatu*, inquit, *quorundam illuſtrium virorum Brachbantum perrexit, Baſilicam nouo opere conſtructam Domino dedicaturus.* Peractâ dedicatione, cùm inde digreſſus eſſet, incidit in febrim *feriâ primâ*, migrauítque in cælum feriâ ſextâ. *Iam ſe aurora diei ſextâ feriâ, paulum decreſcentibus furuæ noctis tenebris, roſeo repræſentabat ſplendore, cùm nos*, inquit Auctor [a] vitæ, *totum ipſius circùm ambientes, vnáque nobiſcum egregius filius eius Florbertus, præſtolabamur glorioſam ipſius migrationem. Conuerſus autem ſacer Pontifex circumſtantibus ita proloqui cœpit. Mei predilecti atque amantiſſimi filij*, &c. *Canebátque Symboli verba, quo continentur fidei Sacramenta, dicendo. Credo in Deum Patrem Omnipotentem, &c. Itémque Orationis Dominicæ verba ſerendo. Pater noſter, qui es in cælis. Inter quæ verba ſpiritum efflauit, Angelicíſque admixtus cœtibus & euectus manibus, cælum penetrauit, Sanctorum iungendus agminibus*, &c. *Corpus eius ablutum lymphis, atque circundatum peplis, loculo ſuperponunt, atque elatum è loco eius obitûs, qui vocatur Fura, Leodium transfertur. Quæ loca à ſe differunt millibus triginta.* Furam pius Epiſcopus ſe receperat in ædes ſuas poſt dicatum Templum, de quo ſuprà. Sita [b] eſt Fura * Louanium inter & Bruxellas, ibíque pro domo, in qua beatiſſimus Antiſtes mortalem vitam clauſit, extructum eſt à multis ſeculis ſacellum, vt Fiſenus in vita [c] eiuſdem Pontificis obſeruauit.

[a] Apud Sur. d. 3. Nou.

OBIT.

[b] Malbranc. l. 4. c. 60.
* *Teruure.*
[c] Cap. 7.

XXXIX.

Ægidius Bucherius in diſputatione [d] Hiſtorica de primis Tungrorum Epiſcopis mortem Sancti Huberti refert tertio Kalendas Iunij, ſéque, vt ita ſcribat, veteribus Annalibus & Placentio nixum ait. Ioannis Placentij textus in Catalogo [e] *Antiſtitum Leodinorum* talis eſt. *Obiit Fera tertio Calendas Iunias, tametſi huius feſtum celebretur tertio Nonas Nouembres, quibus vel à Carlomanno corpus tranſlatum dicitur, vel ab Ogero Dano, vt nonnullis placet, euectum putatur.* Fruſtrà hîc inſeritur fabula de Ogero. Prælaudatus Sancti Huberti diſcipulus ac comes, dum Magiſtri vitam ſcribit, affirmat illius Tranſlationem factam die *Dominica, anno decimo-ſexto feliciſſimi eius exceſſûs*, Carolomanni verò Maioris-domûs, qui Caroli Martelli filius fuit, *tertio iam anno.* Hi Characteres annum Chriſti deſignant ſeptingenteſimum quadrageſimum-tertium, cuius litera Dominicalis fuit F. & menſis Nouember ad annum tertium Carolomanni totus pertinuit, quia Carolus Martellus eiuſdem Carolomanni pater obiit menſe Octobri, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo, vt ad illum annum probabimus. Iam verò, ſi qui numeratur annus Chriſti ſeptingenteſimus quadrageſimus-tertius, is fuit poſt Sancti Huberti mortem decimus-ſextus, neceſſe eſt, eas in noſtram ſententiam, & Sanctum Hubertum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo mortuum affirmes. Addequòd annus Chriſti ſeptingenteſimus viceſimus-ſeptimus præditus fuit literâ Dominicali E, & dies tertius ante Kalendas Iunias incidit in feriam ſextam, quâ mors Sancti Huberti conſignatur ab Auctore ſynchrono ſuprà citato. Fiſenus *illum diem, quo* beatus Hubertus *mortalitatem poſuit*, ait [f] *fuiſſe III. ante Kal. Maias*, at Iunias repone.

[d] Cap. 6. n. 100.
[e] In Antiſt. L.
[f] In S. Huberto c. 8.

XL. SVCCEDIT FLORIBERTVS ABB. STABVLENSIS.

Sancto Huberto ſucceſſit in Epiſcopatum Leodienſem Florbertus ſeu Floribertus aut Florebertus eius filius, qui patris veſtigia ſecutus, Diœceſim inſigni prudentiâ & ſanctitate gubernauit. De illo conſule Ægidium in additionibus ad Anſelmum [g]. Si priuſquàm ad Epiſcopatum promoueretur, Stabulenſis Abbas fuit, vt Placentius [h] teſtatur, adminiſtrationem Stabuleti & Malmundarij poſt mortem Amingeri ſuſcepit, & in vtriuſque Cœnobij Præfectura Sanctum Anglinum anteceſſit, de quo plura dicemus inferiùs.

[g] Ap. Chapeauill. To. 1.
[h] In Antiſt. Leod. 2.

ANGLINVS FIT ABB. STABVLENSIS.

AN. CH. 728. THEODOR. IV. R. 8.

ANNVS CHRISTI 728. THEODORICI IV. R. 8.

I. BELLVM BOIOARICVM

ANNO DCCXXVIII. *Item Karolus fuit in Saxonia, & Hidulphus Epiſcopus mortuus eſt.* Hæc Annales Petauiani. Sed Saxoniæ loco Boioariam repone. Sic enim habent Annales Tiliani. *Anno* DCCXXVIII. *Karolus ſecundâ vice pugnauit in Baioaria.* Et breue Chronicon San-Dionyſianum. *Anno* DCCXXVIII. *Iterum Karolus fuit in Baioaria.* Deinde Scriptores rerum Saxonicarum, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodequadrageſimum fuſiùs exponemus, Carolum in Saxoniam ter tantùm cum exercitu profectum ſcribunt, hoc eſt, annis octaui ſeculi duodeuiceſimo, viceſimo & duodequadrageſimo, idque ad illos annos Auctor Annalium Nazarianorum ſic docet. *Anno* DCCXVIII, *vaſtauit Karlus Saxoniam plagâ magnâ. Anno* DCCXX, *pugnauit Karlus contra Saxones. Anno* DCCXXXVIII, *Karlus intrauit Saxonia.* Lege quæ dicta ſunt ad annos Chriſti ſeptingenteſimum decimum-octauum & ſeptingenteſimum viceſimum. Cetera, quæ pertinent ad bellum, quod Carolus in Saxonia geſſit, perſequemur anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequadrageſimo.

II. ADVERSVS HVGIBERTVM DVCEM.

In Annalibus Tilianis ſuprà citatis, Carolus hoc anno dicitur in Boioatia pugnaſſe *ſecundâ vice*, quoniam in iiſdem Annalibus hæc ante triennium leguntur. *Anno* DCCXXV, *Karolus primùm pugnauit in Boioaria.* De priore bello ad illum annum multa ſcripſimus; de poſteriore, quod hoc anno geſtum eſt, nihil occurrit. Suſpicari licet Carolum in Boioariam eo tantùm conſilio profectum, vt Hugiberti Ducis, qui ſupremum Boioariæ imperium ambiebat, audaciam armis retunderet. Tunc & Hugibertus videtur laceſſitus à Luitprando Longobardorum Rege, qui Maias locum à Corbiniano Epiſcopo diu ſub Boicis Ducibus inhabitatum occupauit. Certè Maias in Luitprandi poteſtate fuiſſe, cùm Corbinianus obiit, poſt biennium oſtendemus.

III. HADVLFVS EPISC. ATREBAT. ET ABBAS VEDASTINVS OBIT.

Quod attinet ad Hadulfum ſiue Hidulphum Epiſcopum, quem Annales Petauiani hoc anno mortuum teſtantur, is fuit Epiſcopus Atrebatenſis & Cameracenſis, Abbáſque Vedaſtinus, de quo non ſemel locuti ſumus. Anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-nono Hadulphus Hattæ primo Abbati Vedaſtino ſucceſſit, anno pòſt vndeuiceſimo incompleto ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo promotus eſt ad Epiſcopatum Atrebatenſem ſeu Cameracenſem, munus autem Epiſcopale ſic ſuſcepit, vt Abbatiale neutiquam dimiſerit, vtroque igitur Epiſcopi & Abbatis officio per annos duodecim incompletos, ad obitum vſque, id eſt, ad hunc vſque annum defunctus eſt. Iuxta illos calculos explicari debet Chronographus Vedaſtinus, apud quem teſte Locrio [a] multi ſcribunt Hadulphum, *Epiſcopum duodecim, Abbatem vndeuiginti egiſſe annis.* Falluntur ſanè, qui mortem Sancti Hadulphi reiiciunt in annum ſequentem, eíque annos duodecim completos in Epiſcopatu tribuunt ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-nonum, aut annos vndeuiginti completos in Abbatiali munere numerant ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo ad eundem vſque annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-nonum. Lege quæ de Hatta & Hadulpho Vedaſtinis Abbatibus ad annum Chriſti vndeſeptingenteſimum [b] dicta ſunt.

[a] Ad an. 717.

[b] Nn. 17. & ſeqq.

IV. Sanctus Hadulphus colitur decimo-quarto Kalendas Iunij, quo die inter alia Molanus in illius encomio hæc habet. *Anno ſeptingenteſimo decimo-*

Digitized by Google

AN. CH. 728. THEODOR. IV. R. 8.

ſeptimo, acclamatione populi, fauore cleri, & iuſſu Hilperici Regis, aſſumptus eſt ad Epiſcopatum Cameracenſem ſiue Atrebatenſem, vndecimus à beato Vedaſto. Voluit tamen Epiſcopus à fratribus ſuis tantùm Abbas vocari. Poſt glorioſam autem conuerſationem ſepultus eſt Atrebati ſiue Nobiliaci, in Eccleſia Sancti Petri, vbi cum eius imagine hæc extant carmina, &c. *Ceterùm dicta Sancti Petri Eccleſia ſita eſt intra ſepta Monaſterij. Eſtque ex ea corpus ſanctum tranſlatum ad digniorem Eccleſiam, quæ eſt Sancti Vedaſti. Natalem habet die decimâ-nonâ Maij ex inſtitutione Engrammi Epiſcopi. Is enim, cum ſanctitas beati Hadulphi multis miriſque portentis oſtenderetur, ſacrum corpus leuauit die* 31. *Auguſti, & verbo facto ad populum ſolennia beati Hadulphi notificauit.* Engrammus ſiue Engelramus ex Monacho Corbeienſi factus eſt Atrebatenſis Epiſcopus anno Chriſti nongenteſimo duodeſexageſimo, vt Ferreolus Locrius ad illum annum ex Atrebatenſi Tabulario refert. Baldericus Cameracenſe Chronicon ſeriùs ſcripſit, & Hadulphi Epiſcopi ſanctitatem *procedente tempore multis miriſque portentis* oſtenſam ſimiliter prædicauit [a].

V. TRAWARDVS FIT EP. ATREBAT. ET CAMERAC. MADELBALDVS FIT ABB. VEDASTINVS.

Sancto Hadulpho in munus Epiſcopale ſucceſſit Trauuardus ſeu Treuuardus, in Abbatiale Madelbaldus ſeu Madelbertus. Treuuardi diuturnus fuit Epiſcopatus, annua verò Præfectura Madelbaldi, de quo ſic Chronographus Vedaſtinus [b]. *Madelbaldus, quem alij Madelbertum vocant, vt Hadulpho familiaris, ita pietatem eius & prudentiam è vicino æmulatus, præfectúſque ideo rebus Monaſterij, ſtatim à morte Hadulphi, acceſſione tantæ dignitatis diu lætari non potuit, cui quaſi partos honores mors inuideret, eum ab inita dignitate vix exacto anno celeriter nobis eripuit.*

VI. CILLIANVS EP. AVTISSIOD. OBIT. SVCCEDIT CLEMENS.

Cillianus Autiſſiodorenſis Epiſcopus ex hac vita migrauit, cùm ſediſſet *annos ſex, menſes duos. Obiit autem*, vt Autiſſiodorenſis Chronographus [c] teſtatur, *pridie Nonas Auguſtas, & ſepultus eſt in Baſilica Sancti Germani.* Succeſſit Clemens, ſeditque *annos v. menſem* 1. *dies x.*

VII. HVGO FIT ABB. GEMMETIC.

His circiter temporibus, poſt Ductegangi ſeu Ductegandi mortem, factus eſt Gemmeticenſis Abbas Hugo Caroli Maioris-domûs ex Drogone fratre nepos, de quo ſæpè iam locuti ſumus. Hic enim ex Monacho Gemmeticenſi creatus eſt Archiepiſcopus Rotomagenſis, tum Abbas Fontanellenſis, deinde Pariſienſis Epiſcopus, necnon Epiſcopus Baiocenſis, nouiſſimè Gemmeticenſis Abbas, &, vt Auctor Chronici Fontanellenſis [d] obſeruat, *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit; Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam & Gemmeticum.* Vt Fontanellenſis Monaſterij Sanctus Wandregiſilus, ſic Gemmeticenſis Cœnobij beatus Philibertus conditor ac primus Abbas fuit. Apud præcitatum Chronographum Hugo in vtroque Monaſterio ſeptimus poſt conditorem Abbas conſtituitur, idque aliâ occaſione ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium [e] iam probatum.

[a] Lib. 1. c. 35.

[b] Ap. Locrium an. 730.

[c] Capp. 30. 31.

[d] Cap. 8.

[e] Num. 3.

---

729. THEODOR IV. R. 9.

ANNVS CHRISTI 729.

THEODORICI IV. R. 9.

I. OBITVS BERTHÆ BLANGIACENSIS QVONDAM ABBATISSÆ.

ANNO Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-nono, Bertha Blangiacenſis Monaſterij fundatrix, de cuius ætate alibi [f] diſputauimus, in cælum migrauit. Felicem eius tranſitum ex Auctore vitæ manuſcripto, cuius exemplar penes nos eſt, in Chronico Belgico [g] ſic deſcripſit Ferreolus Locrius. *Quùm eſſet beata Bertha annorum ſeptuaginta-nouem, ſenſit diſſolutionem corporis ſui imminere. Tunc vidit Angelum Dei portantem ſignum Crucis, meruítque au-*

[f] Ad an. 685. n. 40.

[g] Ad an. 721.

Digitized by Google

AN. CH. 729. THEODOR. IV. R. 9.

dire voces in cælo pſallentium, voluítque beatiſſima imitari voces canentium, aliíſque inſinuare melodiam, nec ampliùs retinere valuit, niſi hoc tantummodo. Veni electa, veni electa. Et cùm hoc dixiſſet, migrauit fœliciter, ſuſcepítque eam Angelorum chorus cum fidelibus turmis. Viſi quoque ſunt tres viri inſoliti ſplendoris, illam candidiſſimo habitu circumſtantes & dicentes. Dirigatur anima tua in Paradiſum exultationis, & eleuatio manuum noſtrarum perducat te in conſpectu Sanctorum Angelorum. In Codice manuſcripto hæc proximè ſequuntur de illius exequiis, déque die quo feliciter ad Deum migrauit. *Epiſcopi comperto obitu Sanctiſſimæ Abbatiſſæ vnanimiter conuenerunt, multimodas rependentes Deo laudes, qui felici retributione remunerat ſibi ſeruientes. Sepelierunt itaque beatiſſimum corpus dicentes. Intercede pro nobis ad Deum coronata, vt tibi mereamur iungi in perpetuum. Amen. Soluta eſt ſanctiſſima anima beatiſſimæ Berthæ clauſtris corporis quarto Nonas Iulij, & poſita in ornamento diadematis cæleſtis Regis, cum quo regnat & lætatur in ſecula ſeculorum. Amen.*

II. Malbrancus [a] tres viros, qui candidiſſimo habitu inſolitóque ſplendore conſpicui apparuerunt, credit fuiſſe ſanctos Epiſcopos, Martinum, Vedaſtum & Audomarum, quibus Bertha in præcipuæ venerationis argumentum Templa conſtruxerat, & Martino quidem, diuerſis in locis, ſeptem, quæ etiamnum eundem Præſulem deuenerantur, vel olim deuenerabantur. In dubium non vocamus, quin, vbi nuntius de Berthæ deceſſu per diuerſas prouincias auditus eſt, in viam ſe dederint complures Epiſcopi iuſta ſanctæ Abbatiſſæ perſoluturi. Innuit quodammodò vitæ Scriptor interfuiſſe Præſulum multitudinem, vti anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, dum Blangiacenſis Eccleſia dedicata eſt. Pio non defuit officio Erkembodus Taruannenſis Epiſcopus, in cuius parœcia Blangiacum. Vicinas Diœceſes regebant, Ambianenſem Chriſtianus, Atrebatenſem Treuuardus, Hunuanus Tornacenſem. Conſule quæ de Sanctæ Berthæ ætate diximus, ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-quintum [b], inde enim facilè redargues eos, qui, vel anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, vel biennio pòſt, illam ex hac vita migraſſe contendunt.

[a] Lib. 4. c. 59.

[b] Num. 40.

III. Madelbaldus ſeu Madelbertus Abbas Vedaſtinus *ab inita dignitate vix exacto anno*, vt illius loci Chronogaphus [c] teſtatur, abiit è viuis. Succeſſit Ragenfridus.

[c] Ap. Locr. ad an. 730.

ET MADELBALDI ABB. VEDAST.

IV. Hoc anno, qui nonus Theodorici Regis numeratur, & vndecimus in vulgatis exemplaribus Chronici Fontanellenſis perperam dicitur, Hugo Fontanellenſis Abbas à Berto viro prædiuite multis donationibus auctus eſt, quas in Diœceſibus Sagienſi & Cenomannica ſitas Chronographus Fontanellenſis [d] ita commemorat. *Huic glorioſo Præſuli*, nempe Hugoni Monaſterij Fontanellenſis Abbati, *largitus eſt quidam illuſtris nomine Bertus portionem aliquam de villa Digmaniaco, quæ ſita eſt in pago Oſiſmenſi, in centena Alancionenſi, & illam rem quæ vocatur Vanda in centena Saginſe; ſimiliter in territorio Cenomannico rem illam quæ dicitur Veringo, ſeu Metiago quæ appellatur Auancurte. Edita eſt hæc largitio anno vndecimo Theodorici Regis patris Hilderici demum Regis nouiſſimi ex genere Merouingorum.* Quid ſit centena, docet Spelmannus in ſuo Gloſſario. Territoria, quibus Comites olim præficiebantur, diuidebantur in centenas, & è ſingulis centenis centum milites conſcribebantur, atque inde origo vocabuli. Hugo qui ſexto Idus Aprilis, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo, Indictione decimâ tertiâ, viuendi finem fecit, ad annum vndecimum Theodorici Regis haud peruenit, ideóque anni XI loco annum IX reponendum putamus ſublato errore, qui facilè ex Characterum Chronologicorum tranſpoſitione potuit oboriri.

[d] Cap. 8.

BERTVS MVNIFICVS ERGA MON. FONTANELL.

V. Amandus Siluanectenſis Epiſcopus obiit hoc anno, ſi Caroli Iaulnæi computus in Annalibus Eccleſiæ Siluanectenſis rectè procedit. Hic Auctor, datâ operâ, vt titulus operis præfert, ex omnium gentium Hiſtoriis res memorabiles, quæ cùm ad Eccleſiaſticum tum ad ciuilem ſtatum pertinebant,

EPISCOPI SILVANECT.

in

Digitized by Google

AN. CH. 729. THEODOR. IV. R. 9.

in vnum volumen collegit, & ad Chronologiam Epiſcoporum Siluanectenſium reuocare ſtuduit. Hæc igitur lucubratio duas in partes diuidi poteſt, quarum vna ſeriem Siluanectenſium Epiſcoporum, altera contextum rerum ad Diœceſim Siluanectenſem minimè pertinentium complectatur. Solo Siluanectenſium Epiſcoporum Catalogo vtimur, res enim, quæ geſtæ ſunt extra Diœceſim Siluanectenſem, vel non ſpectant ad Annales Eccleſiaſticos Francorum, vel, ſi ſpectant, ex vetuſtioribus ſcriptis erui poſſunt. In illo Catalogo, quot annos ſinguli ſederint Epiſcopi, notat Nomenclator, qui Demochari, Chenutio, Roberto & Sammarthanis hac in parte præferendus videtur, licèt annos Natiuitatis Dominicæ cum annis Regum Francorum aliquando non benè compararit. Malulfus Siluanectenſis Epiſcopus eodem quo Chilpericus Primus anno mortuus eſt. Annum illum interpretamur à Chriſto nato quingenteſimum octogeſimum-quartum, Iaulnæus quingenteſimum octogeſimum-ſextum. Inde oritur bienne diſſidium, quod poſt annos quatuordecim in obitu Candidi perſeuerat, hunc enim rebus humanis exemptum cenſemus anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo-octauo, Iaulnæus ſexcenteſimo. Maior eſt in ſubſequentibus diſcrepantia. Nomenclator Agomaro annos in Pontificatu triginta-ſex incompletos attribuit, Autberto vnum & quinquaginta, Amando tres & quadraginta, vúltque Agomarum obiiſſe anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-quinto, Autbertum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto, Amandum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-nono. At Agomarus, vt conſtat ex donatione, quam Blidegiſillus Diaconus Monaſterio Foſſatenſi conceſſit, in viuis ſupererat *die Nonarum Maiarum, anno tertio regnante Clodoueo gloriſiſſimo Rege*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo. Quapropter ipſius Agomari Pontificatum auximus integro decennio, & ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum prorogauimus, annóque pòſt quinquageſimo-primo ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto mortem Autberti conſignauimus, rati Præſulatum illius valdè diuturnum fuiſſe, quia vitam clauſit nonagenario maior. Ab anno autem Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quinto ad hunc vſque annum Chriſti ſeptingenteſimum vndetriceſimum numerantur anni duntaxat quatuor ac triginta, quibus Epiſcopatum Amandi circumſcribendum putamus. Obiit Amandus Epiſcopus ſeptimo Kalendas Nouembris, quo die celebris eſt apud Siluanectenſes eius memoria. Reliquiæ in Eccleſia Collegiata Sancti Reguli prope maius Altare cuſtodiuntur. Succeſſit in Epiſcopatum Erembertus, quem prædictus Nomenclator ait [a] Eccleſiæ Siluanectenſi per annos ſexdecim præfuiſſe.

[a] Ad an. 745.

VI. DILES EP. VENETENSIS OBIT.

Obiit etiam hoc anno Diles Venetenſis Epiſcopus, poſtquàm duodecim annos ſediſſet. Vacauit Epiſcopatus ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-primum. Lege Armoricam Sanctam.

VII. GOTSCALCVS ABB. WELTENBVRGIENS.

In Catalogo Weltenburgienſium Abbatum, qui Tomo tertio Metropoleos Saliſburgienſis reperitur, hoc anno collocatur Gotſcalcus ſucceſſor Heribatonis, de quo ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum fecimus.

VIII. ABDIRAMA PRÆFECTVS HISPANIÆ ET SEPTIMANIÆ CONSTITVITVR.

Hoc anno, pridie Nonas Aprilis, cœptus eſt annus Arabum centeſimus vndecimus, quo Præfecturam Hiſpaniarum ac Septimaniæ ſuſcepit Abdirama, qui poſt triennium debellatus occiſúſque eſt à Francis anno Hegiræ centeſimo decimo-quarto, Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, vt ad illum annum probabimus. De Abdirama, qui Iſidoro Pacenſi eſt Abderraman, Abderramen Roderico Toletano, ſic idem Iſidorus [b]. *Abderraman vir belliger in era* DCCLXIX. *an. Imperij eius*, nempe Leonis, XII *ſemiſſario, Arabum* CXIII, *Iſcam* IX, *in poteſtate properat lætabundus, cunctis per triennium valdè prælatus.* Et Rodericus Toletanus [c]. *Anno Imperij Arabum centeſimo decimo-tertio, Hiſcam autem nono, Abderramen vir belliger ad poteſtatem eligitur Hiſpanorum, &*

[b] In Chron.
[c] In Hiſt. Arab. c. 13.

AN. CH. 729. THEODOR. IV. R. 9. *regnauit ferè tribus annis.* Hi duo Scriptores vt Iſcami Caliphæ primordia, ſic & Hiſpanienſem Abdiramæ Præfecturam biennio differunt. Quemadmodum enim Iſcamus anno Hegiræ non centeſimo ſeptimo ſed centeſimo quinto Caliphatum iniit, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quartum probauimus; ſic idem Iſcamus anno Hegiræ non centeſimo decimo-tertio ſed centeſimo vndecimo, ſuíque Caliphatûs non anno nono ſed ſexto, Abdiraman Hiſpaniæ Septimaniæque præfecit. Apud Iſidorum, vt in annis Hegiræ & Caliphatûs, ſic & error eſt in Era. Præfecturam enim iniit Abderraman non Erâ ſeptingenteſimâ ſexageſimâ nonâ, quæ coincidit cum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, ſed Erâ ſeptingenteſimâ ſexageſimâ-ſeptimâ, quæ componitur cum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-nono. Nec ab hoc anno diſcrepat Character quem Iſidorus ab *anno* Leonis Imperatoris *duodecimo ſemiſſario* deſumit, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-nono Leo Auguſtus menſe Septembri dimidium anni decimi-tertij in Imperio abſoluit, quia imperare cœpit octauo Kalendas Aprilis anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo. Abderraman, vt ſuo loco probabimus, à Francis in prælio cæſus occubuit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, menſe Octobri, die Sabbati, currente tum anno Hegiræ centeſimo decimo-quarto, cui dies ſextus ante Nonas Martias initium fecerat. Regnauit igitur, aut potiùs Præfecturam egit Hiſpaniarum ac Septimaniæ *per triennium*, vt Iſidorus loquitur, & vbi apud Rodericum regnaſſe dicitur *ferè tribus annis*, vox, *ferè*, reſcindenda eſt, quia Præfecturam adminiſtrauit triennio integro & ampliùs, ex computatione cùm Chriſtianorum tum Arabum. Præfecturam enim iniit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-nono, menſe Septembri, ſiue anno Hegiræ centeſimo vndecimo, menſe Iumado poſteriore, vitámque amiſit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, menſe Octobri, ſiue anno Hegiræ centeſimo decimo-quarto, vtrùm menſe Sahaueno an Ramadano in incerto eſt, quia, vt ex Annalibus Nazarianis ac Petauianis & ex Chronico San-Dionyſiano ſimul collatis patet, obiit menſe Octobri, die Sabbati, anno autem Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo in menſem Octobrem quatuor inciderunt Sabbata, ſed quonam ex illis Sabbatis interierit, Hiſtoriæ non produnt. Primum illorum Sabbatorum occurrit quarto Nonas Octobris; alterum, quinto Idus Octobris; tertium, decimo-quinto Kalendas Nouembris; quartum, octauo eaſdem Kalendas; hoc poſtremum pertinuit ad menſem Ramadanum, ad Sahauenum alia tria. Quid Abdirama ſingulis annis egerit, exponemus annis proximè ſequentibus. Hæc impræſentiarum ad ſtabiliendam Chronologiam ſufficiant.

---

730. THEODOR. IV. R. 10.

ANNVS CHRISTI 730.

THEODORICI IV. R. 10.

I. BELLVM SVEVICVM. AVCTOR Annalium Petauianorum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum ſic ſcribit. DCCXXX. *Quando Karolus perrexit Suauis contra Lanfridum.* Auctor Tilianorum, ſic. DCCXXX. *Karolus pugnauit contra Lantfridum.* Auctor Nazarianorum, ſic. DCCXXX. *Lantfridus mortuus.* Et Auctor Chronici San-Dionyſiani, ſic. DCCXXX. *Karlus perrexit ad Suauos contra Lantfredum.* Quibus adſtipulatur Regino [a], ad annum enim Caroli Maioris-domûs decimum-quintum, quocum annus Chriſti

[a] Lib. I.

ſeptingenteſimus triceſimus componitur, ſic ait. *Idem* Carolus *quinto-decimo anno Regni ſui*, ſeu regiminis aut Maioratûs à die, quo liber è cuſtodia euaſit, *Alemanniam ingreſſus, contra Lantfridum dimicauit, & ſibi eandem gentem ſubiecit.* In vetuſtiſſimo libello [a] de Maioribus domûs Regiæ, qui deſinit in vnctione Pippini Regis per Stephanum Papam facta, paucis ita comprehenduntur varia bella, quæ Carolus Maior-domûs geſſit confecítque. *Carolus Maior-domûs & Auſtraſiorum Princeps multa bella contra Radbodum, & contra Lanfridum, contra Eudonem, & Baioarios, contráque Sarracenos, impari manu iniit, & ſemper, Dei gratiâ, victor extitit.* Non deſunt, qui Lantfrido expuncto ſubſtituant Raginfridum, quem Carolus ter profligauit, ſemel ad Amblauam, iterum ad Vinciacum, poſtremò ad Sueſſionem. Sed vt Raginfridi, ſic & Lantfridi nomen retinendum videtur, quia Carolus cum vtroque pugnauit. Belli contra Lantfridum Sueuiæ ſiue Alamanniæ Præfectum ſuſcepti cauſam hanc affert Martinus Crucius [b], quòd Lantfridus, quem malè Luitfridum vocat, ad libertatem aſpiraret, & excuſſo Francici Imperij iugo ſupremam ſeu Regiam apud Sueuos auctoritatem ambiret. At aliam Lantfrido mentem fuiſſe non credimus, quàm vt veſtigiis patris ſui Gothofridi quondam Ducis inſiſteret, ſéque cùm Theodorici Regis adhuc adoleſcentis, tum Regiæ dignitatis, defenſorem præſtaret aduerſus Carolum, qui nimiam ſibi, ſub Maioris-domûs nomine, potentiam arrogabat.

AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

[a] Tom. 2. Col. Hiſt. Franc.

[b] Part. 1. rer. Sueuic. l. 11. c. 1.

II. LANTFRIDVS DVX SVEVIÆ MORITVR.

De bello Sueuico, quod hoc anno geſtum eſt, plura non habent antiqui Scriptores. Pacatâ Sueuiâ, Lantfridus Dux hoc eodem anno vitam clauſit, vt Annales Nazariani iam citati teſtantur. Duos reliquit filios Theobaldum & Wattilonem. Theobaldus, quem aliis nominibus Dietwaldum & Diepoldum appellant, vbi Dux Sueuiæ poſt patrem fuit, mox veſtigia Lantfridi patris & aui Gothofridi ſecutus eſt, & Carolo Maioratu Regiæ domûs abutenti reluctari cœpit. Eius conſiliis non parum fauerunt grauiſſima negotia, quæ Carolum per multos annos in alias Regiones procul vocarunt. Id annis proximè ſequentibus patebit. Certè Crucius, cùm de Pyrminij diſceſſu ex Augia maiori & ex Diœceſi Conſtantienſi loquitur, illum eiectum ait *à Theobaldo Duce Sueuo, qui ſe oppoſuerat Martello, quem Pirminius colebat.*

III. PYRMINIVS ABB. AVGIENSIS A THEOBALDO SVEVIÆ DVCE PVLSVS ABIT IN ALSATIAM.

Super anno, quo Pyrminius Augiam maiorem deſeruit, cum Crucio non conuenimus. Hic enim Auctor annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum notat, in opinione videlicet Hermanni ac ſequacium, qui Pyrminium tribus duntaxat annis Abbatem Augienſem conſtituunt. At cùm Theobaldus, qui teſte eodem Hermanno, in editionibus Piſtoriana & Caniſiana, Pyrminium expulit, Sueuiæ Præfecturam ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum non inierit, nec Pyrminius ante illum annum ex Augia receſſit. Rerum eodem anno geſtarum ſeries hæc fuit. Carolus Maior-domûs odium, quo Lantfridum proſequebatur, non ampliùs diſſimulandum ratus, Sueuiam ingreſſus eſt cum exercitu. Ceſſit tempori Lantfridus, & quibuſcumque potuit officiis atque obſequiis animum Caroli demulſit. Hic exiſtimauit è re ſua plurimùm eſſe, ſi quos in Sueuia pietate præſtantiſſimos noſſet, hos ampliſſimis beneficiis cumularet. Pyrminius præ ceteris enitebat, erat iam in amicitia Lantfridi Ducis, & vt acceptior ei fieret, commendatus eſt etiam à Carolo, qui pace redintegratâ ſtatim diſceſſit è Sueuia, ſerióque de bello Aquitanico ſeu Trans-Ligeritano cogitauit. Lantfridus paulò pòſt obiit. Theobaldus eius filius in Sueuiæ Ducatum ſeu Præfecturam ſucceſſit, & exemplo patris auíque prouocatus hoſtem ſe Caroli dixit, ac Pyrminium Abbatem, cui propter amicitiam eiuſdem Caroli diffidebat, ex Augienſi Monaſterio deturbauit. Abſit, vt Pyrminium in ſuſpicionem perfidiæ vocemus. Æquiùs de ſanctiſſimo Abbate ſentimus. Quicquid grauius à Theobaldo paſſus eſt, id totum miſer-

AN. CH. rimæ temporum conditioni tribuendum, cùm ſimul & abſenti Carolo &
730. præſenti Theobaldo placere non poſſet. Manſit apud Augiam integro ſe-
THEO- xennio, ſubſtitutóque, qui Monaſterium regeret, Hettone, ſeceſſit in Diœ-
DOR. IV. ceſim Argentoratenſem, vbi varia conſtruxit Cœnobia, de quibus non ſe-
R. 10. mel agendum nobis erit.

IV. HEDDO. Hetto, Euto, Etho, Eto, Etto, Ethico, Otto, Heddo, Haddo, Heddus, Addas, (hoc nomen adeò variè ſcribitur) patre natus eſt Sanctæ Odiliæ fratre. Id probatur ex eiuſdem ſanctæ Odiliæ vita, cuius fragmenta Hieronymus *Vignier* noſtræ Congregationis Preſbyter ex Codice Piſtorij *le Begue* iam laudato publicauit in Origine domûs Alſaticæ. Sancta Odilia commendatur magnoperè, quòd fratres ſuos Adalbertum & Ethiconem Domino ſic ſubiugarit, vt non tantùm iidem fratres, ſed & eorumdem fratrum liberi, nempe Eberardus & Luitfridus filij Adalberti, Ethico Abbas Augienſis tum Epiſcopus Argentinenſis & Albericus Comes Ethiconis filij, bona ſua condendis Monaſteriis impenderint. *Beata Odilia*, inquit Auctor vitæ ſuppar, *præfatos Duces*, Adalbertum ſcilicet & Ethiconem, *ita Domino ſubiugauit, vt non tantùm illi bona ſua fundandis Monaſteriis impenderent, ſed illius nepotes tam Ethiconis, cuius filij fuerunt, Epiſcopus Argentinenſis æquiuocus, & Albericus Comes; quàm Adalberti liberi, Eberardus ſcilicet & Luitfridus, ſed etiam Hugonis, qui ante parentes ſuos defunctus erat, largiter Monaſteria dotauerint & conſtruxerint*. Falluntur, qui de Hettonis genere ſecus ſcribunt.

V. In Chronologia Monaſteriorum Germaniæ, Bruſchius, vbi Catalogum Abbatum Augienſium recenſet, Monachatum, Abbatiale munus, & Epiſcopatum Hettonis ita perſtringit. *Etho Monachus primùm, poſteà Abbas Vallis Sancti Georgij, miſſus eſt à Sancto Pyrminio ad Augiæ diuitis gubernationem, cui cùm piè & prudenter præfuiſſet annis ſeptem, & Abbatiam anno Domini* 734. *reſignaſſet, vocatus eſt paulò poſt à Carolo Magno ad Argentinenſis Epiſcopatûs clauum*.

VI. In Antiquitatibus Voſagenſibus [a] apud Ruyrum non Sancti Georgij, ſed Sancti Gregorij Vallis commendatur, vbi Monaſterium inſigne, vulgò *Munſter in S. Gregorienthal*. Illic Etto Monachus primùm, deinde Abbas anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſexto conſtituitur, poſteà fit Abbas Augienſis pulſo Pyrminio, denique fauente Carolo Martello promouetur ad Epiſcopatum Argentinenſem anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo.

[a] Part. 2. l. 4. c. 15.

VII. Vterque illorum Auctorum non parum hallucinatur.

VIII. Primò, Bruſchius Vallem Sancti Georgij pro Valle Sancti Gregorij perperam vſurpat.

IX. PYRMINII ABBATIS DISCIPVLVS. Secundò, Bruſchius & Ruyrus in illius Vallis Cœnobio Monachum deinde Abbatem ſtatuunt Ettonem ſiue Ethonem, priuſquàm Augienſis Monaſterij regimen ſuſcipiat. Id autem alienum à vero, quia Etto ſiue Heddo Pyrminij Augienſis Abbatis diſcipulus fuit, &, vt Guillimannus in Epiſcopis Argentinenſibus ſcribit [b], ipſemet Pyrminius, cùm ex Augia pelleretur, *quem poſt ſe relinqueret Monaſterij Præſidem, Heddonem, qui ſe illi adiunxerat, vt alij plures ex præcipua Germaniæ nobilitate, maximè idoneum iudicauit*. Hæc opinio nititur Hermanno, apud quem hæc leguntur in editione Piſtoriana. *Sanctus Pirminius à Thietbaldo Gotifridi filio* (expuncto filio nepotem reſtitue) *expulſus, Etonem Abbatem conſtituit, & ipſe in Alſatiam venit*.

[b] In Epiſc. 18.

X. E MONACHO AVGIENSI FIT ABBAS. Tertiò, vt ex præcitato Guillimanni textu liquet, malè Bruſchius Ethonem è Valle, vbi Monaſterium regebat, ad ineundam Augiæ gubernationem directum ait à Pyrminio illinc abire iam coacto. Fuit enim Etho Pyrminij diſcipulus, & ex Augienſi Monacho factus eſt Abbas eiuſdem loci, cùm Pyrminius ſolum vertere coactus eſt à Theobaldo Sueuiæ Præfecto.

Digitized by Google

Quartò, Bruſchius Augienſem Ethonis præfecturam ſeptennio circum- AN. CH.
ſcribit, ab anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo ad an- 730.
num Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quartum, additque eundem THEO-
Ethonem vocatum eſſe *paulò pòſt à Carolo Magno ad Argentinenſis Epiſcopatûs* DOR. IV.
clauum. At Etho, qui Pyrminio in adminiſtrationem Augienſis Monaſterij R. 10.
ſucceſſit, munus Abbatiale non geſſit ante annum Chriſti ſeptingenteſi- XI.
mum triceſimum, quo Lantfridus Sueuiæ Dux extinctus eſt relicto Theo-
baldo filio, qui Pyrminium ex Augia Inſula diſcedere coegit. Nec idem
Etho paulò poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quartum *ad*
Argentinenſis Epiſcopatûs clauum vocari potuit *à Carolo Magno*, qui multò ſe-
riùs, anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo duodeſeptuageſimo regnare
cœpit.

Quintò, Ruyrus Ettonem Monachorum in Valle Sancti Gregorij de- XII.
gentium Abbatem conſtituit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-
ſexto, deinde Abbatem Augienſem, poſteà fauore Caroli Martelli Argen-
tinenſem Epiſcopum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſeptuageſimo-ſecundo.
Sed Carolus Martellus, qui curauit Ettonem Epiſcopum Argentinenſem
fieri, ſuperſtes in viuis anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſexto
non erat, & Etto tunc Argentinenſis Epiſcopus longè ante annum Chriſti
ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-ſecundum, qui quartus ab obitu Pippi-
ni Regis numeratur, Teſtamentum condidit *in ciuitate Argentinenſi*, III *Idus*
Martij, *anno* XI, *regnante Domino Pippino glorioſo Rege*, vt Tomo ſequenti fu-
ſiùs explicaturi ſumus.

Alia igitur ineunda Chronologia, quæ plurimùm à Bruſchio & Ruyro XIII.
diſſideat, nec in omnibus conſentanea ſit Guillimanno. Pyrminius Au-
gienſe Monaſterium anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto inchoa-
uit, ibi vixit integro ſexennio, donec à Theobaldo Sueuiæ Duce pulſus
eſt exeunte anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo. Succeſſit in Abbatia-
lem illius loci Præfecturam Etto, qui tranquilliorem cum eodem Theo-
baldo vitam non duxit, & ad Epiſcopatum Argentinenſem fauore Caroli
Martelli tranſlatus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto.

Pyrminius Augiâ relictâ ſeceſſit in Diœceſim Argentinenſem, id eſt, in XIV.
Alſatiam, ſiue, vt quidam è recentioribus loquuntur, in Sueuiam Alſati- LVITFRI-
cam, cuius Ducatum ſeu Præfecturam gerebat Luitfridus ipſius Heddo- DVS DVX
nis frater patruelis. Diſſidij, quod inter Theobaldum Ducem & Heddo- SVEVIÆ.
nem ſiue Ettonem Abbatem paulò pòſt erupit, aliam cauſam ne quæras.
Tunc in Argentinenſi Cathedra ſedebat Aulidulfus Epiſcopus, de quo iam
locuti ſumus, & Diœceſim Conſtantienſem, vbi Augia, regebat Audoi-
nus, cuius mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſexto Annales
Petauiani conſignant.

Obſeruatum ſuprà Scriptores non deeſſe, qui Theobaldum Sueuiæ Du- XV.
cem, Gothofridi Sueuiæ quoque Ducis filium aſſerant, & ipſum Gotho-
fridum contendant Drogonis filium extitiſſe, fratrémque Hugonis Metro-
politæ Rotomagenſis, de cuius morte mox locuturi ſumus. At hæc com-
mentitiis chartis innituntur, quas exploſimus, nec vllo Charactere Chro-
nologico fulciri poſſunt. Gothofridus Sueuiæ Dux, quem Theobaldi Du-
cis auum dicimus, obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo nono, pro Rege
Theodorico Tertio conſtantiſſimè ſteterat anno Chriſti ſexcenteſimo octo-
geſimo-ſeptimo, cùm dimicatum eſt ad Textricium. Pluribus argumentis
non opus eſt, vt Gothofridum Pippini Herſtallij ex Drogone filio nepotem
inficieris. Quis enim illo anno, quo pugna Textriciana commiſſa eſt, Dro-
goni filium fuiſſe credat Alamanniæ ſeu Sueuiæ iam Ducem, ac Pippini
aui hoſtem infenſiſſimum? Theodoricus Rex cladi Textricianæ quinquen-
nio ſuperſtes vixit. Huic in Regnum ſucceſſit Clodoueus filius, tum Chil-
debertus eiuſdem Clodouei frater. Rerum autem in Francorum Regno

FFfff iij

Digitized by Google

AN. CH. ſub Childeberto Rege geſtarum narrationem ſic orditur Auctor [a] Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi Comitis ſcriptæ. *Drocus à Pippino genitore eruditus Ducatum Campanenſem accepit.* Et in Geſtis [b] Regum Francorum legimus, quòd

730. THEODOR. IV. R. 10.

[a] Cap. 101. [b] Cap. 48.

Pippinus poſt pugnam ad Textricium initam *Nortbertum quemdam de ſuis cum Rege* Theodorico *reliquit, ipſe in Auſtriam remeauit.* Pippinus filiis ſuis Drogoni & Grimoaldo, quia iuniores erant & adminiſtrandæ Neuſtraſiæ adhuc impares, Nortbertum prætulit, vnde concludas Gothofrido, qui per illud tempus Dux Sueuorum erat, nec patrem Drocum ſeu Drogonem nec auum Pippinum Herſtallium fuiſſe.

XVI. HVGONIS EP. ROTOMAG. OBITVS. [c] Cap. 8.

De Drogonis filiis actum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum octauum. Horum nominatiſſimus Hugo, qui ſimul Eccleſias quinque, tres videlicet Epiſcopales, Rotomagenſem, Pariſienſem, ac Baiocenſem, cum duabus Abbatialibus, Fontanellenſi ac Gemmeticenſi, piè rexit, & hoc anno, ſexto Idus Aprilis, animam Creatori reddidit. *Expletis laudabilis curſûs ſui annis*, ait Auctor [c] Chronici Fontanellenſis, *migrauit ad Dominum ſexto Idus Aprilis, qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimus triceſimus, Indictione decimâ-tertiâ. Corpus eius Gemmetico Cœnobio, quo etiam vita deceſſit, in Eccleſia Sanctæ Matris ac perpetuæ Virginis Mariæ venerabiliter ſepulturæ eſt traditum. Conditáque eſt à fratribus illic habitantibus ſupra tumbam illius repa diuerſis metallis decorata, ob amorem videlicet, ſanctitatem, ac reuerentiam illius. Nullus enim ante eum eiuſdem Cœnobij Rector, nec poſt eum tot prædia ac poſſeſſiones in iure ipſius venerabilis loci contulit ac impetrauit, ſicut ipſe facere curauit, veluti Teſtamenta ipſius Cœnobij cunctis legentibus liquido patent.*

MVNIFICENTIA ERGA MON. GEMMETIC.

In manuſcripta eiuſdem Hugonis vita, quam Auctor penè totam ex octauo capite Chronici Fontanellenſis deſcripſit, hanc quoque munificentiam erga Gemmeticenſe Monaſterium legimus. *Beatiſſimus Hugo Cœnobio Gemmeticenſi in eleemoſyna fratrum vſibus profutura quædam dedit prædia, his nominibus nuncupata. In pago Rotomago, fiſcum vnum, nomine Apuliacum. In Calcino territorio, fiſcum alium Legiam, cum omnibus ſuis pertinentiis. In pago qui vocatur Callau, fiſcos duos, Bellinacum & Amlidum, cum ſuis ſimiliter adiacentiis.*

XVII. Vt Monaſterio Gemmeticenſi, vbi Monachum induit ac vitam clauſit, ſic & Cœnobio Fontanellenſi, vbi priùs Abbas quàm Gemmetici fuit, ampliſſima dona contradidit Hugo, cùm Laicus, tum Abbas, vt Chronographus Fontanellenſis teſtatur. Largitiones, quas adhuc Laicus fecit, quia Chronologicis Characteribus muniuntur, ſuis locis expoſuimus; ceteras,

FONTANELL.

quarum annos ignoramus, conglobatim accipe ex eodem Chronologo. *Factus Præſul contulit poſſeſſionem ſuam, quæ vocatur Mollinus Cottus, huic Cœnobio, ſitam in pago Belloacenſi ſuper fluuium Maſſo, continentem manſos* LXXXIV. Et paulò pòſt. *Menſatas hoc in Cœnobio conſtituit, deputatis videlicet villis, quæ, per vnumquemque menſem, ſufficientem præberent alimoniam, idcircò memoria illius in benedictione manet.* Denique *dimiſit in hoc Cœnobio Fontanellenſi Calicem aureum & Patenam, penſantes libras quatuor, vncias duas; Turriculam auream, penſantem libras ſex; capſam auro & gemmis decoratam, continentem pignora diuerſorum Sanctorum.* Quibus de rebus conſule caput octauum Chronici Fontanellenſis, cum variis eiuſdem Chronici lectionibus, quas Lucas Dacherius Tomo tertio ſui Spicilegij ſub finem edendas curauit.

XVIII. ET ALIAS ECCLESIAS.

Hugo in illo Chronico plurimùm laudatur, quòd *peruigilem curam de conſtructione, propagatione, & adminiſtratione*, vel, vt alia editio habet, reſtauratione, *ac exaltatione Eccleſiarum habuerit.* Maximis abundabat opibus, nam, præter Epiſcopatus tres Abbatiáſque duas, ampliſſima poſſidebat prædia, quæ, cùm à parentibus ſuis, tum à Francorum Regibus acceperat. Eccleſias quinque, quas hic ſimul rexit, enumerauit quidem Chronographus, ſed vbi agendum fuit de prædiis Regiis, ab eo poſſeſſa dixit, quæcumque eius inſederunt animo, adiecítque tot eum poſſeſſiones à Regibus impetraſſe, non causâ peruerſæ cupiditatis, aut aliquo ſeculari faſtu, ſed

Digitized by Google

vt erga Baſilicas Chriſti magnificentiorem ſe præſtaret. *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit, factione ſcilicet patrui ſui Caroli Principis, extra Decreta tamen Canonum; Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam & Gemmeticum; prædia verò Regia, quæ eius inſederunt animo; non enim cauſâ peruerſæ cupiditatis, aut aliquo ſeculari faſtu, à patruo ſuo Carolo Principe, ſiue à Regibus Francorum, qui eius tempore ſceptra Regni huius tenuerunt, id eſt, Hildeberto, Dagoberto, Hilperico, Clotario, necnon & Theoderico ea impetrabat, ſed vt ſtatim Eccleſiis Chriſti contraderet, ſciens ſcriptum, quòd ea hæreditas benè reconditur, quæ Deo cuſtode ſeruatur.* AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

Nonnullos iam commemorauimus Epiſcopos inſignes pietate, qui ſimul & Epiſcopi fuerunt & Abbates. Ipſâ Hugonis adhuc Laici ætate, Hadulfus, cùm apud Atrebatum Abbas Vedaſtinus eſſet, promotus eſt ad Epiſcopatum Atrebatenſem, factúſque Epiſcopus Abbatialem Monaſterij Vedaſtini curam non abdicauit. Similiter Erkenbodus, qui Hugone adhuc Laico, Sitiuenſis Abbas in Diœceſi Morinorum eſſe cœpit, eodem pòſt anno, quo prædictus Hugo ex Aſceta Gemmeticenſi Rotomagenſis Antiſtes Metropolitanus euaſit, creatus eſt Epiſcopus Morinorum, atque vtroque munere, cùm Epiſcopi, tum Abbatis, ad obitum vſque defunctus eſt. His exemplis, quæ præſentiſſima erant, Aſcetas Fontanellenſes & Gemmeticenſes, vtroſque Diœceſeos Rotomagenſis, prouocatos putamus, vt Hugonem Rotomagenſem Epiſcopum Metropolitanum in Abbatem expoſcerent. Quoſdam etiam commemorauimus Epiſcopos æquè pios, qui duos Epiſcopatus ſimul adminiſtrarunt. Medardus, cùm Nouiomenſis Epiſcopus iam eſſet, electus eſt quoque Tornacenſis Epiſcopus, & vtrique deinceps Eccleſiæ præfuit, vt & eius ſucceſſores, de quibus à nobis per annos ferè ducentos actum hactenus. Talibus exemplis Clerus Pariſienſis adduci facilè potuit, vt Hugonem, qui Rotomagenſis Eccleſiæ Metropolitanus Epiſcopus erat, Epiſcopum quoque Eccleſiæ Pariſienſi præficeret, & paulò pòſt Clerus Baiocenſis id quoque ſibi magis quàm Clero Pariſienſi licitum exiſtimauit, quia Metropolitæ Rotomagenſi ſubſunt Baiocæ, Pariſij nequaquam. Deinde, vt Hugonem variarum Eccleſiarum cùm Canonici tum Monachi vnum ſibi Præſulem poſtularent, impulit temporum conditio, Rege minorenni, & Carolo, ipſius Hugonis patruo, vt in Auſtraſia, ſic & in Neuſtraſia, præcipuam auctoritatem nacto. Sanè diuinâ diſpenſatione factum videtur, vt tot Eccleſiarum regimen vni tunc committeretur Hugoni piiſſimo Pontifici, qui, quandiu vixit, peruigilem curam de illarum adminiſtratione atque exaltatione ſemper habuit. Epiſcopos non paucos vituperauimus, qui, peruerſâ cupiditate, vel ſeculari faſtu, Præfecturam plurium Eccleſiarum ambierunt; Warinbertum, qui *prauæ ſuæ ambitionis augere commercium* non ceſſauit, & ex Abbate Sancti Medardi factus Sueſſionenſis Epiſcopus *multo* elaborauit *ſtudio, ne priori priuaretur dignitate, &*, vt vetus Anonymus in Appendice vitæ Sancti Medardi ſubiecta loquitur, *licèt cum difficultate non minima, obtinuit tamen quod quæſierat;* Agatheum Redonenſem Epiſcopum, qui, poſt Sancti Paſquarij mortem, Cathedram Namnetenſem occupauit, retentâ quoque Redonenſi; Milonem Treuirenſem Epiſcopum, qui, ſuperſtite in viuis Rigoberto Remenſi Antiſtite, Remenſem Eccleſiam peruaſit, eámque ſimul cum Treuirenſi peſſumdedit homo *ſolâ tonſurâ Clericus, nihil ſapiens de ordine Eccleſiaſtico*, vt de illo Adrianus Papa in ſuis ad Tilpinum Remenſem Epiſcopum literis teſtatur. At omni laude digniſſimos ſe præſtiterunt illuſtres Epiſcopi, Medardus, Acharius, Eligius, Mummolinus, Hadulphus, Erkenbodus, Hugo. Sexto Idus Iunias, in genuino Bedæ Martyrologio & in Tabulis Eccleſiaſticis, colitur Sanctus Medardus, qui duarum Eccleſiarum, Nouiomenſis videlicet ac Tornacenſis, Epiſcopus fuit. Quinto Kalendas Decembris, in additionibus ad Vſuardum, in Na- XIX.

Digitized by Google

AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

talibus Sanctorum Belgij, & in Martyrologiis Benedictino ac Gallicano, colitur Sanctus Acharius earumdem Sedium Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus. Kalendis Decembris, apud Florum in Auctario Bedæ, apud Vſuardum, apud Adonem, & in Martyrologio Romano colitur Sanctus Eligius Epiſcopus quoque Nouiomenſis ac Tornacenſis. Decimo-ſeptimo Kalendas Nouembris, in Breuiariis Audomarenſi & Nouiomenſi, & in Martyrologiis Benedictino & Gallicano colitur Sanctus Mummolinus, qui Sancto Eligio in vtramque Sedem, Nouiomenſem ac Tornacenſem ſucceſſit. Decimo-quarto Kalendas Iunias, in iiſdem Martyrologiis colitur Sanctus Hadulphus, qui ſimul & Atrebatenſis Epiſcopus & Vedaſtinus Abbas ad obitum vſque fuit. Pridie Idus Aprilis, in Eccleſia Audomarenſi & in prædictis Martyrologiis colitur Sanctus Erkenbodus, qui ſimul & Epiſcopatum Morinorum & Cœnobium Sitiuenſe rexit. Quinto Idus Aprilis, in Eccleſiis, Rotomagenſi, Gemmeticenſi, Haſprenſi, & in prælaudatis Martyrologiis colitur Sanctus Hugo, qui *Præſulatum Eccleſiæ Pariſiacæ, ſimúlque Baiocaſſinæ, cum Rothomagenſi tenuit* [a]*; Cœnobia verò nobiliora, Fontinellam & Gemmeticum.*

[a] Chron. Fontanell. c. 8.

XX. RATBERTVS FIT EP. ROTOMAG.

Hugo, vt Ordericus Vitalis in Archiepiſcoporum Rotomagenſium Catalogo ſcribit [b], VIII *annis, tempore Gregorij II. Papæ, Archiepiſcopus fuit*, id eſt, ab anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum. Nec audiendi ſunt, qui mortem illius in annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum reiiciunt. Succeſſit Radbertus, de quo plura dicemus infrà.

[b] Lib. 5. Hiſt. Eccleſ.

XXI.

In Chronico Fontanellenſi, Hugo Rotomagenſis Epiſcopus, mortuo Benigno Abbate Fontanellenſi, regimen illius Cœnobij ſuſcipit *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio*, *qui* numeratur *annus Principatûs* ſeu Maioratûs *Karoli nonus*, ab obitu videlicet Pippini Herſtallij, tenétque *vſque ad annum decimum-ſextum Principatûs* ſeu Maioratûs *antefati Caroli, Dominicæ quoque Incarnationis ſeptingenteſimum & trigeſimum, Indictione decimâ-tertiâ*, id eſt, per annos ſeptem, ab anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio, ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum. Vnde redarguas Auctorem eiuſdem Chronici, cùm Cœnobium Fontanellenſe *per annos nouem, menſes duos, & dies tredecim* ſub Hugonis regimine conſtituit. Irrepſit & in illud Chronicon aliud mendum, annus enim Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimus triceſimus, à morte Pippini Herſtallij decimus-ſextus, qui notatur Indictione decimâ-tertiâ, & per menſem Aprilem, quo Hugo deceſſit, cum anno decimo-quinto Gregorij Secundi Papæ componi debet, anno eiuſdem Gregorij decimo-ſeptimo perperam illigatur. Sublatis hiſce duobus erroribus, in Chronico Fontanellenſi, capitis octaui, quod de Hugone Abbate totum eſt, primam periodum ſic reſtitue. *Hugo filius Drogonis, vir venerabilis, à matre, nomine Adaltrude, progenitus, nepos Karoli ſagaciſſimi Principis*, ſiue Maioris-domûs, *Archiepiſcopus Rothomagenſis Eccleſiæ, poſt præfatum Benignum, regimen huius Cœnobij*, nempe Fontanellenſis, *ſuſcepit ab anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo vigeſimo-tertio, Indictione* VI. *qui erat annus Principatûs*, ſeu Maioratûs, *Karoli nonus, Gregorij verò Secundi Papæ, qui loco nonageſimo à S. Petro Romanæ præfuit Eccleſiæ, annus nonus inſtabat, rexítque iſtud Cœnobium per annos octo, id eſt, vſque ad annum decimum-ſextum Principatûs*, ſeu Maioratûs, *antefati Caroli, Gregorij verò præfati Papæ decimum-quintum, Dominicæ quoque Incarnationis ſeptingenteſimum & trigeſimum, Indictione decimâ-tertiâ*. Lando, vt ſuo loco dicemus, in adminiſtrationem Monaſterij Fontanellenſis anno ſequenti ſucceſſit.

XXII. EPISCOPI PARISIENSES.

Quot annis Hugo Diœceſes Pariſienſem & Baiocenſem ac Cœnobium Gemmeticenſe rexerit, non ita conſtat. Poſt Hugonem in Cathedra Pariſienſi ſedit Merſeidus. Manci ſunt Baiocenſium Epiſcoporum Indices, nec quemquam

Digitized by Google

quemquam poſt Hugonem ante nonum ſeculum exhibent. Mancus & in Neuſtria Pia videtur Catalogus Abbatum Gemmeticenſium, nam qui Landricus Hugoni proximè ſubiungitur, is anno vigeſimo Caroli Magni Regis ſuperſtes in viuis prædicatur. AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

Hoc eodem anno, quo beatus Hugo ex hac vita diſceſſit, obiit & Albericus Abbas Gandenſis quarto Nonas Nouembris, cùm Monaſterium integro ſeptennio prudenter adminiſtraſſet, vt ex Auctario ad Tomum primum Flandriæ illuſtratæ colligimus. Ei ſucceſſit Wilradus, cui Sanderus in eodem Auctario annos ſeptemdecim Abbatialis dignitatis attribuit. XXIII. ABBATES GANDENSES.

Obiit & Simon Abbas Sancti Carauni prope Carnotum, poſtquàm Monaſterium annis tredecim rexiſſet. Succeſſit Herueus, qui regimen eiuſdem loci per annos viginti tenuit. Lege Galliam Chriſtianam [a]. XXIV. S. CARAVNI.

[a] Tom. 4.

Seuertius hoc etiam anno mortem Erlanrei ſiue Erlancei Meldenſis Epiſcopi collocat, eique Aydenetum ſiue Aydenitum proximè ſubiicit. XXV. EPISCOPI MELDENSES.

Ad hunc annum in auctiore Gallia Chriſtiana memoratur Oldradus ſiue Odoardus Epiſcopus Carpentoractenſis. Ponitur & obitus Aidoini Conſtantienſis ad Rhenum Epiſcopi, ſed malè, hic enim vitam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſextum produxit, vt aliâ occaſione iam obſeruatum ſuprà. XXVI. OLDRADVS EP. CARPENTORACT.

Hoc eodem anno, qui triceſimus ab obitu Sanctæ Berlendis numeratur, facta eſt inſignis eius Tranſlatio, de qua ſic Auctor vitæ publicatus à Bollando [b]. *Triceſimo depoſitionis ſuæ anno, omnis multitudo finitimarum regionum, diuinâ inſpiratione afflata, conuenit cum duobus Epiſcopis, Cameracenſi videlicet, nomine Auberto, & Tornacenſi, nomine Florberto, qui eam de ſepulchro leuauerunt, atque in ſcrinium, in quo nunc pauſat, locauerunt.* In Epiſcoporum nominibus manifeſtus eſt error. Iis autem ſublatis, textum proximè citatum ſic reſtitue. *Conuenit cum duobus Epiſcopis, Cameracenſi videlicet & Tornacenſi, qui* &c. XXVII. S. BERLENDIS TRANSLATIO.

[b] D. 3. Febr.

Eccleſiæ Cameracenſi præerat Trauuardus ſeu Treuuardus Epiſcopus, Hunuanus Tornacenſi. Poſt mortem Auberti Cameracenſis Epiſcopi, quam, auctoritate Chronici Cameracenſis, anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſeptuageſimo conſignauimus, anni duo & ſexaginta iam effluxerant. In Epiſcoporum Tornacenſium Catalogo nullus inuenitur Florbertus. Sedebat autem Leodij Florbertus ab anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſeptimo. Porrò Leodienſes Epiſcopi non rarò Tungrenſes dicti ſunt, & Tungrenſis Epiſcopus in Tornacenſem facilè potuit abire, nec minùs è propinquo ad Sanctæ Berlendis eleuationem aduocatus ab Epiſcopo Cameracenſi videtur Florbertus Sancti Huberti ſucceſſor, quàm Sanctus Lambertus eiuſdem Sancti Huberti deceſſor à Sancto Vindiciano itidem Cameracenſi Epiſcopo ad dedicationem Hunocurtenſis Eccleſiæ, de qua ſermonem ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-quintum [c] fecimus. Si tibi placet hæc coniectura, textum præcitatum ſic corrige. *Conuenit cum duobus Epiſcopis, Cameracenſi videlicet, nomine Trauuardo, & Tungrenſi, nomine Florberto, qui* &c. Nobis autem prior emendatio magis arridet. XXVIII.

[c] Num. 47.

Hanc Sanctæ Berlendis Eleuationem Molanus in additionibus ad Vſuardum refert ſexto Nonas Maij, referunt & eodem die Menardus, Sauſſaius, aliique multi, quos Bollandus in Commentario [d] vitæ Sanctæ Berlendis præuio recenſet. Citat & hic Auctor Florarium, in quo nomen Tranſlationis legitur, & Odelardus Comes, Sanctæ Berlendis pater, Sanctus quoque ſic prædicatur. *Apud Merebecam in Brabantia Tranſlatio Sanctæ Berlendis Virginis, filiæ Sancti Odelardi Comitis.* XXIX. XXX.

[d] Num. 9.

In veteribus Annalibus Boioariæ, quos Velſerus [e], Brunnerus [f] & Adlzreitterus [g] allegant, hoc anno conſignatur obitus Corbiniani Epiſco-

[e] Lib. 4.
[f] Lib. 5. n. 8.
[g] Part. 1. l. 7. n. 21.

Digitized by Google

AN.CH. 730. THEODOR. IV. R. 30. * Matſch. CORBINIANVS EP. OBIT.

pi, cuius memoria celebris eſt in Tabulis Eccleſiaſticis, ſexto Idus Septembris. *Cùm exitus viri appropinquaret*, inquit Aribo, *temporis obitûs ſui non ignarus, fratrem ſuum Erimbertum in Italiam ad Longobardorum direxit Principem* Luitprandum, *poſtulans firmitatem ſuæ poſſeſſionis iuxta Magias* ſeu Maias *, *quam Sanctæ Mariæ* vrbis Friſingenſis *tradiderat, ne inde auferretur, & vt ſuum corpuſculum ad ſepeliendum ibidem recipi iuberet, quod illic beato Valentino*, de quo ſuperiùs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium locuti ſumus, *commendauit viuus. In eo enim Caſtro* Maienſi *dominabantur eâ tempeſtate Longobardi. Hoc igitur octauo ante obitum ſuum die mandare curauit, & horam egreſſionis ſuæ prædicens, alium ex diſcipulis ſuis ad Hucbertum* Boioariæ *Principem*, id eſt, Ducem ſeu Præfectum, *direxit, ſuum obitum ei nunciaturum, poſcens, vt cadauer illius deferri iuberet, vbi viuus promiſerat. Veniente autem iam exitûs ſui die, balneum ſibi præparari iuſſit, & ex more abluens corpus, capillos ſibi tonderi fecit, & caput & barbam radi, ſícque veſtibus ſacris indutus, Deo ſacrificium obtulit, & viaticum propriis manibus recepit. Miſſarum ſolennitate completâ, domum ingreſſus, poſt perceptionem Corporis & Sanguinis Chriſti, vinum ſibi adduci iuſſit, modicúmque deguſtans, nihil doloris præ ſe ferens ſignum Crucis capiti impreſſit, & Deo ſpiritum reddidit, atque à miniſtris in beatæ Dei Genitricis Mariæ Eccleſia* apud Friſingam *traditus eſt ſepulturæ. Sed tanta mox pluuia ſecuta eſt atque procella triginta diebus & noctibus, vt nec vnâ horâ vnquam ceſſaret. Vbi apertè monſtrabatur, quòd ibi requiem corporis ſui habere nollet, ſed in loco, vbi popoſcerat viuus. Miſſi verò, à Principe Hucberto reuerſi attulerunt mandatum, vt beatiſſimi viri corpus Magias portaretur, ſicut ipſe viuus fieri diſpoſuerat, vt ibi in Eccleſia Sancti Valentini ſepeliretur. Itaque triceſimo obitûs ſui die de humo eleuatus, tali repertus eſt formâ, vt viuus eſſe à multis putaretur, & quaſi rectè valens dormiret*, &c. *Pergentibus itaque illis, atque deportantibus corpus Epiſcopi, cœpit de naribus eius emanare ſanguis tam calidus, vt de corpore vino ſolet effluere. Quem colligentes in vaſculum fictile, deportauerunt vſque ad caſtra, vbi cum ſancto corpore vigilando illâ nocte manſerunt, & vas plenum ipſius ſanguinis in eodem loco infoderunt in terram & cooperuerunt*, &c. *Miniſtri verò viri Dei cùm ad Caſtrum Magienſe cum eius corpore veniſſent, ab ipſa porta vrbis à cuſtodibus Longobardorum repulſi ſunt, dicentibus, quòd hoc nequaquam viri Dei corpus eſſet, ſed machinari ipſos inſidias, vt vrbem capere poſſent. His ita dicentibus, literæ Longobardorum Regis à Papia eò peruenerunt, quæ tanti viri corpus præcipiebant cum ſummo honore recipi. Eo ſuſcepto, vaſculum aperuerunt, vt experimento diſcerent veritatem. Cúmque pallium ſuper corpus eius expanſum, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, abſtuliſſent, iterum ſanguis ex naribus viri Dei egrediebatur calidus, qui inter tot montium ſpatia fuerat adportatus, & pulchritudo faciei illius tali inueniebatur colore, vt priùs fuerat illo viuente. Tunc omnes vnâ voce magnificabant Deum in Sanctis eius, & ſanctum corpus eius in Eccleſia Sancti Valentini Confeſſoris Chriſti, vt ipſe diſpoſuerat, ſepulturæ tradiderunt*, Acceſſere varia cùm in itinere tum Maiis miracula, quibus ſuperſedemus. Paulus Diaconus capite vltimo ſui operis ſcribit de Luithprando, quòd, *initio ſui Regni, Baioariorum plurima Caſtra cepit*. In horum numero Maias fuiſſe conſtat ex textu proximè citato.

SEPELITVR MAGIIS.

XXXI. AN EP. FRISINGENSIS?

Sanctum Corbinianum Epiſcopum Friſingenſem ſæpè diximus. Super erectione tamen Epiſcopatûs Friſingenſis non leuis occurrit difficultas, quia poſt obitum Sancti Corbiniani nullus in Epiſcopatum ſucceſſit, ídque factum videtur, quoniam, vt Aribo ſcribit, idem Corbinianus à Gregorio Secundo Papa *Sacerdotalem ſuſcepit benedictionem, accepto etiam pallio cum benedictione & adiutorio beati Petri Apoſtoli, vt vbique prædicationis officium exercere in toto Orbe poſſet*. Vnde Velſerus [a] Corbinianum cum Winfrido ſeu Bonifacio comparat. *Soliti*, inquit, *Pontifices Romani legare homines perſæpè exteros, magnâ & excellenti virtute, Corbinianos & Bonifacios putà, qui Epiſcoporum munere vbique liberè ſine exceptione fungerentur.*

[a] Lib. 5.

Digitized by Google

AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

XXXII. At infirmum eſt quod ex interpontificio deſumitur argumentum. Pleroſumque enim Epiſcoporum Catalogi circa ætatem, quæ Sedium Epiſcopalium erectionem proximè ſecuta eſt, hodie manci reperiuntur in Gallia Chriſtiana, ſeu quia Diœceſes interpontificio per illud tempus laborarunt, ſeu quia Pontificum, qui tunc Infulas geſſerunt, nomina ſunt obliuione conſepulta. Nec validius eſt argumentum, quod ex ordinatione Corbiniani Epiſcopi deſumitur, nam licèt Corbinianus à Gregorio Secundo Papa conſecratus ſit Epiſcopus, *vt vbique prædicationis officium exercere in toto Orbe poſſet*, non inde ſequitur, quòd Epiſcopalem Sedem Friſingæ poſteà non fixerit. Similia occurrunt exempla in Sanctis Willebrordo & Bonifacio, qui eâdem, quâ Sanctus Corbinianus, ætate floruerunt. Willebrordus à Sergio Papa ordinatus eſt Epiſcopus Friſiorum, Friſiis Euangelium prædicauit, Sedem poſteà poſuit Vltraiecti, primúmque in omnibus Vltraiectinorum Epiſcoporum Catalogis locum obtinet. Bonifacius incertæ Sedis Epiſcopus primùm factus eſt à Gregorio Secundo, deinde Archiepiſcopus à Gregorio Tertio, Sede tandem determinatâ factus eſt Archiepiſcopus Moguntinus, &, ex quo Moguntia Metropolitanam dignitatem recuperauit, primus inter Metropolitas Moguntiacenſes annumeratur. Actum ſuprà de Willebrordi Epiſcopi ordinatione & Vltraiectina Sede. Actum & de vago Bonifacij Epiſcopatu. Fiet autem infrà non ſemel ſermo de eiuſdem Bonifacij Archiepiſcopatu cùm vago tum fixo.

XXXIII. Quæſtionem omnem dirimit Aribo, qui regnante Carolo Magno Friſingenſem Epiſcopatum geſſit. Scribit enim de Sancto Corbiniano, quòd multa bona Deo & Sanctæ Mariæ tradidit *ad Eccleſiam in caſtro Friſingas, vbi Cathedram tenuit Pontificalem*. Deinde eiuſdem Sancti Corbiniani hæredem ſe indignum, atque ipſius Friſingenſis Sedis, quam beatus Corbinianus tenuit, Epiſcopum ſe dicit. *Cœpi*, inquit, *ego Aribo, hæres licèt indignus, ipſius Friſingenſis Sedis Epiſcopus, cogitare, quid de tanti patris*, nempe Corbiniani, *corpore agerem, qui*, &c. Vt apud Aribonem ſic & apud Ottonem [a] Epiſcopum quoque Friſingenſem *Corbinianus Friſingenſis Eccleſiæ Antiſtes* prædicatur. Et in Tabulis Eccleſiaſticis, ſexto Idus Septembris, ſic. *Friſingæ, Sancti Corbiniani, primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, qui*, &c. Baronius [b] Aribonem Sancti Corbiniani *in Epiſcopatu Friſingenſi* ſucceſſorem vocat, déque eodem Sancto Corbiniano teſtatur, quòd *licèt generatim ad omnes prædicandi Euangelium poteſtatem à Romano Pontifice accepiſſet, titulum tamen Friſingenſis Eccleſiæ eſt conſecutus*, & alibi [c] Friſingenſem Epiſcopum ſic appellat. *Eodem fermè tempore, cùm Sanctus Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus*, &c. A Sancto Corbiniano Catalogum Epiſcoporum Friſingenſium ordiuntur Hundius Tomo primo Metropoleos Saliſburgenſis & Bucelinus parte primâ Germaniæ Sacræ, nec in Annalibus [d] Boicis negat Brunnerus Ædem, *qua Friſingæ iam inde à Maximiliani Martyris ætate D. Virgini ſacra ſteterat*, Epiſcopatûs Sedem conſtitutam, cùm illuc Corbinianus Epiſcopus acceſſiſſet.

[a] In Chron. l. 5. c. 23.

[b] Tom. 9. ad an. 716. n. 10.

[c] Ad an. 714. n. 18.

[d] Lib. 5. n. 8.

XXXIV. Qui Friſingæ primus Epiſcopus fuit Corbinianus, is illius ciuitatis Epiſcopatum annis ſeptem geſſit, ab anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-tertio ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum. De vtroque ſuprà diſputatum. Vnde redarguas Hundium, qui de mortis quidem anno conuenit, ſed eius Epiſcopatum ad annos viginti prorogat, initio perperam ducto ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo, nam Gregorius Secundus, à quo *Sacerdotalem ſuſcepit benedictionem, vt vbique prædicationis officium exercere in toto Orbe poſſet*, illo anno nondum Pontifex erat.

XXXV. Sancto Corbiniano frater fuit, nomine Erimbertus. Hic Infulas quoque Friſingenſes obtinuit. Sed inter vtriuſque Pontificatum aliquot interceſſerunt anni. Qua de re fuſiùs ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndequadrageſimum, quo Bonifacius Boioariam in quatuor Diœceſes ſeparauit, & ipſummet Erimbertum Eccleſiæ Friſingenſi præfecit.

Digitized by Google

AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

XXXVI. RATHARIVS EP.

Eodem tempore, quo Sanctus Corbinianus Epiſcopatum Friſingenſem adminiſtrabat, Ratharius aduenticius Epiſcopus Ratiſbonæ ſeu Reginoburgi degebat. Arnolfus [a] enim ab Hugiberto Boioariæ Duce Monaſterio Sancti Emmerammi fundum *Pirchinwach* dono datum ſub Rathario Epiſcopo diſertè ſcribit. Vanum eſt igitur illorum commentum, qui Ratharium hunc Sancto Emmerammo vetuſtiorem faciunt. Per illa tempora Cœnobio Sancti Emmerammi præerat Sandradus Abbas, de quo iam locuti ſumus.

[a] Ap. Caniſ. Tom. 2. ant. lect.

HVGIBERTVS DVX BOIOARIÆ MVNIFICVS ERGA MON. S. EMMERAMMI.

XXXVII. BASINVS EP. NEMETENSIS OBIT.

Baſinus Epiſcopus, quem nonnulli Iaſinum & Baſilium vocant, cùm Eccleſiæ Nemetum, teſte Bruſchio [b], *temporibus Caroli Martelli, annis ſeptem, menſibus octo* præfuiſſet, hoc circiter anno migrauit è vita. De Latone Baſini proximo ſucceſſore ſic idem Auctor. *Lato, aliis Iatto, eligitur anno Domini 756. Præfuit temporibus Pipini, piè & fideliter Epiſcopi munus faciens annis vndecim. Obiit anno Chriſti 767.* Eâ computatione poſt Baſini mortem interpontificium aliquot annorum agnoſcit. Bucelinus quorumdam Epiſcoporum, qui poſt Baſinum ſederint, nomina vult deſiderari, conuenit cum Bruſchio in obitu cùm Tragebodi tum Latonis, quorum alterum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto, alterum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexageſimo-ſeptimo mortuum tradit, & inter vtriuſque Pontificatum neminem recenſet præter Baſinum, quem Tragebodo abſque vllo interpontificio ſubrogat, aſſeritque Epiſcopatum tenuiſſe *annis ſeptem.* Ne videatur à Bruſchio diſſidere, duas res in Baſino reticet, quæ diſcrepantiam oſtendunt. Eccleſiam Nemetum poſt Tragebodi mortem *aliquandiu* vacaſſe, Baſinúmque *temporibus Caroli Martelli* ſediſſe diſſimulat. Nam quomodo temporibus Caroli Martelli dicatur is Epiſcopus fuiſſe, qui Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto ſuſcepit, geſſitque annis duntaxat ſeptem, id eſt, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium, quo Maioratum Regiæ domûs ſub Clodoueo Tertio Rege per vniuerſam Franciam exercebat Pippinus Herſtallius ſupradicti Caroli pater? Guilielmus Eiſengreinius, vt interpontificium nec ante nec poſt Baſini Præſulatum admittat, cum fingit Epiſcopum fuiſſe *annis* LXIX, *menſibus* VIII, ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum. Sed quis Baſini Pontificatum adeò diuturnum ſibi perſuadeat, maximè cùm iuxta ipſiuſmet Eiſengreinij ſententiam aſſeratur Tragebodo ſeu Dragebodoni ſucceſſiſſe *ſub Carolo Martello,* cuius pater Pippinus ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quartum Maior domûs Regiæ fuit? Textus iſtius Auctoris [c] talis eſt. *Baſinus Spirenſium Epiſcopus ſub Carolo Martello Dragebodonis ſucceſſor, certa prædia & poſſeſſiones Moguntiæ ſitas in vtilitatem Eccleſiæ ſuæ dono accepit à Regnoaldo Comite. Hic cùm ſediſſet ann.* LXIX. *m.* VIII. *in pace quieuit.* Baſini Præſulatum ſub prædicti Caroli Maioratu ſpatio ſeptem annorum menſiúmque octo circumſcribimus, ab anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo viceſimo-ſecundo ad hunc circiter annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum, eodémque anno, quo Baſinus obiit, Latonem ei ſubrogatum cenſemus. Certè Latonis Antiſtitis ordinatio in annum Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſextum differri nequit. Dauid enim eius ſucceſſor Epiſcopatum adeptus eſt ante annum Chriſti ſeptingenteſimum duodequinquageſimum, vt inferiùs ex Zachariæ Papæ literis illo anno datis patebit.

[b] In Epiſc. Spirenſ. n. 5.

[c] Lib. 7. ad an. 686.

LATO SVCCEDIT.

XXXVIII. ABDIRAMA IN HISPANIA DEBELLAT MVNIZIVM GENERVM EVDONIS DVCIS AQVITANIÆ REBELLEM.

Hoc anno, octauo Kalendas Aprilis cœptus eſt annus Arabum centeſimus duodecimus. Abdirama, qui *vir belliger* ab Iſidoro & Roderico prædicatur, & Hiſpaniæ Præfecturam, quam per triennium & ampliùs exercuit, bellis cùm ciuilibus tum exteris penè totam inſumpſit, hoc anno rebelles domuit, vario euentu cum Francis poſteà dimicaturus. Domeſticos tumultus Auctores Hiſpani ſic deſcribunt. *Cùm* Abderraman *nimiùm eſſet animoſitate & gloriâ præditus, vnus ex Maurorum gente, nomine Munuz, audiens per Libyæ fines Iudicum ſæuâ temeritate opprimi ſuos, pacem ſine mora agens cum Francis, tyranni-*

dem illicò præparat aduersùs Hiſpaniæ Saracenos , & quia erat fortiter in prælio expeditus , omnes hoc cognoſcentes , Palatij conturbatur ſtatus. Sed non per multos dies expeditionem prælij agitans Abderraman ſuprà memoratus rebellem immiſericorditer inſequitur conturbatus. Nempe vbi in Cerritanenſe oppidum reperitur vallatus , obſidione oppreſſus , & aliquando infrà muratus, iudicio Dei ſtatim in fugam proſiliens, cedit exauctoratus. Et quia à ſanguine Chriſtianorum , quem ibidem innocentem effuderat , nimiùm erat crapulatus , & Anambadi illuſtris Epiſcopi decoræ iuuentutis . . . . , quem igne concremauerat , valdè exhauſtus , atque adeò ob hoc iam ſatis damnatus , ciuitatis pœnitudine olim abundantiâ aquarum fluentis ſite præuentus , dum quò aufugeret , non reperit moriturus , ſtatim exercitu inſequente in diuerſis anfractibus manet elapſus. Et quia filiam ſuam Dux Francorum , nomine Eudo , causâ fœderis , ei in coniugium copulandam , ad perſecutionem Arabum differendam , iam olim tradiderat ad ſuos libitus inclinandam , dum ad eam tarditat de manu perſequentium liberandam , ſuam morti debitam præparat animam. Sícque, dum eum publicâ manu inſequitat , ſeſe in ſciſſuris petrarum ab alto pinaculo iam vulneratus cauilando præcipitat , atque , ne viuus comprehenderetur , animam exhalat. Cuius caput ſtatim , vbi eum iacentem repererunt , trucidant , & Regi , nempe Abdiramæ, *vnà cum filia Eudonis memorati Ducis præſentant. Quam ille , maria tranſuectans , ſublimi Principi ,* id eſt , Iſcamo Caliphæ, *procurat honorificè deſtinandam.* Huc vſque Iſidorus Pacenſis , quem Rodericus Toletanus [a] politiore ſtylo ſic reddidit. *Abderramen vir belliger ad poteſtatem eligitur Hiſpanorum , & regnauit ferè tribus annis. Cúmque de animoſitate & gloria ſuperbiret , vnus ex Mauris , Muniz nomine , audiens ſuos temeritate Iudicum indebitè aggrauari , pacem cum Francis illicò procurauit , & cùm eſſet in præliis expeditus , multi eius deſiderio paruerunt , vnde & fuit ſtatus Palatij conturbatus , & , non multis diebus interpoſitis , Abderramen expeditionem agitans , rebellem inſequitur conturbatus , & in Cerritaniæ oppido concluſit obſeſſum. Hic multorum Chriſtianorum effuderat ſanguinem innocentem , & Anambaldum Epiſcopum illuſtrem , virum floridæ iuuentutis , incendio concremauit , & ſic Sanctorum ſanguine crapulatus , ſiti meruit laborare. Nam quamuis oppidum Cerritaniæ affluentis aquæ abundantiâ rigaretur , Muniz vndique circumcluſus ſitis ardore præuentus , non inuenit quò aufugeret moriturus , ſed , vt manus euaderet perſequentium , deſperatam animam morti offert , & , dum per anfractus rupium conaretur aufugere , manus perſequentium non effugit , nam dum in ſciſſuris petrarum latebras quærebat , præcipitio animam exhalauit, ne viuus odioſo Principi traderetur. Nuper etiam Eudo præpoſitus Gallicorum huic Muniz filiam ſuam causâ fœderis in coniugio copulauit , & ad ſuos libitus tradidit inclinandam , ob perſecutionem Arabum differendam , quæ ſimul cum oppido Cerritaniæ fuit capta. Viri autem exercitûs caput Muniz præcipitio iam colliſum cæde ſecundâ detruncant , & cum filia Eudonis Regi ſuo læti præſentant. Abderramen autem de rebellium interitu iucundatus , eius vxorem , cùm eſſet pulcherrima , ſummo Regi ,* ſeu Caliphæ , *trans maria honorificè deſtinauit.*

AN. CH. 730. THEODOR. IV. R. 10.

[a] In Hiſt. Arab. c. 13.

XXXIX. Eudonem Aquitaniæ Præfectum , quem hactenus non ſemel laudauimus, hoc loco non poſſumus non vituperare , quòd Munizio Mahumetano filiam ſuam connubio iunxerit , icti fœderis confirmandi causâ. Iure Hadrianus Valeſius [b] pietatem erga Deum & paternum erga filiam animum deſiderat in Eudone , puellam Chriſtianæ religionis diſciplinis innutritam homini ſectæ Mahumetanæ collocante , vt mox ad viri ſui ritus coacta tranſeat , à quo multos Chriſtianos inſontes iugulatos eſſe conſtat, vt ex Iſidoro & Roderico dictum ſuprà. Deo tantum crimen vlciſcente tota felicitas Eudonis corruit. Nam qui Carolo priùs erat terrori , déque Saracenis non ad Toloſam modò ſed & in Aquitania triumpharat tantâ hoſtium ſtrage , vt inſignioris victoriæ nulla in Hiſtoriis memoria fiat, ludibrio poſteà cùm Carolo tum Saracenis fuit , vt poſteris annis oſtenſuri ſumus.

[b] Lib. 14.

EVDO VITVPERATVR OB NVPTIAS FILIÆ CVM MAHVMETANO.

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II.

ANNVS CHRISTI 731.
THEODORICI IV. R. II.

I. SARACENI OBSIDENT ARELATEM. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, *Abderramen* Hiſpaniarum Præfectus, qui de rebellibus anno ſuperiori triumpharat, *victoriæ gloriam proſequi non deſiſtens, cùm videret terram ſuam multitudine eſſe repletam, fretoſa diſſecans, & montana procalcans, Rhodanum etiam diſſulcauit, verùm cùm Arelatum in multitudine exercitûs obſediſſet, inferioris fortunæ Gallici ſunt inuenti, nam fugaci periculo ſe vouentes ſequaci victoriâ ſunt præuenti, quorum cadauera vorax Rhodanus occultauit, & terra ſuſcipiens reuelauit, & eorum tumuli adhuc hodie in Arelatenſi cœmiterio oſtenduntur.* Hæc Rodericus Toletanus Hiſtoriæ Arabicæ capite decimo-tertio. Falluntur recentiores [a], dum ad vrbem Arelatum *cum Eudone, qui obuiam proceſſerat, collata ſigna* ſcribunt. Abdirama ſiue Abderramen, qui prouincias ditionis Arabicæ cis fretum Gaditanum ſitas, Hiſpaniam videlicet ac Septimaniam, Iſcami Caliphæ nomine gubernabat, in Franciam irrupit, commiſsóque prope Arelatum prælio Francos profligauit, ſed Eudo pugnæ non interfuit, vtpote qui Theodorici Francorum Regis auctoritate regiones procul inde diſſitas, Vaſconiam ſcilicet & Aquitaniam adminiſtraret, & graue cum Carolo bellum tunc gereret. Bis enim, vt mox probaturi ſumus, Aquitaniam hoc anno vaſtauit Carolus, pleraſque interim vrbes ad vtramque Rhodani ripam citiſſimè peruadentibus Saracenis, de quibus anno ſequenti copioſiorem ſermonem faciemus, à dextra enim per Burgundiam penè Sequanæ, à ſiniſtra per Vaſconiam & Aquitaniam effuſi penè Ligeri imminebunt.

[a] Mariana l. 7. rer. Hiſpan. cap. 3.

II. CAROLVS BIS VASTAT AQVITANIAM. Res hoc anno geſtas Annales Nazariani ſic perſtringunt. *Anno* DCCXXXI. *Karolus vaſtauit duas vices vltra Ligere. Et Ragenfridus mortuus.* Suffragantur Petauiani, ſic. DCCXXXI. *Quando Karolus fuit Waſconiâ contra Eodonem, & Ragenfridus mortuus eſt.* Tiliani de Ragenfrido ſilent, pugnam autem cum Eudone commiſſam ſic aſſerunt. DCCXXXI. *Karolus pugnauit in Vaſconia contra Eodonem.* De Ragenfrido ſilet etiam Auctor Chronici San-Dionyſiani, loquitúrque tantùm de bello Aquitanico, ſic. DCCXXXI. *Karolus fuit in Waſconia contra Eodonem.* Idem bellum Aquitanicum in Annalibus Metenſibus paulò fuſiùs ita deſcribitur. *Anno* DCCXXXI. *ab Incarnatione Domini, Eodo Dux Aquitaniorum à iure fœderis, quod Karolo Principi promiſerat, receſſit. Quo comperto, Carolus Princeps exercitum congregans Ligerem fluuium tranſiit. Eodone verò fugato, bis eodem anno Aquitaniam populatus eſt. Multis quoque theſauris ſublatis, ad proprias ſedes Principatûs ſui cum gaudio remeauit.*

III. Auctor Annalium Fuldenſium hoc loco Chronologiam præuertit integro ſeptennio. Sic enim ſcribit ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quartum. *Carlus tranſito Ligere Eudonem fugat, vaſtatâ & incensâ regione eius.* Hunc Auctorem tranſcripſit Marianus Scotus in ſuo Chronico, ſecutúſque eſt Dadinus Alteſerra libro ſeptimo [b] rerum Aquitanicarum. Sed vetuſtiſſimorum Scriptorum, quos ſuprà citauimus, potior eſt auctoritas, quibus accedit Regino [c], ad annum enim Caroli Maioris-domûs decimum-ſextum, quocum annus Chriſti ſeptingenteſimus triceſimus-primus componitur, ſic ait. *Sexto-decimo anno regni ſui*, ſeu regiminis aut Maioratûs à die quo liber è cuſtodia euaſit, *Vaſconiam ingreſſus, Eudonem Ducem Aquitaniæ bello perterruit.*

[b] Cap. 5.

[c] Lib. 1.

Digitized by Google

In vetuſtiſſimo libello de Maioribus domûs Regiæ, quem anno priori in cauſa Lantfridi Ducis Alamanniæ ſeu Sueuiæ citauimus, non omittitur Eudo, cùm Duces enumerantur, quibuſcum Carolus bellum geſſit. Eadem cum vtroque diſſidij cauſa. Vt Lantfridus in Sueuia, ſic & Eudo in Aquitania ægerrimè ferebat, quòd Carolus in dies nimiam ſibi poteſtatem arrogaret Rege tunc adoleſcentulo. Par vtrobique rerum ſucceſſus, Carolum victorem gens victa placare ſtuduit. Pax ad tempus ſimulata in Aquitania, cùm nec Carolus æmulum pati, nec Eudo ſuperiorem præter Regem habere vellet. AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II. IV.

V. Ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum, cùm de Eudone ſermo primùm nobis habendus fuit, quid propriè diſcriminis inter Aquitaniam & Vaſconiam, inter Aquitanos & Vaſcones, inter Aquitaniæ Vaſconiæque Duces intereſſet, accuratè inueſtigauimus. Obſeruauimus tamen Aquitaniam cum Vaſconia, Aquitanos cum Vaſconibus, Aquitaniæ Duces cum Vaſconiæ Ducibus ab Auctoribus illius ſeculi ſæpè confundi; prouinciam, quam Eudo cum titulo Ducis adminiſtrauit, modò Aquitaniam vocari, modò Vaſconiam, incolas modò dici Aquitanos, modò Vaſcones; ipſummet Eudonem modò Ducem Aquitaniæ, modò Vaſconiæ Ducem à coæuis Scriptoribus appellari. Promiſcuam hanc diuerſorum vocabulorum vſurpationem ob oculos iterum tibi ponimus, ne, cùm apud quoſdam ex præcitatis Auctoribus, atque etiam apud Adonem legis Carolum fugato Eudone perrexiſſe *vſque in Vaſconiam*, aut *in* eadem *Vaſconia* pugnaſſe, ſtatim vltra Garumnam, qui limes erat Aquitaniæ ac Vaſconiæ, Carolum cum exercitu profectum credas. Carolus, vt Annales Nazariani teſtantur, bis hoc anno vaſtationem Aquitaniæ ſeu ditionibus Tranſligeritanis intulit. Illius expeditioni plura & ampliora noli affingere, licèt Eudo non Aquitaniæ modò, ſed & Vaſconiæ ſimul præfuerit.

VI. CVCHIANVS PVNITVR OB PERIVRIVM. Per hæc tempora Cuchianus, vnus ex Optimatibus Aquitanis, cùm Eudoni Aquitaniæ Duci iuratam fidem ad ſepulchrum beati Auſtregiſili Bituricenſis quondam Epiſcopi præſtitiſſet, irritâ fide paulò pòſt ad partes Caroli tranſiit. Eâ re cognitâ, Eudo oraturus venit ad Monaſterium beati Auſtregiſili, & cum quaſi fideiuſſorem compellauit. Paucis autem pòſt diebus Cuchianus lethali morbo correptus morte ſuâ celeres periurij pœnas dedit. Res ipſa in libro de Miraculis Sancti Auſtregiſili, quem Philippus Labbeus in rerum Aquitanicarum collectione publicauit, ita deſcribitur. *Cùm Eudo Princeps orandi gratiâ ad Monaſterium Sancti Auſtregiſili veniſſet, factâ oratione cœpit fratribus dicere. Quis ex vobis de Sancto Auſtregiſilo mihi faciet iuſtitiam? Ipſi credidi, fideiuſſor mihi acceſſit, quando Chucianus* (Surio Cuchianus) *in iſto loco mihi dedit ſacramentum. Et repetens ipſum ſermonem dicebat. Sancte Auſtregiſile, fac mihi de temetipſo iuſtitiam. Si tibi non crediidiſſem, Chucianus me non fugiſſet, precor te, vt de teipſo mihi facias iuſtitiam, & ego his ſeruientibus multa bona retribuam. Ipſe Chucianus, poſtquàm ad ſepulchrum beati Auſtregiſili Eudoni fidelitatem iurauerat, in Franciam ad Carolum Principem fugit. Ipſo tempore, quo præfatus Princeps ab Auſtregiſilo de ipſo iuſtitiam popoſcit, prædictus Chucianus vehementi plagâ fuit percuſſus, itaut vſque ad mortem veniens clamaret & diceret. Auſtregiſilus me flagellat pro ſacramento, quod ad ſepulchrum eius dedi; & propter hoc quòd Eudoni mentitus ſum, Auſtregiſilus me diuerſis cruciatibus conſtringit. Et, niſi fallor, ſi eum catenatum non tenuiſſent, dentibus ſe laniare vellet, vſquequo vitam finiuit, quia ſcriptum eſt. Qui multùm iurat, non effugit peccatum.*

VII. Eandem narrationem, vt & alia non pauca, quæ prædictus Miraculorum liber complectitur, apud Surium [a] inuenies in Appendice ad vitam Sancti Auſtregiſili. Sed vtrobique multa ſunt, quæ nullam prorſus fidem merentur. Duas de Warnario fabulas, quæ reperiuntur etiam in Patriarchio [b]

[a] D. 20. Maij.
[b] Cap. 30.

Digitized by Google

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II. Bituricenſi, Tomo ſecundo refutauimus [a]. Potioris auctoritatis non ſunt ea, quæ ſubiiciuntur de Pippini aduentu in agrum Bituricenſem, cùm aduerſus Eudonem Aquitaniæ Ducem dimicare vellet, nam Pippinus Herſtallius in pagum Bituricenſem profectus non legitur, & Eudo vitam clauſit Carolo Pippini Breuis patre adhuc ſuperſtite.

[a] Ad an. 614. n. 8.

VIII. BERTORADVS ABB. MON. S. AVSTREGISILI. In ceteris Miraculis illo libro contentis, quibus ob vitandam prolixitatem ſuperſedemus, duo præcipuè monemus obſeruanda. Primum, quòd ibi frequens mentio fit Bertoradi ſeu Bertheradi, Surio Bertrandi, qui Monaſterio Sancti Auſtregiſili per illa Caroli & Eudonis tempora præerat. Alterum, quòd aduerſùs raptores bonorum Eccleſiaſticorum periluſtria ibi diuinæ vltionis exempla conſpiciuntur.

IX. Ragenfridus, quem Annales Nazariani & Petauiani ſuprà citati mortuum hoc anno teſtantur, non alius eſt à Ragenfrido ſeu Raginfrido, vel Ragenfredo ſiue Raganfredo aut Raganfrido, qui factus eſt Maior Regiæ domûs apud Neuſtraſios anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, & infelici exitu cum Carolo ter pugnauit, ſemel ad Amblauam anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto, iterum ad Vinciacum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo, denique ad Sueſſionem anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo, nec animo cecidit tot acceptis cladibus, donec anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto, cùm bellum redintegraret, oppreſſus eſt à Carolo, atque ad eas redactus anguſtias, vt ex initæ pacis conditionibus ſolam deinceps Andegauenſem Præfecturam ad obitum vſque geſſerit, dato in fidei obſidem filio.

X. VINDICANTVR A CALVMNIA, Auctor Chronici Fontanellenſis, quia totus eſt in Caroli laudibus, Eudonem & Raginfridum tyrannidis inſimulat, de vtroque enim ſic ſcribit capite nono. *Eodem anno*, id eſt, anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo triceſimo-primo, Indictione decimâ-quartâ, vt eodem capite ſuperiùs notauit, *Carolus perrexit Waſconiam contra Eudonem Principem, qui tyrannidem aſſumpſerat, & Ragenfridus Intarta poſt annos tyrannidis quatuordecim mortuus eſt.* At neuter tyrannus haberi debet, imò vterque plurimùm commendandus, quòd à partibus Regiis ſteterit.

XI. EVDO DVX AQVITANIÆ, Eudo in agro Sueſſionenſi pro Chilperico Rege pugnauit anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo. Pacem & amicitiam cum Carolo pepigit anno ſequenti, veritus ne Francia, ſi diſcordiis ciuilibus diutiùs flagraret, à Saracenis, qui bellum iam minabantur, plurimùm detrimenti caperet. Eoſdem Saracenos, cùm Toloſam obſidione cinxiſſent, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo profligauit, annóque pòſt quarto rurſum de iiſdem hoſtibus triumphauit, cæſis eorum trecentis ſeptuaginta-quinque millibus. Primum prælium iniit, Aquitaniæ, cuius adminiſtrationi præpoſitus erat, ſolis copiis ſubnixus; alterum multò memorabilius conſeruit vocatis in Aquitanorum auxilium Neuſtraſiis, apud quos propter ſuum in Regem ſtudium maximam exiſtimationem ſibi pepererat. Opem à Carolo nec anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, quo Carolus poſt Chilperici Regis mortem plurimùm ſibi timebat, Theodorico, ſe inconſulto, à Neuſtraſiis Rege conſtituto, nec anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto accepit, quo Carolus bellum in Boioaria gerebat. Abhinc tranquillam in Aquitania vitam duxit, totam prouinciam in officio continuit Theodorici Regis nomine, nec ciuilibus ſe diſcordiis immiſcuit, nec quidquam moleſtiæ paſſus eſt à Saracenis, quibus ob felicem rerum præteritarum ſucceſſum terrori erat non mediocri. Adeò pacificè integrum penè ſexennium effluxit. Quænam illic imago vel ſuſpicio tyrannidis? Huius autem criminis reus Carolus, qui ſuo abuſus Maioratu cum ipſis Regibus acie congredi non dubitauit, & Aquitaniæ, quam Eudo ſingulari erga Theodoricum tunc adoleſcentulum fide laudabiliter quietéque gubernabat, hoc anno luctuoſam vaſtationem nullâ prouocatus iniuriâ bis intulit.

Ragenfridus

Digitized by Google

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II.

XII. Ragenfridus aduersùs Carolum ter in caſtris Regiis Chilperici decertauit, deinde, vt auctoritatem Regiam tueretur, bellum Theodorico Rege puero redintegrare conatus eſt, an ideò reus affectatæ tyrannidis? Tota criminis ſuſpicio cadit in Carolum, qui prælium cum Rege tanquam cum hoſte non ſemel conſeruit, & Ragenfridum, qui probatæ erga Reges fidei erat, & Maioratu Regiæ domûs à Neuſtraſiis ritè ſibi delato fungebatur, acerrimo proſecutus eſt odio. Cùm autem Chronographus, in quem inquirimus, Ragenfridum *poſt annos tyrannidis quatuordecim* mortuum ait, initium illorum annorum repetit à pugna, quæ ad Vinciacum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo commiſſa eſt. In illo prælio Chilpericus Rex & Ragenfridus Maior-domûs profligati quidem ſunt à Carolo, ſed ab ea die nec Chilpericus Regiam dignitatem amiſit, nec Ragenfridus in ſuſpicionem tyrannidis affectatæ venit, quòd eiuſdem Chilperici necnon Theodorici ſucceſſoris adhuc pueri partes ſequeretur. ET RAGINFRIDVS MAIORDOMVS.

XIII. Eodem capite nono ſui Chronici, prædictus Auctor alia multa commemorat, quæ pertinent ad hunc eundem annum, nec à nobis omitti debent.

XIV. Imprimis agit de Landone Epiſcopo, qui Fontanellenſe Monaſterium hoc anno poſt Hugonis mortem proximo regendum ſuſcepit. *Lando Epiſcopus de vrbe Remenſi ſucceſſit Hugoni Præſuli in regimine Cænoby huius, ab anno duodecimo Regis Theoderici nouiſſimi, qui erat Exarchatûs Caroli annus ſeptimus-decimus, Incarnationis autem Dominicæ ſeptingenteſimus triceſimus-primus, Indictione decimâ-quartâ. Qui etiam Cellam Sancti Sidony, quæ eſt in Warinna, ſimul cum iſta iure beneficy aliquandiu tenuit.* Annus Chriſti ſeptingenteſimus triceſimus-primus cum Indictione quarta, & anno decimo-ſeptimo Caroli Maioris-domûs coincidit, ſi Caroli Maioratum ſiue Exarchatum ab obitu Pippini Herſtallij numeres, ſed cum anno duodecimo Regis Theodorici *nouiſſimi*, ſiue poſtremi, vel Kalenſis, minimè conuenit. Alios huius Auctoris errores in annis iſtius Regis iam deprehendimus. Maior eſt difficultas ſuper titulo, qui capiti præcitato ſic præfigitur in vulgatis exemplaribus. *Geſta Landonis Archiepiſcopi Remenſis & Rectoris Cænoby Fontanellenſis.* Landonem, qui poſt Hugonem Fontanellenſis Abbas extitit, Epiſcopum fuiſſe non inficiamur, ſed Archiepiſcopum Remenſem negamus. Tomo ſuperiore ad annos Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-quintum & ſexcenteſimum vndequinquageſimum egimus de Landone Epiſcopo Remenſi Metropolitano, qui, teſte Flodoardo [a], *fuit Sigeberti Regis tempore, & prædeceſſor eius Angelbertus Epiſcopus cum Gallo Aruernenſi Epiſcopo coram Rege controuerſiam habuiſſe reperitur.* Ab ætate Sigiberti Regis, qui anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-quarto viuere deſiit, & ab ætate Galli Aruernenſis Epiſcopi, qui controuerſiam cum Angelberto Metropolita Remenſi coram eodem Rege habuit, procul abſuit Lando Fontanellenſis Abbas, qui Præfecturam Monaſterij poſt Hugonem Pippini Herſtallij nepotem geſſit. Sunt & aliæ inter vtrumque Landonem differentiæ. Lando Metropolitanus Remenſis obiit pridie Idus Martij, Lando Fontanellenſis Abbas decimo-ſeptimo Kalendas Februarij; Landoni Metropolitæ Remenſi titulus ſanctitatis nullibi tribuitur, Landoni autem Abbati Fontanellenſi tribuitur in Appendice ad Martyrologium Gallicanum & in Neuſtria Pia. Cùm Lando factus eſt Abbas Fontanellenſis, Eccleſiæ Remenſi præerat Milo, de quo iam locuti ſumus. E titulo igitur, qui geſtis Landonis Abbatis Fontanellenſis præfigitur, dignitatem *Archiepiſcopi Remenſis* abrade. In prænotato capite Lando Fontanellenſis Abbas ter Epiſcopus vocatur, numquam Archiepiſcopus, Hugo autem eius deceſſor in præcedenti capite numquam Epiſcopus appellatur ſed *Archiepiſcopus Rothomagenſis Eccleſiæ.* Cur Chronographus Landonem, ſi illum Remenſem Metropolitam fuiſſe cenſuit, Archiepiſcopum non æquè ac Hugonem nuncuparit, haud capimus. Initio capitum, ſecundi ac noni, eâdem

LANDO ABB. FONTANELL.

AN EPISC. REMENSIS?

[a] Lib. 2. c. 6.

Digitized by Google

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II.

vſus eſt loquendi formulâ; initio ſecundi, ſic, *Bainus Epiſcopus de ciuitate Tyroanda;* initio noni, ſic, *Lando Epiſcopus de vrbe Remenſi.* Vt autem *Bainus Epiſcopus de ciuitate Tyroanda* ſeu Taruanna ſponte abdicauit Epiſcopatum, & in Cœnobio Fontanellenſi Monachum induit, atque poſt aliquot annos Monachatûs Abbas eiuſdem loci factus eſt mortuo Hilberto Abbate, ſic & *Lando Epiſcopus de vrbe ......* ſponte dimiſit Epiſcopatum, vitámque Monaſticam in Cœnobio Fontanellenſi profeſſus eſt duxítque, donec electus eſt Abbas, vt idem Monaſterium poſt Hugonis Abbatis mortem Paſtore deſtitutum regeret. Vrbis, cuius Epiſcopatum Lando geſſit, nomen in vulgatis Chronici Fontanellenſis exemplaribus exprimitur, reticetur autem à nobis, quia illum Remenſis quidem ciuitatis Epiſcopum negamus, ſed nondum deprehendimus cuius vrbis Epiſcopus fuerit.

XV. GREGORIVS PAPA MORITVR.

Secundo loco Chronographus agit de morte Gregorij Secundi Papæ déque ſubrogatione Gregorij Tertij. *Anno*, inquit, *regiminis iſtius*, nempe Landonis Abbatis, *primo, Gregorius Iunior Papa migrauit ad Dominum. Cui ſucceſſit alius Gregorius miræ Sanctitatis vir, qui claues ex confeſſione S. Petri Apoſtolorum Principis accipiens, Carolo Principi direxit, vt Romanam Rempublicam ab oppreſſione Longobardorum liberaret.* Gregorius Secundus hîc dicitur Iunior, vt à Primo ſeu Magno diſtinguatur. Willibaldus Eiſtatenſis Epiſcopus in vita Sancti Bonifacij Moguntiacenſis Archiepiſcopi ac Martyris, vbi de Gregoriis Secundo & Tertio ſermonem inſtituit, factâ inter vtrumque comparatione Tertio cognomen Iunioris ſic attribuit, *defuncto beatæ memoriæ Gregorio Secundo Sedis Apoſtolicæ Papâ, & glorioſo præfatæ Sedis Gregorio Iuniore Apoſtolici culminis Cathedram præſidente.* Vterque ſanctitate conſpicuus in Tabulis Eccleſiaſticis celebratur. Secundus, Idibus Februarij, ſic. *Romæ, S. Gregorij Papæ Secundi, qui Leonis Iſaurici impietati acerrimè reſtitit, & Sanctum Bonifacium ad prædicandum Euangelium in Germaniam miſit.* Tertius, quarto Kalendas Decembris, ſic. *Romæ, beati Gregorij Papæ Tertij, qui ſanctitate præclarus migrauit in cælum.* Annus, quo alter alteri ſucceſſit, à Chronographo Fontanellenſi rectè conſignatur, quia, teſte Anaſtaſio, Gregorius Secundus *ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die 3 Idus Februarij, Indictione 14, Leone & Conſtantino Imperatoribus.* Nonnihil tamen difficultatis apud eundem Anaſtaſium occurrit, nam Gregorius Secundus, qui Conſtantino Papæ, *quinto Idus Aprilis, Indictione decimâ-tertiâ* mortuo poſt dies quadraginta ſucceſſit, in vulgatis exemplaribus Anaſtaſij ſediſſe dicitur *annos 16, menſes octo, dies viginti*, ſiue ad Indictionem vſque decimam-quintam, quæ cum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo coincidit. Baronius, vt nodum ſolueret, Gregorij Secundi Pontificatum anno vno præuertit, eiúſque initium non Indictioni decimæ-tertiæ ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, ſed Indictioni duodecimæ ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto illigauit. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum. Gregorium Secundum illo anno creatum Pontificem adeò validè probauimus, vt nihil hîc addendum videatur. At corrigendum, quod in annos eiuſdem Pontificis irrepſit mendum. Gregorius enim, nec annos ſexdecim cum octo menſibus diebúſque viginti vt vulgata editio retinet, nec, vt quidam Codices cum Luitprando habent, annos ſedit ſexdecim cum menſibus nouem diebúſque vndecim. Meliùs, iuxta mentem Anaſtaſij, Codex Cuſanus, à Bollando laudatus [a], præter menſium ac dierum minutias annos ſolum quindecim exhibet, eíque nonnulla ſuffragantur Martyrologia, quæ nullis menſibus aut diebus adiectis Gregorium annis ſexdecim ſediſſe ſic tradunt, vt non obſcurè Pontificatûs annos quindecim completos, decimum-ſextum non integrum indicent. Anaſtaſius, ne turpiter à ſemetipſo diſcrepare videatur, ad illos calculos eſt emendandus, Gregorióque Papæ tribuendi ſunt anni vel ſexdecim incompleti iuxta prælaudata Martyrologia, vel quindecim completi cum

[a] In not. ad vit. Gregor. II. d. 13. Febr.

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II.

octo menſibus ac diebus aut viginti-duobus aut viginti-quatuor iuxta Codicem Cuſanum & Abbonem Floriacenſem, à die videlicet quadrageſimo poſt quintum Idus Apriles Indictionis decimæ-tertiæ ſiue anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi decimi-quinti ad tertium Idus Februarias Indictionis decimæ-quintæ ſiue anni poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimi triceſimi-primi. Diſſidium autem bidui, quod inter Codicem Cuſanum & Abbonem Floriacenſem inuenitur, ex varia dierum completorum & incompletorum computatione profectum puta, quoniam in controuerſiam adducitur, vtrùm dies, quo Conſtantinus Papa mortuus eſt, primus interpontificij ſeu Sedis vacantis numerari debeat, & vtrùm Gregorij Papæ primus dies is cenſendus ſit, quo promotus eſt ad Pontificatum. De anno, quo Gregorius Tertius Gregorio Secundo ſucceſſit, adeò diligenter inquirimus, quia Bonifacius Epiſcopus eodem anno nuncios ad nouum Pontificem è Germania ſtatim direxit, de quibus ita Willibaldus in eiuſdem Bonifacij vita. *Cùm ingens vtriuſque populi*, Heſſorum ſcilicet ac Turingorum, *multitudo fidei Sacramenta, multis millibus hominum baptizatis, perciperet, iam defuncto beatæ memoriæ Gregorio Secundo Sedis Apoſtolicæ Papâ, & glorioſo præfatæ Sedis Gregorio Iuniore Apoſtolici culminis Cathedram præſidente, deuuò Romam nuncij eius*, nempe Bonifacij, *venerunt, Sanctúmque Sedis Apoſtolicæ Pontificem allocuti ſunt, eíque prioris amicitiæ fœdera, quæ miſericorditer ab Anteceſſore ſuo, Sancto Bonifacio eiúſque familiæ collata ſunt, manifeſtauerunt. Sed & deuotam eius in futurum humilitatis Apoſtolicæ Sedi ſubiectionem narrauerunt, & vt familiaritati ac communioni Sancti Pontificis, atque totius Sedis Apoſtolicæ, ex hoc deuotè ſubiectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precabantur. Statim ergo Sanctus Sedis Apoſtolicæ Papa pacificum profert reſponſum, & ſuam Sedíſque Apoſtolicæ familiaritatis & amicitiæ communionem tam Sancto Bonifacio, quàm etiam ſibi ſubiectis condonauit, ſumptóque Archiepiſcopatûs pallio, cum muneribus diuerſíſque Sanctorum Reliquiis, Legatos honorificè remiſit ad patriam.* Willibaldo conformia ſcribit Othlonus [a] politiore ſtylo, addítque directam à Gregorio ad Bonifacium *Epiſtolam continentem diuerſa, pro quibus interrogatus fuerat.* Sed anno ſequenti ſcriptæ ſunt illæ literæ, in quibus Preſbyterum, de quo Bonifacius querebatur, *anno præterito*, id eſt, hoc anno, Gregorius ad ſe veniſſe teſtatus eſt.

SVCCESSOR EIVS GREGORIVS III. SVSCIPIT NVNCIOS A BONIFACIO E GERMANIA MISSOS CVM LITERIS,

EIQVE MITTIT PALLIVM.

[a] Lib. I. cc. 31. 32.

XVI. IMMVNITAS PRO COENOBIO FONTANELL.

Tertio loco, Chronographus Fontanellenſis agit de Immunitate, quam Carolus Maior-domûs Abbati Landoni Cœnobióque Fontanellenſi conceſſit. *Lando impetrauit à præfato Carolo Principe* ſeu Maiore-domûs *Priuilegium Immunitatis perennis, in quo continetur, quod Cœnobium iſtud ſub ſua defenſione ac tuitione idem Princeps ſpecialiùs receptum haberet, & hoc ipſum Francorum populo, ſiue Epiſcopis, ſeu Cœnobiorum Patribus, necnon Comitibus, omnibúſque exactoribus Reipublicæ gentis Francorum notum eſſe voluit, quatenus res iſtius Cœnobij, vniuerſáque ſua ſalua eſſe valerent, nec à quoquam diripi, aut contaminari, vel in aliquo lædi quocumque poſſent ingenio. Editum eſt hoc Priuilegium in iſto Cœnobio, ſuggerente eodem Epiſcopo* Landone, *ac fratribus omnibus intercedentibus.* Inde colligimus Carolum, poſt ſuum ex Aquitania reditum, in Neuſtraſia hyemem egiſſe.

XVII. EPISCOPI CARNOTENSES.

Obiit hoc anno Sigoaldus Carnotenſis Epiſcopus, cùm annos ſediſſet duodecim. Sepultus fuit in Cœnobio Sancti Martini. Succeſſit Gaubertus ſeu Gaudebertus. Lege quæ de Carnotenſium Epiſcoporum ſerie Chronologiâque dicta ſunt ſuprà [b].

[b] Ad an. 706. n. 5.

XVIII.

Apud Hermannum ad hunc annum hæc leguntur in editione Vrſtiſiana. *Tria Cœnobia, id eſt, Altaha, Murbach, Fauarias, ex Augienſibus fratribus inſtructa ſunt.* Eadem reperiuntur in editione Caniſiana, numero fratrum ad ſingula Monaſteria deputatorum ſic addito. *Tria Cœnobia, id eſt, Altaha, Morbach, & Fauarias, ex Augenſibus fratribus inſtructa ſunt, duodenis ad ſingula fratribus deputatis, & totidem Augiæ remanentibus.* Othlonus Monachus Ful-

Digitized by Google

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. II.

denſis, qui eâdem, quâ Hermannus, ætate vixit, in vita Sancti Pyrminij, non illa tantùm tria Monaſteria ſed & alia enumerat multò plura ab eodem Pyrminio conſtructa, *quorum nomina hæc ſunt, Altaha, Scutera, Gengenbach, Swrzaha, Murbach, Moreſmunſter, Nowenuillare*, præter nonnulla, de quibus idem Auctor, vt dicemus infrà.

XIX. Trium Cœnobiorum, de quibus mentio fit in poſterioribus editionibus Hermanni, primam originem ſub Ethone ſecundo Abbate Augienſi ſic commendat Martinus Crucius libro vndecimo [a] rerum Sueuicarum. *Etho habuit inſignem in ſuo Cœnobio ſcholam, Cœnobitas, & libros. Ideo factum eſt, vt Ducibus ſuperioris Rhætiæ, Bauariæ & Alſatiæ, petentibus, inde plura Cœnobia, Fabarianum in Rhætia, Altahaimum in Bauaria, Murbachum in Alſatia, plantata fuerint.* Chronologiâ tamen accuratiùs examinatâ, Fabarianum Monaſterium conditum videtur anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto, quo Etho ex Abbate Augienſi Argentoratenſis Epiſcopus factus eſt, & Altahaimum anno Chriſti circiter ſeptingenteſimo vndequadrageſimo, cùm Ernfridus ſimul & Augienſis Abbas & Epiſcopus Conſtantienſis eſſet. Solum igitur ſupereſt Murbachum, de quo nobis hîc agendum. Atque inde obiter obſerua, quàm dubiæ fidei ſint interpolationes additionéſque, quibus Hermannus apud Vrſtiſium & Caniſium auctus inuenitur.

[a] Cap. 2.

XX. PYRMINIVS CONSTRVIT MVRBACHIVM MON.

Pyrminius, de cuius diſceſſu ex Augia & aduentu in Alſatiam anno priori dictum eſt, *Alſatiam*, vt Hermannus in editionibus Vrſtiſiana & Caniſiana teſtatur, *alia inſtructurus Cœnobia, petiit*; id eſt, alia inſtructurus Monaſteria in eadem Alſatia, vbi Murbachium, non autem in Rhætia, vbi Fabarium; vel in Boioaria, vbi Altahaimum. Operum igitur, quæ Pyrminius in Alſatia ſuſcepit, primum & antiquiſſimum fuit Monaſterium Murbachienſe, quod Eberhardi ſiue Ebrohardi Comitis munificentiâ conſtructum eſt. Bruſchius [b], Munſterus [c], Miræus [d], aliíque recentiores initium Cœnobij Murbachienſis ab anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto repetunt. At Pyrminium anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo in Alſatiam primùm veniſſe iam probauimus. Suffragatur Conradus Abbas Vrſpergenſis ſic. *Anno Domini* DCCXXX *Priminius ex Augia venit in Alſatiam.* Nec aliter ſentit Guillimannus [e] in Epiſcopis Argentinenſibus. Atque ex erronea recentiorum opinione, quæ prædicti Monaſterij fundationem aliquot annis anteuertit, non leue ducitur argumentum, quòd Pyrminius poſt ſuum in Alſatiam aduentum erigendo Murbachienſi Cœnobio curam omnem ſtatim impendit.

[b] In Chronol. Monaſt. Germ.
[c] Lib. 3. de Germania.
[d] In Orig. Benedict. c. 36.
[e] In Epiſc. 1.

XXI. PRÆCEPTVM PRO EO REGIVM IMPETRAT.

Bruſchius in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ, partem Regij Diplomatis pro fundatione Murbachienſi ſic recitat. *Theodericus Rex Francorum, viris Apoſtolicis, Patribus, Epiſcopis, necnon & Illuſtribus viris, Ducibus, Patriciis, Comitibus, vel omnibus agentibus, tam præſentibus quàm futuris*, &c. *Igitur dum Venerabilis vir Pirminius gratiâ Dei Epiſcopus, noſtris temporibus cum Monachis ſuis, Deo inſpirante, pro Euangelio Chriſti, peregrinatione ſuſceptâ, Monaſterium virorum in eremo vaſta, quæ Voſagus appellatur, in pago Alſacenſi, in loco qui vocatur Viuarius Peregrinorum, qui antè appellatus eſt Mourbach, allodio fidelis noſtri Ebrohardi Comitis, cum ipſius adiutorio, Deo cooperante, conatus eſt conſtruere Monaſterium, vel Cœnobium ſanctum ibidem inſtituere in honorem Dei & Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. *Gundolfi villâ, in Dei nomine feliciter, Amen.* Ex hoc Regij Diplomatis fragmento deprehenditur error Eberſheymenſis Chronographi, qui, teſte Bruſchio à quo citatur, ſcribit fundatum ab Eberhardo Sancti Mauricij Monaſterium, *quod Sanctus Pyrminius poſteà à ſe conſecratum in honore Sancti Leodegarij, appellarit Viuarium, hoc eſt, domicilium, receptaculum, aut refectorium ſeu refocillatorium peregrinorum Monachorum, quod tandem ſucceſſu temporum Mortwegum vel Murbachium propter viciniam latrociniis infeſtam appellatum ſit.* Monaſterium, *in honorem Dei & Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti*, vt fert Diploma, conſtructum eſt ex *Ebrohardi*

Digitized by Google

ſiue Eberhardi *Comitis* munificentia, in loco, cui nomen Murbachium vel Mortwegum *propter viciniam latrociniis infeſtam* olim inditum, deinde nomen Viuarij, propter ſuſceptionem peregrinorum, quos illius loci Monachi reficiebant, nam quod Ebersheymenſis Chronographus illam peregrinorum ſuſceptionem ad ſolos Monachos peregrinos reſtringit, id minimè probamus. Obſoletum poſteà Viuarij nomen, noménque Murbachij rurſus vſurpatum decimo, vt exiſtimamus, ſeculo, cùm ea regio ab Hunnis ſiue Hungaris vaſtata eſſet. *Fuerunt*, inquit Munſterus, *tempore Hunorum, ſeptem Monachi iuxta Monaſterium Murbacenſe, in monte propinquo ſanctam agentes vitam, qui ab infidelibus trucidati, reliquerunt loco illi nomen, vt poſteà vocaretur latrocinij campus.*

XXII. Eberhardus Comes, in cuius alodio ſitum Murbachium, patrem habuit Adalbertum, Sanctæ Odiliæ fratrem, vt obſeruatum ſuprà [a]. Monachum in illo Cœnobio induit, ibíque vitam finiuit, ſi Bruſchius & Munſterus vera ſcripſerunt.

XXIII. Quod attinet ad alia Monaſteria, quorum nomina ſuperiùs è vita Sancti Pyrminij recitauimus, abſit vt eundem Pyrminium illorum omnium auctorem conditorémque cenſeamus, pleraque enim priùs erecta ſunt quàm Pyrminius in Alſatiam venerit. Actum iam de *Scutera*, de *Swrzaha*, & de *Moreſmunſter*. Schutteranum Monaſterium locupletauit [b] Dagobertus Secundus, Rex Francorum, cuius obitu priorem Tomum clauſimus. Schwarzachium anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quarto [c] à Ruthardo conditum diximus. De Cellæ Leobardinæ conditu locuti ſumus Tomo ſecundo ad annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-ſextum [d] ſub Childeberto Secundo Rege; huic Cellæ cognomen Leobardinæ, vulgò *Lewartzell*, acceſſit à Leobardo conditore ac primo Abbate, cui ſucceſſerunt Anaſtaſius, Godefridus, Leobardus ſecundus, Maurus, à quo dictum poſteà Mauri Monaſterium vulgò *Maurmunſter*, in vita Sancti Pyrmini *Moreſmunſter*; florebat autem Maurus Abbas eâdem quâ Pyrminius ætate, regebátque Cellam Leobardinam, cùm Pyrminius Augienſi Cœnobio præerat, vt patet ex iis quæ ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum [e] dicta ſunt. Inter tot igitur Monaſteria, quorum erectionem à Pyrminio promotam Othlonus in eius vita tradit, duo duntaxat enumerantur, *Gengenbach* & *Nowenuillare*, de quibus ſermonem nondum fecimus, quia ſeriùs condita ſunt, *Nowenuillare* poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-quartum, *Gengenbach* anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo. Licèt autem in enumeratione complurium Cœnobiorum, quæ Hermannus aut Interpolator Hermanni reticuerat, hæc duo tantùm occurrant apud Othlonum, Gengenbachium & Nouum Villare ſeu Noua Villa, quæ Pyrminio ex Augia Inſula pulſo & in Alſatia commorante conſtructa ſunt, textus Othloni non videtur omnino reiiciendus, benignámque ſic pati poteſt interpretationem, vt Pyrminius Monaſteria ſuprà memorata non ædificaſſe, ſed inſtauraſſe cenſeatur, quia, teſte Coccio [f], *Magiſter & diſciplinæ Inſtaurator* habitus eſt, multorúmque Cœnobiorum, quæ iam antè conſtituta fuerant, quaſi *ſecundarij Fundatoris* famam apud poſteros meruit.

ALIA INSTAVRAT MONASTERIA.

XXIV. Eberhardo Comiti, qui Murbachium condidit, frater fuit, Maſo nomine, qui Cœnobium Monialium eodem erexit tempore, ſuóque de nomine Maſonis Monaſterium * vocauit. Munſterus in deſcriptione Suggoiæ [g] de Maſone ſic ſcribit. *Habuit hic Maſo filium vnicum, qui cùm in amne Olruna, vulgò Tolder, balneare vellet, ſubmerſus eſt, quum annorum eſſet octo, ídque ſubter arcem, in qua tunc parentes eius habitabant. Priuatus ergo Maſo & vxor eius legitimo herede, fundauerunt Monaſterium in eo loco, & eo tempore quando Eberhardus Comes Egisheimenſis fundauit Monaſterium Murbacenſe ſub Theodorico Rege Francorum, anno Chriſti plùs minùs 730, contribuentes omnia bona ſua, mobilia & immobilia, terras & homines.* Bruſchius eadem refert ex Chronographo

MASONIS MONASTERIVM CONDITVR.

[a] Ad an. 715. nn. 30. & ſeqq.

[b] Vide an. 675. n. 28.

[c] Num. 32.

[d] Num. 42.

[e] Nn. 25. & ſeqq.

[f] In not. ad cap. 8. Dagob. rediuiui.

* *Maſmunſter.*

[g] Lib. 3. de German.

AN. CH. 731. THEODOR. IV. R. 11.

Ebersheymenſi, nempe *Maſonem Eberhardi fratrem ex ducta vxore filium excepiſſe, quem cùm illicò in Olruna præterfluente fluuiolo ſubmerſum amiſiſſet, tanto dolore motum illum conſtruxiſſe eodem loco (vbi filiolus perierat) in S. Leodegarij honore, Monialium Cœnobium, quod de ſuo nomine Maſonis Monaſterium appellarit, ídque factum eſſe ſub Theoderico & Childerico Galliarum Regibus, qui rerum potiti ſunt ab anno Chriſti 720. ad annum vſque 750.* Hoc Bruſchij textu deceptus Bucelinus [a] Maſonis Monaſterium à Maſone *ſub A. C. 720.* fundatum dixit. A Standum à Chronologia Munſteri, cui calculus Bruſchij non refragatur apertè, cùm vaga ſit eius epocha, atque indeterminatè per annos excurrat triginta.

[a] in German. Sacr. part. 2.

XXV. RAGENFRIDVS ABB. VEDAST. OBIT.

Incunte hoc anno Ragenfridus Vedaſtinus Abbas obiit, cùm ne toto quidem biennio Monaſterium rexiſſet. Allegatur à Ferreolo Locrio Chronicon Vedaſtinum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum, ſic. *Ragenfridus, ſuffragiis communibus in Abbatem electus, Madelbaldo ob conſimiles ad benè regendum virtutes, ſuffectus eſt, anno duntaxat eo felicior, ſed reuerà parum felix, qui ne toto quidem biennio dignitatem expertus, mortis conceſſit neceſſitati, anno, quo ſalus mundo illuxit, 732, ambo obſcuriores ob Præfecturæ breuiſſimum tempus.* Vno anno Chronographum Vedaſtinum & Locrium præuertimus, quia mortem Sancti Hadulphi Atrebatenſis Epiſcopi ſimul & Abbatis Vedaſtini, quam illi in annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimumnonum reiiciunt, anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-octauo conſignauimus, auctoritate nixi vetuſtiſſimorum Annalium, qui deſinunt in anno Chriſti octingenteſimo.

XXVI. SVCCEDIT GOSSILENVS.

Ragenfrido mortuo ſubrogatus eſt Goſſilenus, ſeu Gogiſlenus, qui Monaſterium Vedaſtinum annis octo gubernauit, vt ex illius Cœnobij Chronico refert Locrius [b]. Annos autem octo intellige incompletos, obiit enim Goſſilenus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-octauo, vt ad illum annum ex Chronico Fontanellenſi probabimus.

[b] Ad an. 731.

XXVII. KENOMONOKVS FIT EP. VENETENSIS.

Kenomonokus Epiſcopatum Venetenſem, qui per annum & ampliùs vacauerat, ſuſcepit hoc anno, rexítque per annos quatuordecim, vt in Epiſcoporum Venetenſium Catalogo teſtatur Auctor Armoricæ Sanctæ.

---

732. THEODOR. IV. R. 12.

ANNVS CHRISTI 732.

THEODORICI IV. R. 12.

I. ADELÆ ABBATISSÆ PALATIOLENSIS TESTAMENTVM.

ANNO duodecimo Theodorici Regis, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, Adela Abbatiſſa, Dagoberti Secundi quondam Regis filia, Palatiolenſem Eccleſiam, cui præerat, multorum hæredem bonorum ſcripſit. Ipſum Teſtamentum, quod Browerus ex vetuſtis Eccleſiæ Treuirenſis monumentis iam publicarat, Henſchenius in Diatriba [c] de tribus Dagobertis ſic edidit. *Adela in Chriſto Domino ſacrata Abbatiſſa, Dagoberti Regis quondam filia. Cùm peruulgatum notúmque bonis omnibus ſit, quemadmodum nos Monaſterium in villa, quæ dicitur Palatiolum, in ripa poſitum fluminis Moſellæ, quod ipſum à Pippino Maiore-domûs Treuiris permutatione quæſiuimus, honoríque Sanctæ Mariæ Virginis, Genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & beatorum Petri & Pauli, ceterorúmque Sanctorum iam dudum ad proprij Monaſterij vſum extruximus, in eóque Monacharum cœtum diſciplinâ & regulâ S. Benedicti viuentium aggregauimus, faciendum denique nobis viſum eſt, vt has vitæ degendæ neceſſarias opes, quas de propriis hactenus largitæ ſumus, Teſtamenti etiam præſenti paginâ confirmaremus. Legamus itaque & donamus huic,*

[c] Lib. 2. c. 14.

Digitized by Google

quod diximus, Monaſterio villam noſtram, quæ dicitur Palatiolum, in qua Cœnobium eſſe conſtructum videtur, ídque cum omni integritate tam domibus, ædificiis, additamentis, caſis, curtibus, manſis, mancipiis, quàm vineis, campis, pratis, ſyluis adiacentibus, farinariis, aquis, aquarúmque decurſibus, & omnibus iis, quæ ad ipſam pertinere villam conſtat. Addi volumus his prædium Scripnaſium, in pago Moſao ſitum, ad ipſius Moſæ fluminis ripam, omnéſque poſſeſſiones eiuſdem villæ, vno duntaxat quadraginta iugerum agro excepto, quem Inſulæ nomine appellatum iam antè dulciſſimo filio Alberico donauimus. Similiter à Deiparæ Matris hoc Monaſterio poſſideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis Beſlancióque ſita; quæque à dulciſſima Germana mea Regentrude dato pretio comparaui. Rurſus portiones meas villarum, Enchiariaci, Vrſiaci, Caimetarum, his adiicio, quæ ad Moſellam omnes ſitæ ſunt. Quibus adiungi res item eas facultatéſque placet, quæ in prædio Regimoſeti à Feronio filio Tullonis iuſtæ mihi venditionis titulo quondam obtigere. Accedunt etiam his poſſeſſiones Baldelingis, quæ in pago ſitæ Bentenſi, & à Ganciofrido & Wigerico emptæ, in ius peculiúmque meum redactæ ſunt; item quæ in prædio Machariaco à Bertonio mihi donata, hæc omnia tribuo donóque. Ad extremum id quoque de ſententia Congregationis memoratæ ſtatuimus, vt quidquid opum poſſeſſionúmque in Monaſterium hoc ipſum contulimus, id in Archiepiſcoporum Eccleſiæ Trevericæ ſemper ſit arbitrio atque tutela. Datum Kalendis Aprilis, anno XII. *Theoderici Regis.*

AN.CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

II. ÆTAS.

Adela, cùm Teſtamentum condidit, annos nata erat quatuor circiter ac ſexaginta, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum fusè probatum. Quot annos ſuperuixerit, haud ſcimus; nono Kalendas Ianuarias, eodem videlicet quo ſoror Irmina die colitur in Martyrologio Gallicano. Abbatiſſarum, quæ poſt eam Monaſterio præfuerunt, deſiderantur nomina. *Labente poſteris annis Religionis ardore*, vt Iodocus Coccius [a] in Dagoberto rediuiuo ſcribit, *idem ſacrum virginum domicilium in Collegialem Eccleſiam cum aliis id genus compluribus tranſiit.* Ad illam mutationem alludit Gabriel Bucelinus parte ſecundâ [b] Germaniæ Sacræ, cùm ait Palatiolum *Regium olim virginum Benedictinarum Cœnobium* fuiſſe. Godefridus Henſchenius in Diatriba [c] de tribus Dagobertis, poſtquàm Adelæ Teſtamentum deſcripſit, addit illam è viuis deceſſiſſe *ſub vltimo Theoderico.* Deinde hæc de Palatiolo proximè ſubiungit. *Locus is Canonicorum eſt Collegio, à quo hodiéque poſſidetur, poſteà attributus, ab vrbe paſſuum circiter tria millia in Septemtrionem, Treuirorum ſuburbano quondam annumeratus & Epiſcoporum habitatione illuſtris, nunc mœnibus auctus, ac præterlabentis Moſellæ iocundus adſpectu, nomen Palatioli à veteri Palatio retinet, vti tradunt Coccius, Browerus, aliíque.*

[a] Cap. 11.

[b] Sub lit. P. in Palatiolo.

[c] Lib. 2. c. 14.

III.

Gregorius Papa, qui Bonifacio Epiſcopo in Germania degenti *Pallium Archiepiſcopatûs* ſub finem ſuperioris anni miſerat, *Epiſtolam quoque* hoc anno *direxit continentem diuerſa, pro quibus* ab eo *interrogatus fuerat*, vt Othlonus in ipſius Bonifacij vita teſtatur.

IV. GREGORII III. PP. RESPONSIONES AD INTERROGATIONES BONIFACII.

Illius Epiſtolæ, per quam Gregorius literis Bonifacij reſpondet, initium tale eſt. *Reuerentiſſimo ac Sanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus gentibus in errore conſtitutis ab hac Apoſtolica Sede directo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. Magna nos habuit gratulatio lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ literis, cùm in eis relectâ ſerie fuiſſet repertum, Domini noſtri Ieſu Chriſti gratiâ plurimos te à gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia diuinâ inſtitutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuiſſe lucratum, in talis commercij lucro cum tota plaudimus Eccleſia. Hinc iure tibi ſacri Pallij direximus munus, quod Beati Petri Apoſtoli auctoritate ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo auctore, præcipimus vt cenſearis. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus agnoſce. Itaque dum Miſſarum ſolennia agis, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris.* Perierunt literæ, per quas Gregorium Papam Bonifacius conſuluit.

Digitized by Google

AN. CH 732. THEODOR. IV. R. 12. Hunc autem indeterminatæ Sedis vt Epiſcopum Gregorius Secundus, ſic & Archiepiſcopum ſtatuit Gregorius Tertius, Archiepiſcopali dignitate non tantùm per Archiepiſcopi titulum, ſed etiam per ornatum Pallij deſignatâ. De Pallio Archiepiſcopali Nicolaus Serarius in notationibus [a] ad vitam Sancti Bonifacij multa ſcripſit, plura quoque Nicolaus *de Bralion* noſtræ Congregationis Preſbyter in libro, cui titulus *Pallium Archiepiſcopale*, hunc conſule, ſi quæcumque ad materiam, formam, ſignificationem, benedictionem, petitionem, conceſſionem, receptionem & vſum Pallij pertinent, pleniſſimè ſcire deſideras. Ex illis plurima, vt occaſiones ſe dabunt, ſuis locis explicabimus. Impræſentiarum id vnum licet obſeruare, quòd ex literis Apoſtolicis vſus Pallij Bonifacio Archiepiſcopo tantùm permittitur, cùm Miſſarum ſolennia agit vel Epiſcopum conſecrat. Eiuſdem Bonifacij conſultationes ac reſponſiones Gregorij Papæ iam inſpiciamus.

[a] Notat. 26.

V. DE ORDINANDIS EPISCOPIS IN GERMANIA.

Primò, ſcripſerat Bonifacius tantam Germanicarum gentium ad ouile Chriſtianum factam eſſe acceſſionem, vt nec omnibus occurrere, nec ea, quæ ſalutis erant, ſingulis impendere vel intimare poſſet. Gregorius ſuâ reſponſione præcipit, vt Epiſcopos ordinet in locis, vbi multitudo fidelium exereuerit. *Quia verò*, inquit, *turbas, Domini gratiâ, in iiſdem partibus ad rectam fidem aſſeris eſſe conuerſas ideóque nequire te occurrere omnibus, &, quæ ſalutis ſunt, impendere vel intimare, cùm iam longè latéque gratiâ Chriſti, eius fides in illis propagetur, præcipimus vt iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ Sedis debeas ordinare Epiſcopos, piâ tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatûs.*

VI. DE PRESBYTERO, QVI ROMAM PROFECTVS IVDICIO PP. A NEFARIIS SVIS ACTIONIBVS ABSOLVTVM SE DICEBAT.

Secundò, de Preſbytero, qui Romam ſe contulerat anno ſuperiori, ſéque iudicio Papæ à nefariis ſuis actionibus abſolutum dicebat, Bonifacius per literas apud Gregorium queſtus erat grauiſſimè. Quid ſibi collocutionis negotiíque cum illo Preſbytero fuerit, Gregorius in ſua reſponſione ſic exponit. *Presbyterum namque, quem præterito aſſeruiſti anno ad nos veniſſe, noſtróque iudicio fuiſſe à ſuis nefariis abſolutum actionibus, credas neque nobis confeſſionem aliquam feciſſe, nec à nobis, vt ſuos expleat libitus, abſolutum fuiſſe. Sed ſi eum errori deditum repereris, hunc Apoſtolicæ Sedis vigore, vt iuxta Sanctorum Canonum cenſuram corrigas & emendes, præcipimus, vel ſi quos forſan tales inueneris. Ille enim veniens, Presbyter ſum, ait, & commendatitias ad filium noſtrum Carolum literas expetiit. Nullam illi aliam conceſſimus licentiam, quem vitari, ſi prauè conuerſatur, cum reliquis volumus.*

VII. DE IIS QVI BAPTIZATI SVNT A PAGANIS.

Tertiò, Gregorius à Bonifacio conſultus ſuper his, qui baptizati fuerant à paganis, ita reſpondet. *Eoſdémque, quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine Sanctæ Trinitatis, mandamus.* Quia literæ Bonifacij non extant, imperfecta videtur hæc ad eas Gregorij reſponſio, quæ tamen tertiæ parti [b] Decreti reperitur inſerta, capiendáque eſt de iis tantùm, qui non baptizati fuerunt in nomine Sanctæ Trinitatis. *Eoſdem* igitur, *quos* Bonifacius *à paganis baptizatos eſſe* aſſeruit, *ſi ita habetur*, id eſt, ſi non baptizati fuerunt in nomine Sanctæ Trinitatis, *vt* Bonifacius *denuò* baptizet in *nomine Sanctæ Trinitatis*, mandat Gregorius. Iſtius reſponſionis hanc germanam interpretationem eſſe iam cenſuit Baronius [c], atque in ſententiæ ſuæ confirmationem allegauit duas epiſtolas, vnam eiuſdem Gregorij Pontificis, alteram Zachariæ ſucceſſoris, quas infrà ſuis locis recitabimus.

[b] De Conſecr. diſt. 4. cap. 52.

[c] Tom. 9. ad an. 731. n. 10.

VIII. DE FERINIS GERMANORVM MORIBVS.

Quartò, Bonifacius in ſuis literis ferinos Germanicarum gentium mores expoſuerat, quæ carnibus caballorum, cùm agreſtium, tum domeſticorum, veſci conſueuerant. Gregorius ei reſcribit, vt hoc nequaquam fieri deinceps ſinat. *Inter cetera*, inquit, *agreſtem caballum aliquantos comedere adiunxiſti, pleroſque & domeſticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, ſanctiſſime frater, ſinas, ſed quibus potueris, Chriſto iuuante, modis per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum eſt enim atque execrabile.* Sic Gregorius Germanos

Digitized by Google

manos à ferinis moribus reuocare, & ad humaniorem cultum reducere, quouis prætextu & occaſione, curauit.

AN. CH. 732. THEOD. IV. R. 12.

IX. DE OBLATIONIBVS PRO DEFVNCTIS.

Quintò, quæſiuerat Bonifacius, an liceret ſpecialiter pro defunctis celebrare diuina, & oblationes offerre. Gregorius licere pro Catholicis, pro impiis nequaquam, ſic reſpondet. *Pro obeuntibus quoque conſuluiſti, ſi liceat offerre. Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſque pro ſuis mortuis verè Chriſtianis offerat oblationes, atque eorum memoriam faciat Presbyter. Et quamuis omnes peccatis ſubiaceamus, congruit tamen, vt Sacerdos nonniſi pro mortuis Catholicis memoriam faciat & intercedat. Non enim pro impiis, quamuis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit.* Nomine impiorum, eos intellige, quos in peccato mortali deceſſiſſe conſtat, vt ſi quis ſuſpenderit ſe, vel præcipitarit, aut alio modo ſe interfecerit. Lege Tomo ſecundo [a] Canonem decimum-ſeptimum Concilij Autiſſiodorenſis ſub Aunachario Epiſcopo.

[a] Ad an. 586. n. 21.

X. DE IIS, QVI SE BAPTIZATOS FVISSE DVBITANT, AVT BAPTIZATI SVNT A PRESBYT. IDOLOLATRA.

Sextò, quæſiuerat Bonifacius, an rebaptizandi eſſent, qui ſe baptizatos fuiſſe dubitabant, aut à Preſbytero Ioui mactante & carnes immolatitias veſcente baptizati fuerant. Eos rebaptizandos eſſe ſic reſpondet Gregorius. *Eos etiam, qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui à Presbytero Ioui mactante & carnes immolatitias veſcente baptizati ſunt, vt rebaptizentur præcipimus.* Eos, qui ſe baptizatos eſſe dubitant, baptizandos eſſe iam ſæpè diximus, idque docuit Leo Magnus in literis ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, quas in eadem cauſa Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum triceſimum-ſecundum [b], & hoc ipſo Tomo quarto ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum [c] laudauimus. Eos quoque, qui à Preſbytero Ioui mactante & carnes immolatitias veſcente baptizati ſunt, rebaptizandos ait Gregorius, quoniam Preſbyter, qui idololatriæ inhæſit, videri poteſt nullam habuiſſe intentionem, vt in illis remedium ſalutis impleret.

[b] Num. 6.
[c] Num 27.

XI. DE GRADIB. IN QVIBVS MATRIMONIVM PROHIBETVR.

Septimò, Gregorius à Bonifacio conſultus de gradibus, in quibus matrimonium prohibetur, ita reſpondet. *Progeniem verò ſuam vnumquemque ad ſeptimam generationem obſeruare decreuimus.* Conceſſerat tamen Gregorius Secundus in literis ad eundem Bonifacium, vt in Germania propinqui poſt quartam generationem iungerentur. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum.

XII. DE VXORVM NVMERO, QVAS, PRIMA MORTVA, QVIS LEGITIMO MATRIMONIO SIBI SOCIARE POTEST.

Octauò, Gregorius à Bonifacio conſultus de vxorum numero, quas, primâ mortuâ, quis legitimo matrimonio ſucceſſiuè ſibi ſociare poſſit, ſic reſpondet. *Et, ſi valueris, deuitandum doce, ne cui vxor obierit, ampliùs quàm duabus debeat copulari.* Id autem Bonifacij relinquit arbitrio, quòd bigamiam, trigamiam, &c. concedere, ſit ex Eccleſiæ indulgentia. Qua de re conſule Sanctum Hieronymum in epiſtolis ad Saluinam de viduitate ſeruanda & ad Gerontiam de monogamia, necnon in libris aduersùs Iouinianum.

XIII. DE POENITENTIA IMPONENDA PATRICIDÆ, &c.

Nonò, quæſiuerat Bonifacius, quænam pœnitentia patricidis, matricidis, fratricidis & ſororicidis imponenda eſſet. Ita reſpondet Gregorius. *De his verò, qui patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderint, dicimus vt toto vitæ tempore Corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico. Abſtineant etiam ſe à carnis comeſtione & potu vini, donec aduixerint; ieiunent ſecundâ, quartâ, & ſextâ feriâ, vt ſic poſſint deflentes diluere commiſſum ſcelus.*

XIV. CHRISTIANO SERVOS PAGANIS AD IMMOLANDVM VENVNDANTI.

Decimò, quæſiuerat Bonifacius, quænam pœnitentia Chriſtianis indicenda eſſet, qui ſeruos ſuos paganis ad immolandum venundabant. Gregorius ſic reſpondet. *Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixiſti, quòd quidam ex fidelibus ad immolandum paganis ſua venundent mancipia. Quod vt magnoperè corrigere debeas, frater, commonemus, nec ſinas fieri vltrà. Scelus eſt enim & impietas. Eis ergo, qui hæc perpetrauerunt, ſimilem homicidæ indices pœnitentiam.*

XV. DE ORDINATIONE EPISCOPOR.

Vndecimò, Gregorius à Bonifacio de ordinatione Epiſcoporum conſultus ita reſpondet. *At quoties Epiſcopum conſecraueris, duo vel tres conueniant*

Digitized by Google

AN. CH. *tecum Epiſcopi, vt Deo ſit gratum quod geritur, & eis conuenientibus ipſíſque præſentibus conſecres.*

732. THEODOR. IV. R. 12. XVI. Denique hic eſt earumdem literarum epilogus. *Hæc te, frater cariſſime, diligenter obſeruare volumus, & ſtudio pietatis cæptum negotium ſalutis exequi, vt de lucro apportato valeas à Domino Deo noſtro mercedem percipere in æterna retributione. Priuilegium verò, iuxta quod petiſti, facientes, his iunctum direximus, optantes te Domini Dei noſtri præſidio de conuerſione errantium Chriſto Domino pleniſſimum apportare lucrum. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater.* De illo Priuilegio nihil alibi legitur, nec adhuc innotuit, quibus in rebus conſiſteret.

XVII. Non deſunt qui prædictas literas à Gregorio Secundo directas aſſerant. In hac opinione verſantur Gratianus, & Antonius de Aquino. Secus ſentiunt, Yuo, Othlonus, Binius, Baronius, Sirmondus, & nomen Gregorij Tertij reponunt. Controuerſiæ cauſam fortè fecit cognomen Iunioris, quod vtrique Gregorio, Secundo videlicet ac Tertio, tribuitur, vt obſeruatum ſuprà. Litem omnem dirimemus auctore Willibaldo, qui diſcipulus Bonifacij fuit, & vt antiquitate, ſic auctoritate ceteros antecellit, qui de vtroque Gregorio ſupradicto déque Bonifacio ſcripſerunt. Extat ab eo ſcripta eiuſdem Bonifacij vita, in qua Gregorius Tertius à Gregorio Secundo diſtinguitur, & Pallium Archiepiſcopatûs ad Bonifacium à Gregorio Tertio miſſum ſic probatur. *Iam defuncto beatæ memoriæ Gregorio Secundo, Sedis Apoſtolicæ Papâ, & glorioſo præfatæ Sedis Gregorio Iuniore Apoſtolici culminis Cathedram præſidente, denuò Romam nuncij eius*, nempe Bonifacij, *venerunt, ſanctúmque Sedis Apoſtolicæ Pontificem allocuti ſunt, eíque prioris amicitiæ fœdera, quæ miſericorditer ab Anteceſſore ſuo, Sancto Bonifacio eiúſque familiæ collata ſunt, manifeſtauerunt. Sed & deuotam eius in futurum humilitatis Apoſtolicæ Sedi ſubiectionem narrauerunt, & vt familiaritati ac communioni Sancti Pontificis atque totius Sedis Apoſtolicæ ex hoc deuotè ſubiectus communicaret, quemadmodum edocti erant, precabantur. Statim ergo ſanctus Sedis Apoſtolicæ Papa pacificum profert reſponſum, & ſuam Sedíſque Apoſtolicæ familiaritatis & amicitiæ communionem tam Sancto Bonifacio, quàm etiam ſibi ſubiectis condonauit, ſumptóque Archiepiſcopatûs pallio, cum muneribus diuerſíſque Sanctorum Reliquiis, Legatos honorificè remiſit ad patriam.* Gregorius autem, qui prædictas literas ſcripſit, ſub earum initium teſtatur Pallium ad Bonifacium à ſe miſſum fuiſſe. Sic enim ait. *Tibi ſacri Pallij direximus munus, quod beati Petri Apoſtoli auctoritate ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo auctore, præcipimus vt cenſearis.* Illarum igitur literarum habendus Auctor Gregorius Tertius, qui Gregorio Secundo in Pontificatum anno priori ſucceſſerat.

XVIII. BONIFACIVS MONASTERIA CONSTRVIT. Bonifacius in Germania non quieuit otioſus, ſed ſolitis in laboribus nauiter deſudauit. *Apoſtolicæ Sedis nimiùm confortatus deuotionis ſuffragio, opéque diuinæ miſericordiæ inſpiratus duas videlicet Eccleſias Domino fabricauit, vnam quippe in Fridiſlar, quam in honorem Sanctorum Petri & Pauli Principum Apoſtolorum conſecrauit, & alteram in Hameneburg, hanc etiam in honorem Sancti Michaelis Archangeli dedicauit. Duo quoque Monaſteriola duabus iniunxit Eccleſiis, híſque non minimam ſeruientium Deo multitudinem ſubrogauit.* Hæc Willibaldus in eius vita. Iam multis in rebus magnum ſe cultorem Sancti Petri Sanctíque Michaëlis oſtenderat, Apoſtolorum limina non ſemel adierat peregrinatione Romam ſuſceptâ, Eccleſiam memoriæ Sancti Michaëlis ſacram Ordorffij cum Monaſterio excitarat. FRISLARIÆ ET AMANABVRGI. Friſlaria, vbi ad Sancti Petri honorem Deo Eccleſiam erexit cum Cœnobio, vrbs in Haſſia hodie celebris eſt, quæ *Fridſlar* & *Frideſlar* ac *Fritiſlar* ſcribi ſolet. *Hameneburg*, vbi in honorem Sancti Michaëlis alteram Eccleſiam Deo cum Cœnobio dedicauit, Othlono [a] eſt *Hamanaburch*, Surio [b] *Amanaburg*, Latinâ terminatione Amanaburgum, quod hodiernum *Omenburg* exiſtimamus Marpurgo * vicinum, ſitúmque ad Amanum ſiue Omam, vulgò *Om*, à quo nomen traxerit.

[a] Lib. 1. c. 33.
[b] D. 5. Iuin.
* *Marpurg*

Digitized by Google

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

XIX. Obiit hoc anno Guntrannus Metropolites Turonenſis, de quo ſic Ioannes Maanus [a]. *Dicitur in veteribus Elenchis Eccleſiæ Turonenſis præſediſſe annis quindecim*, quos ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſeptimo ad hunc vſque annum interpretamur, *& duobus menſibus, eiuſque mentio præſertim habetur in veteri Chronico, anno Chriſti* 728.

a In Epiſc. 37. GVNTRANNVS EP. TVRON. OBIT.

XX. Succeſſit in Epiſcopatum Dido, cuius mentio fit in Turonenſium Epiſcoporum Catalogis. Per hæc tempora Monaſterium Sancti Martini regebat Teutſindus Abbas, qui factus eſt etiam Abbas Fontanellenſis *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo & trigeſimo-quarto, Indictione ſecundâ*, vt Chronographus Fontanellenſis teſtatur [b].

SVCCEDIT DIDO. TEVTSINDVS ABB. MON. S. MARTINI. b Cap. 9.

XXI. Abdirama ſiue Abderrahmanus Hiſpaniæ Septimaniæque Præfectus, cùm multa ſibi proſperè ad Rhodanum ceſſiſſe cerneret, & Aquitaniam à Carolo bis deuaſtatam reſciiſſet, habito conſilio ſub initium huius anni nihil exiſtimauit rebus Saracenicis magis conducere, quàm ſi parte exercitûs in Galliam Celticam directâ, ipſe cum altera bellum in Aquitaniam transferret. Totam Eudonis Præfecturam ſpe deuorabat, Carolum enim, qui poſt ſuum ex Aquitania reditum in Neuſtraſia tunc hyemabat, nec priuatas cum Eudone inimicitias ex animo depoſuerat, Celtis potiùs quàm Aquitanis auxilia laturum arbitrabatur. Francia maximo ſanè verſabatur in diſcrimine, Friſiis quoque, qui ſe trans Fleuum ſummotos ægerrimè ferebant, bellum à tergo minitantibus. Genti Chriſtianæ in tanto periculo conſtitutæ diuina virtus non defuit. Saracenis non ad Rhodanum modò, ſed etiam ad Ararim, ad Dubim, ad Oſcarum * ad Icaunam *, Senonas vſque effuſis obicem ſe conſtanter oppoſuit Ebbo Senonenſis Epiſcopus, ſpe omni in vno Deo collocatâ. Ex altera parte Abdiramam, ſubactâ Vaſconiâ, expugnatâ Burdigalâ, traiecto Garumnâ, Eudone prope Dorodoniam * deuicto, euerſis vrbibus Aquitaniæ non paucis, captóque Pictauio plurimùm inſoleſcentem idem Eudo & Carolus iunctis ſimul copiis in agro Pictauienſi debellarunt interemerúntque. Friſij nihil intulerunt damni, quia res ad expeditionem ſuſcipiendam neceſſarias nondum pararant.

SARACENI IRRVMPVNT IN FRANCIAM. * *L'Ouche.* * *L'Yonne.* * *La Dordogne.*

XXII. Aimoini Continuator [c] Ebbonem Epiſcopum Senonenſem, de quo non ſemel iam locuti ſumus, ob fugatos Saracenos, qui Senonas obſidione cinxerant, plurimùm commendauit. Eandem rem paulò pòſt ſic executus eſt Clarius in Chronico Sancti Petri Viui. *Huius* Ebbonis *in tempore, gens Wandalorum*, id eſt, Saracenorum, vt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum [d] in ſimili cauſa nomen Wandalorum iam expoſuimus, *Galliam vaſtare cœpit, Eccleſiæ ſunt deſtructæ, Monaſteria ſubuerſa, captæ vrbes, deſolatæ domûs, diruta caſtra, ſtrages hominum factæ, per totam Galliam Wandalis*, ſeu Saracenis, *ferro & flammis, proterentibus omnia. Peruenientéſque Senonas ciuitatem, cœperunt eam iaculis & machinis infeſtare. Quod cernens Sanctus Ebbo pro ouibus ſibi commiſſis ſe dedit periculo, exiénſque de ciuitate cum ſuis, fretus diuinâ virtute fugauit eos ab vrbis obſidione. Tantus autem timor illos inuaſit, vt penitus ...... viuere deſperarent, niſi fugæ præſidium expetiſſent. Illiſque fugientibus, perſecutus eſt eos vſquedum expellerentur de finibus noſtris, cæsâ multitudine eorum. Námque obcæcati per meritum Sancti Præſulis conuersíque in ſeipſis maximam partem de ſuis occiderunt, &, qui euaſerunt, cum confuſione pauci ad ſua redierunt. Sícque Deus Omnipotens liberauit populum vrbis à perſecutione Wandalorum*, id eſt, Saracenorum, *per meritum Sancti Ebbonis.*

c Lib. 4. c. 55. d Num. 10.

XXIII. Guillelmus Catellus libro tertio Hiſtoriæ Occitanæ, cùm agit de damnis, quæ Saraceni Galliis intulerunt, eos ex agro Arelatenſi, vbi Francos anno priori profligarant, Senonas vſque profectos probat, citátque in eam rem varios Auctores quos & operæpretium videtur aliis confirmare, quia Senonenſis obſidio à multis noſtri ſeculi Scriptoribus aut reticetur aut inter fabulas reiicitur.

AN.CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

XXIV. Arabes, vt anno priori diximus, Arelatum obſederunt. Huius obſidionis, vt & victoriæ de Francis ab Arabibus tum reportatæ meminit Rodericus Toletanus [a], ſed ciuitatem illam ab iiſdem Arabibus expugnatam non tradit. Solutam obſidionem ex eo Roderici ſilentio colligit Petrus *Andoque* libro ſeptimo Hiſtoriæ Linguodochianæ. Facilè imus in eandem opinionem. Abdirama, cùm Francos memorabili prælio deleuiſſet, maluit vti ſuâ victoria, metúmque latiſſimè per vicinas regiones circumferre, quàm vnius vrbis obſidioni, dubio forſan exitu, diutiùs inſiſtere. Protaſius Epiſcopus in Arelatenſi Cathedra tunc ſedebat, vt Petrus Saxius in Pontificio Arelatenſi teſtatur [b].

[a] In Hiſt. Arab. cap. 13.
[b] Num. 50.

XXV. CAPIVNT AVENIONEM, Inter vrbes, quæ Saracenis deditionem fecerunt, numeratur Auenio, cui præerat Epiſcopus Ioannes à nobis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum iam laudatus. Lege Franciſcum *Nouguier* in Hiſtoria [c] Eccleſiæ Auenionenſis. Illâ ætate ſub Iſcami Caliphatu ter Auenionem inuaſerunt Arabes, ter Franci recuperarunt. Ad primam Saracenorum irruptionem pertinent, quæ prædictus Auctor refert de fuſis Auenionenſibus prope Druentiam ad locum, cui nomen inde inditum Mali * Paſsûs, impoſitáque pòſt Ædicula cum hac epigraphe. *Sepultura nobilium Auenionenſium, qui occubuerunt in bello contra Sarracenos.*

[c] In Epiſc. 17.
* *Maupas.*

XXVI. Vt Auenio, ſic & Viuarium, Valentia, Lugdunum, antiquæ ciuitates ad Rhodanum, eæque Sedibus Epiſcopalibus illuſtres in poteſtatem Saracenorum deuenerunt.

XXVII. VIVARIVM, De Viuario argumentum occurrit non temnendum ex Catalogo Epiſcoporum Viuarienſium, nam poſt Longinum, cuius mentionem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum fecimus, mancus eſt Index, nec illius rei potior afferri poteſt ratio, quàm quòd capto vaſtatóque per Saracenos Viuario Sedes Epiſcopalis aliquandiu vacarit, vt & aliæ non paucæ vicinarum ciuitatum, de quibus infrà diſſeremus.

XXVIII. VALENTIAM. Idem de Valentia dicendum, nam poſt Bobonem, de cuius exauctoratione ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum [d] Tomo ſuperiore locuti ſumus, in Catalogo Epiſcoporum Valentinorum apud Ioannem *Columbi* [e] ſequuntur, Saluius Secundus, Lambertus, Bonitus, quorum poſtremus anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo Narbonenſe Concilium ſuâ ſubſcriptione ſic communiuit, *ego Bonitus Valentinæ Sedis Epiſcopus ſ.* vt patet ex actis ipſius Concilij, quæ Guillelmus Catellus libro quinto Hiſtoriæ Linguodochianæ & Stephanus Baluzius in additione ad caput viceſimum-quintum libri ſexti de Concordia Sacerdotij & Imperij publicarunt. Præterea Nicolaus *Chorier* in Hiſtoria Delphinatûs [f] Valentiam à Saracenis captam deplorat.

[d] Num. 11.
[e] Lib. 1. n. 10.
[f] Lib. 9. c. 19.

XXIX. COMBVRVNT MONASTERIA GRININCENSIA. Vienna, vt idem Auctor ibidem affirmat, ipſo ſitu & incolarum fortitudine tuta manſit in Francorum poteſtate. Saraceni, cùm ciuitatem expugnare non poſſent, circumiacentem regionem deuaſtarunt, Eccleſias aut ſolo adæquarunt aut igni combuſſerunt. Tunc redacta in cineres Monaſteria Grinincenſia ſeu Griniacenſia, de quibus actum Tomis primo ac tertio ad annos Chriſti quingenteſimum triceſimum-quartum [g] & ſexcenteſimum triceſimum-ſeptimum [h]. Illorum Cœnobiorum ſuperſunt hodie rudera, quæ vulgus imperitum Palatij à Pompeio Magno quondam conditi rudera vocat. ITEM S. PETRI ET S. GERVASII. Eodem cum Monaſteriis Grinianenſibus incendio conflagrarunt Cœnobium Sancti Petri & Cœnobium Sancti Geruaſij. *Grinianenſium loca*, vt vetus Auctor [i] in vita Sancti Clari Viennenſis Abbatis ſcribit, *quadringentos Monachos alebant. Porrò Sancti Petri Monaſterium ad Auſtralem partem vrbis ſitum, quingentos penè Monachos continebat; Sanctorum Geruaſij & Protaſij venerabilis memoria, quinquaginta.* In Cœnobiorum Grinianenſium maximo cuſtodiebantur oſſa Sancti Ferreoli Martyris, quæ propter hoſtium metum in vrbem ab Epiſcopo tranſlata ſunt cum capite Sancti Iuliani. Lege vtrumque

[g] Num. 16.
[h] Num. 2.
[i] Ap. Bolland. d. 1. Ian.

Digitized by Google

Auctorem præcitatum, necnon Ioannem à Boſco in Antiquitatibus Vien- AN. CH.
nenſibus [a], Guillelmum Paradinum in Annalibus [b] Burgundicis, & Clau- 732.
dium Rubyum in Hiſtoria Lugdunenſi [c]. Viennenſis Epiſcopus tunc erat THEO-
Wilicarius, de quo ſic Ado ſcribit in ſuo Chronico. *Wilicarius Auſtreberto* DOR. IV.
venerabili Epiſcopo Viennæ ſuccedit. Qui ob cladem Sarracenorum, cùm eſſet do- R. 12.
mus præclariſſima Martyrum circa Rhodanum ab iis iam incenſa, oſſa beati Fer- [a] Cap. 4. n 18.
reoli cum capite Iuliani Martyris intra vrbem tranſtulit, eíſque, accelerato opere, [b] Lib. 1.
non magno pretio Eccleſiam conſtruxit, vbi & eorumdem Martyrum Reliquias re- [c] Lib. 3. c. 15.
uerenter compoſuit.

Lugdunum, ciuitas ad Araris confluentes in Rhodanum celeberrima, XXX.
ſub iugo Saracenorum aliquandiu gemuit, vt ex veteribus Annalibus Me- CAPIVNT
tenſibus ac Fuldenſibus, necnon ex Annalibus Burgundicis [d] Guillelmi LVGDVNVM,
Paradini & ex Hiſtoria Lugdunenſi [e] Claudij Rubyi liquet. Eccleſiæ [d] Lib. 1.
Lugdunenſi tunc præerat Fulcoaldus Epiſcopus, cuius iam meminimus ad [e] Lib. 3. c. 15.
annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-tertium, eíque poſt aliquot
annos mortuo ſucceſſor non eſt datus, vt fuſiùs ad annum Chriſti ſeptin-
genteſimum vndequadrageſimum probabimus. Monaſterium Inſulæ Bar- INSVLAM
baræ illis quoque temporibus à Saracenis dirutum deflet Claudius *le La-* BARBARAM
boureur in libro [f] de Ruderibus iſtius Cœnobij. Ad eandem Arabum ir- [f] Cap. 9.
ruptionem referri debet Martyrium Sancti Porcarij, qui colitur apud Mon-
tem Verdunum in Diœceſi Lugdunenſi decimo-quinto Kalendas Septem-
bris. In Supplemento Martyrologij Gallicani ad illum diem hæc legun-
tur. *Apud Montem Verdunum in Foreſio * prope Lugdunum, Paſſio Sancti Por-* * *Mont-*
carij Abbatis Lerinenſis & ſociorum, quorum Natalis celebratur apud Lerinum die *Verdun en*
duodecimâ huius menſis. In noſtras manus ante aliquot annos quædam ve- *Forés.*
nerunt monumenta, quæ pertinent ad Hiſtoriam Foreſij, cellectáque ſunt MONTEM
à Ioanne Maria *de la Mure.* In his vita Martyriúmque Sancti Porcarij ſic VERDV-
enarrantur. *Sanctus Porcharius Monachus, Paſtor, & Abbas fuit quingentorum* NVM,
Monachorum in Inſula Lirinenſi, virtutibus præclarus & pollens meritis. Illo tem-
pore paganorum exercitus Gallias atrociter inuaſit, & Chriſtianorum ſtrages pluri-
mas fecit. Et antequàm dictorum paganorum claſſis illo aduentaret in loco, vbi Sanc-
tus Porcharius erat, eidem oranti Angelus Domini apparuit, & ei tempus & diem
prædixit, ac horam eorum exitûs omnibus imminentem, die videlicet ſeptimâ ſe-
quenti. Facto itaque mane Porcharius conuocans fratres, eis cuncta quæ viderat
& audierat, retulit, & quidam non credentes, quidam pauentes, vniuerſi tamen
turbati ſunt hoc audito periculo. His inter ſe variè diſceptantibus, inſtante vigiliâ
matutinâ, vident hoſtile agmen aduenire; Sancti verò Agoniſtæ properant ire obuiam
hoſtibus, omnes induti albis, tanquam agni immaculati Ieſu Chriſti. Venerunt au-
tem Miniſtri Satanæ, & coram beato Porchario, vt plùs doleret, Chriſti Athletas,
Sanctum Magnum, & alios, gladiis iugulauerunt, in quibus nullus auditus fuit
ſtrepitus, nec vox, nec gemitus. Sic ergo facti ſunt victores diaboli & Martyres
Chriſti, qui cum felici profectu vita de hac luce ad æterna præmia migrauerunt.
Peracto dicto ſcelere Sanctum Porcharium oculis orbauerunt. Sed hoc Sanctus Por-
charius ad munus gloriæ ſibi reputans, fortior factus eſt in Dei amore, diſponens ab
illa patria diſcedere, & ſecreta nemora adire, venítque ad locum, qui Mons Ver-
dunus dicitur in Forenſi patria Diœceſis Lugdunenſis, in ipsóque loco compoſuit
cellam docens verbo & exemplo Chriſticolas ad ſe venientes, ſed venerunt impiiſ-
ſimi pagani, & ad cellam eius intrantes in Dei virum ſæuiunt, & lanceâ gut-
tur eius transfodiunt, qui Dominum inuocans & ſignaculo Crucis ſe muniens ſanc-
tum emiſit ſpiritum, ibíque ſepultus fuit, cuius interceſſione diuina Maieſtas ibi
multa operatur miracula. In hoc textu multa ſunt, quæ ſpectant ad Porca-
rium Abbatem Lerinenſem, de cuius Martyrio Tomo proximo acturi ſu-
mus. Duos igitur diſtingue Porcarios Martyres, vnum, qui necatus eſt à
Saracenis apud Montem Verdunum hoc anno, cùm Diœceſim Lugdunen-
ſem igni ferróque deuaſtarent; alterum, qui poſt annos ſeptem apud Le-

Digitized by Google

AN. CH. rinum Inſulam peremptus eſt ab iiſdem Chriſtiani nominis hoſtibus, cùm
732. maritimam Galliarum oram à Rhodano ad Varum popularentur. Hæc
THEODOR. IV. R. 12. diſtinctio clarior fiet ex iis, quæ de Porcario Abbate Lerinenſi ac Martyre ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndequadrageſimum dicemus. Apud Montem Verdunum cum Sancto Porcario, de quo nunc agimus, colitur & Sanctus Magnus, ibíque cuſtodiuntur vtriuſque Reliquiæ, ac communis vtrique recitatur Oratio, vt hæc docent verba. *Intercedentibus beatis Marty-*
* S. Grand. *ribus tuis Megno * & Porchario **. Magnum in hac Oratione Porchario præpo-
* S. Procaire. ſitum volunt, quia prior Martyrium conſummauit. Eccleſiæ Montis-Verduni patronus eſt hodie Sanctus Porcharius, olim patronus erat Princeps Apoſtolorum vt Eccleſiæ Lerinenſi, nec hanc obſeruationem, quamuis parum conducere videatur, omittunt incolæ Montis-Verduni, vt hodiernum Eccleſiæ ſuæ Patronum Abbatem olim Lerinenſem fuiſſe confirment. Eadem Sancti Porcharij apud Montem-Verdunum Eccleſia titulo Prioratûs hodie decoratur, pendétque à Caſa Dei celeberrimo Diœceſis Claromontenſis in Aruernia Monaſterio.

XXXI. Matiſco, vrbs dextræ Araris ripæ impoſita, Saracenis in prædam quoque venit. Cladis Matiſconenſis mentionem fecerunt Guillelmus Paradi-
[a] Lib. 1. nus in Annalibus [a] Burgundicis & Petrus à Sancto Iuliano in Antiquitati-
[b] Lib. 1. bus [b] Matiſconenſibus. De Epiſcopo, qui Matiſconenſem Diœceſim tunc
MATISCONEM, adminiſtrabat, non adeò facile eſt coniectare, nam manci per hæc tempora videntur Epiſcoporum Matiſconenſium Catologi, quia poſt Adeodatum ſeu Deodatum, de cuius Pontificatu ad annos Chriſti, ſexcenteſimum triceſimum-primum, ſexcenteſimum quadrageſimum, & ſexcenteſimum quadrageſimum-quartum, Tomis ſuperioribus locuti ſumus, recenſetur Decius Secundus, tum Domnolus, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-tertio ſediſſe conſtat ex vetere charta, quam ſuo loco ad illum annum deſcribemus. Apud Seuertium Deodatus & Decius Epiſcopi ſeculum integrum complent. Si placet hæc Chronologia, mutili non ſunt Indices Epiſcoporum Matiſconenſium, & ineunte Domnoli Pontificatu ciuitas Matiſconenſis ab Arabibus occupari potuit. At Epiſcopatum integro ſeculo penes duos duntaxat Antiſtites fuiſſe vix nobis perſuademus, quia ſimile exemplum nondum occurrit.

XXXII. Cabilo dextræ quoque Araris ripæ adiacet, eandem cum Matiſcone
[c] Lib. 1. ſortem pertulit, vt Guillelmus Paradinus in Annalibus [c] Burgundicis &
CABILONEM, Petrus à Sancto Iuliano in Antiquitatibus Cabilonenſibus teſtantur. Nec Cabilonenſium numeroſior eſt quàm Matiſconenſium Epiſcoporum Catalogus, nam poſt Didonem, qui vitam anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-octauo clauſit, ad ætatem vſque Caroli Magni commemorantur, in hodiernis Nomenclaturis Epiſcoporum Cabilonenſium, Anteſtius tantùm & Amblacus, quorum etiam geſta perierunt obliuione conſepulta. Quapropter illorum Epiſcoporum Indices, vt hodie reperiuntur, cenſendi ſunt mutili, nec probè deſignari poteſt Epiſcopus qui Diœceſim Cabilonenſem regebat, cùm Saraceni Cabilonem in ſuam poteſtatem redegerunt.

XXXIII. Dubis * ſupra Cabilonem in ſiniſtram Araris ripam egeritur. Ad il-
* Le Doux. lum amnem ſita Metropolis Veſuntio, quæ deditionem Saracenis quoque fecit. Ad illam nos opinionem adducit Ioannes Iacobus Chiffletius, cùm
[d] In Veſont. part. 2. n. 36. de Sancto Gedeone Metropolita Veſontionenſi ſic ſcribit [d]. *Sanctus Gedeon*
VESONTIONEM, *homo mitiſſimus, & ad omnem modeſtiam compoſitus, ſummâ animi æquabilitate vidit ciuitatem à barbaris penè flammis abſumptam, adeóque afflictam rem Eccleſiaſticam, vt ex reditibus Eccleſiarum Sancti Ioannis & Sancti Pauli, vix tres miniſtri poſſent ſuſtentari. Eam ciuitati cladem facilè ſenſerim illatam à Saxonibus, qui anno 773 rebellarunt aduerſus Carolum Magnum in Deſiderio Longobardorum Rege debellando occupatum; & cum ingenti exercitu hac illac effuſi, permulta Regni Francici loca, & nominatim Chriſtianorum Eccleſias ferro flammâque*

Digitized by Google

vaſtarunt. Quod idem anno 778 *feciſſe leguntur, cùm Carolus Magnus in Hiſpania aduerſus Saracenos dimicaret. Baronius anno* 773*, num.* 13*; & 778, num.* 3*, & ſeqq.* Attentè legimus Baronium, nihil in eo reperimus, quod Chiffletio faueret. Baronius ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-tertium, numero decimo-tertio, cùm de Saxonibus verba facit, obſeruat eos per abſentiam Caroli, qui tunc in Italia verſabatur, in Francorum fines irrupiſſe, ac perueniſſe Friteſlariam, vbi Eccleſiam, quam Sanctus Bonifacius olim erexerat, igni concremare fruſtrà tentarunt. In eam rem citat vitam Caroli Magni per Monachum Egoliſmenſem deſcriptam, in qua hæc habetur narratio. *Dum pro defenſione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ* Carolus *ibi*, id eſt, in Italia, *intenderet, dimiſſâ marcâ, & contra Saxones nullâ fœderatione ſuſceptâ, ipſi Saxones cum magno exercitu exierunt ſuper confinia Francorum, perueniúntque* [1] *ad Caſtrum, quod dicitur Barinburg* [2]. *Confiniales verò hac de cauſa ſolliciti Caſtellum ingrediuntur & defendunt. Gens autem Saxonum cùm ſæuiret deforis, & incendio cuncta cremaret* [3] *venit* [4] *ad quamdam Baſilicam in loco, qui dicitur Friediſſar* [5] *quam ſanctæ memoriæ Bonifacius Martyr conſecrauerat, & per ſpiritum Prophetiæ prædixerat, quòd numquam incendio cremaretur. Et cœperunt Saxones cum nimia intentione aduersùs eamdem certare Baſilicam, quemadmodum eam quolibet ingenio cremare* [6] *potuiſſent. Dum hæc agerentur, apparuerunt quibuſdam Chriſtianis, qui erant in Caſtello, ſimiliter & quibuſdam paganis, qui in ipſo aderant exercitu, duo iuuenes in albis, qui ipſam Baſilicam ab igne protegebant, & propterea ibidem non potuerunt neque interiùs neque exteriùs ignem accendere, nec aliquod damnum inferre Baſilicæ, ſed nutu diuinæ Maieſtatis pauore perterriti, in fugam conuerſi ſunt, nemine perſequente. Inuentus eſt autem poſteà vnus ex iiſdem Saxonibus mortuus iuxta ipſam Baſilicam genibus curuis, acclinus* [7] *ſupra pedes, habens ignem & ligna in manibus, velut ore flando eamdem Baſilicam igni tradere voluiſſet.* Eadem prorſus leguntur in veteribus Annalibus editis ab Andrea Ducheſnio [a], quibus olim vſus Regino; in vita Caroli Magni, quam incertus Auctor ex iiſdem Annalibus collegit; in Chronico Reginonis; & in Annalibus Bertinianis ac Metenſibus. At in Annalibus Eginhardi [b] breuiùs in hunc modum contrahuntur. *Dum hæc in Italia geruntur, Saxones, velut opportunam, de abſentia Regis, nacti occaſionem, contiguos ſibi Haſſorum terminos ferro & igne populantur. Cúmque in eo loco, qui nunc Frideſlar ab incolis nominatur, Baſilicam à Beato Bonifacio Martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere caſſo labore conarentur, immiſſo ſibi diuinitus pauore ſubitaneo, turpi trepidatione confuſi, domum fugiendo reuertuntur.* A finibus Francorum & Saxonum, vbi Caſtrum *Barinburg*, ſeu *Bariaburg*, & ab Haſſia, vbi Friteſlaria, vulgò *Friediſſar*, ſeu *Friediſlar*, aut *Frideſlar*, vel *Fridſlar*, abeſt longiſſimè Veſontio, nec hanc ciuitatem tunc in Saxonum poteſtatem veniſſe quis vnquam credet, cùm iidem Saxones ad Rhenum ne quidem acceſſerint. Baronius ad annum Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-octauum, numeris tertio & ſequentibus, vbi de Saxonibus diſſerit, ait eos ad Rhenum vſque penetraſſe, iuſtóque Dei iudicio acerrimè punitos fuiſſe, quòd Eccleſiam Sancti Suiberti & oppidum Werdam igni combuſſiſſent. Totam narrationis ſeriem deſumit ex literis Sancti Ludgeri ad Rixfridum Traiectenſem Epiſcopum, quas à Surio [c] in Appendice ad Sancti Suiberti vitam editas plerique ſuppoſititias iam cenſuerunt. De illarum auctoritate, vel de veritate rei quam exponunt, hoc loco non diſputabimus. Vnum enim impræſentiarum nobis inquirendum, an ex epiſtola, quam Baronius allegauit, Chiffletius aut quis alius affirmare poſſit Saxones Veſontione potitos eſſe. Quod certè nemo colliget ex Saxonum aduentu vſque ad Rhenum, & ex vaſtatione Monaſterij Werdenſis ſeu Suibertini, quod in Inſula Rhenana ſitum erat infra Coloniam Agrippinam. Textus apud Surium & Baronium talis eſt. *Ferociſſimi & perfidi Saxones & Weſtphali, excitati ſpiritu ſatanæ,*

1 Editio Ducheſn. *peruenerúntque.*
2 *Buriaburg.*
3 *cremarent.*
4 *venerunt.*
5 *Friediſlar.*
6 *Igne cremare.*
7 *Adclinus.*

[a] Tom. 2. Col. Hiſt. Franc. pag. 24.
[b] Ad an. 774.
[c] D. 1. Mart.

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

& inebriati calice Babylonis, cùm præfatus Carolus Rex eſſet cum toto ſuo exercitu in Hiſpania putantes & videntes ſe habere aptum tempus vlciſcendi damna, à Carolo & Chriſtianis ipſis ſæpè illata, conglomerati in inuicem præceptis Satraparum ipſorum venerunt cum validiſſimis & grandibus agminibus ſtrenuorum & ferocium armigerorum, depopulantes longè latéque crudeli ferro & edaci flammâ cuncta, quæ erant Chriſtianorum. Venerúntque vſque ad littora Rheni. Et in tantùm ſæuiit ira & crudelitas ipſorum, vt nullatenus parcerent, nec Eccleſiis Dei, nec ſexui, nec ætati hominum, quin omnia conſumerent ac demolirentur vſque ad internecionem. Sed anno ſequenti maxima vindicta ſubſequuta fuit, & denuò ad fidem reuocati triumphali gladio Sereniſſimi Francorum Regis Caroli, propugnatoris fidei Chriſtianæ, fuere. Quâ horridâ clade ſæuiente, prædictæ ferociſſimæ gentes Saxonum & Weſtphalorum ad Eccleſiam Sancti Swiberti & ad oppidum Werdam ferocitatis ſuæ direxerunt greſſum. Quod oppidum liuore magno, feroci igne & ferro, ſolo tenus deſtruxerunt. Eâdem tempeſtate, Eccleſia cum conuentu Sancti Swiberti concremata fuit, Sacerdotes verò aut trucidati aut effugati, incolæ vtriuſque ſexûs omnes ferè occiſi, libri ſacri exuſti, vicúſque ferè in ſolitudinem redactus eſt, dempto ſacro corpore Sancti Swiberti, ſagaciter ſubtus terram depoſito & depreſſo, quod licèt induſtriè per totum conuentum quæſierint, minimè tamen inuenire potuerunt. Et licèt eſſent Chriſtiani vi adacti; & hæc crudelia peragerent, oderant tamen ſanctum Swibertum, eò quòd pridem Chriſtianis Francigenis præſtitiſſet victoriam contra eos, &, vt arbitrabantur, inimicus ipſorum eſſet, & defenſor exercitûs Chriſtianorum. Erat autem in flagitioſo exercitu quidam ſatelles diaboli, nomine Ogellus Oeſterbach de Paderborne, qui, in eadem ſæua depopulatione oppidi de Werda, infinita flagitia commiſerat, gaudens in rebus peſſimis. Is totâ vi conatus inflammare Sancti Swiberti Eccleſiam, ignem primus copioſum ad faſtigium iactauit Eccleſiæ. Sed protinus ignis ſæpè repulſus & emortuus, extinctus & diminutus fuit, vim enim virtutis ſuæ meritis Sancti Swiberti primò oblitus eſt ignis. At ille obſtinatus in malitia, licèt hæc cerneret, & nullo modo deſiſtere dignaretur, tandem permiſſione diuinâ eam incendit, & lætus abiuit. Igitur cùm hæc effera & bellicoſiſſima gens Saxonum, infinita abominabilia vbique in Chriſtianos graſſando ad libitum peregiſſet, diuiſiſque inter eos lætarentur rapinis ac ſpoliis, ſediſſéntque in ſuburbanis & vicinis pratis virentibus oppidi Werdenſis, ouantes & gratulantes de cædibus & oppreſſionibus Chriſticolarum, ecce venit ſceleratiſſimus & ſacrilegus Ogellus ad commilitones & conterraneos ſuos, in eodem prato prandentes, cachinnando recitans, vt ipſe Eccleſiam Sancti Swiberti protectoris Francorum incenderit, quamuis commodè eam aliquandiu incendere nullatenus potuiſſet. Statímque Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt ſplendor Sanctorum ſuorum, volens ſacrilegis Saxonibus palàm oſtendere, cuius meriti Sanctus Swibertus nobilis Pontifex apud ipſum eſſet in Regno cælorum, illum nefandum Ogellum miſerabiliter puniuit, vt alij terrerentur, & à talibus deſiſterent. Nam cùm pernicioſus Ogellus hæc prædicta mala, per ipſum perpetrata, coram prandentibus ſociis & complicibus ſuis cachinnando, imò Deum blaſphemando recitaret, ſtatim ira Dei aſcendit ſuper ipſum, cadénſque retrorſum coram omnibus ſuper planam terram, fracto collo, dignas temeritatis ac ſacrilegij pœnas debitas horribili morte luit. Quod alij ſacrilegi videntes & audientes, exterriti valdè, compuncti pœnitentiâ ſalutari, quidam ipſorum iram Dei mitigauerunt. Nec hoc ſufficiebat Deo ad laudem Sancti Swiberti, quin etiam illuſtriùs honorare voluit Sanctum ſuum coram omni exercitu Saxonum & Weſtphalorum. Nam cùm ſacrilegus Ogellus mortuus, coopertus velamine, ſic per tres ferè horas iacuiſſet, & ſigno dato iuberentur vbique per totum exercitum caſtra metari in alio loco, ſtatim conuenerunt conſanguinei & ſocij malitiæ nefandi Ogelli, eúmque ſepelire in cœmeterio Eccleſiæ Sancti Swiberti decreuerunt, ſed nullo modo valebant. Namque cùm indigeſtam terram effoderent, conantes facere ſepulchrum in præfato ſancto cœmeterio, in quo ipſum condendo ſepelirent, ſtatim digeſta terra per ſe defluxit in eandem foueam, ac ſi non fuiſſet ſulcata, de quo omnes mirabantur. Cúmque iterum atque iterum fodiendo tentaſſent, & multùm laboris inſumpſiſſent, vt facerent ſepulchrum,

ſepulchrum, licèt in aliis locis eiuſdem cœmeterij, & ſemper terra per ſe omnibus ſtupentibus ſubitò decidiſſet in eandem foueam, permanens & apparens plana terra vt antè, deſiſtebant à fodiendo ſepulchro in eodem ſacro cœmeterio, & exterriti dicebant ad alterutrum, ipſum indignum Eccleſiaſticâ ſepulturâ, & præſertim ſepulturâ illius cœmeterij, eò quòd Eccleſiam illam & cœmeterium cremando prophanaſſet. Et ſic multùm attoniti recedentes, cùm veniſſent ad cadauer mortuum, & abiecto velamine denudaſſent faciem eius, ecce tam horribilis & miſerabilis apparuit facies eius, quòd omnes in terrorem & formidinem vertit, itaut omnes trementes, ſtupidi & pauidi, citò recederent ab eo ignorantes quidnam cum corpore facerent. Sed inſtanti receſſûs tempore, quidam alij ſatellites ex alia prouincia Saxonica, prædicta audientes, & ipſum mortuum inuenientes, proiecerunt indignanter cadauer in Rhenum, vt eſſet pabulum piſcium, & ſic malus malè periit. Itaque cùm ex præcepto Satraparum per totum facinoroſum exercitum ſigno dato iuberentur caſtra mouere, domúmque diſcedere, ecce dolenter nunciatum fuit à contribulibus & complicibus malitiæ & commiſſi ſacrilegij, duobus præcipuis Satrapis Nothelino & Occoni, ſtrenuum Ogellum de Paderborne, qui primus Eccleſiam Sancti Swiberti incenderat, ex vindicta Dei, & Sancti Swiberti, patroni illius loci, plagatum & punitum eſſe, fregiſſéque collum ſuum ſuper planam terram, cùm iocando dictitaret, quòd illud facinus ſacrilegum commiſiſſet. Quod illi audientes, indignati dicebant, hoc caſu accidiſſe, & non ex vindicta alicuius Sancti & præcipuè Sancti Swiberti, quòd Sanctus Swibertus eſſet impotens, & nullius virtutis ac poteſtatis, qui nequiuiſſet ſuum oppidum ſuámque Eccleſiam tueri. Cúmque hac & huiuſcemodi multa alia verba blaſphemiæ ſuperbè & indignanter protuliſſent, non dantes gloriam Deo & Sancto eius, ſimul atque receſſiſſent illi duo Satrapæ ab inuicem, Nothelinus in via glorians de victoria habita contra Chriſtianos, priuatur coram omnibus lumine oculorum, factus totus cæcus, atque in cunctis membris ſuis grauiorem morte pœnam tamdiu ſuſtinuit, donec rubore coopertus, & in ſe reuerſus, ac ſe colligens, quanta in Deum & in Sanctum Swibertum ſuperbè commiſerat, medullitus ſuſpirando agnouit & doluit. Itaque creſcente, per momenta temporum, dolore corporis, conſilio proborum, flexis genibus humiliter Deo vouit, deuotè viſitare ſepulchrum Sancti Swiberti, & Eccleſiam eius in fauillas redactam, iuxta facultatem ſuam reſtaurare, modò interceſſionibus ipſius à Deo recuperaret priſtinum viſum & ſanitatem corporis. Quo voto coram multis dolenter & deuotè facto, protinus dolor viſcerum ceſſauit, viſus rediit, & ipſe ſurgens, lachrymabili voce Deum deuotiſſimè laudans, cunctis aperuit, vt meritis Sancti Swiberti liberatus ſit, & Werdam vſque properans, votum cum multa familia deuotè adimpleuit. Alter verò Satrapa, Occo nomine, opimis ditatus ſpoliis; cùm equeſter cum ſuis vernaculis rediret à Werda, ignorans vt Nothelinus à Deo punitus eſſet, recitarétque in via, quàm benè vindicaſſent Saxones contra Chriſtianos contumelias & oppreſſiones, ipſis à Carolo pridem illatas, & vt humana pariter & diuina in finibus Chriſtianorum perturbaſſent, & præſertim vt Eccleſiam Pontificis Swiberti, in quo Chriſtiani multùm confidebant, incendiſſent, mox coram omnibus mulctatus à Deo, auditu caruit & loquelâ, rediénſque domum mœſtus & dolens, manſit longo tempore ſurdus & mutus. Qui ſimiliter in ſe reuerſus, erubeſcens ingemuit valdè, perpendens quòd Deus vindicat blaſphemias Sanctis ſuis illatas. Salutari igitur pœnitentiâ ductus, dolens toto corde de commiſſis in Deum & in ſeruum eius Swibertum, eleemoſynis & precibus ſperabat à Deo recuperare priorem ſanitatem, ſed nihil proficiebat, & nihil obtinuit. Cùm verò didiciſſet, qualiter Nothelinus Satrapa cæcitate percuſſus, meritis Sancti Swiberti liberatus fuit, ſpem magnam concipiens in ſanctum Swibertum, ſimiliter vouit peregrè viſitare ipſum Swibertum in Werda, & ſeruituti eius ſe mancipare, modò priſtinæ, meritis ipſius Sancti, reſtitui poſſet ſoſpitati. Eâdem horâ ſanatus à cæleſti medico, diſpoſitâ domo ſuâ, publicè accedens cum ſolemni familia ad Eccleſiam Sancti Swiberti in Werda, votum impleuit reuerenter & deuotè, redire quoque domum ſpernens, ſumptibus ſuis & præfati Satrapæ Nothelini, aliorúmque multorum deuotorum hominum, eandem exuſtam Eccleſiam anno ſequenti eleganter

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

reſtaurauit, & dignitati ſui Satrapatûs renuncians, in Werda apud Sanctum Swibertum conſenuit, ſeruiens feruenter Deo & Sancto Swiberto omnibus diebus vitæ ſuæ. Plura ex Surio non deſcripſit Baronius. An ex iſtis affirmare quis audeat Saxones cis Rhenum veniſſe, penetraſſe in Celticam, Veſontionem expugnaſſe? Eratne Veſontio *in finibus Chriſtianorum*, quos perturbarunt Saxones, aut in vicinia *Werdæ* quam diripuerunt? Fruſtrà igitur ex Saxonum irruptionibus in fines Francorum, quas Baronius ad annos Chriſti ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-tertium & ſeptingenteſimum ſeptuageſimum-octauum commemorauit, Chiffletius in illa tempora contendit incidiſſe cladem Veſontionenſem, quâ ciuitas penè flammis abſumpta eſt adeóque afflicta res Eccleſiaſtica, *vt ex reditibus Eccleſiarum Sancti Ioannis & Sancti Pauli, vix tres miniſtri poſſent ſuſtentari.* Gedeon Veſontionenſis Metropolites, qui ſub Carolo Magno floruit, Metropolim incendio penè conſumptam factámque bonorum Eccleſiaſticorum direptionem *ſummâ animi æquabilitate* potuit videre, maximam quoque laudem ob hanc animi æquabilitatem promeriturus. At illa damna non illata ſunt, eo Pontifice. Citiùs inflicta calamitas, cuius detrimenta vt anteceſſores ſic & ipſe ſenſit, quoniam commoda, quibus reſarcirentur, nondum ſuppetebant. Gedeon Herueo in Epiſcopatum Veſontionenſem ſucceſſit, Herueum anteceſſit Aurulcus, de quo iam locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimnm viceſimum-tertium [a]. Sedente hoc apud Veſontionem Epiſcopo, Saraceni varias ciuitates ad Rhodanum & Ararim, putà Auenionem, Viuarium, Valentiam, Lugdunum, Matiſconem & Cabilonem, de quibus ſuprà, ſubiugarunt. Tum pars eorum Belnam, pars altera Veſontionem videtur contendiſſe, nec præter cladem Veſontioni tunc illatam alia inueſtiganda, cuius non memoria tantùm ſed & imago, temporibus Gedeonis Epiſcopi, ciuibus præſentiſſima fuerit. Arabum irruptioni quot annos ſuperſtes vixerit Aurulcus, nos latet. Herueus ex eadem familia proximè ſucceſſit, &, vt Chiffletius [b] teſtatur, *poſtquàm Epiſcopali officio aliquandiu magnâ laude perfunctus eſt, mortem, quæ horrori eſſe ſolet, ingenti lætitiâ (qui fructus eſt piè actæ vitæ) excepit.* Huic ſubrogatus eſt Gedeon, cùm luctuoſa ciuitatis facies adhuc eſſet, & Eccleſiarum miniſtri magnâ penuriâ laborarent. Tomo ſequenti, plura de eodem Gedeone.

[a] Num. 49.

[b] In Veſont. part. 2. n. 35.

XXXIV. LVXOVIVM.

In Epiſcopatu Veſontionenſi florebat Luxouium, inſigne Monaſterium, quod maximam quoque deſolationem à Saracenis paſſum legimus. Cladem illam circa hunc annum contigiſſe ſcribit Haeftenus Catalogo Luxouienſium Abbatum ſic allegato. *Poſt hunc*, id eſt, poſt Walbertum Luxouienſis Cœnobij tertium Abbatem, *fuerunt quamplurimi Abbates, qui ſtatum Laudis Perpetuæ ſeruauerunt, videlicet Wandalogus, Berthoardus, Ingofredus, Cunctanus, Reſticus, Seifarius, Addonus, Arulfus, Rendinus, Regnebertus, Gerardus, Ratto, Villincranus, Mellinus. Tempore iſtius venerunt Wandali, & Hungari, & interfecerunt fratres conuentûs, & Abbatem. Et ceſſauit Laus Perpetua, nec Abbas fuit per quindecim annos.* Actum de quamplurimis illorum Abbatum; actum de Walberto eiúſque ſucceſſoribus vſque ad Addonum; actum de Wandalogo ſeu Windologo vel Wandologio, de Berthoardo ſeu Bertoaldo vel Dectohaldo, de Ingofredo, de Cunctano ſeu Cunctono, de Reſtico ſeu Ruſtico, de Seifario ſeu Sayfario, de Addono ſiue Adono. Hæc nominum diſcrepantia colligitur è Catalogo præcitato & ex alio quem Petrus Franciſcus Chiffletiùs Sammarthanis communicauit. Addonum ſiue Adonum ſecuti ſunt, Arulfus, Rendinus ſeu Lendinus, Regnebertus ſeu Ragnebertus, Gerardus, Ratto, Villincranus ſeu Wikeranus, Mellinus ſeu Miletus. Hic vnà cum copioſo Monachorum numero peremptus eſt à Saracenis, quos Auctor Catalogi ab Haefteno laudati Wandalos & Hungaros appellauit. Vtriuſque nominis par ratio. Vt enim Wandalos ſic & Hungaros pro quibuslibet Chriſtianæ Religionis hoſtibus vſurparunt Gallicani

Scriptores, qui calamo manum poſt vaſtatas ab Hungaris Gallias admoue- AN. CH.
runt. De Hungarorum irruptione in Diœceſim Veſontionenſem, vbi Lu- 732.
trenſe * Monaſterium diripuerunt [a], agemus decimo ſeculo. Mellino THEO-
ſeu Melito Luxouienſi Abbate compluribúſque Monachis illius loci gladio DOR. IV.
Saracenorum trucidatis, ceſſauit ibi *laus perennis* ſeu *perpetua pſalmodia*. Plu- R. 12.
ribus in locis perpetua hæc pſalmodia inſtituta, itaut nulla hora nocturna * *Lure.*
vel diurna à Dei laudibus vacua præteriret. De Luxouio locuples teſtis [a] Acta S. Dei-
eſt Sanctus Bernardus [b]. *Ad has*, inquit, *Gallicanas partes Sanctus Columba-* coli Abb. ap.
nus aſcendens, Luxouienſe conſtruxit Monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Bolland. d.
Aiunt tam magnam fuiſſe, vt, ſuccedentibus ſibi viciſſim choris continuarentur ſo- 18. Ian.
lemnia diuinorum, itaut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. [b] In vit. S.
Diu viguit apud Luxouium laus perennis ad hunc vſque annum, quo Sa- Malachiæ.
raceni maximam Burgundiæ deſolationem intulerunt. Occiſo cum pleriſ- c. 6.
que Monachis Abbate fugati ſunt diſperſíque ceteri Luxouienſes Aſcetæ,
caruerúntque deinceps Abbate *per quindecim annos*, donec electus eſt Tru-
doaldus, vt Tomo ſequenti dicturi ſumus.

XXXV. BELNAM.

Belna, oppidum Diœceſeos Auguſtodunenſis, medio fermè itinere Ca-
bilonem inter ac Diuionem, vim Saracenorum repellere non potuit. A
Catello in Hiſtoria [c] Linguodochiana numeratur inter vrbes Burgundiæ, [c] Lib. 5.
quæ captæ ſunt ab Arabibus. Auguſtodunenſis Epiſcopus erat Amator,
quantùm colligere poſſumus ex iis, quæ de Præſulibus Auguſtodunenſibus
ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-tertium [d] dicta ſunt. [d] Num. 41.

XXXVI. DIVIONEM.

Diuio, vrbs ad Oſcarum in Epiſcopatu Lingonenſi, occupata quoque fuit
à Saracenis, vt Paradinus in Annalibus [e] Burgundicis & Catellus in Hiſ- [e] Lib 1.
toria Occitana teſtantur. In Cathedra Lingonenſi ſedebat Vandrarius
Epiſcopus, Aſtorici, de quo non ſemel locuti ſumus, proximus ſucceſſor,
deceſſórque Herulfi, qui ſub Pippino & Carolo Magno Regibus floruit.
Monaſterium verò San-Benignianum regebat Abbas Goinus, de quo ſermo
poſt biennium ad annum Theodorici Regis decimum-quartum recurret.

XXXVII. AVTISSIODORVM.

Autiſſiodorum, vrbs Epiſcopalis ad Icaunam, eandem calamitatem ſen-
ſit, vt iidem Auctores, Paradinus & Catellus, affirmant. Epiſcopatum
Autiſſiodorenſem gerebat Clemens, de cuius obitu poſt biennium verba
faciemus.

XXXVIII. OBSIDENT SENONAS. VINCVNTVR À FRANCIS. AMITTVNT AVTISSIODORVM.

Senonæ ad eundem Icaunam à Saracenis obſeſſæ ſed non expugnatæ.
Id ſuprà probatum ex Aimoini Continuatore & ex Clarij Chronico. Ebbo
Senonenſis Metropolitanus obicem ſe barbaris oppoſuit, & Senonas incur-
ſionis Arabicæ metas fixit. *Aduocato* enim *priùs diuino auxilio*, vt Tauellus
teſtatur, *ſuos adhortatus repentinâ factâ irruptione, non contemnendâ manu cæſâ,*
*eos fugauit, vſque ad Seigneleyum * vicum eos inſecutus.* Autiſſiodorum quod in * *Segneley.*
vicinia erat, à Chriſtianis mox recuperatum putamus. Quid ſecutum ſit,
anno ſequenti dicemus. Interim de rebus Burgundicis, antequàm ad Aqui-
tanicas tranſeamus, duas obſeruationes accipe.

XXXIX.

Primò, quæcumque ad hunc annum à nobis de Lugduno, Matiſcone,
Cabilone, Belna, Diuione & Autiſſiodoro dicta ſunt, confirmantur ab an-
tiquis Auctoribus, ſiue Saracenos Lugduno Senonas vſque cum exercitu pro-
fectos affirmant, ſiue Burgundiam vel ab Arabibus occupatam vel anno ſe-
quenti à Carolo recuperatam ſcribunt. In horum Auctorum numero ſunt
Ado & Annaliſtæ Metenſis ac Fuldenſis. Ado enim in ſuo Chronico ſic ha-
bet. *Sarraceni penè totam Aquitaniam vaſtantes, & latè alias prouincias igne fer-*
róque ſuperantes, Burgundiam diriſſimâ infeſtatione deprædantur, penè omnia flam-
mis exurentes, Monaſteria quoque ac loca ſacra fœdantes, innumerum populum abi-
gunt, atque in Hiſpanias tranſponunt. Annaliſta Metenſis ad annum poſt Ab-
diramæ necem proximum, ſic [f]. *Karolus Princeps Regnum Burgundiæ cum va-* [f] Ad an. 733.
lida manu penetrauit. Et Fuldenſis, ſic [g]. *Carlus Burgundiam petens, Lugdu-* [g] Ad an. 737.
num & ciuitates reliquas ſuæ ditioni ſubegit.

Digitized by Google

AN.CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

XL. Secundò , quos antiqui Chronographi Saracenos , Arabes , Mauros ac Mahumetanos , Aimoini Continuator & Clarius Wandalos , hos plerique Neotericorum quos citauimus , necnon Sauſſaius in elogio Sancti Ebbonis Senonenſis Epiſcopi , Wiſigothos appellarunt , aut ſi Wiſigothos à Saracenis diſtinxerunt , vtroſque ſimul in Franciam ingreſſos dixerunt aſſerueruntque Wiſigothos Arianæ ſectæ, Mahumetanæ Saracenos addictos fuiſſe. Sed longè aliter de Wiſigothis ſentiendum. Hi , priuſquàm Arabes ex Africa in Hiſpaniam transfretarent , latè dominabantur per vniuerſam Hiſpaniam pérque Septimaniam quæ Galliarum pars erat, & à longo tempore cum Recaredo Rege nuncium Arianæ hæreſi remiſerant , omnem autem gloriam penitus amiſerunt Hiſpaniâ & Septimaniâ ſub iugum Saracenorum miſſis. Quapropter Abdirama , qui iuſſu Iſcami Caliphæ Francos adortus eſt, licèt milites ad inuadendam Franciam in Hiſpania Septimaniáque conſcripſerit , ſolorum Arabum ſeu Saracenorum Præfectus dici cenſeríque debet , nec , vbi Saracenicæ ſiue Arabicæ per Burgundiam incurſionis narratio texitur, vllam oportet Wiſigothicæ gentis mentionem fieri.

XLI. Abdirama profligatis prope Arelatum Francis , vt dictum ſuprà , mox ad læuam conuerſus , præcipuam belli molem trans Garumnam in Nouempopulaniam ſeu Vaſconiam tranſportauit , Burdigalam nobiliſſimam Aquitaniæ ciuitatem ſiniſtræ illius amnis ripæ impoſitam cepit, deinde Garumnam & Dorodoniam tranſgreſſus pugnam cum Eudone Vaſconiæ & Aquitaniæ Præfecto iniit feliciſſimo ſucceſſu , eâque victoriâ plurimùm elatus Pictauium vſque profectus eſt , ſed cùm vicinam Turoniam ferro flammíſque ſe quamprimùm vaſtaturum minaretur , debellatus eſt à Carolo & Eudone, quos præſentiſſimum periculum coegit in fœdus & amicitiam coire.

XLII. Hoc igitur anno , Franci non tantùm prope Senonas , vt ſuprà probauimus , ſed & in agro Pictauienſi victoriam inſignem de Saracenis menſe Octobri , die Sabbati reportarunt. Annum notant Auctores Annalium Nazarianorum , Petauianorum, & Tilianorum , necnon Chronici San-Dionyſiani. Nullum Characterem Chronologicum præter annum habent Annales Tiliani, quorum textus hic eſt. DCCXXXII. *Karolus habuit bellum contra Sarecinos.* Menſem notat Auctor Chronici Sandionyſiani , ſic. DCCXXXII. *Karlus bellum habuit contra Saracinos in menſe Octobri.* Diem addunt *in menſe* Annales Petauiani , ſic. DCCXXXII. *Karolus habuit bellum contra Saracenos Octobri, die Sabbato.* Menſis in Annalibus Nazarianis deſideratur, ſed in iis præter annum ac diem deſignatur locus, ſic. DCCXXXII. *Karlus pugnauit contra Sarcinos die Sabbato ad Pectauis.*

XLIII. Anonymus, qui Chronicon Fontanellenſe ſub Ludouico Pio Auguſto conſcripſit, hoc eodem anno bellum illud Saracenicum ſic refert [a]. *Huius*, nempe Landonis Abbatis Fontanellenſis, *anno ſecundo , id eſt, Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo trigeſimo-ſecundo , Eudo Dux Aquitanorum cernens ſe ſuperatum , & ad defendendam patriam ſuam contra Carolum ſe viribus eſſe deſtitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum ſibi inuitat, qui cum Rege ſuo, Abdirama nomine , Garomnam fluuium tranſeunt , Burdegalim vrbem peruenerunt, ibíque Eccleſiis Dei igne concrematis , pluribúſque Chriſtianis interfectis vſque ad Pictauem vrbem Baſilicámque Sancti Hilarij igne concremarunt , & ad beatiſſimi Martini Eccleſiam ſubuertendam ſummo conamine proficiſci contendunt. Contra quos Carolus Princeps iuxta vrbem Pictauem aciem conſtruxit, & ſuper eos, inuocato Chriſti auxilio , intrepidus irruit , & eos cum Rege eorum vſque ad internecionem deleuit, acceptíſque ſpoliis eorum, nomen Domini glorificans, totâ iam Aquitaniâ ſubactâ, cum triumpho ad propria reuertitur.*

[a] Cap. 9.

XLIV. Chronographum Fontanellenſem penè ad verbum Annaliſta Metenſis ita tranſcripſit. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCXXXII. *Eodo Dux cernens ſe eſſe ſuperatum, & ad defendendam patriam ſuam contra Karolum ſe viribus deſtitutum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxiliandum ſibi inuitat. Qui cum Re-*

Digitized by Google

ge ſuo, Abdirama nomine, Garonnam fluuium tranſeunt, & Burdigalam vrbem peruenerunt. Ibique Eccleſiis Dei igne concrematis, plurimíſque Chriſtianis interfectis, ad beatiſſimi Martini Eccleſiam ſubuertendam ſummo conamine proficiſci contendunt. Contra quos Karolus Princeps iuxta vrbem Pictauam aciem inſtruxit, & ſuper eos inuocato Chriſti auxilio intrepidus irruit, & eos cum Rege eorum vſque ad internecionem deleuit, acceptíſque ſpoliis eorum, nomen Domini glorificans, totâ iam Aquitaniâ ſubactâ, ad propria reuertitur. AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

Annaliſta Fuldenſis, qui vaſtationem anno priori à Carolo bis Aquitaniæ illatam anteuertit integro ſeptennio, bellum Saracenicum, quod vnanimi conſenſu præcitati Scriptores hoc anno geſtum affirmant, annis Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto & ſeptingenteſimo viceſimo-ſexto ſic conſignauit. DCCXXV. *Sarraceni ab Eudone in auxilium ſuum vocati cum Rege ſuo Abdirama, Garonnam Burdigalémque perueniunt; cunctis locis vaſtatis, & Eccleſiis igne crematis, Baſilicam quoque Sancti Hylarij Pictauis incendunt.* DCCXXVI. *Carlus Sarracenis cum manu valida occurrens, & auxilio Dei fretus, Regem eorum cum infinita multitudine proſtrauit, deuictíſque hoſtibus cum triumpho regreditur.* Quod ille ad biennium prorogat, vno eodémque anno confectum arbitrare, anno videlicet Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, nec fidem habe Neotericis, qui duo diſtinctiſſima contra Saracenos bella ſimul confundunt, vnum quod Eudoni glorioſiſſimè ceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto, alterum, quod in annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſecundum incidit, & initio valdè infauſtum prædicto Eudoni fuit, poſteà non eidem tantùm Eudoni ſed etiam Carolo feliciſſimum. XLV.

Error Annaliſtæ Fuldenſis ex eo potiſſimùm profectus videtur, quòd in Hiſtoria [a] Francorum, quam Childebrandus Comes conſcribendam curauit, à bello Boioarico, quod à Carolo geſtum eſt eodem anno, quo Dux Eudo de Saracenis triumphauit, nihil ad vaſtationem vſque Aquitaniæ per Carolum factam legitur, eíque bellum alterum Saracenicum, cui non Eudo tantùm ſed & Carolus cum copiis auxiliaribus interfuit, proximè ſic ſubiicitur. *Carolus Princeps Danubium peraccеſſit, illóque tranſmeato fines Baiorenſes occupauit, ſubactáque regione illâ, theſauris multis, cum matrona quadam Bilitrude, & nepte ſua Sonichilde, egreditur. Per idem tempus, Eudone Duce à iure fœderis recedente, eóque comperto per internuntios, Carolus Princeps commoto exercitu Ligerem fluuium tranſiens, ipſo Duce Eudone fugato, prædâ multâ ſublatâ, bis eo anno ab his hoſtibus populatâ, iterum remeatur ad propria. Eudo namque Dux cernens ſe ſuperatum atque deriſum, gentem perfidam Sarracenorum ad auxilium contra Carolum Principem & gentem Francorum excitauit. Egreſſique cum Rege ſuo, Abdyrama nomine, Garumnam tranſeunt, Burdegalenſem vrbem peruenerunt. Eccleſiis igne concrematis, populis conſumptis vſque Pictauos progreſſus eſt, vbi Baſilicâ Sancti Hilarij igne crematâ (quod dici dolor eſt) ad domum beatiſſimi Martini euertendam deſtinant. Contra quos Carolus Princeps audacter aciem inſtruit, ſuper eóſque belligerator irruit, Chriſto auxiliante tentoria eorum ſubuertit, ad prælium ſtragem conterendam occurrit, interfectóque Rege eorum Abdiramâ proſtrauit exercitum, proterens dimicauit atque deuicit, ſícque victor de hoſtibus triumphauit.* XLVI. [a] Cap. 108.

Hic Auctor Chronographum Fontanellenſem, Annaliſtam Metenſem, alióſque recentiores decepit, vbi Saracenos ab Eudone, qui Carolo reſiſtere non poſſet, in ditiones Francicas euocatos affirmauit. Id in gratiam Caroli per adulationem dixit, vt eidem Carolo eiúſque fratri Childebrando, cuius iuſſu calamo manum admouerat, magis placeret. Longè aliter ſe res habuit, vt ſuprà præmonuimus. XLVII.

Ac primùm, Abdirama Garumnam tranſiit. Id ei facillimum fuit, cùm totius Septimaniæ Præfecturam obtineret. Traiecto Garumnâ Vaſconiam ſeu Nouempopulaniam inuaſit. Idcircò Rodericus Toletanus [b] inter prouincias, quibus Iſcamus Calipha dominabatur, numerauit *Vaſconiam, cuius Me-* XLVIII. INVADVNT NOVEMPOPVLANIAM. [b] In Hiſt. Arab. c. 12.

Digitized by Google

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12. *tropolis Auxis.* Petrus *de Marca* in Hiſtoria [a] Benearnenſi teſtatur Benarnum & Oloronem ciuitates Epiſcopales à Saracenis exciſas fuiſſe. Cælius Curio de Auſcio idem ſcribit in Hiſtoria Saracenorum. Guillelmus Catellus in Hiſtoria Occitaniæ [b] tradit lectum à ſe Chronicon, in quo Saraceni Vico-Iulij, Aquis, & Vaſato, ciuitatibus Epiſcopalibus, necnon Lapurdo Aquenſis Diœceſeos oppido nominatiſſimo potiti dicuntur. Addit Petrus *de Marca* pagos Conuenenſem & Bigorritanum ab iiſdem Arabibus vaſtatos eſſe, idque non tantùm ex antiqua incolarum traditione, ſed etiam ex Iſidoro Pacenſi probat, quoniam hic Auctor aſſerit Saracenos per *montana Vaccæorum* in Francorum terras irrupiſſe. Abdirama, cùm Arelatum obſedit, prælíumque cum Francis conſeruit, copias omnes, quibuſcum Franciam adoriri ſtatuerat, nondum euocarat ex Hiſpania, ſed, vt prudenti callebat conſilio, non paucas vltra Pyrenæum montem reliquerat, quæ, quotieſcumque illis imperatum eſſet, in Franciam citiſſimis itineribus aduolarent, ceteras ſuo aduentu auxilióque firmaturæ. Iuxta illam obſeruationem Iſidorum cum Anonymo, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis in literas retulit, aliíſque Scriptoribus iam citatis facilè conciliabis. Eodem tempore, quo Saracenorum exercitus ex agro Arelatenſi proceſſit, vt ciuitatibus ad vtramque Rhodani ripam ſitis adiacentibúſque regionibus terrorem incuteret, alij duo profecti ſunt in Nouempopulaniam, vnus ex eodem pago Arelatenſi, alter ex Hiſpania, hic teſte Iſidoro *montana Vaccæorum* ſuperauit, ille teſtibus aliis Auctoribus *Garumnam fluuium* tranſiit, Abdirama conſilium de ſubigenda præcipuè Vaſconia ſuſcepit, vt Francis de Chriſtiana Religione optimè meritis iter intercluderet, ſi reliquias Gothorum, quæ tunc *in montanis Aſturiarum* cum Pelagio Rege degebant, auxiliaribus aliquando copiis ſubleuare vellent.

[a] Lib. 2. c. 3.
[b] Lib. 3.

XLIX. Eccleſiarum Nouempopulanarum quinam Epiſcopi per ea tempora fuerint, haud ſcimus, quia propter duplicem vaſtationem, quarum alteram Vaſcones à Saracenis, alteram à Nortmannis paſſi ſunt, Epiſcoporum, qui temporibus Eudonis Ducis in Vaſconia floruerunt, omnia penè nomina hodie deſiderantur.

L. De Metropolitanis Eluſanis nihil legitur poſt annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-ſextum, Clotarij Secundi Regis quadrageſimum-tertium, quo *Palladius eiúſque filius Senocus Epiſcopus Eloſanus, incuſante Æghinane Duce, quòd rebellionis Waſconorum fuiſſent conſcij, exilio retruduntur* [c].

[c] Fredeg. in Chron. c. 54.

LI. Anno duodequadrageſimo Childeberti Primi Regis, id eſt, anno Chriſti quingenteſimo vndequinquageſimo, Concilium Aurelianenſe quintum ſuis ſubſcriptionibus corroborarunt *Aletius Epiſcopus Eccleſiæ Lactorenſis* & *Eleutherius Archidiaconus directus à Theodoro Epiſcopo Eccleſiæ Conſoranicæ.* Inter Theodori ſucceſſores, quorum hodie memoria ſupereſt, non inuenitur antiquior Francolino, qui Narbonenſi Concilio anno Chriſti ſeptingenteſimo duodenonageſimo interfuit. De ſucceſſoribus autem Aletij nihil ante annum Chriſti circiter nonageſimum ſupra nongenteſimum occurrit.

LII. Anno viceſimo-quarto Guntchramni Regis, ſiue anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo-quinto, Concilium Matiſconenſe ſecundum ſuis ſubſcriptionibus munierunt, *Oreſtes Epiſcopus Eccleſiæ Vaſaticæ, Rufinus Epiſcopus Eccleſiæ Conuenicæ, Lucerius Epiſcopus Eccleſiæ Eloronenſium, Amelius Epiſcopus Eccleſiæ Bigorritanæ,* quorum ſucceſſores altâ quoque ſunt obliuione conſepulti. Poſt Rufinum nihil de Conuenenſibus Epiſcopis habetur ante Concilium Narbonenſe, cui *Abraham Commenenſæ Sedis Epiſcopus* ſubcribit *anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo octuageſimo-octauo*, vt ex Actis ipſius Concilij à Catello & Baluzio editis ſupráque laudatis liquet, & ex eo quòd Abraham non *Eccleſiæ Conuenicæ*, vt prædictus Rufinus aliíque anteceſſores, ſed *Commenenſæ Sedis* Epiſcopum ſe ſcribit, rectè Baluzius obſeruat introduci tum cœptam corruptionem nominis iſtius Sedis, quæ nunc

Digitized by Google

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

Comenge dicitur. Poſt Amelium de Bigorritanis ſeu Tarbenſibus Epiſcopis nihil occurrit ante annum Chriſti octingenteſimum ſeptuageſimum-nonum, quo ſedebat Sarſtonus, ab Oihenarto commendatus in Notitia Vaſconiæ [a]. Poſt Oreſtem in Vaſatenſium Epiſcoporum Catalogo primus obuerſatur Gumbaldus, qui ſedebat anno Chriſti nongenteſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, vt conſtat ex vetere charta, quam apud Sammarthanos [b] integram reperies. Poſt Lucerium ſeu Licerium Oloronenſem Epiſcopum in Notitia [c] Vaſconiæ nullus inuenitur ante Raimundum, cuius Pontificatum Oihenardus *circa annum* 1040 collocat.

[a] Lib. 3. c. 12.
[b] Tom. 4. Gall. Chriſt. in Mon. Regula.
[c] Lib. 1. c. 13.

LIII. In Gallia Chriſtiana, Robertus & Sammarthani, cùm Epiſcoporum Oloronenſium Catalogum ineunt, Licerium inter ac Raimundum, ponunt Abientium, quem octauæ Synodo Toletanæ interfuiſſe volunt, Robertus *an.* 653, Sammarthani *an.* 657. Actis Synodalibus præfigitur *Era* DCXCI, id eſt, annus Chriſti ſexcenteſimus quinquageſimus-tertius. Illi Synodo ſub Receeſuintho Rege Abientius ita ſubſcripſit. *Abientius Elborenſis Epiſcopus.* Eius deceſſor Siſiſclus ante aliquot annos ſeptimæ Synodo Toletanæ ſub Chindaſuindo Rege ſic ſubſcripſerat. *Siſiſclus, Sanctæ Eccleſiæ Elborenſis Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Similiter Petrus eiuſdem Abientij ſucceſſor *Era* DCCIIII, ſiue anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſexto ſub prælaudato Receeſuintho Rege Synodo Emeritenſi ſic ſubſcripſit. *Petrus, Dei miſericordiâ Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Garſias Loaiſa in notis ad ſubſcriptiones octaui Concilij Toletani, Abientium, qui octauo illi Concilio Toletano interfuit, Siſiſcli, qui Concilio Toletano ſeptimo interfuerat, proximum ſucceſſorem ſic agnoſcit. *Abientius Elborenſis, qui ſucceſſit Siſiſclo, in ſeptimo,* ſiue qui ſucceſſit Siſiſclo, cuius ſubſcriptio in ſeptimo Toletano Concilio reperitur Et in notis ad ſubſcriptiones Emeritenſis Concilij, Petrum, qui eidem Concilio Emeritenſi interfuit, Abientij, qui Concilio Toletano octauo interfuerat, proximum quoque ſucceſſorem ſic indicat. *Petrus Elborenſis Abientio, in* 8. id eſt, Petrus Epiſcopus Elborenſis ſucceſſit Abientio, cuius ſubſcriptio inuenitur in octauo Concilio Toletano. Emeritenſe Concilium Emeritenſis Metropolita cum Epiſcopis vndecim eiuſdem Prouinciæ celebrauit. Ex illorum Epiſcoporum ſubſcriptionibus, quis illius prouinciæ ſtatus tunc eſſet, apertiſſimè cognoſcitur. Emeritenſi Metropolitano ſuberant vndecim Epiſcopi, Egiditanus, Pacenſis, Abelenſis, Olyſipponenſis, Lamecenſis, Salmanticenſis, Coimbrienſis, Caurienſis, Oxonobenſis, Elborenſis, & Caliabrienſis. Emeritenſi Concilio Metropolitanus Epiſcopus ita ſubſcripſit. *Proficius, Dei miſeratione, Luſitanæ prouinciæ, ſanctæ Emeritenſis Eccleſiæ, Metropolitanæ Sedis Epiſcopus, hac geſta Synodalia, cum confinitimis meis Epiſcopis, inſtituta, manu meâ ſubſcripſi.* Deinde vndecim comprouinciales Epiſcopi per ordinem. Egiditanus, ſic. *Ego Selua, Egiditanæ ciuitatis Eccleſiæ Epiſcopus, pertinens ad Metropolim Emeritenſem, hæc inſtituta, cum Archiepiſcopo meo Proficio, à nobis definita, ſubſcripſi.* Pacenſis. *Adeodatus, in Chriſti nomine, Sanctæ Pacenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Abelenſis. *Aſphalius, in Chriſti nomine, Sanctæ Abelenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Olyſipponenſis. *Theodericus, in Chriſti nomine, Sanctæ Olyſipponenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Lamecenſis. *Theodiſclus, Dei miſericordiâ, Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Lamecenſis, ſimiliter ſubſcripſi.* Salmanticenſis. *Iuſtus, Dei miſeratione, Sanctæ Salmanticenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Coimbrienſis. *Contaber, Dei gratiâ, Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Coimbrienſis, ſimiliter ſubſcripſi.* Caurienſis. *Donatus, in Chriſti nomine, Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Caurienſis, ſimiliter ſubſcripſi.* Oxonobenſis. *Exarnus, Dei miſericordiâ Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Oxonobenſis, ſimiliter ſubſcripſi.* Elborenſis. *Petrus, Dei miſericordiâ, Elborenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſimiliter ſubſcripſi.* Caliabrienſis. *Aluarius, indignus Sanctæ Calabrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſubſcripſi.* Abientius igitur, qui Concilio Toletano octauo interfuit, non Olo-

Digitized by Google

AN.CH. 732. THEODOR. IV R. 12. renſis Epiſcopus apud Gallos in Vaſconia ſub Eluſano Metropolita, ſed Elborenſis Epiſcopus apud Hiſpanos in Luſitania fuit ſub Emeritenſi Metropolitano. Reſendius Luſitanus & Quebedius Toletanæ Eccleſiæ Portionarius, vt Garſias Loaiſa in notis ad Concilium Lucenſe ſub Theudomiro Sueuorum Rege celebratum obſeruat, de ſitu Elboræ contendunt, alter Eboram in Luſitania, alter Talaueram in regno Toletano nobile oppidum, Elboram eſſe affirmant. Stamus pro Ebora * ciuitate hodie Archiepiſcopali in Regno Portugaliæ.

* *Euora.*

LIV. Eodem anno, quo ſecundum Matiſconenſe Concilium habitum eſt, Nicetius, teſte Gregorio Turonenſi [a], Præſulatum Aquenſem ſuſcepit. De ſucceſſoribus nihil auditur ad annum vſque Chriſti duodenongenteſimum, quo ſedebat Oltherius, vt ex Chartulario Abbatiæ de Caignota probant in auctiore Gallia Chriſtiana Sammarthani.

[a] Lib. 8. c. 20.

LV. A temporibus Dagoberti Primi, quo regnante Filibaudes Epiſcopatum Vico-Iulienſem geſſit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum duodenonageſimum, quo *Aſinarius Viculienſis Epiſcopus* Narbonenſi Concilio ſæpè iam nominato ſubſcripſit, de Vico-Iulienſibus Epiſcopis nihil omnino legitur.

LVI. Superſunt igitur duarum tantùm Eccleſiarum Nouempopulanarum, Auxitanæ videlicet & Benarnicæ, Catalogi, qui nos edocere poſſint, quinam illarum Sedium fuerint Epiſcopi, cùm Saraceni duce Abdiramâ Vaſconiam diripuerunt. Auxitanam Diœceſim tum regebat Patricius Epiſcopus, vt patet ex iis, quæ de proximis Sancti Leothadij ſucceſſoribus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeuiceſimum [b] dicta ſunt. Eccleſiæ verò Benarnicæ præerat Iulianus Epiſcopus, quocum beatus Iulianus eiuſdem loci primus Epiſcopus malè confunditur, vt eruditiſſimus Petrus *de Marca* in Hiſtoria Benearnenſi [c] iam obſeruauit.

[b] Num. 7.

[c] Lib. 2. c. 3. n. 7.

LVII. Qui Geſta Sancti Iuliani primi Benearnenſis Epiſcopi concinnauit, multa congeſſit, quæ vni eidémque viro conuenire non poſſunt. Scripſit Iulianum à Leontio Treuirenſi Pontifice primum Benarni Præſulem inſtitutum; à Lupo Vaſconiæ Duce malè habitum, Ebroino Maioratum Regiæ domûs tum gerente; cladíque, quam ciuitas à Pannucio Saracenorum Rege paſſa eſt, ſuperſtitem vixiſſe. Tria hæc Auctor nuperrimè citatus ſimul collegit in Hiſtoria [d] Benearnenſi, monuítque tres eo loco Iulianos in vnum confuſos videri; primum, qui Leontio Treuirenſi Epiſcopo ſynchronus extiterit; alterum, qui eâdem quâ Maior-domûs Ebroinus ætate floruiſſe cenſeatur; tertium, cuius Pontificatus in ea inciderit tempora, quibus Abdirama cum numeroſo Saracenorum exercitu Vaſconiam ingreſſus eſt & Benarnum euertit. Robertus Leſcarenſium Epiſcoporum Catalogum orditur à Sancto Iuliano, nec alterius Iuliani meminit. Oihenartus Benearnenſium ſeu Laſcurrenſium Indicem auſpicatur à beato Galactario, & beatum Iulianum in tempora *Theodorici Francorum Regis & Ebroini Maioris Palatij, circa annum* 680 reiicit, alterius Iuliani nullâ factâ mentione. Sammarthani duos diſtinguunt Iulianos in Epiſcoporum Laſcurrenſium Nomenclatura; Sanctum Iulianum, qui *miſſus à Leontio Epiſcopo Treuerenſi Bearnenſes populos ad Chriſtianam fidem conculcatâ idololatriâ reuocauit*, & Iulianum ſecundum, qui *ſedit tempore Theodorici Francorum Regis & Ebroini Maioris Palatij circiter annum* 680, *ſub quo Eccleſia deſolata fuit Abderramani Saracenorum Principis furore.*

[d] Lib. 1. cap. 15. n. 11.

LVIII. Sanctus Iulianus, Benarnenſis primus Epiſcopus, ad Annales Eccleſiaſticos Francorum non pertinet, Epiſcopatum enim tenuit Benarno Franciæ nondum adiecto. Eius ætas ſic probatur. Euodio Conſule, vt Seuerus Sulpitius in vita Sancti Martini ſcribit, id eſt, anno Chriſti trecenteſimo octogeſimo-ſexto, Felix ordinatus eſt Epiſcopus Treuirenſis, qui, teſte Scheckmanno in medulla Geſtorum Treuirorum [e], *poſt duodecimum annum Pontificij ſui, Epiſcopali renuncians apici, ſolitarius intra beatæ Virginis Dominæ noſtræ Baſilicam contemplationi vacauit.* Mauritius igitur, qui Felici ſucceſſit, Epiſcopatum

[e] Lib. 2. cap. 6.

Digitized by Google

tum anno Chriſti duodequadringenteſimo ſuſcepit. In Catalogis Epiſcoporum Treuirenſium, Cratepolius, Robertus & Bucelinus annos Pontificatûs duodecim tribuunt, eóſque ab anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum Chriſti quadringenteſimum quartum dinumerant, quia Præſulatûs, quem Felix Mauritij deceſſor geſſit, initium ſexennio præuertunt. Browerus in Annalibus Treuirenſibus [a] ad annum Chriſti quadringenteſimum ſeptimum hæc habet. *Eodem tempore Mauritius Treuirorum, diem ſuum functus, Leontium nactus eſt ſucceſſorem, quem poſteri Leguntium appellant.* Si Felix & Mauritius annos viginti-quatuor ſederunt, certè Mauritius vitam ad annum vſque Chriſti quadringenteſimum decimum prorogauit. Quod ex Renato Profuturo Frigerido, antiquiore Scriptore, Gregorius Turonenſis [b] de ciuitate Treuirorum refert, nempe quòd *Treuerorum ciuitas à Francis direpta incensáque eſt ſecundâ inruptione*, id idem Browerus anno Chriſti quadringenteſimo nono adſcribit. Deinde hæc de Leontio Epiſcopo ſubnectit. *Leontius per ea tempora ad* XIX *Februarÿ diem, terris relictis, Confeſſorum auxerat numerum in cœlis.* Browerum ſecutus eſt Gelenius in ſacris ac piis Faſtis Agrippinenſibus, & Vandalicæ perſecutionis mentionem inſuper ſic fecit. *Vndecimo Kal. Martÿ. Sancti Leontÿ Epiſcopi Treuerenſis, genere nobilis, Coloni Romani, ex educta antiqua ſtirpe, qui anno Chriſti* 409, *hoc die, temporibus Vandalicæ perſecutionis cœlitum numerum auxit.* Petrus *de Marca* libro primo Hiſtoriæ Benearnenſis, capite decimo-quinto, vbi duos Iulianos, vnum cognomento Sanctum Leontio Treuirenſi Epiſcopo ſynchronum, alterum Ebroino Maiori-domûs contemporaneum, Benearnenſes Epiſcopos agnoſcit, Leontium anno Chriſti circiter quadringenteſimo Treuirenſem Epiſcopum conſtituit, & apud Anonymum, qui Geſta Sancti Iuliani conſcripſit, Saracenorum loco reſtituendos ait Vandalos, à quibus omnem Nouempopulaniam annis Chriſti quadringenteſimo ſeptimo & quadringenteſimo octauo deuaſtatam affirmat. De Vandalis Proſper in ſuis Faſtis hæc habet ad annum Chriſti quadringenteſimum ſextum, quo Arcadius Auguſtus ſextum Conſulatum cum Probo geſſit. *Arcadio* VI. *& Probo. Vandali & Alani Gallias traiecto Rheno pridie Kalendas Ianuarias ingreſſi.* Et ad annum Chriſti quadringenteſimum nonum, quo Conſulatum Honorius Auguſtus octauum & Theodoſius Auguſtus tertium inierunt. *Honorio VIII. & Theodoſio III. Vandali Hiſpanias occupauerunt.* Biennium igitur in Galliis egerunt Vandali. Nouempopulaniam tunc diripuerint, quid illis commercij fuit cum Iuliano Epiſcopo, quem ſeriùs inſtitutum Epiſcopum docet Chronologia ſuperiùs ſtabilita? Leontius enim, qui Iulianum in Nouempopulaniam direxit, Epiſcopatum Treuirenſem ante annum Chriſti quadringenteſimum decimum, ſiue ante annum poſt Vandalorum profectionem in Hiſpaniam proximum, non obtinuit. Ceterùm ne ſuper Leontij nomine quid ſcrupuli remaneat, obſerua variis modis illud efferri. In Martyrologio Ordinis Benedictini, quod Bollandus [c] citat, ſcribitur *Licontius*, apud Scheckmannum [d] *Legontius*, apud Kyriandrum [e] *Leguntius*, apud Sauſſaium [f] *Leguntus*, & *Ligontius* in antiquo Treuirenſium Epiſcoporum Indiculo, quem Codex Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ Bollando ſuppeditauit.

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

[a] Lib. 5.
[b] Lib. 2. c. 9.
[c] d. 19. Febr.
[d] in S. Legontio.
[e] Lib. 2. c. 7. Part. 5.
[f] d. 19. Febr.

LIX. Saracenorum nomine in Actis Sancti Iuliani retento, placet poſterior opinio Petri *de Marca*, qui re accuratiùs examinatâ, libro ſecundo Hiſtoriæ Benearnenſis, capite tertio [g], duos Iulianos Benearnenſes Epiſcopos ita diſtinguit, vt primum, qui ſanctitate conſpicuus eſt, à Leontio Treuirenſi Epiſcopo in Vaſconiam miſſum affirmet, alterum aſſerat Epiſcopum fuiſſe temporibus Abdiramæ, neutrum verò dicat Ebroino contemporaneum. Cùm Saraceni Duce Abdiramâ bellum Vaſconibus intulerunt, Rex erat Francorum Theodoricus, cui cognomentum Calenſis inditum. Quod autem eo regnante factum eſt, eiúſque nomine tanquam Charactere Chronologico conſignatum poſteris innoteſcere debuit, facilè deflecti potuit ad

[g] Num. 7.

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

illius proauum, Theodoricum æquè dictum, quo regnante Ebroinus Maioratu Regiæ domûs per multos annos defunctus eſt.

LX. AQVITANIAM II.

Tractus terrarum, qui Pyrenæis iugis, Garumnâ & Oceano cingitur, præter Vaſconiam ſeu Nouempopulaniam, de qua locuti ſumus hactenus, agrum quoque Burdigalenſem complectebatur cum ciuitate Burdigala, quæ Metropolis erat Aquitaniæ ſecundæ. Saraceni ſubactâ Vaſconiâ, ne quid inter Garumnam & Pyrenæos montes in poteſtate Francorum remaneret, expugnarunt etiam diruerúntque Burdigalam. Lege quæ de Burdigalenſi excidio ex Francorum [a] Hiſtoria iuſſu Childebrandi conſcripta, ex Chronico [b] Fontanellenſi, & ex Annalibus [c] Metenſibus ac Fuldenſibus [d] iam recitata ſunt, & ex prædicto Chronico necnon ex Annalibus Metenſibus aduerte Baſilicas illius ciuitatis igni concrematas fuiſſe. Monaſterium Sanctæ Crucis, quod extra ciuitatem erat, tunc à Barbaris euerſum ſcribit Gabriel *de Lurbe* in Chronico Burdigalenſi. Quis illâ ætate Burdigalenſis Epiſcopus fuerit nos latet. Poſt Gundegiſilum enim, quem Tomo ſecundo ad annos Chriſti quingenteſimum octogeſimum-nonum & quingenteſimum nonageſimum ex Gregorio Turonenſi [e] laudauimus, ad tempora vſque Ludouici Pij mancus eſt Epiſcoporum Burdigalenſium Catalogus.

[a] Cap. 108. [b] Cap. 9. [c] Ad an. 732. [d] Ad an. 725. [e] Lib. 9. cc. 41. 43. l. 10. c. 15.

LXI.

Aquitania ſecunda, præter Burdigalenſium Metropolim, quinque ciuitates Agennenſium, Ecoliſmenſium, Santonum, Pictauorum & Petrocoriorum complectebatur. Saraceni, vt Burdigalam Metropolim, ſic & reliquas illius prouinciæ ciuitates occuparunt. De Aginno teſtis eſt Catellus in Hiſtoria Occitana [f]. De ciuitatibus Petrocoriorum, Santonum & Pictauorum, teſtis Rodericus Toletanus capite decimo-quarto Hiſtoriæ Arabicæ, vbi refert de Abdirama, quòd Eudonem Ducem perſequi non deſtitit, *per Petragoneam & Sanctoniam & Pictauiam ciuitates, oppida & Eccleſias deuaſtando, & igne continuo conſumendo.* Ioannes Mariana libro ſeptimo de rebus Hiſpanicis addit Engoliſmam. *Engoliſmenſes*, inquit, *Petragorij, Sanctones, Pictonéſque eâdem belli flammâ vexati.* Saraceni igitur integrâ Vaſconiâ & Burdigalâ potiti, cùm in illo Galliarum tractu, qui Pyrenæis montibus, Garumnâ fluuio, & Oceano circumſcribitur, nihil relictum in poteſtate Francorum viderent, Garumnam denuò tranſierunt, Aginnum ad dexteram fluminis ripam ſitum expugnarunt, tum Dorodoniam * tranſgreſſi ſunt, & Eudone profligato penetrarunt ad amnes, Iſlam *, Carantonum * & Clanim *, quorum primo aſſident Petricorij, ſecundo Engoliſma & Santones, tertio Pictauium.

[f] Lib. 3.
* *La Dordogne.* * *L'Iſle.* * *La Charente.* * *Le Clain.*

LXII. VINCVNT CIS DORODONIAM EVDONEM DVCEM AQVITANIÆ.

Iſidorus Pacenſis traiectos à Saracenis Garumnam & Dorodoniam, ciſque Dorodoniam Eudonem Ducem ab iiſdem Arabibus debellatum ſic aſſerit. *Abdirraman terras Francorum intus experditat, atque adeò eas penetrando gladio verberat, vt ad prælium Eudone vltra fluuios, nomine Garona vel Dornomia, præparato, & in fugam dilapſo, ſolus Deus numerum morientium vel pereuntium recognoſcat.* Iſidorum politiore ſtylo ſic reddit Rodericus Toletanus capite decimo-quarto Hiſtoriæ Arabicæ. *Abderramen autem lætus victoriâ, elatus potentiâ, ratus eſt Francorum patrias deuaſtare. Cúmque amnes Garonæ & Dordoniæ pertranſiſſet, Eudonem, de quo diximus, inuenit ad prælium præparatum; ſed infelicitate præteritâ comitatus in fugam dilabitur fugitiuus, & tot ibi de eius exercitu ceciderunt, quòd eius numerus omni humanæ ſcientiæ occultatur.* At hic Auctor ſi non emendatione, ſaltem interpretatione videtur indigere. Cùm enim Eudonem, de quo ſe iam locutum ait, *infelicitate* quoque *præteritâ* comitatum ſubiungit, alludit ad pugnam Arelatenſem, in qua victos anteà Francos ſuperiori capite dixit. Sic autem illo capite decimo-tertio locutus eſt de Eudone, vt ipſum Eudonem prælio Arelatenſi interfuiſſe neutiquam ſcripſerit. Nam mentionem Eudonis fecit ea tantùm de cauſa, quod ille Munnizio viro Mahumetano filiam ſuam in matrimonium collocaſſet. *Eudo Præpoſitus Gallicorum huic Muniz filiam ſuam causâ*

Digitized by Google

fœderis in coniugio copulauit, & ad ſuos libitus tradidit inclinandam, ob perſecutionem Arabum differendam. Et, vbi de prælio Arelatenſi ſermonem inſtituit, Eudonem ne quidem nominauit. Illius textum anno priori iam recitatum iterum audi. *Abderramen cùm Arelatum in multitudine exercitûs obſediſſet, inferioris fortunæ Gallici ſunt inuenti, nam fugaci periculo ſe vouentes ſequaci victoriâ ſunt præuenti, quorum cadauera vorax Rhodanus occultauit, & terra ſuſcipiens reuelauit, & eorum tumuli adhuc hodie in Arelatenſi cæmiterio oſtenduntur.* Quapropter cùm Eudo, qui cis Dorodoniam infeliciter cum Abdirama pugnauit, *infelicitate præteritâ comitatus* dicitur, infelicitas illa non ad ipſum Eudonem, ſed ad Francos ſeu Gallicos, vt Rodericus vocat, ſic referri debet, vt Eudo non ſuâ, ſed Francorum ſeu Gallicorum in prælio Arelatenſi cæſorum *infelicitate præteritâ comitatus* cenſeatur. Arelatum ad Aquitaniæ Præfecturam non pertinebat, & Eudo, qui Vaſconiæ & Aquitaniæ Præfectus erat, Arelatenſibus ſe rebus immiſcere non potuit, quia difficili bello cum Carolo Maiore-domûs implicabatur, vt anno ſuperiori obſeruatum eſt. AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

LXIII. Res ab Abdirama poſt initum prope Dorodoniam prælium ſic perſequitur Rodericus [a]. *Abderramen propoſuit interim Galliam penetrare, & Eudonem Ducem perſequi non deſiſtens, per Petragoneam & Sanctoniam & Pictauiam ciuitates, oppida & Eccleſias deuaſtando, & igne continuo conſumendo, etiam Turonis ciuitatem, Eccleſiam & Palatia vaſtatione & incendio ſimili diruit & conſumpſit.* De Petricoriis, Santonibus & Pictauio cum hoc Auctore, necnon de Engoliſma cum Mariana [b] conuenimus, de Turonis verò nequaquam. Apud Iſidorum enim, *Abdirraman ſuprafatum Eudonem Ducem inſequens, dum Turocènſem*, ſeu Turonenſem, *Eccleſiam, Palatia diruendo, & Eccleſias vſtulando, deprædari deſiderat, cum Conſule Franciæ interioris Auſtriæ, nomine Carolum, virum ab ineunte ætate belligerum, & rei militaris expertum ab Eudone præmonitum, ſeſe infrontat.* Ciuitatem Turonenſem à Saracenis occupatam æquè negant, Anonymus qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis conſcripſit, Chronographus Fontanellenſis, & Annaliſta Metenſis, iam citati. Tres hi Scriptores vnanimi conſenſu Saracenos aſſerunt à Carolo debellatos, cùm Turones capere & Sancti Martini Baſilicam euertere decreuiſſent. Apud prædictum Anonymum [c], *Saraceni ad domum beatiſſimi Martini euertendam deſtinant. Contra quos Carolus Princeps audacter aciem inſtruit, ſuper eóſque belligerator irruit.* Apud Chronographum [d] Fontanellenſem & apud Annaliſtam Metenſem [e], *ad beatiſſimi Martini Eccleſiam ſubuertendam ſummo conamine proficiſci contendunt. Contra quos Carolus Princeps iuxta vrbem Pictauem aciem conſtruxit, & ſuper eos, inuocato Chriſti auxilio, intrepidus irruit.* His Auctoribus addendi ſunt, quotquot alij ſcribunt Saracenos in agro Pictauienſi debellatos fuiſſe. Nonnullos eorum iam produximus, plures etiam inferiùs, vbi ſermo de pugna fiet, prolaturi.

[a] In Hiſt. Arab. c. 14.
[b] Lib. 7. c. 5.
[c] Cap. 108.
[d] Cap. 9.
[e] Ad an. 732.

LXIV. Sex ciuitates, quibus Aquitania ſecunda conſtabat, Burdigalam videlicet, Aginnum, Petricorios, Engoliſmam, Santones & Pictauium, in poteſtatem Saracenorum deueniſſe ſuprà probauimus. Quapropter Rodericus [f], vbi prouincias enumerat, quæ tunc Iſcamo Caliphæ parebant, recenſet Vaſconias, quarum Metropoles Auxim & Burdigalam vocat, id eſt, Aquitanias duas; ſecundam videlicet Aquitaniam, cuius Metropolis Burdigala, & tertiam Aquitaniam, aliis nominibus dictam Nouempopulaniam & Vaſconiam, cuius Metropolis Auxis. Vulgatus Roderici textus talis eſt. *Vaſconias, cuius Metrop. Auxis & Burdegala, ſuæ potentiæ ſubiugauit.* A Thoma Erpenio ſic editus inuenitur. *Vaſconias, cuius Metropolis Auxis, & Burdigaliam ſuæ potentiæ ſubiugauit.* Videtur autem ſic reſtituendus. *Vaſconias, quarum Metrop.* id eſt, Metropoles, *Auxis & Burdegala, ſuæ potentiæ ſubiugauit.* Quamquam apud hunc Auctorem error eſt in Auxi. Stabat enim adhuc Eluſa, Sedéſque Metropolitana ſeriùs Auſcios eſt tranſlata.

[f] In Hiſt. Arab. c. 12.

Digitized by Google

AN. CH 732. THEODOR. IV. R. 12. LXV. Plerorumque Epiſcoporum, qui præfuerunt Eccleſiis Aquitaniæ ſecundæ, cùm vaſtatæ ſunt à Saracenis, hodie nomina deſiderantur. Actum ſuprà de Metropolitis Burdigalenſibus. Poſt Saluſtium Aginnenſem Epiſcopum, qui Sancto Deſiderio Epiſcopo Cadurcenſi & Dagoberto Magno Regi ſynchronus vixit, nihil de Præſulibus Aginnenſibus occurrit ante annum Chriſti nongenteſimum ſeptuageſimum-ſeptimum, quo Gumbaldus Epiſcopus floruiſſe comprobatur. In Catalogis Epiſcoporum Petrogoricenſium, poſt Saffarium, cuius mentionem Tomo ſecundo ad annum Chriſti quingenteſimum vndenonageſimum ex Gregorio Turonenſi [a] fecimus, primus legitur Bertrandus, de cuius Pontificatu ſub Pippino Rege verba faciemus. Feliciùs actum eſt cum Epiſcopis Engoliſmenſibus, & quantùm colligere poſſumus ex iis, quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt ad annum Chriſti ſexcenteſimum vndequinquageſimum [b], rexit Eccleſiam Engoliſmenſem Madabertus Epiſcopus, cùm Saraceni Aquitaniam ſecundam inuaſerunt, Madaberto enim ſucceſſit Guillermus, tum Fredebertus, de quo plura ſub Pippino Rege. Manci ſunt Indices Epiſcoporum Santonenſium, nec probè ſciri poteſt, quis Eccleſiæ Santonenſis Epiſcopus fuerit, cùm Arabes in Aquitaniam ſecundam irruperunt, à Leontio enim, qui Concilium Remenſe cum aliis Epiſcopis anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto celebrauit, ad Iſlonem vſque, qui anno Chriſti milleſimo duodecimo florebat, occurrunt in Catalogis Epiſcopi duntaxat decem, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum-nonum [c] iam obſeruauimus. Quæ verò de Pictauienſibus Epiſcopis ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodenonageſimum [d] dicta ſunt, ea palàm oſtendunt Gaubertum Eccleſiæ Pictauienſi præſediſſe, cùm Franci de iiſdem Arabibus nobiliſſimam in agro Pictauienſi victoriam reportarunt.

[a] Lib. 9. c. 41.
[b] Num. 37.
[c] Num. 37.
[d] Num. 19.

LXVI. Quanta tunc Iſcami Caliphæ potentia fuerit, docet Rodericus [e], prouinciarum, quibus dominabatur, hac enumeratione factâ. *Prouinciæ eius dominio ſubditæ, & ſectâ Mahometi inquinatæ, neceſſè eſt vt propriis nominibus exprimantur; videlicet Iconia, cuius Metropolis Iconium; Lyſtria, cuius Metropolis Lyſtris; Alapia, cuius Metropolis ciuitas eiuſdem nominis; Chaldæa, cuius Metropolis Babylon deſtructa; Aſſyria, cuius Metropolis Niniue; Medea, cuius Metropolis Hecbatanis; Hircania, cuius Metropolis Antiolos; Perſis, cuius Metropolis Suſa; Meſopotamia, cuius Metropolis Aram, ſiue Sarra; Syria ſuperior, cuius Metropolis Damaſcus; Celeſyria, ſiue Phœnicia, cuius Metropolis Tyrus; Syria inferior, cuius Metropolis Antiochia; Iudæa, cuius Metropolis Hieruſalem; Ægyptus, cuius Metropolis Alexandria; Arabia maior, cuius Metropolis Baldac; Æthiopia, cuius Metropolis Nadauer; Africa, cuius Metropolis Carthago; Hiſpania, cuius Metropolis Toletum. Has omnes prouincias ſubiugauit ſecta & gladius Mahometi. Aliquando etiam Siciliam, cuius Metropolis Panormum; & Calabriam, cuius antiqua Metropolis Rhegium; & partem Apuliæ; & Galliam Gothicam, cuius Metropolis Narbona; & Vaſconias, quarum Metropoles Auxis & Burdegala, ſua potentiæ ſubiugauit.*

[e] In Hiſt. Arab. c. 11.

LXVII. Tanti Monarchæ copiis præerat Abdirama, Hiſpaniarum Septimaniæque Præfectus, vir bellicoſus & induſtrius, qui Francis bis acie victis, ſemel ad Rhodanum, iterum ad Dorodoniam; duabúſque nobiliſſimis prouinciis, Vaſconiâ videlicet & Aquitaniâ ſecundâ, ſubactis, nihil imperuium ſibi ratus, ad Ligerim magno conamine contendebat, vt eo flumine traiecto bellum in Galliam Celticam transferret, quò partem exercitûs non temnendam poſt prælium Arelatenſe præmiſerat. In tanto rerum diſcrimine nec Eudo Dux Aquitaniæ cecidit animo, nec officio ſuo defuit Carolus Maior Regiæ domûs. Ambo ſimultate, quæ priùs inter illos fuerat, patriæ caritati condonatâ, quoniam externus timor maximum concordiæ vinculum eſſe conſueuit, vires ſuas ſimul iunxerunt. Prælium Iſidorus Pacenſis ſtylo barbaro ſic deſcripſit. *Dum penè per* VII *dies, vtrique*, nempe Franci

DEBELLANTVR A CAROLO ET EVDONE.

AN. CH. 732. THEODOR IV. R. 12.

& Mauri, *de pugnæ conflictu excruciant, ſeſe poſtremò in aciem parant, atque dum acriter dimicant, gentes Septentrionales in ictu oculi, vt paries, immobiles permanentes, ſicut & zona rigoris glacialiter manent adſtricti, Arabes gladio enecant. Sed vbi gens Auſtria, mole membrorum præualida, & ferreâ manu perardua, pectorabiliter ferientes Regem inuentum exanimant, ſtatim nocte prælium dirimente, deſpicabiliter gladios eleuant, atque in alio die videntes caſtra Arabum innumerabilia, ad pugnam ſe reſeruant, & exurgentes è vagina ſua, diluculò proſpiciunt Europenſes Arabum tentoria ordinata, & tabernaculorum, vbi fuerant caſtra locata, neſcientes cuncta eſſe peruacua, & putantes ab intimo eſſe Sarracenorum falanges ad prælium præparatas, mittentes exploratorum officia, cuncta repererunt Smaelitarum agmina effugata. Quíque omnes tacitè pernoctando, cum eos ſtricto defugiunt repatriando. Europenſes verò ſolliciti, ne per ſemitas delateſcentes aliquas facerent ſimulanter celatas, vndique ſtupefacti in circuitu ſeſe fruſtrare capitant, & qui ad perſequentes gentes memoratæ nullo modo vigilant, ſpolias tantùm & manubias decenter diuiſas, in ſuas ſe læti recipiunt patrias.* Eadem à Roderico [a], politiori clarioríque ſtylo, ſic enarrantur. *Cùm per ſeptem dies bellis particularibus exercitus ſeſe impeterent, demum diſpoſitis aciebus generali prælio dimicantes alternis cædibus ſe læſerunt, ſed gens Auſtriæ membrorum præeminentiâ validâ, & gens Germana corde & corpore præſtantiſſima, quaſi in ictu oculi manu ferreâ & pectore arduo Arabes extinxerunt, & ipſum*, nempe Abdiramam, *gladio peremerunt, ſícque nocte prælium dirimente ad caſtra ſua exercitus redierunt. Mane autem diluculo apparente viderunt Germani Arabum tentoria, vt heri fuerant ordinata, & putauerunt Arabes velle prælium reſtaurare, & cùm exploratoris officio vacua percepiſſent, iuerunt ad ſpolia & manubia diuidenda, & verentes, ne fortè Arabes in ſtratis vel ſemitis inſidias procurarent, Germani & Franci in patrias redierunt. Arabes autem, qui euaſerant, per compendia ad Galliam Gothicam reuerſi ſunt.*

[a] In Hiſt. Arab. cap. 14.

Qui trecenta ſeptuaginta-quinque millia ex Arabum exercitu cæſa ſcribunt, hoc prælium confundunt cum alio, quod anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto commiſſum eſt, Gregorio Secundo tunc Romanò Pontifice, vt ex Anaſtaſio Bibliothecario & ex veteribus Annalibus Francorum ſimul collatis patet. Deinde quæ proximè deſcripta ſunt ex Iſidoro & Roderico, validiſſimum ſuppeditant argumentum, vt inficieris tantam Maurorum ſtragem editam fuiſſe, quia Franci partâ victoriâ, cùm poſtridie tentoria Saracenorum, ſicut heri, viderent ordinata, putauerunt eos velle prælium reſtaurare, nec, poſtquàm per exploratores de fuga conſtiſtit, auſi ſunt inſequi propter inſidiarum metum, quas certè poſt tantam cladem à reliquiis exercitûs paratas ſuſpicari nemo potuit. Octoginta duntaxat millia Saracenorum in Abdiramæ caſtris fuiſſe nonnulli ſcribunt [b]. Id nobis admodum probabile videtur, quoniam trecenta ſeptuaginta-quinque millia Maurorum in prælio Aquitanico, recenti adhuc memoriâ, perierant, & copiarum, quæ ſub Abdiramæ imperio erant, altera pars ad Icaunam fluuium militabat, altera, de qua nobis hîc ſermo, multùm erat imminuta, quia ſæpè dimicarat in Vaſconia & in Aquitania ſecunda quas ſubegerat, variíſque locis impoſuerat firma præſidia, ne rurſum eædem prouinciæ Regi Francorum, tanquam legitimo ſuo à multis retrò ſeculis domino, ſe ſubderent, excuſſo Mahumetanæ gentis nouo iugo. Vbbo Emmius in Hiſtoria rerum Friſicarum [c] obſeruat Popponem, virum Chriſtianum, Friſicæ cohortis ductorem in eo bello interemptum eſſe, cùm inſignem operam in acie cum ſuis Carolo præſtitiſſet, eiúſque corpus ob eximiam fortitudinis & pietatis laudem honorificè Turonis tumulatum. LXVIII.

[b] Mezer. ad hunc an. in Theodor. II.

[c] Lib. 4.

Omnes fermè Neoterici Saracenos in agro Turonenſi deletos aſſerunt, & pugnæ locum notant, cui nomen in perpetuam rei memoriam inditum volunt Sancti Martini * *de bello*. Sed Eccleſiæ Sancti Martini cognomentum hoc, *de bello*, non acceſſit ante cladem, quam Franci Nortmannis ibidem LXIX.

* *S Martin le Bel.*

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

longè ſeriùs intulerunt. Argumento, quod ex illo cognomine moderni Scriptores hauſerunt, ſic exploſo, conſule vetuſtiores Auctores, qui Mauros in pago Pictauienſi debellatos vnanimi voce confirmant. Pugna cum Saracenis conſeritur *ad Pectauis*, in Annalibus Nazarianis, quorum Auctor in anno Chriſti ſeptingenteſimo nonageſimo deſinit; *iuxta vrbem Pictauem*, in Chronico Fontanellenſi: *apud Pictauium ciuitatem*, in vita Caroli Magni per Eginhardum ſcripta; *iuxta vrbem Pictauam*, in Annalibus Metenſibus.

LXX. Pugnatum eſt menſe Octobri, die Sabbati. Vtrumque patet ex antiquis Auctoribus, quorum pleroſque iam produximus. In Annalibus Petauianis & in Chronico San-Dionyſiano Carolus aduersùs Saracenos dimicat *in menſe Octobri*, & in Adonis Chronico fit concertatio *menſe Octobri*. Deinde in Annalibus Nazarianis & Petauianis Carolus pugnat *die Sabbato*. Ceterùm anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, qui literâ Dominicali E prœditus fuit, in menſem Octobrem quatuor inciderunt Sabbata; primum occurrit quarto Nonas Octobris; alterum, quinto Idus Octobris; tertium, decimo-quinto Kalendas Nouembris; quartum, octauo eaſdem Kalendas. Quonam autem ex illis Sabbatis prælium ſit initum, nullus obſeruauit, elige quod omnium conuenientiſſimum tibi videbitur, vt Theofredum Abbatem Calmeliacenſem die vndecimo proximi menſis prope Anicium ab iiſdem Saracenis in Septimaniam ſe recipientibus vulneratum probes.

LXXI. De anno nihil repetimus. Ex Annalibus enim Nazarianis, Petauianis, Tilianis ac Metenſibus, & ex Chronicis San-Dionyſiano ac Fontanellenſi ſuprà probauimus Abdiramæ necem anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo illigandam eſſe. Tres aliæ opiniones in pleriſque Neotericorum leguntur. Vna cladem illam Saracenorum vel anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto, vel ſequenti conſignat; altera, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo; tertia, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto. Prima nititur Annalibus Fuldenſibus, quos iam refutauimus; ſecunda Sigeberto, cuius Chronicon per illa tempora valdè vitioſum eſt; tertia Iſidoro Pacenſi & Roderico Toletano, contra quos diſputatum quoque ſuprà.

LXXII. In Septimaniam ſe recipiunt.

Vtrùm Franci de Saracenis priùs ad Senonas, quàm ad Pictauium triumpharint, haud liquet. Carolus, partâ victoria, cis Ligerim reuerſus eſt, vt Galliæ Celticæ conſuleret. Eudo moratus eſt in Aquitania. Mauri per agros, Lemouicinum, Aruernenſem, Anicienſem, Cadurcenſem, Gabalitanum & Rutenenſem in Septimaniam ſe receperunt.

LXXIII. Diœceſim Lemouicenſem tunc regebat Ceſſator Epiſcopus, quem Robertus in vetere Martyrologio laudatum teſtatur, quòd *contra Vandalos*, id eſt, contra Saracenos, multùm pugnauit. Apud Sauſſaium decimo-ſeptimo Kalendas Decembris hoc elogio decoratur. *Lemouicis, Sancti Ceſſatoris, illius ciuitatis Epiſcopi & Confeſſoris. Qui zelo Dei plenus viriliter contra Saracenos in Aquitaniam irruentes decertauit, ſeruatóque ab excidio populo ſuo, alter Phinees & Onias in pace conſummatus, æterni nominis & immortalis gloriæ præmia adeptus eſt. Quieſcit vir beatus apud Sanctum Sanctinum iuxta Caſtrum de mala morte, vbi à plebe fideli digno honore habitus, reſplenduit præclaris meritorum inſigniis.* Annus ignoratur, quo feliciter ad Deum migrauit. Succeſſit in Epiſcopatum Ebulus, quem Robertus non malè ſuſpicatur eundem eſſe eum Ebulone Abbate Solemniacenſi, de quo duæ tantùm hæ voces in Catalogo Solemniacenſium Abbatum leguntur, *Ebulo Epiſcopus*. In dubium non vocamus, quin Ebulo ſiue Ebuloni locus & inter Epiſcopos Lemouicenſes poſt Sanctum Ceſſatorem, & inter Abbates Solemniacenſes poſt Agiulfum concedendus ſit. Sed vtrùm Abbas priùs extiterit quàm Epiſcopus, & obtento Epiſcopatu munus Abbatiale non abdicarit, an

Digitized by Google

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

Epiſcopatu dimiſſo factus ſit Monachus, tum Abbas, aut poſt ſuſceptum Epiſcopatum electus quoque fuerit in Abbatem, nemo ſcribit. Primi generis exempla in Sanctis Hadulpho & Erkenbodone; ſecundi generis, in Sanctis Claudio & Baino; tertij generis, in Sanctis Martino & Hugone iam occurrerunt. Sanctus Hadulphus Abbas Vedaſtinus, quando ad Epiſcopatum Atrebatenſem promotus fuit, nec curam Monaſterij Vedaſtini, nec Abbatis titulum abiecit. Idem præſtitit Sanctus Erkenbodo Sitiuenſis Abbas, nam, poſtquàm in Epiſcopum Morinenſem aſſumptus fuit, deinceps Epiſcopum ſimul & Abbatem egit. Sanctus Claudius abdicato Epiſcopatu Veſontionenſi factus eſt Monachus Condateſcenſis, deinde Abbas eiuſdem loci. Similiter Sanctus Bainus Epiſcopatu Morinenſi dimiſſo Monachum induit in Cœnobio Fontanellenſi, poſteà ex Monacho factus eſt Abbas eiuſdem Monaſterij. Sanctus Martinus Turonenſis Epiſcopus Maius Monaſterium fundauit rexitque cum Abbatis titulo. Sanctus Hugo ex Monacho Gemmeticenſi factus eſt Epiſcopus Rotomagenſis, deinde & Abbas Fontanellenſis, &, quandiu vixit, munus Epiſcopi ſimul & Abbatis obiit. Inter Abbates poſtremi generis recenſendum putamus Ebulum ſiue Ebulonem Epiſcopum, qui poſt Sanctum Ceſſatorem in Cathedra Lemouicenſi ſedit, & Abbas Solemniacenſis poſt Agiulfum fuit retento Epiſcopatu, vnde illi titulus Epiſcopi ſeruatus in præcitato Solemniacenſium Abbatum Catalogo videatur.

LXXIV. In Diœceſi Lemouicina, cùm Arabes, à Francis prope Pictauium deuicti, fugam arripuerunt, florebat Pardulphus * Waractenſis Monaſterij nuper erecti primus Abbas, cuius vitam Hugo Menardus [a] è manuſcripto Codice Cœnobij Sancti Cornelij Compendienſis breuiter contexuit. Inde paucis accipe, qualia fuerint beati viri primordia, & quomodo ſe ſuúmque Monaſterium contra Saracenos defenderit. *Pardulphus nobili ſtirpe ortus eſt in vico territorij Lemouicenſis, qui dicitur Seredignus. Adhuc puerulus cum ſociis in agro colludebat. Illi ignem arbori ſuppoſuerunt, quæ radicibus aduſtis in terram cecidit, cæteris fugientibus, ſolo Pardulpho ſigno Crucis intrepido remanente. Sed ramus eius capiti graue vulnus inflixit, ex quo multis annis cæcus fuit, lumine quidem oculorum caſſus, ſed Sancti Spiritûs gratiâ illuminatus. Nam totum ſe Dei cultui mancipauit. Quicquid victûs ac veſtitûs à parentibus accipiebat, cùm foras egrederetur, pauperibus diſtribuebat, cui proinde miraculorum gratiam Deus impertiuit. Nam infirmos oleo & aquâ benedictis, & manuum impoſitione ſanabat. Comes Lemouicenſis Lantarius nomine Monaſterium ædificauit in loco, qui dicitur Waractus, in honorem Sancti Petri Principis Apoſtolorum, cui Sanctum Pardulphum præficiendum curauit. Abbas factus arduam admodum vitæ rationem ſecutus eſt*, &c. *Gens Saracenorum ſe in Aquitaniam effuderat, & Pictauorum vrbem inuaſerat. Sed Carolus Maior ingenti ſtrage editâ reſiduos ad patriam redire coegit. Qui propterea indignati obuia quæque loca ſancta incendebant, & Chriſtianorum alios ſpoliabant, alios captiuos abducebant, alios occidebant. Quod videntes Monachi fugâ ſibi conſuluerunt fruſtrà tentantes virum Dei ſecum abducere, qui Deo confiſus ſolus cum famulo Euphraſio remanſit in Monaſterio. Iam barbari Monaſterij ianuæ imminebant, quos videns eminus Euphraſius monuit virum Dei, vt orationi inſtaret. Ille proſtratus Deum impenſiùs rogabat, vt non permitteret locum Sanctum ab infidelibus contaminari, illi nimio terrore perculſi abierunt.* De Pardulpho agemus iterum Tomo ſequenti, migrauit enim in cælum *fermè octogenarius*

* Perdoul.

[a] Lib. 2. Obſeruat. d. 3. Nou.

PRECIBVS ABBATIS PARDVLPHI REPELLVNTVR A MONASTERIO WARACTENSI IN DIOECESI LEMOVICINA.

LXXV. Manci ſunt per illa tempora, Cadurcenſium, Gabalitanorum & Rutenenſium Epiſcoporum Catalogi, nec quidquam ampliùs de illarum ciuitatum Præſulibus hoc Tomo ſcribemus.

LXXVI. In Aruernenſi Cathedra ſedebat Thaido, de quo iam locuti ſumus. Sequuntur apud Democharem in Aruernorum Pontificum Catalogo, Darbenus, & Dorbertus. Dorbertum omittunt, Chenutius, Robertus, Sammar-

Digitized by Google

thani. In Originibus Claromontanis Sauaro & Durandus exiſtimant Dorbertum eundem eſſe cum Nordoberto, qui Pontificatum anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-nono ſuſcepit. Deinde quem Demochares Darbenum vocat, alij Daibenum & Daylenum appellant. Succeſſit igitur in Epiſcopatum Thaidoni Daibenus ſeu Daylenus aut Darbenus, de cuius ſucceſſore agemus Tomo ſequenti.

LXXVII. Higelricum Anicienſem Epiſcopum, cui Torpio poſteà ſucceſſit, in viuis ſuperſtitem fuiſſe credimus, cùm pars Saracenorum poſt pugnam Pictauienſem per Diœceſim Anicienſem in Septimaniam ſe recepit. Florebat in illo Epiſcopatu Monaſterium Calmeliacenſe, cui Theofredus Abbas tunc præerat. Hugo Menardus [a] ex Ordinario Caſæ Dei, ex Chronicis Monaſterij Calmeliacenſis, ex vita & paſſione Sancti Theofredi, necnon ex aliis veteribus monumentis, quæ ex illo Cœnobio recuperauit, vitam eiuſdem Theofredi Abbatis concinnauit, & Martyrium in hunc modum deſcripſit. *Sanctus Theofredus conuocatis Monachis prædixit barbaros Monaſterium inuaſuros, ſuaſítque, vt in ſyluis latebras quærerent. Cari filij pium patrem deſerere nolebant, ſed eius precibus victi in ſyluas ſe receperunt. Sanctus verò Theofredus ante aram Sancti Petri proſtratus Deum precatus eſt, vt ſe dignam hoſtiam acciperet, nec mora, Iſmaelitæ Monaſterium inuaſerunt, atque huc & illuc diſcurrentes Sanctum Theofredum in eodem loco orantem inuenerunt, nimióque furore accenſi eum virgis atrociſſimè cædentes immaniter deturparunt, cupientéſque in ceteros Monachos ſimiliter furorem ſuum effundere, petierunt ab illo, vbinam eſſent, & quorſum tot ædificiorum ſubſtructiones, in quibus habitaret nemo, Chriſti Martyr reſpondit eos Dei prouidentiâ ab eorum immanitate eſſe ſubductos, nec in eorum eſſe poteſtate illis abſque Dei voluntate nocere. At illi ſe omnia flammis ſuccenſuros, eúmque morte acerbiſſimâ excarnificaturos minitati ſunt, niſi quamprimùm ſocios patefaceret. Vir Dei reſpondit Deum eſſe loci defenſorem, ſéque velle pro ouibus animam ponere. Illi verò nimio furore exacerbati neruis cædentes eum ſemianimem reliquerunt. Tum fortè ſolemnis quædam dies iuxta ritum gentis interuenerat, in qua, ſacra quædam impia perſoluebant. Sanctus Theofredus reſumptis diuinâ virtute viribus ſurrexit, & in mediam turbam irrumpens, eos vehementer ob eiuſmodi ſacra nefanda increpauit. At ſacrificulus in eum frendens iacto lapide graue vulnus eius capiti inflixit, ex quo ſtatim in terram corruit. Mox locus ille contremuit totus; fulgura, tonitrua, tenebroſus imber, & venti vltra modum furentes ſubſequuntur. Barbari nimio terrore perculſi, ſimul conglobati, impactis clypeis in modum teſtudinis ſubſidebant, hoc pacto huius tempeſtatis impetum ſe euaſuros arbitrati, ſed fruſtrà, nam plurimi vi tonitruum exanimati ſunt. Ceteris effugatis, Monachi, timore adempto, paulatim è latebris emerſerunt, & in Monaſterium reuerſi Sanctum Theofredum humi iacentem repererunt, &, ictu lapidis vertice comminuto, interiora cerebri viderunt. Sanctum virum cum multis lamentis in cellam deportant. Pedes & manus oſculabantur, quos tamen ille eiuſmodi veneratione prohibebat. Hos tot calamitatibus afflictos per ſeptem dies blandè allocutus eſt, diuiniſque ſuis ſermonibus ad Regulæ obſeruantiam mutuámque caritatem adhortatus feliciter obiit Martyrum trabeâ decoratus* 18 *Nouembris.* Idem Auctor perperam ſubiungit id contigiſſe *circa annum Domini ſeptingenteſimum vigeſimum-quintum, quo allophylorum diluuium illud in Gallias exundabat.* Nec his tantùm verbis, ſed & aliis quæ præmiſerat, ſuper anno, quo Theofredus Abbas Martyrium paſſus eſt, ſuam quoque mentem ſic aperuit. *Tunc temporis, Saraceni, gens fera & crudelis, vocante Eudone Aquitaniæ Duce aduerſùs Carolum Martellum, numeroſo exercitu ex Hiſpania erumpens omnem Aquitaniam populabatur.* Vtrobique locutus eſt in opinione Chronographi Fuldenſis, qui de Saracenis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum hæc ſcripſit. *Sarraceni ab Eudone in auxilium ſuum vocati cum Rege ſuo Abdirama, Garonnam Burdigalémque perueniunt, cunctis locis vaſtatis, & Eccleſiis igne crematis. Baſilicam quoque Sancti Hylarij Pictauis incendunt.* At nec Eudo Præfectus Aquitaniæ Saracenos in auxilium

contra

[a] Lib. 2. obſeruat. d. 18. Nou.

THEOFREDUM ABBATEM CALMELIACENSEM LETHALIBUS VULNERIBUS AFFICIUNT.

Digitized by Google

AN. CH. 732. THEODOR. IV. R. 12.

contra Carolum Maiorem-domûs ex Hiſpania vocauit, nec iidem Saraceni duce Abdiramâ Burdigalam aut Pictauium anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto populabundi peruenerunt. Hæc Arabum in Vaſconiam & Aquitaniam irruptio ſeriùs referri debet. Mauri, Burdigalâ Pictauióque captis, cùm in agrum Turonicum ingredi vellent, à Carolo & Eudone debellati ſunt die Sabbati, menſe Octobri, hoc anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, vt ex Auctoribus Annaliſtâ Fuldenſi longè vetuſtioribus probatum ſuprà. Magnâ tum clade attriti redierunt ocyùs in Septimaniam. Vt autem agrum Lemouicinum, de quo proximè locuti ſumus, ſic & Anicienſem deformarunt. Quos autem die Sabbati, menſe Octobri, prope Pictauium, in fugam Franci verterunt, eos nihil vetat prope Anicium verſatos eſſe die proximi Nouembris vndecimo, quo Theofredus Abbas adeò vulneratus eſt, vt obierit ſeptimo pòſt die, ſeu die duodeuiceſimo Nouembris iam notato. Podienſe Martyrologium [a] ad illum diem hæc habet. *In territorio Vellaico prope Anicienſem vrbem, in loco, qui vocatur Calmilius, Paſſio Sancti Theofredi Abbatis & Martyris.* De Sancti Theofredi ſucceſſoribus nihil legimus. Qui Sauinianum ei ſubrogant, hi Calmeliacenſem Abbatem perperam conſtituunt Sauinianum, qui Sancto Theofredo ſynchronus vixit, & Menatenſis Abbas in Aruernenſi Diœceſi poſt Sanctum Meneleum fuit, vt ad annum Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſextum [b] obſeruauimus.

[a] Ap. Gyſſeyum in Hiſt. Podienſi, l. 1. cap. 35.

[b] Nn. 28. 29.

Hermannus Contractus ad hunc annum in editione Piſtoriana ſic ſcribit. LXXVIII.
732. *Carolus contra Saracenos pugnat die Sabbati.* Id veriſſimum eſt, haberíque debet pro genuino Hermanni textu, cuius loco Vrſtiſiana editio hunc reponit, *Carolus Gothiam inuadit*, errore certè manifeſto, Carolus enim, licèt iunctis copiis cum Eudone Aquitaniæ Præfecto nobiliſſimam de Saracenis hoc anno victoriam prope Pictauium reportarit, *Gothiam* ſeu Septimaniam, quæ Pictauio procul aberat, Saraceníſque tota parebat, non inuaſit, prælíumque cum iiſdem Saracenis in Gothia non conſeruit ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum, vt ex Annalibus Nazarianis ac Petauianis & ex Hermanno genuino ſeu Piſtoriano liquet. Hermanno igitur Vrſtiſiano vitioſior adhuc eſt Caniſianus, apud quem *anno* 732 *Carolus Gothiam inuadens, Regem Saracenorum Narbone incluſum obſidet*, nam ſi Carolus hoc anno in Gothiam vſque non penetrauit, ſanè nec Regem Saracenorum Narbone incluſum obſedit. Quæ verò ſequuntur in editione Caniſiana, cùm ad Augienſe Monaſterium pertineant, ex Archiuis illius loci deprompta ſuſpicamur, ideóque, licèt Hermanno ab Interpellatore inſerta ſint, veriſimilia putamus. *Eato Augiæ Abbas*, inquit Hermannus apud Caniſium, *à Theodebaldo ob odium Caroli Muraniam relegatus, ſed eodem anno, pulſo Theodebaldo, à Carolo reſtitutus eſt.* Quapropter rectè Bucelinus [c] hoc loco. *A. C. 732. Martello contra Saracenos occupato*, nempe in Aquitania, vbi pugna prope Pictauium commiſſa, *Theodebaldus Dux Alemanniæ Ethonem Augiæ Abbatem Cœnobio eiicit, quem paulò pòſt reſtituit Martellus.* Fidem autem minùs meretur, cùm id ſubiungit actum *victo & eiecto Theodebaldo, fortè & caſo*, quoniam putat Luitfridum Iuniorem Alemanniæ Ducem mox ſcribi, Theodebaldúmque, qui poſteà cum Carolomanno pugnauit, Iuniorem dici & à prædicto diſtinguendum ominatur. Illis de rebus quid ſentiamus, paucis accipe. Carolo in Aquitania contra Saracenos occupato, Theodebaldus Alemanniæ Dux, vt Pyrminium ante biennium, ſic & hoc anno Ethonem Augiâ expulit, ſed paulò pòſt reuocauit auditâ Caroli victoriâ. Tunc autem alteram Alemanniæ partem, ſiue Alemanniam Alſaticam, vt recentiores appellarunt, regebat Dux Luitfridus, de quo ſermonem ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quintum copioſè fecimus. Erat ex alia familia Theobaldus ſeu Theodebaldus, qui Lantfrido patri ſuo in Præfecturam ſeu Ducatum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo ſucceſſit, & primis

HEDDO ABBAS AVGIA EXPELLITVR, ET PAVLO POST REVOCATVR.

[c] In Chronol. Rhætiæ.

Digitized by Google

AN. CH. 732. Abbatibus Augiæ, Pyrminio videlicet & Ethoni, hoſtem ſe infenſiſſimum præbuit, atque vt cum Carolo, ſic & cum eius filiis Carlomanno & Pippino graues inimicitias geſſit.

733. Theodor. IV. R. 13.

ANNVS
CHRISTI 733.
THEODORICI IV. R. 13.

I. ANNO Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio, Carolus duas expeditiones, vnam contra Saracenos, alteram contra Friſones ſuſcepit.

II. In Hiſtoria iuſſu Childebrandi conſcripta [a], hæc Abdiramæ cladi necique proximè ſubiiciuntur. *Procedente alioquin anno ſequente, egregius bellator Carolus Princeps regionem Burgundiæ ſagaciter penetrauit, fines Leudibus ſuis probatiſſimis, viris induſtriis, ad reſiſtendum gentibus rebellibus & infidelibus ſtatuit. Pace partâ Lugdunum in Gallia ſuis fidelibus tradidit. Firmata fœdera induciaria, reuerſus eſt victor fiducialiter agens.* Et initio Appendicis ad eandem Hiſtoriam, vbi Auctor, antequàm operis continuationem ineat, nonnulla præmittit, quæ vel omiſerat omnino, vel oſcitanter ſcripſerat, hæc leguntur. *Sagaciſſimus vir Carolus Dux, commoto exercitu, partibus Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ vrbem, maiores natu atque Præfectos eiuſdem prouinciæ, ſuæ ditioni & reipublicæ ſubiugauit, vſque Maſſilienſem vrbem vel Arelatum, ſuis Iudicibus conſtituit, cum magnis theſauris & muneribus in Francorum Regnum remeauit in Sedem Principatûs ſui.* Poſterior hic textus, in quo nullum de fœderibus induciariis verbum, priori præferendus eſt. Porrò annum poſt Pictauienſem pugnam proximum, quem prior textus exhibet, Annaliſta Fuldenſis malè interpretatur annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſeptimum. *An.* DCCXXVII. *Carlus Burgundiam petens, Lugdunum & ciuitates reliquas ſuæ ditioni ſubegit.* Meliùs Annaliſta Metenſis, ſic. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCXXXIII. *Karolus Princeps Regnum Burgundiæ cum valida manu penetrauit, fineſque Regni illius fidelibus ſuis Ducibus probatiſſimis ad regendum dedit. Indéque victor reuerſus, ad propria,* id eſt, in Auſtraſiam, *rediit, in omnibus ſeſe ſapienter & fiducialiter agens.* Vltra Lugdunum igitur ſummoti Saraceni, recuperatæque à Francis vrbes cis poſitæ, Diuio, Belna, Cabilo, & Matiſco cum Veſontione. Nec vocamus in dubium, quin per abſentiam Caroli, quem perfidia Friſiorum in Auſtraſiam euocauit, Chriſtiani Valentiam quoque cum Auenione receperint, Auenio enim per inſignem proditionem in Arabum poteſtatem rurſum deuenit, vt dicemus ſuo loco.

[a] Cap. 109.

CAROLVS SARACENOS PELLIT E BVRGVNDIA.

III. Carolus recuperato Lugduno, rebúſque Burgundiæ ſic diſpoſitis, vt illic nihil à Saracenis timendum videretur, in Auſtraſiam citiſſimè contendit, atque inde profectus eſt aduersùs Friſones, quos in armis eſſe bellúmque meditari certiſſimè nouerat. Extincto Radbodo Friſiorum Rege, cuius mortem anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo conſignauimus, pax cum Francis per aliquot annos populo Friſico inconcuſſa ſtetit, Chriſtianíſque Doctoribus Religioni propagandæ ſumma commoditas eſt data. *Sic*, inquit Emmius [b], *vileſcere paulatim idola, & Chriſti cognitio ac honos vbique augeri, Templa erigi, Eccleſiæ conſtitui, his miniſtri & reliquus ordo dari; atque hæc non ſolùm in Friſia, ſed in Batauia quoque, & vicino ad Rhenum tractu fieri.* Seruandæ paci non parum contulit ætas minorennis Gondebaldi & Radbodi, qui ſub tutoribus tunc erant. *Sed*, vt idem Auctor paulò pòſt ſubiungit, *bello Aquitanico difficili dum procul in extremis Galliæ fi-*

[b] Lib. 4. rer. Friſic.

Digitized by Google

nibus Carolus *diſtinetur, ſummíſque implicitus eſſe videtur periculis, Friſij occaſione illecti tumultum concitant, Francicaque in ſe arma irritant. Cauſa quanquam expreſſa in Annalibus non ſit, colligi tamen facilè, atque in veterum ſcriptis obſeruari poteſt, pertinacem ſcilicet in patriis ſacris retinendis multitudinem haud facilè Chriſti doctrinam admiſiſſe, Francíſque, qui ſe patronos eius ferebant, morem gerere recuſaſſe, imprimis fauorum ſuorum euerſione, idolorúmque ignominiâ commotam frænum momordiſſe, & ad arma temerè conclamaſſe.* Belli Friſici hoc anno geſti ſuperſunt antiqua monumenta. Barbaro enim ſtylo hæc in Annalibus Petauianis leguntur. DCCXXXIII. *Quando venit com Weſtri exercitum in Weſtrigon.* Politiore autem ſtylo in Annalibus Tilianis & in Chronico San-Dionyſiano. DCCXXXIII. *Karolus cum exercitu venit in Wiſtragon.* Et apud Reginonem poſt bellum Aquitanicum, *Carolus cum exercitu in Weſtrachiam venit, eámque ſuæ ditioni ſubiecit.* Hodie hæc regio Weſtergoa nuncupatur, & eſt pars Occidentalis Friſiæ. Emmius enim Friſiam Occidentalem in tres partes diuidit, earúmque primam vocat Weſtergoam, atque ita deſcribit libro primo rerum Friſicarum. *Prima Weſtergoa eſt, à Stauera * Friſiorum quondam metropoli illuſtri initium ducens, & maiorem longitudinis vniuerſæ partem complexa, mari aut æſtuariis magna ex parte circumfuſa, & multò opulentiſſima, hominibúſque & ædificiis frequentiſſima. In qua, Franekera *, ciuitatum Friſiæ amœniſſima, & mundicie rara, domibus virorum nobilium peramplis & inſignibus ornata, riuo nauigabili irrigua, vallo terreo ac foſſâ probè munitâ, ciuium elegantiâ ac inſtitutis florens, domicilium Muſarum hoc tempore; Sneca * humili loco & aquoſo, piſcium prouentu imprimis fœlix; Bolſuerdia * vetuſtate pollens; mediterranea oppida, & iam olim contra hoſtiles incurſus communita. Item Harlinga * in littore, recens mœnibus circumdata, cum arce paulò antè firmiſſima, & peregregio portu, mercatu celebris, velut emporium totius regionis, in annos ſingulos fortunam adhuc adaugens. Tum Slota *, & Stauera quondam Friſiorum regia ſuperbo cultu, nunc oppidi vix nomen tuens, aut ſpeciem retinens, ſimiliter in ora ad meridiem pertinente, in Præfectura Geeſtana, quæ inter hæc duo oppida ſecundùm mare extenditur, vtraque circumuallata. Hindelopa * & Worcumum * in littore Occidentali, Ilſta * Sneccæ vicina, agro humili & irriguo, vt ipſa quoque Sneca, ſita, quæ mœnibus carent. Territoria porrò* VIII. ſeu totidem Præfecturæ, de quibus paulò pòſt ſic idem Auctor. *In Weſtergoa Præfectura recenſentur hæ; Wonſerana, Franekerana, Barrana, Meinaldana, Baerdana, Hennardana, Wymbritzana, Geeſtanna, quæ poſtrema, vt dixi, inter Slotam & Staueram porrecta, vtroque comprehenſo oppido, totâ eâ longitudine fluctibus pulſatur.*

FRISIOS ADORITVR.

* Staueren.
* Franeker.
* Sneeck.
* Bolſwert.
* Harlingen.
* Sloten.
* Hindelopen.
* Worcum.
* Ilſt.

IV. De Pippino Caroli filio in Longobardiam profecto Paulus Diaconus in Geſtis Longobardorum ſic ſcribit [a]. *Circa hæc tempora Carolus Francorum Princeps filium ſuum ad Liuthprandum* Regem Longobardorum *miſit, vt eius (iuxta morem) capillum ſuſciperet. Qui eius cæſariem incidens ei pater effectus eſt, multíſque regiis muneribus donatum genitori remiſit.* Tempus, quo id geſtum eſt, ſatis apertè declarat Regino [b], dum poſt bellum Aquitanicum, in quo Carolus Saracenos profligauit, de Pippini profectione in Longobardiam loquitur, proximéque ſubiungit Carolum *cum exercitu in Weſtrachiam* veniſſe. *Circa hæc*, inquit, *tempora Carolus Princeps Pipinum filium ſuum ad Luitprandum Regem direxit, vt eius, iuxta morem, capillum incideret. Qui eius cæſariem incidens, ei pater effectus eſt, multíſque eum ditauit muneribus, & genitori remiſit.* Eiuſdem quoque rei meminit Continuator [c] Aimoini, ſic. *Ei*, nempe Luitprando, *filium ſuum Pipinum* Carolus *miſit, vt, more fidelium Chriſtianorum, eius capillum primus adtonderet, ac pater illi ſpiritualis exiſteret. Quod ille gratiſſimè complens, multis ditatum muneribus genitori natum remiſit.*

PIPPINVM FILIVM MITTIT AD LVITPRANDVM R. LONGOBARD.

[a] Lib. 6. c. 15. vet. edit. c. 53. nouæ edit.

[b] Lib. 1.

[c] Lib. 4. c. 57.

V. Ex prædictis colligimus Pippinum in Longobardiam hoc anno miſſum fuiſſe, cùm Carolus eius pater è Burgundia iam rediiſſet, eſsétque in pro-

AN.CH. 733. THEODOR. IV. R. 13.

cinctu belli Friſici. Pippinum, ſi Waſburgius [a] vera ſcribit, comitatus eſt Volchiſus Virodunenſis Epiſcopus, reuerſúſque Virodunum ibidem paulò pòſt obiit. Tum ſucceſſit in Epiſcopatum Agronius, qui Præſulatum annis tribus geſſit, & per abſentiam Caroli, quem res bellicæ procul vocarunt, ab Anſelino Comite, qui Pontificatum poſt Volchiſi mortem ambierat, dira paſſus eſt, eóque viuis erepto vacauit Sedes annos tres, quia ne prædictus Anſelinus Epiſcopus fieret, Clerus obſuit. Caremus argumentis, quibus Volchiſi profectionem in Longobardiam & triennem Agronij ſucceſſoris Epiſcopatum improbare poſſimus. De ills igitur non diſputamus. Sed alia ſunt apud eundem Waſburgium, quæ rectæ Chronologiæ non illigantur. Volchiſus, cuius iter in Longobardiam ante hunc annum collocari nequit, Pontificatum vltra ſeptennium tenuit, nec anno Chriſti ſeptingenteſimo vndetriceſimo viuere deſiit. Deinde Agronius ipſius Volchiſi ſucceſſor non obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, cùm Epiſcopatum illo anno nondum adeptus eſſet. Denique interpontificium, quo Virodunenſis Eccleſia poſt Agronij mortem laborauit, ad Pippini vſque Regis tempora prorogari debet, vt Tomo ſequenti probabimus.

[a] Lib. 2.

EPISCOPI VIRODVNENSES,

VI. REMENSES,

Rigobertus Remenſis quondam Epiſcopus, de quo ſæpè locuti ſumus, ad Deum feliciter migrauit pridie Nonas Ianuarij, quo die celebris eſt eius memoria in Tabulis Eccleſiaſticis. Annus controuertitur, ſiletur enim à Flodoardo, & ab Auctore vitæ numeratur poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimus ſeptuageſimus-tertius errore manifeſto, quia priùs obiit quàm Pippinus Rex acclamaretur. Ioannes Bollandus [b] in obſeruationibus [c], quas vitæ præfixit, anni DCCLXXIII loco per vnius literæ mutationem annum DCCXXIII reſtituendum iam monuit. *Beatus Præſul Rigobertus*, vt Flodoardus ſcribit [d], *actibus egregiis, magniſque virtutibus pollens, annos plures in hac exegit conuerſatione, conſummatâque viriliter præſentis vitæ militiâ deceßit pridie Nonas Ianuarij. Humatus eſt autem venerabiliter à Sacerdotibus in præfata villa*, id eſt, in Gerniaca curte, *in qua morari ſolebat, in Eccleſia Sancti Petri ad Auſtralem plagam altaris. Qui multis hic poſt ſanctam depoſitionem ſuam refulgens miraculis, quanti ſit apud Deum meriti, patenter innotuit.* Nonnulla, quibus ſuperſedemus, referunt Flodoardus [e] & Auctor vitæ [f]. De Sancti Rigoberti ſucceſſore nihil dicemus hoc loco, quia Milo Treuirenſis Epiſcopus Remenſem Epiſcopatum à multis annis peſſumdabat, multíſque poſt eiuſdem Sancti Rigoberti tranſitum annis adhuc peſſumdedit.

[b] d. 4. Ian.
[c] Num. 2.
[d] Lib. 2. c. 14.
[e] In Hiſt. Rem. lib. 2. cap. 14.
[f] Ap. Bolland. d. 4. Ian.

VII. TVRONENSES,

Obiit & hoc anno Dido ſeu Vido Metropolites Turonenſis, qui, teſte Chenutio, *ſedit an.* 1. *menſ.* 1. Succeſſit Rigambertus, ſeu Ragobertus, vel Raimbertus, qui *ſedit an.* 18. *menſes* 5. malè in exemplaribus Chenutij, *an.* 28. & teſte Maano [g] laudatur in Chronico Turonenſi ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-quartum.

[g] Part. 1. n. 39.

VIII. DOLENSES.

In eadem prouincia Turonenſi vitam quoque clauſit Tiarmailus Dolenſis Epiſcopus cùm annos ſediſſet ſexdecim, vt Auctor Armoricæ Sanctæ notauit in Dolenſium Antiſtitum Catalogo. Succeſſit in Pontificatum Thurianus, cuius Acta Vincentius Barralis in Chronologia Lerinenſi publicauit.

IX. ABBATES CONDATESCENSES.

Ex hac quoque vita diſceſſit hoc anno Ruſticus Abbas Condateſcenſis, cùm poſt Sanctum Claudium Monaſterio per annos quinque ac triginta præfuiſſet, vt ex vetere Chronico referunt Sammarthani. Succeſſit in dignitatem Abbatialem Autfredus, de quo rurſum Tomo ſequenti.

X.

Per hæc tempora Bonifacius Archiepiſcopus, qui condendis apud Friſlariam & Amanaburgum Cœnobiis incumbebat, euocatos è Britannia Monachos ſuſcepit, quorum operâ in erudiendis tironibus vſurus eſſet. Præ ceteris enitebat Wigberchtus, qui poſteà Friſlarienſis ſeu Friteſlarienſis Abbas fuit.

XI. WIGBERCHTVS

Huius Wigberchti vitam, quam Ioannes Buſæus ex manuſcripto Codice primus anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſecundo Moguntiæ publi-

cauit, in literas retulit Lupus Seruatus anno Chriſti octingenteſimo triceſimo-ſexto, ſed de rebus ab eo geſtis, priuſquàm à Bonifacio, Archiepiſcopatum Moguntiacenſem nuperrimè adepto, regimini Friteſlarienſis Monaſterij præficeretur, adeò parcè ſcripſit, vt datâ operâ initium ſuæ narrationis ab eadem Friteſlarienſi præfectura ſumpſiſſe videatur. Atque id gratis à nobis dictum ne putes. Sic enim in ipſa præfatione Lupus. *Nec verò cuiquam hæc ideo indicentur infirma, quòd octingenteſimo trigeſimo-ſexto anno Dominicæ Incarnationis, Indictione autem quartâ-decimâ, præſens Opuſculum cudens, ante nonaginta annos acta repetere videar.* Annus autem ille nonageſimus ante annum octingenteſimum triceſimum-ſextum Incarnationis Dominicæ non alius eſt ab anno Incarnationis Dominicæ ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſexto, qui primus Bonifacij Moguntiacenſis Archiepiſcopi numeratur. AN. CH. 733. THEODOR. IV. R. 13.

XII. A Wigberchti ortu, ad aduentum vſque in Germaniam, hæc tantùm leguntur in eius vita. *Beatus Wigberchtus ab Anglis-Saxonibus claram trahens originem, natalium ſecularem nobilitatem merito virtutum longè tranſcendit. Ab annis etenim puerilibus adeò probitate morum enituit, vti iam tum palàm emineret fore, vt tanta indoles magnum quiddam, ſupráque communem prorſus menſuram diuinitus, vt contigit, ſortiretur, atque ſtudioſè ſacris literis inſtitutus ardentiſſimum amorem, nec minorem ſanè venerationem longè latéque grauitate ſibi peperit ſingulari.*

XIII. *Adit Bonifacium.* Et ab aduentu in Germaniam, ad præfecturam vſque Friteſlarienſem, ſiue ab hoc anno ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſextum iſta. *Bonifacius non multò poſtquàm in Germaniam venerat, beatum Wigberchtum, futurum in prædicatione ſolatio, diligenti arceſſendum curauit induſtriâ. Atque ille Sancto Bonifacio, imò Deo parens vocanti, quo tempore Dux Francorum Carolus rerum potiebatur, iniit conſortium ſancti propoſiti. Quem beatus Bonifacius, vt par fuit, & excepit gratiſſimè, & germanâ ſibi charitate fœderatum ſummâ veneratione ſuſpexit, quippe quòd, vt natu maior, ille ſtudiis flagraſſet antè diuinis. Neque multò pòſt ad ampliſſimum Pontificalis gradum dignitatis Mogunciaci diuinâ gratiâ prouectus Wigberchtum Sacerdotem ſecundi ordinis Cœnobio ſuo, cui nomen eſt gentili Germanorum linguâ Frideſlar, Magiſtrum præfecit.*

XIV. In poſteriori textu tres occurrunt Characteres Chronologici, qui nonnihil conducunt ad inueſtigandum tempus, quo Wigberchtus in Germaniam è Britannia transfretauit. Primus ſumitur ab aduentu Bonifacij in Germaniam cum literis Apoſtolicis. *Bonifacius non multò poſtquàm in Germaniam venerat.* Secundus à Maioratu Caroli. *Quo tempore Dux Francorum Carolus rerum potiebatur.* Tertius ab aſſumptione Bonifacij in Archiepiſcopum Mogunciacenſem. *Neque multò pòſt* Bonifacius *ad ampliſſimum Pontificalis gradum dignitatis Mogunciaci diuinâ gratiâ prouectus.* Ab anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo, quo Winfridus, qui poſteà Bonifacius dictus eſt, in Germaniam cum literis Gregorij Papæ primùm venit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-quintum, quo idem Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus delectus eſt, effluxerunt anni ſex & viginti. Tantum quidem temporis ſpatium rectè circumſcribi nequit duabus hiſce loquendi formulis, *non multò poſtquàm*, &c, *neque multò pòſt.* Nam ſi Wigberthus, *non multò poſtquàm Bonifacius in Germaniam venerat*, illuc quoque profectus eſt ex Anglia, certè commentitium haberi debet, quod de Moguntino Bonifacij Pontificatu ſubiicitur, nempe quòd *neque multò pòſt* Bonifacius *ad ampliſſimum Pontificalis gradum dignitatis Mogunciaci diuinâ gratiâ prouectus Wigberchtum Sacerdotem ſecundi ordinis Cœnobio ſuo, cui nomen eſt gentili Germanorum linguâ Frideſlar, Magiſtrum præfecit;* ac vice verſâ ſi Bonifacius non multò poſt Wigberchti aduentum in Germaniam aſſumptus eſt in Archiepiſcopum Moguntiacenſem, ſanè fictitium eſt quod de Wigberchto præponitur, nempe quòd *non multò poſtquàm Bonifacius in Germaniam venerat*, ad eundem Bonifacium ſe contulerit. At multorum annorum interſti-

AN. CH 733. THEODOR. IV. R. 13.

tium longámque temporis intercapedinem prædictis formulis aliíſque ſimilibus deſignari non ſemel oſtendimus. Si ſpatium viginti-ſex annorum, quod duæ formulæ ſuprà recitatæ complectuntur, bifariam æqualitérque diuidas, à noſtra computatione non recedes. Nam iuxta illam partitionem *Bonifacius* ſeu Winfridus *non multò poſtquàm in Germaniam venerat,* cum literis Romani Pontificis, id eſt, anno pòſt decimo-tertio, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, cùm apud Friteſlariam & Amanaburgum Monaſteria conſtruebat, *beatum Wigberchtum, futurum in prædicatione ſolatio, diligenti accerſendum curauit induſtriâ*, annóque poſtero, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio, Wigberchtus Bonifacium conuenit. Huic Chronologiæ non refragatur Character, qui petitur à Maioratu Caroli, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo, quo Winfridus in Germaniam cum literis Gregorij Papæ primùm venit, Carolus Maioratum Regiæ domûs iam gerebat, geſſitque ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-primum, quo viuere deſiit.

XV. Quocumque modo textum Lupi Seruati ſuprà deſcriptum interpreteris, opinionem noſtram de tempore quo Wigberchtus in Germaniam profectus eſt, anteuertere non potes. Bonifacius enim, priuſquam Wigberchtum ex Anglia vocaret, à Gregorio tertio Papa factus eſt incertæ Sedis Archiepiſcopus, vt ipſiuſmet Wigberchti ad ſodales in Britannia relictos literæ palàm declarant, in quibus Bonifacium iam Archiepiſcopum obuiam ſibi *longâ viâ* veniſſe ſic teſtatur. *Dominis Sanctis & in Chriſto deſiderandis patribus ac fratribus in Monaſterio Gleſtingaburg conſtitutis, Wiehtbert Presbyter, veſter vtique ſeruus ac ſeruorum Dei, ſupplex in Domino ſalutem. Benedictus Deus, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem venire veritatis, qui etiam noſtrum iter ſuâ voluntate in has prouincias, id eſt, in confinio paganorum, Heſſonum ac Saxonum, proſperum, vltra mare, & per huius mundi pericula, ſine merito noſtro, licentiâ veſtrâ & orationibus, ac miſericordiâ ſuâ direxit. Scitis, fratres, quia non nos terrarum ſpatia diuidunt, quos Chriſti charitas nectit. Semper ergo fraternitas veſtra ac reuerentia, ſimul & orationes pro vobis ad Deum, in me manent. Vos autem volo ſcire, chariſſimi, quòd Archiepiſcopus noſter Bonifacius, cùm aduentum noſtrum audiſſet, per ſemetipſum dignatus eſt longâ viâ in obuiam nobis venire, ac ſuſcipere valdè benignè. Nunc dilectiſſimi, credite, quòd labor noſter nobis non ſit inanis in Domino, ſed veſtræ ſit mercedis. Deus enim Omnipotens per miſericordiam ſuam, ac merita veſtra, ſufficientiam operis noſtri bonam perficit, licèt valdè ſit periculoſum ac laborioſum penè in omni re, in fame, & ſiti, in algore, & incurſione paganorum inter ſe degere. Idcircò, rogo, diligenter orate, vt ſit nobis ſermo in apertione oris, & permanentia in opere, & fructus. Valete in Domino.* Edita eſt hæc epiſtola cum Bonifacianis [a].

[a] Ep. 55.

XVI. Hugo Menardus in Obſeruationibus [b] ad Martyrologium Benedictinum, in quo Titulus *Abbatis Friſlarienſis* Sancto Wigberchto ſeu Wigberto tribuitur, de illo Abbate ſcripſiſſe vult Bedam libro quinto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, capite decimo; necnon Marcellinum, aut potiùs eius Interpolatorem, in vita Sancti Suiberti, capite ſeptimo.

[b] Lib. 2. d. 13. Aug.

XVII. PLVRES DISTINGVVNTVR WIGBERTI.

Wigbertus, ſeu Wictbertus, aut Wictberchtus, de quo Beda loquitur, cùm in Friſia *duobus annis continuis* Euangelium prædicaſſet, exinde à Radbodo Rege pulſus in procinctu belli, quod anno Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo Francos inter ac Friſios exarſit, reuerſus eſt in Hiberniam, vbi, teſte eodem Bedâ, *ſolito in ſilentio, Domino vacare cœpit, & quoniam externis prodeſſe ad fidem non poterat, ſuis ampliùs ex virtutum exemplis prodeſſe curabat.* Plura de illo non leguntur apud hunc Auctorem qui de Wilbrordo eiúſque ſociis in Friſiam profectis multa capitibus [c] proximè ſequentibus ſcribit. Vnus è Wilbrordi ſeu Willebrordi comitibus, in Foſiteſlandia Inſula, Radbodi Regis iuſſu necatus eſt, Wigbertus in Hiſtoria Suibertina nuncupatur, ſed nec eo nomine vocatur in antiquo vllo Scriptore,

[c] Lib. 5. cc. 11. 12.

Digitized by Google

nec, ſi talem appellationem alicubi ſortitur, is neceſſariò cenſendus eſt Wigbertus, cuius mentionem Beda ſuprà citatus fecit, altum enim de altera Wigberti ſeu Wigberchti in Friſiam profectione ſilentium eſt apud hunc Auctorem, licèt Hiſtoriam ſuam, vt ex vltimo capite liquet, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-primum, ſiue ad annum poſt Radbodi Regis mortem duodecimum perduxerit. Deinde prædicto Radbodo, cuius obitus anno Chriſti ſeptingenteſimo vndeuiceſimo conſignatur, annis valdè multis ſuperſtes fuit Wigbertus ſeu Wigberchtus, anno enim Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-ſexto, cùm Bonifacius Moguntiacenſis Archiepiſcopus iam eſſet, adminiſtrationem Friteſlarienſis Monaſterij ſuſcepit. Denique hæc obſeruatio Wigberchtum vt à Willebrordi comite, quem in Foſiteſlandia Inſula Radbodus Friſiæ Rex interimi præcepit, ſic & à Wigberto diſtinguit è Friſia in Hiberniam reuerſo, cùm annus Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimus vndenonageſimus numerabatur, quis enim ſibi perſuadeat Wigbertum illum poſt annos quinquaginta-ſeptem à ſuo è Friſia reditu præpoſitum regimini Friteſlarienſis Monaſterij, diùque poſteà cùm Friteſlariæ, tum Ordorfij, atque iterum Friteſlariæ conuerſatum eſſe? Lege Lupum Seruatum in vita Sancti Wigberchti, & eos redargue, qui notatiunculam hanc in margine collocant. *Obiit anno Chriſti 747 teſte Lamb. Schafnab.* Apud Lambertum Schafnaburgenſem hæc quidem occurrunt. *Anno 747 Sanctus Wigbertus migrauit à ſeculo.* Sed intelligenda ſunt vel de Wigberto, qui conſenuit in Hibernia, vel de quopiam alio eiuſdem nominis, qui diſtinguatur ab Abbate Friteſlarienſi, nam Lupus Seruatus, qui vitam Sancti Wigberchti in literas anno Chriſti octingenteſimo triceſimo-ſexto retulit, vbi quæſtio eſt de rebus, quæ medio circiter octauo ſeculo contigerunt, plùs auctoritatis ſibi conciliat, quàm Lambertus Schafnaburgenſis, qui ſuum opus ad annum vſque Chriſti milleſimum ſeptuageſimum-octauum perduxit. In eodem Lupi Seruati margine, ad textum, in quo legitur, quòd *beatus Bonifacius* Wigberchtum hoc anno ad ſe venientem, *vt par fuit, & excepit gratiſſimè, & germanâ ſibi charitate fœderatum ſummâ veneratione ſuſpexit, quippe quòd, vt natu maior, ille ſtudiis flagraſſet antè diuinis*, ponitur hæc altera notatiuncula. *S. Wigbertus ſenior S. Bonifacio.* Bonifacius, hoc anno, cùm Wigberchtum excepit, annos, vt arbitramur, natus erat duodeſexaginta, iuniorem exiſtimamus Wigberchtum, eúmque à Lupo natu maiorem non dici cum relatione ad Bonifacium, ſed cum relatione ad complures eiuſdem Bonifacij diſcipulos in adoleſcentia poſitos, nec adhuc per ætatem capaces rerum magnarum atque arduarum, quarum adminiſtratio committi Wigberchto poteſt. At eſto. Wigberchtus Bonifacio ſenior habeatur, an idem ſtatim cenſendus cum Wigberto cuius meminit Beda? Præualidum ab ætate argumentum iam eruimus. Ab anno enim Chriſti ſexcenteſimo vndenonageſimo, quo Wigbertus è Friſia in Hiberniam rediit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſextum, quo Wigberchtus Friteſlarienſi Monaſterio præfectus fuit, effluxerunt anni quinquaginta-ſeptem, & Wigberchtus, ſi non alius à prædicto Wigberto, maior fuit nonagenario, cùm à Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino præpoſitus fuit adminiſtrationi Friteſlarienſis Cœnobij, quod probabile minimè videtur. Wigberchtus igitur, qui Bonifacium hoc anno conuenit, & Friteſlarienſis Abbas poſteà fuit, alius haberi debet à Wigberto ſeu Wigberchto quem Beda laudauit, necnon à Willebrordi comite, quem in Foſiteſlandia Inſula iuſſu Radbodi Regis à Friſiis interemptum diximus.

AN. CH. 733. THEODOR. IV. R. 13.

XVIII. Bonifacius [a] in literis ad quoſdam Monachos Anglicanos, qui ſuum Abbatem amiſerant, duos Wigbertos, vnum Abbatem, cuius mors deflebatur, alterum Preſbyterum ſic diſtinguit. *Paterno amore dilectionem veſtram obſecro, vt eò maiore curâ Monaſterialis normam vitæ cuſtodire ſtudeatis, quò*

[a] Ep. 17.

AN.CH. 733. THEODOR. IV. R. 13. *Pater veſter Wigbertus defunctus eſt. Wigbertus Presbyter & Magingordus Diaconus Regulam veſtram vobis inſinuent, & ſpeciales horas, & curſum Eccleſiæ cuſtodiant, & magiſtri ſint infantium, & prædicent verbum Dei fratribus.* Harum literarum inſcriptio talis eſt. *Chariſſimis filiis Tatwino & Wigberto Presbyteris, Bernhardo & Hiedde, Hunfritho, & Stirme, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, perennem in Domino ſalutem.* De Tatwino, Bernhardo ceteriſque, Bonifacius hæc in iiſdem literis proximè ſubiungit. *Hedde ſit Præpoſitus & ſeruos veſtros admoneat, & Hunfridus adiuuet illum, vbicumque opus ſit. Stirme in coquina ſit. Bernhardus operarius ſit, & ædificet domunculas veſtras vbi opus ſit, & de omnibus, vbicumque vobis neceſſe ſit, inſinuet. Tatwinum Abbatem interrogate, & quodcumque vobis inſinuet, hoc facite. Et vnuſquiſque ſtudeat, ſecundùm vires ſuas, & proprios mores in caſtitate conſeruare, & in communi vita vos alterutrum adiuuare, & in fraterna charitate permanere, vſque ad præſentiam reuerſionis noſtræ in Dei voluntate, & tunc ſimul laudantes Dominum in omnibus ei gratias agamus. Valete in Chriſto.*

XIX. Michael Alfordus has Bonifacij literas bis deſcripſit; ſemel ad annum Chriſti ſeptingenteſimum vndeuiceſimum [a], cùm Wigbertum Abbatem, quem Bonifacius mortuum dicit, ipſius Bonifacij magiſtrum & Monaſterij Nutſcellani Abbatem fuiſſe crederet; iterum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-quintum [b], cùm eaſdem Bonifacij literas, vbi de Wigberti Abbatis obitu agunt, interpretaretur de Wigberto Abbate Friteſlarienſi, quem ſub illum annum ex hac vita ſublatum putauit, ratus nullam illius mentionem impoſterum fieri.

[a] Num. 14. [b] Num. 47.

XX. In vita Sancti Bonifacij, ſanctus Willibaldus de eodem Bonifacio adhuc adoleſcentulo déque Wigberto Abbate Nutſcellano ſic ſcribit. *Pubertatis inchoante adoleſcentiâ, diuinâ cælitus inſpirante gratiâ, ad Monaſterium, quod vſque hodie Nutſcelle dicitur, peruenit, & beatæ memoriæ Wigberti Abbatis, qui venerabiliter prædictum ſub regulari diſciplina regebat Monaſterium, ſpiritali literarum diligentiâ prouocatus, elegit magiſterium.* Ipſemet Bonifacius [c] Wigbertum ſeu Wybertum Abbatem ac Magiſtrum quondam ſuum agnoſcit in literis ad Danielem Ventæ ciuitatis Epiſcopum. *Paternitatis*, inquit, *veſtræ clementiam de vno ſolatio peregrinationis meæ intimis precibus diligenter rogare velim, ſi præſumam, id eſt, vt librum Prophetarum, quem venerandæ memoriæ Wybertus Abbas & Magiſter quondam meus, de hac vita migrans, dereliquit, (ſex Prophetæ in vno corpore, claris & abſolutis literis, ſcripti reperiuntur) mihi tranſmittatis.*

[c] Ep. 3.

XXI. Præcitatas igitur literas, in quibus Bonifacius duos Wigbertos diſtinguit, poſt Wigberti Abbatis Nutſcellani mortem ſcriptas arbitramur ad eiuſdem loci Monachos, cùm Bonifacius diuturnam in Germania moram nondum feciſſet, & de reuerſione in patriam, vt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto fecerat, adhuc cogitaret. In Aſceterio Nutſcellano tunc erat Wigbertus Presbyter, à quo longè alium ſe prodit is, qui Bonifacium Archiepiſcopum hoc anno è Monaſterio Gleſtingaburgenſi conuenit, Friteſlarienſis Abbas futurus.

XXII. Nec valet Alfordi poſterior opinio, quæ prædictas Bonifacij literas poſt Wigberti Friteſlarienſis Abbatis obitum ſcriptas contendit. Wigbertus enim Abbas Friteſlarienſis Bonifacio Archiepiſco ſuperſtes vixit, vt ex eius literis [d] ad Lullum Archiepiſcopum Bonifacij ſucceſſorem patet. Integras Tomo ſequenti deſcribemus. Inſcriptionem tantùm hîc accipe. *Domino ſancto ac beatiſſimo, mihíque omni affectu ſemper chariſſimo Lullæ, gratiâ Dei, Epiſcopo, Vigbercht exiguus familiæ Chriſti famulus, immarceſſibilem ſempiternæ ſoſpitatis ſalutem.*

[d] Ep. 110.

XXIII. Quatuor Wigbertos longè diuerſos præmiſſæ ſtatuunt obſeruationes; vnum, qui conſenuit in Hibernia; alterum, qui Monaſterium Nutſcellanum cum Abbatis titulo rexit, & Winfridum, qui poſteà Bonifacius appellatus

AN. CH. 733. THEODOR. IV. R. 13.

pellatus eſt, in adoleſcentia ſalutaribus diſciplinis inſtituit; tertium, qui Monaſticam vitam in eodem Cœnobio Nutſcellano duxit; quartum, qui primò Monachum egit in Aſceterio Gleſtingaburgenſi, deinde patriâ relictâ Bonifacium Archiepiſcopum in Germania degentem hoc anno adiit, annóque pòſt decimo-tertio factus eſt Abbas Friteſlarienſis, vt ſuo loco dicemus.

XXIV. ZAYSO EP. AVGVSTANVS OBIT.

Hoc anno migrauit è vita Zayſo Epiſcopus, cùm Auguſtanæ * Eccleſiæ præfuiſſet annis vno & viginti incompletis. *Inchoauit Cathedralem Baſilicam D. Virginis, quam hodie adhuc ſummum Templum Auguſtani habent & appellant.* Hæc de illo Bruſchius, ſed hic Auctor poſt eiuſdem Zayſonis obitum malè collocat interpontificium, cuius tamen & cauſas & diuturnitatem fatetur ignorari. Bucelinus in eundem cum Bruſchio lapſus eſt errorem, Marcomannum enim Zayſoni *poſt vacationem multorum annorum* ſubrogauit. Lege quæ de Chronologia Epiſcoporum Auguſtanorum Tomo ſuperiore [a] dicta ſunt aduersùs eos, qui vel interpontificium per hæc fingunt tempora, vel Auguſtanos Epiſcopos non eo, quo par eſt, ordine recenſent.

* d'Ausbourg.

[a] Ad an. 676. n. 27.

XXV. SVCCEDIT WICHO.

Zayſoni ſucceſſit in Epiſcopum Wicho, quem Nomenclatores Briconi & Zayſoni præponere conſueuerunt. Vt autem Wichonem in hunc locum reiiciamus, literæ Gregorij Tertij Papæ ſuadent, è quibus palàm fit Wichonem anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequadrageſimo Epiſcopum fuiſſe.

XXVI. CLEMENS OB CÆCITATEM DIMITIT EPISCOPATVM AVTISSIODOR.

Clemens Autiſſiodorenſis Epiſcopus, cùm ſediſſet annos quinque, menſem vnum, dies decem, cæcúſque factus eſſet, Epiſcopatum hoc anno dimiſit, & reliquum vitæ tempus in diuerſorio iuxta Baſilicam Principum Apoſtolorum duxit. Audi Chronographum Autiſſiodorenſem [b]. *Clemens Epiſcopus ſedit annos* V. *menſes* I. *dies* X. *Hic cæcitatem corpoream paſſus, iuxta Baſilicam Apoſtolorum Petri & Pauli diuerſorium habuit.* Succeſſit in Epiſcopatum Aidulfus, de quo ſic idem Auctor [c]. *Aidulfus ex Cantore Epiſcopus, ſedit annos* XV. *fuit temporibus Caroli Maioris, & perdurauit vſque ad Pipinum*, id eſt, vſque ad Pippinum Maiorem-domûs ſub Childerico Rege. Cùm autem paralyſi correptus eſſet, & vniuerſis ſui corporis officiis priuaretur, eodem diuerſorio *cum Clemente prædicto adhuc ſuperſtite* clauſus eſt, & Eccleſiaſticâ ſtipe nutritus ad diem vſque ſui obitûs, vt ſuo loco ex eodem Chronographo repetemus. Hìc tantùm obſerua Clementem poſt abdicatum Epiſcopatum diu vixiſſe.

[b] Cap. 31.

[c] Cap. 32.

AIDVLFVS FIT EP.

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

ANNVS CHRISTI 734.

THEODORICI IV. R. 14.

I. IOANNES EP. ALBIGENSIS.

ANNO 734. *Iohannes epiſcopabat; Alfonſus abbatiabat.* Hæc leguntur in Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſium, quod Lucas Dacherius Tomo ſeptimo ſui Spicilegij publicauit. Hoc igitur anno collocandi ſunt Iohannes inter Albigenſes Epiſcopos & Alfonſus inter Abbates Caſtrenſes. Deletis Saracenis in Francorum poteſtatem Albiga Caſtráque priùs redierant. Carolo Maiori-domûs fuit à conſiliis, eíque ſuperſtes vixit Alfonſus Abbas, vt ſequenti Tomo probaturi ſumus.

ALFONSVS ABB. CASTRENSIS.

II. EPISCOPI ALETENSES.

Obiit hoc anno Riuallonus Aletenſis Epiſcopus, cùm annos tres ac viginti ſediſſet. Succeſſit Iudicael, qui Pontificatum per annos ſex tenuit. Lege in Armorica Sancta Catalogum Epiſcoporum Maclouienſium.

III.

Inter monumenta Burgundica, quæ Stephanus Perardus publicauit, extat charta, data *die Sabbato, proximo ante medio menſe Aprili, in anno* XIV.

NA. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

regnante Domino Theoderico Rege. Hic auctor ad oram ponit *an.* 679. quia *Theoderici Regis* nomine Theodoricum Tertium intelligit, & in ſuperiori charta Dagoberti Regis annum quintum cum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo comparat. Hoc autem poſito, quòd annus Dagoberti Magni quintus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo illigetur, idem Dagobertus in opinione Sigeberti, qui quatuordecim duntaxat annos Principatûs ei tribuit, obit anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-primo. Deinde idem Sigebertus annos ſeptemdecim Clodoueo Secundo; quatuor Clotario Tertio; tum Bucherius, Sirmondus, Ducheſnius, Petauius, Sammarthani in poſtrema editione Regalis Genealogiæ Francorum, Bollandus & Henſchenius, Childerico Secundo tres annos dominationis aſſignant, eóque calculo Perardus Clodoueum anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo, Clotarium Tertium anno Chriſti ſexcenteſimo-ſecundo, Childericum Secundum anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto mortuum putat, ſicque Theodorici Tertij, qui poſt Childericum fratrem in Burgundia regnauit, annum decimum-quartum cum anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono componit. De annis illorum Regum fusè diſputatum ſuis locis, nihil hîc repetendum ducimus. Actum quoque accuratè de Abbatibus, qui regnante Theodorico Tertio Monaſterium Sancti Benigni rexerunt. Goinus Abbas, qui prædictæ chartæ anno decimo-quarto Theodorici Regis ſubſcripſit, per illa tempora non inuenitur, & ad annum decimum-quartum Theodorici Tertij Regis, id eſt, ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, Cœnobio San-Benigniano præerat Wlfechrannus Abbas, qui, teſte Chronographo San-Benigniano, decretum fieri petiit *à Romanis Pontificibus Ioanne & Sergio*, id eſt, à Ioanne Quinto, qui viuere deſiit quarto Nonas Auguſtas, anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſexto; & à Sergio, qui Pontificatum iniit exeunte anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo. Recurrendum igitur ad Theodoricum Quartum ſeu Kalenſem, cuius annus decimus-quartus cum hoc anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo triceſimo-quarto coincidit.

IV. GOYLANA MVNIFICA ERGA MON. S. BENIGNI.

Charta ſic edita eſt. *Sacroſanctæ Baſilicæ Domni Benigni Martyris, quæ eſt ſub oppido Diuione conſtructa, vbi ipſe pretioſus Sanctus magno honore in corpore requieſcit. Ego igitur in Dei nomine Goylana, peccatrix fæmina, propenſaui de humana fragilitate, vt dum eſt anima in corpore in omni poteſtate ſua, ita debet cogitare, vt de rebus ſibi iuſtè debitis inde ſibi comparet Paradiſum. Igitur ego ad ipſam Baſilicam, vel ſuorum auctoribus, poſt diem obitûs mei, vel dulciſſimo iugale meo, Bonuaſo nomine, cedo, ceſſúmque in perpetuum vt permaneat eſſe volo, hoc eſt, in pago Atoariorum, in villa vel fine Longouiana, quicquid ibidem viſa ſum habere, vel poſſidere, aut dominare; hoc eſt, tam territoriis, domibus indominicatis, vel omnibus accidentiis, ſeu etiam omnem rem ſuprapoſitam, curtiferis, villaribus, campis, pratis, ſyluis, vineis, pomiferis, paſcuis, acceſſiſque omnibus, aquis, aquarúmque decurſibus, cum omni iure, cum omnibus adiacentiis vel appenditiis ſuis; hoc eſt, Fedenniaco, Poſtenniaco, Monaſteriolo, Atœnis medietate, Glonnoco, Curte Bunciana, Fiſciaco, Cheneuas, Marcenniaco, quicquid ibi viſa ſum habere, vel poſſidere, totum, ad integrum, & in omnibus, vnà cum mancipiis, libertis, cum peculio, vel omni peculiare ipſorum, vnà cum acolabus, vel omnem rem inexquiſitam, totum eum, quem, vt dixi, in ipſas ſupradictas fines, vel in ipſas villas, ſeu etiam in ipſos agros, tam de alodo, quàm de parentum meorum, per inſtrumenta cartarum, aut de quolibet ingenio, aut attracto, id, de quacumque parte ad me ibidem aduenit, aut in antea, Chriſto Præſule, peruenire poteſt, quod à me ibidem nunc vſque, iuſtè & rationabiliter, de quacumque re ibidem poſſeſſum fuit, aut quod in antea ibidem obuenire, aut adtrahere vel meliorare poterit, hoc totum, & ad integrum cum omni integritate vel ſoliditate, actores vel rectores ipſius Baſilicæ ſuperiùs iamdictæ Domni Benigni, poſt diem obitûs mei,*

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

aut iam dicto iugale meo, nomine Bonuaſo, à die præſenti, ipſas vel ſuperiùs nominatas, abſque vlla contrarietate, vel cuiuſcumque expectata traditione, ad poſſidendum, in Dei nomine, meorum reuocent dominatione, vt quicquid exinde ad opportunitatem ipſius loci facere voluerint, liberè ad ſuum, in Dei nomine, abſque vllius contradictione perfruantur, arbitrium, & quod nec fieri credo, ſi ego ipſa, aut vllus de hæredibus meis, vel qualibet alia oppoſita conuenia vel perſona, vllo tempore, contra præſenti epiſtola ceſſionis, quam ego, pleniſſimâ voluntate meâ, pro redemptione animæ meæ, conſcribere vel adfirmare rogaui, venire temptauerit, vel repetere, aut calumniare, inferat partibus ſæpedictæ Baſilicæ Sancti Benigni, ſuíſque auctoribus, vnà cum ..... fiſco, auri libras tres, argentum pondus 3. & nichilominùs præſens ceſſio & voluntas mea omni tempore firma & inuiolata permaneat ſtipulationi ſubnixa. Actum Bagna villa publicè. Signum Goylanæ, quæ hanc ceſſionem fieri & firmare rogauit. Signum Bonuaſo iugale ſuo, qui conſenſit. In Dei nomine Goinus Abbas ſignaui. Signum Gotofredo. Signum Landono. Signum Teuderamno. Signum Elmoaldo. Signum Graffiono, Richelinus S. Ego in Dei nomine Brandalenus Presbyter rogatus aptâ firmâ ceſſione ſcripſi & notaui. Die, &c. vt ſuprà. Porrò Sabbatum, quod proximum fuit ante medium menſem Aprilem anno decimo-quarto Theodorici Regis, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto, incidit in diem duodecimum Aprilis, currente tum literâ Dominicali E.

V. ABBATES SAN-BENIGNIANI.

Goinus Abbas San-Benignianus, qui chartæ ſuprà recitatæ ſubſcripſit, & à multis Godinus ſeu Gudinus Secundus appellatur, ad tempora vſque Childerici Tertij Regis peruenit.

VI. BILHILDIS MVNIFICA ERGA MON. PVELLARE MOGVNT.

Ad hunc eundem Theodorici Regis annum decimum-quartum referri debet inſignis donatio, quâ Bilhildis Moguntiæ Cœnobium virginum à ſe conſtructum ſic locupletauit. *In nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. Ego Bilehilt notum eſſe cupio tam præſentibus quàm & futuris, qualiter ego propter Dei amorem proptérque ſpem retributionis futuræ, quaſdam res proprietatis, hoc eſt, aream vnam, prope murum Moguntiæ ciuitatis, in Auſtrali parte, à Sigeberto Archiepiſcopo auunculo meo acquiſiui cum rubeis ſcutis duodecim, auro paratis, & totidem equis nigris, & conſtruxi in ea domum Domini & Sanctæ Mariæ Virginis. Ibíque congregaui ſanctam Congregationem mulierum, ac tradidi eis in eleemoſynam meam, & parentum meorum, quicquid proprietatis habere viſa fui, vel hæreditatis, tam in areis & ædificiis, pratis, paſcuis, ſyluis, terris, aquis, aquarúmque decurſibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, & mancipiis, itaut habeant atque poſſideant vſque ad conſummationem huius ſeculi. Poſſeſſores verò eiuſdem areolæ vrbis præfatæ, vigilias non curent, nummorum collectionibus, modò Epiſcopo, modò in reparandos muros, dandis nihil addant, aliáſque vrbanas conſuetudines non obſeruent; tantùm Abbatiſſæ & Congregationis vſui, obſequio, imperio ſe parere cognoſcant. Si quis illorum homicidium, furtum, rapinam, aut aliquam aliam culpam commiſerit, vel aliquis de extraneis malefactor, qui talia fecerit, aream in illam fugiens ſe receperit, non Iudicum aut Principum vrbanorum, verùm eiuſdem loci Rectorum iudicio cenſendus aſſiſtat. Mundiburdiam, & defenſionem ab Archiepiſcopo Moguntinenſis Eccleſiæ habeant in perpetuum. Electionem verò Abbatiſſæ inter ſe habeant. Nullam viduam, aut aliam quamlibet extraneam, niſi inter ſe nutritam accipiant. Et, ſi vllus Epiſcopus propter ſuam temeritatem, huius conditionis chartulam infringere voluerit, iram Dei Omnipotentis, & Sanctorum omnium ſentiat, & tamen quod vult nequaquam perficiat, ſed præſens chartula huius traditionis omni tempore firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Inſuper etiam, ſi vlla vidua, vel extranea his ſanctimonialibus fœminis extra conſenſum ſuum præponatur, in peſſimum genus lepræ incidat, & poſteà turpiſſimâ morte damnata pereat, & hîc non habeat locum putreſcere.*

VII.

Ad aram, quæ Sanctæ Bilhildis ara nominatur, pendet tabula, è qua Nicolaus Serarius deſcripſit prædictam donationem, quam ſuis quoque notis illuſtrauit, faſſus omnia, prout accipere licuit, bona ſe remenſum fide. In

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV R. 14.

illa donatione bis mentio fit Archiepiſcopi, cuius loco Epiſcopum lege. Plures occurrunt errores in Characteribus Chronologicis, qui ſequuntur in hunc modum. *Actum in prædicta vrbe*, nempe Moguntina, *regnante Cleodoueo Rege Sereniſſimo, anno quarto-decimo; anno Dominicæ Incarnationis ſexingenteſimo triceſimo-quinto; Indictione decimâ; Kalend. Maij; feriâ quintâ; coram teſtibus ſubnotatis.* Anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-quinto, nec regnauit Clodoueus, nec Indictio fluxit decima, nec Kalendæ Maiæ in feriam quintam inciderunt, ſed illo anno Kalendæ Maiæ in ſecundam feriam & in octauam Indictionem inciderunt, regnantibus tum in Neuſtria & Burgundia Dagoberto Magno, in Auſtria Sigiberto eius filio. Quin & illo anno Bilhildis nondum nata. Lege quæ de Bilhildis ortu, nuptiis, ac viduitate dicta ſunt. Bilhildis nata eſt, regnante Clodoueo Tertio; viro nupſit regnante Childeberto Tertio, Clodouei Tertij fratre; maritum amiſit regnante Dagoberto Tertio, Childeberti Tertij filio. Porrò nec Dagobertus Tertius, nec vllus ex eius ſucceſſoribus Meroueadis annum Regni decimum-quartum attigit, ſi Theodoricum Quartum excipias, cuius annus decimus-quartus per menſem Maium cum hoc anno poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo triceſimo-quarto coincidit. Textum igitur proximè recitatum ſic corrige. *Actum in prædicta vrbe, regnante Theodorico Rege Sereniſſimo, anno quarto-decimo; Kalend. Maij.* Nec annum Incarnationis Dominicæ, nec Indictionem addimus, quia ſeriùs hæ notæ chartis apponi cœptæ. Sequuntur cùm Bilhildis tum teſtium nomina ſubſcriptioneſque. *Signum Bilehildæ, quæ hanc traditionem perfecit. Signum Geroldi Epiſcopi. Signum Ruodberti Diaconi. Signum Recholffi. Signum Adelhelmi Comitis. Signum Grimolffi. Signum Haganonis. Signum Hildimini. Signum Mimihilt. Signum Reginhilt. Signum Hobolffi. Signum Gumolffi.* Quæ verò proximè de Aſmundo ſic ſubiiciuntur, *ego itaque Aſmundus iuſſu Domini mei Sigiberti Archiepiſcopi ſcripſi, notaui diem tempúſque vt ſuprà*, hæc non emendatione tantùm ſed etiam interpretatione indigent, quia Sigibertus nec Archiepiſcopus ſiue Metropolites fuit, nec eo ſedit tempore quo Bilhildis prædictam donationem fecit, eidem enim donationi ſubſcripſit Geroldus Epiſcopus, ipſius Sigiberti ſeu Sigeberti ſucceſſor, de quo iam locuti ſumus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-quartum. In textu igitur, quem examinamus, Sigibertus non Archiepiſcopus ſed Epiſcopus dici debet, & Aſmundi ſubſcriptio non referri debet ad Bilhildis donationem quæ ſedente Geroldo facta eſt, ſed ad acquiſitionem bonorum in illa donatione contentorum, quæ Bilhildis ſibi comparauit, Epiſcopatum gerente tum Sigeberto eius auunculo. Quot annos Bilhildis huic donationi ſuperſtes vixerit, haud ſcimus. Eius memoria celebris eſt quinto Kalendas Decembres in Tabulis Benedictinis, vbi vidua, Sanctimonialis, & Abbatiſſa commendatur.

SVB GEROLDI PONTIFICATV.

VIII. Sigibaldus Metenſis Epiſcopus, de quo iam locuti ſumus [a], in libro de Metenſibus Epiſcopis à Paulo Diacono *ſacrorum culminum ſolertiſſimus reſtitutor* prædicatur. Duo Monaſteria, quæ priùs erant perparua, multùm amplificauit locupletauítque, vnum in Diœceſi Metenſi, alterum in Argentoratenſi; illi, quod anteà Hilariacum dicebatur, nomen indidit Nouæ Cellæ, huic Nouæ Villæ. Hilariacum, vt Tomo primo [b] notauimus, à Sancto Fridolino conditum eſt, iactis autem de nouo fundamentis ſummo decore expolitum à Sigibaldo, qui propter ſuam munificentiam ad hanc vſque diem illius loci fundator & auctor meritò habetur. Lege Coccium in Dagoberto [c] rediuiuo. Lege & apud Epiſcopum Madaurenſem in Hiſtoria [d] Metenſi reſcriptum Pulchronij Abbatis, qui Nouæ Cellæ erectionem ſiue Hilariaci Monaſterij amplificationem hoc anno conſignat.

SIGIBALDVS EP METENS. CONDIT NOVAM CELLAM.

[a] Ad an. 716. n. 17.
[b] Ad an. 509. n. 7.
[c] Cap. 8.
[d] Lib. 2. Epiſc. 36.

IX. Hoc eodem anno, Theodorici Regis decimo-quarto, Wolfandus Comes Viciacum villam Moſellæ adiacentem permutauit cum aliis poſſeſſionibus, quas Monaſterio Caſtellionis ſeu Sancti Michaelis ſtatim tradidit.

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Huius commutationis meminit Waſburgius [a], Sed Theodorici loco Childebertum perperam ſcripſit. Cauſam erroris aperiemus infrà. Wolfandus Viciacum ad Moſellam in Diœceſi Metenſi poſſidebat, ad Eccleſiam verò Metenſem in Epiſcopatu Virodunenſi pertinebat territorium ſeſquileucâ longum, à monte videlicet cui nomen Caſtellionis * vbi ſitum Cœnobium Sancti Michaelis, ad Moſam vſque, ſiue vſque ad oſtium Marſupiæ fluuioli, qui ſcaturit ex prædicto colle, territoriúmque *, de quo loquimur non rigat modò, ſed etiam ſuo afficit nomine, deinde in Moſam egeritur. Sigibaldus Epiſcopus Eccleſiæ Metenſi præerat, cum Wolfando de permutatione conuenit, Viciacum ab eo accepit, eíque dedit territorium, quod à Marſupiâ fluuiolo & alluitur & nomen habet, montémque Caſtellionenſem ac Moſam fluuium interiacet. Ob ſitum locorum, res ex Epiſcopi Comitíſque voto feliciter ceſſit. Waſburgius, vbi ſermonem de Monaſterio Caſtellionis ſeu Sancti Michaelis inſtituit, Wolfandum Comitem propter donationem villæ Condenſis ac permutationem Viciaci plurimùm commendat. Donationem anno ſecundo Theodorici Tertij Regis, permutationem anno decimo-quarto Childeberti Tertij Regis conſignat, componítque annum ſecundum [b] Theodorici Tertij Regis cum anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-primo, & annum [c] decimum-quartum Childeberti Tertij Regis cum anno Chriſti ſeptingenteſimo ſexto. Vult enim Theodoricum poſt Childerici fratris mortem annos regnaſſe tredecim, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-nono ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum nonageſimum-ſecundum, illóque anno duos eidem Theodorico filios, Clodoueum ſcilicet ac Childebertum, ſucceſſiſſe. Duo deprehenduntur in hac Chronologia næui. Childericus enim mortuus eſt anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio, póſtque Theodoricum Tertium, quem anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo deceſſiſſe non diffitemur, eius filij Clodoueus Tertius & Childebertus Tertius non regnarunt ſimul, ſed vt Theodorico Clodoueus filius ſic & Clodoueo Childebertus frater in vniuerſam Francorum Monarchiam ſucceſſit. Fallitur & idem Auctor [d], cùm Childeberti Regis obitum, quem anno Chriſti ſeptingenteſimo vndecimo vetuſtiſſimi Scriptores adſcribunt, in annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum reiicit, nec adhuc illâ computatione Regnum Childeberti prorogare poteſt vſque ad Sigibaldi Pontificatum, cuius initium non altiùs quàm ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto repetitur. Error omnium craſſiſſimus [e] videtur, quòd Wolfandum Comitem, qui Monaſterium Caſtellionis erexit, haud diſtinguit à Wlfoaldo Maiore-domûs, qui floruit ſub Childerico Secundo & Dagoberto Secundo Regibus, eodémque, quo Dagobertus Secundus, anno vitam clauſit, id eſt, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo octogeſimo. Longè ſeriùs floruit Wolfandus Comes. Certam illius mentionem fieri non inuenimus ante annum decimum-quintum Childeberti Regis, id eſt, ante annum Chriſti ſeptingenteſimum nonum, quo multas poſſeſſiones Cœnobio Caſtellionis à ſe nuper erecto largitus eſt, vt dictum ſuprà. Sigibaldus Metenſem Epiſcopatum anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto ſuſcepit, tenuítque annis quinque ac viginti ſub Regibus Chilperico Tertio & Theodorico Quarto, cui ſuperſtes etiam aliquot annos vixit. Chilpericus Tertius Regnum iniit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, *regnauítque annis* v *& dimidio*, vt Anonymus coætaneus in Geſtis [f] Regum Francorum alíique teſtantur. Succeſſit Theodoricus Quartus anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, &, vt ſuo loco probabimus, annos ſexdecim ac menſes aliquot regnauit. Hæ nos obſeruationes mouent, vt chartam donationis, quam Waſburgius anno ſecundo Theodorici Regis datam legit, non ad annum ſecundum Theodorici Tertij Regis ſed ad annum ſecundum Theodorici Quarti, cognomento Calenſis, referendam cenſeamus, exiſtimemúſque in charta permutationis, quam idem

[a] In Epiſc. 17.

WOLFANDVS COMES MVNIFICVS ERGA MON. S. MICHAELIS AD MOSELLAM.

* *Caſtelion.*

* *La Seigneurie de Marſuppe.*

WASBVRGIVS REPELLITVR.

[b] In Epiſc. 15.

[c] In Epiſc. 16.

[d] In Epiſc. 16.

[e] In Epiſc. 17.

[f] Cap. 53.

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Auctor anno decimo-quarto Childeberti Regis datam affirmat, expuncto Childeberto eumdem Theodoricum Quartum ſeu Calenſem reſtituendum eſſe. Childeberti nomen ab ipſomet Waſburgio intruſum ſuſpicamur. Noſtræ ſuſpicionis hæ ſunt cauſæ non temnendæ. Apud Waſburgium Childericus [a] Auſtraſiæ Regnum adipiſcitur anno Chriſti ſexcenteſimo duode-
[a] In Epiſc. 14. ſexageſimo, Maiorémque Regiæ domûs conſtituit Wolfandum virum for-
[b] In Epiſc. 21. titudine prudentiâque inſignem; Theodoricus Quartus [b] anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-ſexto Regnum auſpicatur, eóque potitur annos quindecim. Longum eſſet in ſingulas iſtius Chronologiæ partes inquirere, nec hîc videtur eſſe locus inquirendi. Obſeruaſſe ſufficiet Wolfandum, in opinione Waſburgi, Maiorem-domûs anno Chriſti ſexcenteſimo quinquageſimo-octauo conſtitutum fuiſſe, & ab illo anno ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum, quocum in eiuſdem Auctoris opinione annus decimus-quartus Theodorici Regis coincidit, annos numerari duos & octoginta. Virum enim, qui propter inclytam fortitudinem eximiámque prudentiam Maioratum Regiæ domûs adeptus ſit, annos poſteà duos & octoginta vixiſſe quis ſibi perſuadeat? En ipſiſſima ratio, cur Waſburgius chartas, quas annis Theodorici Quarti Regis conſignatas repererat, annis Theodorici Tertij Childebertique adſcripſerit. Wolfandi, quem anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo Maiorem domûs Regiæ iam agnouerat, non auſus eſt vitam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum producere. Cur autem prædictarum chartarum, quæ annis Theodorici Quarti datæ ſunt, alteram anno ſecundo Theodorici Tertij, alteram anno decimo quarto Childeberti Tertij, nec vtramque annis vnius Theodorici Tertij, ſecundo videlicet ac decimoquarto, connotarit, hæc occurrit ratio perpendenda plurimùm. Anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono Theodoricum Tertium Childerico
[c] In Epiſc. 15. fratri ſuffecit [c], adiecitque ſuper obitûs anno controuerſiam moueri. Deinde duas recitauit opiniones, vnam eorum, qui Theodoricum Tertium anno Chriſti circiter ſexcenteſimo nonageſimo-tertio mortuum aſſerunt; alteram Nicolai Gillij, qui determinatè anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo Theodoricum Tertium ex hac vita ſublatum affirmat. Iuit in poſteriorem opinionem, eâque nixus Theodorici Tertij Regnum ſpatio tredecim annorum circumſcripſit. Atque inde factum, vt chartam, quam in annum decimum-quartum Theodorici Quarti Regis noluit reiicere, quia remotior videbatur, nec adſcribere potuerit anno decimo-quarto Theodorici Tertij, cuius Principatum vltra tredecim annos prorogandum negauit. Porrò cùm ad tantas anguſtias redactum ſe videret, conſuluit Indicem Regum Francorum, & è quinque, nempe Clodoueo Tertio, Childeberto Tertio, Dagoberto Tertio, Chilperico Tertio, & Clotario Quarto, quos medios inter Theodoricum Tertium & Theodoricum Quartum reperit, vnum elegit Childebertum, qui ſolus ex illis quinque Regibus annum Regni decimum-
[d] In Epiſc. 16. quartum attigit, imò in Auctoris, quem examinamus, opinione regnauit [d] annos viginti-tres, ab anno videlicet Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-ſecundo ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum decimum-quintum, in noſtra verò ſententia, quam veteribus monumentis comprobauimus, annos ſeptemdecim regnauit, ab anno ſcilicet Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo-quarto ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum vndecimum. In annos igitur ſecundum & decimum-quartum Theodorici Quarti Regis, id eſt, in annos octaui ſeculi viceſimum-ſecundum & triceſimum-quartum meritò reiecimus ea, quæ ſub Theodorico Tertio & Childeberto Tertio Re-
[e] In Epiſc. 17. gibus à Waſburgio [e] de donatione ac permutatione ſupradictis commemorantur.

X. In Hermanno genuino ſeu Piſtoriano ad hunc annum leguntur iſta. *Etho Argentinæ Epiſcopus promouetur.* Plura, quæ pertinent ad Augienſe Monaſte-

Digitized by Google

rium, habent Interpolatores Vrſtiſianus & Caniſianus. Prior, ſic. *Augia Eto Abbas Kebam ſucceſſorem relinquens ipſe Argentorati Epiſcopus promotus, non longè poſt ſui nominis Etinheim Cœnobium conſtruxit.* Poſterior, ſic. *Augiæ Euto Abbas poſt 7 annos Kebam ſucceſſorem relinquens, ipſe Argentinæ Eccleſiæ Epiſcopus à Carolo promotus, non longè poſt ſui nominis idem Ethenheim Cœnobium conſtruxit.* AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

XI. Obiit igitur hoc anno Argentoratenſis Epiſcopus Aulidulfus, eíque ex Abbate Augienſi ſubrogatus eſt, qui variis nominibus appellatur, Eto, Etho, Etto, Hetto, Euto, Ethico, Otto, Heddo, Heddus, Haddo & Addas. Huic autem in adminiſtrationem Augiæ ſucceſſit Kebas, qui duobus duntaxat annis Cœnobio præfuit. Eto longè diutiùs in Argentoratenſi Cathedra ſedit. De annis, quos apud Augiam in Abbatiali munere tranſegit, cùm Interpolatore Caniſiano non conuenimus, quia Pyrminium ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum Augiâ expulſum negamus. Vt Pyrminius Etonem anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo, ſic Eto Kebam in Augia ſucceſſorem anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quarto reliquit. Augienſe Monaſterium rexerunt Pyrminius annis ſex, Eto quatuor, duobus Kebas. AVLIDVLFVS EP. ARGENTOR. OBIT. SVCCEDIT HEDDO EX ABBATE AVGIENSI. KEBAS FIT ABB. AVGIENSIS.

XII. Bruſchius de Etone ſiue Ethone in Augia diuite ſic ſcribit. *Etho, cùm à Carolo*, id eſt, à Carolo Martello, quem anteà Magnum perperam idem Auctor cognominauit, *Epiſcopus Argentinenſis deſignatus eſſet, & eò proficiſceretur, duxit ſecum ex Augia aliquam etiam conuentualium ſuorum partem, in cuius gratiam renouauit, & de nouo condidit in Alſatia Cellæ Monachorum vetuſtiſſimum Cœnobium, cui de ſuo iam nomine aliud nomen faciebat, vt appellaretur Ethonis Monaſterium, vulgò Ettenheinminſter, de quo infrà*, id eſt, in Cella Monachorum, vbi hæc habet. *Cella Monachorum, hodie Ethonis Monaſterium, Benedictini inſtituti vetuſtiſſimum Cœnobium ad Nigram ſyluam prope Kenczhingum non procul à Rheno ſitum, fundatum legitur annum Chriſti circiter 700. à Wiggero vel Wigerno Monacho, facto poſteà Eccleſiæ Argentinenſis Epiſcopo, qui primum ei nomen indidit, vt Monachorum, hoc eſt, ſolitariorum hominum & Eremitarum Cella appellaretur. Cùm verò poſt aliquot annos collapſum eſſet, iterum non ſplendidè fortaſſis admodum inchoatum Monaſteriolum, renouatum eſt anno Domini 734 ab Ethone Comite Habſpurgio, qui & oppidum ipſum, quod ab eo adhuc Ettenheimium dicitur, conſtruere cœpit. Is eiuſdem ſui Cœnobij primus Abbas fuiſſe legitur, qui inde ad Epiſcopatum Argentinenſem gubernandum euocatus, laudabiliter ibi præfuit 8 annis. Obiit anno 773. Tranſlatus ad ſuum tandem Monaſterium anno Domini 780, quod hodie adhuc ab eo Ethonis Monaſterium dici ſolet. Fuit is vir religioſus, humilis & pius, ſcribens ſe Ethonem peccatorem, indignè vocatum ad Epiſcopatum Argentinenſem. Extat de eo & de huius Cœnobij reſtauratione tale Dyſtichon.* BRVSCHIVS REFELLITVR.

Anno terdeno ſeptingenteſimo-quarto
Antiſtes clauſtrum renouando condidit Etho.

XIII. Actum iam de Ethone ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum, ibíque examinata multa, quæ de illo nondum Epiſcopo ſcripta ſunt à Bruſchio. Cetera, quæ proximè deſcripſimus ex eodem Auctore, partim hîc expendenda ſunt, partim in Tomum ſequentem reiicienda.

XIV. Primò, Bruſchius Monaſterium, quod *fundatum legitur annum Chriſti circiter 700*, perperam conditum putat *à Wiggero vel Wigerno Monacho, facto poſteà Eccleſiæ Argentinenſis Epiſcopo.* Wiggerus enim ſeu Wigernus aut Wicgernus in Argentoratenſi Cathedra poſt Sanctum Florentium anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo-ſeptimo ſedere cœpit, & ab illo anno, donec Etho in eadem Epiſcopali Sede collocatus eſt, effluxerunt anni ſeptem & quadraginta, quibus tres Epiſcopi; Wicgernus, Wandelfridus & Aulidulfus, Argentoratenſem Diœceſim ſucceſſiuè gubernarunt. Ex hac certè Chronologia patet Wicgernum Epiſcopum fuiſſe,

Digitized by Google

AN. CH. cùm Cellam Monachorum conſtruxit, nec aliud docet Ethonis Teſtamentum, quod mox citaturi ſumus.

734. THEODOR IV. R. 14.

XV. Secundò, Bruſchius Monaſterium, cui nomen Cella Monachorum, *renouatum anno Domini* 734 *ab Ethone* perperam dicit. Seriùs enim id Etho geſſit regnante iam Pippino, vt Tomo ſequenti dicemus. Interim Teſtamenti, quod Etho ſiue Eddo fecit *in ciuitate Argentinenſi*, III *Idus Martij*, *anno* XI. *regnante Domino Pippino Glorioſo Rege*, hoc initium accipe, quo noſtram opinionem tuemur. *In Nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti. Ego in Dei Nomine peccator, vocatus Argentinenſis vrbis Epiſcopus, dum cognitum mihi eſſet, qualiter Anteceſſor noſter Wicgerinus Epiſcopus Monaſteriolum in Nigra ſylua, in Marcha Etinheim, in loco nuncupante Monachorum Cella, ſuper fluuiolo Vnduſſa, de nouo ſuo opere ædificauit, in honore Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, & Sancti Iohannis Baptiſtæ; ſanctique Petri Apoſtoli, & ceterorum Sanctorum, & Monachos ibidem congregaſſet, & dediſſet ad ipſum locum aliquid de rebus Sanctæ Mariæ, & nos poſteà inuenimus ipſum Monaſteriolum, Anteceſſorum noſtrorum*, id eſt, Wandelfridi, & Aulidulfi, *negligentiâ deſolatum. Ideo placuit nobis, per commeatum Domini noſtri Pippini Glorioſi Regis, vt Monachos ibidem cangregare deberem, qui ſecundùm Regulam Sancti Benedicti degere deberent, quod & ita feci, & conſtitui ibidem Abbatem virum Reuerendiſſimum, nomine Hildolfum.*

XVI. Tertiò, Bruſchius non ſibi conſtat. In Augia diuite ſcribit Ethonem, *cùm à Carolo Epiſcopus Argentinenſis deſignatus eſſet, & eò proficiſceretur*, duxiſſe *ſecum ex Augia aliquam etiam conuentualium ſuorum partem, in cuius gratiam renouauit, & de nouo condidit in Alſatia Cellæ Monachorum vetuſtiſſimum Cœnobium.* Et in Cella Monachorum, illud Monaſterium ait *renouatum anno Domini* 734 *ab Ethone*, qui *eiuſdem ſui Cœnobij primus Abbas fuiſſe legitur*, & *inde ad Epiſcopatum Argentinenſem gubernandum euocatus, laudabiliter ibi præfuit.* Denique in Catalogo Epiſcoporum Argentinenſium vult Ethonem ex Abbate Augienſi factum fuiſſe Argentinenſem Epiſcopum regnante iam Pippino. *Miſſus eſt*, inquit, *à Sancto Pyrminio in Augiam diuitem, Monaſterium recèns à ſe fundatum, vt illic Abbatis dignitati & officio præeſſet. Cùm autem ſeptem annis ibi functus eſſet officio Abbatis, ſummâ omnium laude, vocatus eſt tandem, Wandelfrido Epiſcopo mortuo, ad Argentinenſis Epiſcopatûs gubernationem à Rege Galliarum Pipino.* Nec idem Auctor obſcurè deſignat Pippini Regis annum, quo Ethonem Epiſcopalibus Infulis donatum contendit, aſſerit enim, cùm in Cella Monachorum, tum in Catalogo Epiſcoporum Argentinenſium, Ethonem, cùm Epiſcopatui Argentinenſi *octo annis* præfuiſſet, obiiſſe *anno Domini* 773, necnon in eodem Catalogo affirmat Wandelfridum, cui Ethonem proximè ſubrogat, ex hac vita emigraſſe *anno ſalutiferi partûs* 765. Subdubitat autem in Augia diuite, num Etho *bis Epiſcopatui præfectus ſit*, primò poſt Gaudonem, denuò poſt Wandelfridum, obſeruátque id *aliis etiam Epiſcopis non ſemel* accidiſſe. In tanta opinionum varietate, id vnum veriſſimum arbitrare, quod in Hermanno genuino legitur. *Anno* 734. *Etho Argentinæ Epiſcopus promouetur.* Illo autem anno regnabat Theodoricus Quartus; Carolus Maioratum Regiæ domûs exercebat; Theodobaldus Dux erat Alemanniæ, vbi Augia, vnde Etho euocatus, vt Argentoratenſis Epiſcopus fieret. Atque inde collige Argentinenſes Infulas Ethoni priùs delatas, quàm Regnum Francorum penes Pippinum aut Carolum Magnum eſſet, nec eundem Ethonem, antequàm Epiſcopus ordinaretur, inſtauratorem Cellæ Monachorum, vel illius loci Abbatem extitiſſe. Cellam Monachorum reparauit regnante iam Pippino, primúmque ei Abbatem Hildolfum præfecit, vt ipſemet in ſuo Teſtamento ſuprà citato teſtatur. Annorum octodecim intercapedo ab ordinatione Ethonis Epiſcopi ad Pippini vſque Regis inaugurationem diuturnior eſt, quàm vt Etho Cellam Monachorum renouaſſe cenſeatur in gratiam Aſcetarum Augienſium, quos ſecum ex Augia in Alſatiam adduxerit. E cœtu Monachorum Augienſium neminem ſibi comitem aſſumpſit, quia non

deerant

Digitized by Google

deerant apud Murbachium Aſceta cum Pyrminio Abbate, quos apud Augiam anteà nouerat. Quæ priùs igitur apud Augiam inter Pyrminium Abbatem & Etonem Monachum amicitia interceſſerat, hæc arctiùs in Argentoracenſi Diœceſi conſolidata eſt Etone Epiſcopo & Pyrminio Abbate tum Murbachienſi. AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Quartò, Bruſchius in Cella Monachorum ſcribit Monaſterium illud renouatum *ab Ethone Comite Habſpurgio.* Et in Epiſcoporum Argentinenſium Catalogo duas opiniones de Ethonis origine ſic refert. *Aliqui Habſpurgium Comitem fuiſſe, alij verò, qui magis veriſimilia ſcribunt, ex Ethiconis Alſatiæ Ducis genere natum affirmant.* De genere Ethonis quid ſentiamus, expoſuimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum [a]. Locum illum adi, ne bis eadem repetamus. XVII.

[a] Num. 4.

Cetera, quæ pertinent ad Ettenhemium oppidum & ad Monaſterium eiuſdem nominis, in Tomum ſequentem reiicimus, quia Cœnobium, cui nomen à primo conditu Cella Monachorum, Ettenheimium appellari cœpit regnante iam Pippino. XVIII.

Agemus & Tomo ſequenti de Fabario * ſeu Fauario, nobiliſſimo Monaſterio, quod ſuaſu Pyrminij Abbatis Murbachienſis hoc anno fundatum eſt in Diœceſi Curienſi *, quæ pars erat Rhætiæ Italicæ, nec in Francorum ditionem ante Pippini Regis tempora deuenit, vt aliâ occaſione ad annum Chriſti ſexcenteſimum quinquageſimum [b] Tomo ſuperiori iam obſeruauimus. XIX. MONAST. FABARIVM.

* Pfeffers.
* de Coire.
[b] Num. 58.

Carolus Maior-domûs bellum Friſicum, quod anno priori ſuſceperat, hoc anno confecit. Qua de re ſic Chronicon Sandionyſianum. DCCXXXIV. *iterum Karolus venit cum exercitu in Wiſtragon.* Et Annales Nazariani, ſic. DCCXXXIV. *Karlus perrexit in Friſiam, & inde vſque ad inter* . . . . . Item Petauiani, ſic. DCCXXXIV. *Karolus perrexit in Friſiam vſque internecionem.* Fuſiùs ac clariùs Metenſes, ſic. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCXXXIV. *Karolus Princeps in Friſiam proficiſcitur, omnéſque rebelles eius gentes trucidauit, ceteróſque, quos viuos reliquit, acceptis obſidibus ſuæ ditioni ſubiugauit.* Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi conſcripſit, Appendicem ad eandem Hiſtoriam ab hoc bello, quod omiſerat, ſic orditur [c]. *Itémque, quod ſuperiùs prætermiſimus, in gentem duriſſimam maritimam Friſionum nimis crudeliter rebellantem, præfatus Princeps* Carolus *audacter nauali euectione properat, certatim altum mare ingreſſus nauium copiâ adunatâ. Aniſtrachiam & Auſtrachiam Inſulas Friſionum penetrauit, ſuper Burdone fluuio caſtra ponens; Poponem gentilem Ducem illorum fraudulentum Conſiliarium interficit, exercitum Friſionum proſtrauit, fana eorum idololatriæ contriuit atque combuſſit igni, cum magnis ſpoliis & prædis victor reuerſus eſt in Regnum Francorum.* Andreas Ducheſnius in illo textu, vti legerat, *Aniſtrachiam* ſcripſit, ſed ad oram repoſuit *Weſtrachiam.* Carolus igitur, qui bellum anno priori in Weſtrachia tantùm geſſerat, hoc anno cùm in Weſtrachia tum in Auſtrachia geſſit. XX. CAROLVS VINCIT FRISIOS.

[c] Cap. 109.

Weſtrachiam ſeu Weſtergoam anno ſuperiori ex Emmio deſcripſimus, quid idem Auctor de Auſtrachia ſiue Oſtergoa ſentiat, accipe ex libro primo rerum Friſicarum. *Oſtergoa à Weſtergoæ fine in Lauicam flumen, & Gerriconis Cœnobium, agri Groningani limitem, porrecta, opibus & viris nobilis, præſertim quà Boream & Occidentem ſpectat, aut littori vicina eſt, nam vbi Groninganis contigua eſt, & meridiem versùs procurrens ſylueſtribus propinquat, reliquæ parti haud par eſt. Ad cuius initium Leouardia * ciuitatum Friſiæ occiduæ maxima & ſplendidiſſima, ædificiis ſacris, profanis, publicis, priuatis, nobilium præſertim atriis magnificis illuſtris, riuis profundis per medios vicos præcipuos decurrentibus (vt pleraque Friſiæ oppida) permeabilis, vicis terſa, & ſine omni immunditie ac ſorde, opulenta, nitida, populoſa, cultu & moribus hominum præcellens, munitionibus validis per ambitum cincta, ſedes hoc tempore ſummi Senatûs Friſici per ea loca, ad quem ab omnibus reliquis tribunalibus inter Fleuum & Lauicam prouocatio eſt; ſita prope* XXI.

* Leuwaerden.

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14. *in vmbilico regionis totius, loco vberrimo, & ad quem ex cunctis oris omnibúſque agri partibus nauigari lenunculis poſſit. Deinde Doccumum * portu commodo, quem alueus non contemnendi fluminis in Lauica æſtuarium ſe effundentis, quod Doccumanum riuum vocant, efficit, inſigne oppidum ad* IIII *paſſ. millia intus ab ortiuo latere, vbi flumen exit, pauloque minus à Borea recedens, aggere terreo cum propugnaculis & foſſa in circuitu munita; præfecturas præterea habet* XII. *vicos* CXXVII. *Cœnobia* XXI. *arces nobilium vetuſtas quamplurimas.*

* Dockum.

XXII. Annales Tiliani Carolum hoc anno pugnaſſe *in Waſconia* volunt, ſed ad hunc annum duóſque proximos Chronologiam vno anno præuertunt, ídque ſemel monuiſſe ſufficiat.

XXIII. RATBERTVS EP. ROTOMAGENSIS OBIT. Ratbertus Epiſcopus Rotomagenſis, cùm Diœceſim, Orderico [a] teſte, per quadriennium gubernaſſet, hoc anno vitam clauſit. Diuturniorem Ratberto Pontificatum non attribuit Ioannes Dadreus, nec etiam Sammarthani ex Necrologio & ex antiquis Tabulis Eccleſiæ Rotomagenſis. Bollandus, vbi de Sancto Remigio Rotomagenſi Metropolitano loquitur [b], aſſerit in manuſcripto Florario, quinto Idus Maias, iſthæc haberi. *Apud Rotomagum, depoſitio Sanctorum Epiſcoporum, Roberti & Remigij fratris Pipini Regis Francorum.* Deinde addit Roberti ſeu Ratberti nomen in Sanctorum albo nuſquam alibi à ſe repertum fuiſſe.

a Lib. 5. ad an. 1080.
b D. 19. Ian.

XXIV. Omittere non debemus rem miram, quæ Rotomagi, Ratberto tum Pontifice, contigit in Feſto Sancti Romani, cùm eius vita de more ad Vigilias, ſiue, vt hodie loquimur, ad Matutinum legebatur. De veritate miraculi, quod ad laudem beati Romani recitabatur, ſubdubitauit Ratbertus, ac ſeni Preſbytero, quo præceptore quondam vſus fuerat, cauſam aperuit. Hic ex ſacris Scripturis multa protulit exempla, quæ fidem rei faciebant. Tunc audita tonitrua, quæ Canonicis plebíque metum incuſſerunt, oſtenſáque poſtmodum varia fulgura, quæ ſublato timore concitarunt admirationem, viſa ſunt enim in vnum deſinere radium, qui thecam, in qua Reliquiæ Sancti Romani cuſtodiebantur, maximo ſplendore affecit. Hoc prodigio ſolutum dubium, quo Ratbertus angebatur, auctúſque plurimùm cultus, quem Rotomagenſes beato Romano in eius feſto exhibere conſueuerant. Lege Franciſcum Pommerayum [c] in Hiſtoria Archiepiſcoporum Rotomagenſium. Miraculum autem, de quo Ratbertus dubitabat, à nobis Tomo [d] ſuperiore iam ex Breuiario Rotomagenſi & ex vita Sancti Romani ſic deſcriptum fuit. *Quadam die, dum* beatus Romanus *diuina celebraret myſteria, vbi ad locum ventum eſt, quo propriis manibus calicem paulò altiùs à menſa eleuaret, apparuit ſuper caput eius ignis flammea ſpecies fulgurantis, & in medio ignis dextera hominis benedicens tanquam ad ſuſcipiendum libantis hoſtias porrecta comparuit.*

c In Epiſc. 26.
d Ad an. 639. n. 3.

XXV. SVCCEDIT GRIMO. Ratberto ſucceſſit in Epiſcopatum Grimo. Hic adhuc ſuperſtes laudatur in duabus epiſtolis Zachariæ Papæ, quæ ſcriptæ ſunt anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-quarto; vna, X *Kalendas Iulias, Indictione* XII; altera, *Nonis Nouembris, Indictione* XIII.

XXVI. LANDO ABB. FONTANELL. OBIT. In Chronico Fontanellenſi [e] hæc occurrunt de Landone Abbate, cuius mentionem ante triennium iam fecimus. *Rexit Cœnobium iſtud idem Epiſcopus Lando per annos tres, lapsíſque curſûs ſui annis, ingreſſus eſt viam patrum; ſicque ſepulturæ traditus in Eccleſia beati Petri Apoſtolorum Principis, in Eccleſia Cœnobij Fontinellenſis. Obiit* XVII *Calend. Februarias.* Ei titulus ſanctitatis tribuitur in Appendice ad Martyrologium Gallicanum, & in Neuſtria Pia. Sauſſaius in Appendice prædicta ſic habet. *S. Lando octauus Abbas Fontanellæ.* Loquitur in eorum ſententia, qui Wandonem tunc exulem omittunt, & in Abbatum Fontanellenſium Catalogo primum locum Sancto Wandregiſilo, ſecundum Sancto Lamberto, tertium Sancto Anſberto, quartum Sancto Hilberto, quintum Sancto Baino, ſextum Benigno, ſeptimum Sancto Hugoni, octauum Sancto Landoni aſſignant. Chronographus

e Cap. 9.

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Fontanellenſis Anteceſſores Sancti Landonis haud aliter enumerat, vbi
ſcribit *felicia atque latiſſima iſti Cœnobio* fuiſſe *tempora* ſub beati Patris Wan-
dregiſili ſucceſſoribus, *tempore beati Lantberti Archiepiſcopi, Sancti etiam Anſ-
berti Summi Pontificis, Hiltberti quoque venerabilis Presbyteri, Baini denique
glorioſi Præſulis, Benigni pretioſi Patris, Hugonis namque magni Præſulis.*

Sancto Landoni ſucceſſit Teutſindus Abbas, qui Turonenſi Monaſterio
Sancti Martini iam præerat, & deinceps vtriuſque Cœnobij, Martiniani XXVII.
videlicet ac Fontanellenſis, Abbas fuit. In Indicibus Abbatum Martinia-
norum hactenus editis deſideratur, recenſetur autem in Abbatum Fonta-
nellenſium Catalogis, ſed maximo cum vituperio, quia plurimùm à pieta-
te ac ſanctitate ſuperiorum Abbatum defecit. Audi Chronographum Fon-
tanellenſem [a]. *Teutſindus Pater Cœnobij Sancti Martini Turonenſis Eccleſiæ ſor-
titur locum regiminis* Fontanellenſis *anno Dominicæ Incarnationis ſeptingenteſimo
& trigeſimo-quarto, Indictione ſecundâ, qui erat annus præfati Regis Theodori-
ci decimus-quintus.* Hic Auctor, cùm annos Theodorici Regis numerat,
Chronologiam anno vno præuertit, exemplum vidimus ad annum Chriſti
ſeptingenteſimum triceſimum-primum, nam ſermonem de Landone Abba-
te facturus, annum illum non cum anno Theodorici Regis vndecimo, vt
par eſt, ſed cum duodecimo malè comparat. Pergit autem, ſic. *Hic quidem
Teutſindus, quàm fuerit amator Dei ac Sanctorum; Eccleſiarúmque eius fautor ac
defenſor, opera quæ geſſit hoc in Cœnobio, vel qualiter in diebus eius, res iſtius
Monaſterij augmentum vel detrimentum ſumpſerint, teſtimonium perhibent. In die-
bus namque tyrannidis, non regiminis eius, hoc nobiliſſimum Cœnobium ignobile
eſt redditum.* Sub Anteceſſoribus hic erat Monaſterij ſtatus. *Prædiis pluri-
míſque poſſeſſionibus à Regibus magnis ac ſinceris Chriſtianæ Religionis cultoribus
iſtinc largitis, omni egeſtate excluſâ, multitudinis Domino militantium erat cor
vnum & anima vna, erántque eis omnia communia, nihílque proprium aut ſuum
quiſque dicebat, ſed iuxta exemplum primitiuæ Eccleſiæ feliciter ac ſecurè Domino
militabant, omnia namque neceſſaria à Patre Monaſterij accipienda fore nouerant.
In diebus prædictorum Patrum trecenti ſemper fuere numero iſtinc habitantes ſerui
Dei.* Teutſindus autem *adeptus locum regiminis, & non regiminis, ſed potiùs
tyrannidis, mox rebus ablatis in maximam paupertatem hoc quondam glorioſum
Cœnobium redegit. Nam penè tertiam facultatum partem abſtulit, ſuíſque propin-
quis ac Regiis hominibus ad poſſidendum contradidit, quæ vſque nunc*, id eſt, ad
tempora vſque Ludouici Pij Auguſti, *de iſto Cœnobio permanent ablatæ, ſicu-
ti omnibus Priuilegia ac largitiones, quæ in ſcriniis noſtri Cœnobij retinentur, re-
uoluentibus in promptu eſt, quæ nimis longum eſt narrare per ſingula.*

TEVTSINDVS SVCCESSOR DILAPIDAT RES MONASTERII.

a Cap. 9

Idem Chronographus vnum è plurimis precarium, quod Rathario Co- XXVIII.
miti Teutſindus Abbas edidit, in medium adducit, vt quomodo res mul-
tæ Fontanellenſi Monaſterio ſint ablatæ, per ordinem vnuſquiſque ſcire
poſſit. *Rathario Comiti contradidit Vlmirum & Warinnam cum adiacentiis eorum,
id eſt, Criſiaco, Seda, Magneroto, & item Magneroto, necnon & Toſcarias, ſi-
múlque terram ſuper littus maris, & areas ſalinarum piſcationúmque quæ ibidem
inſtitutæ erant. Vineas etiam in Warnaco ſuper fluuio Sequanæ ſitas in pago Velio-
caſſino, quæ impetrauerat ſanctiſſimæ recordationis Lantbertus Abbas à Rege Glo-
rioſo Hilderico, ſuadente Reginâ ſuâ Bilhilde, necnon & aliis illuſtribus viris,
quorum hæc ſunt nomina; Leodegarij Epiſcopi demúmque Martyris egregij, Vino-
nis, & Ernomij, Fulcoaldi, Almarici, Wlfoaldi Maioris domûs Regiæ, Bauonis,
Waningi, Adalberti, Geurini, ſicut in Geſtis præfati Patris Lantberti eximij fore
ſcriptum conſtat. Similiter alia patrimonia in eiſdem pagis ſita, id eſt, Somardum
pontem, Malchum, Hoſdinium, Balliolum in pago Vimnau, cum adiacentiis eorum,
ad ſe pertinentes. Necnon & medietatem de Edreman, qui fuit Geſonis, Moria-
cum, ac Braciacum, quæ ſunt ſuper fluuio Sedanna; Balciduum in pago Vimnau,
quæ fuerat Ambremari & Bertoaldi, & Bociliacas, Ruboridum, Roſbacium, Gam-
mapium villam pulcherrimam item ſuper fluuio Sedanna; Victriacum ſuper fluuio*

AN.CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Duno ſita in monte Aionecorte, Gammapiolum, Rumguarias, Muriacum qui dicitur vallis Cuniculi al. . . . . in pago Vimnau Bettonecorte ſuper fluuio Eura; ſunt villæ viginti-nouem, exceptis adiacentiis aliquarum, quæ ponuntur in duobus pagis, Tellau ſcilicet & Vimnau. Hæc namque patrimonia idem Comes Ratharius à prædicto Teutſindo iure precarij accepit, vnde cenſum leuauit omni anno ad feſtiuitatem Sancti Patris noſtri Wandregiſili in luminaribus Eccleſiæ ſolidorum ſexaginta perſoluendum. Factum eſt hoc precarium in iſto Cænobio, hoc anno, qui eſt ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeptingenteſimus trigeſimus-quartus, Indictione II, ſub die tertio Nonarum Maiarum, quod euenit feriâ quartâ, qui erat annus Caroli Principis vigeſimus, præditúſque fuit literâ Dominicali C.

XXIX. LAVS ERINHARII PRÆPOSITI. Diuinâ verò prouidentiâ tunc eiuſdem Monaſterij Præpoſitus erat Erinharius, vir inſignis pietate, qui *ædificauit Baſilicam beatiſſimi Archangeli Michaelis, licèt modico, pulcherrimo tamen opere, allatis videlicet petris politis de Iuliobona*, &c. *Erat idem Erinharius, ſecundùm carnis originem de Apuliaco villa, fautor tamen & amator Regulæ caſtaque Religionis. Dicere verò ſolitus erat præfatus Teutſindus fratribus Turonicæ Eccleſiæ. Niſi veſtram correxeritis vitam ac mores, Erinharium meum Præpoſitum ex Fontanella huc adducam, qui aratra veſtra rectum doceat ſulcare.* Hæc ad commendationem Erinharij Præpoſiti dicta ſunto, qui ſuâ vigilantiâ plurimos Monachorum in officio continuit, & multa damna, quæ procul dubio malus Abbas intuliſſet, à Cœnobio Fontanellenſi ſapienter auertit. Vtrùm ſuperſtes Teutſindo vixerit, haud ſcimus. *Expletis circulis dierum ſuorum defunctus, ac in Baſilica Sancti Petri Apoſtolorum Principis in introitu eiuſdem Baſilicæ ante oſtium Aquilonare terræ conditus eſt, ſub nobili videlicet eiuſdem Eccleſiæ pauimento, ſcriptumque eſt in coopertorio ſepulchri ſui ita. Hîc requieſcit Erinharius Præpoſitus.* Ex hoc Epitaphio redargue eos qui Erinharium Abbatem Fontanellenſem fingunt, ac proximum Teutſindi ſucceſſorem fuiſſe fabulantur [a].

[a] In Neuſtria Pia, tit. Fontanella, cap. 6.

XXX. Teutſindus vltra quadriennium Monaſterio Fontanellenſi non præfuit, obiit enim anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequadrageſimo. Tam breui temporis ſpatio, & Erinhario Præpoſito viróque ſanctiſſimo fruſtrà obnitente, Monachos Fontanellenſes ab innocentis vitæ ſtatu, quem in eodem Cœnobio beatus Wandregiſilus inſtituerat, plurimùm excidiſſe ſic deflet idem Chronographus [b]. *Ab iſto tempore, quo lugendus iſte* Teutſindus *regiminis ſuſcepit locum, ſtatus vitæ innocentis, quem in eodem Cænobio, ſecundùm eximij Patris Benedicti normam excolendum fore beatus Pater Wandregiſilus inſtituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit, nec vſque ad hanc diem*, id eſt, vſque ad Ludouici Pij Principatum, *in priſtinum ſtatum reuocari valuit.*

[b] Cap. 9.

XXXI. Homo ſuapte naturâ procliuis adeò eſt ad malum, vt facilè deſciſcat à bonis moribus, raiò difficilliméque reſipiſcat à prauis. Innocentis vitæ ſtatum, quem beatus Wandregiſilus proximíque ſucceſſores in Monaſterio Fontanellenſi ſanctiſſimè per annos ſex & octoginta cuſtodierant, vnus Teutſindus Abbas intra quadriennium ſic corrupit, vt Chronographus ſtatum illum eliminatum nec adhuc reuocatum poſt annos ferè centum meritò conqueratur.

XXXII. In eodem autem Auctore næuum putamus eſſe, cùm ſtatum illum innocentis apud Fontanellam vitæ ideò laudat, quòd eum beatus Wandregiſilus inſtituiſſet illic excolendum fore *ſecundùm eximij Patris Benedicti normam.* Regulam enim Benedictinam à Monachis Fontanellenſibus ſub Anſberto tertio illius loci Abbate ſeriùs obſeruari cœptam arbitramur. Reuerendi admodum Domni, Lucas *d'Achery* & Ioannes *Mabillon*, Monachi Benedictini è Congregatione Sancti Mauri, in præfatione, quam Tomo ſecundo de Actis Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti nuperrimè præpoſuerunt, aliter cenſent, & Aſcetas Fontanellenſes à primo Cœnobij conditu Regulam Sancti Benedicti amplexos contendunt. Sunt & alia in eadem Præfatione, de quibus non conuenimus. Tota controuerſia ſummatim ad

Digitized by Google

quatuor capita redigi poteſt; vtrùm Regula Benedictina in Monaſterio Bobienſi ſuſcepta ſit à Sancto Columbano; vtrùm poſt Synodum Matiſconenſem ſtatim in Galliis cum Regula Sancti Columbani coaluerit; vtrùm Cœnobio Fontanellenſi præſcripta ſit à Sancto Wandregiſilo; vtrùm Monaſteriis Gandenſibus & Elnonenſi à Sancto Amando impoſita? De ſingulis agemus, totius tamen litis iudicio penes Lectorem amicum vtrarumque partium relicto. Diſputamus enim inuiti cum viris eruditiſſimis, de Hiſtoria Eccleſiaſtica optimè meritis, & nobis à multis annis amicitiâ coniunctiſſimis, quorum lucubrationibus ſæpè iam vſi ſumus, ſæpiúſque nos adhuc vſuros ſperamus. AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

XXXIII. In ſua Præfatione [a] de Sancto Columbano ſic loquuntur. *Columbanus diuerſum à Benedictino viuendi genus in Galliam inuexiſſe non immeritò dici poteſt. Primò enim ex Hibernia ſeu ex Bancorenſi Monaſterio venit in Galliam, antequàm Regula S. Benedicti in Britanniam inſulam, adeóque in Hiberniam penetrauiſſet. Deinde in Gallia conſtitutus, Monachis Regulam peculiarem ſcripſit, quam in Codice Regularum vnà cum ipſius Pœnitentiali legere licet. In ea nullum ferè veſtigium Benedictinæ Regulæ apparet. Præterea Ionas in Actis Columbani eiúſque diſcipulorum, ſæpè S. Columbani, nuſquam S. Benedicti Regulam memorat. Equidem aliquot in locis [Regulam ſanctam] laudat, quo nomine Concilia S. Benedicti Regulam commendare ſolent. At Ionas, Columbani Regulam, quam ipſe profeſſus erat, obſignaſſe videtur. Ad hæc Columbanus & Monachi ab eo inſtituti Scottorum habitum, tonſuram, alióſque ritus præferebant, vti ex Concilio Matiſconenſi Agreſtij causâ coacto apparet. Denique in eo Concilio conqueſtus eſt Agreſtius, teſte Ionâ in vita S. Euſtaſij, quòd [Columbani diſcipuli à ceterorum more deſciſcerent.] His argumentis adductus inclinat animus, vt Monaſticum B. Columbani genus à Benedictino diuerſum ac ſeparatum principio fuiſſe concedam. At vtrumque paullò pòſt in vnum demum viuendi genus quibuſdam ritibus detractis & temperatis coaluiſſe, perſuaſum mihi eſt: id quod & rationes ſuperiores aliæque inferiùs referendæ validiſſimè adſtruunt. Et Columbanus quidem in Italiam profectus, S. Benedicti famâ permotus, eius Regulam, vt ſe moribus Romanis accommodaret, in ſuo ipſius Bobienſi Monaſterio admiſiſſe dici haud temerè poteſt.*

[a] Num. 14.

XXXIV. In illo textu nihil occurrit, quod noſtræ cauſæ non faueat plurimùm. Columbanus Regulam Sancti Benedicti nec in Hibernia nec in Galliis amplectitur, Ionas eiuſdem Columbani Regulam in Monaſterio Bobienſi profitetur, & in Actis Sancti Columbani eiúſque diſcipulorum, ſæpè Sancti Columbani, nuſquam Sancti Benedicti Regulam memorat. Hæc autem de Columbano & Iona nemo poteſt aſſerere, quin fateatur Regulam Sancti Benedicti nunquam à Sancto Columbano ſuſceptam fuiſſe. Ionas enim in Bobienſi Cœnobio Monachum induit Columbano iam mortuo, Actáque eiuſdem Columbani eiúſque diſcipulorum longè ſeriùs in literas retulit. In Abbatum Bobienſium Catalogo, quem Ferdinandus Vghellus Bobienſibus Epiſcopis ſubiunxit [b], quatuor antiquiſſimi recenſentur hoc ordine, Sanctus Columbanus, Sanctus Attalas, Sanctus Bertulphus, Sanctus Bobulenus. Obierunt, Sanctus Columbanus anno Chriſti ſexcenteſimo decimo-quinto, Sanctus Attalas anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſeptimo, Sanctus Bertulphus anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo. Nec ab illa Chronologia, quam Tomis ſecundo & tertio probauimus, recedunt qui nos impugnant Auctores Benedictini. Sic enim de Sancto Columbano in notis ad eius vitam ſcribunt. *Anno Chriſti* DCXV. *S. Columbanum ad Superos abiiſſe, inde colligitur, quòd annum integrum poſt ſuum è Gallia diſceſſum, & Theoderici Regis interitum, in Monaſterio Bobienſi expleuerit.* De Sancto Attala ſimiliter in notis ad eius vitam, ſic. *Anno proinde Chotharij mortem præcedente, Chriſti* DCXXVII. *B. Attala mortuus eſt.* De Sancto Bertulpho ſic in ſua Præfatione [c]. *Ionas Prologum ſcribebat triennio vixdum elapſo à morte Sancti Bertulfi Abbatis anno* DCXL *demortui.* Et in notis ad eiuſdem Sancti Bertul-

[b] Tom. 4. Ital. Sacr.

[c] Num. 6.

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

phi vitam affirmant eum obiiſſe, *poſtquàm Cœnobium Bobienſe poſt beatum Attalam annos tredecim rexerat*, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo, quia beatus Attala, ſiue Attalas, vt obſeruatum ſuprà, deceſſit anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſeptimo. Rebus igitur humanis exemptus eſt Attalas anno Præfecturæ ſuæ duodecimo. Atque inde liquet beatum Columbanum ex hac vita priùs migraſſe, quàm Ionas Monachis ſe Bobienſibus adiunxerit. Hic enim annum ſui Monachatûs nonum cum anno poſtremo ſeu duodecimo Attalæ Abbatis in eiuſdem Sancti Attalæ vita ſic componit. *Cùm iam nouem annorum per circulum in Monaſterio conuerſatus eſſem, & ſæpè parentibus poſtulantibus, vt eos ex permiſſu ſuo viſerem, nec impetrauiſſent, nullo exinde mentionem faciente ait. Vade feſtinus, fili, & matrem fratrémque viſita, & nullâ morâ præpediente reuertere. Cúmque differrem & temporis opportunitatem euenire in proximo dicerem (erat enim tempus nimij frigoris, tempus ſcilicet Februarij) at ille ait. Accelera aggredi iter quod tibi dixi. Neſcis vtrùm impoſterum liceat agere. Datis ergo comitibus, Blidulpho Presbytero & Hermenoaldo Diacono, de quorum religione nihil dubitabatur, ad deſtinatum peruenimus locum. Erat enim locus Siguſia* *, *vrbs nobilis, quondam Taurinatum colonia, à Monaſterio diſtans centum quadraginta millibus, vbi, vt peruenimus, gratuitè à genitrice poſt tantorum interualla annorum ſuſcepti ſumus, ſed non diu optato genitrix fruitur dono. Nam eâdem nocte febre correptus inter incendia clamare cœpi, me viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum quantiſper morarer, ſi non me citò moueant, quocumque potuiſſem conamine ad Monaſterium repedare, me citò morte præueniendum. Mater ad hæc. Meliùs mihi eſſet, fili, vt te ibi ſanum ſcirem, quàm hîc mortuum deflerem. Fateor, longum fuit diei expectare aduentum. Vix, erumpente aurorâ, retrò repedare ſtuduimus, me nec quidquam cibi capiente, donec medij penè itineris loca pertingeremus. Feſtinantibus ergo ac iter vrgentibus ſoſpitatem rurſum recepi, venientéſque ad Monaſterium Patrem iam febribus detentum reperimus ac morti proximum; quibus viſis gratulatus eſt. Sícque apertè cognouimus viri Dei in hoc valuiſſe preces, vt me vis febrium vrgeret citò ad Monaſterium ante eius exitum redire*, qui poſt aliquot dies contigit, ſexto videlicet Idus Martias, anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-ſeptimo. Ionas igitur factus eſt Monachus Bobienſis Attalâ iam Abbate, ideóque in peruetuſta Sancti Walerici vita, non diſcipulus Sancti Columbani, ſed *eruditus diſcipulus diſcipulorum eius* dicitur. Porrò Sancti Columbani, non autem Sancti Benedicti Regulam profeſſus eſt, vt ipſimet Auctores Benedictini, quibuſcum abſque vllo charitatis ac ſynceræ amicitiæ diſpendio hanc, elucidandæ magis veritatis ergò, diſputationem inimus, textu ſuprà citato fatentur. *Ionas*, inquiunt, *Columbani Regulam, quam ipſe profeſſus erat, obſignaſſe videtur.* Ergo in Monaſterio Bobienſi viguit Regula Sancti Columbani ſub Sancto Attala, ſecundo illius loci Abbate. Ergo Sanctus Columbanus, qui Bobienſe Monaſterium conſtruxit, Regulam Benedictinam in illo Cœnobio non ſuſcepit. Aliâ certè non opus eſt probatione.

* Suſe.

XXXV. Secundò, Lucas Dacherius & Ioannes Mabillonus de tempore, necnon de modo, quo Regula Sancti Benedicti per Gallias in Monaſteriis Sancti Columbani recepta eſt, in ſua Præfatione [a] ſic ſcribunt. *In Gallia poſt Synodum Matiſconenſem anno* DCXXV *habitam Columbani ritibus eandem Regulam*, nempe Benedictinam, *acceſſiſſe, nemo iure negauerit.* Et inferiùs [b], ſic. *Ergo S. Columbani inſtitutum cum Benedictino coaluiſſe ante ſæculi* VIII *initium videtur, eum ad modum quo in Cœnobio Atanenſi non modò Caſſiani, verùm etiam Baſilij, & reliquorum Abbatum, qui Monaſterialem vitam inſtituerunt, celebratæ ſunt Regulæ, vt Gregorius Turonenſis Epiſcopus auctor eſt in Hiſt. lib.* 10. *cap.* 29.

a Num. 14.

b Num. 15.

XXXVI. A Concilio Matiſconenſi, quod anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-tertio conſignauimus, ad initium vſque octaui ſeculi, longa interceſſit anno-

Digitized by Google

rum ſeptem ac ſeptuaginta intercapedo. Tanto temporis ſpatio plurima, eáque nobiliſſima in Galliis condita ſunt Monaſteria, quorum primæua controuertentur inſtituta, donec determinatè figatur tempus, quo Regula Sancti Benedicti in Monaſteriis Sancti Columbani ſuſcepta eſt. Hæc mutatio non anteceſſit annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum, quo Bertulphus Abbas Bobienſis obiit; imò, nec ante annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſexageſimum, quo Ionas apud Reomaum cum Hunna illius loci Abbate, Sancti Columbani quondam diſcipulo, conuerſabatur, nec ætate Philiberti Gemmeticenſis Abbatis facta eſt, qui ſuperſtes in viuis adhuc exiſtebat anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, quo tertium operis noſtri Tomum terminauimus. Tria hæc facilè probari poſſunt.

XXXVII. Ionas poſt obitum Sancti Bertulphi, ſiue poſt annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum, geſta Sancti Columbani, necnon eius diſcipulorum, putà Attali ſiue Attalæ, Euſtaſij, & aliorum conſcripſit, duobúſque complexus eſt libris, quos Boboleno Abbati Bobienſi ipſius Bertulphi ſucceſſori, & Waldeberto Abbati Luxouienſi dedicauit. Initium enim Prologi tale eſt. *Dominis eximiis & ſacri culminis regimine decoratis Religioniſque copiâ fultis Boboleno & Waldeberto patribus Ionas peccator. Memini me ante hoc fermè triennium fratrum conniuentiâ flagitante, vel B. Bertulphi Abbatis imperio iubente, cùm apud eos Apenninis ruribus vacans in Bobienſi * Cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, vt almi Patris Columbani meo ſtuderem ſtylo texere geſta: præſertim cùm hi, qui eo fuerunt tempore, & penes ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes vos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita, ſed viſa narrarent, vel quæ etiam nos per venerabiles viros Attalam & Euſtaſium didicimus, quorum primus Bobienſis, ſecundus Luxouienſis Cœnobij, quo vos Præſules exſiſtitis, eius ſucceſſores fuerunt, qui Magiſtri inſtituta ſuis plebibus ſeruanda tradiderunt.* Et paulò pòſt, in eodem Prologo Ionas opus ſuum in duos libros ita partitur. *Quæ ſunt ergo poſita, duobus libris interſcidi, vt vno volumine legentibus faſtidium amputarem. Primus B. Columbæ* ſeu Columbani *geſta perſtringit, ſecundus diſcipulorum eius Attali & Euſtaſij, vel ceterorum quos memini, vitam ediſſerit.*

*Mabillono *Ebobienſi.*

XXXVIII. Hic Auctor de S. Donato, Veſontionenſi tunc Epiſcopo, ſic in vita S. Columbani locutus eſt. *Pro amore B. Columbani ex ipſius Regula Monaſterium virorum conſtruxit, quod Palatium nuncupant ob veterum monimenta murorum.* Et paulò pòſt de Ramelio eiuſdem S. Donati fratre. *Ipſe in amore beati viri* Columbani *in ſaltu Iurenſe ſuper Nouiſanam fluuiolum Monaſterium ex eius Regula conſtruxit, in quo Siagrium Abbatem præfecit.* Hæc duo Monaſteria poſt mortem Sancti Columbani condita ſunt, eóque tempore, quo Ionas ſcribebat, in illis præter eiuſdem Sancti Columbani Regulam nulla prorſus audiebatur. Nec fides habenda recentioribus membranis, quas Ioannes Iacobus Chifflетius [a] in encomio Sancti Donati publicauit, & ex eo citauit Ioannes Mabillonus [b] in elogio Hiſtorico eiuſdem Sancti Donati, vt probaret vtramque Regulam Sancti Benedicti & Sancti Columbani à primo conditu ſimul obſeruatam fuiſſe in Cœnobio, quod à Iona *Palatium* vocatur, perſtátque hodie Sancti Pauli nomine inſignitum atque à mœnibus ciuitatis Veſontionenſis Dubi fluuio diremptum. *Prætereà* Donatus, inquiunt iſtæ membranæ, *Monaſterium infra vrbis mœnia condidit, & in honore B. Pauli Apoſtoli ſacrauit, poſſeſſionibus ditauit, priuilegio muniuit, atque inibi fideles viros ſub B. Benedicti & B. Columbani Luxouienſi Regula victuros inſtituit.* Abradendum Sancti Benedicti nomen æquus Lector iudicabit, & præcitatarum membranarum poſtremam phraſim auctoritate Ionæ fretus ſic reponet, *inibi fideles viros ſub B. Columbani Luxouienſi Regula victuros inſtituit.*

[a] In Veſont. part. 2. n. 25.
[b] Ad an. circ. 651.

XXXIX. Deinde pleraque Monaſteria, quæ poſt Agreſtij confutationem ſeu poſt Matiſconenſe Concilium, id eſt, poſt annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-tertium, ſub Regula Sancti Columbani condita ſunt Epiſcopis Gal-

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

licanis Inſtituta eiuſdem Sancti Columbani roborare ſtudentibus, in vita Sancti Euſtaſij [a] Ionas ita commemorat. *Abellenus verò* Genauenſis Epiſcopus *vel ceteri Galliarum Epiſcopi poſt*, id eſt, poſt Synodum Matiſconenſem, *ad roboranda Columbani Inſtituta adſpirant. Quammulti iam in amore Columbani & eius Regulæ Monaſteria conſtruunt, plebes adunant, gregem Chriſti congregant. Inter quos inluſter tunc vir Elegius, qui modò Virimandis Eccleſiæ Pontifex præeſt, iuxta Lemouicenſem vrbem Monaſterium nobile, Solemniacum * nomine, conſtruxit ſupra fluuium Vicennam *, diſtans à ſupradicta vrbe millibus quatuor, & alia multa in iiſdem locis Cœnobia: ſed & in Pariſius Puellarum Monaſterium, quod de Regio munere ſuſceperat, ædificat, in quo Chriſti Virginem, Auream nomine, præfecit. In Bituricenſi verò vrbe, Puellarum Monaſterium, ex B. Columbani Regula, Berthoara nobilis genere & Religione fœmina conſtruxit. Itémque in ſuburbano Bituricenſis vrbis, vir venerabilis Theodulfus, cognomento Bobolenus, Monaſteria, ex Regula Columbani, omni Religione pollentia conſtruxit, primum in Inſula ſupra fluuium Milmandram *, vbi Religioſorum adunauit cateruam; alind Gaudiacum nomine, haud procul à fluuiolo Albeta *; tertium Chriſti Virginum Congregationi, loco nuncupato Carantomo * ſupra fluuium iam dictum Milmandram; itémque aliud Chriſti Virginum, iuxta Niuernenſe oppidum, ſub eadem Regula conſtruxit.* Ex hoc textu duo manifeſtiſſimè demonſtrantur, quòd nempe nec Euſtaſius Abbas Luxouienſis è Concilio Matiſconenſi reuerſus Sancti Benedicti Regulam cum Inſtitutis Sancti Columbani coniunxit, nec Monachi Solemniacenſes à primo Monaſterij conditu Monaſticam vitam ſub Regula Sanctorum Benedicti & Columbani duxerunt. Quapropter, in Præfatione ſecundo Seculo Ordinis Benedictini præfixa, hæc gratis & abſque vlla probatione ſcribuntur. *Reuerſus è Concilio Matiſconenſi Euſtaſius, vt ſcandalum de Tonſura inuſitata aliiſque moribus ab Eccleſia Romana alienis excuteret, S. Benedicti Regulam cum Columbani Inſtitutis coniunxit.* Et in additionum & correctionum Appendice ad idem ſecundum Seculum Benedictinum, interpolata cenſeri debet charta pro fundatione Monaſterij Solemniacenſis, in qua Monachis illius loci duplex impoſita dicitur conditio, vt *tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxouienſis Monaſterij* conſequerentur, & *Regulam beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani* firmiter tenerent. Prior illarum conditionum, quam nemo non probabit, in Gallia Chriſtiana notatur iiſdem verbis à Roberto; ſiletur altera, quam Interpolator adiunxit. Interpolatio eò magis apparet, quòd duæ conditiones, quas diſtinximus, diuerſa deſignant tempora. Prior enim, vt ex Iona ſuprà citato conſtat, rectè referri poteſt ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum, ſiue ad annum Dagoberti Magni decimum iam inchoatum, quo Solemniacenſis fundatio conſignata eſt. Poſterior verò ſapit ætatem recentiorem, quâ Monachi cùm Luxouienſes tum Solemniacenſes Regulam Sancti Benedicti iam profitebantur. Id autem nondum contigerat, cùm Ionas vitam Sancti Euſtaſij ſcribebat, & Eligium, quia Solemniacenſe Monaſterium ædificarat, numerabat inter illuſtres viros, qui Cœnobia *in amore Columbani & eius Regulæ* conſtruxerant. Nec nos mouet, quod in Priuilegio [b], à Synodo Sueſſionica Monachis Solemniacenſibus conceſſo, Bernardus illius loci Abbas anno Chriſti octingenteſimo ſexageſimo-ſexto expoſuit iſtud Cœnobium ab Eligio eâ conditione fundatum fuiſſe ſub Dagoberto Magno, vt Aſcetæ *normam S. Benedicti inuiolabiliter tenerent.* Idem enim Bernardus à Rege & Synodo nouum tunc Priuilegium poſtulauit, *quoniam Nortmannorum crudelitate graſſante priora inſtrumenta incendio fuerant concremata.* Lis igitur non ipſius Bernardi iudicio, qui chartam fundationis Solemniacenſis præ manibus non habuit, ſed iudicio dirimenda vetuſtiorum Auctorum, qui Nortmannorum in Gallias irruptionem anteceſſerunt. Ceteros autem antecellit, qui potiſſimùm conſulendus Ionas in vita Sancti Euſtaſij, quam allegauimus ſuprà.

[a] Secul. 1. Benedict. ad an. 625.
* Solignac.
* la Vienne.
* la Marmande.
* l'Aubois.
* Charenton.
[b] Ap. Sirmond. Tom. 3. Conc. Gall.

Prætereà

Præterea vitam Sanctæ Burgundofaræ primæ Eboriacenſis Abbatiſſæ, ſeu potiùs librum de virtutibus ac rebus mirabilibus in Eboriacenſi Monaſterio factis tempore Burgundofaræ Abbatiſſæ, ſic orditur idem Ionas [a]. *Meminiſſe velim Lectorem, me ſuperiùs fuiſſe narraturum pollicitum de Cœnobio ſupramemorato Burgundofaræ, quod Evoriacas vocant, quod ex Regula B. Columbani omni intentione & deuotione conſtruxerat.* Et capite octauo loquitur de Ega ſiue Æga vel Ægane Maiore-domûs iam mortuo. XL. Æganes autem ineunte anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo vitam clauſit. Atque inde colligere eſt illud opus à Iona ſcriptum eſſe poſt obitum Sancti Bertulphi Bobienſis Abbatis, ſiue poſt annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum, cùm Regula Sancti Columbani ſub Abbatiſſa Burgundofara in Monaſterio Eboriacenſi obſeruabatur.

XLI. Idem Ionas vitam beati Ioannis primi Reomaenſis Abbatis à Monacho Reomaenſi priùs ſcriptam recognouit, auxit, interpolauit. Ita cenſet Ioannes Mabillonus in obſeruationibus ad eiuſdem Sancti Ioannis vitam, quam reiecit in Appendicem Seculi primi Benedictini complectentem Acta Sanctorum ſubditiciorum, qui paulò ante Sanctum Benedictum deceſſerunt. Hiſtoriam Reomaenſem Petrus Rouerius ab opere Ionæ & ab eius prænotatione de tempore & occaſione operis ſic exorſus eſt. *Anno tertio Regni Domini Clotarij Regis, ex iuſſu ipſius Principis, vel genitricis ſuæ præcelſæ Dominæ Baltichildis Reginæ, cùm ad vrbem Cabilonenſem mitteretur noni menſis ſecundâ hebdomadâ Ionas diſciplinis beati Columbani eruditus, atque per Monaſterium S. Ioannis, quod vocatur Reomaus, prateriens paucis diebus inibi pro labore itineris quieuiſſet, ductus precibus Domini Hunnæ Abbatis fratrúmque ipſius Cœnobij, vt quæ per diſcipulos memorati Confeſſoris Chriſti, vel poſteros eorum, veraciter comperta erant, conſcriberet, tandem articulum ſcribendi ita conuertit.* Huc vſque Ionæ prænotatio. Ceterùm Clotarij Tertij Regis annus tertius cum anno Chriſti ſexcenteſimo duodeſexageſimo conuenit, illóque anno Hunna Monaſterio Reomaenſi præerat Abbas ſeptimus. Abbates Reomaenſes hoc ordine recenſentur; Sanctus Ioannes ipſius Monaſterij conditor, Sanctus Silueſter, Mummolus, Leopardinus, Sicharius, Bobo, Hunna. Reomaenſe Monaſterium Sanctus Ioannes in ſuo fundo priùs erexit, quàm beatus Maurus ex Italia & Sanctus Columbanus ex Hibernia in Gallias venirent, id eſt, priuſquàm Regulæ Sanctorum Benedicti & Columbani in Galliis audirentur. Monachis apud Reomaum vicum congregatis Regulam quam ex multis Galliarum Monaſteriis collegerat, deinde Macarianam præſcripſit, vt Ionas in eius vita [b] docet. Suſcepta pòſt à Monachis Reomaenſibus Regula Sancti Columbani, cùm Hunnæ Monacho Luxouienſi Abbatiales Infulæ Cœnobij Reomaenſis iam eſſent delatæ, ideóque à Petro Rouerio illuſtratione centeſimâ quadrageſimâ-tertiâ Hiſtoriæ Reomaenſis *Bobo extremus è Diſcipulis S. Ioannis*, & *Hunna primus S. Columbani* vocatur. Apud eoſdem autem Monachos Reomaenſes nulla tunc mentio Regulæ Benedictinæ, quia plurimùm differebat ab Inſtitutis Sancti Columbani, nec adhuc introducta fuerat in Luxouienſe Monaſterium, vnde euocatus Hunna, vt Aſceterio Reomaenſi cum Abbatis titulo præeſſet.

XLII. In Monaſteriis, quæ ſectabantur Inſtituta Sancti Columbani, Regula Sancti Benedicti ſeriùs ſuſcepta eſt. Id conſtat ex vita Sancti Philiberti, quem Sancto Agilo in adminiſtrationem Monaſterij Reſbacenſis anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo ſucceſſiſſe diximus. Auctor enim iſtius vitæ, ſeu vixit ſub Coſchino poſt Aicadrum Sancti Philiberti proximum ſucceſſorem Abbate Gemmeticenſi, vt Ioannes Mabillonus [c] in obſeruationibus præuiis vitæ Sancti Philiberti putat, ſeu floruit ſub altero Coſchino Gemmeticenſi Abbate Ludouici Pij Auguſti ſynchrono, vt cum Petro Franciſco Chiffletio [d] exiſtimamus, ætate Sancti Philiberti quatuor diſtinguit Regulas in Gallia tum florentiſſimas, vnam Sancti Baſilij, alteram Sancti

[a] Secul. 2. Benedict. ad an. 651.

[b] Lib. 1. cc. 3. 7.

[c] Secul. 2. Benedict. ad an. circ. 684.

[d] In probat. Hiſt. Trenorcienſis.

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Macarij, tertiam Sancti Benedicti, quartam Sancti Columbani. *Quia*, inquit, *ſancti viri ſemper perfectiora ſectantur, cœpit Sacerdos Domini* Philibertus *Sanctorum Cœnobia circuire, vt aliquid emolumenti ex ſuſceptione ſanctitatis valeret accipere. Luſtrans Luxouium & Bobium, vel reliqua Cœnobia ſub norma Sancti Columbani degentia, atque omnia Monaſteria, quæ intra ſuum gremium Francia & Italia ac tota concludit Burgundia, aſtutâ intentione prouidens, vt prudentiſſima apis, quidquid melioribus florere vidit ſtudiis, hoc ſuis traxit exemplis. Baſilij Sancti Chariſmata, Macarij Regulam, Benedicti Decreta, Columbani Inſtituta, ſanctiſſimâ lectione frequentabat aſſiduè, ſicque onuſtus virtute aromatum ſequacibus ſanctum monſtrabat exemplum.* In hoc textu duo potiſſimùm ſunt obſeruanda. Ætate Sancti Philiberti, ſiue poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum, Monachi cùm Luxouienſes tum Bobienſes *ſub norma Sancti Columbani* degunt, & in Francia præ ceteris vigent quatuor Regulæ Monachorum, eæque adeò diſtinctæ, vt vna in vno Monaſterio ſeruetur, alia in alio cuſtodiatur, nec duæ ſimul in eodem Cœnobio coaleſcant.

XLIII. Ex prædictis patet anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, quo tertium Annalium noſtrorum Tomum clauſimus, cùm Philibertus Abbas Gemmeticenſis in viuis adhuc ſuperſtes eſſet, in Luxouienſi Monaſterio viguiſſe Regulam Sancti Columbani, ſeriúſque cùm in hoc Cœnobium, tum in alia, quæ eandem Sancti Columbani Regulam ſequebantur, mores ritúſque Benedictinos introductos fuiſſe. Quapropter nemini mirum debet eſſe, ſi quas illo Tomo colonias Monachorum Luxouio eductas commemorauimus, eas omnes addiximus Regulæ Sancti Columbani, nullúmque Monaſterium vtrique Regulæ Sancti Benedicti & Sancti Columbani ſubiecimus, poſthabitis ac reſciſſis interpolationibus, quæ pleriſque Præceptis ac Priuilegiis illorum temporum inſertæ ſunt, necnon correctis atque emendatis recentioribus Auctoribus, qui de rebus ſeculo ſeptimo geſtis perperam ſcripſerunt. Vltra prædictum annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum diſputationem noſtram hoc loco non prorogamus, quoniam Auctores Præfationis, cui reſpondere vel inuiti cogimur, nihil è noſtris lucubrationibus, quod annum illum excederet, præ manibus habebant, cùm nos impugnare cœperunt.

XLIV. Tertiò, iidem Auctores Benedictini Regulam Sancti Benedicti Monachis Fontanellenſibus à primo Monaſterij conditu præſcriptam contendunt, nos ſeriùs in illo Cœnobio ſuſceptam affirmamus.

XLV. Sanctus Wandregiſilus Fontanellenſe Monaſterium inchoauit anno Chriſti ſexcenteſimo duodequinquageſimo, obiítque anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-ſeptimo. In eius vita nullum omnino verbum de Regula S. Benedicti legitur, inueniuntur autem plurima, quæ vel ad Regulam S. Columbani, vel ad Regulam Sanctorum Patrum ſiue ad Regulam ex multis Sanctorum Patrum Regulis collectam ſpectant. Atque inde Lector iure pronuntiabit impoſitam Monachis Fontanellenſibus à Sancto Wandregiſilo vel Regulam S. Columbani, vel Regulam quæ ex variis Regulis collecta eſſet.

XLVI. Pro Regula Sancti Columbani tria pugnant argumenta. Primum petitur à Wandregiſili profectione ad Bobienſe Monaſterium, vbi tunc Inſtituta Sancti Columbani vigebant. Secundum ducitur à magno illo numero Gallicanorum Monaſteriorum, in quibus obſeruabatur Regula Sancti Columbani. Tertium petitur ab amicitia Audoeni Rotomagenſis Epiſcopi, qui Monachos regularibus Sancti Columbani diſciplinis eruditos plurimùm colebat. Ipſiuſmet Sancti Wandregiſili vitam [a] conſule. Auctor iter ab eo ſuſceptum ad Bobienſe Monaſterium Angelo præſignante non ſilet; refert & eius familiaritatem cum Audoeno ſic. *Veniens Rodomo* * *in Sede beata in diebus Audoeni Orthodoxi, qui cùm vidiſſet eum, ipſe Pontifex cognouit, quia hic vir Dei magnus cultor eſſet, & voluit eum ad onus Subdiaconale benedicere, quem inſcium & penè nolentem ad ipſum gradum eum inſtituit; exinde Le-*

[a] Secul 2. Benedict. ad an. 667

* Rouen.

Digitized by Google

uitam; deinde ad Sacerdotium per manus Audomari conſcendere fecit. Qui ipſe Sanctus Dei poſt acceptam benedictionem explebat officium ſuum, erat enim decoratus ad ipſum miniſterium exercendum. Quanta autem in exiſtimatione Monachos Sancti Columbani diſciplinis imbutos Audoenus Epiſcopus haberet, ipſemet in vita Sancti Eligij [a] poſt mortem Clotarij Tertij Regis, ſiue poſt annum Chriſti ſexcenteſimum vndeſeptuageſimum, ſcripta docet, vbi *Luſſedium* ſeu Luxouium, celeberrimum ſub Sancti Columbani Regula tunc Monaſterium, ceteris Galliarum Cœnobiis ſic præfert. *Aliquando etiam nimis ſanctæ conuerſationis æſtuans deſiderio ipſe quoque* Eligius *properabat ad Cœnobia, maximéque Luſſedium, quod erat eo tempore cunctis eminentius atque diſtrictius.* Idem quoque Sancti Audoeni ſtudium erga Monachos Luxouienſes ex ipſius Audoeni vita necnon ex vita Sancti Agili Reſbacenſis Abbatis colligitur. Sanctus Audoenus Reſbacum * Monaſterium fundauit, ibíque primum Abbatem inſtituendum curauit beatum Agilum *, quem Fridegodus *Abbatem ex diſcipulis almi Columbani virum regularibus diſciplinis apprimè eruditum* dicit, & Anonymus in eius Actis teſtatur *de Luxouio per Edictum Regis* egreſſum, vt Reſbacenſis Abbas fieret. His adde Monaſterium, quod *Ado in proprio ſolo*, vt idem Anonymus in eadem Sancti Agili vita ſcribit, *ope fratris, venerabilis videlicet Audoeni, ſuper amnem Maternam ædificauit, cui Iotrum * nomen impoſuit, atque ex rebus propriis fæcundiſſimè ditauit; in quo etiam monaſticè ſecundùm B. Columbani Inſtituta, vnà cum caterua præclara Religionis maxima ſuperno Regi Chriſto militauit.*

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

[a] Tom. 5. Spicileg.

* Rebet.

* Aile.

* Iouarre.

XLVII. Quamuis tot rationes non paruæ ſint auctoritatis, vt quis beatum Wandregiſilum Sodalitio Sancti Columbani putet accenſendum, re tamen accuratiùs examinatâ in aliam iuimus ſententiam, aſſeruimúſque præſcriptam Monachis Fontanellenſibus ab Abbate Wandregiſilo Regulam Sanctorum Patrum, id eſt, Regulam ex variis Sanctorum Patrum Regulis concinnatam. Hanc opinionem multæ res confirmant.

XLVIII. Imprimis Wandregiſilus, antequàm Rotomagum ſe conferret, in Monaſterio Iurenſi ſeu Condateſcenſi, cui tunc Iniurioſus Abbas præerat, per annos fermè decem commoratus eſt. *In viſu admonitus*, inquit Auctor vitæ [b], *vt Galliarum repeteret rura*, tunc enim in Italia verſabatur, *iter conuertit ad Alpes. Remotior enim volebat conuerſari, & peregrinam pro Chriſto ducere vitam non mediocriter anhelabat, ſi Dominus ſuis annueret votis. Diſpoſuerat namque in Hiberniam Inſulam nauigare, ſed diuina pietas hoc magnificum munus ob multorum inſtructionem Galliarum reſeruauit populis. Cùm autem non modico ſudore, tamen delectabili, Alpibus tranſſcenſis arua iam tereret Gallica, causâ hoſpitij Monaſterium petiit, cuius eſt vocabulum Romanis, vltra ſaltum Iurenſem. Pater ergo loci venerabiliter & monaſticè eum ſuſcepit, ac debitum præbuit obſequium vt huius vitæ dictat prædicabilis norma, deditque operam vt Monachorum necteretur ſocietati, & ſe in obedientia ibidem delegauit, ac per decem fermè annorum curricula ſub inſtitutione Regulari felici deuotione Domino militauit.* Sanctus Romanus hoc Monaſterium, cui nomen etiam *Romanum* & *Romanis* inde inditum videtur, ante annum Chriſti quadringenteſimum quadrageſimumquartum condidit Sancto Benedicto nondum nato. *Viderat, priuſquàm Religionis profeſſionem arriperet, quemdam venerabilem virum, Sabinum nomine, Lugdunenſis Interamnis Abbatem, eiúſque ſtrenua inſtituta, & Monachorum illius vitam, & quaſi quadam florigera apis, decerptis ab vnoquoque perfectionum floſculis, repedarat ad priſtina. Ex quo etiam Monaſterio, nihil de ambitione ſanctiſſima manifeſtans, librum Vitæ Sanctorum Patrum, eximiáſque inſtitutiones Abbatum omni elegantiâ ac niſu, aut ſupplicando elicuit, aut potitus eſt comparando.* Hæc in vita Sancti Romani [c] Monachus Condateſcenſis, qui ſcripſit ſub Minauſio quarto illius loci Abbate, vixítque Sancto Benedicto Synchronus. Præter Sancti Romani vitam in literas quoque retulit vitam Sancti Lupicini [d], necnon vitam Sancti Eugendi [e]. In hac poſtrema diſciplinam

[b] Ap. Sur & Secul. 2. Benedict.

[c] Ap. Bolland. d. 28. Febr.

[d] Ap. Henſchen. d. 21. Mart.

[e] Ap. Bolland. d. 1. Ian. & in Append. Secul. 1. Benedict.

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Monaſterij Condateſcenſis expoſuit, eámque dixit conſtare Regulis Sancti Baſilij Epiſcopi, Sanctorum Patrum Lirinenſium, Sancti Pachomij Abbatis, & Caſſiani, ſic tamen vt Aſcetæ Condateſcenſes Orientalium Patrum Inſtitutis Inſtituta præferrent Occidentalium, vtpote Gallicanis moribus magis accommodata. *Abrenuntiantium*, inquit, *exordia primitus intimamus, ſic namque quòd non omnino illa, quæ quondam Sanctus ac præcipuus Baſilius, Cappadociæ vrbis Antiſtes, vel ea, quæ Sanctorum Lirinenſium Patres, Sanctus quoque Pachomius Syrorum priſcus Abbas, ſiue illa, quæ recentior venerabilis edidit Caſſianus, faſtidioſá præſumptione calcemus, ſed ea quoque lectitantes, iſta, pro qualitate loci & inſtantia laboris inuicta, potiùs quàm Orientalium perficere affectamus, quia procul dubio efficaciùs hæc faciliúſque natura vel infirmitas exequitur Gallicana.*

XLIX. Deinde Regula, quam Monachi Fontanellenſes ſub Wandregiſilo primo Abbate & Lantberto proximo eius ſucceſſore profeſſi ſunt, nec Regula Sancti Benedicti dicitur, nec Regula vocatur Sancti Columbani, ſed norma ſeu Regula Sanctorum Patrum nuncupatur. Aigradus enim in vita Sancti Anſberti laudat Lantbertum Abbatem, quòd in adminiſtrando Fontanellenſi Monaſterio cuncta ſtrenuè atque irreprehenſibiliter *ſecundùm normam Sanctorum Patrum* geſſerit. Specialis Regula Sancti Benedicti nunquam appellatur Regula Sanctorum Patrum. Idem aſſerendum de peculiari Regula Sancti Columbani. Regula enim ſeu norma Sanctorum Patrum ea eſt, quæ variis ex Regulis multorum Patrum colligitur. Inter Monaſticas Regulas, quas Lucas Holſtenius in tres partes digeſſit, & edendas curauit, extat Regula Sanctorum Patrum ad Monachos, quæ quatuordecim capitulis abſoluitur, & eſt multò antiquior Benedictinâ, necnon ab ea longè diuerſa. Simili modo Regula Sanctorum Patrum dicenda eſt ea, quam Monachi Condateſcenſes obſeruarunt Sancto Benedicto in lucem nondum edito. Hanc Sanctus Wandregiſilus, antequàm de condendo Fontanellenſi Monaſterio cogitaret, in Condateſcenſi per annos fermè decem profeſſus eſt, nec aliam apud Aigradum, vbi de Cœnobio Fontanellenſi loquitur, intelligendam arbitramur per *normam Sanctorum Patrum.* Sanè apud hunc Auctorem *norma Sanctorum Patrum* non ſignificat Regulam Sancti Benedicti, vel Regulam Sancti Columbani, vel aliam ſpecialem Regulam, ſed vſurpatur pro Regula ex multis Rgulis Sanctorum Patrum concinnata.

L. Opinionem noſtram Sodales Benedictini duobus impugnant argumentis. Vnum petunt ab Ordine Romano, libro perantiquo, alterum ab ipſomet Aigrado quem allegauimus. Vtrique obiectioni faciemus ſatis.

LI. In ſua Præfatione [a] aiunt Regulam Sancti Benedicti quandoque Regulam Sanctorum Patrum vocari. In eam rem citant Ordinem Romanum capite de Ordinatione Abbatis, quod ſic incipit. *In Ordinatione Abbatis, Epiſcopus dèbet Miſſam cantare, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus ſuis, & dat ei baculum & pedules. Poſt Antiphonam ad introitum & datam orationem, annunciat Epiſcopus in populum, dicens. Eccleſia noſtræ, fratres chariſſimi, Pater electus ad ſuum adeſt ordinem ſuſcipiendum. Vnde Apoſtolicâ priùs cenſemus eum auctoritate examinandum, ſuum propoſitum & Sancti Benedicti Regulam ſi velit ipſe obſeruare, ſibique ſubiectos, vt idipſum faciant, diligenter inſtruere.* Et inferiùs, Epiſcopus poſt multas preces atque orationes ac manûs impoſitionem, dat ei Regulam dicens. *Accipe Regulam à Sanctis Patribus nobis traditam, ad regendum cuſtodiendúmque gregem tibi à Deo creditum, quantùm Deus ipſe te confortauerit, ac fragilitas humana permiſerit. Accipe monaſticæ conuerſationis Regulam, ad quam, propriam & ſubditorum corrigere debes vitam, & vide vt non ſolùm auditor, ſed etiam ſatagas eſſe illius operator.* Productis duobus hiſce textibus, hanc concluſionem inferunt. *En Regula S. Benedicti dicitur Regula à Sanctis Patribus tradita, nempe quòd à viris ſanctitate ac dignitate præſtantibus quamplurimis eò vſque per manus tradita fuerat. Porrò ſcriptus eſt li-*

[a] Pagg. 14-15.

Digitized by Google

ber ille de Ordine Romano circiter Pippini Regis Principatum. Iam ergo ante illud tempus Regula noſtra eam auctoritatem obtinuerat, vt Regula Sanctorum Patrum, ſeu (quod idem eſt) Regula à SS. Patribus tradita vocaretur ob præſtantiam ſcilicet Sanctorum Monachorum qui illam ſeruauerant. AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

LII. De tempore, quo ſcriptus eſt *Ordo Romanus*, inquiremus Tomo ſequenti. In textibus illius libri ſuprà recitatis nihil occurrit, quod Regulam Sancti Benedicti Regulam Sanctorum Patrum aliquando dictam probet, neque enim in prædictorum textuum explicatione hæ locutiones *Regula Sanctorum Patrum* & *Regula à Sanctis Patribus tradita* cenſendæ ſunt ſynonymæ. In Ordine Romano Epiſcopus, cùm poſt manûs impoſitionem dat Abbati Regulam Sancti Benedicti, Regulam illam ait à Sanctis Patribus traditam. *Accipe*, inquit, *Regulam à Sanctis Patribus nobis traditam.* Cur autem de Regula Sancti Benedicti ſic loquatur, rationem hanc ipſimet afferunt Benedictini ſuprà citati, *nempe quòd à viris ſanctitate ac dignitate præſtantibus quamplurimis eò vſque per manus tradita.* In eo ſenſu ſuper Regula Sancti Benedicti nihil eſt controuerſiæ. Aſcetæ enim cuiuſcumque Monaſterij, quod ſub Sancti Benedicti diſciplina recentioribus ſeculis florebat euulgato iam libro cui Titulus *Ordo Romanus*, Regulam Sancti Benedicti Regulam ſibi à Sanctis Patribus traditam, id eſt, Regulam à viris ſanctitate ac dignitate præſtantibus quamplurimis per manus ſibi traditam affirmare poterant, licèt in eo Cœnobio Regula Sancti Benedicti à primo conditu non eſſet inſtituta, quemadmodum hodie gens quælibet Orthodoxa, quamuis longè poſt Apoſtolorum ætatem nuncium idolis remiſerit, veram Religionem ſibi per manus ab Apoſtolis traditam aſſerere meritò poteſt. Regula verò Sanctorum Patrum non accipitur in eo ſenſu, nec cenſetur Regula per manus à quamplurimis viris ſanctitate ac dignitate præſtantibus tradita, ſed eſt Regula ex multis Sanctorum Patrum Regulis ac documentis collecta, quæ nec illorum Patrum nec ipſiuſmet Collectoris nomen gerit. Talis fuit Regula, quam Sanctus Wandregiſilus in Cœnobio Condateſcenſi per annos fermè decem profeſſus eſt, & ſecundùm quam beatus Lantbertus Monaſterium Fontanellenſe poſt eundem Sanctum Wandregiſilum gubernauit.

LIII. Aigradus de Anſberti profectione ad Monaſterium Fontanellenſe, déque eius ſuſceptione, ſic in illius vita diſſerit. *Tunc igne diuini amoris accenſus ac Sancti Spiritûs lumine perfuſus à Palatio egreſſus, nulliſque ſodalium ac ſibi famulantium confiteri volens ſuam voluntatem, arripuit iter, quod ad prouinciam ducit Rotomagenſem, peruenítque ad Fontanellam Cœnobium, ſitum in territorio Rotomagenſi, ſuper magnum fluuium Sequanæ, vbi Sacerdos Domini magnus Wandregiſilus Monaſterium conſtruxerat, atque cum magna Monachorum coborte ſub ſancta Regulæ iugo laudabilem ducebat vitam. Cùm verò in eodem Monaſterio, iubente viro ſancto, ſecundùm ordinem Monaſticum, in hoſpitio fuiſſet receptus, cœpit miniſtrum humiliter implorare, quatenus ſanctum Monaſterij Patrem mereretur videre. Et cùm miniſtri pio Patri imperata nuntiaſſent, tandem præfatum elegantem iuuenem in præſentiam ſui adduci iuſſit. Tum humi proſtratus, Chriſtúmque in tanto Patre manentem humiliter adorans, poſtulabat ab eo Monachum ſe fieri. Nam corpore & mente ſeculo ſe renuntiaturum aiebat, comámque ſibi capitis in Chriſti amore vt iuberet deponi, ſummiſſè flagitabat. Audiens autem venerandus Pater ſanctam & Deo dignam eius poſtulationem, inducias conſulendi ſuper hoc dicebat habere ſe velle, vt, ſicut Apoſtolica & Monaſtica docet Regula, ſciret ad quid venerat. Quibus expletis, ſpiritalium fratrum conſulta ſuſcipiens inclytus * Pater, pia eius vota veluti poſtulauerat, impleuerunt, Clericatúſque habitu decorabilem reddiderunt.* Ex hoc textu inferunt Sodales Benedictini [a], *quòd S. Wandregiſilus Anſberto Fontanellam primùm accedenti auctoritatem Regulæ S. Benedicti proponit.* Anſberti quippe poſtulationem audiens, inducias conſulendi ſuper hoc dicebat habere ſe velle, vt, ſicut Apoſtolica & Monaſtica docet Regula, ſciret ad quid venerat. *Quibus ſanè verbis*, inquiunt, *intelligit Regu-*

* *Nominatiuus abſolutus.*

[a] In præfat. pag. 15.

PPppp iij

AN.CH. *lam S. Benedicti, quam Regulam Monaſticam per excellentiam vocat, id cap. 58. præcipientem.*

734. THEODOR. IV. R. 14.

LIV. Aduersùs hanc illationem multa poſſunt afferri. Sunt enim in Aigradi textu nonnulla, quæ minùs ad Regulam Benedictinam accedunt quàm ad alias; ſunt & nonnulla, quæ plerique Regularum conditores ante ac poſt Sanctum Benedictum ſanxerunt.

LV. Caput Regulæ Benedictinæ duodeſexageſimum, ad quod Aigradum volunt alluſiſſe, *de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum* inſcribitur. In eo Sanctus Benedictus ſtatuit, vt nouiter ad conuerſionem venienti non tribuatur facilis ingreſſus Monaſterij, ſed, *ſi veniens perſeuerauerit pulſans, & illatas ſibi iniurias & difficultatem ingreſſûs, poſt quatuor aut quinque dies viſus fuerit patienter portare & perſiſtere petitioni ſuæ, annuatur ei ingreſſus, & ſit in cella hoſpitum paucis diebus. Poſteà ſit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet & dormiat. Et ſenior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas, qui ſuper eum omnino curioſè intendat, & ſolicitus ſit, ſi reuerà Deum quærit, ſi ſolicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aſpera, per quæ itur ad Deum. Si promiſerit de ſtabilitatis ſuæ perſeuerantia, poſt duorum menſium circulum legatur ei hæc Regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, ſub qua militare vis, ſi potes obſeruare, ingredere; ſi verò non potes, liber diſcede. Si adhuc ſteterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et poſt ſex menſium circuitum legatur ei Regula, vt ſciat ad quod ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem Regula. Et, ſi habitâ ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare, tunc ſuſcipiatur in congregatione, ſciens ſe iam ſub lege Regulæ conſtitutum; quòd ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub iugo Regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit aut excuſare aut ſuſcipere.* Et paulò pôſt hæc ſubiungit de veſtium mutatione. *Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterij. Illa autem veſtimenta, quibus exutus eſt, reponantur in veſtiario conſeruanda, vt, ſi aliquando ſuadente diabolo conſenſerit, vt egrediatur de Monaſterio, quod abſit, tunc exutus rebus Monaſterij proiiciatur.*

LVI. Totam hanc Sancti Benedicti de ſuſcipiendis fratribus ſanctionem cum Aigradi textu conferamus. Plurimùm certè diſcriminis intercedit. Apud Aigradum Wandregiſilus Abbas Fontanellenſis *ſpiritualium fratrum conſulta* priùs ſuſcipit, quàm Anſberti nouiter ad conuerſionem venientis poſtulationibus acquieſcat, & Anſbertus, vbi votorum compos fit, *Clericatûs habitu decorabilis* redditur. Capite autem duodeſexageſimo Regulæ Benedictinæ nihil de ſpiritualium fratrum conſultis, nihil de Clericatûs habitu legitur. In hoc autem Sanctus Benedictus & Sanctus Wandregiſilus conueniunt, quòd vterque Laico nouiter ad conuerſionem venienti mox ingreſſum Monaſterij concedendum negat. Sed, cùm plerique Regularum Monaſticarum conditores ante & poſt Sanctum Benedictum ita cenſuerint, hæc ſanctio vniuerſo potiùs Ordini Monaſtico quàm peculiari Regulæ Sancti Benedicti tribuenda eſt, & beatus Wandregiſilus, cùm apud Aigradum Monaſticam Regulam laudat, ſecundùm quam tales inducias conſulendi ſuper Anſberto nouiter ad conuerſionem veniente poſtulat, per Monaſticam Regulam non ſingularem Sancti Benedicti Regulam, ſed Ordinis Monaſtici communem intelligit praxim, quam variæ Regulæ confirmant.

LVII. Sancti, Serapion, Macarius, Paphnutius & alter Macarius, in ſua Regula [a] ſic habent. *Cùm de ſeculi huius illecebris liberari voluerint, appropiantes Monaſterio, hebdomadâ pro foribus iaceant. Nulli cum eis de fratribus iungantur, & ſemper dura & laborioſa eis proponantur. Si verò perſeuerauerint pulſantes; eis non negetur ingreſſus, ſed is qui præeſt Pater huiuſmodi homines introire permittat, &, qualiter vitam fratrum vel Regulam tenere poſſint, oſtendat.*

[a] Cap. 7.

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Sanctus Pachomius [a] ita decernit. *Si quis acceſſerit ad oſtium Monaſterij volens ſeculo renunciare, & fratrum adgregari numero, non habebit intrandi libertatem, ſed priùs nuntiabitur Patri Monaſterij, & manebit paucis diebus foris ante ianuam, & docebitur Orationem Dominicam, ac Pſalmos, quantos poterit ediſcere, & diligenter experimentum ſui dabit, ne fortè mali quidpiam fecerit, & turbatus ad horam timore diſceſſerit, aut ſub aliqua poteſtate ſit, & vtrùm poſſit renuntiare parentibus ſuis; & propriam contemnere facultatem.* LVIII.

In Regula [b] Orientali, cuius Auctor incertus, eadem prorſus leguntur ac in Regula Sancti Pachomij proximè citata. LIX.

Sanctus Baſilius [c] interrogatus *ſi oportet omnes, qui veniunt* ad Monaſterium, *ſuſcipere, aut cum probatione, aut qualis iſta debet eſſe probatio, cùm Dei clementia omnes vocet per illam prædicationem, quâ dicitur,* [*venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos,*] *ita reſpondet. Non eſt abſque diſcrimine abiicere quempiam venientem ad nos. Verumtamen neque immundis (vt aiunt) pedibus indulgendum eſt introire quempiam in ſanctam doctrinam; ſed ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus iuuenem illum, qui ad ſe venerat, interrogauit de priore vita ſua, & cùm audiſſet, quia recta ei tranſacta eſſet, quod deerat ei præcepit adimplere, & ita domum iuſſit eum ſequi ſe, ita etiam nos oportet inquirere de præterita & conuerſatione, ne fortè ſimulatâ quis mente & fallaci animo accedat ad nos. Quod ita demum dignoſcitur, ſi facilè omnem laborem corporis, qui iniungitur, ferat, & ad caſtitatem vitæ pronus inclinatur, vel ſi etiam delictum aliquod ſuum, cùm interrogatus fuerit, nequaquam pronunciare confunditur, medelam delicti, quæ adhibita fuerit, grauiter adſumit, & ſi ad omnem humilitatem abſque vlla iracundia inclinatur, ac vilioribus & abiectioribus artificiis (ſi ita ratio popoſcerit) tradi ſe non aſpernatur. Cùm ergo ex his ſingulis documentis fuerit comprobatus, quia firmâ mente, & ſtabili conſilio, ac prompto animo ſit, tunc ſuſcipi eum decet. Et priuſquàm corpori fraternitatis inſeratur, oportet ei iniungi quædam laborioſa opera, & quæ videantur opprobria haberi à ſæcularibus, & obſeruari oportet, ſi libenter hæc & liberè & fiducialiter expleat, nec confuſionem eorum grauiter ferat, vel etiam, ſi in labore impiger inueniatur ac promptus.* LX.

Caſſianus libro quarto [d] de Inſtitutis Renuntiantium ſic ſcribit. *Ambiens quis intra Cænobij recipi diſciplinam, non antè prorſus admittitur, quàm diebus decem, vel eo ampliùs pro foribus excubans, indicium perſeuerantiæ ac deſiderij ſui paritérque humilitatis ac patientiæ demonſtrauerit. Cúmque omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuerſis de induſtria refutatus atque deſpectus, tanquam qui non Religionis, ſed neceſſitatis obtentu, Monaſterium optet intrare; iniuriis quoque & exprobrationibus multis affectus experimentum dederit conſtantiæ ſuæ, qualiſque futurus ſit in tentationibus opprobriorum tolerantiâ declarauerit, atque ita fuerit explorato mentis ardore ſuſceptus, diligentiâ ſummâ perquiritur, nec* &c. LXI.

Conſenſoria Monachorum, de cuius Auctore variè diſputatur, decernit, vt *antequàm quis ſtatuat eſſe in Monaſterio, probet propoſitum fratrum atque exemplum, & ipſe probetur in omni conuerſatione ab illo, qui Prior eſt, & ceteris conſentientibus, propter illud quod Propheta docet & admonet, dicens.* [*Amicum noli citò comprobare.*] LXII.

Sanctus Ferreolus Vcecienſis apud Francos Epiſcopus, cuius obitus in annum Chriſti quingenteſimum octogeſimum-primum incidit, hanc habet ſanctionem [e]. *Quando priùs ad Monaſterium venit, & recipi ſe in numero poſtulat Monachorum, interrogetur vtrùm liber ſit; hac Abbati prima cùm ſatisfecerit reſponſio, adiiciat, ſi nullâ præter deuotionis cauſam compulſus Monaſterium duxerit expetendum. Poſt hoc, Monaſterij Regula, Abbatis ei iuſſione legatur, vt impoſterum nihil nouum vel inuſitatum, aut, ſi diſceſſurus, prætereat; aut, ſi permanſurus, agnoſcat. Vicinam tunc Monaſterio cellulam, dum prænotatum tempus obſeruat, accipiat, victúmque quotidianum à Monaſterio, ſi inter reliquos operetur, expectet, lectioni ante omnia & orationi dans operam, vt dignetur eum ille omnipo-* LXIII.

[a] Cap. 49.
[b] Cap. 27.
[c] Interrog. 6.
[d] Cap. 3.
[e] Cap. 5.

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

tens ſcrutator animæ cognitórque ſecreti, familiæ ſuæ, meritis ſanctæ conuerſationis, adnumerare, & fiat, ſicut ſcriptum eſt, vnus grex & vnus paſtor.

LXIV. Regula Tarnatenſis ſiue Agaunenſis ſic incipit. *Si quis fidei ardore ſuccenſus, renuntians ſeculo, Monaſterium magnâ diſpoſitione elegerit expetendum, nouitati eius non confeſtim licentia tribuatur intrandi, ſed primùm ſtudioſiùs indagetur, vtrùm voluntariè an neceſſitate aliquâ coactus aduenerit, aut ſi nullâ ſeruitutis conditione obnoxius teneatur. Quod cùm ad Abbatis notitiam Præpoſito nuntiante peruenerit, vni de ſenioribus deputatus tamdiu iubeatur aduenientibus deſeruire, quouſque deuotio eius fuerit patientiâ teſte demonſtrata.*

LXV. Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus cuius obitus anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſexto conſignatur, *de Conuerſis* ſic ſtatuit [a]. *Qui renuncians ſeculo ad Monaſterium venerit, non ſtatim in cœtum delegandus eſt Monachorum. Vitam enim vniuſcuiuſque in hoſpitali ſeruitio tribus menſibus conſiderari oportet; quibus peractis ad cœtum ſanctæ congregationis accedet; neque enim intus ſuſcipi quemquam conuenit, niſi priùs foris poſitus, eius humilitas, ſiue patientia comprobetur.*

[a] Cap. 4.

LXVI. Ex tot Regulis liquet communem Monaſteriorum vſum fuiſſe, vt nouiter ad conuerſionem venienti ſtatim facilis ingreſſus Cœnobij minimè tribueretur. Quapropter Sanctus Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus, qui eâdem quâ Sanctus Wandregiſilus ætate floruit, huiuſmodi ſanctionem non ex ſpeciali Regula Sancti Benedicti, ſed ex Patrum Decretis profectam ſic affirmauit [b]. *Conuerſum de ſeculo, Patrum Decreta docent, non ſuſcipiendum in Monaſterio, niſi priùs experimentum ſui in opere & penuria, in opprobriis dederit & conuiciis, quíque decem diebus perſiſtens ad ianuam Cœnobij, orationibus & ieiuniis, patientiæ & humilitati operam dederit.*

[b] Cap. 21.

LXVII. Prætereà, teſte Aigrado, Sanctus Wandregiſilus *inducias conſulendi dicebat habere ſe velle, vt ſciret ad quid* Anſbertus *venerat.* Iſtud autem *(ad quid venerat)* in Regulis, Pachomiana, Orientali, Tarnatenſi, & Sancti Ferreoli, ſuprà citatis, diſtinctiùs expreſſum videtur quàm in Benedictina. Et in Conſenſoria Monachorum ſimiliter allegata, hæ voces *(ceteris conſentientibus)* indicant neceſſarium eſſe, vt, antequàm nouiter conuerſus in Monaſterio ſuſcipiatur, accedat fratrum ſeu Congregationis conſenſus, de quo ſilet Sanctus Benedictus capite quinquageſimo-octauo ſuæ Regulæ, nequaquam verò Sanctus Wandregiſilus apud Aigradum, nam *ſpiritalium fratrum conſulta* priùs ſuſcipit, quàm pium Anſberti nouiter è ſeculo venientis votum impleat.

LXVIII. Norma igitur Sanctorum Patrum, quam Sanctus Wandregiſilus Monachis Fontanellenſibus obſeruandam præſcripſit, non erat Regula Sancti Benedicti, ſed Regula variis ex Regulis Patrum concinnata. Nec inficiamur in Monaſterio Fontanellenſi ſub Sancto Wandregiſilo eiúſque ſucceſſore Sancto Lantberto Inſtituta diuerſorum Patrum ſimul coaluiſſe, *eum ad modum, quo in Cœnobio Atanenſi non modò Caſiani, verùm etiam Baſilij, & reliquorum Abbatum, qui Monaſterialem vitam inſtituerunt, celebratæ ſunt Regulæ,* vt ex Hiſtoria Eccleſiaſtica [c] Francorum, quam Gregorius Turonenſis conſcripſit, obſeruant in ſua Præfatione [d] Sodales Benedictini. Negamus autem Columbani ritibus Regulam Sancti Benedicti vel in prædicto Monaſterio vel in alio quopiam tunc acceſſiſſe. Rerum enim Monaſticarum per Franciam hic erat ſtatus, cùm Sanctus Wandregiſilus Monaſterium Fontanellenſe condebat. Vt in Athanenſi ſic & in Condateſcenſi Cœnobio aliíſque non paucis obſeruabantur variæ Regulæ, quæ fuerunt è diuerſis Patrum Regulis collectæ. Præter huiuſcemodi Regulas, quæ Patrum normæ ſeu Regulæ dicebantur, ſpeciales vigebant Regulæ, & harum vnaquæque nomen Auctoris ſui gerebat. Præ ceteris autem florebant quatuor, Regula Sancti Baſilij, Regula Sancti Macarij, Regula Sancti Benedicti, Regula Sancti Columbani. Quapropter in præcitata vita Sancti Philiberti, qui

[c] Lib. 10. c. 29.
[d] Num. 15.

Sancto Wandregiſilo ſuperſtes vixit, *Baſilij Sancti Chariſmata; Macarij Regula, Benedicti Decreta, Columbani Inſtituta*, præcipuè laudantur. Pleraque Monaſteria, quæ normam veterum Patrum, ſeu Regulam ex Regulis antiquorum Patrum collectam ſequebantur, hac Regulâ relictâ vnam ex quatuor proximè nominatis amplexa ſunt. Hanc mutationem in Cœnobio Fontanellenſi ſub Anſberto tertio Abbate factam exiſtimamus, quia idem Anſbertus Metropolites tunc Rotomagenſis in Concilio Rotomagenſi Priuilegium edidit pro prædicto Fontanellæ Monaſterio, &, teſte Aigrado [a], præſentes futuróſque, qui ibidem *Domino militaturi erant*, conſtrinxit, *vt ſicuti ſub eius regimine, ita in anteà*, id eſt, impoſterum, *& ipſi & poſteri eorum, ſecundùm Regulam S. P. Benedicti fideliter Chriſto deſeruirent.*

In hoc Priuilegio nulla mentio fit Sancti Columbani, quia Regula Sancti Benedicti & Regula Sancti Columbani diuerſæ omnino erant, nec in vno eodémque vigebant obſeruabantúrque Monaſterio. E quatuor Regulis, quas præ ceteris in Francia per illam ætatem floruiſſe diximus, hæ duæ præualuerunt, quia introductæ ſunt non tantùm in pleraque Monaſteria, quæ Regulas ex variis Regulis Patrum collectas ſequebantur, ſed etiam in nonnulla eorum, quæ vel Sancti Baſilij vel Sancti Macarij Regulæ priùs obnoxia erant, vt conſtat de Reomaenſi, quod Regulæ Sancti Macarij ſubiacuit, donec Hunna Reomaenſis Abbas, qui Monachum in Cœnobio Luxouienſi quondam induerat, Reomaenſes Monachos Regulæ Sancti Columbani ſubiecit. Cùm autem ſupradictæ duæ Regulæ Sancti Benedicti & Sancti Columbani reliquis iam præferrentur, Auctores, qui ſuis ſcriptis Monaſticum ordinem per occaſionem commendarunt, aliquando ſatis eſſe duxerunt, ſi duarum illarum Regularum, quæ præcipuæ videbantur eràntque, ceteris omiſſis in ſuis lucubrationibus meminiſſent. Exempla proferemus infrà, cùm ex vita Sancti Deſiderij Cadurcenſis Epiſcopi, tum ex vita Sanctæ Salabergæ Laudunenſis Abbatiſſæ. Vtrobique Scriptores duas duntaxat Regulas laudarunt, vnam Sancti Benedicti, alteram Sancti Columbani, ſic tamen vt ambas in eodem Monaſterio ſimul ſuſceptas eſſe nunquam ſignificarint. Vtri plura, vtri pauciora parerent Cœnobia, iudicet Lector. E Cœnobio Glannafolienſi prodierunt obſeruatores Regulæ Benedictinæ, è Luxouienſi prodierunt alumni Sancti Columbani. Non ſumus ex eorum numero, qui redarguuntur in Præfatione Tomo ſecundo Benedictino præfixa, quòd *vnum S. Maurum, & fortaſſè pauciſſimos diſcipulos, agnoſcunt Regulæ Benedictinæ primarios cultores adúſque Ludouici Auguſti cognomento Pij imperium.* Regulam Sancti Benedicti per Francorum Regnum ante annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, quo ſuperiorem noſtrorum Annalium Tomum clauſimus, latè propagatam non inficiamur, Monaſteria non pauca commemorauimus, vbi iam ab iſtis temporibus recepta eſt, ſed negamus cum ea Regulam Sancti Columbani tunc coaluiſſe, nec adhuc quidpiam legimus, quod in aliam nos opinionem trahere poſſit. LXIX.

Quartum diſputationis noſtræ caput eſt de Monaſteriis Gandenſibus & Elnonenſi, quæ Sanctus Amandus in Diœceſi Tornacenſi conſtruxit. Diximus collocatos primùm in vtroque Gandenſi Clericos, deinde & Monachos, quibus Clerici loco poſteà ceſſerint, in Elnonenſi verò conſtitutos ab initio Monachos ſub Regula Sancti Columbani. Secus ſentiunt Lucas Dacherius & Ioannes Mabillonus in ſua Præfatione [b]. Sanctum enim Amandum, longè antequàm de condendis Monaſteriis cogitaret, Sodalitio Benedictino adſcriptum volunt, atque inde concludunt Cœnobiis, quæ conſtruxit, impoſitam ab eo Regulam Benedictinam, ſic tamen, vt ex iiſdem Monaſteriis non excludant [c] *ritus S. Columbani, quos vnà cum S. Benedicti Regula in Cœnobio Bariſiaco à ſe inſtitutos dicit S. Amandus in quadam charta*, quam in fine Tomi ſecundi [d] publicarunt. Satis ſupérque probatum ſuperiùs, Sancti Benedicti Regulam, ætate Sancti Amandi, cuius obitus in annum LXX.

[a] In vit S. Ansbert Secul. 2 Benedict. ad an. 698.

[b] Nn. 24. & ſeqq.

[c] Num. 25. in marg.

[d] Pag 1094.

NA.CH. 734. THEODOR. IV. R. 14. Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-nonum incidit, cum Regula Sancti Columbani non coaluiſſe, interpolatáſque eſſe chartas omnes, in quibus nomen Sancti Benedicti cum nomine Sancti Columbani coniunctum inuenitur. Inquirendum hic de Monachatu Sancti Amandi.

LXXI. Vt eum Ordinis Benedictini Monachum oſtendant, è vita, quam Baudemundus illius diſcipulus in literas retulit [a], huius textûs fragmenta quædam producunt. *Relicto ſolo parentibúſque, Turonos ad ſepulchrum ſanctiſſimi petiit Martini, ibíque proſtratus, & profuſis in oratione vberrimè lachrymis, ex toto cordis petiit affectu, quatinus vir ſanctus in oratione ſua apud Deum obtinere mereretur, vt numquam eum Dominus ad ſolum proprium remeare permitteret, ſed omnem vitæ ſuæ curſum in peregrinatione expenderet. Cúmque ab oratione ſurrexiſſet, ſtatim comam capitis ſui abſcidit, adeptúſque Clericatûs honorem, omnem gratiam tranſſcendebat in Clero. Poſt hæc verò ab Abbate ipſius loci & à fratribus benedictione perceptâ, ciuitatem Biturigas ad Sanctum petiit Auſtregiſilum, qui tunc in Dei rebus magnificus atque inſignis habebatur. Cúmque ab eo, & ab eius Archidiacono Sulpitio, qui poſteà Epiſcopus claruit, clementiſſimè fuiſſet ſuſceptus, omni ei humanitate exhibitâ, cellulam iuxta Eccleſiam in ſuperiori ciuitatis muro conſtrui fecerunt. In qua cellula multis diebus, ob amorem æternæ vitæ, cilicio tectus & cinere, ieiuniis attritus atque inediâ, hordaceo tantùm pane contentus atque aquâ perpaullulùm, corpus ſuum ſuſtentauit potiùs quàm aluit, ſícque ibidem tribus fermè militans luſtris, à vino & ſicera omnino abſtinuit.*

[a] Secul. 2 Benedict. ad an. 679.

LXXII. Amandus Turonos ad ſepulchrum Sancti Martini venit anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo; Biturigas, vbi Pontificatum Auſtregiſilus tunc gerebat, anno ſequenti profectus eſt, & *ibidem tribus fermè luſtris* permanſit, ad annum vſque Chriſti ſexcenteſimum viceſimum-ſextum. Tunc, vt idem Baudemundus proximè ſubiungit, *incidit ei cogitatio, vt ad limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli properare deberet, aſſumptóque ſecum vno tantummodo comite, ſqualida atque deuia luſtrans loca, tandem Romam peruenit.* In hiſce Baudemundi ſcriptis nihil occurrit, quod Amandum Ordini Benedictino adſcribendum ſuadeat, imò ſunt multa quæ Regulæ Benedictinæ refragantur. Amandus ad tumulum Sancti Martini proſtratus, poſt lacrymas vberrimè profuſas, nihil à Deo poſtulaſſe vel obtinuiſſe dicitur, quàm *vt numquam eum Dominus ad ſolum proprium remeare permitteret, ſed omnem vitæ ſuæ curſum in peregrinatione expenderet.* Conuenítne ritibus Benedictinis vehementiſſimum hoc deſiderium obeundarum totâ vitâ peregrinationum? Deinde Amandus Turonis in Monaſterio Sancti Martini vix annum vnum moratur, tum adit Auſtregiſilum Bituricenſem Epiſcopum, & ab eo cellulæ incluſus ibi degit annis quatuordecim. An illud vitæ genus moribus Benedictinis conforme dixeris?

LXXIII. Sanctus Briccius, qui poſt beatum Martinum anno Chriſti trecenteſimo nonageſimo ſeptimo mortuum in Cathedra Turonenſi ſedit, *ædificauit Baſilicam paruulam ſuper corpus beati Martini.* Briccio in Epiſcopatum ſucceſſit Euſtochius, tum Perpetuus. *Hic ſubmotâ Baſilicâ, quam priùs Briccius Epiſcopus ædificauerat ſuper Sanctum Martinum, ædificauit aliam ampliorem miro opere.* Hæc Gregorius Turonenſis in Hiſtoria Eccleſiaſtica Francorum [b]. Antiquius illâ S. Martini Baſilicâ Monaſterium erat, quod ab ipſomet Sancto Martino conditum eſt altero fermè ab vrbe Turonica milliario, & Monachis in Baſilica Martiniana collocatis Maius Monaſterium dici cœpit, quia multò ſpatioſius erat, abundabátque longè copioſiori Monachorum numero. Ambo illa Monaſteria ſic diſtinguebantur ætate Gregorij Turonenſis Epiſcopi, de beato enim Martino in prælaudata Hiſtoria Francorum [c] hæc ſcripſit. *In Monaſterio verò, quod nunc Maius dicitur, Baſilicam in honorem Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ædificauit.* Et per iſtas voces, *quod nunc Maius dicitur*, innuit id nominis, *Maius Monaſterium*, nec inditum à beato Martino, nec eius temporibus vſurpatum fuiſſe.

[b] Lib. 10. c. 31. nn. 4. 5. 6.

[c] Lib. 10. c. 31. n. 3.

Digitized by Google

De Baſilica Sancti Martini tria quæri poſſunt. Vtrùm ab initio Clericos an Monachos; vtrùm Monachos tantùm, an Clericos ſimul ac Monachos anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo; vtrùm eodem anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo Monachos Benedictinos, an Monachos vetuſtioris Ordinis habuerit. AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Antiquiſſimos Baſilicæ Martinianæ miniſtros, non Monachis ſed Clericis accenſendos putamus, quia ætate Sancti Briccij perexigua fuerunt exordia prædictæ Baſilicæ, & anno Chriſti ſexcenteſimo vndecimo, cùm Amandus Cœnobium Martinianum adiit, illic degebant cùm Clerici tum Monachi. De Clericis interpretamur præcitatum Baudemundi textum, apud quem Amandus *Clericatûs honorem* adipiſcitur, *omnem gratiam*, tranſcendit *in Clero*, tum relictis Turonis *Biturigas* proficiſcitur, vbi nec cum Abbate colloquitur, cuius diſciplinæ ſe ſubdat, nec Monaſterium ſubit, cuius ſtatutis obediat, vt Monachum decet, ſed rectà ſe confert ad Epiſcopum, à quo *cellulam* ſeu domunculam accipit *iuxta Eccleſiam in ſuperiori ciuitatis muro*, id eſt, iuxta Eccleſiam Cathedralem in qua Clerici Deo deſeruiunt. Eccleſia enim per excellentiam ea dicitur, quæ primaria eſt, & Epiſcopali Sede decoratur. Ἐκκλησίαν, inquit Hadrianus Valeſius in diſceptatione [a] de Baſilicis, *Græci vocauere non modò cætum concionémque atque conuentum ciuium, ſed etiam nonnumquam curiam ſeu locum, in quem conuenire conſueuerant. Hinc Chriſtiani ſacra loca, in quæ orationis cauſſâ ventitabant, eo nomine donauere. Et quoniam initio in ſingulis ciuitatibus vnus tantùm locus Chriſtianorum conuentibus aſſignatus erat, nimirum prima & antiquiſſima cuiuſque vrbis Eccleſia, inde factum eſt, vt poſteà florente Religione Chriſtianâ, cùm iam plures in ſingulis oppidis extructæ eſſent Eccleſiæ, maior ac vetuſtior cuiuſque loci Eccleſia ceterarum mater haberetur, & ipſa propriè Eccleſia, ceteræ plerumque Baſilicæ appellarentur.* Locupletiſſimum accipe teſtimonium ex Gregorio Turonenſi [b], qui de Vigiliis acturus ſub Epiſcopatu S. Perpetui, primariam Eccleſiam per exochen Eccleſiam vocat, in qua Vigiliæ præcipuarum feſtiuitatum, putà Natiuitatis Dominicæ, Epiphaniæ, Paſchæ & Pentecoſtes celebrantur. *Natali Domini, in Eccleſia. Epiphaniâ, in Eccleſia. Paſchâ, in Eccleſia. Die quinquageſimo, in Eccleſia.* Ceteras verò, Baſilicas appellat, Baſilicam domni Martini, Baſilicam in Baptiſterio, Baſilicam Sancti Petri, Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum, Baſilicam Sancti Lidorij. *Natali S. Petri Epiſcopatûs, ad ipſius Baſilicam. Paſſione Sancti Ioannis, ad Baſilicam in Baptiſterio. Natali Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ad ipſorum Baſilicam. Natali Sancti Martini ad eius Baſilicam. Natali Sancti Lidorij, ad eius Baſilicam. Natali Sancti Briccij ad Domni Martini Baſilicam.* LXXIV. LXXV.

a Cap. 5.

b Lib. 10. c. 31. n. 6.

At eſto, Amandus Turonis in Cœnobio Martiniano Monachum induerit, an ideo adſcribendus Ordini Benedictino? Sanctus Maurus, qui Regulam Sancti Benedicti primus in Gallias intulit, obiit anno Chriſti ſexcenteſimo quarto. Eo in viuis ſuperſtite nullam Glannafolio legimus eductam Monachorum coloniam. Anno pòſt ſeptimo, beatus Amandus Turonos venit, an illic tunc Aſcetæ Benedictini? Certè in Monaſterium Martinianum Regula Sancti Benedicti nondum introducta erat anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo, cùm Dagobertus Magnus Cœnobium San-Dionyſianum ad quintum in ciuitate Pariſienſi milliarium in vico Catholacenſi conſtruxit. Id confirmant Monachus San-Dionyſianus [c] in Geſtis Dagoberti Regis & Aimoinus in Hiſtoria Francorum [d]. Dagobertus enim *ordinem Pſallentium*, vt Monachus Sandionyſianus aſſerit, *ibidem*, id eſt, in Monaſterio San-Dionyſiano, *adinſtar Monaſterij Sanctorum Agaunenſium, & Sancti Martini Turonis* inſtituit; ſiue, vt Aimoinus loquitur, *ordinem pſallentium, vti apud Sanctum Martinum Turonis, necnon apud Sanctum Mauritium Agaunis agebatur, inibi*, id eſt, in prædicto Monaſterio San-Dionyſiano *inſtituit*. Agaunenſes autem Monachi Regulæ Benedictinæ non erant addicti, LXXVI.

c Cap. 44.

d Lib. 4. c. 33.

Digitized by Google

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14. ergo nec Martiniani. Longè poſt Amandi diſceſſum ex agro Turonico, longéque poſt mortem Dagoberti Magni, Turonis Pontificatum geſſerunt Bertus & Ibbo, qui Regulam Benedictinam in Cœnobio Martiniano ſuis temporibus obſeruatam teſtantur in Præfatione [a], quam Hagiologi Benedictini ſecundo Seculo Benedictino præfixerunt. Bertus enim Epiſcopatum ſuſcepit anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quinto, & Ibbo ſedere cœpit anno Chriſti ſeptingenteſimo nono. Ab annua mora, quam Amandus Turonis fecit, ad Berti ſeu Chrotberti Pontificatum interceſſerunt anni tres & quinquaginta. Tanto temporis ſpatio numerum Monaſteriorum Benedictinorum per Gallias auctum fuiſſe non inficiamur, ſed ex eo quòd in Cœnobio Martiniano Regulam S. Benedicti ſub Epiſcopatu Berti poſt annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quintum obſeruatam noueris, negamus argumentum erui, quo probare poſſis illam in eodem Monaſterio ante annum Chriſti ſexcenteſimum vndecimum iam ſuſceptam fuiſſe.

[a] Num. 26.

LXXVII. Obſeruatu dignum arbitrare, quòd in ſua Præfatione [b] Scriptores Benedictini, cùm aiunt *Amandum in S. Benedicti leges iuraſſe, nec aliam quàm S. Benedicti Regulam Monaſteriis ab ſe conditis impoſuiſſe*, notatiunculam in margine addunt, vt oſtendant *hinc tamen* non excludi *ritus S. Columbani, quos vnà cum S. Benedicti Regula in Cœnobio Bariſiaco à ſe inſtitutos dicit S. Amandus in quadam charta*, quam iidem Auctores nouiſſimè publicarunt [c]. Cùm Amandus Monaſteria Gandenſia, itemque Elnonenſe ac Bariſiacenſe conſtruxit, Regula S. Benedicti & Regula S. Columbani nec coaluerant, nec in vno eodémque Cœnobio ſimul obſeruâbantur. Quapropter ij, qui Monachos in prædictis Monaſteriis *ſub Regula Domni Benedicti ſeu Domni Columbani*, vel ſub Regula *beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani* conſtitutos aſſerunt, alterutrius nomen expungant neceſſe eſt, vel S. Benedicti, vel S. Columbani. Nomen S. Columbani retinendum ſuadet Ionas Bobienſis Monachus, qui Regulam S. Columbani ſub eius diſcipulo ac ſucceſſore Attala Bobienſi Abbate profeſſus eſt, & in operis prologo, quod Boboleno Abbati Bobienſi & Waldeberto Abbati Luxouienſi Regulam S. Columbani firmiter tenentibus obtulit, Amandum & Elnonenſe Monaſterium à ſe viſum ſic commendauit. *Quamquam me & per triennium Oceani per ora vehat & ſcabra lintris adacta, has quoque ſcatens molles ſectando vias madefacit ſæpè & lenta palus Elnonis plantas ob venerabilis Amandi Pontificis ferendum ſuffragium, qui his conſtitutus in locis veteres Sicambrorum errores Euangelico mucrone coercet.*

[b] Num. 25.

[c] Secul. 2. Benedict. pag. 1094.

LXXVIII. Regula igitur, quam beatus Amandus Cœnobiis à ſe conditis impoſuit, non alia fuit à Regula S. Columbani, quæ tunc erat florentiſſima. Quæſtio ſupereſt, vtrùm in Monaſteriis Gandenſibus Clerici primùm inſtituti ſint, an Monachi. Stamus pro Clericis, pro Monachis Aſcetæ Benedictini. Vitam allegamus S. Bauonis, Auctore Theodorico Abbate Trudoniano, quem Surius [d] in lucem emiſit. Illi vitam citant eiuſdem Sancti Bauonis, Auctore Anonymo, quem publici iuris ex manuſcriptis Codicibus Compendienſi & Conchenſi fecerunt [e]. De vtriuſque Sriptoris auctoritate primùm nobis inquirendum videtur, deinde textus examinandi.

[d] D. 1. Octobr.

[e] Secul. 2. Benedict. ad ann. circ. 651.

LXXIX. Ætas Theodorici patet ex Chronico Trudoniano [f], in fine enim libri quinti *conſecratus* dicitur *in Abbatem & Sacerdotem Nonis Martij, Leodij, anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo-nono.* Degebat *Gandæ in Monaſterio Sancti Petri*, cùm electus eſt Abbas. De illius receſſu ad Monaſterium Gandenſe, déque ſcriptionis occaſione ſic Auctores Benedictini diſſerunt in obſeruationibus præuiis vitæ S. Bauonis. *Theodoricus Gandæ in Monaſterio S. Petri moratus ſub contentione Abbatum Lantonis & Luiponis, (qui Mettenſis & Leodienſis Epiſcoporum factione de dignitate certabant) rogatu fratrum Gandenſium exornandis S. Bauonis Actis primariis operam dedit.* Theodoricus igitur auctoritatem ſuam ex primariis Actis vitæ Sancti Bauonis mutuatur, eâque præſtat Anonymo, qui prædictorum Actorum Auctore recentior videtur. Scriptoribus

[f] Ap. Dacher. Tom. 7. Spicileg.

enim Benedictinis adſtipulari non poſſumus, apud quos *teſtem quaſi oculatum* AN. CH.
præ ſe ferunt hæc Anonymi verba. *Si omnia, quæ de eius*, nempe Bauonis, *Geſtis* 734.
comperimus, vellemus proſequi, dies (vt opinor) antequàm ſermo ceſſaret. Eadem THEODOR. IV.
quippe verba, quamuis anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo R. 14.
ſcribamus, & ab ætate Sancti Bauonis longè remotiores ſimus, pari iure abſque diſpendio Hiſtoricæ veritatis vſurpare poſſemus. Anonymus ſeculum, quo vixit, nullo Charactere prodit. Sancto Bauoni nec coæuus fuit, nec ſuppar. Nam calamo manum admouit, cùm Gandenſe Monaſterium Regulæ Benedictinæ iam addictum erat, ideóque *præceptum pij Patris Benedicti* laudauit, ratus Monaſticum Inſtitutum, quod vigere nouerat, illic ab Abbatis Florberti temporibus iam obſeruatum fuiſſe.

LXXX. Porrò Theodoricus & Anonymus duplicem Bauonis aduentum ad Gandenſe Monaſterium diſtinguunt; vnum, cùm Amandus Epiſcopus Gandæ morabatur, nec adhuc Elnonenſis Monaſterij fundamenta iecerat; alterum, cùm Gandenſium Cœnobiorum regimen penes Florbertum Abbatem erat. Quid ad illa tempora de Bauonis vel Clericatu vel Monachatu ſcripſerint, accuratiùs inueſtigandum.

LXXXI. Apud Theodoricum Bauo ab Amando Gandenſium Monaſteriorum tunc rectore ſic ſuſcipitur. *Requiſitus ſuper intentione ſua, Clericum ait ſe velle viuere, vt ſemel alligatus ſub iugo Regulæ, pedem vlteriùs non liceret retrahere, ſed ſpontaneè aſſumptam neceſſitatem verteret in benè viuendi voluntatem. Gauiſus S. Amandus multa priùs machinamenta diaboli prudenter prætendere, grauem eſſe aſcenſum quem vellet arripere, de caſu timere; inceptum quidem facilem, finem verò prædicabat eſſe difficilem. Vbi videt eum nihil cunctari, ſed ad omnia ſuſtinenda paratiſſimi eſſe animi, gratias agens Deo (qui quos prædeſtinauit à principio, hos etiam elegit in nouiſſimo) quaſi chariſſimum amplexatus filium, inducit in Dominici ſcholam ſeruitij, quam primam omnium conſtat eum rexiſſe in Eccleſia Gandenſi. Ibi ante aram beati Petri Apoſtoli militiam Chriſti profeſſum, barbâ & capillo tonſum aſſumit in Clericatum, & plantat in domo Domini cedrum Libani, redolentem ſanctarum virtutum odore inæſtimabili, & creſcentem robore imputribili.* Apud Anonymum ſic. *Clericorum Cœnobium in ipſo caſtro* Gandenſi *honorificè eſt conſtructum, vbi die noctúque laus à fidelibus Deo decantatur. In eodem Monaſterio B. Confeſſor Bauo pleniſſimâ deuotione ante Oraculum Templi Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidi deprecatus eſt, & adeptus venerandi Pontificis Amandi manibus Clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum, dimiſit coronam capitis, & inuenit coronam gloriæ; reliquit veſtimenta ſecularia, & ſuſcepit ſtolam candidam; reliquit pompam huius mundi, & indutus eſt loricam fidei; quapropter & dignus effectus eſt conſortio Angelorum.* Iudicet Lector, vtrùm hi duo textus Bauonem Clericum, an Monachum declarent. Iudicet etiam, vtrùm ad Anonymi narrationem, vbi de Bauone dicitur, quòd *adeptus venerandi Pontificis Amandi manibus Clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum*, Auctores Benedictini fieri conſortem *Apoſtolorum*, in ſua Præfatione [a] rectè commententur fieri conſortem *Apoſtolicæ inſtitutionis, quod præcipuè* [a] Num. 26.
conuenit Monachis, quos Apoſtolicæ vitæ imitatores S. Bernardus aliíque permulti appellant. Denique iudicet an verum ſit, quòd hiſce verbis, *dimiſit comam capitis, & inuenit coronam gloriæ; reliquit veſtimenta ſecularia, & ſuſcepit ſtolam candidam; reliquit pompam huius mundi, & indutus eſt loricam fidei*, Anonymus *religioſas veſtes ac tonſuram ſatis exprimit.*

LXXXII. Bauonis ad Gandenſe Monaſterium reditus, cùm Florbertus ſeu Florebertus Abbas eſſet, à Theodorico ſic deſcribitur. *Comperto, quòd B. Amandus Monachos in Gandenſi Eccleſia ſubſtituiſſet, & venerabilem virum Florebertum in Abbatem ordinaſſet (nam quia ipſe incumbebat prædicationi, neceſſe viſum fuit conſtituere, qui prouideret nouellæ adhuc plantationi) tum verò* Bauo *magno ſe æſtimans quaſi donatum munere, ad locum profeſſionis ſuæ ſtatuit redire, ibique, qui ſupererat, reliquum vitæ curſum percurrere. Reuerſus itaque quaſi Angelus Dei,*

Digitized by Google

AN.CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

vt verè erat, recipitur; receptus, hoſpitio inducitur; inductus, honoratur. Nec vllum antè habuere gaudium capitalius, quàm quòd talis in contubernio eorum eſt receptus. Dehinc Abbatem in colloquium euocat, reditûs ſui cauſam explicat, familiarem ſibi fieri cellulam ad commanendum petit & impetrat. Quis enim non modò Monachorum, ſed & Clericorum Bauonis non deſideraret contubernium. Ab Anonymo ſic. *Vir Dei reuerſus ad ſupradictum Caſtrum Gandauum ad venerabilem virum Florbertum Abbatem, quem almus Pontifex Amandus ibidem conſtituit ſuper gregem Clericorum Rectorem, petiit eum ſibimet humiliter cellulam, in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur, largiri. Vt verò pius Pater Monaſterij eius petitionem audiuit, cum gaudio eam ſuſcepit, & eiuſdem fratribus Monaſterij, iuxta præceptum Pij Patris Benedicti, conuocatâ omni Congregatione eius patefecit preces, vt ſi forſitan iuniori reuelatum fuiſſet, quod placitum eſſet Omnipotenti cum omni auiditate cordis ſuſciperet, & compleret id quod ſcriptum eſt.* [*Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.*] *Igitur petitione auditâ, fratres, narrante Monaſterij Abbate, animo gratanti ſuſceperunt eam, ſicque quam petiit ab eis cellulam, largiente Deo impetrauit.* Ex Theodorici textu liquet in Gandenſi Monaſterio, priuſquàm illuc Bauo rediret, Monachos Clericis ab Amando ſubſtitutos eſſe. Mutationem illam idem Auctor, cùm in Sancti Amandi laudes per digreſſionem excurreret, & Gandenſe Monaſterium ab eo conſtructum commendaret, non minùs clarè ſic explicuerat. *Plantatâ vineâ Domini Sabaoth, Clericos imprimis, Monachos ſubinde, qui redderent fructum in tempore ſuo, induxit.* Exeunte igitur vndecimo ſeculo, cùm Theodoricus vitam Sancti Bauonis expoliuit, Gandenſes Monachi nec diffitebantur in Gandenſi Monaſterio Clericos primùm, deinde Monachos inſtitutos eſſe, nec id putabant in dubium reuocari poſſe, quod in primariis eiuſdem Sancti Bauonis Actis continebatur. Inſtitutum, quod Monachi Gandenſes obſeruarunt ſub Abbate Florberto, non aliud erat ab eo, quod beatus Amandus Elnonenſibus præſcripſit. Regulam autem Sancti Columbani Monachis Elnonenſibus à Sancto Amando impoſitam eſſe demonſtrauimus ſuprà, nec ab ea nos ſententia dimouit recentior Anonymus, qui Sancti Benedicti præceptum in vita Sancti Bauonis laudauit.

LXXXIII. Hoc loco quadripertitæ diſputationi finis imponendus videtur, ſatis enim ſupérque probatum eſt ſuprà, quòd Regula Benedictina nec à Sancto Columbano ſuſcepta eſt in Monaſterio Bobienſi, nec in Galliis poſt Synodum Matiſconenſem cum Regula Sancti Columbani ſtatim coaluit, nec Cœnobio Fontanellenſi præſcripta eſt à Sancto Wandregiſilo, vel Gandenſibus aut Elnonenſi à Sancto Amando impoſita. Ne tamen quid deſideretur, paucis non tantùm refellemus rationem, quam Benedictini Scriptores afferunt, vt Regulam Sancti Benedicti poſt Synodum Matiſconenſem in Galliis cum Regula Sancti Columbani ſtatim coaluiſſe ſuadeant, ſed & Auctores examinabimus, quorum præſidio ſuam opinionem tueri conantur.

LXXXIV. Obiectionum, quas Agreſtius Monachus Luxouienſis ſchiſmaticus in Concilio Matiſconenſi *aduersùs Regulam B. Columbani vel* * *venerabilem Euſtaſium* Luxouienſem tunc Abbatem propoſuit, apud Ionam in Actis eiuſdem Sancti Euſtaſij [a], hæc eſt poſtrema. *Addit garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi, alio charactere exprimi, & ab omnium more deſciſci.* Ad quem locum, in ſuis Notis Auctores Benedictini, *legendum,* inquiunt, *tonderi. Nempe diſcipuli S. Columbani tonſuram gerebant Hibernicam, quæ dimidiatam coronam reddebat, ſcilicet ab aure ad aurem per frontem in coronam cæſus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonſus dependebat.* Et in Præfatione [b] ſecundi Seculi Benedictini ſic de Sancto Euſtaſio ſcribunt. *Reuerſus è Concilio Matiſconenſi Euſtaſius, vt ſcandalum de tonſura inuſitata aliiſque moribus ab Eccleſia Romana alienis excuteret, S. Benedicti Regulam cum Columbani Inſtitutis coniunxit.*

* Id eſt, &.

[a] Secul. 2. Benedict. ad an. 615.

[b] Num. 15.

Digitized by Google

In Præfatione [a] primi ſeculi Benedictini Regulam Sancti Benedicti in AN. CH.
Cœnobio Luxouienſi receptam volunt, ſuperſtite in viuis Sancto Columbano. 734.
Nec dubium, inquiunt, *quin viuente Columbano S. Benedicti Regula in Luxouienſi Monaſterio recepta fuerit.* In Præfatione alterius Seculi ſeriùs id THEODOR. IV.
aiunt contigiſſe, poſt Concilium videlicet Matiſconenſe, quod anno Chriſti R. 14.
ſexcenteſimo viceſimo-tertio, à morte Sancti Columbani octauo celebratum eſt, cùm Euſtaſius Abbas Luxouienſi Monaſterio præeſſet. Cauſam LXXXV.
afferunt, quòd Luxouienſes Monachi tonſuram Hibernicam ſeu Scoticam, [a] Num. 67.
quæ differebat à ceteris, ex inſtituto Sancti Columbani gererent. Tomo ſuperiore, cùm de Matiſconenſi Concilio locuti ſumus, nullam huiuſcemodi tonſuræ mentionem fecimus, quia nacti non eramus genuinum Ionæ textum, in quo Agreſtius Monachos Luxouienſes non redarguit, vt in editione Suriana, quòd tondeantur, ſed quòd alio tondeantur modo quàm ceteri Monachi.

Non ignoramus in Britannia & Hibernia diuturnam de tonſuræ forma contentionem fuiſſe, quæ in Hiienſi Monaſterio durauit vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum, id eſt, vſque ad annum à Synodo Matiſconenſi & ab Agreſtij damnatione nonageſimum-tertium. Audi quid illa de re ſcribat Beda in Hiſtoria Eccleſiaſtica gentis Anglorum. LXXXVI.

Libro ſecundo, capite ſecundo, colloquium deſcribit, quod Auguſtinus Dorouernenſis Archiepiſcopus cum Epiſcopis Britonum habuit. In illo conuentu Auguſtinus Britonibus obiecit, quòd *Paſcha diem Dominicum ſuo tempore non obſeruabant, & alia plurima vnitati Eccleſiæ contraria faciebant*, tamen, ſi Paſcha ſuo tempore celebrarent, ſi miniſterium baptizandi iuxta morem Romanum complerent, ſi genti Anglorum ſecum verbum Domini prædicarent, pollicitus eſt cetera ſe toleraturum. *Dicebat autem eis*, ait Beda, *quòd in multis quidem noſtræ conſuetudini, imò vniuerſali Eccleſiæ, contraria geritis, & tamen ſi in tribus his mihi obtemperare vultis, vt Paſcha ſuo tempore celebretis, vt miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, iuxta morem Romanæ Sanctæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ compleatis, vt genti Anglorum vnà nobiſcum prædicetis verbum Domini, cætera, quæ agitis, quamuis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus.* Specialem tonſuræ mentionem non facit, vnde colligas nihil in ea fuiſſe, quod à viro Romano rituúmque Romanorum amantiſſimo tolerari non poſſet. Hæc autem agebantur in Britannia, cùm beatus Columbanus in Luxouienſi Monaſterio degebat, nam caput proximum à rebus anno Chriſti ſexcenteſimo quarto geſtis Beda ſic orditur. *Anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo quarto Auguſtinus* &c. Similiter capitibus eiuſdem libri quarto & vndecimo, vt Britones, ſic & Scoti *vitam ac profeſſionem minùs Eccleſiaſticam in multis* egiſſe dicuntur, maximè *quòd Paſchæ ſolennitatem non ſuo tempore celebrarent*, nec ibi peculiaris ſit de tonſura ſermo. LXXXVII.

Idem cenſendum de libro tertio, capitibus enim tertio & quarto, multa de die Paſchæ, nihil omnino de tonſura legitur; & capitibus viceſimo-quinto ac viceſimo ſexto, licèt quæſtio *de Paſcha, vel tonſura, vel aliis rebus Eccleſiaſticis* anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto mota perhibeatur, tota diſputatio circa diem Paſchæ vertitur, hac tantùm additâ parentheſi de tonſura coronæ (*nam & de hoc quæſtio non minima erat.*) LXXXVIII.

Libro quarto, capite quinto, recitantur Acta Synodi, cui Theodorus Dorouernenſis Archiepiſcopus præfuit. "*Facta eſt hæc Synodus annò ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo-tertio.* Promulgati ſunt decem Canones, quorum primus eſt de die Paſchæ, nullus de tonſura. LXXXIX.

Libro quinto, capite decimo-ſexto, plurimæ cùm Scotorum, tum Britonum Eccleſiæ, quòd Catholicum Paſcha ſuſceperint, à Beda ſic laudantur. *Plurima pars Scotorum in Hibernia, & nonnulla etiam de Britonibus in Bri-* XC.

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

tannia rationabile & Eccleſiaſticum Paſchalis obſeruantia tempus, Domino donante, ſuſcepit. Nullum ibi verbum de tonſura. Capite decimo-nono commendatur Aldhelmus Epiſcopus, quia, *cùm eſſet adhuc Presbyter & Abbas Monaſterij, quod Maildulurbem nominant, ſcripſit, iubente Synodo ſuæ gentis, librum egregium aduersùs errorem Britonum, quo vel Paſcha non ſuo tempore celebrant, vel alia plura Eccleſiaſtica caſtitati & paci contraria gerunt; multóſque eorum, qui Occidentalibus Saxonibus ſubditi erant Britones, ad Catholicam Dominici Paſcha celebrationem huius lectione perduxit.* Nullum quoque peculiariter ibi verbum de tonſura. Capitibus autem viceſimo-ſecundo & viceſimo-tertio Beda non tantùm de Paſcha ſed etiam de tonſura ſermonem facit. Nam capite viceſimo-ſecundo literas recitat Ceolfridi Abbatis ad Naitanum Regem Pictorum, quæ de Paſcha ſunt & de tonſura; additque, initio capitis viceſimi-tertij, quòd *illi quoque qui Inſulam Hij incolebant Monachi Scoticæ nationis, cum his, quæ ſibi erant ſubdita, Monaſteriis ad ritum Paſchæ ac tonſuræ canonicum, Domino procurante, perducti ſunt.* Poſtremo hoc capite Beda id factum teſtatur *anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo ſexto-decimo.* Quapropter in eius epitome ad illum annum hæc leguntur. *Vir Domini Ecbbertus Hiienſes Monachos ad Catholicum Paſcha & Eccleſiaſticam correxit tonſuram.*

XCI. Ad quæſtionem, de qua nunc agimus, præcipuè facit pars poſterior literarum, quas Ceolfridus Abbas Nuitano Pictorum Regi ſcripſit, paulò antequàm Hiienſes Monachi Scoticam tonſuram gerere deſinerent. Partem illam epiſtolæ totam cum nonnullis obſeruationibus accipe.

XCII. *Tonſuram quoque*, inquit Ceolfridus, *hortor, vt Eccleſiaſticam & Chriſtianæ fidei congruam habere curetis. Et quidem ſcimus, quia neque Apoſtoli omnes vno eodémque modo ſunt attonſi, neque nunc Eccleſia Catholica, ſicut vnâ fide, ſpe, & charitate in Deum conſentit, ita etiam vnâ atque indiſſimili totum per orbem tonſuræ ſibi formâ congruit. Denique vt ſuperiora, id eſt, Patriarcharum, tempora reſpiciamus, Iob exemplar patientiæ, ingruente tribulationum articulo, comam totondit, probauit vtique, quia tempore fœlicitatis capillos nutrire conſueuerat. At Ioſeph & ipſe caſtitatis, humilitatis, pietatis, cæterarúmque virtutum executor ac doctor eximius, cùm eſſet ſeruitio abſoluendus, attonſus eſſe legitur, patet profectò, quia tempore ſeruitutis intonſis in carcere crinibus manere ſolebat. Ecce vterque vir Dei diuerſum ab altero vultûs habitum foris præmonſtrabat, quorum tamen intus conſcientia in parili virtutum ſibi gratia concordabat. Verùm, ſi profiteri nobis liberum eſt, quia tonſuræ diſcrimen non noceat quibus pura in Deum fides & charitas in proximum ſyncera eſt, maximè cùm nunquam Patribus Catholicis ſicut de Paſcha vel fidei diuerſitate conflictus, ita etiam de tonſuræ differentia legatur aliqua fuiſſe controuerſia. Inter omnes tamen, quas vel in Eccleſia vel in vniuerſo hominum genere reperimus tonſuras, nullam magis ſequendam nobis amplectendámque iure dixerim eâ, quam in capite ſuo geſtabat ille, cui ſe confitenti Dominus ait. [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebant aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni cælorum.] Nullam verò magis abominabilem deteſtandámque meritò cunctis fidelibus crediderim eâ, quam habebat ille, cui gratiam Sancti Spiritûs comparare volenti dicit idem Petrus. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri, non enim eſt tibi pars neque ſors in ſermone hoc. Neque verò ob id tantùm in coronam attondimur* *, *quia Petrus ita attonſus eſt, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſſionis ita attonſus eſt, idcirco & nos, qui per eandem Paſſionem ſaluari deſideramus, ipſius Paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſummâ videlicet corporis noſtri parte, geſtamus. Sicut enim omnis Eccleſia, quæ per mortem ſui viuificatoris Eccleſia facta eſt, ſignum ſanctæ Crucis eius in fronte portare conſueuit, vt crebro vexilli huius munimine à malignorum ſpirituum defendatur incurſibus, crebrâ huius admonitione doceatur, ſe quoque carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere debere, ita etiam oportet eos, qui vel Monachi votum vel gradum Clericatûs habentes, arctioribus ſe neceſſe habent pro Domino continentiæ frænis*

* Ionas in Actis S. Euſtaſij ſuprà, n. 84. vſus eſt etiam vocabulo *tondi*.

nis aſtringere. Formam quoque coronæ, quam ipſe in Paſſione ſua ſpineam portauit AN. CH.
in capite, vt ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret & 734.
auferret à nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram præferre. Vt ſe etiam irriſio- THEO-
nes & opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre ipſo etiam frontiſpicio do- DOR. IV.
ceant. Vt coronam vitæ æternæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſe ſemper R. 14.
expectare, próque huius perceptione & aduerſa ſe mundi & proſpera contemnere deſignent. Cæterùm tonſuram eam, quam magum ferunt habuiſſe Simonem, quis rogo fidelium non ſtatim cum ipſa magia primò deteſtetur & meritò exufflet? Quæ aſpectu in frontis quidem ſuperficie coronæ videtur ſpeciem præferre, ſed vbi ad ceruicem conſiderando perueneris, decurtatam eam, quam te videre putabas, inuenies coronam. Vt meritò talem Simoniacis & non Chriſtianis habitum conuenire cognoſcas, qui in præſenti quidem vita à deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloriâ coronæ, ſed in ea, quæ hanc ſequitur vitam, non ſolùm omni ſpe coronæ priuati, ſed æternâ inſuper ſunt pœnâ damnati. Neque verò me hæc ita proſecutum æſtimes, quaſi eos, qui hanc tonſuram habent, condemnandos iudicem, ſi fide & operibus vnitati Catholicæ fauerint, imò confidenter profiteor plurimos ex eis Sanctos ac Deo dignos extitiſſe. Ex quibus eſt Adamnanus Abbas & Sacerdos Columbienſium egregius, qui cùm Legatus ſuæ gentis ad Aldfridum Regem miſſus, noſtrum quoque Monaſterium videre voluiſſet, mirámque in moribus ac verbis prudentiam, humilitatem, religionem oſtenderet, dixi illi inter alia colloquens. Obſecro, ſancte frater, qui ad coronam te vitæ, quæ terminum neſciat, tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas? Et ſi conſortium beati Petri quæris, cur eius, quem ille anathematizauit, tonſuræ imaginem imitaris, & non potius eius, cum quo in æternum beatus viuere cupis, etiam nunc habitum te, quantùm potes, diligere monſtras? Reſpondit ille. Scias pro certo, frater mi dilecte, quia, etſi Simonis tonſuram ex conſuetudine patriæ habeam, Simoniacam tamen perfidiam totâ mente deteſtor ac reſpuo; beatiſſimi autem Apoſtolorum Principis, quantùm mea paruitas ſufficit, veſtigia ſequi deſidero. At ego. Credo, inquam, verè quòd ita ſit, ſed tamen indicio ſit, quòd ea, quæ Apoſtoli ſunt Petri, in abdito cordis amplectimini, ſi, quæ eius eſſe noſtis, etiam in facie tenetis. Namque prudentiam tuam facillimè diiudicare reor, quòd aptius multò ſit eius, quem toto corde abominaris, cuiúſque horrendam faciem videre refugis, habitum vultûs à tuo vultu Deo iam dicato ſeparare, & econtrà eius, quem apud Deum Patrem habere patronum quæris, ſicut facta vel monita cupis ſequi, ſic etiam morem habitûs te imitari condeceat. Hæc tunc Adamnano dixi, qui quidem, quantùm conſpectis Eccleſiarum noſtrarum ſtatutis profeciſſet, probauit, cùm reuerſus ad Scotiam multas poſteà gentis eiuſdem turbas ad Catholicam temporis Paſchalis obſeruantiam ſuâ prædicatione correxit. Tametſi eos, qui in Hÿ Inſula morabantur, Monachos, quibúſque ſpeciali Rectoris iure præerat, necdum ad viam ſtatuti melioris reducere valebat. Tonſuram quoque, ſi tantùm ſibi auctoritatis ſubeſſet, emendare meminiſſet. Sed & nunc tuam prudentiam, Rex, admoneo, vt ea, quæ vnitati Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ concinunt, vnà cum gente, cui te Rex Regum & Dominus Dominorum præfecit, in omnibus ſeruare contendas. Huc vſque Ceolfridus Abbas, in cuius literis multa de tonſura ſunt obſeruanda.

Primò, ſcriptæ ſunt illæ literæ, annis nonaginta & ampliùs poſt Synodum XCIII.
Matiſconenſem iam elapſis, vnde apparet ea, quæ in illa Synodo contra Luxouienſium Monachorum tonſuram ab Agreſtio dicta ſunt, tantæ nequaquam apud Epiſcopos auctoritatis fuiſſe, vt nouam idcircò Regulam in Luxouienſe Monaſterium introducendam cenſuerint.

Secundò, Ceolfridus Abbas fatetur ſe ſcire, *quia neque Apoſtoli omnes vno* XCIV.
eodémque ſunt modo attonſi; neque nunc Eccleſia Catholica, ſicut vnâ fide, ſpe, & charitate in Deum conſentit, ita etiam vnâ atque indiſſimili totum per orbem ſibi formâ congruit. Huius diuerſitatis exemplum ad annum Chriſti ſexcenteſimum duodeſeptuageſimum profert Beda [a] in Theodoro nato *ex Tharſo Ciliciæ* & *Romæ* Monachum agente, qui promotus eſt ad Archiepiſcopatum Do-

[a] Lib. 4. cap. 1.

AN. CH. rouernenſem, & *Subdiaconus ordinatus, quatuor expectauit menſes, donec illi coma*
creſceret, quò in coronam tonderi poſſet. Habuerat enim tonſuram, more Orientalium,
734. *Sancti Pauli Apoſtoli.* En in vno viro pro variis locis duplex tonſuræ forma.
THEODOR. IV. Tertiò, Ceolfridus profitetur, *quia tonſuræ diſcrimen non noceat, quibus*
pura in Deum fides & charitas in proximum ſyncera eſt, maximè cùm nunquam
R. 14. *Patribus Catholicis ſicut de Paſchæ vel fidei diuerſitate conflictus, ita etiam de tonſuræ*
XCV. *differentia legatur aliqua fuiſſe controuerſia.* Agreſtius in Synodo Matiſconenſi
non de die quo Monachi Luxouienſes Paſcha celebrabant, ſed de tonſura
quam gerebant, querelam mouit. Inde colligere eſt diem Dominicum
Paſchæ in Monaſterio Luxouienſi iuxta morem Romanum & Eccleſiarum
Gallicanarum conſuetudinem celebratum fuiſſe, nec Epiſcopos Burgun-
diæ vbi ſitum Luxouium, de tonſuræ diſſimilitudine, quam Agreſtius obiicie-
bat, adeò anxiè ſollicitos fuiſſe, vt eam ſtatim tollendam decernerent euoca-
tis ad illud opus aliunde Monachis aliam prorſus Regulam anteà profeſſis.

XCVI. Quartò, Ceolfridus eos, qui Scoticam tonſuram gerunt, non iudicat
condemnandos, imò plurimos ex eis Sanctos ac Deo dignos extitiſſe pro-
nuntiat. *Neque verò*, inquit, *me hæc ita proſecutum æſtimes, quaſi eos, qui*
hanc tonſuram habent, condemnandos iudicem, ſi fide & operibus vnitati Catholi-
cæ fauerint, imò confidenter profiteor plurimos ex eis Sanctos ac Deo dignos extitiſſe.
Monachi Luxouienſes ſub Sancto Columbano, ſub Sancto Euſtaſio, ſúb-
que eorum ſucceſſoribus fide & operibus ab vnitate Catholica non receſſe-
runt. Ergo in ſententia Ceolfridi, qui longè poſt Sanctum Euſtaſium vi-
xit, fruſtrà vocati ſunt in iudicium ab Agreſtio, quòd à ceteris Monachis
per tonſuram differrent, & præter hanc accuſationem quæ nihili facienda
eſt, alia quærenda ratio, propter quam Benedictini ritus in Luxouienſe
Monaſterium fuerint introducti.

XCVII. In Actis Sancti Euſtaſij Ionas accuſationem, quam Agreſtius excogita-
uit de tonſura, friuolam dicit, irridétque in hunc modum. *Agreſtius addit*
garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi, alio charactere expri-
mi, & ab omnium more deſciſci. Comperendinatim Agreſtio talia loquenti & fri-
uola garrulanti, Euſtaſius ſagax, vt erat virtute patientiæ & ſcientiæ compertus
reſpondit. Horum, inquit, in præſentia Sacerdotum te ego eius diſcipulus & ſucceſ-
ſor, cuius tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad diuinum iudicium cum eo in-
tra præſentis anni circulum cauſas dicturum inuito, vt iuſti iudicij examine vindic-
tam ſentias, cuius famulum tuis detractionibus maculare procuras. Deinde idem
Auctor poſt Synodum Matiſconenſem, in qua pœnitentiam Agreſtius ſi-
mulauit, varia commemorat itinera, quæ ſuſcepit Agreſtius cùm ad Ro-
maricum & Amatum quos decepit, tum ad Burgundofaram quam fruſtrà
tentauit, iiſque itionibus mox eiuſdem Agreſtij mortem cum prædictorum
Romarici & Amati reſipiſcentia ſubiungit, priuſquàm ſermonem ad varia
Monaſteria, quæ poſteà ſub Regula Sancti Columbani condita ſunt, ſic
conuertat. *Abellenus verò vel ceteri Galliarum Epiſcopi pòſt ad roboranda Colum-*
bani inſtituta adſpirant. Quammulti iam in amore Columbani & eius Regulæ Mo-
naſteria conſtruunt, plebes adunant, gregem Chriſti congregant. Inter quos inluſter
a Hoc an. n. 39. *tunc vir* &c. Textum integrum ſuprà recitauimus [a], illum conſule, ni-
hil enim magis appoſitè ſcribi poteſt, vt Regulam Sancti Columbani non
tantùm ante, ſed etiam poſt Matiſconenſe Concilium obſeruatam credas,
nullâ Regulæ Benedictinæ in iiſdem Monaſteriis factâ mentione.

XCVIII. Aduersùs hanc noſtram opinionem Auctores Benedictini multa in ſua Præ-
b Nn. 9 10. fatione ſcribunt, & præter varia Diplomata citant [b] prologum Regulæ à S.
Donato concinnatæ, necnon Acta S. Salabergæ, S. Præiecti & S. Deſiderij,
ſed tantùm abeſt, vt nobis hæ noceant obiectiones, quin potiùs fauent plu-
rimùm.

XCIX. Prologus Regulæ à Sancto Donato Veſontionenſi Epiſcopo collectæ ſic
incipit. *Sanctis & à me plurimùm venerandis Chriſti Virginibus, Gauthſtrudæ*

Digitized by Google

omníque ſuæ Congregationi in Cœnobio à famula Dei Flauia conſtituto, Donatus omnium extremus famulorum famularúmque Dei ſeruulus, ſalutem. Quamquam vos, iuxta normam Regulæ, vaſa Chriſti pretioſiſſima, egregiè nouerim cotidie vitam ducere; attamen qualiter magis excellere debeatis, ſagaci vultis ſemper intentione perquirere. Quam ob cauſam ſæpiùs mihi iniungitis, vt explorata S. Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi Regulâ, quæ ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt, vnà cum Beatiſſimorum Benedicti quoque & Columbani Abbatum quibuſdam, vt dixerim, collectis in vnum floſculis ad inſtar Encheridion excerpere vobis vel coaceruare debeam, & quæ ſpecialiùs femineo ſexui cuſtodienda compéterent, promulgarem, dicentes, quòd Regulæ prædictorum Patrum vobis minimè conuenirent, cùm eiſdem viris potiùs, & nequaquam feminis edidiſſent. Et licèt Sanctus Cæſarius propriè Chriſti, vt eſtis, Virginibus Regulam dedicaſſet, vobis tamen ob immutationem loci in nonnullis conditionibus minimè conueniret. Ad hac ego implenda diu multúmque reniſus ſum voluntati veſtræ, non vt peruicaciter durus, ſed meâ conſcius impoſſibilitate retentus, dum multorum in hac re minùs neceſſitatem rei atque opportunitatem loci intelligentium iudicium pertimeſco, ne me temerè reprehendant, cur de tantorum Patrum Inſtitutis audeam quidpiam excerpere vel mutare. At contrà deuotione compellor, dum inhianter ſalutem veſtrarum cupio animarum. Sed taciturnitatem meam, imò tacendi perſeuerantiam ſedulæ tandem veſtræ rupere preces, quibus, quantùm paruitatis meæ ignauia valet, parere omni ambitione feſtino, ſed timeo, ne non tam efficaciter, quàm libenter. Et rurſus in ancipiti ambiguitate conſtringor, dum me imparem ad indaganda præfatorum Patrum monita fore cenſeo, & cotidiano ſtrepitu ſecularium inquietor. Allegatâ huius textûs parte, quæ beatiſſimorum Abbatum Benedicti & Columbani meminit, inde ſic ratiocinantur Benedictini. *Quorſum, quæſo, Virgines Iuſſanenſes in vicinia Luxouienſium Monachorum conſiſtentes à Donato S. Columbani diſcipulo poſcunt aptari ſibi S. Benedicti Regulam, niſi quia à Monachis circum poſitis obſeruari hanc aduertebant, eóſque cupiebant imitari? Certè quòd ad S. Cæſarij Regulam attinet, eam hac ratione conſulendam exiſtimabant, quòd ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt. At inferebant & quidem rectè, quòd Regula S. Benedicti ſibi minimè competeret, cùm eandem viris potiùs, & nequaquam feminis edidiſſet Benedictus. Ergo Monachorum æmulatione adductæ, SS. Benedicti & Columbani Regulas ſuis vſibus aptari poſtularunt.*

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

C. Iuſſanum Monaſterium, quod & B. Mariæ Cœnobium vocatur, à Flauia Sancti Donati matre conditum fuit. Antiquiſſimas Abbatiſſas habuit, Sirudem eiuſdem Sancti Donati ſororem, & Gunthſtrudem cui Sanctus Donatus Regulam Monialium dicauit. Pontificatum autem Veſontionenſem Sanctus Donatus geſſit *annos plùs minùs viginti-octo*; Conciliis Remenſi & Cabilonenſi, quorum alterum anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-quinto, alterum anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto celebratum eſt, interfuit ſubſcripſítque; migrauit in cælum anno Chriſti circiter ſexcenteſimo quinquageſimo-ſecundo. Quonam anno, vt Iuſſanenſium Monacharum poſtulationi ſatisfaceret, Regulam Monialium ex tribus Regulis, S. Cæſarij, Sancti Benedicti & Sancti Columbani concinnarit, haud liquet. In Actis [a] S. Columbani, quæ Ionas poſt mortem S. Bertulphi ſeu poſt annum Chriſti ſexcenteſimum quadrageſimum conſcripſit, laudatus inuenitur, quòd *pro amore B. Columbani ex ipſius Regula Monaſterium virorum conſtruxit*, nomine vel Inſtituto S. Benedicti haud addito. Ætate igitur S. Donati, Regula S. Columbani diſtinguebatur à Regula S. Benedicti, nec ambæ ſimul in iiſdem Monaſteriis obſeruabantur. Aliud non innuit ipſiuſmet Donati prologus allegatus ſuprà. Donatus enim de Regulis Sanctorum, Cæſarij, Benedicti & Columbani ſic loquitur, vt palàm oſtendat tres eſſe valdè diuerſas, vnam S. Cæſarij, alteram S. Benedicti, tertiam S. Columbani, è quibus quartam ſe concinnaturum ſpondet, & hæc eius nomine celebris apud poſteros fuit, atque etiamnum Regula S. Donati nuncupatur.

[a] Secul. 2. Benedict. ad an. 615.

Digitized by Google

AN.CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

Egimus hac de Regula Tomo ſecundo [a], ſingulos examinauimus articulos, quinam ex Sancto Cæſario, quinam ex Sancto Benedicto, quinam ex Sancto Columbano deſcripti ſint, accuratè perpendimus. Pro fœminis erat Regula S. Cæſarij, pro viris aliæ duæ, nec ex eo quòd Iuſſanæ Monachæ Sanctum Donatum rogarunt, vt Regulam Monialium ex tribus illis Regulis conflaret, æquus Lector inferet repertos priùs Monachos, qui vtramque Regulam S. Benedicti & S. Columbani profiterentur.

[a] Ad an. 625. nn. 66. & ſeqq.

CI. Secundo loco, Scriptores Benedictini textum hunc de laudibus Walberti ſeu Waldeberti Luxouienſis Abbatis allegant ex Actis Sanctæ Salabergæ Laudunenſis Abbatiſſæ. *Walbertus in regimine fratrum* Luxouienſium *ſubuectus eſt, vir omnium famâ laudabilis, eximiaque ſanctitatis, & in Eccleſiaſticis diſciplinis non mediocriter eruditus, bonitate ac pietate caritatéque præcipuus, doctrinâ exuberans. Huius tempore per Galliarum prouincias agmina Monachorum, ac ſacrarum puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicóſque, atque caſtella, verùm etiam per eremi vaſtitatem ex Regula duntaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœperunt, cùm ante illud tempus Monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis.*

CII. Acta Sanctæ Salabergæ ſcripta ſunt poſt annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum, ſeu poſt ciuile bellum, quod inter Francorum Reges, Theodoricum Tertium & Dagobertum Secundum, fratres patrueles, exarſit, vt hæc periodus indicat. *Nuper ciuile bellum inter Reges Francorum Theodericum & Dagobertum circa illos fines eſt actum*, id eſt, in agro Lingonenſi circa fines Auſtriæ ac Burgundiæ. Salaberga verò Laudunenſe Monaſterium priùs erexerat, nam Ioannes Mabillonus in Notis ad eadem Acta ſic ſcribit. *Salabergæ migratio in vrbem Laudunum paullò poſt Dagoberti* Magni *mortem, diuiſo inter Chlodoueum & Sigibertum Regno, anno circà* DCXL *accidiſſe videtur.* Obiit illo anno Bertulphus Abbas Bobienſis. Intra triennium ab eius obitu Ionas Monachus Bobienſis prædicto Walberto Abbati Luxouienſi & Boboleno Abbati Bobienſi duos libros dedicauit; quorum *primus, B. Columbæ*, ſeu Columbani, *geſta perſtringit; ſecundus, diſcipulorum eius, Attali* Bobienſis Abbatis *& Euſtaſij* Luxouienſis Abbatis, & aliorum *vitam ediſſerit.* In huius Auctoris lucubrationibus ſæpè commendatur Regula S. Columbani, Regula verò S. Benedicti ne quidem nominatur. Ergo illis temporibus, vt dictum ſuprà, Regula S. Columbani diſtinguebatur à Regula S. Benedicti, nec ambæ ſimul apud Luxouium aut in alio quopiam Monaſterio obſeruabantur. Atque inde Acta Sanctæ Salabergæ præcitata ſic interpretare, vt agmina Monachorum per Gallias *ex Regula duntaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani* pullulaſſe credas, quoniam vt Glannafolienſe Monaſterium aliáque Regulam S. Benedicti, ſic Luxouienſe aliáque Regulam Sancti Columbani ſequebantur.

CIII. Tertio loco Benedictini citant Acta S. Præiecti Aruernenſis Epiſcopi, qui Martyrium anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto conſummauit. In illis enim Actis Geneſius Comes Aruernenſis puellare Monaſterium Camelariæ conſtruit *ex Regula duntaxat virorum Sanctorum, id eſt, S. Benedicti & S. Cæſarij, atque Columbani.*

CIV. At illo loco, vt ipſimet Benedictini fatentur, *ipſiſſimam S. Donati Epiſcopi lucubrationem ſeu compilationem intelligendam eſſe veriſimile eſt.* Obiectio igitur, quæ petitur ex Actis Sancti Præiecti, eadem eſt cum illa quæ ſumitur ex prologo S. Donati, nec aliâ eget refutatione.

CV. Quarto loco, Benedictini ex Actis S. Deſiderij, qui ſub Dagoberto Magno eiúſque filio Sigiberto Tertio Pontificatum Cadurcenſem geſſit, hunc textum allegant. *Nullum quidem eo tempore in vrbe Caturcæ propoſitum Monachi, neque habitum Religionis aut Regulæ Cœnobialis intrauerat: ſecta Columbani procul aberat, Inſtituta B. Benedicti longè diſtabant. Deſiderij autem tempore hac ſecta Caturca intrauit, huius ſub die hac Religio adoleſcere cœpit.*

Digitized by Google

CVI.

Textum illum, quem ex editione [a] Labbeana deſcripſerunt, ſub finem ſecundi Tomi ſic protulimus [b] ex manuſcripto Codice Moſſiacenſi. *Nullus quidem eo tempore in vrbe Cadurca propoſitum Monachi, neque habitum Religionis, aut Regulæ Cænobialis iter intrauerat. Secreta Columbani procul aberant, Inſtituta Benedicti longiùs diſtabant. Ignominioſum, vt putabatur, Monachorum genus omnes omnino ſpernebant. Deſiderij autem tempore hæc ſecta Cadurcæ intrauit, huius ſub die hæc Religio adoleſcere cæpit.* Iudicet Lector, vtrùm ex hoc Auctore quis inferre poſſit Monachos ætate S. Deſiderij vixiſſe ſub Regula Sanctorum Benedicti & Columbani, nec diſtinctas fuiſſe Regulas, vnam S. Benedicti, alteram S. Columbani, quarum hanc diſcipuli S. Columbani in ſuis Monaſteriis, illam diſcipuli S. Benedicti in ſuis Cœnobiis obſeruarint. Tunc in Gallia præ ceteris hæ duæ vigebant Regulæ. Quapropter Auctor proximè citatus aliarum mentionem non fecit, &, vt Deſiderio Epiſcopatum iam adepto nullam Monachorum Congregationem in Diœceſi Cadurcenſi fuiſſe confirmaret, ſatis eſſe duxit, ſi tunc ibi nec Regulam S. Columbani, nec Regulam S. Benedicti floruiſſe diceret. *Secta*, inquit, *Columbani procul aberat, Inſtituta B. Benedicti longè diſtabant*, vel, vt Codex Moſſiacenſis habet, *Secreta Columbani procul aberant, Inſtituta Benedicti longiùs diſtabant.* Hoc vocabulum, *longiùs*, manifeſtiſſimè probat illis temporibus Regulam S. Benedicti nondum in Monaſteriis S. Columbani ſuſceptam fuiſſe, ſiquidem à Diœceſi Cadurcenſi Regula S. Benedicti longiùs aberat quàm Regula Sancti Columbani. Deſiderius ad Epiſcopatum Cadurcenſem anno Chriſti ſexcenteſimo viceſimo-nono promotus eſt; ſecundo pòſt anno fundatum eſt in Diœceſi Lemouicenſi Monaſterium Solemniacenſe ſub Regula S. Columbani, nec vllum tunc è Cœnobiis Benedictinis fuiſſe credimus, quod ad fines Cadurcenſes propiùs accederet.

[a] Tom. 1. Biblioth. Labb.

[b] Ad an. 632. n. 6.

CVII.

Cùm autem nobis adeò perſuaſum ſit, in Monaſteriis, quæ S. Columbani diſciplinis addicta erant, Regulam S. Benedicti ſeptimo ſeculo non ſuſceptam fuiſſe, varia Diplomata, quibus Auctores Benedictini ſuam quoque tueri conantur opinionem, cenſemus interpolata. Non aliter locuti ſumus, cùm de illis agendum nobis fuit, indubitanter enim abraſimus nomen S. Benedicti, quotieſcumque illud cum nomine S. Columbani coniunctum reperimus, vbi quæſtio vertebatur de Regula, cui ſubiiciebatur Monaſterium à Sancto Columbano vel ab eius diſcipulis aut eorum ſucceſſoribus inſtitutum. Nec ſecus ſentiendum putamus de charta S. Eligij pro Sollemniaco & de charta S. Amandi pro Barriſiaco, quas Auctores Benedictini nuper è tenebris eruerunt, atque inter additiones & correctiones ſecundi Seculi Benedictini publicarunt.

CVIII.

Ionas de conditu Monaſterij Sollemniacenſis in vita S. Euſtaſij [c] ſic ſcribit. *Quammulti iam in amore Columbani & eius Regulæ Monaſteria conſtruunt, plebes adunant, gregem Chriſti congregant. Inter quos inluſter tunc vir Elegius, qui modò Virimandis Eccleſiæ Pontifex præeſt, iuxta Lemouicenſem vrbem Monaſterium nobile, Solemniacum nomine, conſtruxit ſupra fluuium Vicennam, diſtans à ſupradicta vrbe millibus quatuor.* Monaſticam igitur vitam ſecundùm Regulam S. Columbani duxerunt Aſcetæ Sollemniacenſes, interpolatáque eſt charta quâ Sanctus Eligius ſiue Elegius eos locupletaſſe dicitur, *eâ tamen conditione interpoſitâ, vt tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxouienſis Monaſterij* conſequerentur, *& Regulam beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani firmiter* tenerent, expungenda enim poſterior pars, quæ *Regulam beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani firmiter* ab eis teneri iubet. Hac emendatione præmiſſa genuinam Eligij chartam accipe, quam Tomo ſecundo inſerere poteris ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum, ſiue ad annum Dagoberti Magni Regis decimum, quo data eſt.

[c] Secul. 2. Benedict. ad an. 625.

CIX.

In nomine Patris, &c. *Ego Elegius ſeruus ſeruorum omnium Chriſti, dominæ ſacroſanctæ Eccleſiæ, quam in honore SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, Pancratij &*

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

*Dionyſij cum ſociis ſuis, Martini, Medardi, atque Germani Confeſſorum, in ſuburbio * Lemouicenſi, in terra & fundo agri Sollemniacenſis, Deo auctore, conſtruxi, vbi & auſpice Chriſto præeſſe dignoſcitur vir venerabilis Remaclus Abbas cum reliquis fratribus. Legumlatores de ſingulis quibuſque rebus quid humana fragilitas cuſtodiat, expreſſiùs decreuerunt; in ceſſionibus verò ſolam tantùm dixerunt profeſſionem ſufficere. Ideóque & ego ſupplex veſter conſiderans molem peccatorum meorum, vt merear ab ipſis erui & à Domino ſubleuari, cedo vobis parua pro magnis, terrena pro cæleſtibus, temporalia pro æternis. Ceſſum eſſe volo ac de meo iudicio in veſtro Dominio transfundo, hoc eſt, ſupradictum agrum Sollemniacenſem, qui mihi ex munificentia glorioſiſſimi & piiſſimi Domini Dagoberti Regis obuenit, cum ædificiis quæ in ipſo agro vel intra muros ſupradictæ ciuitatis eſſe noſcuntur, cum omnibus adiacentiis ſuis, cum manſionariis originariis, inquilinis ac ſeruis vel accolanis ibidem commorantibus, cum dominiis, vineis, pratis, paſcuis, ſiluis, arboribus pomiferis ſeu impomiferis, aquis aquarúmque ductibus, itibus & reditibus, cum ſpeciebus vel omnibus rebus mobilibus & immobilibus, cum omni termino & integro ſuo ſtatu, cum quadrupedibus omnibus & iumentis vel pecoribus, cum omni ſupellectili & præſidio inexquiſitæ domûs, ſicut à me nunc vſque poſſidetur, vel quidquid ad ipſum agrum pertinere videtur, vt ſuperiùs profeſſus ſum, meo exinde ſubtracto dominio veſtræ Dominationi de præſenti cedo perpetualiter in Dei nomine à vobis vel à veſtris ſucceſſoribus in iamdicto Monaſterio habitantibus poſſidendum, exceptis libertis meis, quibus * per chartulam vel denarium manumiſi, vt in ingenuitate integra maneant, & veſtram tuitionem aut defenſionem in omnibus habeant. Eâ tamen conditione interpoſitâ, vt vos vel ſucceſſores veſtri tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxouienſis Monaſterij conſequamini *. Et nullam poteſtatem nullúmque ius Epiſcopus vel qualibet alia perſona in præfato Monaſterio, neque in rebus, neque in perſonis, niſi tantùm glorioſiſſimus Princeps penitus ſit habiturus. Si quis (quod fieri non credo) contra hæc ceſſionis meæ munuſcula, quæ ceſſante vi, dolo, ſed propriâ voluntate & nullius cogentis imperio pro felicitate Regum, & animæ meæ remedio, & pro exoranda pace, & pro ſeruorum Dei quiete, omnipotenti obtuli Deo, venire, aut in aliquo refractor eſſe tentauerit, veniat ſuper eum ira Dei omnipotentis, & ſuperinferat fiſci iuribus auri libras decem & argenti pondo viginti, ſtante nihilominus perpetim huius ceſſionis meæ decreto. Te verò, clementiſſime Princeps, per Regem Regum exorare præſumo, qui omnia Regna ſuo pugillo conſtringit, vt hanc voluntatis meæ ceſſionem numquam patiaris in aliquo refragari. Simili modo te, beatiſſime Pater Remacle Abba, tuóſque ſucceſſores vel ſubiectos poſt te per indiuiduæ Trinitatis maieſtatem obteſtor, & per illam innumerabilem omnium SS. Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſt. Mart. & Confeſſ. cæteruam exoro, vt Regulam *, quam in ſæpè memorato Monaſterio Luxouienſe tenent, omni cuſtodiâ teneatis, & vigilias atque obſecrationes ad placandam iram furoris Domini aſſiduè impendatis. Quòd ſi aliquâ trepiditate faciente ſeu ſubiectorum tumore impediente, à te vel à ſucceſſoribus tuis ſæpè memorata Regula fuerit dempta, aut in aliquo prætermiſſa, & feruenter pro Dei timore à vobis non fuerit adimpleta, licentiam habeat Luxouienſis Abbas, qui tunc temporis fuerit, & ex quorum Regula tu nobis complacens in hoc Monaſterio aliis es prælatus, negligentem quem viderit ſeu Abbatem ſeu ſubiectum de hoc Monaſterio, quod conſtitui, benigno animo caſtigare, vt continuò correctus talis inueniatur, qui pro felicitate & gloria Principis, & abſolutione ſcelerum meorum, Domini indeſinenter valeat exorare miſericordiam. Sic tamen vt nulla diminutio in rebus vel facultate * ipſa præter quod habetur inſertum, à ſæpè memorato Principe, vllo vnquam tempore, inferatur. Et quia, vt ſuperiùs ſum pollicitus, munuſcula ipſa ex largitate Chriſtianiſſimi & piiſſimi Domini Dagoberti Regis videor habere & poſſidere, ideo vt perpetuum in Dei nomine ipſa ceſſionis meæ Epiſtola ſortiatur effectum, præfato Principi obtuli confirmanda. Cuius pietas de præſenti ſacratiſſimâ manu ſuâ roboratam promulgauit auctoritatem. In qua ceſſionis meæ chartula, ſtipulatione & ſponſione ſubnixa infrà manu propriâ ſubſcripſi, &*

* Id eſt, territorio.

* Quos.

* Secul. 2. Benedict. pag. 1091. Benedictini ſic legunt. *Conſequamini, & Regulam beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani firmiter teneatis.*

* Secul. 2 Benedict pag. 1092. Benedictini legunt *Regulam ſupradictorum Patrum*, cum alluſione ad præcedentem interpolationem, & *Regulam beatiſſimorum PP. Benedicti & Columbani firmiter teneatis.*

* *facultatula.*

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

*qui pro teſtimonio ſubſcriberent, de præſenti rogaui. Factâ ceſſione ſub decimo die Kalend. Decemb. anno decimo regni D. noſtri Dagoberti Regis feliciter. In Chriſti nomine Elegius ſeruus ſeruorum Dei ceſſione à me factâ Religioſis. In Dei nomine ego Adeodatus Epiſcopus rogante homine Dei, filio meo Domno Elegio, hanc ceſſionem ſubſcripſi. In Chriſti nomine Madegiſolus Epiſcopus ſubſcripſi. Chanoaldus Epiſc. rogatus ab Elegio hanc ceſſionis ſuæ chartulam ſubſcripſi. Maurinus Epiſc. rogatus ab Elegio hanc ceſſionis ſuæ chartulam ſubſcripſi. Deoremus * peccator, rogatus à ſupraſcripto, ſubſcripſi. Salapius peccator rogatus à ſupraſcripto, ſubſcripſi. In Chriſti nomine Lupus acſi indignus Epiſcopus rogatus hanc Epiſtolam ſubſcripſi. Hildegarius peccator ſubſcripſi. Arogectualis Elegio pro teſtimonio ſubſcripſi. Gundoenus ſubſ. Chramnoaldus, Agorichius, Childerannio ſeu Baſo rogatus à ſupradicto fratre meo Elegio ſubſcripſi. Anſoaldus ſubſcripſi. Dado rogatus à ſupraſcripto. Rado rogatus à ſupraſcripto. Prodobertus ſubſcripſi. Baſo. Bobo. Vincentius minimus omnium Leuitarum Chriſti rogatus à filio Elegio hanc ceſſionis chartam ſcripſi & ſubſcripſi.* De ſubſcriptionibus Epiſcoporum in hac charta nominatorum egimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum-primum [a], ſi Deoremum ſeu Deotemium excipias, cuius nomen in Gallia Chriſtiana Robertus omiſit, vbi recenſuit Epiſcopos, qui fundationem Sollemniacenſis Monaſterij ſuâ ſubſcriptione communierunt.

* Deotemius.

[a] Num. 19.

CX. Charta Sancti Amandi pro Bariſiaco data eſt Lauduni decimo-octauo Kalendas Septembris, anno Childerici Regis quinto, id eſt, anno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo-quarto. Lucem non modicam affert iis, quæ Tomo ſuperiore dicta ſunt de donatione Bariſiaci, quam Childericus Rex, & Hymnechildis Regina, Sigiberti Tertij Regis quondam vxor, Amando fecerunt; déque primordiis Monaſterij, quod Amandus illic erexit; necnon de Andrea Abbate, qui regimen iſtius Cœnobij primus ſuſcepit. Næuo tamen non caret, in eam enim Sancti Benedicti nomen irrepſit, & Aſcetæ Bariſiacenſes, quibus, vt & Elnonenſibus, Amandus Sancti Columbani Regulam impoſuit, in vulgato exemplari *ſub Regula Domni Benedicti ſeu Domni Columbani* vixiſſe perhibentur. Expuncto igitur S. Benedicti nomine, chartam ipſam accipe, quam priori Tomo ad annum Chriſti ſexcenteſimum ſexageſimum-quartum inſeras.

CXI. *Cùm præſentium rerum ſtatus celeri curſu noſcitur dilabi ad ruinam, & tantummodo æternis comperimus ſedibus permanere quæ in alimoniam ſeruorum Dei vel peregrinorum conferimus, hortante nos ac monente Scripturâ diuinâ dicente.* [*Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.*] *Et alibi iubemur condere theſauros in cælo, vbi fur non appropiat. Proinde ego Amandus miſerrimus & peccator pro remedio animæ meæ vel retributionis vitæ æternæ, ea, quæ mihi à Deo, vel ex munificentia Regum, Domni Hilderici Regis, necnon & præcelſæ Dominæ Imnechildis Reginæ, per eorum Præceptionem mihi fuerunt collata; hoc eſt, villam nuncupatam Barriſiaco, in pago Laudunenſi ſitam, vbi Cænobium in loco cognominato Fauerolas in honore S. Petri & Pauli Apoſtoli, vel reliquorum Dominorum, ſub Regula * Domni Columbani conſtruere inchoauimus, vbi virum venerabilem Andream Abbatem præfecimus, & ipſo loco vel villâ ſuperiùs nominatâ Barriſiaco cum omni integritate, vel adiacentia ad ſe pertinentia dedimus ad ædificandum; necnon & locella nuncupata Iucinciniaco, quæ vir illuſtris Fulcoaldus Dux per ſuam Epiſtolam cum iure & ſoliditate ſua nobis pro animæ ſuæ remedio contulit, ſeu & manſum qui eſt infra muros ciuitatis Laudunenſis, quem vir venerabilis Conſinus Archidiaconus nobis per chartulam donationis noſcitur delegaſſe: necnon & vineam in fine Criſpiacenſe cum vinitore, nomine Wilberone, nobis vir illuſtris Chedenoaldus quondam dedit: ſeu & terram, quam antedictus Chedenoaldus, necnon & illuſtris vir Vulſmarus ſuper fluuio Seſmereia ad Monaſterium ædificandum imprimitus dederunt. Hæc omnia ſuperiùs nominata, à die præſente, ipſius Abbatis ſuâ ditione ibidem conſiſtente, tradidimus atque transfudimus, itaut ab hac die ipſum Monaſterium ſeu villa ſæpè nominata Barriſiacum,*

* Secul. 2. Benedict. pag. 1094. Benedictini legunt, *ſub Regula Domni Benedicti ſeu Domni Columbani.*

AN. CH. 734. THEODOR. IV. R. 14.

cum integritate vel adiacentiis ſuis ſeu & locellis ſuperiùs conſcriptis cum omni ſolidate eorum, vt ſuperiùs diximus, id eſt, domibus, ædificiis, curciſcris, accolis, campis, vineis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, habeat, teneat, poſſideat, ſuíſque ſucceſſoribus, auxiliante Domino, in perpetuum poſſidendum derelinquat. Si quis verò, vel quælibet oppoſita perſona (quod fieri non credimus) contra hanc chartulam deliberationis, quam ego ſpontaneâ voluntate meâ fieri rogaui, irrumpere aut attentare voluerit, imprimitus iram diuinitatis incurrat, & ab omnibus liminibus Sanctorum excommunicatus appareat, & inſuper inferat vobis cum ſocio fiſco auri libras X. *argenti pondera* XX. *& coactus exſoluat: & nihilominus præſens chartula deliberationis omni tempore firma permaneat. Et vt circa nos chartula firmiorem obtineret vigorem, manûs noſtræ ſubſcriptione ſubter eam ſubſcripſimus. Actum Lauduno ciuitate,* XVIII. *Kal. Septemb. anno* V. *regni Domni noſtri glorioſiſſimi Regis. In Chriſti nomine ego Radebertus Diaconus meâ manu hanc chartulam deliberationis, rogante Domno Amando, ſcripſi & ſubſcripſi, notaui diem & tempora. Ego Amandus peccator hanc Epiſtolam à me factam ſubſcripſi, & eos, qui ſubſcribant, rogo. In Chriſti nomine Attola acſi peccator Epiſcopus ſubſcripſi. Ego Paulus Presbyter ſ. Bertuinus ſ. Vaſuinus Diaconus ſ. Altecharius Presbyter ſ. Irminus ſ. Erimbertus ſ. Cleoaldus, quod manu Domni Amandi conſcriptum vidi, ſubſcripſi. Dado ſ. Martinus Diaconus ſubſcripſi.*

CXII. Qui ſubſcripſit Attola Epiſcopus, is Laudunenſem Epiſcopatum anno Chriſti ſexcenteſimo triceſimo-ſecundo regere cœpit, & in viuis adhuc ſuperſtes erat anno Chriſti ſexcenteſimo ſeptuageſimo-primo, vt ſuperioribus Tomis probauimus. Ei ſucceſſerunt in Epiſcopatum Vinfridus, Peregrinus, Gerardus, tum Serulfus, cuius meminimus ad annum Chriſti ſexcenteſimum octogeſimum-ſeptimum, & Maldagarius qui nominatur in vita Sanctæ Anſtrudis ſiue Auſtrudis, & à nobis ad annum Chriſti ſeptingenteſimum primum memoratus eſt. In vulgatis Indicibus, vt ad illum annum diximus, ſequuntur, Sigoaldus, Bertifridus, Madelanus ſeu Magdelamnus. At Omotario locus poſt Maldagarium tribuendus videtur. Anonymus enim, qui Sanctæ Salabergæ vitam literis commendauit Anſtrude Abbatiſsâ eius filiâ nondum mortuâ, lucubrationem ſuam prædictis Omotario & Anſtrudi necnon Salabergæ Moniali ſic dedicauit. *Domino eximio in Infulis Sacerdotalibus honore decorato religionis, cui copia fuit, Omotario Papæ, necnon & Sacerdoti, caſtiſſimæ Chriſti Virgini Anſtrudi Abbatiſſæ, & Salabergæ.* Imus facilè in opinionem Ioannis Mabilloni, qui Papam hoc loco Epiſcopum interpretatur, ſed ei non poſſumus adſtipulari, cùm Anſtrudem circa annum Domini ſexcenteſimum duodenonageſimum obiiſſe tradit. Catalogo enim Laudunenſium Epiſcoporum accuratè examinato, tutior eſt ſententia Lucæ Dacherij, qui, in additamentis ad opera Guiberti Abbatis illuſtranda, eandem Anſtrudem, quacum Maldagarius Epiſcopus temporibus Pippini Heriſtallij litem [a] habuit, *anno Chriſti circiter* DCCVII in cælum migraſſe teſtatur.

[a] Vit. S. Anſtrudis, Secul. 2. Benedict. ad an. 688.

Digitized by Google

ANNVS CHRISTI 735. THEODORICI IV. R. 15.

I. EVDO DVX AQVITANIÆ MORITVR.

ANNO Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quinto, Eudo ſiue Eodo Dux Aquitaniæ mortuus eſt. Eo nuncio accepto, Carolus Maior-domûs trans Ligerim profectus eſt cum exercitu. Bellum illud ita deſcribit Anonymus, qui Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi Comitis conſcripſit. *In illis diebus Eudo Dux mortuus eſt. Hæc audiens præfatus Princeps Carolus, inito conſilio Procerum ſuorum, denuò Ligerem fluuium tranſiit, vſque Garumnam, vel vrbem Burdegalenſem, vel caſtrum Blauium veniens, occupauit, illámque regionem cepit ac ſubiugauit, cum vrbibus ac ſuburbano caſtrorum. Victor cum pace remeauit, opitulante Chriſto Rege Regum, & Domino dominorum.* Hic Auctor illo loco maximam ſibi conciliat auctoritatem, quia, vt ſupputat, hoc ipſo ſcripſit anno, vel, vt ſupputamus, initio ſubſequentis, vt ad illum annum probabimus. Annaliſta Metenſis eadem refert, additione, quæ ad Hunaldum Eudonis filium ſpectat, adiunctâ. *Anno*, inquit, *ab Incarnatione Domini* DCCXXXV. *Eudo Dux mortuus eſt. Quod cùm audiſſet inuictus Princeps Karolus, adunato exercitu, Ligerem fluuium tranſiit, & vſque Garonnam, & vrbem Burdegalenſem & caſtra Blania* * *occupauit. Illámque regionem cepit & ſubiugauit cum vrbibus & ſuburbanis earum. Ducatúmque illum ſolitâ pietate Hunaldo filio Eodonis dedit, qui ſibi & filiis ſuis Pippino & Karlomanno fidem promiſit.* Inde corrige Reginonem ad hunc annum, quem viceſimum Carolinæ Præfecturæ vocat, ita ſcribentem. *Carolus anno* XX *Regni ſui, iterum cum valida manu Vaſconiam ingreſſus eſt, & Eudonem Regno ſimul & vitâ priuauit.* Vt Caroli Maioratum, ſic Eudonis Ducatum ſeu Præfecturam, Regnum impropriè appellat. Totius autem negotij ſeries, vt in Hiſtoria Francorum & in Annalibus Metenſibus deſcribitur, multò probabilior eſt. Carolus enim, auditâ Eudonis morte, in Vaſconiam cum exercitu profectus videtur, eo tantùm conſilio, vt ab illius filiis aliquid obſequij tanquam Maior-domûs atque in altiori gradu conſtitutus exigeret. Nec aliò vergit Annaliſta Fuldenſis. Licèt enim hoc loco Chronologiam ſeptem annis anteuertat, Caroli Maioris-domûs in Aquitaniam profectioni mortem Eudonis Ducis ſic præmittit [a]. *Eudo Dux moritur, & Carlus Aquitaniæ prouinciam abſque bello recepit.* Quicquid autem hic Auctor ſcribat, Eudonis filij ægerrimè tulerunt duriores ſibi quàm patri leges imponi, nec Carolo ſponte & abſque bello ſe ſummiſerunt. Nam *Karlus*, ſi Chronico San-Dionyſiano fidem habemus, *cum exercitu fuit in Waſconia*, imò, teſte Annaliſta Tiliano, *Karolus cum exercitu pugnauit in Waſconia.* Ceterùm apud illos Auctores Waſconiam ſtrictè pro Nouempopulania noli ſumere, ſed latiori Waſconiæ acceptione, vt alibi notauimus, Aquitaniam intellige.

* Blaye.

HVNALDVS EIVS FILIVS PACISCITVR CVM CAROLO.

[a] Ad an. 718.

II. HATTO HVNALDI FRATER.

Ex Annaliſta Metenſi colligimus duos Eudoni filios fuiſſe, Hunaldum videlicet & Hattonem, qui conſederint in Gallia. De Hunaldo iam dictum, qui poſt patrem Dux ſeu Præfectus Aquitaniæ fuit. De Hattone ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-quartum ſic idem Auctor. *Hunaldus Dux germanum ſuum, nomine Hattonem, per falſa ſacramenta decipiens, de Pictauis ad ſe venire iuſſit.* Hiſpani [b], omiſſo Hattone, ſubſtituunt Vaifarum, qui non filius Eudonis, ſed eius nepos ex Hunaldo filio fuit, vt dicemus inferiùs. Addunt & tertium Eudonis filium, nomine Aznarium, qui, iuxta illorum narrationem, *in Hiſpaniæ partem illam profectus, quæ Vaſconibus finitima erat, Iaccam vrbem, multas præterea arces & oppida Mauris eri-*

[b] Marian. l. 7. cap. 4.

AN. CH. 735. THEODOR. IV. R. 15.

puit, Aragoniæ Comitem ſe dixit, atque inde *Aragonum Regni & gentis parens & conditor* extitit. Sed hæc abſque vllo vetere monumento proferuntur, nec Aragonici Comitatûs Regníque origines ad noſtros Annales pertinent.

III. PERMVTATIO MANCIPIORVM INTER EPISCOPOS COLONIENSEM ET VLTRAIECTINVM.

Ranginfredus Colonienſis Epiſcopus hoc anno quædam mancipia cum Willibrordo Vltraiectino Pontifice commutauit, vt ex Archiuis refert Chriſtophorus Browerus, & ex Chriſtophoro Browero Ægidius Gelenius libro tertio [a] de Coloniæ Agrippinenſis magnitudine.

[a] Syntagm. 7. §. 4. n. 1.

IV. EPISCOPI LEONENSES.

Hoc anno vitam clauſit Omeneſius Leonenſis Epiſcopus in Armorica, cùm Diœceſim per annos triginta-quatuor rexiſſet. Succeſſit Guyomarkus, hic annos duodequinquaginta ſedit, vt Auctor Armoricæ Sanctæ in Leonenſium Epiſcoporum Catalogo teſtatur.

V. ABBATES S. EMMERAMMI.

Hoc eodem anno migrauit ex hac vita Sandradus Abbas, cùm S. Emmerammi Monaſterio per annos viginti-quinque, menſes ſeptem, dies viginti-ſex apud Ratiſbonam præfuiſſet. Succeſſit in Cœnobij præfecturam Alaboldus. Lege Tomum ſecundum Metropolis Saliſburgenſis, ibi enim Catalogus texitur Abbatum, qui prædictum Cœnobium adminiſtrarunt.

VI. BONIFACIVS IT IN BOIOARIAM. HEREMWLFAM SCHISMATICVM DAMNAT.

Iiſdem temporibus, Bonifacius Archiepiſcopus, cùm apud Friteſlariam & Amanaburgum Eccleſias ac Monaſteria conſtruxiſſet, *Bauarorum, temporibus Hugoberti Ducis, adiit terras, prædicationíſque ſtudium apud eos diligentiſſimè exercuit, & multas conſiderando circuit Eccleſias, tantóque diuina fortitudinis zelo armatus eſt, quòd quendam ſchiſmaticum hæreticâ prauitate deceptum, nomine Heremwlfum, iuxta Canonum decreta, damnauit atque abiecit, & populum à peruerſa ſectæ eius idololatria correxit, & ad fratres ſuæ Diœceſis conſtitutâ gubernationis causâ rurſus migrauit, iuxta illud Apoſtoli; cupiditatem habens veniendi ad fratres.* Hæc Willibaldus, cui conſentiunt, Othlonus, Velſerus aliíque recentiores. Porrò Bonifacius Diœceſim ſuam appellabat prouincias, quarum incolis adhuc idololatris Euangelium auctoritate Apoſtolicâ prædicarat.

VII. SVPER COGNATIONE SPIRITVALI ORTA EX BAPTISMO CONSVLIT

Tunc eundem Bonifacium grauiter angebat quoddam dubium in cognatione ſpirituali, ſcriptíſque ad Nothelmum Archiepiſcopum Dorouernienſem, ad Pecthelmum Epiſcopum Candidæ Caſæ, & ad Duddonem Abbatem epiſtolis, conſilium auxiliúmque in ea quæſtione flagitauit. Literæ ad Nothelmum datæ videntur, vbi primùm Bonifacius illum in Archiepiſcopali Sede collocatum accepit, id eſt, hoc anno, ad quem ſic epitome Hiſtoriæ Anglorum, poſt Bedam edi ſolita. *Anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo triceſimo-quinto Nothelmus Archiepiſcopus ordinatur.* Alias ad Pecthelmum & ad Duddonem epiſtolas iiſdem circiter temporiqus datas facilè credimus. Singularum fragmenta recitabimus, vt & intelligas in qua re dubium illud verſaretur, & Bonifacij modeſtiam humilitatémque magis admireris, qui ſuam ignorantiam profeſſus eſt, docerique cupiit, quid Patres, quid Concilia, quid ſuper ea re Summi Pontifices decreuiſſent.

VIII. NOTHELMVM ARCHIEPISCOPVM DOROVERNIENSEM,

De vno peccato commiſſo, inquit Bonifacius in literis [b] ad Nothelmum, *veſtrum conſilium audire deſidero, quod cuidam homini, in matrimonio concedendo, neſciens commiſi, quod hoc modo contigit. Homo quidam, ſicut multi ſolent, alterius filium de ſacro Baptiſmatis fonte eleuans adoptauit ſibi in filium, cuius matrem poſteà viduatam duxit vxorem, quod Romani peccatum eſſe aſſerunt, & capitale peccatum, itaut in talibus diuortia facere præcipiant, & affirmant, regnantibus Chriſtianis Imperatoribus, illius matrimonij ſcelus capitali ſententiâ multandum, vel peregrinatione perpetuâ delendum. Vt ſi hoc in Catholicorum Patrum Decretis vel Canonibus, vel etiam in ſacro eloquio * pro tam magno peccato computatum eſſe inueneritis, indicari mihi curetis, cuius authoritas * ſit in illo iudicio. Quia nullatenus intelligere poſſum, quare in vno loco ſpiritualis propinquitas, in coniunctione carnalis * copulæ, tam grande peccatum ſit, quando omnes*

[b] Ep. 15.

* elogio.
* authoritatis.
* carnali.
grande peccatum

Digitized by Google

in ſacro Baptiſmate Chriſti & Eccleſiæ filij & filiæ, fratres & ſorores eſſe comprobemur. AN. CH. 735.

Et in literis [a] ad Pecthelmum. *De vna quoque re veſtrum conſilium & reſponſum audire deſideramus. Affirmant Sacerdotes per totam Franciam & Gallias, necnon & Romani, maximi criminis reum eſſe hominem, qui in matrimonium acciperet illam viduam, cuius antè filium in Baptiſmo adoptiuum ſuſcipiebat. Quod peccati genus, ſi verum eſt, hactenus ignorabam, & nec in antiquis Canonibus, nec in Decretis Pontificum, Patres, nec in calculo peccatorum, Apoſtolos vſquam enumeraſſe cognoui.* THEODOR. IV, R. 15. IX.

[a] Ep. 11. PECTHELMUM EPISCOPUM CANDIDÆ CASÆ,

Denique in literis [b] ad Duddonem. *Quidquid tibi filius meus Eoba Presbyter gerulus literarum mearum verbo indicauerit de matrimonio commatrum, quarum filios ſuſcepimus in Baptiſmo, in ſcripturis quære, vnde indicetur capitale peccatum eſſe apud Romanos. Et, ſi alicubi in Scripturis Eccleſiaſticis de hoc peccato diſputatum aliquid repereris, mihi manifeſtare non dubites.* X.

[b] Ep. 12. ET DVDDONEM ABBATEM.

Quid Nothelmus, quid Pecthelmus, quid Duddo reſponderit, nos latet. Serarius Bonifacium excuſat, quòd ea de re dubitarit, de qua nec à quoquam hodie dubitatur, nec ab ipſomet Bonifacio dubitatum eſſet, ſi volumina, quæ pertinent ad ius Canonicum, ſeriúſque collecta ſunt, præ manibus habuiſſet, vt hodie collecta reperiuntur. *Solet*, inquit, *inter iſtum*, id eſt, inter ſuſceptorem, *& eum qui baptizatur, eiúſque parentes ambos, cognatio exiſtere ſpiritalis, quæ Eccleſiaſticâ lege matrimonium inter hos, quos dixi omnes, contrahendum quidem impedit, contractum verò dirimit, vt multi tum Canones, tum Capitula in Iure docent Canonico apud Gratianum c. 30. q. 1. & 3. & in Decretalibus ac Sexto de cognatione ſpiritali. Ac verò eiuſmodi vinculi maximam à Romanis iam olim Pontificibus Iulio & Cæleſtino, variiſque Conciliis habitam rationem teſtis eſt Deuſdedit Pontifex epiſtolâ ad Gordianum Epiſc. Hiſp. Si verò ea Canonum volumina, is ordo, eáque ſeries, quæ nunc eſt, S. Bonifacij tempore fuiſſet, nunquam iſta de quæſtione adeò dubitaſſet.* Citat & Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 24. *c.* 2. In illo capite, perſonæ, inter quas ſolas contrahitur cognatio ſpiritualis orta ex Baptiſmo, ſic determinantur. *Vnus tantùm ſiue vir ſiue fœmina, iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum vnus & vna, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant; inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem & matrem, necnon inter baptizantem & baptizatum, baptizatíque patrem ac matrem tantùm, ſpiritualis cognatio contrahatur.* Dubium igitur, quod Bonifacium adeò torquebat, hodie nullum eſt apud Catholicos. At non liquet ante ætatem Bonifacij conditos in Conciliis Canones ſcriptáſue à Romanis Pontificibus epiſtolas, quibus ſupradictum dubium ſolueretur. Nam ſcripta Summorum Pontificum & ſtatuta Synodorum, quæ Serarius allegauit, ipſo Bonifacio recentiora ſunt aut ſuppoſititia, vel ad ſoluendum Bonifacij dubium nullomodo pertinent. Ea conſule. Atque inde Bonifacium magis excuſatione dignum arbitrare, quòd in Britannia natus atque edoctus, in quodam caſu, de quo nihil in antiquioribus cùm ſtatutis Conciliorum tum ſcriptis Summorum Pontificum legiſſe potuerat, à Romanis necnon à Francis & Gallis, id eſt, à Francis, cùm Orientalibus tum Occidentalibus, diſſenſerit, licitúmque tunc exiſtimarit, quod illi cenſebant illicitum. Simúlque lauda ſingularem illius in quærenda dubij ſolutione ſedulitatem, & animi magnoperè imitandam demiſſionem, dum non Epiſcopos tantùm, ſed & Duddonem Abbatem, ſuum quondam diſcipulum, conſuluit, atque inſuper non argumento ac rationi dubitandi, quam habebat, mordicus adhæſit, ſed Patrum Eccleſiæque Decretis obedienter acquieſcere maluit. XI.

Apud Bollandum, quarto Nonas Februarias, & in Appendice ad illum diem, multa in vita Sanctæ Hadelogæ Virginis enarrantur, quæ correctione indigent. Pauca tantùm hîc delibabimus emendabimúſque, cetera ſuis locis examinaturi. XII.

Digitized by Google

AN. CH. 735. THEODOR. IV. R. 15.

XIII. Hadeloga patre Carolo Maiore-domûs & matre Rotrude nata eſt. Auctor vitæ patrem Carolum vocat, ſed matri nomen Kunehildis tribuit. *Erat*, inquit, *filia Karoli*, ... *& mater eius Kunehildis vocabatur*. Carolus bis vxorem duxit; primò Rotrudem, cuius obitum Annales Nazariani & Petauiani anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto conſignant; deinde Suanihildem ſeu Sonechildem vel Sonichildem aut Sonihildem, quæ marito ſuperſtes diu vixit. Ad Sonihildem potiùs quàm ad Rotrudem accedit Kunehildis. Si præcitatus Auctor Sonihildem per Kunehildem intellexit, non expers eſt erroris, quoniam Hadeloga, quæ Carolum parentem ſuum amiſit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo, multis ante illius obitum annis inſtituta eſt Monaſterij Kiczingenſis à ſe fundati prima Abbatiſſa. Idem Auctor Carolum Hadelogæ patrem agnoſcit, ſed eundem Carolum facit filium *Pippini Regis*, *patris S. Gertrudis Virginis*. Duplex hîc mendum. Nam Pippinus Herſtallius, Caroli pater, auus Hadelogæ, qui diſceſſit è viuis anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quarto, Monarchiam Francorum tunc obtinente Dagoberto Tertio, Regium Titulum nunquam geſſit, & quicquid plerique Neotericorum ſcribant, filiam non habuit, nomine Gertrudem. Vita Sanctæ Gertrudis Abbatiſſæ Niuigellenſis, cui pater fuit Pippinus Landenſis, auus maternus Heriſtallij, fabulis aucta reperitur, quibus moderni Scriptores adeò delectati ſunt, vt, cùm eas Pippini Landenſis temporibus accommodare non poſſent, ad Herſtallium referendas duxerint, ideóque ex vna Gertrude, quæ Pippini Landenſis filia fuit, fecerint duas; quarum Senior patrem habuerit Pippinum Landenſem, & Monaſterium Niuigellenſe rexerit; Iunior verò, cui commenta, vitæ Senioris inſerta, conueniant, patre nata ſit Pippino Herſtallio. De fictitia hac Gertrude, Tomo ſequenti, rurſum diſputabimus, cùm ſermonem inſtituemus de cultu, qui Sanctæ Gertrudi in Franconia exhibetur. Hæc de parentibus Hadelogæ ſufficiant. Nec te moueat, quòd nulla eius mentio fiat in Genealogia Caroli. *Nam neque aliorum plurimorum Ducum aut Regum*, vt rectè Bollandus obſeruat, *filiæ memorantur*, *præſertim quæ in remoto aliquo Cœnobio vitam egerunt*.

Hadeloga Caroli et Rotrudis filia.

XIV. Hieronymus *Dungersheim* de *Ochſenfurt*, Theologiæ Profeſſor, & Collegij maioris Studij Lipſienſis Collega, ſub initium ſeculi à Chriſto nato decimi-ſexti, prolixum Sanctæ Scholaſticæ encomium ſcripſit, atque ad Henricum Abbatem Cœnobij Sancti Petri iuxta Merſſeburgum Miſniæ vrbem ſiti tranſmiſit. In illa lucubratione [a] Hadelogam, quam vocat Adaloiam, inter illuſtres imitatrices Sanctæ Scholaſticæ ſic commendat. *Fuit beata Virgo Adaloia Abbatiſſa prima Monaſterij Kitzingenſis in Francia Orientali in Diœceſi Herbipolenſi cis Moganum ſiti*, *qui locus per eam in prædiis & perſonis breui adeò auctus eſt*, *vt inter prima Germaniæ Monaſteria haberetur. Erat autem*, *vt de ea ſcriptum eſt*, *valdè ſpecioſa & virtuoſa nimis*, *Deo & hominibus multùm amabilis*, *ac poſthabitis Regibus ac Regum filiis ex Britannia*, *Pannonia*, *Graciáque*, *pro ea inſtantibus*, *Chriſto ſe totam deuouerat*, *patre ipſius Carolo Rege Francorum*, *quamuis primò plurimùm indignante*, *poſt tamen per viſionem commonito*, *eidem ſatis cooperante*, *magnam nedum Virginum*, *vt tactum eſt*, *verùm & Clericorum diuina ipſis facientium*, *multitudinem in Monaſterio præfato inſtituit.* Hic Auctor videtur epitomen egiſſe vitæ priùs ab Anonymo conſcriptæ, quam Ioannes Bollandus [b] publici iuris fecit, duobus exemplaribus in Bodecenſi Monaſterio Paderbornenſis Diœceſeos repertis. Vt Anonymus, ſic & Dungersheimius Carolum Francorum Regem perperam dicit. Deinde multa commemorantur apud Anonymum, quæ nullam prorſus fidem merentur, & à Dungersheimio prudenter omiſſa ſunt.

[a] Ap. Bolland. d. 10. Febr.

[b] D. 2. Febr.

XV. Hadeloga Caroli & Rotrudis filia, in Auſtraſia, quod extra controuerſiam videtur, nata eſt atque educata, fortè, vt Bruſchius ſcribit, in Cygnæo * monte, qui abeſt à Kitzingo vnum duntaxat milliare. Matrem

* Schwanberg.

Digitized by Google

amiſit anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-quinto nuptiis adhuc imma- AN. CH. 735. THEODOR. IV. R. 15.
tura. Grandior facta procos ſpreuit, coniugium reſpuit, ſéque Chriſto ſponſam deuouit. Pater conſilium filiæ ſibi plurimùm diſplicere non diſſimulauit, illam tamen cum Clerico nec ſuſpicatus eſt fornicari, nec eiecit è domo ſua. Per viſionem pòſt admonitus, cùm inſignem in Hadeloga patientiam iam miraretur, animum mutauit, & liberam erigendi Monaſterij facultatem ei permiſit, ſi puellarum cœtum congregare vellet, opes quoque non modicas in id operis lubentiſſimè contulit. Electus ad dexteram Mœni ripam locus, cui nomen Kitzingum à Kiczio ſeu Kuccingo paſtore inditum volunt. Ibi iacta ſunt hoc circiter anno fundamenta Monaſterij, quod non Hadeloga modò, ſed & eius pater Carolus, ac fratres Carolomannus & Pippinus munificentiſſimè locupletarunt, & Bonifacius Archiepiſcopus ad ſanctitatem egregiis ſtatutis conſtantíque diſciplinâ conformauit.

ANNVENTE PATRE MONASTERIVM KITZINGI AD MOENVM CONSTRVIT.

XVI. *Creſcebat locus ille, & ditatus eſt nimis, itaut multæ Virgines Deo conſecratæ eſſent in eodem Monaſterio, ſed & Congregatio religioſorum Clericorum non modica canonicè viuentium deſeruiret ibi Deo, & S. Mariæ, ſacríſque Virginibus cum illo conſtitutis.* Hæc Anonymus in vita ſanctæ Hadelogæ. Eundem autem textum plurimùm illuſtrabit Rudolphus Rabani diſcipulus, qui ſanctæ Liobæ Virginis & Abbatiſſæ vitam à Winbrunnenſis Monaſterij deſcriptione ſic auſpicatus eſt [a]. *In Britannia Inſula, quam natio Anglorum inhabitat, locus quidam antiquo gentis illius vocabulo Winbrunno vocatur, quod Latinè interpretatum Vini fons dici poteſt. Qui propter nimiam claritatem & ſaporem eximium, quo ceteris terræ illius aquis præſtare videbatur, hoc nomen accepit. In quo duo Monaſteria antiquitus à Regibus gentis illius conſtructa ſunt, muris altis & firmis circumdata, & omni ſufficientiâ ſumptuum rationabili diſpoſitione procurata, vnum ſcilicet Clericorum, & alterum fœminarum. Quorum ab initio fundationis ſuæ vtrumque eâ lege diſciplinæ ordinatum eſt, vt neutrum eorum diſpar ſexus ingrederetur. Nunquam enim virorum Congregationem fœmina, aut Virginum contubernia quiſquam virorum intrare permittebatur, exceptis ſolummodo Presbyteris, qui in Eccleſias earum ad agenda Miſſarum officia tantùm ingredi ſolebant, & conſummatâ ſolenniter oratione, ſtatim ad ſua redire. Fœminarum verò, quæcumque ſeculo renuncians, earum collegio ſociari volebat, nunquam exitura intrabat, niſi cauſa rationabilis vel magnæ cuiuſlibet vtilitatis exiſtens, eam cum conſilio emitteret. Porrò ipſa Congregationis Mater, quando aliquid exteriorum pro vtilitate Monaſterij ordinare vel mandare neceſſe erat, per feneſtram loquebatur, & inde decernebat, quæcunque ordinanda aut mandanda vtilitatis ratio exigebat. Huic ergo loco, poſt nonnullas Abbatiſſas & ſpiritales Matres, prælata eſt Virgo religioſa, nomine Tetta, generis quidem ſecundùm ſeculi dignitatem nobilis (ſoror quippe Regis erat) morum autem probitate & ſanctarum ſpectamine virtutum multò nobilior, quæ vtrumque Monaſterium magnâ diſcretionis arte regebat.* Obſeruat Bollandus in notis ad vitam Sanctæ Hadelogæ, multa huiuſcemodi Monaſteria in Anglia fuiſſe, quæ non erant alicui Abbati ſubiecta, ſed Abbatiſſam habebant præſidem, cui religioſi Preſbyteri, qui Sacra adminiſtrabant Virginibus, obtemperabant. Tale quoque fuit in Orientali Francia, quod Hadeloga Monaſterium apud Kitzingum ad Mœnum erexit, conſulto priùs, vt exiſtimare licet, Bonifacio Archiepiſcopo, qui pleraque puellarum Cœnobia in Germania inſtar Anglicanorum extruenda regendáque curauit, Abbatiſſis etiam, quæ curam illorum ſuſciperent, è Britannia, vt inferiùs patebit, euocatis.

[a] Ap. Sur. d. 28. Sept.

Indicem igitur Abbatum Kitzingenſium à nobis ne poſtules, Abbatiſſarum Catalogum Bruſchius in Chronologia Monaſteriorum Germaniæ contexuit. XVII.

In ipſo exordio difficultas non leuis oboritur. Prima controuertitur Abbatiſſa. Hæc aliis Hadeloga eſt, aliis Tecla. Locum quæſtioni dedit Othlonus, qui de Bonifacio ſic loquitur apud Caniſium [b] & Serarium [c]. *Teclam verò iuxta fluuium Moin, in locis Kilhingen & Ochſnofrutt nuncupatis, collocauit.* Et apud Surium [d], ſic. *Teclam apud Moganum fluuium Kiſſingæ & Ochnofurti*

FIT PRIMA ABBATISSA.

[b] Tom. 4. antiq. lect.
[c] Lib. 5. r r. Mogunt.
[d] d. 5. Iun.

Digitized by Google

AN. CH. 735. THEODOR. IV. R. 15. *voluit manere*. Kitzingum ab Ochnofurto non procul diſtat, vt Hadeloga Kitzingi, ſic Ochnofurti Tecla fuit Abbatiſſa. Vtraque eodem vixit tempore. Tecla, quæ Ochnofurti non procul Kitzingo degebat, illuc quandoque ventitabat, vt Hadelogam piis ſermonibus informaret, ac Monaſterij ordinem & diſciplinam luſtraret, vnde factum, vt Othlonus vnam Teclam vtrique Cœnobio, Kitzingenſi & Ochnofurtano, præfuiſſe crediderit. Agemus infrà de Teclæ aduentu in Germaniam, nondum enim exierat è Britannia, cùm Hadeloga Kitzingenſis Monaſterij fundamenta poſuit.

736. THEODOR. IV. R. 16.

ANNVS CHRISTI 736.
THEODORICI IV. R. 16.

I. ANNVS Chriſti ſeptingenteſimus triceſimus-ſextus biſextilis fuit, prædituſque Dominicalibus literis A & G, illâ ante intercalationem biſexti, hac poſt intercalationem. Kalendæ igitur Ianuariæ, quæ hunc annum iuxta noſtram computationem aperuerunt, inciderunt in diem Dominicum. In Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis conſcripta, quoniam Auctor annum à Paſcha exorditur, prædictæ Kalendæ ad annum præcedentem pertinent. Hic Scriptor, cuius operâ ſæpè in hoc Tomo vſi ſumus, lucubrationem ſuam iiſdem Kalendis terminauit [a]. Bello enim Aquitanico, quod, vt anno priori dictum eſt, Eudonis Ducis mortem excepit, enarrato, varios Characteres Chronologicos, vt in operum ſuorum fine plerique Chronographi præſtiterunt, ſtatim ſubiecit, annorúmque ſummam ab Adam vel initio ſeculi vſque ad diluuium, à diluuio vſque ad Abraham, ab Abraham vſque ad Moyſen, à Moyſe vſque ad Salomonem, à Salomone vſque ad reædificationem Templi temporibus Darij Regis Perſarum, à Templi reſtauratione vſque ad Aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, item ab initio mundi vſque ad Paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & à Paſſione Domini vſque ad annum in Cyclo Victoris ſeu Victorij tunc currentem, necnon à Dominica Incarnatione ad prædictas quoque Kalendas collegit. Characteres, quos à Cyclo Victorij & ab Incarnatione Dominica deſumpſit, hic examinabimus, omiſſis ceteris, quorum examen ad noſtros Annales minimè pertinet.

[a] Cap. 109.

II. Cyclus Victorianus, de quo fusè Tomo primo ad annum Chriſti quingenteſimum vndequadrageſimum iam locuti ſumus, periodus eſt annorum duorum ac triginta ſupra quingentos, cuius initium ab anno Chriſti viceſimo-ſeptimo petitur. Prima igitur periodus Victoriana deſinit in anno Chriſti quingenteſimo vndeſexageſimo, ſecunda in anno Chriſti milleſimo nonageſimo-primo. Victorius Paſchalem Canonem condidit Conſtantio & Rufo Conſulibus, annúmque illum, qui fuit Incarnationis Dominicæ quadringenteſimus quinquageſimus-ſeptimus, cycli ſui quadringenteſimum triceſimum pronuntiauit, ideóque annum quingenteſimum duodecimum eiuſdem cycli cum anno Chriſti quingenteſimo vndequadrageſimo comparauimus. Ægidius Bucherius Paſchalem Victorij Canonem erudito Commentario illuſtrauit, annúmque centeſimum octogeſimum-primum ſecundæ periodi Victorianæ cum anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo compoſuit, itaut nemini dubium eſſe debeat, quin annus eiuſdem periodi centeſimus ſeptuageſimus-ſeptimus cum hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo triceſimo-ſexto, conueniat, quem prælaudatus Auctor in Hiſtoria

Digitized by Google

iuſſu Childebrandi ſcripta vocat *annum præſentem in cyclo Victoris*, ſeu Victorij, CLXXVII. AN. CH. 736.

In eadem Hiſtoria, Kalendæ Ianuariæ præſentis anni, licèt anno ſecundæ periodi Victorianæ centeſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſexto illigentur, quia Victorius ob faſtos Conſulares initium annorum à Kalendis Ianuarij deducit, attribuuntur anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quinto, quoniam Auctor iſtius Hiſtoriæ Victorio longè recentior, non à prædictis Kalendis, ſed à Paſcha principium annorum petit. Textus talis eſt. *Cal. Ianu. die Dominicâ anni* DCCXXXV, *& vt iſtud millenarium compleatur, reſtant anni* CCLXV. THEODOR IV. R. 16. III.

De Kalendis Ianuarij, quæ præſenti anno exordium dederunt, adeò ſollicitè diſputamus, quia peruenit ad eas Rex Theodoricus, de quo ſic idem Auctor [a]. *Theodoricum Regem ſtatuerunt in Sedem Regni, qui nunc locum ſolij Regalis obtinuit, annis vitæ ſimul præſtolatis*, aut, vt Philippus Labbeus reſtituit, *protelatis*. Atque ex hoc calculo corrige pleroſque Neotericorum, qui Theodoricum vel annis duntaxat quindecim regnaſſe, vel anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-quinto mortuum volunt. IV.

[a] Cap. 107.

Iam verò quid hoc anno geſtum ſit, accipe ex Annalibus Petauianis, qui mortem Audoini Conſtantienſis Epiſcopi bellúmque Aquitanicum breuiſſimè ſic perſtringunt. DCCXXXVI. *Audoinus Epiſcopus mortuus eſt, & Karolus dimicabat contra filios Eodonis.* V.

Tomo ſuperiore actum ad annum Chriſti ſeptingenteſimum duodeſeptuageſimum de Boſone eiúſque ſucceſſoribus Conſtantiæ ad Rhenum Epiſcopis vſque ad Buſonem ſeu Buſſonem, cui proximè ſucceſſit Audoinus ſiue Audonius in Chronico Conſtantienſi perperam omiſſus. Ita iam cenſuerunt Robertus & Sammarthani, ſed in eiuſdem Audoini morte Chronologiam ſexennio præuerterunt. *Audoinus*, inquiunt, *obiit an.* 730. Vt autem obitum Audoini reiiciamus in hunc annum, à Chriſto nato ſeptingenteſimum triceſimum-ſextum, non Annales modò Petauiani, quorum potentiſſima eſt auctoritas, ſed & Hermannus Contractus docet, cuius varias editiones ad hunc eundem annum conſuluimus. Piſtoriana & Vrſtiſiana ſic habent. *Audonius Epiſcopus obiit.* Caniſiana, ſic. *Audoinus Epiſcopus obiit.* De ſucceſſore non leuis eſt difficultas, quoniam apud Hermannum in editionibus ſuprà citatis, hoc eodem anno, quo Audonius Epiſcopus Conſtantienſis obiit, Ernfridus ſiue Ernfredus Abbas Augienſis Epiſcopúſque Conſtantienſis conſtituitur. In Piſtoriana, ſic. *Ernfridus Augiæ Abbas & Conſtantiæ Epiſcopus ordinatur.* In Vrſtiſiana, ſic. *Augiæ defuncto poſt duos annos Kebâ, Ernfridus Augiæ Abbas & Conſtantiæ Epiſc. effectus, decem annis præfuit.* In Caniſiana, ſic. *Augiæ defuncto poſt duos annos Kebâ, Ernfredus Monachus Augiæ Abbas & Conſtantiæ Epiſcopus factus præfuit annis* 10. Aliunde autem probabimus Rudolfum ſeu Rodulfum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-octauo Conſtantienſem Epiſcopum fuiſſe, cùm Bonifacius Archiepiſcopus à Gregorio Tertio Papa literas Epiſcopis Boioariæ & Alemanniæ inſcriptas accepit, & ex Hermanno Piſtoriano, qui ceteris præſtat, in annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-octauum reiiciemus mortem Ernfridi, quam poſt annos decem Pontificatûs editiones Vrſtiſiana & Caniſiana biennio præuertunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſextum, quo Sidonium eidem Ernfrido ſubrogant. Ad illum enim annum ſic habent. *Sidonius Augiæ Monachus, quintus ei loco Abbas, Conſtantiæque Epiſcopus factus, præfuit annis* 13. Piſtoriana verò ſic ad eundem annum ſeptingenteſimum quadrageſimum-ſextum. *Sidonius Abbas Augiæ & Conſtantiæ Epiſcopus conſtituitur.* Durauit ad aliquot annos hoc diſſidium bienne, de quo rurſum Tomo ſequenti. VI. AVDONIVS EP. CONSTANTIENSIS, ET KEBAS ABB. AVGIENSIS MORIVNTVR.

Interim ex prædictis nota Kebam Abbatem Augienſem & Audonium Epiſcopum Conſtantienſem hoc eodem anno mortuos eſſe, Kebæ ſucceſ- VII. KEBÆ SVCCEDIT ERNFREDVS, AVDONIO RVDOLTVS.

Digitized by Google

AN. CH. 736. THEODOR. IV. R. 16.

ſiſſe Ernfridum, Audonio Rudoltum ſeu Rodulfum. Ceterum Kebo ſeu Kebas Augienſis Abbas, ipſius Ernfridi deceſſor, anteceſſoribus ſuis, Pyrminio videlicet & Ethoni, multum diſſimilis fuit. Sic enim de illo Bruſchius in Augia diuite. *Is immoderatè ac tyrannico potiùs quàm paterno more præfuit, tantùm duobus tamen annis; obiit ſubitaneâ morte. Sub eo locus iſte priùs Sindleſolw, quaſi Sindelij Augia dictus, propter immenſas quibus accreuerat iam diuitias & quotidianas acceſſiones Diues Augia appellari cœpit.*

VIII. BELLVM AQVITANICVM.

Quod attinet ad bellum Aquitanicum, Carolus in Aquitania contra filios Eudonis dimicauit. Id aſſeritur in Annalibus Petauianis ſuprà citatis & in Chronico San-Dionyſiano. Carolus inſignem victoriam obtinuit, Hattone altero fratrum capto, illúdque Nazarianus Annaliſta breuiſſimè ſic retulit. DCCXXXVI. *Hatto ligatus eſt.* Atque inde collige, quàm ægrè Hunaldus & Hatto Carolum ſuperiorem nouerint. Initâ pace, penes Hunaldum Aquitaniæ Præfectura manſit, è cuſtodia quoque dimiſſus eſt Hatto. Hæc clariùs patebunt infrà. Carolus componendis Aquitaniæ tumultibus adeò ſtuduit, quoniam alias in prouincias euocabatur ob metum præcipuè Saracenorum, quorum numeroſus exercitus timorem latè circumferebat.

IX. Annaliſta Metenſis, omiſſo bello Aquitanico, alia tria hoc anno commemorat, Friſicum, Burgundicum & Saxonicum. Primum, ſic. *Anno ab Incarnatione Domini* DCCXXXVI. *perfida gens Friſionum fidem, quam dudum Carolo promiſerat, fraudare conatur. Contra quos Carolus nauali euectione præparat exercitum, altúmque mare ingreſſus, nauium copiâ adunatâ, ad Wiſtriamchi & Waſtrachia Inſulas peruenit. Super Bordinem verò fluuium caſtra ponens, Poponem gentilem Ducem illorum interfecit, exercitúmque proſtrauit, fana eorum deſtruxit, & cum innumerabilibus ſpoliis, Chriſto auſpice, ad propria eſt reuerſus.* Alterum, ſic. *Eodem quoque anno Karolus Princeps Burgundiam adiit, Lugdunúmque Galliæ vrbem munitiſſimam ſuæ ditioni ſubegit, & vſque Maſſilienſem vrbem & Arelatem ciuitatem penetrauit, ſuíſque Ducibus omnia in poteſtate tradens, ad Sedem Principatûs ſui feliciter remeauit.* Tertium, ſic. *Collectóque exercitu, Saxoniam bello contriuit, ſibíque tributarios fecit.* Quis autem credat Carolum vno anno quatuor difficillima bella, Aquitanicum, Friſicum, Burgundicum & Saxonicum per ſeſe confeciſſe, & à Sequana ad Garumnam, à Garumna ad Bordinem, à Bordine ad Rhodanum & à Rhodano ad Rhenum, ſiue à primaria Neuſtriæ ciuitate ad Waſconiæ limites, tum in Friſiam, deinde ad vltimos Burgundiæ fines, poſtremò in Saxoniam celerrimè perueniſſe, copiáſque ſui ſimiles, alacres, fortiſſimas, ac laboris patientiſſimas habuiſſe? Nullum bellum à Carolo præter Aquitanicum hoc anno confectum exiſtimamus, quia de ceteris altum eſt ſilentium ad hunc annum apud antiquos Annaliſtas, qui Burgundicum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio, Friſicum eodem anno ac ſequenti, Saxonicum anno Chriſti ſeptingenteſimo duodequadrageſimo conſignant. De Burgundico & Friſico actum ſuprà. Sermo de Saxonico fiet ſuo loco.

X. Annaliſtam Metenſem decepit peruetuſtus Auctor, qui Francorum Hiſtoriam ad Kalendas vſque Ianuarias huius anni conſcripſit, vt probatum nuperrimè; deinde Appendicem, quam eidem Hiſtoriæ ſubiecit, exorſus eſt à prædictis bellis Friſico, Burgundico & Saxonico; tum narrationem tranſtulit ad Saracenicum, de quo copioſè ad annum ſequentem differemus.

XI. Initium Appendicis hoc eſt. *Itémque, quod ſuperiùs prætermiſimus, in gentem duriſſimam maritimam Friſionum nimis crudeliter rebellantem, præfatus Princeps* Carolus *audacter nauali euectione properat, certatim altum mare ingreſſus nauium copiâ adunatâ. Anſtrachiam* (lege Weſtrachiam) *& Auſtrachiam Inſulas Friſionum penetrauit, ſuper Burdone fluuio caſtra ponens; Poponem gentilem Ducem illorum fraudulentum Conſiliarium interfecit, exercitum Friſionum proſtrauit, fana eorum idololatriæ contriuit atque combuſſit igni, cum magnis ſpoliis & prædis victor reuerſus eſt in Regnum Francorum. Itaque ſagaciſſimus vir Carolus Dux, commoto exercitu*

Digitized by Google

exercitu, partibus Burgundiæ dirigit, Lugdunum Galliæ vrbem, maiores natu atque Præfectos eiuſdem prouinciæ ſuæ ditioni & reipublicæ ſubiugauit, vſque Maſſilienſem vrbem vel Arelatum ſuis Iudicibus conſtituit, cum magnis theſauris & muneribus in Francorum Regnum remeauit in Sedem Principatûs ſui. Itémque rebellantibus Saxonibus paganiſſimis, qui vltra Rhenum fluuium conſiſtunt, ſtrenuus vir Carolus Dux, commoto exercitu Francorum, in loco, vbi Lippia fluuius Rhenum amnem ingreditur, ſagaci intentione tranſmeauit, maxima ex parte tributarios eſſe præcepit, atque quamplures obſides ab eis accepit. Sícque (opitulante Domino) victor remeauit ad propria. Denuò rebellante gente validiſſimâ Iſmahelitarum, quos modò Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, &c. AN. CH. 736. THEODOR. IV. R. 16.

Hic Auctor conſultò ſeriem rerum Chronologiámque peruertit. Illius conſilij ratio inueſtiganda. XII.

Primo loco loquitur de bello Friſico, quod in Hiſtoria Francorum penitus omiſerat, vt prima hæc Appendicis periodus declarat. *Itémque, quod ſuperiùs prætermiſimus, in gentem duriſſimam maritimam Friſionum*, &c. Atque inde bellum hoc Friſicum ante Kalendas Ianuarias huius anni, quibus prædicta Francorum Hiſtoria clauditur, geſtum colligimus. Lege Annales Petauianos ad annos Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-tertium & ſeptingenteſimum triceſimum-quartum, quibus Carolus Maior-domûs in Friſiam cum exercitu perrexit. XIII.

Secundo loco loquitur de bello Burgundico, quod in Hiſtoria quidem Francorum non prætermiſit, ſed deſcripſit oſcitanter, & quia plus eſſe criminis in ſilentio quàm in oſcitantia putat, à bello Friſico, quod Burgundico poſtponi debet, narrationem ſuam orditur. Vtrumque autem textum, in quo ſermonem de bello Burgundico facit, ſimul confer, & poſteriorem priori ſic præfer, vt priorem laudare non ceſſes, quòd idem bellum Burgundicum anno poſt pugnam Pictauienſem proximo, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio, illigarit. XIV.

Tertio loco loquitur de bello Saxonico, quod iuxta vetuſtiſſimos Annales in annum Chriſti ſeptingenteſimum duodequadrageſimum reiiciemus, ſiue in annum proximum poſt bellum Saracenicum, id eſt, poſt bellum quod anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo Carolus contra Saracenos in Gothia ſeu Septimania geſſit. Cur autem rerum, quæ propriè ad Appendicem pertinent, narrationem non inchoet ab hoc bello Saracenico, quod Saxonico præponi debet, hæc ratio poteſt afferri, quòd poſtrema duo bella Saracenica, quæ Carolus poſt Kalendas Ianuarias huius anni confecit, vno contextu velit enarrare, licèt Saxonicum inter ea medium occurrat. XV.

Quarto loco loquitur de bello Saracenico, quod Saxonico non poſtponi, ſed anteponi debet. Poſt Kalendas Ianuarias huius anni, Carolus bellum bis aduersùs Saracenos mouit, ſemel anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, iterum anno Chriſti ſeptingenteſimo vndequadrageſimo, nec vllam deinceps expeditionem ſuſcepit, annum enim Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum *ſine hoſtilitate vlla* tranſegit [a], vitámque clauſit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo. Auctor autem Appendicis quam examinamus, ne ſemel incœptam rerum Saracenicarum narrationem interrumpat, vtrumque bellum Saracenicum Saxonico ſubiicit, etſi non ignoret Saxonicum priori Saracenico poſtponendum eſſe. XVI.

[a] Annal. Nazar.

Bellorum igitur, quæ Carolus cùm hoc anno, tum proximè ſequentibus confecit, hæc eſt ſeries. Geſtum eſt hoc anno bellum Aquitanicum; poſtero, Saracenicum primum ſeu Gothicum; anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-octauo, Saxonicum; anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-nono, Saracenicum ſecundum ſeu Prouinciale. Et ne gratis hæc à nobis dicta ſuſpiceris, audi Annales Petauianos ad obitum vſque Caroli. *An.* DCCXXXVI *Karolus dimicabat contra filios Eodonis.* DCCXXXVII. *Quan-* XVII.

AN. CH. 736. THEODOR. IV. R. 17.

do Karolus bellum habuit contra Saracenos in Gozia. DCCXXXVIII *Karolus intrauit in Saxoniam.* DCCXXXIX *Karolus intrauit in Prouinciam vſque Maſſiliam.* DCCXL. *Sine hoſte fuit hic annus.* DCCXLI *Karolus mortuus eſt.* Singula ſuis locis fuſiùs exponemus.

XVIII. Abderramen, qui Hiſpaniam & Septimaniam Iſcami Caliphæ nomine gubernabat, à Francis, vt ſuo loco dictum eſt, in prælio cæſus occubuit anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, menſe Octobri. Currebat tum annus Arabum centeſimus decimus-quartus, nam decimo Kalendas Martias anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio cœptus eſt annus eorumdem Arabum centeſimus decimus-quintus. Accepto Saracenicæ cladis nuncio, Iſcamus Abdelmelichum in Hiſpaniam ſtatim direxit, id eſt, ineunte anno Arabum centeſimo decimo-quinto, annóque Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio per aliquot iam menſes inchoato. Abdelmelichus quadriennio Præfecturam Hiſpaniæ Septimaniæque geſſit. Eò miſſus eſt anno Arabum centeſimo decimo-quinto, exauctoratúſque anno eorumdem Arabum centeſimo decimo nono. Rodericus Toletanus, vbi de Abdelmelicho loquitur, de exauctorationis anno conuenit, ſed eius aduentum in Hiſpaniam malè conſignat *anno Arabum* CXVI, cuius loco reſtituendus annus CXV. Sícque Abdelmelichus in ipſiuſmet Roderici opinione Hiſpaniam per annos quatuor, ab anno videlicet Hegiræ centeſimo decimo-quinto ad annum vſque centeſimum vndeuiceſimum adminiſtrabit. In vulgatis exemplaribus textus huius Auctoris talis eſt [a]. *Anno Arabum* CXVI (lege CXV) *Hyſcam Amimorameni miſit quendam Abdelmelich nomine, de nobili genere, qui dum in Hiſpaniam perueniſſet, poſt tot clades & pericula inuenit eam opulentiæ non oblitam, & bonis omnibus abundantem, & quaſi malogranatum auguſtalibus deliciis efflorentem. Ipſe autem quatuor annis regnans, qui diſpenſator eſſe debuerat, inuentus eſt diſſipator diſcolus & petulans, & proſperitatem patriæ reputans inopinam flagrantis petulantiæ malitiam propalauit, & patriæ iudices blandiendo, pro iure iniurias, pro pace angarias, pro regimine nocua cæpit in Hiſpaniis exercere, vt rediuiuæ plagæ anguſtias reparatas mordaci tyrannide repararet, nec aliquid vtile, aliquid ſtrenuum exercuit in patriæ vaſtatores. Vnde cùm relationem ſummi Principis accepiſſet, vt Francorum inſultibus obuiaret, volens iuga Pyreneica penetrare, multis ſuorum perditis, in planis Celtiberiæ refugus ſe recepit. Vox enim Chriſtianorum, quæ ad aures Domini aſcendebat, contra tyrannum diuini iudicij ſententiam impetrauit, móxque Amiramomeni remouetur edicto* [b], *& ſucceſſor ei mittitur Aucupa ſiue Oocha anno Arabum* CXIX, *Hyſcam verò anno* XV.

ABDELMELICHVS SARACENORVM PRÆFECTVS IN HISPANIA ET SEPTIMANIA.

[a] In Hiſt. Arab. c. 15.

[b] Ita Edit. Erpinij.

XIX. Iſidorus Pacenſis, à quo ſuam auctoritatem hoc loco Rodericus mutuatur, euentum belli ab Abdelmelicho poſt acceptam Caliphæ iuſſionem ſuſcepti ſic commemorauit. *Monitus Abdilmelic à principali iuſſu, quare nihil ei in terra Francorum proſperum eueniret, ad pugnæ victoriam ſtatim à Corduba exiliens, cum omni manu publica ſubuertere nititur Pyrenaica inhabitantium iuga, & expeditionem per loca dirigens anguſta, nihil proſperum geſſit, conuictus de Dei potentia, à quo Chriſtiani tandem perparua pinnacula retinentes præſtolabant miſericordiam, & deuia ampliùs hinc inde cum manu valida appetens loca, multis ſuis bellatoribus perditis, ſeſe recipit in plana, repatriando per deuia.*

XX. Quidam [c] hoc bellum ab Abdelmelicho geſtum putant in faucibus Pyrenæorum montium, qui Septimaniam ab Hiſpania diuidebant, ſed nulla tunc ibi Chriſtianorum Dynaſtia, nam Saraceni viam illac à multis annis ex Hiſpania ſibi fecerant in Septimaniam, quam ſuis quoque ditionibus adiunxerant. Recurrendum igitur ad limites Hiſpaniæ & Nouempopulaniæ, tractus enim ille Pyrenæorum montium numquam in poteſtatem Saracenorum deuenit, imò Chriſtianis Regibus, Pelagio & aliis, quorum Catalogum Scriptores rerum Hiſpanicarum exhibent, ſemper paruit. Eapropter penè abſtinendum duximus ab enarratione belli, quod Abdelmelichus in illis

[c] Petr. de Marca in Hiſt. Benearn. l. 2. c. 3. n. 9.

Digitized by Google

partibus mouit, nam totum ad Hiſtoriam Hiſpaniæ pertinet, nec in Francia vel aduersùs Francos commiſſum eſt. Re tamen accuratiùs examinatâ credidimus extra cancellos operis noſtri non eſſe, quod Hiſpaniarum Septimaniæque Præfectus hoc anno bellum ſuſcepit, vt opprobrium eleuaret incuſſum à Calipha, quòd hactenus Saracenis contra Francos nihil proſperè ceſſiſſet. Nam licèt Abdelmelichus exercitum aduersùs reliquias Hiſpano-Gothorum intra fauces Pyrenæas ſe continentium eduxerit, hoc ei præcipuè conſilium fuit, vt reſiduâ Hiſpaniæ parte, quam Chriſtiani tuebantur, ſub iugum miſſâ Franciam adoriretur. Animum erigebat in magnam ſpem, quia domeſticâ diſſenſione flagrabat Aquitania, nec finitimis Hiſpanis, etſi Chriſtianis, auxilium laturi erant, qui diſcordes inter ſe dimicabant Franci. AN. CH. 736. THEODOR. IV. R. 16.

XXI. Annus Hegiræ centeſimus vndeuiceſimus, in quem exauctoratio Abdelmelichi incidit, cœptus eſt ſeptimo Idus Ianuarias anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, finémque eodem Chriſti anno accepit die Decembris octauo ſupra viceſimum. Eodem quoque anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, exeunte menſe Auguſto, cùm anni Arabici centeſimi vndeuiceſimi octauus menſis, id eſt, *Sahauen*, agebatur, Iſcamus annum ſui Caliphatûs decimum-quintum iniit, ideóque apud Rodericum Abdelmelichus rectè dicitur exauctoratus *anno Arabum* CXIX, *Hyſcam verò anno* XV. Ceterùm Pyrenææ fauces, quas hic dominationi Saracenorum adiungere conatus eſt, à Regia Iſcami Sede longiſſimè aberant, nec tanta locorum intercapedo patitur, vt quis putet eodem anno Chriſtianos de Mauris ad Pyrenen triumphaſſe; Calipham de rebus ibi geſtis per nuncios certiorem factum eſſe; denique delatis in Hiſpaniam Regiis ex Arabia literis exauctoratum Hiſpaniarum Præfectum, alio ſubſtituto. Quapropter victoriam quam Hiſpani ad Pyrenes anguſtias redacti ſub Rege Chriſtiano de Saracenis reportarunt, hoc anno conſignandam putamus, quo Carolus bellum contra filios Eudonis in Aquitania geſſit. Exauctorationem autem Abdelmelichi & ſubrogationem Aucupæ ſiue Ochæ in annum ſequentem reiiciemus.

XXII. Exiſtimamus & hoc anno è Septimania in Franciam, quà Rhodanus fluit, factam à Saracenis irruptionem, captámque ab eis vrbem Auenionem, quam Franci anno proximo recuperarint. Certè Abdelmelichus, qui numeroſiſſimas copias conſcripſerat, prudenter admodum Francos ſubitâ impreſſione laceſſendos putauit, ne quid auxilij præſtarent incolis Pyrenæi ſaltûs, quos eadem religio idémque periculum ad mutuam amicitiam arctiſſimúmque fœdus prouocabant. Cúmque ei liberum eſſet vel Aquitaniam vel Prouinciam per legatos adoriri, quia vtraque Septimaniæ vicina erat, Prouinciam maluit aggredi quàm Aquitaniam, nihil enim ab Aquitanis, quos ciuile bellum dilaniabat, ſibi timendum arbitrabatur, ſciebátque priuatas inimicitias ſæpè deponi, tumultúſque domeſticos ſedari, ſtatim ac exterorum hoſtium nomen auditur. Id quoque conſilij promouit defectio, quam Maurontus Prouinciæ Præfectus meditabatur. Sic enim ſcribit Auctor Appendicis, quæ Francorum Hiſtoriæ iuſſu Childebrandi ſcriptæ ſubiecta reperitur. *Denuò rebellante gente validiſſimâ Iſmahelitarum, quos modò Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, irrumpentéſque Rhodanum fluuium, inſidiantibus infidelibus hominibus ſub dolo & fraude, Mauronto quodam cum ſociis ſuis, Auennionem vrbem munitiſſimam ac montuoſam, collecto hoſtili agmine, ipſi Sarraceni ingrediuntur, illíſque rebellanti us eâ regione vaſtatâ.* Quid ſecutum ſit, anno ſequenti ex eodem Auctore aliiſque ſimul collatis dicemus. Epiſcopatum Auenionenſem tunc adminiſtrabat Ioannes Epiſcopus, de quo non ſemel iam locuti ſumus. BELLVM PER LEGATOS IN PROVINCIA GERIT. AVENIONEM CAPIT.

XXIII. Hoc anno Patricius Auſcienſis Epiſcopus, cui Chenutius & Robertus annos in Pontificatu duodeuiginti tribuunt, migrâuit è vita. Succeſſit Ton- EPISCOPI AVSCIENSES.

Digitized by Google

AN. CH. 736. tonius, ſeditque annos ſexdecim. Lege quæ de Chronologia Præſulum Auſcienſium diſputata ſunt ad annos Chriſti ſexcenteſimum ſeptuageſimum-quartum & ſeptingenteſimum duodeuiceſimum.

XXIV. In Compendio Hiſtoriali Abbatiæ Sancti Vincentij Cenomanenſis, quod ſæpè citauimus, hoc anno collocatur obitus Chirmiri Abbatis. De ſucceſſoribus verò per aliquot ſecula nihil habetur.

737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. 1.

ANNVS
CHRISTI 737.
THEODORICI IV. R. 17.
P. M. THEODORICI IV. R. 1.

I. EPISCOPI LAVREACENSES. AD annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum vixit Theodorus Epiſcopus Laureacenſis & Patauienſis, Metropolitanus Boioariæ. Succeſſit Viuilus, de quo multa dicturi ſumus Tomo ſequenti. Lege quæ dicta ſunt ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſecundum [a].

[a] Nu. 59. & ſeqq.

II. BITVRICENSES. Rochus ſeu Rocho vel Rochonus Bituricenſis Epiſcopus obiit etiam hoc anno, Pontificatûs ſui quadrageſimo. Succeſſit Siginus. Lege Patriarchium Bituricenſe [b].

[b] Capp. 35. 36.

III. ERMINI LOBIENSIS ABBATIS OBITVS. Apud Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, apud Gazæum in Hiſtoria Eccleſiaſtica Belgij, apud Miræum in Faſtis Belgicis, apud Sauſſaium in Martyrologio Gallicano, & apud Fiſenum in Floribus Eccleſiæ Leodienſis, obitus Ermini Lobienſis Abbatis collocatur ſeptimo Kalendas Maij, quamuis apud Fulcuinum in Geſtis [c] Abbatum Lobienſium octauo eaſdem Kalendas referatur. Eius memoria ſeptimo & ſexto prædictas Kalendas celebris eſt, octauo nequaquam.

[c] Cap. 5.

IV. SEPVLTVRA. De ſepultura Sanctorum Vrſmari & Ermini ſic Miræus [d]. *Poſtquàm ambo ad remunerationem vocati, primò quidem B. Vrſmarus, dein vir Dei Erminus, in parochiali Eccleſia Laubiacenſi tumulati fuiſſent, tot & tantis munificentiis locus ille donatus eſt, vt, Monaſterio facto, Canonici eò mitterentur. Sic ferè Baldericus lib. 2. cap. 38. in Chronico Cameracenſi. Ceterum B. Ermini & aliorum Diuorum corpora Laubio Binchium anno 1409 cum Canonicorum Collegio ſunt tranſlata. Laubiis tamen hodiéque in crypta Baſilicæ parochialis tumuli ſpectantur SS. Vrſmari & Ermini, vt & S. Seruatij apud Traiectenſes *, & S. Huberti apud Leodicenſes in æde D. Petri, ſimiliter in cryptis.* Et Fiſenus [e]. *Propter S. Vrſmarum ſitus eſt* beatus Erminus *in ſuperiore Monaſterio, quod ab illis poſteà SS. Vrſmari & Ermini nuncupatum eſt.* Superius hoc Monaſterium ab inferiori ſic diſtinguit Molanus [f] in elogio Sancti Vrſmari. *Corpus ex Monaſterio delatum eſt in Oratorium Beatæ Mariæ ſuper montem, cuius radicibus Monaſterium adiacet, quod Oratorium etiam in libris Miraculorum dicitur ſuperius Monaſterium, etſi Canonicorum fuerit, non Monachorum Collegium. Vnde hic locus in Chronicis ad Gerardum Cameracenſem Epiſcopum ſcriptis clariùs nominatur Monaſterium Sanctorum Vrſmari & Ermini, Canonicalis Congregationis, Laubienſi Cœnobio ſubiacens. Ex quo cum ſeptem aliis Sanctorum corporibus & Canonicorum Collegio tranſlatus eſt anno 1409 ad Binchium Hannoniæ oppidum, duobus inde milliaribus diſtans.* Hæc Tranſlatio, vt idem Auctor in encomio Sancti Ermini [g] teſtatur, facta eſt ſeptimo Kalendas Nouembris, Binchiúmque adeò nobilitauit, vt Miræus [h] hoc encomium illi loco tribuere nòn dubitarit. *Inter Belgica ſacris Cælitum pignori-*

[d] d. 25. Apr.
* Maſtrick.
[e] d. 25. Apr. n. 2.
[f] d. 18. Apr.
[g] d. 25. Apr. n. 2.
[h] d. 19. Apr. in S. Vrſmar.

AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. I.

bus illuſtria oppida, Binchium, quod eſt in Hannonia haud procul à Maria-Monte ſitum, meritiſſimo iure obtinet principatum. Sequitur ratio tam magnificæ commendationis. *Eſt in eo*, nempe oppido, *Collegium Canonicorum, quod octo Diuorum corpora, Vrſmari, Ermini, Theodulfi, Vlgiſi, Amoluini, Abelis, Hildulfi, & Amelbergæ, totidem feretris argenteis incluſa, atque ex vicina Laubienſi Benedictinorum Abbatia an.* 1409 *tranſlata, religioſè obſeruat.* Laubiis Binchium cum Sanctorum Reliquiis tranſlatum & Collegium Canonicorum, quos Molanus [a] ob huiuſcemodi Tranſlationem Lobienſes Canonicos Binchij vocat, vbi ait Sanctum Erminum *apud Lobienſes Canonicos Binchij* requieſcere. Laubiis igitur & Binchij præcipuè colitur inſignis hic Abbas; ac Binchij quidem ſexto Kalendas Maij, quia beatus Marcus ibi die præcedenti celebratur; Laubiis autem ſeptimo eaſdem Kalendas, quia Lobienſes Sanctum Marcum reiiciunt in proximum diem, & Litanias in feriam ſextam ſequentem differunt.

[a] d. 25. Apr. in S. Ermin.

V. Vt dies, ſic & annus, quo beatus Erminus in cælum migrauit, hodie controuertitur. Eius obitum Molanus *anno ſeptingenteſimo trigeſimo-ſeptimo* illigat, cùm curam Monaſterij geſſiſſet *annis ferè viginti-quinque*. Eundem annum notat Fiſenus, præcedentem Gazæus. Prior opinio magis placet. Erminus igitur Cœnobio præfuit ab anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſeptimum, id eſt, per annos tres ac viginti completos duóſque incompletos, eâque interpretatione indigent Fulcuinus [b] aliíque, qui Præfecturam illius ad annos viginti-quinque prorogant.

[b] Cap. 5.

VI. Præter dies ſuprà deſignatos, in quibus celebrem eius memoriam eſſe diximus, illius quoque merita ſolemni commemoratione celebrantur quarto Nonas Aprilis. Hic dies à Molano [c] vocatur *dies Triumphi*, quia hoc die, vt idem Auctor [d] ſcribit, fit *Commemoratio meritorum venerabilium Chriſti Confeſſorum Vrſmari & Ermini, quando ab Hungaris liberati ſunt Laubienſes per merita eorum.*

[c] d. 25. Apr. n. 2.
[d] d. 2. Apr. n. 1.

VII. Denique ad commendationem Sancti Ermini obſerua nomen illius vicis aliquot inditum fuiſſe, quorum è numero locus eſt natiuitatis in Diœceſi Laudunenſi, qui tunc Ercliacus *, hodie notiori vocabulo vicus Sancti Ermini nuncupatur, habétque Prioratum eiuſdem Sancti nomine inſignem, de quo conſule eundem Molanum [e].

* *Ercly.*
[e] d. 25. Apr. n. 2.

VIII. SVCCESSOR. Sancto Ermino ſucceſſit in adminiſtrationem Lobienſis Monaſterij Theoduinus Abbas, qui memoratur à Fulcuino [f] in Geſtis Abbatum Lobienſium, omittitur autem vel cum Theodulfo ſucceſſore confunditur à Fiſeno [g] in eorumdem Abbatum Catalogo.

[f] Cap. 6.
[g] d. 17. Apr.

IX. BELLVM SARACENICVM. Hoc anno Franci bellum aduersùs Saracenos ſtrenuè geſſerunt. Annales enim Nazariani ſic habent. *Anno* DCCXXXVII. *Karolus pugnauit contra Sarcinos in Gutia in Dominico die.* Conſentiunt Petauiani, ſic. DCCXXXVII. *Quando Karolus bellum habuit contra Saracenos in Gozia.* Necnon Chronicon San-Dionyſianum, ſic. DCCXXXVII. *Karlus bellum habuit contra Saracinos.* In præcitatis Annalibus, *Gutia* & *Gozia* loco lege Gothiam, & Gothiæ nomine partem illam intellige Galliarum, quæ Septimania dicta eſt, & in poteſtate fuit Gothorum, priuſquàm à Saracenis occuparetur.

X. In Appendice ad Francorum Hiſtoriam iuſſu Childebrandi conſcriptam, bellum hoc Saracenicum ſic enarratur. *Denuò rebellante gente validiſſimâ Iſmahelitarum, quos modò Sarracenos vocabulo corrupto nuncupant, irrumpentéſque Rhodanum fluuium, inſidiantibus infidelibus hominibus, ſub dolo & fraude, Mauronto quodam cum ſociis ſuis, Auennionem vrbem munitiſſimam ac montuoſam, collecto hoſtili agmine, ipſi Sarraceni ingrediuntur. Illíſque rebellantibus eâ regione vaſtatâ. At contrà vir egregius Carolus Dux germanum ſuum virum induſtrium Childebrandum Ducem, cum reliquis Ducibus & Comitibus, illis partibus cum apparatu hoſtili dirigit. Quippe properè ad illam peruenientes, tentoria inſtruunt, vn-*

AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. 1.

*dique ipſum oppidum & ſuburbana præoccupant, munitiſſimam ciuitatem obſident, aciem inſtruunt, donec inſecutus vir belligerator Carolus prædictam vrbem aggreditur, muros circumdat, caſtra ponit, obſidionem coaceruat, in modum Hiericho cum ſtrepitu hoſtium & ſonitu tubarum, cum machinis & reſtium funibus ſuper muros & ædium mœnia irruunt, vrbem munitiſſimam ingredientes ſuccendunt, hoſtes inimicos ſuos capiunt interficientes, trucidant atque proſternunt, & in ſuam ditionem efficaciter reſtituunt. Victor igitur atque bellator inſignis, intrepidus Carolus Rhodanum fluuium cum exercitu ſuo tranſiit, Gothorum fines penetrauit, vſque Narbonenſem Galliam peraccesſit, ipſam vrbem celeberrimam atque Metropolim eorum obſedit: ſuper Atace * fluuio munitionem in gyrum in modum arietum inſtruxit, Regem Sarracenorum nomine Athima cum ſatellitibus ſuis ibidem recludis, caſtráque metatus eſt vndique. Hæc audientes maiores natu & Principes Sarracenorum, qui commorabantur eo tempore in Regione Hiſpaniarum, coadunato exercitu hoſtium cum alio Rege Amor nomine, machinis aduersùs Carolum viriliter armati conſurgunt, præparatur ad prælium. Contra quos præfatus Dux Carolus triumphator occurrit ſuper fluuio Birra *, & valle Corbaria * præliaturus. Illíſque mutuò confligentibus, Sarraceni deuicti atque proſtrati, cernentes Regem eorum interfectum, in fugam lapſi terga verterunt. Qui euaſerunt, cupientes nauali euectione euadere, in ſtagno maris natantes ſibimet mutuo conatu inſiliunt. Mox Franci cum nauibus & iaculis armatoriis ſuper eos inſiliunt, ſuffocantéſque in aquis interimunt. Sícque Franci triumphantes de hoſtibus, prædam magnam & ſpolia capiunt. Captâ multitudine captiuorum, cum Duce, victor regionem Gothicam depopulatur. Vrbes famoſiſſimas, Nemauſum, Agatem ac Biteris, funditus muros & mœnia Carolus deſtruens, igne ſuppoſito concremauit, ſuburbana & caſtra illius regionis vaſtauit. Deuicto aduerſariorum agmine, Chriſto in omnibus præſule & capite ſalutis victoriæ, ſalubriter remeauit in regionem ſuam, in terram Francorum, ad ſolium Principatûs ſui.*

* L'Aude.

* La Riuiere d'Oliuier, vulgò la Bere.

* Le Val de Corbar.

XI. Præter Auctores ſuprà citatos, Annaliſta Metenſis bellum Saracenicum hoc eodem anno ſic conſignat. *Anno DCCXXXVII nunciatum eſt inuicto Karolo Principi, quòd ſæua gens Sarracenorum, obtentâ Septimaniâ & Gothiâ, in partes iam Prouinciæ irrupiſſent, Caſtrúmque munitiſſimum Auinionem per fraudem quorumdam Prouincialium, Comitatum illum obtinuiſſent*, vt anno priori dictum eſt. *Quapropter exercitum congregans, illuc iter dirigebat. Præmiſiſque quibuſdam exercitûs ſui Principibus, qui Caſtrum obſiderent, ipſe proſecutus eſt, prædictámque vrbem obſidione circumdat. Machiníſque compoſitis, vrbem munitiſſimam diruit, ipsámque cum habitatoribus ſuis igne & gladio conſumit.*

XII. CHILDEBRANDVS CAROLI FRATER. In Appendice præcitata Carolus aduersùs Saracenos *germanum ſuum Hildebrandum* præmittit. De genere Childebrandi ſiue Hildebrandi variè diſputatum hactenus. Tota difficultas in ſignificatione *germani* conſiſtit. *Germanum* fruſtrà patruelem vel conſobrinum, fruſtrà cognatum vel agnatum interpreteris, dicuntur enim *germani*, qui patre eodem eâdémque matre editi ſunt. Vnde eos quoque redarguas, qui Carolum & Childebrandum vel eodem patre diuerſíſque matribus, vel eâdem matre diuerſiſque patribus natos aiunt, aut Childebrandi ſororem Carolo nuptam volunt.

XIII. Inter Fredegarij Continuatores recenſetur Anonymus, qui, iuſſu Childebrandi Comitis, Hiſtoriam Francorum cum duplici Appendice conſcripſit ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo, quo Theodoricus Tertius Monarchiam Francorum ſuſcepit, ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum quo Pippinus cœpit regnare. Res geſtas annis illis duobus ac ſeptuaginta complexus eſt quatuordecim capitibus, quorum primum in vulgato Fredegarij Chronico nonageſimum-ſeptimum numeratur. Hiſtoriam ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-ſextum perduxit, deinde ſcripſit Appendicem, quam veteres editiones obitu Caroli ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-primo

Digitized by Google

claudunt, alteram denique ſubiecit, quæ prorogatur ad annum vſque Chriſti ſeptingenteſimum quinquageſimum-ſecundum, quo Pippinus in Regio ſolio collocatus eſt. AN. CH. 737.

Hic Auctor in Hiſtoria voce *germani* non vſus eſt, quinquies in Appendicibus. Childebrandum enim Caroli *germanum* bis dixit, Carlomannum & Pippinum *germanos* ſemel appellauit, item Pippinum Carlomanni *germanum*, ac vice verſâ Carlomannum Pippini *germanum* aſſeruit. *Carolus Dux germanum ſuum, virum induſtrium, Childebrandum cum apparatu hoſtili dirigit*, &c. *Prædictum germanum ſuum*, &c. *Carlomannus atque Pippinus, Principes germani*, &c. *Carlomannus manibus germani ſui Pippini*, &c. *Saxones fidem, quam germano ſuo*, id eſt, Childebrando fratri Pippini, *promiſerant, mentiri conati ſunt. Qua de cauſa* Pippinus *adunato exercitu eos præuenire compulſus eſt.* Vt autem omnes Carlomannum & Pippinum eodem patre Carolo, eâdémque matre Rotrude natos fatentur, ita quoque ſentiendum de Carolo & Childebrando, quibus idem pater Pippinus Herſtallius, eadémque mater Alpais fuit. Nec te moueat, quòd in priori Appendice Childebrandus Pippini non patruus ſed auunculus nuncupatur, illis enim temporibus ſæpè, qui patruus vocari debuit, is auunculus impropriè dictus inuenitur, in Regiis etiam Diplomatibus, vt cùm Chilpericus Tertius, Childerici Secundi filius, in charta pro Monaſterio Corbeienſi, quam ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum-ſextum produximus, Clotarium Tertium auunculum ſuum appellat. THEODOR. IV. R. 17. P. M. I. XIV.

Aiunt aduerſarij *germanos* in Chronico Fredegarij & in Pippini vita iuſſu Nibelungi Comitis ſcripta vocari, qui ſunt ex eodem patre, diuerſis verò matribus editi. Sed hîc nec de Fredegarij Chronico nec de Pippini vita quæſtio eſt, ſed de lucubrationibus Anonymi, qui calamo manum iuſſu Childebrandi Comitis admouit. Addequòd hactenus Pippino nullus exprobrauit, quòd repudiatâ Plectrude duas ſuperinduxerit vxores, è quibus filios totidem ſuſceperit, Carolum ex Alpaide, ex altera Childebrandum. XV.

Ioannes Iacobus Chiffletius anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo-nono, menſe Auguſto, cùm pax Francos inter & Hiſpanos nondum redintegrata eſſet, librum de origine Childebrandi compoſuit, & Childebrandum, quem Auctor ſynchronus *germanum* Caroli vocarat, patriâ Longobardum, imò Regem Longobardorum finxit. E duobus Childebrandis, quorum alterum in Francia, alterum in Longobardia, eâdem ætate floruiſſe conſtat, vnum conflauit ſubtili prorſus interpretatione, quâ Paulum Diaconum, qui mentionem Childebrandi Longobardi fecit, & Fredegarij Continuatorem, qui Childebrandum Francum ſæpè commendauit, de vno eodémque Childebrando locutos aſſeruit. XVI. DISTINGVITVR AB HILDEBRANDO R. LONGOBARDORVM.

Paulus Childebrandi bis meminit libro ſexto de Geſtis Longobardorum; ſemel vbi diſſerit de cladibus quas Liutprandus Rex paſſus eſt, iterum vbi de eiuſdem Regis morbo loquitur. XVII.

Prior textus talis eſt [a]. *Cùm Rauennam Hildebrandus Regis* Liutprandi *nepos & Peredeo Vincentinus Dux obtinerent, irruentibus ſubitò Veneticis, Hildebrandus ab eis captus eſt, Peredeo viriliter pugnans occubuit.* Sigonius id refert ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-ſextum, quo noſtrates Hiſtorici de Childebrando Caroli fratre penitus ſilent. XVIII. [a] Lib. 6. c. 15. ant. edit. c. 54. nouæ edit.

Poſterior Pauli textus talis eſt [b]. *Rex* Liutprandus *eo tempore in languorem decidens, morti approximauit. Quem Langobardi vitâ excedere exiſtimantes, eius nepotem Hildebrandum, foras muros ciuitatis, ad ſancta Dei Genitricis Eccleſiam, quæ ad perticas dicitur, in Regem leuauerunt. Cui dum contum, ſicut moris eſt, traderent, in eius conti ſummitate, cuculus auis volitando veniens inſedit. Tunc aliquibus prudentibus hoc portento viſum eſt ſignificari, eius Principatum inutilem fore. Rex autem Liudprandus cùm hoc cognouiſſet, non æquo animo* XIX. [b] Lib. 6. c. 16. ant. edit. c. 55. nouæ edit.

Digitized by Google

AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. 1.

accepit, tamen de infirmitate conualeſcens, eum Regni ſui conſortem habuit. Sigonius hæc anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo conſignat.

XX. Apud Chiffletium Hildebrandus à Liutprando non tantùm in Regni conſortem adſcitur, ſed & adoptatur in filium, atque inde dicitur frater ſeu germanus Caroli, cuius patrem ſpiritualem fuiſſe Liutprandum ſic docet Auctor Chronici Noualicienſis [a]. *Ad hunc verò prædictum Regem*, id eſt, ad Liutprandum Regem Longobardorum, *Pippinus ſuum paruulum filium, nomine Karolum, direxit, vt ei iuxta morem ex capillis tonderet, & fieret ei pater ſpiritalis. Quod & fecit. Nam remiſit eum patri ſuo multis honoratum muneribus.*

[a] Tom 1. Coll. Hiſt. Franc.

XXI. Aduersùs Chiffletium ſex proponemus argumenta, quæ quæſtioni pleniſſimè ſatisfacient.

XXII. Primò, quæ de Caroli profectione ad Liutprandum in Chronico Noualicienſi leguntur, ea fidei non videntur indubitatæ, quia nec apud Paulum alióſue Scriptores rerum Longobardicarum, nec apud noſtrates Hiſtoricos inueniuntur. Carolus verò filium ſuum Pippinum ad Liutprandum miſit, vt eius capillum iuxta morem ſuſciperet, & Liutprandus Pippini cæſariem incidit, eíque pater effectus eſt. Hæc antiqui Scriptores cùm Itali tum Franci teſtantur, vt patet ex Paulo Diacono, necnon ex Reginone & ex Aimoini Continuatore, quos ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-tertium [b] citauimus. Quapropter quod alij de Pippino Caroli filio conſtanter aſſeruerunt, id à Chronographo Noualicienſi de eodem Carolo Pippini Herſtallij filio temerè dictum ſuſpicamur. Opinionem noſtram non parum firmat textus Noualicienſis, vbi Carolum, quem Pippinus pater ad Liutprandum dirigit, *paruulum filium* vocat. Carolus enim ex mandato Pippini patris ad Liutprandum Regem non alio proficiſci potuit anno, quàm vel ſeptingenteſimo decimo-tertio, qui primus Liutprandi Regis numeratur, vel ſequenti quo Pippinus ipſius Caroli pater viuere deſiit. Currente autem anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio Carolus viceſimum-quartum agebat ætatis annum, filiúmque Carlomannum ex vxore Rotrude iam ſuſceperat. An *paruulus* tum *filius ?* Multò iunior erat Pippinus, cùm ad Liutprandum à Carolo patre miſſus eſt. Natus erat annos duntaxat vndeuiginti, nec *paruulus* tunc *filius* à Paulo vel ab aliis Auctoribus ſuprà citatis nuncupatur. De Carolo ſic ſcribit Paulus *Filium ſuum*, nempe Pippinum, *ad Liuthprandum miſit.* Regino ſic. *Pipinum filium ſuum ad Luitprandum Regem direxit.* Aimoini Continuator ſic. *Ei* (Luitprando) *filium ſuum Pipinum miſit.* Prætereà pro varia eorum ætate, qui ſpiritales aliorum filij efficiebantur, duplex fuit tonſuræ genus, vnum capillorum, barbæ alterum ; iunioribus incidebantur capilli, barba grandioribus, vt ipſemet obſeruat Chiffletius in reſponſione ad tertium caput diſſertationis de vero Childebrando à Francis editæ. Poſtulabat igitur ætas Caroli, vt ei à Liutprando non capilli ſed barba præſcinderetur anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, ſícque Chronici Noualicienſis auctoritas plurimùm eleuatur.

[b] Num. 3.

XXIII. Secundò, Hildebrandus à Liutprando in Regni conſortem adſcitus eſt, in filium nequaquam eſt adoptatus. Id conſtat ex Paulo Diacono iam allegato, cui Sigonius [c] ſic ſuffragatur. *Morbus* Liutprandi *adeò periculoſus fuit, vt Longobardi de vita Regis & Regni ſalute ſolliciti Hildebrandum, nepotem eius, Regem ad Baſilicam Dei Genitricis ad perticas declararint. Cùm autem haſtam ei de more porrigerent, cuculus in vertice haſtæ conſedit, ex quo infauſtum illi fore Regnum eſt intellectum. Itaque Luitprandus ex morbo recreatus, ac triſti illo omine perturbatus Regnum nepoti confirmare volens, eum Regni ſibi ſocium, coronâ impoſitâ, comparauit.* Nullum ibi verbum de nepote in filium adoptato. Corruit igitur tota Chiffletij ratiocinatio. Nam ſi Liutprandi filius numquam dictus eſt Hildebrandus, nec ipſius Hildebrandi germanus ſeu frater appellatus eſt Carolus.

[c] Ad an. 740.

Tertiò

Digitized by Google

AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. I.

XXIV. Tertiò, licèt prædictos Carolum & Hildebrandum Liutprandi filios, illum ſpiritalem, hunc adoptiuum, fateremur, haud inde ſequeretur hunc Hildebrandum eundem eſſe cum Hildebrando ſeu Childebrando, quem Caroli germanum Auctor ſynchronus vocat in priori Appendice ad Francorum Hiſtoriam iuſſu eiuſdem Childebrandi conſcriptam. Carolus obiit anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo primo, Liutprandus Hildebrandum ante annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum nec in Regni conſortem adſciuit, nec adoptauit in filium, ſi aliquando adoptauit. Ergo Carolus Hildebrandum Longobardum anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo germanum ſuum non dixit.

XXV. Quartò, duo bella Saracenica, quorum vnum hoc anno geſtum eſt, alterum poſt biennium, Paulus in Geſtis Longobardorum [a] ſic commemorat. *Sarracenorum exercitus rurſum in Galliam introiens, multam deuaſtationem fecit. Contra quos Karolus non longè à Narbona bellum committens, eos, ſicut & priùs*, vt ſuo loco diximus, *maximâ cæde proſtrauit. Iteratò Sarraceni Gallorum fines ingreſſi, vſque ad Provinciam venerunt, & captâ Arelate omnia circumquaque demoliti ſunt. Tunc Karolus Legatos cum muneribus ad Liudprandum Regem mittens, ab eo contra Sarracenos, auxilium popoſcit. Qui nihil moratus cum omni Langobardorum exercitu in eius adiutorium properauit. Quo comperto gens Sarracenorum mox ab illis regionibus aufugit. Liutprandus verò cum omni ſuo exercitu ad Italiam rediit.* Vtrique bello Carolus eiúſque *germanus* Childebrandus interfuerunt, vt Auctor Appendicis præcitatæ teſtatur. Ergo hic germanus Caroli non fuit è gente Longobardica, cuius opem Carolus haud implorauit ante annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-nonum, quo poſtremum contra Saracenos bellum feliciſſimè confecit. Nec ab illa te deterreat opinione Sigonius, apud quem Liutprandus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo, vt Carolo ſuppetias ferat, in Franciam venit, & anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-nono exercitum non ex Italia in Galliam ſed ex Ducatu Spoletano in Romanum traducit, ipſámque Romam obſidione cingit. Hic Auctor ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum deceptus fuit à Mariano, cuius hæc ſunt ad illum annum verba. *Saraceni collecto exercitu Auenionem vrbem capiunt, & circùm quaſque regiones deuaſtant.* Et ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-nonum, cùm egit de bello Romano, quod in annum Chriſti ſeptingenteſimum quadrageſimum reiici debet, anno vno res illorum temporum anteuertit. Liutprandus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-nono Carolum contra Saracenos iuuit, anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo bellum in Italia geſſit, & quatuor in Ducatu Romano ciuitates occupauit. Hæc probabimus Tomo ſequenti.

XXVI. Quintò, Anaſtaſius de Hildebrando Longobardorum Rege, quem *Aldeprandum* vocat, in vita Zachariæ Papæ ſic ſcribit. *Diuina clementia eundem Regem* Liutprandum *de hac ſubtraxit luce, & quieuit omnis perſecutio. Factúmque eſt gaudium non ſolùm Romanis & Rauennatibus, ſed etiam genti Longobardorum, quoniam & Aldeprandum nepotem ſuum, quem ipſe reliquerat Regem maliuolum, proiecerunt de Regno, & Rachiſum, qui fuerat Dux, ſibi Longobardi elegerunt in Regem.* Hæc geſta ſunt anno Chriſti ſeptingenteſimo quadrageſimo-quarto, vt inſinuauimus ſuprà. Plura de Hildebrando Longobardorum Rege non leguntur. Vbi poſt exauctorationem degerit, vbi & quando vitam clauſerit, nemo prodit. Illum Chiffletius [b] in Franciam Ariperti Regis & Guntberti fratris exemplo vult fugiſſe. Paulus [c] exitum Ariperti fugámque Guntberti ſic expoſuit. *Aripertus poſtquàm ſenſiſſet, quia ſuum exercitum offenſum haberet, mox arrepto conſilio vt in Franciam fugeret, quantùm ſibi vtile duxit, è palatio aurum ſuſtulit. Qui dum trans fluuium Ticinum granatus auro natare voluiſſet, ibi corruens ſuffocatus aquis extinctus eſt,* &c. *Huius germanus Guntbertus eo tempore in Franciam fugiens, ibidem vſque ad mortis ſuæ diem per-*

[a] L. 6. c. 15. vet. edit. c. 54. nouæ edit.

[b] In reſponſ. ad c. 7. aſſert. de vero Childebr. n. 9.

[c] Lib. 6 c. 32. vet. edit. c. 35. nouæ edit.

Digitized by Google

manſit. Hic Auctor lucubrationem ſuam morte Liutprandi Regis terminauit. Qui Geſta ſubſequentium Regum in literas retulerunt, nuſquam ſcripſerunt Hildebrandum amiſſo Regno in Franciam veniſſe, nec ex Ariperti conſilio fugâue Gunberti validum argumentum erui poteſt. At eſto. Hildebrandus Regno Longobardorum ſpoliatus in Franciam confugerit, an idcirco idem cenſendus cum Childebrando, quem Carolus aduerſùs Saracenos anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo præmiſit?

XXVII. Denique textus Appendicis, quam examinamus, attentè perlege. Hoc anno, poſt Chriſtum natum ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo *vir egregius Carolus Dux germanum ſuum virum induſtrium Childebrandum Ducem, cum reliquis Ducibus & Comitibus, illis partibus,* quas Saraceni vaſtant, occupántque, *cum apparatu hoſtili dirigit.* Poſt biennium, idem Carolus *prædictum germanum ſuum* Childebrandum *cum pluribus Ducibus, commoto exercitu, partibus Prouinciæ dirigit.* Exactóque altero biennio, *Pippinus Dux commoto exercitu cum auunculo ſuo,* id eſt patruo, *Childebrando Duce, & multitudine Primatum & agminum ſatellitum plurimorum, ad Burgundiam dirigunt, fines regionum præoccupant.* In illis textibus nihil occurrit, vnde ſuſpicari poſſis alienigenam fuiſſe Childebrandum, quem Carolus germanum ſuum vocat, & ceteris Ducibus ac Comitibus Primatibúſque Francorum præponit.

XXVIII. *Obſidet Avenionem.* Carolus igitur & Childebrandus germani fuerunt, ex iiſdem parentibus nati. Childebrandus cum maxima Francici exercitûs parte prior aduerſùs Saracenos profectus eſt, Auenionem vrbem ad Rhodanum ſitam, quam illi proditione Mauronti Comitis iam ceperant, obſidione cinxit. Carolus cum reliquis copiis ſtatim aduolauit, nec ſatis eſſe duxit è Francia Saracenos expuliſſe, penetrauit enim in Gothiam ſiue in Septimaniam, illiúſque regionis Metropolim, id eſt, Narbonem, obſedit. Ciuitatem propugnandam ſuſcepit Athima ſiue Adthima, qui Saracenicis copiis in illis partibus præerat. *Saraceni pelluntur e Francia.* Huic obſeſſo ſuppetias laturus ex Hiſpania venit Amor ſiue Amorro vel Amorrus aut Amormacha. Vterque valdè ſtrenuus, ſed à noſtratibus Hiſtoricis Rex Saracenorum perperam dictus, ditiones enim Saracenorum, quamuis ampliſſimæ eſſent, & ex Arabia in Galliam vſque protenderentur, imperio vnius Iſcami ſubiacebant. *Profligantur in Septimania.* Carolus pugnam cum Amorro conſeruit; eóque victo atque enecato totam Septimaniam vaſtauit; nobiliſſimáſque ciuitates, Biterras, Agatham & Nemauſum cepit diruítque; tum victor in Franciam remeauit, vt teſtatur Auctor Appendicis præcitatæ, cui Metenſis Annaliſta ſic ad hunc annum ſuffragatur. *Karolus Rhodanum fluuium dehinc tranſiit, Gothorum fines penetrauit, Narbonem vrbem celeberrimam caſtris circumcinxit, Regem Sarracenorum nomine Adthima cum ſatellitibus ſuis ibidem recluſit. Hac audientes maiores natu Sarracenorum, qui morabantur in regione Hiſpaniæ, collecto exercitu cum alio Rege nomine Amormacha aduerſùs Karolum arma corripiunt. Contra quos inuictus Princeps Karolus, ciuitate Narbonâ ſub cuſtodia derelictâ, in loco, qui vocatur Birra, ſeptimo ab vrbe milliario, intrepidus occurrit. Vbi, diuinâ miſericordiâ ſuccurrente, pugnâ acerrimâ commiſſâ, Karolus Princeps victor extitit. Regem verò præfatum Sarracenorum interemit, exercitúmque eius penitus vſque ad internecionem deleuit, ſpoliíſque innumerabilibus ditatus, cunctâ depopulatâ Gothiâ, diruptíſque ciuitatibus, deuictíſque vniuerſis hoſtibus, præter eos quos in Narbona incluſerat vrbe, eâdem ſub cuſtodia derelictâ, cum magno triumpho remeauit in Franciam.*

XXIX. Annus Chriſti ſeptingenteſimus triceſimus-ſeptimus, quo hæc geſta ſunt, duos annos Arabum aperuit, centeſimum decimum-nonum die ſeptimo Ianuarij, & centeſimum viceſimum die viceſimo-octauo Decembris. Aperuit & annum Iſcami Caliphæ decimum-quintum, menſe Sahaueno, qui, per illum Chriſti annum, partim cum menſe Auguſto, partim cum Septembri conuenit. Abdelmelichus, cùm Hiſpaniæ Septimaniæque Præfecturam quadriennio geſſiſſet, exauctoratus eſt anno Hegiræ centeſimo decimo-no-

Digitized by Google

no, Iſcami Caliphæ decimo-quinto iam inchoato, id eſt, anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo, poſt menſem Auguſtum, cuius dies triceſimus initium anno decimo-quinto Iſcami Caliphæ præbuit. Hanc rerum in Hiſpania mutationem ſic commemotauit Rodericus Toletanus in libro [a] de Arabum Hiſtoria *Abdelmelich Amiramomeni remouetur edicto, & ſucceſſor ei mittitur Aucupa ſiue Ocha, anno Arabum centeſimo decimo-nono, Hyſcam verò anno decimo-quinto, & quinque annis regnauit.* AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. 1.

Quid nouus hic Hiſpaniarum Præfectus anno pòſt ſecundo contra Franciam ſuſceperit, exponemus Tomo ſequenti. Interim illa Præfectorum apud Hiſpano-Mauros mutatio prohibuit, ne ſtatim poſt Caroli diſceſſum è Septimania Saraceni quidquam aduersùs Francos tentarint. Cur autem Carolus vrbibus, quas in Septimania ceperat, ſolo adæquatis, in Franciam quamprimùm redierit, dicemus infrà. Francorum gloriam plurimùm, ditiones verò nequaquam auxit hoc bellum. Quapropter de Præſulibus, qui Septimaniæ vel Epiſcopatus vel Monaſteria tunc regebant, hîc non inquiremus. Obiter tantùm nota, quinam Auenione & Arelate ſederint Antiſtites, alteram enim illarum ciuitatum Saraceni dolo ceperunt, & alteram eâdem conati ſunt fraude circumuenire. Diœceſim Auenionenſem adminiſtrabat Ioannes, de quo non ſemel iam locuti ſumus; Arelatenſem Innodius, de quo Saxium conſule in Pontificio Arelatenſi. [b] ABDELMELICHVS EXAVCTORATVR. SVBROGATVR AVCVPA. XXX.

[a] Cap. 15.

[b] Num. 52.

Carolus, cùm è Septimania Lutetiam rediret, per Aurelianos iter habuit, & Eucherium illius Diœceſeos Epiſcopum Pariſios poſt ſe venire præcepit. Totius rei geſtionem accipe ex Anonymo coæuo in vita S. Eucherij [c]. *Creſcebat vndique fama eius longè latèque per Orbem. Erat enim charus omnibus, atque cunctis actibus Deo acceptus, & cùm opinio eius paſſim vulgaretur, inimicus humani generis inuidens eius gloriæ atque ſanctitati, fefellit quoſdam cordis ſui veneno mortifero, quatenus inuidiâ circumfuſi ſuggererent Carolo Principi, vt beatum virum, cum omni propinquitate ipſius, exilio deputaret, honoréſque eorum quoſdam propriis vſibus annecteret, quoſdam verò ſuis ſatellitibus cumularet. Carolus verò ſuggerentibus fatur ita. Noſtis gentem hanc ferociſſimam atque belligeram ac locupletatam vehementer, quocirca perficere nequaquam abſque ambiguitate valemus. Intereà gens nefanda Iſmahelitarum ex propriis cubiculis egreſſa, ad depopulandam prouinciam, Aquitaniam ingreſſa, imminenti periculo ſui exercitûs cunctam vaſtans ſupellectilem, ciuitates & caſtella nititur expugnare. Audiens hac Carolus Princeps, collectis gentibus Burgundiorum Francorúmque, obuiam illis pergit cum magno exercitu, atque illos cum ſuo vaſtans exercitu, victoriáque obtentâ, cum magnis ad propria reuerſus eſt ſpoliis. Cùm autem ad ciuitatem veniſſet Aurelianis, Ligeris alueum pertranſiens, prandiáque parata relinquens, & ad vrbem Pariſius tendens, B. Eucherium poſt ſe venire præcepit. At ille ſciens aduersùm ſe inſidias præparatas, nequaquam renuit, non Principis tamen, ſed Dei implens mandata, præceps & ſpontaneus ad lapſum periculi non ſe ingeſſit, ſubiiciens ſe, ſicut B. Petrus ait Apoſtolus, omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi velut imperanti, ſiue Præfectis tanquam ab eo poſitis ad vlciſcendam prauitatem impiorum, vt canatur laus bonorum. Anno verò ſexto-decimo eius Epiſcopalis Ordinis, Aurelianis egrediens, & Pariſius ordinante Principe præteriens, Vernum quoque publicæ ...... * illicò conuolauit, vulgatúmque eſt celeriter principis auribus, compertóque Sanctum adeſſe Sacerdotem, ſatellitibus eum capere præcepit, eúmque in exilium cum reliquis propinquis ad vrbem Coloniam perduci fecit.* XXXI. CAROLVS EVCHERIVM EP. AVRELIANENSEM ABLEGAT COLONIAM.

[c] Ap. Bolland. d. 20. Febr.

* Sur. & Bolland. *dictionis*, al. *dilectionis*.

In hoc textu, vt in aliis quibuſdam, quos ſuprà citauimus, Iſmaelitarum nomine deſignantur Saraceni, de quorum origine ſic Sozomenus [d]. *Hæc gens ab Iſmaele Abrahami filio originem ducens vocabulum quoque accepit, eóſque antiqui ab auctore generis Iſmaelitas nominarunt. Verùm vt probrum adulterinæ originis declinarent, & ignobilitatem Agar matris Iſmaelis, quæ ſerua erat, abolerent, ipſi ſe Saracenos nominarunt, quaſi ex Sara coniuge Abrahami orti eſſent.* Τουτὶ γὰρ τὸ φῦλον ἀπὸ Ισμαὴλ τοῦ Ἀβραὰμ παιδὸς τὴν ἀρχὴν λαβὸν, XXXII. SARACENI DICTI ISMAELITÆ.

[d] Lib. 6. c. 38.

Digitized by Google

AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. I.

καὶ τὴν περιτομὴν εἶχε, καὶ Ἰσμαηλίτας αὐτοὺς οἱ ἀρχαῖοι, ἀπὸ τοῦ προπάτορος ὠνόμαζον· ἀποτειβόμενοι δὲ τοῦ νόθου τὸν ἔλεγχον, καὶ τῆς Ἄγαρ τῆς Ἰσμαὴλ μητρὸς τὴν δυσγένειαν, δούλη γὰρ ἦν, Σαρρακηνοὺς σφᾶς ὠνόμασαν, ὡς ἀπὸ Σάρρας τῆς Ἀβραὰμ γαμετῆς καταγομένους. Iſmaelitas quidem ab Iſmaele dictos arbitramur, ſed Saracenos à Sara nuncupatos negamus. Vnde Saraceni ſic appellati ſint explicuimus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum-primum [a]. Bollandus [b], cui Sozomenum hoc loco præferendum exiſtimamus, Iſmaelitas à Saracenis diſtinguit, aítque Iſmaelitas paſſim pro Saracenis ſumi, quoniam eis in Arabia vicini quondam habitarunt.

[a] Num. 7.
[b] D. 7. Febr. in Comment. de S. Moyſe, & d. 10. Febr. in not. ad vit. S. Eucherij.

XXXIII. Alia non leuis occurrit difficultas in textu è vita ſancti Eucherij ſuprà deſcripto, quia piiſſimi Antiſtitis exilium proximè ſubiicitur victoriæ, quam Carolus de Saracenorum ſiue Iſmaelitarum gente *Aquitaniam ingreſſa* reportauit. E præliis, quæ Carolus contra Saracenos iniit, duo præcipuè commemorantur, vnum in Aquitania prope Pictauium, alterum prope Narbonam in Septimania. *Karolus*, inquit Eginhardus in vita Caroli Magni, *Sarracenos Galliam occupare tentantes, duobus magnis præliis, vno in Aquitania prope Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam apud Byrram fluuium ita deuicit, vt* &c. Prope Pictauium anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo dimicatum, prope Narbonam anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo. Textus, quem examinamus, intelligendus videtur de prælio Pictauienſi, meminit enim Aquitaniæ, in qua ſitum Pictauium. Capiendus tamen de pugna Narbonenſi, quia, ſi poſt prælium Pictauienſe pulſus eſt Eucherius anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſecundo, cùm annum in Epiſcopatum decimum-ſextum ageret, Pontificales Infulas adeptus eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-ſexto. Id autem alieniſſimum à vero, tunc enim in Neuſtraſia, vbi Aurelianum, auctoritate nondum præualebat Carolus, ad quem poſt Suauarici Epiſcopi mortem Aurelianenſes legationem direxerunt, vt Eucherium ipſius Suauarici nepotem *plebi Aurelianorum Pontificem* iuberet *annecti*. Rectè verò procedet Chronologia, ſi dixeris irrogatum Euchério exilium poſt pugnam Narbonenſem, ſuppones enim delatum ei Pontificatum anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo-primo, cùm Carolus vt in Auſtraſia ſic & in Neuſtraſia Maioratum Regiæ domûs exerceret, Theodorico Quarto Rege, tum puero. Nec Aquitaniæ vocabulum te terreat, licèt enim Gallia Narbonenſis ab Aquitania ſub Romanis diſtingueretur, dein Septimania, quæ Narbonenſis Galliæ pars erat, ſub Aquitania comprehenſa eſt, regnantibus ibi Wiſigothis, quibus Saraceni, poſteà Franci ad hanc vſque diem ſucceſſerunt. Hinc Aimoinus in Præfatione [c], quam Hiſtoriæ Francorum præfixit, vrbes egregias, quæ *in Aquitania* continentur, enumeraturus primo loco Narbonam ſtatuit. *In Aquitania*, inquit, *continentur vrbes egregiæ; Narbona*, &c.

AQVITANIA SEPTIMANIAM COMPLECTITVR.

[c] Cap. 4.

XXXIV. Cur autem Carolus è Septimania Pariſios citiſſimè reuerſus ſit, hæc vna poteſt afferri ratio, quòd de Theodorico Rege vel morti proximo vel mortuo nuncium accepiſſet. Obitum enim Theodorici Regis hoc anno conſignandum multæ res probant. Primò, Theodoricus anno ſuperiori ſuperſtes in viuis erat, vt ad illum annum ex Hiſtoria iuſſu Childebrandi Comitis tunc ſcripta probauimus. Deinde *regnauit annos* XVII, vt docent Auctores breuiſſimorum Chronicorum, quæ publicata ſunt ab Andrea Ducheſnio, vnum è Cœnobio Sancti Remigij Remenſis, alterum è Bibliotheca Tiliana, deſinúntque, Remenſe in vltimo Childerico, Tilianum in Pippino. Denique hoc anno mortuus aſſeritur apud veterem Anonymum, qui Tractatum de Computo Eccleſiaſtico compoſuit, & operis ſui capite triceſimo ſic ſcripſit. *A Natiuitate Domini vſque ad præſentem annum, in quo Teudericus Rex Francorum defunctus eſt*, DCCXXXVII. *in quo anno, Indictione quintâ*, &c.

THEODORICVS R. OBIT.

Digitized by Google

Philippus Labbeus hoc fragmentum in Elogio Theodorici Regis euul- AN. CH.
gauit. Idem Auctor in Hiſtoria Regum Francorum epitomata ſcribit exta- 737.
re Chartam San-Benignianam, quæ data eſt feriâ ſextâ, menſe Martio, an- THEO-
no Theodorici Regis decimo-ſeptimo. *Sepultus eſt* Theodoricus *in D. Diony-* DOR. IV.
ſij Æde, vt obſeruat Auctor Chronici de Regibus Francorum, quod Hiſ- R. 17.
toriæ Pauli Æmilij præponitur. P. M. I.

Cùm legis Theodoricum annis ſeptemdecim regnaſſe, annos interpreta- XXXV.
re incompletos. Regnum enim ſuſcepit anno Chriſti ſeptingenteſimo vice-ſimo-primo, menſe vel Ianuario, vel Februario, cùm Chronographi, qui principium anni à Paſcha ducebant, annum Chriſti ſeptingenteſimum viceſimum adhuc numerarent. Hæc obſeruatio noſtram opinionem cum vulgata, quæ Chilpericum Tertium è viuis anno Chriſti ſeptingenteſimo viceſimo ſublatum affirmat, facilè conciliabit. Obiit autem Theodoricus, cùm annum Regni decimum-ſeptimum ageret. Viuebat menſe Martio, vt dictum ſuprà. Vitam amiſit currente adhuc Indictione quintâ, *menſe* videlicet *Iunio*, vt habet Chronicon de Regibus Francorum, quod Hiſtoriæ Pauli Æmilij præfixum legimus. Eâ ratione permoti, iuxta illorum calculum, qui annos incompletos pro completis numerant, hunc annum, præfixo duplici titulo, & vltimum Theodorici Regis, & primum poſt eiuſdem Regis mortem diximus.

Vt autem Theodoricum annis ſeptemdecim incompletis, ſic ſexdecim XXXVI.
completis regnaſſe iure aſſeres. Ita cenſuiſſe videtur Erchanbertus, qui paucis annis poſt Theodorici mortem Breuiarium Regum Francorum & Maiorum-domûs edidit. Vbi enim vulgata exemplaria teſtantur Theodoricum regnaſſe *annis* VI, addito X lege regnaſſe *annis* XVI. Textus in editione Ducheſniana talis eſt [a]. *Theodericum, filium Dagoberti iunioris, Franci in Regem ſibi ſtatuunt, qui nutritus in Cala Monaſterio erat, regnauítque annis* VI. (reſtitue XVI.) *Maior-domûs ac Princeps Carolus. Qui iam vtraque Regna viriliter gubernans, circumquaque cum Regibus ac Ducibus bella ſemper ſuperando committens, donec eum, omnes vincendo, qui ei contrarij fore videbantur, vincere conſtabat.* Philippus Labbeus in encomio Theodorici Regis, Erchanbertum ita corrigendum autumat. *Theodericum, filium Dagoberti iunioris, Franci in Regem ſibi ſtatuunt, qui nutritus in Cala Monaſterio erat. Regnauit annis quatuor Maior-domûs ac Princeps Carolus, qui iam vtraque Regna viriliter gubernans*, &c. Hæc Erchanberti non emendatio, ſed mera deprauatio eſt, ídque facilè Lector diiudicabit inſpecto Regum ac Majorum-domûs Breuiario. Apud Erchanbertum vnicuique Regi ſuus ſubjicitur Maior-domûs. *Dagobertus Rex* &c. *Maiordomûs eius Erchanoldus. Chlodoueus Rex, filius Dagoberti*, &c. *Maiordomûs qui ſuprà*, id eſt, Erchanoldus. *Chlodharius Rex, filius Chlodouei*, &c. *Maior-domûs Ebroinus. Theodoricus Rex, filius Chlodouei, frater Chlodharij*, &c. *Maior-domûs Bertharius. Quo occiſo, Pippinus iunior, filius Anſegiſili, ſucceſſit in Principatum Maiorum-domûs. Chlodoueum filium Theodorici conſtituunt Regem*, &c. *Maior-domûs Pippinus, qui ſuprà. Childebertum, filium Theodorici, fratrem Chlodouei, ſtatuunt in Regnum.* &c. *Maior-domûs conſtituitur Grimoaldus filius Pippini*, &c. *Dagobertum, filium Childeberti, Regem ſtatuunt*, &c. *Maior-domûs Thedoaldus, filius Grimoaldi, poſt quem Regnifredus*, ſeu Reganfredus, qui Maioratum quoque ſub Chilperico prædicti Dagoberti ſucceſſore geſſit, ideóque Carolus *multa bella cum Chilperico Rege, & ſuo Maiore-domûs, nomine Reganfredo* commiſiſſe dicitur. Chilperico ſucceſſit in Regnum Theodoricus Dagoberti iunioris filius, cuius temporibus Carolus Maioratum Regiæ domûs exercuit. De vtroque ſic Erchanbertus. *Theodericum, filium Dagoberti iunioris, Franci Regem ſibi ſtatuunt, qui nutritus in Cala Monaſterio erat, règnauítque annis* XVI. *Maior-domûs ac Princeps Carolus.* Vt Dagoberto & Clodoueo Erchanoldus, Clotario Ebroinus, Theodorico Bertharius, Clodoueo Pippinus, Childeberto Grimoaldus, Dagoberto The-

[a] Tom. I. Coll. Hiſt. Franc.

AN. CH. 737. THEODOR. IV. R. 17. P. M. 1.

doaldus, Chilperico Reganfredus, ſic & Theodorico Carolus Maior-domûs attribuitur. Et quoniam poſt huius Theodorici mortem per aliquot annos alius Rex non regnauit, & ſumma rerum Francicarum penes vnum Carolum Maiorem-domûs fuit, Erchanbertus encomium Caroli ſic proſequitur. *Maior-domûs ac Princeps Carolus. Qui iam vtraque Regna*, id eſt, Auſtriam & Neuſtriam, cui vnita Burgundia, *viriliter gubernans, circumquaque cum Regibus ac Ducibus bella ſemper ſuperando committens, donec eum omnes vincendo, qui ei contrarij fore videbantur, vincere conſtabat.*

XXXVII. Ætas Theodorici Regis ex ætate Dagoberti patris facilè deprehenditur. Dagobertus Tertius ex hac vita diſceſſit anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-quinto, natus annos circiter viginti. Theodoricus eius filius obiit anno pòſt viceſimo-ſecundo, ſiue anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo. Vixit annos tres ac viginti. Varia recitauimus. Diplomata quæ pro Monaſteriis emiſit, cùm diuerſis in locis degeret, modò Sueſſione, iam Confluentibus, nunc Metis. An Regem, qui prouincias Regni ſui puer adierit, apud Mamaccas cuſtoditum tanquam ludicrum aliquid plebi ſuo tempore producendum dices? Præterea illius ætatem ſtatúmque Regni diligenter attende, nec amentem vel ignauum puta, quòd Carolum, qui maiorem ſibi, quàm par erat, auctoritatem arrogabat, non redegerit in ordinem, vel è Maioratu non deiecerit. Vbi primùm gerendis negotiis aliquatenus idoneus eſſe cœpit, Saracenos Duce Abdiramâ Franciæ ſenſit imminere. An amentiæ vel ignauiæ tribuendum, quod ſtatim de Carolo non ſit conqueſtus? Carolus, vt nuperrimè diximus, ab Aurelianenſibus rogatus, vt Eucherium Epiſcopum eiúſque propinquos in exilium mitteret, id in procinctu belli Saracenici noluit aggredi, quia, teſte Auctore ſynchrono in vita Sancti Eucherij, nouerat *gentem hanc ferociſſimam atque belligeram ac locupletatam vehementer*, odiúmque & iram diſſimulauit, vſquedum victoriam de hoſtibus reportaſſet, Theodorico Regi potior ratio fuit, vt ciuiles diſcordias caueret, quæ dubio procul orituræ Regnúmque in vltimum diſcrimen adducturæ videbantur, ſi de Carolo diffidere ſe vel tantillùm teſtaretur. Dagoberti patris ſui præclaro doctus exemplo prudentiam fortitudini coniungendam ſciebat. Dagobertus, Pippino Herſtallio in viuis ſuperſtite, ſuum celauit odium, ſed eo mortuo pugnam cum Theudoaldo eiuſdem Pippini nepote ſtatim conſeruit, morbóque paulò pòſt extinctus eſt in medio victoriarum curſu, cùm totam Pippini domum in ordinem iamiam redacturus videretur. Eâdem præditus ſapientiâ Theodoricus nihil aduerſùs Carolum ſuſcepit, rebus ſuis per difficillima tempora ſic conſulendum ratus, vitâ verò comite neutiquam paſſurus, vt Carlomannus & Pippinus eâdem quâ Carolus pater auctoritate potirentur. At obiit ſuperſtite in viuis Carolo, reliquitque in tenerrima ætate filium, nomine Childericum, de quo ſermonem Tomo ſequenti faciemus.

VINDICATVR A CALVMNIA.

XXXVIII. STatueramus quartum hunc Annalium noſtrorum Tomum ad inaugurationem vſque Pippini Regis perducere, cúmque nos id facturos putaremus, complures Epiſcoporum & Abbatum Catalogos ad illud vſque tempus per anteceſſum texuimus. At ne præſtaremus quod polliciti fueramus, obfuit rerum per annos ſeptem & quinquaginta geſtarum vberior materia, quæ initium ſumpſit ab anno Chriſti ſexcenteſimo octogeſimo quo Theodoricus Tertius vniuerſam Francorum Monarchiam cœpit obtinere, deſiitque in anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-ſeptimo quo Theodoricus Quartus eiuſdem Theodorici Tertij pronepos vitam clauſit.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM ET VERBORVM
IN QVO
A, Annum, N. Numerum ſeu Sectionem denotat.

A

ABBAS in prouincia Lugdunenſi II. non conſtituendus abſque conſenſu aut electione Audoeni Ep. Rotomagenſis, a. 681. n. 62.

Abbas Fontanellenſis eligendus è Congregatione, a. 688. nn. 8. 10.

Abbo Ep. Metenſis, a. 697. n. 4. a. 707. n. 14.

Abbo Ep. Virodunenſis, a. 715. n. 46. a. 716. n. 18.

Abbo munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.

Abdelmelichus Præfectus Hiſpaniæ & Septimaniæ, a. 736. nn. 18. *& ſeqq.* exauctoratur, a. 737. n. 29.

Abdirama Præfectus Hiſpaniæ & Septimaniæ, a. 729. n. 8. vincit Munuzium rebellem in Hiſpania, a. 730. n. 38. obſidet Arelatem, a. 731. n. 1. ſolutâ obſidione vlteriùs penetrat in Franciam, necatúrque in pugna Pictauienſi, a. 732. nn. 21. *& ſeqq.*

Abidelgama Abbatiſſa Tuſſiacenſis, a. 686. n. 14.

Abientius vtrùm Ep. Oloronenſis, a. 732. n. 53.

Abolenus, Babolenus, Papolenus, Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, quando, a. 685. n. 2. a. 693. n. 16.

Acca an profectus in Friſiam cum Willebrordo, a. 690. n. 4. an reuerſus in Angliam cum Suiberto, a. 693. nn. 5. 8. an interfuit Synodo Vltraiectinæ, a. 702. n. 16.

Aceolus Martyr transfertur, a. 689. n. 13.

Aceus Martyr transfertur, a. 689. n. 13.

Adalbertus Abb. Ferrarienſis, quando, a. 713. n. 44.

Adalbertus Ep. Sueſſionenſis, quando ſedit, a. 700. n. 28.

Adalbertus frater S. Odiliæ, Dux Alamanniæ, intereſt exequiis parentum ſuorum, a. 693. n. 34. Sedem ſui Ducatûs ponit in villa *Konighous* prope Straſburgum, *ibid.* n. 40. duo condit Monaſteria; S. Stephani, a. 712. n. 2. S. Michaelis, a. 721. nn. 78. 79. obit, *ibid.* n. 80. eius vxores ac liberi, *ibid.* n. 81.

Adalfredus fit Abb. Antrenſis, a. 699. n. 1. vexat Monachos, obítque, a. 700. n. 5.

Adalgardis Abbatiſſa S. Mariæ Sueſſionenſis, a. 718. nn. 10. *& ſeqq.*

Adalſinda Abbatiſſa Laudunenſis, a. 707. n. 15.

Adalſinda vxor Wolfandi Comitis, a. 709. n. 4.

Adalſquarus cum vxore condit Mon. Alciacenſe, a. 700. n. 23.

Adamarius Ep. Aurelianenſis, quando ſedit, a. 716. n. 16.

Adela Dagoberti II. Regis filia condit Monaſt. Palatiolenſe, fitque prima Abbatiſſa, a. 700. nn. 44. *& ſeqq.* ſuſcipit Winfridum, a. 722. nn. 50. 51. condit Teſtamentum, a. 732. nn. 1. 2.

Adelbertus Diaconus in Franciam venit cum Willebrordo, a. 690. n. 4. erudit Friſios citeriores, *ibid.* n. 5. intereſt Synodo Vltrajectinæ, a. 702. n. 23. obit, a. 705. n. 30.

Adelemus ſocius S. Landelini, a. 691. nn. 19. 20.

Adelphius Diaconus, a. 699. n. 11. Abb. Magnilocenſis intereſt Tranſlationi S. Boniti, a. 723. nn. 41. *& ſeqq.*

Ado Abb. munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.

Adonus Prior Luxouienſis, a. 699. n. 23. Abbas, *ibid.* n. 25.

Adrechildis Abbatiſſa Cenomanenſis, a. 686. n. 13.

Adulphus Ep. Meldenſis, a. 710. n. 6. a. 715. n. 47.

Adulphus Ep. Pariſienſis, a. 709. n. 7. a. 715. n. 47.

Digitized by Google

Afri arcentur à Clericatu, a. 723. n. 26. cur, *ibid.* n. 29.
Aganulfus munificus erga Monaſt. Fontanellenſe, a. 715. n. 16.
Agatheus Ep. Redonenſis occupat etiam Eccleſiam Namnetenſem, a. 694. nn. 23. *& ſeqq.* obit, a. 703. nn. 6. 7.
Agathius Ep. Carnotenſis, a. 689. n. 17. obit, a. 696. n. 10.
Agathius Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Aggericus Ep. Lemouicenſis quando ſedit, a 703. n. 3.
Aggrebardus Ep. Virodunenſis, a. 709. n. 4. an interfuit Tranſlationi S. Lamberti, a. 721. n. 40.
Agilbertus Ep. Andegauenſis quando ſedit, a. 705. n. 18.
Agiſlus Ep. Bellicenſis quando ſedit, a. 722. n. 54.
Agiulfus Abb. Solemniacenſis, quando, a. 698. n. 10.
Agoſenus Ep. Bituricenſis quando ſedit, a. 697. n. 32.
Agratus Ep. Viennenſis, a. 707. n. 16. a. 714. n. 18.
Agricolus Ep. Auenionenſis conſtruit Eccleſiam, a. 690. n. 10. pietate claret, a. 692. n. 30. obit, a. 700. nn. 15. 16.
Agionius Ep. Vitodunenſis quando ſedit, a. 733. n. 5.
Aguilberta Iotrenſis Abbatiſſa, a. 700. n. 38.
Aja Hidulphi Ducis vxor, a. 701. n. 2.
Aja mater S. Ragenuflæ, a. 681. n. 58.
Aichardus Monachus Quinciacenſis, a. 684. n. 16. Abb. Gemmeticenſis, a. 685. n. 3. a. 690. n. 11. a. 718. n. 3. a. 720. nn. 36. *& ſeqq.*
Aidulfus fit Ep. Autiſſiodorenſis, a. 733. n. 25.
Aiga munifica erga Monaſt. Fontanellenſe, a. 715. n. 16.
Aiglibertus Ep. Cenomanenſis, a. 681. n. 79. a. 687. n. 19. Priuilegium cudendæ monetæ obtinet à Theodorico III. R. a. 685. n. 10. cur dictus Archiepiſcopus, Archicapellanus, *ibid.* nn. 11. 12. Mon. S. Albini conſtruit Cenomani, *ibid.* n. 13. Priuilegium concedit Mon. puellari Cenomanenſi, a. 686. n. 13. obit, a. 716. n. 15.
Aigulfus Abb. Maioris Monaſterij, a. 686. n. 69.
Aimoinus auctus ex multis Auctoribus, a. 684. nn. 20. *& ſeqq.* a. 726. n. 39.
Airardus fit Ep. Carnotenſis, a. 685. n. 29. ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 18. obit, a. 689. n. 17.
Ajus pater S. Ragenuflæ, a. 681. n. 58.
Alaboldus fit Abb. S. Emmeramni, a. 735. n. 5.
Albericus fit Abb. Gandenſis, a. 723. n. 39. obit, a. 730. n. 23.
Albiga redit ad Wiſigothos, a. 682. nn. 22. 25. ad Francos, a. 725. n. 24.
S. Albini Mon. Cenomani, a. 685. n. 13.
Albo Ep. Veſontionenſis, a. 699. n. 23. a. 708. nn. 51. 52.
Alciacum Mon. puellare in E. Taruannenſi, a. 700. nn. 23. 24.
Alcimus munificus erga Eccleſiam Viuarienſem, a. 705. n. 24.
Aldebertus Ep. Conſtantienſis ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. n. 26.
Aldegundis prima Abbatiſſa Melbodienſis obit, a. 684. nn. 1. *& ſeqq.* transfertur, a. 690. nn. 7. *& ſeqq.* a. 696. n. 3.
Aldetrudis fit Abbatiſſa Melbodienſis, a. 684. n. 2. obit, a. 696. n. 3.
Aldewinus Ep. Colonienſis, a. 690. n. 5.
Aldobertus Ep. Treecenſis, a. 700. n. 37.
Aldo fit Abb. Haſnonienſis, a. 708. n. 49. obit, a. 727. n. 2.
Aldricus Abbas Centulenſis, quando, a. 700. nn. 41. 43. a. 720. n. 25.
Aldus Ep. Bituricenſis quando ſedit, a. 697. n. 32.
Alemannia in plures Ducatus diuiſa, a. 693. nn. 38. *& ſeqq.*
Alfonſus Abb. Caſtrenſis, a. 734. n. 1.
Almedius munificus erga Monaſt. Fontanellenſe, a. 715. n. 16.
Alpais ſuperinducitur à Pippino, a. 688. n. 2. agit pœnitentiam, piéque moritur in Mon. a. 692. n. 4. a. 714. n. 6. vindicatur à calumnia, a. 708. nn. 26. *& ſeqq.*
Alto condit Monaſt. Weingartenſe, fitque primus Abb. a. 718. n. 18.
Amalfridus conditor Monaſt. Hunocurtenſis, a. 685. nn. 46. 47. a. 687. n. 1.
Amanaburgenſe Mon. conditur, a. 732. n. 18.
S. Amandi Tranſlatio, a. 694. nn. 29. 30.
Amandus Abb. Lerinenſis, a. 690. n. 10. a. 701. n. 14.
Amandus Ep. Siluanectenſis, a. 695. n. 24. a. 729. n. 6.
Amaraldus an Ep. S. Martini, a. 717. nn. 12. *& ſeqq.*
Amator Ep. Auguſtodunenſis, a. 732. n. 35.
Amatus Ep. Senonenſis exul Peronâ Broilum abducitur, a. 686. nn. 41. *& ſeqq.* in itinere claret miraculis, *ibid.* n. 45. fit Abb. Broilenſis, *ibid.* n. 49. obit, a. 690. nn. 13. *& ſeqq.* transfertur, a. 693. n. 15.
Ambianenſis Eccl. Cathedralis, a. 721. n. 57.
Amblacus Epiſcopus Cabilonenſis, a. 732. n. 32.
Amelberga obit, a. 686. nn. 17. *& ſeqq.*
Ameltrudis mater S. Maxellendis, a. 691. n. 39.
Amingerus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, quando, a. 685. n. 2.

Digitized by Google

Amitho Ep. Namnetenſis, a. 703. n. 7. a. 716. n. 13.
Amolgerus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, quando, a. 685. n. 2.
Anaſtaſia Abbatiſſa Horreenſis, quando, a. 726. n. 17.
Anaſtaſius Ep. Arelatenſis, a. 684. n. 17.
Anaſtaſius Ep. Carpentoractenſis, a. 686. n. 15.
Andainum Mon. in E. Traiectenſi, a. 704. n. 41.
Andana Mon. puellarum in E. Traiectenſi, a. 686. n. 16.
S. Andochij Monaſteriolum, a. 722. n. 57.
Andreas Abb. Elnonenſis obit, a. 688. n. 5. transfertur, a. 694. n. 31.
Aneglia cum marito Adalſquaro condit Mon. Alciacenſe, a. 700. n. 23.
Anſledis, a. 684. n. 5.
Angadriſina Abbatiſſa Oratorij, a. 683. n. 10.
Anglinus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 727. n. 40.
Anianus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Anianus Archidiaconus obit, a. 697. n. 7.
Anno Ep. Colonienſis, a. 707. n. 4. profligat Suevos, a. 712. n. 1. intereſt ordinationi S. Huberti, a. 708. n. 43. Tranſlationi S. Lamberti, a. 721. n. 40. vindicatur à calumnia, a. 724. nn. 23. *& ſeqq.*
Annus Arabum Lunaris, a. 721. n. 11.
Anſbertus Abbas Fontanellenſis ſuſcipit wlfrannum Ep. Senonenſem, a. 682. nn. 27. *& ſeqq.* fit Ep. Rotomagenſis, a. 683. n. 9. transfert corpus S. Audoeni, a. 687. nn. 11. *& ſeqq.* celebrat Concilium Rotomagi, a. 688. nn. 7. *& ſeqq.* an interfuit Blangiacenſi dedicationi, a. 690. nn. 26. 27. exulat apud Altum-Montem, a. 692. n. 35. licentiam obtinet redeundi ad ſuum Epiſcopatum, a. 694. n. 28. obit, a. 695. n. 5. transfertur, *ibid.* nn. 6. *& ſeqq.* a. 704. nn. 2. *& ſeqq.*
Anſbertus ſiue Aubertus Ep. Auguſtodunenſis baptizat Eucherium, a. 692. n. 42.
Anſelinus Comes Virodunenſis, a. 733. n. 5.
Anſemundus Ep. Bellicenſis, a. 722. n. 54.
Anſoaldus Ep. Pictauienſis, a. 681. n. 2. ſuſcipit Reliquias S. Leodegarij, *ibid.* nn. 3. 4. it Gemmeticum, a. 683. n. 3. Philibertum Gemmetico redeuntem recipit cum gaudio, a. 684. n. 14. condit Mon. S. Michaelis in Eremo, *ibid.* ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 19.
Anteſtius Ep. Cabilonenſis, a. 732. n. 32.
Antimus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Antiochenſis Epocha, a. 681. nn. 14. *& ſeqq.*
Aper primus Abb. Mon. S. Cerauni, a. 685. nn. 26. 28.
Apollonius Abb. S. Emmerammi, a. 697. n. 14. obit, a. 710. n. 8.
SS. Apoſtolorum Mon. prope Metas, a. 692. nn. 2. 3.
Aptatus Ep. Metenſis, a. 707. n. 14. a. 715. n. 46.
Aqualina ſylua, a. 690. n. 12.
Aquila munifica erga Mon. Cellenſe, a. 684. n. 18.
Aquilinus Ep. Ebroicenſis ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. n. 20. fit cæcus, *ibid.* obit, a. 695. n. 12.
Aquitania diſtinguitur à Vaſconia, a. 719. nn. 4. 5. complectitur Septimaniam, a. 737. n. 33.
Arduinus Ep. Trecenſis, a. 722. nn. 10. *& ſeqq.*
Ariualdus Abb. a. 701. n. 8.
Armentrudis Abbatiſſa S. Mariæ Sueſſionenſis, quando, a. 718. n. 12.
Armonius Abb. Theologienſis fit Ep. Virodunenſis, a. 689. n. 6. nonnulla prædia ſuæ Eccleſiæ permutat cum Pippino & Plectrude, a. 701. n. 3. obit, *ibid.*
Arnoldus filius Drogonis, a. 723. nn. 2. 3.
Arnolphus Abb. weltenburgienſis, quando, a. 693. n. 30.
Arnonius ſiue Arnolfus Epiſc. Catalaunenſis ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 21.
Arrius Abb. S. Petri in E. Cenomanenſi, a. 685. n. 13.
Arueranus Abb. Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.
Arulfus Abb. Luxouienſis, quando, a. 732. n. 34.
Aſtoricus Abb. Reomaenſis, a. 711. n. 23. Ep. Lingonenſis, a. 713. n. 37. a. 715. n. 43.
Aſtrammus Abb. weiſſenburgenſis, quando, a. 722. nn. 36. 44.
Atalia prima Abbatiſſa S. Stephani Argentorati, a. 709. n. 2. a. 725. n. 32.
Athicus ſiue Ethico pater S. Odiliæ, a. 690. nn. 48. *& ſeqq.* obit, a. 693. n. 34. eius Teſtamentum examinatur, *ibid.* n. 36. liberi, *ibid.* n. 37.
Aubertus Ep. Darantaſienſis quando ſedit, a. 690. n. 42.
Aucupa Præfectus Hiſpaniæ & Septimaniæ, a. 737. n. 29.
Auderamnus Monachus Solemniacenſis, a. 699. n. 11.
Audoenus Epiſc. Rotomagenſis Ragnobertum à morte liberat, a. 681 n. 60. inſigne Priuilegium obtinet à Theodorico III. R. vt nullus Epiſcopus, nullus Abbas, nullus Comes, nullus Iudex in prouincia Lugdunenſi II. conſtituatur præter eum, quem ipſe aut elegerit, aut

conſenſerit eligi, *ibid.* n. 67. ſcribit Philiberto Abbati, *ibid.* n. 68. ei fit amicus vt anteà, a. 682. n. 1. Giſlemarum redarguit, *ibid.* n. 3. Crucem videt in aere, *ibid.* nn. 4. *& ſeqq.* prædicit mortem Giſlemari, a. 683. n. 2. pacem inter Auſtraſios & Neuſtraſios componit, a. 683. n. 5. obit Clipiaci, *ibid.* nn. 6. 7. transfertur Rotomagum, *ibid.* n. 8. iterum transfertur, a. 687. nn. 11. *& ſeqq.*

Audoinus Ep. Conſtantienſis ad Rhenum, a. 730. n. 14. obit, a. 736. nn. 5. 6.

Audrannus, a. 686. n. 1.

Audulfus Abb. S. Maxentij intereſt Tranſlationi S. Leodegarij, a. 681. nn. 2. *& ſeqq.*

Augia in E. Conſtantienſi, a. 724. nn. 33. 34.

Auitus Ep. Aruernenſis obit, a. 689. n. 6.

Aulidulfus Ep. Argentoratenſis, a. 721. n. 79. a. 730. n. 14. obit, a. 734. n. 11.

Aulus Ep. Viuarienſis, a. 705. nn. 22. 23. duo diſtinguuntur Auli Viuarienſes Epiſcopi, a. 727. n. 23.

Aunobertus Ep. Sagienſis ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. n. 28.

Aurea ſodalis S. Vlphiæ, a. 721. n. 56.

Aurelius Ep. Arelatenſis quando ſedit, a. 684. n. 17.

Auriana prima Abbatiſſa Hunocurtenſis, a. 685. nn. 46. 47.

Auriſcandus Ep. Redonenſis, a. 716. n. 22. a. 725. n. 49.

Aurulfus Ep. Veſontionenſis, a. 723. n. 50. a. 732. n. 33.

Auſindus Ep. Lemouicenſis, a. 720. n. 27.

Auſtrebatenſis pagus, a. 686. n. 52.

Auſtreberta Abbatiſſa Pauliacenſis obit, a. 704. n. 36.

Auſtreberta munifica erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.

Auſtrebertus munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.

Auſtrebertus Ep. Viennenſis quando ſedit & vbi ſepultus, a. 719. n. 32. an literas à Gregorio PP. & Zacharia acceperit, *ibid.*

S. Auſtregiſili Mon. in E. Bituricenſi, a. 731. n. 8.

Auſtringus Ep. Bellouacenſis quando ſedit, a. 720. n. 35.

Auſtroaldus Abbas Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.

Auſtrobertus Ep. Arelatenſis quando ſedit, a. 684. n. 17.

Auſtrudis ſiue Anſtrudis Abbatiſſa Laudunenſis obit, a. 707. n. 15.

Autbertus Ep. Abrincenſis conſtruit Eccleſiam S. Michaelis in periculo maris, a. 706. n. 1.

Autbertus Ep. Siluanect. obit, a. 695. n. 24.

Autfredus fit Abb. Condateſcenſis, a. 733. n. 9.

Autiſſiodorenſe Concilium II. a. 695. nn. 14. 15.

Aya annuente marito fit Monialis Caſtrilocenſis, a. 684. n. 4.

Aydenetus fit Ep. Meldenſis, a. 730. n. 25.

B

Baso Abb. S. Germani prope Pariſios, a. 684. nn. 21. *& ſeqq.* obit, a. 687. n. 8.

Babolenus Abb. Foſſatenſis cum multis aliis malè confunditur, a. 684. nn. 22. *& ſeqq.*

Bagga Monachus Fontanellenſis, a. 710. n. 7.

Bainus Ep. Taruannenſis, a. 681. n. 81. a. 686. n. 50. a. 687. n. 19. dicat Blangiacum, a. 690. nn. 26. 28. 40. Româ Taruannam Reliquias S. Silæ defert, a. 691. n. 64. auget res Epiſcopij, *ibid.* n. 65. transfert S. Amatum, a. 693. n. 15. ſepelit Luglium & Luglianum Martyres, a. 696. n. 17. dimiſſo Epiſcopatu fit Monachus Fontanellenſis, a. 697. n. 6. Abbas, a. 700. n. 1. transfert corpora SS. wandregiſili, Anſberti, wlfranni & Eremberti, a. 704. nn. 2. *& ſeqq.* fit etiam Abb. Floriacenſis in agro Veliocaſſino, a. 706. n. 2. obit, a. 709. n. 10.

Balda Iotrenſis Abbatiſſa, a. 700. n. 38.

Balduinus Abb. Mon. S. Carauni, a. 685. n. 29. obit, a. 687. n. 24.

Balduinus Diaconus Laudunenſis Martyr, a. 687. n. 23.

Balduinus munificus erga Mon. Cellenſe, a. 684. n. 18.

Baptiſmi dies legitimi, a. 723. nn. 26. 33. an qui abſque interrogatione ſymboli ab adulteris Preſbyteris baptizati fuerunt, ſint rebaptizandi, a. 726. n. 26. an paruuli, qui à parentibus ſubtracti ſunt, baptizandi ſint, cùm ignoratur vtrùm baptizati ſint, *ibid.* n. 27. an denuò baptizandi, qui baptizati ſunt à Paganis aut à Preſbytero idololatriæ adhærente, vel dubitant ſe baptizatos eſſe, a. 732. nn. 7. 10.

Baralenſe Mon. a. 691. n. 41.

Baſiliſſa Abbatiſſa Horreenſis, quando, a. 726. n. 17.

Baſinus Ep. Nemetenſis, a. 722. n. 29. a. 730. n. 37.

Baſinus Ep. Treuirenſis, a. 698. nn. 3. 4.

Bataco frater S. Odiliæ, a. 693. n. 37.

Baudelus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

Baudemundus Abb. Blandinienſis, a. 686. n. 65. a. 692. n. 41.

Digitized by Google

Bebelina vxor Rohingi, a. 726. nn. 2. 3.
Begga moritur, a. *686.* n. *16.*
Benedicta vtrùm Abbatiſſa Pauliacenſis, a. 704. n. 38.
Benedictus Ep. a. 721. n. 78.
Benedictus Ep. Sagienſis quando ſedit, a. 720. n. 32.
Benignus diſcipulus S. Hildulphi, a. *685.* n. 1. obit, a. 712. n. 3.
Benignus Ep. Andegauenſis quando ſedit, a. 705. n. 18.
Benignus fit Abb. Fontanellenſis, a. 709. n. 11. ditat Mon. a. 715. n. 18. pellitur, a. *716.* n. 8. Fontanellæ reſtituitur, a. 719. n. 8. fit etiam Abbas Flauiacenſis, a. 720. n. 40. euindicat villam Montecellum, a. 722. n. 9. obit, a. 723. n. 3.
Benignus Monachus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 720. n. 42.
Beo munificus erga Mon. Cellenſe. a. *684.* n. 18.
Betarius Ep. Cenomanenſis obit, a. *681.* n. 78. varia ab eo condita Monaſteria, *ibid.*
Bercharius Abb. Deruenſis Martyr, a. *685.* nn. 17. *& ſeqq.*
Betchtoldus Abb. weltenburgienſis, quando, a. *693.* n. 30.
Betegiſus Clericus Sarchinienſis, a. *689.* n. 11. Presbyter inde abducitur à Pippino & Plectrude, a. *696.* n. 8. ex eorum munificentia condit Mon. Andainum, a. 704. n. 41. ſuperſtes, a. 725. nn. 33. *& ſeqq.*
Berchſinda mater S. Odiliæ, a. *690.* n. 50. obit, a. *693.* n. 34.
Berengarius latro inſignis, a. *696.* nn. 16. 17.
Berilla S. Beregiſi mater, a. *689.* n. 11.
Berlendis Odelardum patrem ſepelit apud Merbeccam, a. *682.* n. 8. ibi degit, *ibid.* nn. 9. 10. an Monialis Morſellenſis, *ibid.* nn. 11. *& ſeqq.* miraculis claret, a. 698. n. 9. obit, a. 700. n. 18. eleuatur, a. 707. n. 7. a. 730. nn. 27. *& ſeqq.*
Bernecharius Ep. Pariſienſis, a. 715. n. 47. a. 717. n. 2.
Bernhardus Abb. S. Maximini Treuirenſis, quando, a. *698.* n. 4.
Berno Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. *686.* n. *69.*
Beroaldus munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.
Bertalamius Monachus Theologienſis fit Ep. Virodunenſis, a. *709.* n. 4. ædificat Eccleſiam in honorem S. Michaelis prope Virodunum, a. 711. n. 14. obit, a. 715. n. 46.
Bertanna prima Abbatiſſa wilerienſis, a. 688. nn. 43. 44. a. 697. n. 6.
Bertgandus Monachus Fontanellenſis paralyticus curatur à S. wlfranno, a. 682. n. 5.
Bertha fundatrix Mon. Blangiacenſis, a. 685. nn. 38. *& ſeqq.* a. 688. n. *6.* a. 690. nn. 26. 40. 41. ſepelit Emmam filiam Reginam Cantij, a. *694.* n. 34. abdicat regimen, a. 695. n. 21. obit, a. 729. nn. 1. 2. pia erga SS. Martinum, Vedaſtum, & Audomatum, *ibid.* n. 2.
Bettharius fit Maior-domûs, a. 684. n. 5. odium incurrit Neuſtraſiorum, a. *686.* n. 1. vincitur à Pippino, a. *681.* nn. 1. *& ſeqq.* à ſuis occiditur, *ibid.* n. 5.
Berthetius, à quo dictum Bertheri Monaſterium, diſcipulus S. Deodati, a. 712. n. 3.
Bertholdus bona tradit Cœnobio Fontanellenſi, a. *695.* n. 9.
Bertifridus Ep. Laudunenſis quando ſedit, a. 701. n. 2.
Bertila Abbatiſſa Kalenſis obit, a. 704. n. 40.
Bertilia, a. *687.* n. 22.
Bertinus Abb. Sitiuenſis, a. *684.* n. 14. a. *686.* n. 50. a. *690.* nn. 23. *& ſeqq.* a. *695.* n. 20. donationum Sitiuenſi Mon. factatum confirmationem obtinet à Clodoueo II. a. *692.* n. 5. donationis woromholtanæ confirmationem à Childeberto III. R. a. *697.* n. 5. abdicat regimen, a. *696.* nn. 12. 13. obit, a. 702. n. 30. eius ætas, *ibid.* nn. 31. 32.
Bertoendus Ep. Catalaunenſis Priuilegium concedit Mon. Deruenſi, a. *694.* nn. 1. *& ſeqq.*
Bertoradus Abb. Mon. S. Auſtregiſili, a. 731. n. 8.
Bertrandus Abb. Caſtrenſis, a. *692.* n. 37. a. 722. n. 58. a. 725. n. 24.
Bertrannus ſocius S. Leufredi, a. *686.* n. 12.
Bertrudis Abbatiſſa Haſnonienſis, a. 708. n. 49. a. 727. n. 2.
Bertuinus, a. 685. n. 45.
Bertulphus miraculis claret, fitque primus Abb. Mon. S. Dionyſij apud Renticam, a. 685. nn. 33. *& ſeqq.* ſepelit wambertum & Homburgam, a. *695.* n. 19. obit, a. 708. nn. 45. *& ſeqq.*
Bertus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. *729.* n. 4.
Bertus, *vide* Chrotbertus.
Bilhildis naſcitur, a. *693.* n. 13. nubit, a. 709. n. 2. mortuo marito commigrat Moguntiam, ibíque Mon. puellarum conſtruit, a. 712. n. 1. ditátque, a. 734. nn. 6. 7.
Blanda, a. *699.* n. 12.
Blangiacum Mon. in E. Taruannenſi, a. 685. n. 38. dedicatur, a. *690.* nn. 26. *& ſeqq.*
Blidramnus Ep. Viennenſis, a. *693.* n. 29. a. 707. n. 16.
Bobinus Ep. Trecenſis quando ſedit, a. 722. n. 26.

Bobo Abb. Magnilocenſis, a. *689*. n. 8.

Bobolenus Abbas Sancti Benigni, a. 714. n. *6*.

Bobolenus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. *685*. n. 2.

Bobolinus Ep. Viennenſis, a. 719. n. 31.

Bobulenus Abb. Bobienſis cum aliis Abbatibus malè confunditur, a. *684*. nn. 22. *& ſeqq.*

Bonifacius anteà dictus winfridus, ordinatur Epiſcopus à Papa, redítque in Germaniam cum literis commendatitiis, a. 723. nn. 12. *& ſeqq.* benignè ſuſcipitur à Carolo Maiore-domûs, multa præclarè gerit in Haſſia & Thuringia, a. 724. nn. 1. *& ſeqq.* condit Mon. Ordorffienſe, *ibid.* n. 7. literas accipit à Daniele Ep. Ventano valdè vtiles ad conuerſionem paganorum, *ibid.* n. *16*. à Gregorio II. PP. *ibid.* n. 17. eundem Papam conſulit, a. *726*. nn. 18. *& ſeqq.* item Gregorium III. à quo pallium ſibi miſſum accipit, a. 731. n. 15. reſponſiones ad interrogationes, a. 732. nn. 3. *& ſeqq.* conſtruit Monaſteria Friſlariæ & Amanaburgi, *ibid.* n. 18. in Bauaria Heremwulfum ſchiſmaticum damnat, a. 735. n. *6*. ſuper cognatione ſpirituali orta ex Baptiſmo viros eruditos conſulit, *ibid.* nn. 7. *& ſeqq.* Vide *Vvinfridus.*

Bonimundus Ep. Darantaſienſis quando ſedit, a. *690*. n. 42.

Bonitus fit Ep. Aruernenſis, a. *689*. nn. 7. 8. dicat Eccleſiam Menatenſem, a. *696*. n. 27. abdicato Epiſcopatu ſecedit in Mon. Magnilocenſe, a. *699*. nn. 8. *& ſeqq.* a. 700. n. 21. iter in Italiam ſuſcipit, apud Lugdunum Ducem Epiſcopo reconciliat, clarétque miraculis in Monaſterio Inſulæ Barbaræ, a. 701. nn. 4. *& ſeqq.* iter in Italiam perſequitur, a. 702. nn. 34. *& ſeqq.* redit Lugdunum, a. 703. n. 5. obit, a 707. nn. 10. *& ſeqq.* transfertur, a. 723. nn. 41. *& ſeqq.*

Boſo & Botus Epiſcopi Andegauenſes, quando ſederunt, a. 705. n. 18.

Bouo latro, a. *696*. nn. *16*. 17.

Brachbante ſeu Brachbantum ad Chriſtum conuertitur, a. 721. n. 44.

Braggecte Mon. in E. Aruernenſi, a. *689*. n. 8.

Broilus Mon. in Ep. Taruannenſi, a. *686*. nn. 51. 52. à quo & quando conditur, *ibid.* n. 44.

Brugenſe Mon. in E. Tornacenſi, a. *689*. n. 10.

Bruno Ep. Laureacenſis ac Patauienſis, M. Bojoariæ, obit, a. *698*. n. 13.

Bubus Ep. Aruernenſis quando ſedit, a. 713. n. 18.

Buchinus Abb. Ferratienſis, quando, a. 713. n. 41.

Bugga literas ſcribit winfrido, a. 720. n. 52.

Buſogilum, Mon. in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 78.

C

CADOCAVANVS ſeu Cadocanamus Ep. Aletenſis, a. *696*. n. 11. a. 709. n. 8.

Cadocnus ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. n. 30.

Cadurcenſe Mon. puellarum, a. *681*. n. 2.

Cæleſtinus Abb. Blandinienſis, a. 707. n. 9. a. 719. nn. 9. *& ſeqq.*

Caileduphus ſeu Chagledulphus Abb. S. Dionyſij in agro Pariſienſi, quando, a. 709. n. *6*. a. 716. n. 3.

Caladunum Mon. in E. Cenomanenſi, a. *681*. n. 78.

Calatolus Ep. Andegauenſis quando ſedit, a. 705. n. 18.

Calices plures in altari non ponendi quando Miſſa celebratur, a. *726*. n. 23.

Caligberta prima Abbatiſſa Caladunenſis, a. 681. n. 78.

Caliphæ Principes Arabum, a. 721. nn. 13. *& ſeqq.*

Calminium, Mon. in E. Anicienſi, conditur, a. *681*. n. *67*.

Calminius, ſeu Calmelius Romam petit, a. *681*. n. 71. condit duo Monaſteria, Calmeliacenſe, & Mauziacenſe, *ibid.* nn. 72. 73. fit Monachus Mauziacenſis, *ibid.* n. 74.

Calonica, quid, a. 727. n. 15.

Canonicorum duplex genus, a. *699*. n. 24.

Capraſius Patronus Lerinenſis, an Abbas, a. *681*. n. 73.

Capuanus Ep. Cadurcenſis erudit Sacerdotem, a. *682*. nn. 59. *& ſeqq.* a. 693. n. 31. ordinat Diaconum, a. 695. n. 25. obit, a. *699*. nn. 15. *16*.

S. Carauni Mon. in E. Carnotenſi quando conditum, a. *685*. n. *26*.

Cardericus Abb. S. Dionyſij in agro Pariſienſi, quando, a. 709. n. *6*. a. 716. n. 3.

Carolus Pippini & Alpaidis filius, a. *692*. n. 4. ſub cuſtodia detinetur à Plectrude, a. 714. n. 5. elabitur, a. 715. n. 1. vincitur à Friſiis, a. 716. n. 1. vincit Neuſtraſios ad Amblauam, a. 716. n. *6*. ad Vinciacum, a. 717. nn. 4. *& ſeqq.* ad Sueſſionem, a. 719. nn. 1. *& ſeqq.* Coloniam capit cum theſauris Pippini patris, a. 717. n. 8. vaſtat Saxoniam, a. 718. n. 4. a. 720. n. 1. amicitias init cum Eudone Duce Aquitaniæ, a. 720. n. 2. munificus erga Eccleſiam Vltrajectinam, a. 723. n. 1. a. *726*. n. 1. ægro-

Digitized by Google

tat, & recuperatâ ſanitate ditat Monaſt. S. Maximini, a. 723. n. 4. benignè ſuſcipit Bonifacium, a. 724. n. 1. profligat Raginfridum, *ibid.* n. 35. Saxones, *ibid.* n. 36. Friſios, a. 733. n. 3. a. 734. nn. 20. 21. Saracenos, a. 732. nn. 67. *& ſeqq.* a. 733. n. 2. a. 737. n. 28. Rotrudem vxorem amittit, geritque bellum in Bojoaria, a. 725. nn. 2. *& ſeqq.* in Saxonia, a. 728. n. 2. in Sueuia, a. 730. nn. 1. 2. in Aquitania, a. 731. nn. 2. *& ſeqq.* a. 735. n. 1. a. 736. n. 8. ducit Sonechildem, a. 725. n. 6. dat Præceptum Immunitatis pro Mon. Fontanellenſi, a. 731. n. 16. Pippinum filium mittit in Longobardiam, a. 733. n. 4. Eucherium Ep. Aurelianenſem ablegat Coloniam, a. 737. n. 31. pellit Cæleſtinum Abb. Blandinienſem, a. 719. nn. 9. *& ſeqq.*

Cayno Abb. S. Dionyſij in agro Pariſienſi, quando, a. 709. n. 6.

Ceadualla Rex Occidentalium Saxonum adit wlmarum Abb. Syluiacenſem, a. 688. nn. 36. *& ſeqq.*

Cedulfus Abb. Fontaneti, a. 720. n. 30.

Cella Beggonis pendet à Mediano Mon. a. 700. n. 57.

Cella Monachorum, Mon. in E. Argentorat. conditum à Vicgerno Ep. a. 687. n. 10.

Cellæ in E. Trajectenſi locupletantur, a. 684. n. 18.

Cenſardus Ep. Trecenſis quando ſedit, a. 722. n. 26.

Ceolfridus Abb. Anglus obit Lingonis, a. 716. nn. 19. *& ſeqq.* transfertur in patriam, *ibid.* n. 25.

Ceſpes ſymbolum traditionis, a. 684. n. 19.

Ceſſator Ep. Lemouicenſis, a. 732. n. 37.

Chamigus, Chanigus, Camingus, Gomingus, Camingus Ep. Catalaunenſis quando ſedit, a. 694. n. 4.

Chilardus, ſeu Chillerdus Abb. S. Dionyſij in agro Pariſienſi, a. 716. n. 3.

Childebertana vxor Amalfridi, a. 685. n. 47.

Childebertus Theodorici III. R. filius, a. 692. n. 2. non regnauit cum Clodoueo fratre, *ibid.* n. 35. eidem Clodoueo ſuccedit, a. 694. n. 6. munificus erga Monaſt. Fontanellenſe, a. 704. n. 35. erga Monaſt. Sancti Luciani, a. 696. nn. 20. *& ſeqq.* erga Mon. San-Dionyſianum, a. 706. nn. 7. 8. confirmat donationem woromholtanam Sitiuenſi Mon. factam, a. 697. n. 6. & Priuilegia conceſſa Mon. SS. Sergij & Bacchi, a. 705. nn. 15. 16. obit, a. 711. n. 3. vindicatur à calumnia, *ibid.* n. 5. eius ſepultura, proles, ætas, *ibid.* n. 6.

Childebrandus Pippini & Alpaidis filius, a. 695. n. 4. obſidet Auenionem, a. 737. nn. 10. 28. diſtinguitur ab Hildebrando R. Longobardorum, *ibid.* nn. 12. *& ſeqq.*

Childemnus Abb. Solemniacenſis, quando, a. 695. n. 23.

Childerannus Abb. S. Germani prope Pariſios, a. 687. n. 8. a. 691. n. 63.

Childericus II. R. Francorum vindicatur à calumnia, a. 692. nn. 24. 25.

Childericus Theodorici IV. R. Francorum filius, a. 737. n. 37.

Childomarus Abb. Solemniacenſis, a. 695. nn. 22. 23.

Chilpericus III. R. a. 715. n. 41. fœdus init cum Friſiis, a. 716. n. 1. munificus erga Monaſt. San-Dionyſianum, a. 716. n. 3. a. 717. n. 1. erga Corbeienſe, a. 716. n. 4. erga Glannafolienſe, a. 717. n. 6. erga Metenſe Sancti Arnulphi, *ibid.* n. 7. erga Fontanellenſe, a. 716. n. 5. erga Baſilicam S. Luciani, *ibid.* n. 5. obſidet Coloniam, a. 716. n. 6. vincitur ad Amblauam, *ibid.* ad Vinciacum, a. 717. nn. 4. *& ſeqq.* ad Sueſſionem, a. 719. nn. 1. *& ſeqq.* fœdus init cum Saxonibus, a. 718. n. 4. deſeritur ab Eudone Duce Aquitaniæ, a. 720. n. 2. donationes Mon. Sitiuenſi factas confirmat, a. 718. n. 5. necnon Priuilegium Cenomanenſibus, à Clotario III. conceſſum, a. 719. nn. 26. *& ſeqq.* dat immunitatem pro Mon. S. Stephani Argentoratenſis, a. 715. n. 42. obit, a. 721. n. 1. vindicatur à calumnia, a. 715. n. 42. a. 721. n. 2. eius genus, a. 715. n. 42. a. 716. nn. 2. 3. 4.

Chirmirus Abbas S. Vincentij Cenómanenſis, a. 715. n. 63. Archidiaconus ac Vicedominus ſub Herlemundo Ep. a. 717. n. 25. obit, a. 736. n. 24.

Chirotheca ſymbolum traditionis, a. 684. n. 19.

Chlotildis Theodorici III. R. vxor, a. 692. n. 2.

Chomeanus Ep. Venetenſis, idem cum Gobriano, a. 701. n. 13.

Chriſtianus fit Abb. Reomaenſis, a. 713. n. 38. Ep. Ambianenſis, a. 721. nn. 54. *& ſeqq.* a. 729. n. 2.

Chrodegarius fit Abb. Corbeienſis, a. 689. n. 15.

Chrodieldis Abbatiſſa Caladunenſis, a. 681. n. 78.

Chrodolinus Abb. S. Petri Viui, a. 711. nn. 16. *& ſeqq.*

Chronologia Clarij Monachi, a. 682. nn. 43. *& ſeqq.* a. 704. nn. 7. *& ſeqq.* Euſebij, a. 681. nn. 31. *& ſeqq.* Fredegarij a. 715. nn. 22. *& ſeqq.* Gregorij Turonenſis, a. 681. nn. 12. *& ſeqq.* Henſchenij, a. 693. nn. 19. *& ſeqq.* a. 715. nn. 21. *& ſeqq.* Odoranni, a. 704. nn. 8. *& ſeqq.* Theophanis, a. 697. nn. 16. *& ſeqq.* a. 715. nn. 53. 54. Epiſcoporum Ar-

Digitized by Google

gentoratenſicm, a. 721. nn. 79. & ſeqq. Autiſſiodorenſium, a. 713. nn. 19. 20. a. 721. nn. 59. & ſeqq. Senonenſium, a. 682. nn. 33. & ſeqq. Siluanectenſium, a. 729. n. 5. Turonenſium, a. 681. nn. 10. & ſeqq. Caliipharum, a. 721. nn. 13. & ſeqq. a. 714. nn. 41. 42. Impp. a. 697. nn. 8. & ſeqq. a. 719. nn. 17. & ſeqq. a. 715. nn. 51. & ſeqq. RR. Francorum, a. 683. nn. 11. & ſeqq. a. 692. n. 33. a. 693. nn. 19. & ſeqq. a. 715. nn. 22. & ſeqq. RR. Longobardorum, a. 702. nn. 37. & ſeqq. a. 712. n. 6. Romanorum PP. a. 686. nn. 30. & ſeqq. a. 700. n. 3. a. 715. nn. 48. & ſeqq.

Chrotbertus Ep. Turonenſis occurrit Reliquiis S. Leodegarij, a. 681. n. 3. idem cum Berto, a. 681. nn. 7. 53. a. 717. n. 16. ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 16. obit, a. 695 n. 16.

Cillianus fit Ep. Autiſſiodorenſis, a. 722. n. 53. obit, a. 728. n. 6.

Citruinus Abb. a. 682. n. 24. a. 683. n. 1. Ep. Albigenſis, a. 692. n. 37.

Clarij Monachi Chronologia examinatur, a. 682. nn. 43. & ſeqq. a. 704. nn. 7. & ſeqq.

Claudius abdicato Epiſcopatu Biſuntino fit Monachus Condateſcenſis, a. 681. n. 70. Abbas, a. 686. n. 26. adit Clodoueum R. a. 693. n. 18. obit, a. 698. n. 1. eius ætas examinatur, a. 686. nn. 27. & ſeqq. a. 698. n. 1.

Clemens Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

Clemens Ep. Autiſſiodorenſis, a. 728. n. 6. a. 732. n. 37. dimittit Epiſcopatum ob cæcitatem, a. 733. n. 25.

Clemens Ep. Bellouacenſis quando ſedit, a. 720. n. 34.

Clementia Abbatiſſa Kalenſis, quando, a. 704. n. 40.

Clodoueus II. R. Francorum vindicatur à calumnia, a. 692. nn. 18. & ſeqq. an ierit Hieroſolymam, *ibid.* n. 22. eius liberi, *ibid.*

Clodoueus Theodorici III. R. filius, a. 692. n. 5. patri ſuccedit, *ibid.* n. 34. Præceptum emittit pro Mon. Sitiuenſi, *ibid.* n. 5. pro Stabuleto & Malmundario, a. 693. n. 16. multa bona reſtituit Mon. Condateſcenſi, *ibid.* n. 18. munificus erga Mon. Apoſtolorum prope Metas, *ibid.* n. 27. obit, a. 694. n. 5. vindicatur à calumnia, *ibid.* n. 6.

Clodulfus Ep. Metenſis obit, a. 696. n. 4. frater fuit Anſigiſili, pater Martini Ducis ex legitimo matrimonio, *ibid.* nn. 5. & ſeqq. an Ep. Treuirenſis, a. 713. nn. 29. 30.

Clotarius III. R. Francorum vindicatur à calumnia, a. 692. n. 23.

Clotarius Theodorici III. R. filius, a. 692. n. 5. R. Francorum, a. 718. nn. 1. 2. obit, a. 719. n. 7.

Clotinus Abb. Centulenſis, a. 684. n. 15. diſtinguitur à Coſchino Abbate Gemmeticenſi, *ibid.* n. 6.

Cloſendis Monialis Marchianenſis, a. 686. n. 46. fit Abbatiſſa, a. 688. n. 6. obit, a. 714. n. 8.

Comes in prouincia Lugdunenſi II. non conſtituendus abſque conſenſu aut electione Audoeni Ep. Rotomagenſis, a. 681. n. 62.

Concilia. Autiſſiodorenſe II. a. 695. n. 14. Rotomagenſe, a. 688. nn. 7. & ſeqq. Vltraiectinum, a. 702. nn. 10. & ſeqq.

Condedus Preſbyter, a. 683. n. 4. a. 695. n. 13.

Confirmatio non iteratur, a. 726. n. 22.

Conſtantinus Epiſcopus Bellouacenſis, a. 687. n. 19. a. 696. n. 24. a. 720. n. 34.

Corbinianus naſcitur, a. 682. n. 57. cellulam ſibi conſtruit, a. 701. nn. 9. & ſeqq. Romam profectus ordinatur Epiſcopus, reditque in Galliam, a. 715. nn. 57. 58. itinere Romam rurſum ſuſcepto prædicat Euangelium in Bojoaria chariſſimus Theodoni Duci adhuc ſuperſtiti & eius filio Grimoaldo, a. 722. nn. 2. 3. Româ reuerſus Grimoaldum Boioariæ Ducem ab inceſtu reuocat, Eccleſiam Friſingenſem ditat multis prædiis, necnon Reliquiis SS. Zenonis & Valentini, fitque primus Epiſcopus illius loci, a. 723. nn. 5. & ſeqq. magna eſt in exiſtimatione, a. 724. nn. 38. 39. obit, a. 730. n. 30. vbi ſepultus, *ibid.* an Epiſc. Friſingenſis, *ibid.* nn. 31. & ſeqq.

Coſchinus Abbas Gemmeticenſis, a. 710. n. 39. a. 721. n. 97. a. 723. n. 3. diſtinguitur à Clotino Abb. Centulenſi, & ab altero Coſchino Abb. Gemmeticenſi, *ibid.*

Criſpinium, Mon. in E. Cameracenſi, a. 691. n. 9.

Crodmarus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, quando, a. 685. n. 2.

Crux S. Audoeni in Diœceſi Ebroicenſi Mon. conditum à S. Leufredo, a. 690. n. 12.

Cuchianus punitur ob periurium, a. 731. n. 6.

Cunctonus Abb. Luxouienſis, quando, a. 699. n. 2.

Cunegundis Abbatiſſa S. Mariæ Sueſſione, a. 700. n. 31.

Cuſtodes Regij Monaſteriorum, a. 711. nn. 21. 22.

Cynomailus diſcipulus S. Condedi, a. 685. n. 4.

Digitized by Google

D

DADO Ep. Ambianenſis obit, a. *686.* n. 2.
Dagobertus Abb. Sólemniacenſis, quando, a. *695.* n. 23.
Dagobertus II. R. Francorum vindicatur à calumnia, a. *692.* nn. *16.* *& ſeqq.*
Dagobertus III. R. Francorum, a. 711. nn. *6.* 8. emittit Præceptum pro Eccleſia Remenſi, *ibid.* n. *6.* vincit Auſtraſios, a. 715. n. 1. fœdus init cum Ratbodo R. Friſiorum, *ibid.* an Patronus Sathanici, *ibid.* nn. 3. *& ſeqq.* munificus erga Mon. Fontanellæ, *ibid.* n. 15. erga Mon. SS. Apoſtolorum prope Metas, *ibid.* n. 17. vindicatur à calumnia, *ibid.* n. 19. obit, *ibid.* n. 2. an reliquit filium, *ibid.* nn. 20. *& ſeqq.*
Daibenus Ep. Aruernenſis quando ſedit, a. 732. n. 76.
Daniel Abb. Maioris Monaſterij, a. *686.* n. *69.*
Dauid Abb. Antrenſis, a. *716.* n. 13.
Dauid Abb. weiſſenburgenſis, quando, a. 722. nn. 42. 44.
Decius II. Ep. Matiſconenſis quando ſedit, a. 732. n. 31.
Delphinus Abb. S. Dionyſij in agro Pariſienſi, quando, a. 717. n. 2.
Demandus fictitius Epiſcopus, a. *690.* nn. *26.* 38.
Deodatus Abb. Vallis Galilææ obit, a. *684.* n. 10.
Deomarus Ep. Namnetenſis quando ſedit, a. *716.* n. 13.
Deothila filia S. Berthæ, a. *685.* n. 42. Monialis Blangiacenſis, *ibid.* n. 44. a. *688.* n. *6.* a. *690.* n. 41. Abbatiſſa, a. *695.* n. 21. obit, a. 724. n. 40.
Deſiderius Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. *686.* n. *69.*
Deſiderius Abb. Ruiriacenſis obit, a. *689.* n. 12.
Deſiderius fit Ep. Ebroicenſis, a. *695.* n. 12. vexat Leufredum Abbatem, a. *696.* n. *9.*
Deſiderius fit Ep. Redonenſis, a. *684.* n. 13. ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. *688.* n. 23. Martyr, *ibid.*
Dida Abbatiſſa S. Petri Lugduni, a. 723. nn. 42. 43.
Dido fit Ep. Turonenſis, a. 732. n. 20. obit, a. 733. n. 7.
Diles fit Ep. Venetenſis, a. 714. n. 24. ſepelit Gobrianum Eremitam, a. 725. n. 49. obit, a. 729. n. *6.*
S. Dionyſij Mon. apud Renticam, a. *685.* n. 37.
Dionyſius Abb. S. Carauni, quando, a. 785. nn. *26.* 28. 29.
Dionyſius II. Abb. S. Carauni, a. 701. n. 12. obit, a. 717. n. 20.
Dionyſius Ep. Lexobienſis obit, a. *696.* n. 11.
Doda Abbatiſſa S. Petri Remis, a. *699.* n. 7.
Doda Theodorici III. R. vxor, a. *692.* n. 2. vbi ſepulta, *ibid.* n. 32.
Dodo Ep. Bellouacenſis, a. *716.* n. 5. a. 720. n. 34.
Dodo Ep. Tullenſis quando ſedit, a. *697.* n. 5.
Dominicus Ep. Ambianenſis intereſt Tranſlationi S. Lamberti, a. 721. n. 40. obit, *ibid.* n. 54.
Domitianus ſocius S. Landelini, a. *691.* nn. 19. 20.
Domitius Eremita, a. 721. nn. *56.* *& ſeqq.*
Domnolus Ep. Matiſconenſis, a. 732. n. 31.
Donatus fit Abb. Antrenſis, a. 700. n. *6.*
Doreſtadenſes imbuuntur fide Chriſtianâ, a. *691.* nn. 49. *& ſeqq.*
Drancius Ep. Taruannenſis obit, a. *681.* n. 81.
Drogo Pippini ex Plectrude filius fit Dux Campaniæ, a. *694.* n. 7. an Dux Burgundiæ, *ibid.* n. 8. obit, a. 708. n. 2. eius vxor, ac proles, *ibid.* nn. 3. *& ſeqq.*
Dructegangus Abb. Gemmeticenſis, a. 723. n. 3. a. *716.* n. 37.
Dulcidius Ep. Anicienſis quando ſedit, a. 705. nn. 21. 22.

E

EARCONGOTHA Monialis Brigenſis, a. *697.* n. 37.
Ebbo, a. *682.* n. *56.* Monachus S. Petri Viui, a. *693.* n. 1. Abbas, a. 704. n. 32. Ep. Senonenſis, a. 711. nn. 15. *& ſeqq.* a. 722. n. 10. vincit Saracenos, a. 732. nn. 22. 38.
Eberardus Luitfridi Alamanniæ Ducis frater, a. 725. n. 31. ditat Murbachium, ibique fit Monachus, a. 731. nn. 21. 22.
Eberheimenſe Mon. in E. Argentoratenſi, a. *690.* n. *63.*
Ebregeſillus Ep. Meldenſis, a. *697.* n. 35. a. 700. n. 38.
Ebrinus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 711. n. 4.
Ebroinus Maior-domûs occiditur, a. *681.* n. 1. fuit inimicus Ragneberto, *ibid.* nn. *60.* *& ſeqq.* vindicatur à calumnia, *ibid.* n. *62.*
Ebrulphus Abb. S. Luciani, quando, a. *696.* n. 24. a. *716.* n. 5.
Ebrulphus ſiue Euroſtus, a. *683.* n. 10.
Ebulus Ep. Lemouicenſis & Abb. Solemniacenſis, a. 732. n. 73.
Eccleſiaſticorum bonorum quadripertita

diſtributio, a. 723. nn. 26. 30.
Edelburga Abbatiſſa Brigenſis, a. 697. n. 36.
Edoldus Ep. Meldenſis, a. 705. n. 27. a. 710. n. 6.
Eekenſe Mon. in E. Taruannenſi quando conditum, a. 688. n. 42.
Egbertus Willebrordum alióſque præcones diuini verbi mittit ex Hibernia in Friſiam, a. 690. nn. 1. *& ſeqq.*
Elafredus Abb. Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.
Emebertus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 705. n. 9. idem cum Hildeberto, *ibid.* filius Witgeri Comitis & S. Amelbergæ, *ibid.* n. 10. frater SS. Reinildis, Pharaildis & Gudilæ, *ibid.* nn. 11. *& ſeqq.* ſuperſtes Gudilæ ſorori, a. 712. n. 4. a. 713. n. 11.
Emma, a. 685. nn. 42. 44. nubit Suebhardo Cantiæ R. a. 691. nn. 52. *& ſeqq.* à marito contemnitur, *ibid.* n. 60. obit, a. 694. n. 34.
S. Emmerammi Mon. Ratiſbonæ, a. 697. n. 14.
Eoaldus Abb. Voluicenſis intereſt Tranſlationi S. Boniti, a. 723. nn. 42. *& ſeqq.*
Eoldus Ep. Viennenſis, a. 714. n. 18. a. 715. n. 15. a. 719. n. 30.
Eparchius Ep. Pictauienſis quando ſedit, a. 688. n. 19.
Epiſcopi ordinandi, vbi multitudo excreuit fidelium, a. 732. n. 5. Epiſcoporum duo genera, a. 723. n. 14. Epiſcopus in prouincia Lugdunenſi II. non conſtituendus abſque conſenſu aut electione Audoeni Ep. Rotomagenſis, a. 681. n. 62. Epiſcopus ius habet animaduertendi in Monachos contumaces, a. 688. nn. 8. 12. Miniſter eſt Confirmationis, a. 626. n. 22. an colloquendum aut conuiuandum cum Epiſcopo multis vitiis irretito, a. 726. n. 30.
Epternacum Mon. in E. Treuirenſi, a. 698. nn. 3. 6.
Erardus Ep. baptizat Odiliam, a. 690. nn. 53. *& ſeqq.* obit, *ibid.* n. 61.
Ercambertus Ep. Bellouacenſis quando ſedit, a. 720. n. 35.
Erchemfridus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 714. n. 7.
Erchenulfus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 701. n. 1.
Erembertus Abb. Corbeienſis, a. 691. n. 23.
Erembertus Ep. quondam Toloſanus transfertur, a. 704. n. 5.
Erembertus fit Ep. Siluanectenſis, a. 729. n. 5.
Eremburga Abbatiſſa S. Mariæ Sueſſione, quando, a. 718. n. 12.
Erhwaldus Abb. Weiſenburgenſis, quando, a. 722. nn. 34. 44.
Erinfridus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 714. n. 7.
Erinharius Præpoſitus Fontanellenſis, a. 734. n. 29.
Erinnulfus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 712. n. 5.
Erkenbodo, a. 696. n. 17. fit Monachus Sitiuenſis, *ibid.* n. 18. Abbas, a. 714. nn. 10. *& ſeqq.* obtinet à Chilperico R. confirmationem donationum factarum Mon. Sitiuenſi, a. 718. n. 5. à Theodor. R. a. 721. nn. 45. *& ſeqq.* an interfuit Tranſlationi S. Lamberti, *ibid.* n. 40. fit etiam Ep. Morinenſis, a. 723. n. 40. auget reditus Sitiuenſes, *ibid.* intereſt exequiis Berthæ Abbatiſſæ quondam Blangiacenſis, a. 729. n. 2.
Erlanreus Ep. Meldenſis, a. 726. n. 32. obit, a. 730. n. 25.
Erlefridus fit Abb. Sitiuenſis, a. 702. n. 30. ditat ſuum Mon. a. 708. n. 50. obit, a. 714. n. 9.
Ermenana Abbatiſſa, a. 681. n. 2.
Ermenarius Ep. Auguſtodunenſis, a. 681. nn. 2. 7.
Ermenfridus Ebroinum interficit, a. 681. n. 1.
Ermengardis fit Abbatiſſa Kalenſis, a. 704. n. 40.
Ermenoara munifica erga Mon. S. Benigni, a. 715. n. 43.
Ermentheus ſiue Ermethus Ep. Tullenſis quando ſedit, a. 697. n. 5.
Ermenus Ep. Lemouicenſis, a. 703. nn. 2. 3.
Ermingus Clericus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 710. n. 7.
Erminus, a. 701. n. 2 fit Abb. Lobienſis, a. 713. n. 12. Propheta claret, a. 714. n. 5. a. 717. n. 3. a. 719. n. 14. obit, a. 737. nn. 3. *& ſeqq.*
Ermoaldus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 712. n. 5.
Ernfridus fit Abbas Augienſis, a. 736. n. 7.
Ernwaldus Monachus, a. 689. n. 4.
Eronus Ep. Lingonenſis, a. 686. n. 39. a. 697. n. 3. obit, a. 713. n. 37.
Eruigius quomodo factus R. Wiſigothorum, a. 682. nn. 15. *& ſeqq.* bellum infert Francis, *ibid.* nn. 22. *& ſeqq.*
Eſeelmus latro, a. 696. nn. 16. 17.
Ethico frater S. Odiliæ, Dux Alamanniæ, intereſt exequiis parentum ſuorum, a. 693. n. 34. ſedem ſui Ducatûs ponit in Ettenheim, *ibid.* n. 40.
Ethico pater S. Odiliæ. *vide* Athicus.
Euaricus Ep. Turonenſis, a. 700. n. 22. a. 709. n. 8.
Eucherius baptizatur, a. 692. n. 42. Monachus Gemmeticenſis, a. 716. n. 16. fit Ep. Aurelia-

Digitized by Google

Aurelianenſis, a. 721. n. 97. ablegatur Coloniam, a. 737. n. 31.
Eudo Aquitaniæ Dux auxilio eſt Chilperico Regi, intereſtque pugnæ Sueſſionenſi, a. 719. nn. 3. *& ſeqq.* amicitias init cum Carolo, a. 720. n. 2. vincit Saracenos, a. 721. nn. 6. *& ſeqq.* a. 725. nn. 8. *& ſeqq.* a. 732. nn. 67. *& ſeqq.* vituperatur ob nuptias filiæ cum viro Mahumetano, a. 730. n. 39. bello appetitur à Carolo Majore-domûs, a. 731. nn. 2. *& ſeqq.* vindicatur à calumnia, *ibid.* nn. 10. 11. a. 732. n. 47. vincitur à Saracenis, a. 732. n. 61. obit, a. 735. n. 1.
Eudo primus Abb. Calmeliacenſis, a. 681. nn. 71. 76. a. 696. nn. 28. 29.
Eugenia Monialis Hohenburgenſis, a. 725. n. 32.
Eulalia fundatrix ac prima Abbatiſſa Haſnonij, a. 691. nn. 42. 43. 45. obit, a. 708. n. 49.
Eumachius II. Ep. Viuarienſis quando ſedit, a. 705. n. 26.
Euremundus conditor ac primus Abb. Fontaneti, a. 688. n. 28. obit, a. 720. n. 30.
Euroldus Epiſc. Veſontionenſis, a. 711. n. 13. a. 723. n. 50.
Euroſtus ſiue Ebrulphus, a. 683. n. 10.
Euſebij Chronologia, a. 681. nn. 31. *& ſeqq.*
Euſtadiola Abbatiſſa Bituricenſis, a. 697. n. 31. obit, a. 698. nn. 11. 12.
Euterius primus Abb. Mauziacenſis, a. 681. n. 74.
Ewaldi fratres an profecti in Friſiam cum willebrordo, a. 690. n. 4. an in Angliam cum Suiberto, a. 693. nn. 3. 5. an interfuerunt Synodo Vltrajectinæ, a. 702. nn. 11. 20. Martyrio coronantur, a. 695. nn. 1. *& ſeqq.*
Ezius Epiſc. Saliſburgenſis obit, a. 703. n. 9.

F

FELIX Abbas Majoris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Felix Ep. Arelatenſis obit, a. 684. n. 17.
Felix Ep. Metenſis, a. 715. n. 46.
Felix Ep. Veſontionenſis, a. 681. n. 65. a. 690. nn. 45. 46.
Felix II. Ep. Catalaunenſis quando ſedit, a. 694. n. 4.
Ferrecus Abb. Blandinienſis, a. 692. n. 41. a. 707. n. 9.
S. Ferreoli Mon. in E. Auguſtodunenſi, a. 722. n. 57.
Firminus Abbas Quercolodoræ, a. 716. n. 2.
Firminus Ep. Ambianenſis Confeſſor transfertur, a. 689. n. 13.
Firminus Ep. Ambianenſis Martyr transfertur, a. 687. nn. 16. *& ſeqq.*
Flacellus Presbyter, a. 685. n. 16.
Flauiniacum Mon. in E. Auguſtodunenſi, a. 722. n. 55.
Flobargiſus fit Ep. Saliſburgenſis, a. 703. n. 9.
Flocoaldus fit Ep. Autiſſiodorenſis, a. 715. n. 45. obit, a. 721. n. 58.
Florebertus filius S. Huberti, a. 688. n. 2. a. 702. n. 45. Abb. Stabulenſis, tum Ep. Leodienſis, a. 727. n. 40.
S. Florentij Acta examinantur, a. 694. nn. 13. *& ſeqq.*
Florentius Ep. Argentoratenſis obit, à. 687. n. 10.
Floriacum in agro Velocaſſino, a. 687. n. 8. nobilitatur Monaſterio, a. 706. n. 2.
S. Floriani Acta examinantur, a. 694. nn. 13. *& ſeqq.*
Floribana vxor S. Huberti, a. 688. n. 2.
Fontanellenſes Monachi Abbatem è ſuâ eligunt Congregatione, a. 688. nn. 8. 10. Regulæ Benedictinæ addicuntur, *ibid.* nn. 8. 11. quomodo corrigendi, *ibid.* nn. 9. 12.
Fontanetum Mon. a. 688. n. 28.
Foſtilandia inſula, a. 702. nn. 1. *& ſeqq.*
Framboldus Ep. Bajocenſis, a. 691. n. 62. a. 726. n. 36.
Framengerus Ep. Nouiomenſis ac Tornacenſis, a. 721. n. 40. a. 723. n. 51.
Franci ſubigunt Friſiam citeriorem, a. 689. n. 1. vincunt Saracenos, a. 721. nn. 6. *& ſeqq.* a. 725. nn. 8. *& ſeqq.* a. 732. nn. 38. 67. *& ſeqq.* a. 737. nn. 9. 10. 11. 28. Friſios, a. 733. n. 3. a. 734. nn. 20. 21. Chronologia RR. Francorum, a. 683. nn. 11. *& ſeqq.* a. 692. n. 33. a. 693. n. 19. *& ſeqq.* a. 715. nn. 22. *& ſeqq.* a. 737. nn. 34. Icones eorum refragantur Chronologiæ, a. 715. n. 37. Reges Francorum vindicantur à calumnia, a. 692. nn. 6. *& ſeqq.* a. 694. n. 6. a. 711. n. 5. a. 715. n. 19. a. 721. n. 2. a. 737. n. 37. Francorum Princeps, Titulus Majoribus-domûs per adulationem datus, a. 687. n. 6. an vſurpatus à Pippino Herſtallio, *ibid.*
Francilio Abb. Majoris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Fredebertus Ep. Engoliſmenſis quando ſedit, a. 732. n. 65.
Fredegarij Chronologia examinatur, a. 715. nn. 22. *& ſeqq.*
Fredegeſilus Abb. S. Crucis Meldis, obit, a. 682. n. 58.
Friſia, vbi ſita, a. 789. n. 1. diuiditur in citeriorem & vlteriorem, *ibid.* citerior à Francis ſubigitur, *ibid.* eruditur, a. 690. n. 6. a. 691. nn. 49. *& ſeqq.* a. 692. nn. 39. 40.

Digitized by Google

Friteſlaria Monaſterio decoratur, a. 732. n. 18.
Frotarius Abb. Solemniacenſis, quando, a. 698. n 10.
Froterius Abb. Majoris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Fulco Abb. Gandenſis, a. 693. n. 32.
Fulcoaldus Ep. Lugdunenſis, a. 713. n. 18. a. 723. nn. 41. 42. a. 732. n. 30.
Fulcrannus Ep. Lexouienſis ſubſcripſit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 14.

G

GAIREFREDVS munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.
Galconus Ep. Sueſſionenſis quando ſedit, a. 700. n. 30.
Gariacus Ep. Andegauenſis quando ſedit, a. 705. n. 18.
Gaubertus Ep. Carnotenſis conſtituitur, a. 731. n. 17.
Gaubertus Ep. Pictauienſis quando ſedit, a. 688. n. 19.
Gaudinus Ep. Sueſſionenſis Martyr, a. 700. nn. 27. 29.
Gaugia munifica erga Mon. Fontanellenſe, a. 713. n. 13.
Gautcerius Ep. Trecenſis quando ſedit, a. 722. nn. 10. & ſeqq.
Gebertus Abb. weltenburgienſis, a. 699. n. 27. a. 709. n. 12.
Gedeon, S. Reoli filius, Monachus Alti-Villarenſis, a 699. n. 3.
Gemmeticenſe Mon. laudatur, a. 690. n. 11.
Geneſius Abb. Majoris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Geneuæus Ep. Dolenſis obit, a. 717. n. 22.
Gennardus Abb. Flauiacenſis, a. 720. nn. 40. 41.
S. Georgij Mon. apud Baralam in E. Atrebatenſi, a. 691. n. 41.
Gerardus Abb. Luxouienſis, quando, a. 732. n. 34.
Gerbertus Abb. weiſſenburgenſis, quando, a. 722 nn. 37. 44.
Gerebaldus Epiſc. Bajocenſis ſubſcribit Concilio Rothomagenſi, a. 688. n. 27. condit Mon. Liberiacum, ibid. obit, a. 691. n. 61.
Gerebertus Epiſc. Virodunenſis obit, a. 689. n. 6.
Geretrannus Ep. Bajocenſis, quando ſedit, a. 688. n. 27.
Gericus Ep. Senonenſis, a. 682. nn. 50. 55. 57. a. 693. n. 1. a. 704. n. 32.
Geroldus Ep. Moguntinus arguitur deſidiæ, a. 724. n. 19. ſubſcribit donationi Bilhildis, a. 734. n. 7.
Gerontius Abb. Ferrarienſis, quando, a. 713. n. 43.
Gertrudis Abbatiſſa Hamaticenſis conſtruit Eccleſiam, a. 686. nn. 53. 60. 64.
Gertrudis filia S. Berthæ, a. 685. n. 42. fit Monialis Blangiacenſis, a. 685. n. 44. a. 690. n. 41. reſpuit Ruodgarum procum, a. 688. n. 6.
Geſa filia S. Berthæ, a. 685. n. 42. a. 690. n. 41.
Geſla filia S. Berthæ, a. 685. n. 42. a. 690. n. 41.
Gilbertus Ep. Leonenſis obit, a. 701. n. 13.
Giſila, a. 688. n. 4. curat interfici Kilianum Epiſcopum cum ſociis, a. 689. n. 5. diuinitus punitur, ibid.
Giſlehardus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 712. n. 5.
Giſlemarus Patre wandone ſupplantato fit Major-domûs in Neuſtria, a. 682. n. 3. Pippini copias fraude intercipit, ibid. obit, a. 683. n. 2.
Giſlenus Abb. Cellenſis, a. 685. n. 31. obit, a. 687. n. 25.
Giſo Epiſc. Colonienſis, a. 695. n. 3. a. 707. n. 4. a. 724. n. 22.
Glanna, Mon. in E. Andegauenſi, a. 694. nn. 11. 12. 21.
Gobaldus Ep. Sueſſionenſis quando ſedit, a. 700. n. 30.
Gobrianus fit Ep. Venetenſis, a. 701. n. 13. ſecedit in eremum, a. 717. n. 23. obit, a. 725. n. 49.
Godinus II. Abb. San-Benignianus, a. 734. nn. 5. 6.
Godo Ep. Pictauienſis quando ſedit, a. 688. n. 19.
Goduinus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis Præceptum obtinet à Theodorico R. a. 681. n. 66. obit, a. 685. n. 2.
Godwinus Ep. Lugdunenſis, a. 693. n. 10. a. 701. n. 4. a. 713. nn. 17. 18.
Gogo Abb. Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.
Gonſaldus Anachoreta, a. 689. n. 6.
Goſſilenus fit Abb. Vedaſtinus, a. 731. n. 26.
Gotfridus cæcus viſum recuperat in Eccleſia S. Trudonis, a. 689. n. 11.
Gotſcalcus Abb. weltenburgienſis, a. 729. n. 7.
Gottefridus Dux Sueuiæ, fidus erga Theodoricum R. a. 687. n. 5. an filius Drogonis, a. 730. n. 15.
Gouarranus fit Epiſc. Lexobienſis, a. 697. n. 30.
Goylana munifica erga Mon. S. Benigni, a. 734. nn. 3. 4.
Gozbertus Dux, a. 687. n. 9. baptizatur, a. 688. n. 3. ducit Giſilam relictam fratris ſui, ibid. n. 4. redarguitur à Kiliano Ep. a. 689. n. 5.
Gratus Ep. Sedunenſis, a. 690. n. 42.
Gregorij Turonenſis Chronologia, a. 681. nn. 12. & ſeqq.
Gregorius naſcitur, a. 707. n. 17. winfrido traditur erudiendus, a. 722. n. 51.
Grimo ſeu Grimoaldus Abb. Corbeienſis, quando, a. 716. n. 4.

Digitized by Google

Grimo Abb. Sarchinienſis, a. 727. n. 1.

Grimo fit Ep. Rotomagenſis, a. 734. n. 25.

Grimoaldus Dux Bojoariæ ſuſcipit Corbinianum, a. 712. n. 3. ab inceſtu reſipiſcit, a. 723. n. 7. occiditur, a. 725. n. 4.

Grimoaldus Pippini ex Plectrude filius fit Maior-domûs in Neuſtria, a. 694. n. 8. ducit Teutſindam filiam Radbodi R. Friſiorum, a. 711. n. 7. occiditur, a. 714 nn. 1. 2.

Grinianenſia Monaſteria aliáque prope Viennam comburuntur à Saracenis, a. 731. n. 29.

Grippo fit Ep. Rotomagenſis, a. 698. n. 2. obit, a. 722. n. 15.

Grodegarius Dux munificus erga Mon. Caladunenſe, a. 681. n. 78.

Guarulfus Ep. Nouiomenſis ac Tornacenſis intereſt Tranſlationi S. Lamberti, a. 721. n. 40.

Gudila, a. 705. n. 12. obit, a. 712. n. 4. an Monialis, *ibid.*

Guibertus Ep. Aletenſis obit, a. 681. n. 80.

Guichardus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

Guillermus Ep. Engoliſmenſis quando ſedit, a. 732. n. 65.

Guitmarus Abb. Centulenſis, quando, a. 700. nn. 41. 42. a. 720. n. 25.

Gundebertus Abb. Solemniacenſis, a. 698. n. 10.

Gundoaldus Ep. Bellicenſis quando ſedit, a. 722. n. 54.

Gundrematus Abb. S. Germani prope Pariſios, a. 694. n. 8. a. 708. n. 53.

Gunduinus Ep. Nouiomenſis ac Tornacenſis, a 694. n. 29.

Gunlindis Monialis Hohenburgenſis, a. 725. n. 32.

Gunterannus Abb. Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.

Gunthardus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 715. n. 16.

Guntherus Splinteri aquis ſuffocati & ad vitam reuocati pater fit Chriſtianus, a. 696. n. 1.

Guntrannus Abb. S. Martini, a. 717. n. 11. fit Ep. Turonenſis, *ibid.* n. 18. an ordinauit Nicentium Ep. S. Martini, *ibid.* obit, a. 732. n. 19.

Guyomarkus fit Ep. Leonenſis, a. 735. n. 4.

H

HADELINI obitus, Tranſlationes, imagines variæ, a. 690. n. 44.

Hadeloga, adiuuante patre Carolo Maiore-domûs, condit Monaſt. Kitzingi ad Mœnum, fitque prima Abbatiſſa, a. 735. nn. 12. *& ſeqq.*

Hadulfus S. Ragnulfi Martyris filius fit Abb. Vedaſtinus, a. 699. nn. 18. *& ſeqq.* Ep. Atrebatenſis, a. 717. n. 21. obit, a. 728. nn. 3. 4.

Hagano Abb. Weltenburgienſis, a. 693. n. 30. a. 699. n. 27.

Hagenſteinenſes fiunt Chriſtiani, a. 692. nn. 39. 40.

Hagio munificus erga Mon. Medianum, a. 708. n. 55.

Halidulphus Abb. Alti-Montenſis ſuſcipit Anſbertum Ep. Rotomagenſem exulem, a. 692. n. 35. ei licentiam redeundi ad Epiſcopatum impetrat à Pippino, a. 694. n. 28. intereſt eius exequiis ac Tranſlationi, a. 695. nn. 6. *& ſeqq.*

Hamon Ep. Aletenſis, a. 681. n. 80. a. 683. n. 52.

Hamticus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

Harduinus interfectâ Maxellende fit cæcus, a. 690. nn. 21. *& ſeqq.*

Haſnonium, Mon. in E. Atrebatenſi, a. 691. nn. 42. *& ſeqq.*

Hato Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

Hatta fit primus Abb. Vedaſtinus, a. 685. n. 5. intereſt eleuationi ac Tranſlationi S. Euſebiæ, a. 686. nn. 53. *& ſeqq.* obit, a. 699. nn. 17. *& ſeqq.*

Hatto Hunaldi Ducis Aquitaniæ frater, a. 735. n. 2. a. 736. n. 8.

Hautcarius Ep. Nouiomenſis ac Tornacenſis, a. 685. n. 4. a. 687. n. 19. a. 690. n. 35. a. 694. n. 29.

Heddo è Monacho Augienſi fit Abb. a. 730. nn. 4. *& ſeqq.* pellitur, ac paulò pòſt reuocatur, a. 732. n. 78. fit Ep. Argentoratenſis, a. 734. n. 11.

Hegira, a. 721. n. 10.

Hellingus Ep. Metenſis obit, a. 697. n. 33.

Heluidiani hæretici, a. 700. n. 21.

Henſchenij Chronologia examinatur, a. 693. nn. 19. *& ſeqq.* a. 715. nn. 22. *& ſeqq.*

Heremarus condit dotátque Mon. Woromholtanum, a. 695. n. 20.

Heremwlfus ſchiſmaticus in Boioaria damnatur, a. 735. n. 6.

Heribato Abb. Weltenburgienſis, a. 720. n. 45.

Herinnus Abb. S. Maximini Treuirenſis, quando, a. 698. n. 4.

Herlemundus fit Epiſc. Cenomanenſis, condit Xenodochium, reſtaurat Monaſterium Tillidum, a. 717. n. 25. à Chilperico III. impetrat confirmationem Priuilegij Cenomanenſis à Clotario III. olim conceſſi, a. 719. nn. 25. *& ſeqq.*

Hermanni Contracti variæ editiones, a. 724. n. 33.

Hermelandus Abb. Antrenſis Præceptum

obtinet à Childeberto III. R. a. *694.* n. 10. claret miraculis ac propheriâ, *ibid.* n. 11. abdicat regimen Monaſterij, a. *699.* n. 1. obit, a. 700. nn. 13. 14. transfertur, a. *716.* n. 13.

Herueus Abb. S. Carauni conſtituitur, a. 730. n. 24.

Herueus Ep. Veſontionenſis quando ſedit, a. 732. n. 33.

Herulfus Ep. Lingonenſis quando ſedit, a. 732. n. *36.*

Herus, Mon. in E. Pictauienſi, a. *685.* n. 3.

Higelricus Ep. Anicienſis, a. 732. n. 77.

Hilbertus fit Abb. Fontanellenſis, a. *683.* n. 9. obit, a. 700. n. 1.

Hildegarius Abb. Gemmeticenſis, a. 7*26.* n. 37.

Hildulfus Dux, a. *684.* n. 4. a. *691.* n. 15. a. 701. n. 2.

Hildulfus ſepelit S. Deodatum, a. *684.* n. 10. curam ſuſcipit Vallis Galilææ, *ibid.* n. 11. diſcipulos S. Deodati inuiſit, a. 685. n. 1. abdicat regimen Monaſterij ſubſtituto Abbate Leutebaldo, a. 700. n. 57. Spinnulum præficit Cellæ Beggonis, *ibid.* claret miraculis, a. 708 n. 53. Leutebaldo mortuo, fit iterum Abb. a. 709. n. 13. obit, a. 712. n. 3. quando ſedit Treuiris, a. 713. n. 31.

Hohenburgenſe Mon. in E. Argentoratenſi, a. *690.* n. 48.

Hohenouia, Mon. in E. Argentoratenſi, a. 721. nn. 78. 79.

Homburga vxor Wamberti Domini Renticæ, a. *685.* nn. 32. *& ſeqq.* obit, a. *695.* n. 19.

Hubertus Abbas Broilenſis conſtituitur, a. 702. n. 29.

Hubertus Ep. Sueſſionenſis quando ſedit, a. 700. n. 30.

Hubertus in Auſtraſiam proficiſcitur, fitque Clericus, a. *688.* nn. 34. 35. a. 702. nn. 44. *& ſeqq.* fit Ep. Traiectenſis, a. 708. n. 42. an ordinatus à Sergio PP. *ibid.* nn. 43. *& ſeqq.* hæres inſtituitur ab Oda matertera, a 711. n. 9. diuinitus monetur vt Reliquias S. Lamberti transferat ad locum Martyrij, a. 720. n. 28. eas transfert, a. 721. nn. 33. *& ſeqq.* cum Sede Epiſcopali, *ibid.* n. 40. Leodij ædificat Eccleſias, *ibid.* n. 42. auget cultum Sanctorum, transfert S. Madelbertam, & eleuat S. Theodardum, *ibid.* n. 43. extirpat idololatriam in multis regionibus, *ibid.* n. 44. diuinitus agnoſcit mortem ſibi imminere, a. *726.* n. 35. dicat Eccleſiam in Brachbanto, deinde obit, a. 727. nn. 37. *& ſeqq.*

Hugibertus Theodonis V. Bojoariæ Ducis, filius, a. 722. n. 2. ſolus Dux Bojoariæ factus Corbinianum Ep. Friſingenſem valdè diligit, a. 725. n. 7. munificus erga Mon. S. Emmerammi, a. 730. n. *36.*

Hugo Abb. Weltenburgienſis, a. 709. n. 12. a. 712. n. 8.

Hugo Ep. Albigenſis, a. 722. n. 58. a. 725. n. 24.

Hugo Ep. Corentinopolitanus obit, a. 701. n. 13.

Hugo Ep. Sagienſis quando ſedit, a. 720. n. 32.

Hugo filius Drogonis, a. 708. n. 8. munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 713. n. 13. a. 718. n. 3. fit Monachus Gemmeticenſis, a. 718. n. 3. ſub quibus vixit Abbatibus, a. 720. nn. 37. *& ſeqq.* fit Ep. Rotomagenſis, a. 722. nn. 4. *& ſeqq.* Abb. Fontanellenſis, a. 723. n. 3. Ep. Pariſienſis, a. 724. n. 37. Ep. Bajocenſis, a. 7*26.* n. *36.* Abb. Gemmeticenſis, a. 728. n. 7. obit, a. 730. n. 15. munificus erga Eccleſias, *ibid.* nn. 17. 18.

Hugo frater S. Odiliæ, a. *693.* n. 37.

Hugobertus Abb. S. Medardi, a. 718. n. 10.

Humbertus Abb. Maricolenſis obit, a. *682.* n. 2.

Humlinus pater S. Maxellendis, a. *691.* n. 39. a. *694* n. 32.

Hunaldus Dux Aquitaniæ, a. 735. nn. 1. 2. a. 73*6.* n. 8.

Hunfridus Abb. S. Germani prope Pariſios, a. *691.* n. *63.* a. *694.* n. 8.

Hunna, a. *684.* n. 12.

Hunnus Monachus Vallis Galilææ, a. *684.* n. 12.

Hunocurtenſe Mon. a. *685.* nn. *46.* 47.

Hunoldus Epiſc. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. *615.* n. 11. obit, a. 717. n. 21.

Hunuanus fit Ep. Nouiomenſis ac Tornacenſis, a. 723. n. 51. ſedet, a. 729. n. 2. intereſt Tranſlationi S. Berlendis, a. 730. n. 28.

I

IBBO Ep. Turonenſis, a. 709. n. 8. a. 717. nn. 9. *& ſeqq.*

Iberimus pater Bilhildis, a. *693.* n. 2.

Ictor munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 7*26.* n. 24.

Idololothyta, an iis veſci liceat, a. 7*26.* n. 24.

Ieiunium æſtiuale quatuor temporum quando celebratum, a. *686.* n. 33.

Ildeuertus Abb. Centulenſis, a. 700. n. 40.

Ildeuertus Ep. Meldenſis, a. *690.* n. *36.*

Immerius Abb. Cellæ S. Sigiſmundi obit, a. 702. n. 33.

Inferius Monaſterium in E. Argentoratenſi, a. 700. n 33.

Ingelbaudus fit Abb. S. Crucis prope Meldas, a. 720. n. 44.

Digitized by Google

Ingenocus cum Winnoco moratur in Monte Viridi, a. 690. nn. 23. *& ſeqq.* in Mon. Wotomholtano, a. 695. n. 20. a. 696. n. 12.
Iugoara ſoror Ebbonis Ep. Senonenſis munifica erga Mon. S. Petri Viui, a. 711. n. 18.
Ingomarus Friſius liberatur à patibulo & baptizatur, a. 684. n. 9. adducitur Fontanellam, a. 689. n. 2.
Iniurioſus Abb. Condateſcenſis, a. 681. n. 65. obit, a. 686. n. 26.
Innocentius Epiſc. Carpentoractenſis, a. 711. n. 12.
Inſulæ Barbaræ Mon. diruitur à Saracenis, a. 732. n. 30.
Ioannes conditor ac primus Abbas Haſnonij, a. 691. nn. 42. *& ſeqq.* obit, a. 708. n. 49.
Ioannes Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Ioannes Abb. S. Petri Saliſburgenſis conſtituitur, a. 703. n. 9.
Ioannes diſcipulus S. Condedi, a. 683. n. 4.
Ioannes diſcipulus S. Hildulphi, a. 685. n. 1. obit, a. 712. n. 3.
Ioannes Epiſcopus Abrincenſis ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 25.
Ioannes Ep. Albigenſis, a. 734. n. 1.
Ioannes Ep. Auenionenſis, a. 720. n. 29. a. 732. n. 25. a. 736. n. 22.
Ioannes Ep. Darantaſienſis quando ſedit, a. 690. n. 40.
S. Ioannis Baptiſtæ Mon. Valentianis in E. Cameracenſi, a. 690. n. 21.
S. Ioannis Mon. prope Taruannam, a. 686. n. 66.
Ionæ ſcripta de S. Wlfranno examinantur, a. 682. nn. 27. *& ſeqq.*
Ionatus Abb. Marchianenſis, a. 686. n. 46. a. 688. n. 6. obit, a. 691. nn. 25. 26.
Iordanis munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 706. n. 2.
Ioſue Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Irmina Abbatiſſa Horreenſis multa prædia tradit Monaſterio Epternacenſi, a. 698. n. 3. confirmat illam donationem, *ibid.* n. 6. ſuperſtes, a. 726. n. 7. an duæ diſtinguendæ Irminæ, *ibid.* nn. 11. *& ſeqq.*
Iſaac Epiſcopus Lugdunenſis, a. 687. n. 25.
Iſengrinus Abb. Weltenburgienſis, quando, a. 693. n. 30.
Iſſembertus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Iterius Epiſcopus Niuernenſis, a. 691. n. 47.
Iudex in Prouincia Lugdunenſi II. non conſtituendus abſque conſenſu aut electione Audoeni Ep. Rotomagenſis, a. 681. n. 62.
Iudicael fit Epiſcopus Aletenſis, a. 734. n. 2.
Iuliana, vtrùm Abbatiſſa Pauliacenſis, a. 704. n. 39.
Iulianus Ep. Benarnenſis, a. 732. n. 56. duo diſtinguuntur Iuliani Epp. *ibid.* nn. 57. *& ſeqq.*
Iuola Abb. Weltenburgienſis, quando, a. 693. n. 30.

K

KEBAS fit Abbas Augienſis, a. 734. n. 11. obit, a. 736. n. 6. vituperatur, *ibid.* n. 7.
Kenomonokus fit Ep. Venetenſis, a. 731. n. 27.
Kilianus Abb. a. 686. n. 29. factus Ep. erudit Wirziburgenſes, a. 687. n. 9. ab Idolorum cultu reuocat Gozbertum Ducem, a. 688. n. 3. Martyrio coronatur, a. 689. nn. 4. 5.
Kolomannus Preſbyter, a. 687. n. 9. Martyr, a. 689. n. 4.

L

LABAN pater S. Sacerdotis, a. 682. n. 65. a. 702. n. 50. a. 715. n. 46.
Lambertus Ep. Traiectenſis ab exilio reuocatur, a. 681. n. 65. intereſt exequiis S. Landradæ, a. 690. n. 43. dedicationi Mon. Honocurtenſis, a. 685. n. 47. fit Apoſtolus Taxandrorum, *ibid.* nn. 49. 50. erudit Hubertum, a. 688. n. 2. a. 701. nn. 44. *& ſeqq.* Martyrio coronatur, a. 708. nn. 9. *& ſeqq.* vbi ſepultus, *ibid.* nn. 36. 37. claret miraculis, a. 709. n. 3. auctores cædis à Deo puniti, *ibid.* transfertur, a. 721. nn. 33. *& ſeqq.*
Lambertus Ep. Valentinus quando ſedit, a. 732. n. 28.
Lanegiſilus Ep. Carnotenſis quando ſedit, a. 685. nn. 23. *& ſeqq.*
Landelinus Abb. Lobienſis, a. 686. nn. 21. *& ſeqq.* conditor multorum Monaſteriorum, a. 691. n. 8. Criſpinienſis, *ibid.* nn. 9. *& ſeqq.* quando obit, *ibid.* n. 19. eius vita à quibus ſcripta, *ibid.* nn. 2. *& ſeqq.*
Lando fit Abb. Fontanellenſis, a. 731. n. 14. an Ep. Remenſis, *ibid.* Præceptum Immunitatis accipit à Carolo, *ibid.* n. 16. obit, a. 734. n. 26.
Landrada prima Abbatiſſa Beleſienſis obit, a. 690. n. 43.
Landricus Abb. Sonegienſis, a. 700. n. 39. a. 705. nn. 28. 29.

Digitized by Google

Landricus Ep. Meldenſis, a. 700. nn. 38. 39. a. 705. n 27.
Lanfredus Abbas S. Germani prope Pariſios, a. 726. n. 37.
Lantbertus Ep. Lugdunenſis, a. 683. n. 9. a. 687. n. 25.
Lantfridus Dux Alamanniæ ſuſcipit Pyrminium, a. 721. n. 82. diſtinguitur à Luitfrido, a. 725. n. 29. obit, a. 730. n. 2.
Lato Ep. Nemetenſis, a. 730 n. 37.
Lebuinus an profectus in Friſiam cum willebrordo, a 690. n. 4. an interfuit Synodo Vltraiectinæ, a. 702. n. 19.
Lebuinus Epiſcopus Lugdunenſis, a. 690. n. 22.
Lectus pro theca in qua Reliquiæ SS. cuſtodiuntur, a. 687. n. 15.
Legienſis ſeu Leticus pagus, a. 686. n. 52.
Leo Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Leobardus, vtrùm Abb. Maioris Monaſterij, a. 686. n. 68.
Leobertus fit Ep. Carnotenſis, a. 696. n. 10. obit, a. 706. n. 5.
Leochadius Abb. Moſſiacenſis, quando a. 691. n. 34.
Leodebertus Ep. Aurelianenſis quando ſedit, a. 716. n. 16.
Leodegarius Abb. Corbeienſis, a. 726. n. 34.
Leodegarius II. Ep. Aurelianenſis quando ſedit, a. 716. n. 16.
S. Leodegarius transfertur, a. 681. nn. 2. & ſeqq. colitur in multis locis, *ibid.* nn. 5. 6.
Leodowinus Ep. Treuirenſis, a. 698. n. 3. condit Mon. Mediolacenſe, *ibid.* n. 5. obit, a. 713. n. 19. an Ep. Remenſis, *ibid.* n. 20. an Ep. Laudunenſis, *ibid.* ſepelitur Mediolaci, *ibid.* n. 21.
Leodrandus Epiſc. Darantaſienſis quando ſedit, a. 690. n. 42.
Leothadius fit Ep. Auſcienſis, a. 691. n. 30. multa de illo fabuloſè ſcripta, *ibid.* nn. 31. & ſeqq. obit, a. 718. n. 6.
Leproſi an ad Euchariſtiam & ad conuiuia admittendi, a. 726. n. 28.
Lerinenſe Mon. laudatur, a. 690. n. 10.
Leudemarus Abb. Orbacenſis, a. 696. n 19. a. 699. n. 5.
Leudemarus munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.
Leufredus adit Sidonium Abbatem, a. 686. n. 12. condit Mon. a. 690. n. 12. vexatur à Deſiderio Ep. Ebroicenſi, a. 696. n. 9.
Leutbertus Preſbyter munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 715. n. 16.
Leutbrandus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 700. n. 4.
Leutebaldus Abb. Mediani Monaſterij & Vallis Galilææ, a. 700. n. 57. obit, a. 709. n. 13.
Leutharius auus S. Odiliæ, a. 690. n. 49.
Liberiacum, Mon. in E. Baiocenſi, a. 688. n. 27.
Liuinus Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Logenſe Mon. puellare in E. Rotomagenſi, a. 713. n. 14.
Longinus III. Ep. Viuarienſis, a. 727. n. 33.
Loppa prima Abbatiſſa Tuſſiacenſis, a. 681. n. 78. obit, a. 686. n. 14.
Lotharius fit Præpoſitus Sarchinienſis, a. 689. n. 10. obit, a. 727. n. 1.
Lotharius ſeu Loharius Ep. Sagienſis, a. 720. nn. 30. & ſeqq.
S. Luciani Mon. in E. Bellouacenſi, a. 696. nn. 22. & ſeqq.
Luglianus Martyr, a. 696. nn. 14. & ſeqq.
Luglius Martyr, a. 696. nn. 14. & ſeqq.
Luitfridus Dux Alamanniæ, a. 725. n. 26. diſtinguitur à Lantfrido, *ibid.* n. 29. quos habuit fratres ac ſorores, *ibid.* nn. 30. & ſeqq. ſuſcipit Pyrminium, a. 730. n. 14.
Lupoaldus Ep. Moguntinus quando ſedit, a. 693. n. 3.
Luxouium diruitur à Saracenis, ibique ceſſat laus perennis, a. 732. n. 34.

M

Macedonia, ſoror S. Auiti Ep. Viuarienſis, munifica erga Eccleſiam Viuarienſem, a. 705. n. 24.
Macharius Ep. Sueſſionenſis quando ſedit, a. 700. n. 30.
Madabertus Ep. Engoliſmenſis, a. 732. n. 65.
Madelanus Ep. *Laudunenſis* quando ſedit, a. 701. n. 2.
Madelbaldus fit Abbas Vedaſtinus, a. 728. n. 5. obit, a. 729. n. 3.
Madelberta fit Abbatiſſa Melbodienſis, a. 696. n. 3. obit, a. 705. n. 13. transfertur Leodium, a 721. n. 44.
Madobodus Abb. Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.
Madocus cum winnoco moratur in Monte Viridi, a. 690. nn. 23. & ſeqq. in Mon. woromholtano, a. 695. n. 20. a. 696. n. 12.
Madriacenſis pagus, a. 690. n. 12.
B. Magdalenæ ſacellum prope Noueſium, a. 691. n. 28.
Magnaldus ſeu Magoldus Ep. Tullenſis quando ſedit, a. 697. n. 5.
Magnebertus famulus S. Vodoali, a. 718. nn. 11. 12.
Magnilocenſes Monachi ſcribunt aduerſùs hæreticos, a. 700. n. 21.
Magnoaldus primus Abb. Flauiniacenſis, a. 722 nn. 56. 57.
Magnus Martyr apud Montem Verdunum necatur à Saracenis, a. 732. n. 30.

Digitized by Google

Magobertus fit Ep. Carnotenſis, a. 706. n. 5. obit, a. 719. n. 32.
Mainulfus Ep. Carnotenſis quando ſedit, a. 685. nn. 27. 28.
Maldagarius Ep. Laudunenſis quando ſedit, a. 687. n. 23. a. 701. n. 2.
Malonia, Monaſt. in E. Trajectenſi, a. 685. n. 45.
Malus paſſus prope Auenionem vnde ſic dictus, a. 732. n. 25.
Manno Ep. Auguſtanus obit, a. 694. n. 33.
Marchelmus idem cum Marcellino, a. 690. n. 4. an venit in Friſiam cum willebrordo, *ibid.* an ſcripſit Hiſtoriam Swibertinam, a. 689. n. 1.
Marchianenſe Mon. ſolis Monialibus cedit, a. 691. nn. 25. 27.
Marcinannus fit Abb. Iunctuarum, a. 712. n. 3.
B. Mariæ ad Martyres Mon. Treuiris erectum à willebrordo Ep. Vltraiectino, a. 698. n. 7. cur ita dictum, *ibid.*
B. Mariæ Virginis Mon. Coloniæ erectum à Plectrude tunc repudiata, a. 689. nn. 18. 19.
B. Mariæ Virginis Mon. Moguntiæ erectum à Bilhilde vidua, a. 712. n. 2.
B. Mariæ Virginis & S. Petri Mon. erectum à Saluio in E. Ambianenſi, a. 686. n. 5.
Marinus Ep. Martyr in Bojoaria, a. 697. n. 7.
Marius, vtrùm Abb. S. Luciani, a. 696. n. 26.
S. Martini in Valle Mon. in E. Carnotenſi, a. 685. n. 30.
S. Martini Oratorium in villa Squauia, a. 685. n. 48.
Martinus Dux an prolem reliquerit, a. 696. n. 7.
Martinus Ep. Arelatenſis quando ſedit, a. 684. n. 17.
Martyrologia, Bedæ, a. 708. nn. 16. *& ſeqq.* Flori, *ibid.* n. 19. wandelberti, *ibid.* n. 20. Adonis, *ibid.* n. 21. Vſuardi, *ibid.* n. 22.
Maſo Luitfridi Alamanniæ Ducis frater, a. 715. n. 31. condit Mon. puellare, a. 731. n. 24.
Maſonis-Monaſterium in E. Argentoratenſi, a. 731. n. 24.
S. Mathiæ Mon. in E. Treuirenſi, a. 713. n. 20.
Mathildus Abb. weltenburgienſis, quando, a. 693. n. 30.
Matrimonium in quibus gradibus prohibitum, a. 726. n. 19. a. 732. n. 11. contractum dirimitur per impedimentum perenne anteà ignoratum, *ibid.* n. 20. quot vxores primâ mortuâ quis legitimo matrimonio ſucceſſiuè ſibi ſociare poſſit, a. 732. n. 12.
Maurellus fit Abb. Reomaenſis, a. 721. n. 54.
Mauricius Ep. Venetenſis obit, a. 700. n. 32.
Maurilius Abb. Ferrarienſis, quando, a. 713. nn. 39. 40.
Maurontius Abb. Glannenſis, a. 694. n. 11.
Mauronrus Comes Prouinciæ fauet Saracenis, a. 736. n. 22. a. 737. n. 10.
Maurontus, conditor ac primus Abb. Mon. Broilenſis, Amatum Ep. Senonenſem Peronâ Broilum ducit, eique cedit curam Monaſterij, a. 686. nn. 41. *& ſeqq.* quam reſumit, a. 690. n. 20. intereſt Tranſlationi S. Amati, a. 693. n. 15. obit, a. 702. n. 29.
Mauziacum, Mon. in E. Aruernenſi, conditur, a. 681. n. 73.
Maurus Abb. Cellæ Leobardinæ, a. 725. n. 26.
Maxellendis Martyr, a. 691. nn. 37. *& ſeqq.* transfertur, a. 694. n. 32.
Maximinus Ep. Pictauienſis quando ſedit, a. 688. n. 19.
Mechtildis, Splinteri aquis ſuffocati & ad vitam reuocati mater, fit Chriſtiana, a. 696. n. 1.
Mechtrida, mater Bilhildis, a. 693. n. 2.
Mediolacus, Mon. in E. Treuirenſi, a. 698. n. 5.
Mellinus ſeu Miletus Abb. Luxouienſis necatur à Saracenis, a. 732. n. 34.
Menatum Mon. an conditum à S. Meneleo Abb. a. 696. nn. 28. 29.
Meneleus Abb. Menatenſis, a. 689. n. 8. a. 696. nn. 27. *& ſeqq.*
Menſes anni Arabici, a. 721. n. 12.
Merſeidus fit Ep. Pariſienſis, a. 730. n. 22.
Michael Archangelus apparet Autberto Ep. Abrincenſi, a. 706. n. 1.
S. Michaelis Mon. ad Moſam in E. Vitodunenſi, a. 709. n. 4.
S. Michaelis in Eremo Mon. in E. Pictauienſi, a. 684. n. 16.
S. Michaelis Mon. infra Straſburgum, a. 721. n. 70.
Milo fit Ep. Treuirenſis, a. 713. nn. 19. 32. Remenſis, a. 717. n. 5. mittitur Legatus ad Vaſcones, a. 720. n. 2. Altare concedit Rigoberto, a. 721. n. 65. dicitur ſolâ Tonſurâ Clericus, *ibid.* n. 66. teſtis euindicationis factæ à Benigno Abb. Fontanellenſi, a. 722. n. 10.
Milo fit Monachus Fontanellenſis, a. 713. n. 14. Anachoreta, *ibid.* n. 15.
Minariacum an hodierna Meruilla ad Liſam, a. 686. n. 51.
Miroldus Ep. Bellouacenſis quando ſedit, a. 720. n. 35.
Miſſa celebratur pro defunctis, a. 720. nn. 52. 54. a. 732. n. 9. pro infirmis, a. 726. n. 6.
Miterenſe Mon. in E. Autiſſiodorenſi conditum à Quintiliano, a. 694. n. 27.

Digitized by Google

Moderandus, a. 694. n. 26. Epiſcopus Redonenſis, a. 703. n. 7. it in Italiam, dimittítque Epiſcopatum, a. 716. n. 9. colitur variis diebus, *ibid.* n. 11.

Modeſta è Catalogo Abbatiſſarum Horreenſium expungenda, a. 726. nn. 8. *& ſeqq.*

Mogiſlus Monachus Fontanellenſis, a. 682. n. 56.

Monachus, quem Abbas non corrigit, corrigendus ab Epiſcopo, a. 688. n. 12. an in infantiæ cunis à parentibus ſub regulari traditus diſciplina, poſt pubertatem egredi & matrimonio copulari poſſit, a. 726. n. 25.

Monaſteriorum Cuſtodes Regij, qui, a. 711. n. 22.

Moniales, aliæ Canonicam vitam ducunt, aliæ Regularem, a. 700. n. 35.

Mons Verdunus, Mon. in E. Lugdunenſi, a. 732. n. 30.

Mornauallis Mon. in E. Sueſſionenſi, a. 718. n. 13.

Morſellenſe Mon. variis viciſſitudinibus obnoxium, a. 682. n. 13.

Mummolinus Ep. Nouiomenſis ac Tornacenſis obit, a. 685. n. 4.

Mummolus Abbas Floriacenſis obit, a. 702. n. 51.

Mundana mater S. Sacerdotis, a. 682. n. 65. a. 701. n. 50. viſum recuperat in exequiis filij, a. 720. n. 26. interficitur à Saracenis, a. 725. nn. 9. *& ſeqq.*

Murbachium Mon. in E. Argentoratenſi conditur, a. 731. nn. 18. *& ſeqq.*

N

NATOLENVS Monachus Solemniacenſis, a. 699. n. 11.

Nectarius Ep. Niuernenſis, a. 726. n. 33.

Nicentius an Ep. S. Martini, a. 717. n. 18.

Ninus Corbiniano Ep. Friſingenſi parat inſidias peritque miſerrimè, a. 725. nn. 3. 4.

Nodobertus fit Ep. Aruernenſis, a. 699. n. 13. cum æmulo per Bonitum reconciliatur, a. 707. n. 11. fruſtrà repetit ab Epiſcopo Lugdunenſi corpus S. Boniti, a. 713. n. 17. quando ſedit, *ibid.* n. 18.

Noitburgis neptis Plectrudis ex ſorore, a. 689. n. 18. obit, a. 700. nn. 23. 24.

Nortbertus Palatium Neuſtriæ curat, a. 688. n. 1. obit, a. 694. n. 8.

Nouatiani Hæretici, a. 700. n. 21.

O

OCIOALDVS Abb. Centulenſis, a. 684. nn. 15. 16.

Oda amita S. Huberti, a. 688. n. 2. a. 702. n. 42. a. 711. n. 9.

Odelardus Comes obit, & à Berlende filia ſepelitur, a. 682. n. 8. Sanctus vocatur, a. 730. n. 29.

Odila, S. Reoli filia, Monialis Sueſſione, a. 699. n. 3.

Odilia naſcitur cæca, baptizatur, illuminatur, fitque prima Abbatiſſa Hohenburgenſis, a. 690. nn. 49. *& ſeqq.* amittit parentes ſuos, a. 693. n. 34. conſtruit Inferius Monaſterium & Eccleſiam S. Ioannis Baptiſtæ, a. 700. nn. 33. *& ſeqq.*

Odo fit Abb. S. Crucis Meldis, a. 682. n. 58. obit, a. 720. n. 44.

Odo munificus erga Monaſt. Woromholtanum, a. 706. n. 9.

Odoranni Chronologia examinatur, a. 704. nn. 8. *& ſeqq.*

Oeconomus Eccleſiæ, a. 721. nn. 74. *& ſeqq.*

Oldradus Ep. Carpentoractenſis, a. 730. n. 26.

Omeneſius Ep. Leonenſis, a. 701. n. 13. a. 735. n. 4.

Omotarius Ep. Laudunenſis quando ſedit, a. 734. n. 111.

Opportunus Ep. Niuernenſis, a. 702. n. 52.

Ordinationes illicitæ, a. 723. nn. 26. 28.

Ordinationum dies legitimi, a. 723. nn. 26. 31. 32.

Ordoſſenſe Mon. a. 724. n. 7.

Orpium, Mon. in E. Traiectenſi, a. 692. n. 4.

Oſtergoa ſiue Auſtrachia, pars Friſiæ, a. 734. n. 21.

Ouo Friſius liberatur à patibulo & baptizatur, a. 684. n. 9. adducitur Fontanellam, a. 689. n. 2. ordinatur Preſbyter à Reginaldo Ep. Rotomagenſi, a. 698. n. 2.

P

PALATIOLVM, Mon. puellare in E. Treuirenſi, a. 700. nn. 44. *& ſeqq.* a. 732. n. 2.

Palma, Mon. in E. Argentoratenſi, a. 690. nn. 53. 57. 60.

Papolenus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis. *Vide* Abolenus.

Papolenus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis cum aliis Abbatibus malè confunditur, a. 684. nn. 22. *& ſeqq.*

Papolenus Abb. Solemniacenſis, quando, a. 695. n. 23.

Pardulphus Abb. Waractenſis, a 732. n. 74.

Paſquarius Epiſc. Namnetenſis, a. 694. nn. 10. 22.

Paternus Abb. Moſſiacenſis, quando, a. 691. n. 34.

Paternus Martyr, a. 711. n. 17.

Pathaſius Ep. Meldenſis, a. 697. n. 34.

Digitized by Google

Patricius Ep. Auſcienſis, a. 718. n. 7. a. 732. n. 56. obit, a. 736. n. 23.

Peladius ſeu Pelagius II. Ep. Turonenſis, a. 693. n. 16. a. 700. n. 22.

Pepo fit Ep. Virodunenſis, a. 716. n. 18. fauet Carolo, a. 717. n. 3. obit, a. 722. n. 1.

Petichus fit Ep. Auguſtanus, a. 694. n. 33. obit, a. 713. n. 2.

Periurium punitur, a. 731. n. 6.

Perpetuus Ep. Auſcienſis obit, a. 691. n. 30.

S. Petri Mon. in E. Cenomanenſi, a. 685. n. 13.

S. Petri Mon. Ionnenſe ad Sequanam in E. Senonenſi, a. 711. n. 17.

Petrucio Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

Petrus Abb. Maioris Monaſterij, a. 686. n. 69.

Petrus à morte ad vitam reuocatur, a. 711. n. 1.

Petrus Ep. a. 716. n. 15.

Peſtis. An peſtis tempore fugiendum, a. 726. n. 29.

Pharamundus Ep. Colonienſis, alius à Pharamundo pſeudo-epiſcopo Traiectenſi, a. 724. nn. 29. *& ſeqq.*

Pharamundus pſeudo-epiſcopus Traiectenſis pellitur, a. 681. n. 60.

Philibertus Abb. Gemmeticenſis exul literas accipit ab Audoeno Ep. Rotomagenſi, a. 681. n. 63. in eius amicitiam redit, a. 682. n. 1. reuertitur Gemmeticum, *ibid.* inuiſitur ab Anſoaldo Ep. Pictauienſi, a. 683. n. 3. conſtruit Mon. Villâre, *ibid.* redit ad Mon. Quinciacum, a. 684. n. 14. ſecedit in Herum Inſulam, a. 685. n. 3. obit, a. 690. n. 11.

Pippinus Caroli filius naſcitur, a. 714. n. 5. baptizatur à Willebrordo Ep. Vltraiectino, *ibid.* fit filius ſpiritalis Liutprandi R. Longobardorum, a. 733. n. 4.

Pippinus Maiordomûs in Auſtria pacem init cum Waradone Maiore-domûs in Neuſtria, a. 681. n. 64. Lambertum Ep. Traiectenſem ab exilio reuocat, *ibid.* n. 65. à Giſlemaro fraude interceptus profligatur, a. 682. n. 3. munificus erga Mon. Malonienſe, a. 685. n. 45. erga Fontanellam, a. 703. n. 1. a. 705. n. 14. a. 706. n. 2. a. 707. n. 8. erga Andainum, a. 704. n. 41. erga Epternacum, a. 706. n. 3. erga Sarchinium, a. 696. n. 8. erga Mon. S. Mariæ ad Martyres, a. 698. n. 7. erga Corbinianum Recluſum, a. 701. n. 10. erga Rigobertum Ep. Remenſem, a. 713. nn. 33. 34. vincit Neuſtraſios, a. 687. nn. 1. *& ſeqq.* fit Maior-domûs in vniuerſa Francia, *ibid.* nn. 6. 7. an Princeps Francorum, *ibid.* redit in Auſtraſiam, a. 688. n. 1. repudiatâ Plectrude ſuperinducit Alpaidem, *ibid.* n. 2. Friſiam citeriorem ſubigit, a. 689. n. 1. reuocatâ iam Plectrude fit munificus erga Eccleſiam S. Arnulphi, a. 692. n. 1. pellit in exilium Anſbertum Ep. Rotomagenſem, *ibid.* n. 35. Friſiam citeriorem tuetur, profligato Radbodo Friſiorum R. a. 694. n. 9. Anſbetto Epiſc. Rotomagenſi licentiam redeundi ad Epiſcopatum concedit, a. 694. n. 28. condit Mon. S. Ioannis Baptiſtæ Valentianis, a. 690. n. 21. Mon. Floriacum, a. 706. n. 2. manet cum Plectrude, a. 692. nn. 1. 4. a. 696. n. 8. a. 701. n. 3. a. 706. nn. 2. 3. a. 714. n. 3. bona permutat cum Armonio Ep. Virodunenſi, a. 701. n. 3. Sueuos debellat, a. 709. n. 1. a. 710. n. 1. dat Sueſtram Willebrordo Epiſc. a. 714. n. 3. obit, *ibid.* n. 4. eius filij ac nepotes, *ibid.* n. 5.

Plectrudis repudiatur à Pippino, a. 688. n. 2. condit Mon. puellare Coloniæ, ibíque viuit, a. 689. n. 18. reuocatur à Pippino, manétque cum eo, a. 692. n. 1. a. 696. n. 8. a. 701. n. 3. a. 706. nn. 2. 3. a. 714. n. 3. munifica erga Mon. S. Arnulphi, a. 692. n. 1. erga Sarchinium, a. 696. n. 8. erga Andainum, a. 704. n. 41. Carolum Alpaidis filium ſub cuſtodia detinet, a. 714. n. 5. diſtinguitur à Pilitrude, a. 725. n. 5. laudatur ob pietatem & munificentiam erga Eccleſiam Capitolinam Coloniæ, *ibid.*

Pœnitentia qualis imponenda patricidæ, matricidæ, fratricidæ, ſororicidæ, & Chriſtiano ſeruos paganis ad immolandum venundanti, a. 732. nn. 13. 14.

Polycarpus Ep. Arelatenſis ſanctitate conſpicuus quando ſedit, a. 684. n. 17.

Pompeius Preſbyter, a. 711. n. 10.

Poppo Abb. Weltenburgienſis, quando, a. 693. n. 30.

Poppo Friſicæ cohortis ductor aduersùs Saracenos, a. 732. n. 68.

Porcarius Abbas Montis Verduni Martyr, a. 732. n. 30. diſtinguitur à Lerſnenſi, *ibid.*

Potentinus Ep. Vcecienſis, a. 682. n. 23.

Præceptum pro Monaſteriis Cenomanenſibus, a. 719. nn. 25. *& ſeqq.* pro Corbeienſi, a. 716. n. 4. pro Mon. S. Dionyſij, *ibid.* n. 3. pro Fontanellenſi, *ibid.* n. 2. a. 731. n. 16. pro Mon. S. Luciani, a. 716. n. 5. pro Malmundarienſi, a. 681. n. 66. a. 693. n. 16. pro Murbachienſi, a. 731. n. 21. pro Mon. SS. Sergij & Bacchi, a. 705. n. 16. pro Sitiuenſi, a. 692. n. 5. a. 697. n. 6. a. 718. n. 5. a. 721. nn. 45. *& ſeqq.* pro Stabulenſi, a. 681. n. 66. a. 693. n. 16. pro Mon. S. Stephani Argentorati, a. 715. n. 42. pro Vedaſtino, a. 685. n. 8. pro Eccleſia Remenſi, a. 711. n. 6.

Preſbyter accuſatus à populo, ſi certi de-

Digitized by Google

ſint teſtes, innocentiam ſuam iureiurando tueatur, a. 726. n. 21. an colloquendum aut conuiuandum cum Preſbytero multis vitiis irretito, *ibid.* n. 30.
Principius Abbas Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Priſcoſiccimum, Mon. in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 78.
Priuilegium pro Mon. Deruenſi, a. 694. nn. 1. *& ſeqq.* pro Vedaſtino, a. 685. n. 9.
Probus fit Abbas Quinciacenſis, a. 685. n. 3.
Protaſius Ep. Aquenſis Metropolitanus, a. 732. n. 14.
Proculus Ep. Aruernenſis, a. 713. n. 18. transfert Reliquias S. Boniti, a. 723. nn. 41. *& ſeqq.*
Pyrminius Ep. adit Lantfridum Ducem Alamanniæ, a. 721. nn. 81. *& ſeqq.* condit Mon. Augiæ, a. 724. nn. 33. 34. pulſus ſecedit in Alſatiam, a. 730. nn. 2. 3. condit Murbachium Mon. & alia inſtaurat, a. 731. nn. 18. *& ſeqq.* impetrat Præceptum à Theodorico R. *ibid.* n. 21.

Q

QVADANOCVS cum Winnoco moratur in monte Viridi, a. 690. nn. 23. *& ſeqq.* in Mon. Woromholtano, a. 695. n. 20. a. 696. n. 12.
Quercodolora Mon. a. 726. n. 2.
Quintilianus Abb. S. Germani conſtituitur, a. 694. n. 27. Epiſcopus Autiſſiodorenſis, a. 721. n. 64. obit, a. 722. n. 53.
Quintilianus condit Mon. Miseretenſe cum Xenodochio, a. 694. n. 27.
Quirinus Abb. Tillidi, a. 717. n. 25.

R

RADAMASTVS bona tradit Cœnobio Fontanellenſi, a. 695. n. 9.
Radbodus R. Friſonum, a. 684. n. 8. omnes Euangelij Doctores pellit è ſuo Regno, a. 689. n. 2. a. 692. n. 37. a. 702. n. 1. victus Friſiam citeriorem Francis cedit, a. 689. n. 1. fruſtrà conatur eam recuperare, a. 704. nn. 23. *& ſeqq.* fit ſocer Grimoaldi, a. 711. n. 7. venit in ſuſpicionem necis illatæ genero, a. 714. n. 2. vincit Carolum, a. 716. n. 1. obſidet Coloniam, *ibid.* n. 6. obit, a. 719. n. 10.
Radefridus Abb. Weiſſenburgenſis, quando, a. 722. nn. 44. 55.
Radigna cæca, muta & paralytica, ſanatur ad feretrum S. Leodegarij, a. 681. n. 3.
Radulſus Epiſcopus Sagienſis quando ſedit, a. 688. n. 28.
Ragaminatus Ep. Meldenſis, a. 715. n. 47. a. 720. n. 43.
Ragembertus Ep. Trecenſis quando ſedit, a. 700. n. 37.
Ragenfridus fit Abb. Vedaſtinus, a. 729. n. 3. obit, a. 731. n. 25.
Ragenufla, a. 681. n. 63.
Raginfridus fit Maior-domûs, a. 715. n. 1. infeliciter pugnat ad Amblauam, a. 716. n. 7. ad Vinciacum, a. 717. n. 4. ad Sueſſionem, a. 719. nn. 2. *& ſeqq.* pacem init cum Carolo, a. 724. n. 35. obit, a. 731. n. 9. vindicatur à calumnia, *ibid.* n. 12.
Ragintrudis filia Dagoberti II. R. a. 726. n. 8.
Ragnulfus Martyr, a. 699. n. 21.
Raimbertus fit Abb. Mediani Mon. a. 712. n. 3.
Rangarius Friſio Grimoaldum Maioremdomûs interimit, a. 714. n. 2.
Ranginfredus Ep. Colonienſis, a. 724. n. 31. a. 735. n. 3.
Ratbertus Ep. Rotomagenſis, a. 730. n. 20. a. 734. nn. 23. 24.
Ratharius Ep. a. 730. n. 30.
Ratto Abb. Luxouienſis, quando, a. 732. n. 34.
Rauengarius Ep. Taruannenſis, a. 697. n. 6. an dedicauit Blangiacum, a. 690. nn. 26. 28. 40. an ſepeliuit S. Bertinum, a. 702. n. 30. obit, a. 723. n. 40.
Rauigus Ep. Bellouacenſis quando ſedit, a. 720. n. 34.
Recoaldus Ep. Bellouacenſis quando ſedit, a. 720. n. 35.
Reginaldus fit Ep. Rotomagenſis, a. 695. n. 12. ordinat Ouonem Preſbyterum, obítque, a. 698. n. 2.
S. Reginæ Monaſteriolum in E. Auguſtodunenſi, a. 722. n. 57.
Regnebertus Abb. Luxouienſis, quando, a. 732. n. 34.
Rempertus Abb. Weltenburgienſis, a. 712. n. 8. a. 720. n. 45.
Rendinus Abb. Luxouienſis, quando, a. 732. n. 34.
Reolus ſeu Regulus Ep. Remenſis ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 17. obit, a. 699. n. 2. munificus erga ſuam Eccleſiam, *ibid.*
Reolus alius ab Ep. Remenſi, a. 681. n. 1.
Reynerus Abb. Gandenſis, a. 709. n. 9. obit, a. 723. n. 39.
Richbertus Epiſc. Moguntinus quando ſedit, a. 693. n. 14.
Ricmirus conditor ac primus Abb. S. Petri in Ep. Cenomanenſi, a. 685. nn. 13. 14.
Rictrudis Abbatiſſa Marchianenſis, a. 685. n. 43. a. 686. n. 46. obit, a. 688. n. 6.
Rigambertus fit Ep. Turonenſis, a. 733. n. 7.

Digitized by Google

Rigionatius Abbas Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.
Rigobertus fit Abb. Sitiuenſis, a. 696. n. 12. condit Ædem Martinenſem, emítque Rumiliacum, a. 700. nn. 19. 20. abdicat regimen, a. 702. n. 30.
Rigobertus fit Ep. Remenſis, a. 699. nn. 4. *& ſeqq.* ærarium Canonicis commune primus inſtituit, *ibid.* n. 7. munificus erga Eccleſias, *ibid.* n. 4. a. 711. n. 6. a. 713. n. 35. ſtat pro Chilpetico R. a. 717. n. 3. pellitur, *ibid.* n. 5. in exilio claret miraculis, a. 718. n. 8. redit ab exilio, a. 720. n. 2. obtinet altare S. Mariæ à Milone, & duas Præceptiones à Theodorico R. a. 721. nn. 65. 70. 71. miraculis claret, *ibid.* n. 73. an interfuit Tranſlationi S. Lamberti, *ibid.* n. 40. obit, a. 733. n. 6.
Rigobertus pater S. Berthæ Abbatiſſæ Blangiacenſis, a. 685. n. 40.
Riuallonus Epiſc. Aletenſis, a. 711. n. 11. a. 734. n. 2.
Rochus fit Ep. Bituricenſis, a. 697. nn. 31. 32. ſepelit Euſtadiolam Abbatiſſam, a. 698. n. 11. obit, a. 732. n. 2.
Rodemarus munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 691. n. 36.
Rodingus Abb. Bellilocenſis abdicato Monaſterij regimine ſecedit in eremum, a. 686. n. 25. obit, a. 691. n. 27.
Rodulphus Epiſc. Sagienſis quando ſedit, a. 720. n. 32.
Rodulphus pius erga Bertham Abbatiſſam Blangiacenſem, a. 688. n. 6.
Rogus Ep. Niuernenſis quando ſedit, a. 684. n. 10.
Rohingus munificus erga Willebrordum Ep. Vltraiectinum, a. 726. nn. 2. 3.
Rolandus Abb. S. Vincentij Cenomanenſis, a. 689. n. 20.
Romulus Abbas SS. Apoſtolorum prope Metas, a. 692. nn. 1. 3. a. 693. n. 27.
Roſimundus. *Vide*, Bonimundus.
Roſwinda, ſoror S. Odiliæ, a. 693. n. 37.
Rothandus fit Ep. Redonenſis, a. 725. n. 49.
Rothildis filia Dagoberti II. R. a. 726. n. 16.
Rothmundus fit Monachus Fontanellenſis, a. 713. n. 14.
Rotmundus Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Rotrudis vxor Caroli Martelli obit, a. 725. nn. 1. 2.
Rubiacum, Mon. in E. Arnernenſi, a. 699. n. 12.
Rudhardus Abb. Weltenburgienſis, quando, a 693. n. 30.
Rudoltus Ep. Conſtantienſis, a. 736. n. 7.
Ruodgarius Gertrudem Monialem Blangiacenſem in vxorem ſibi vult ſociare, punitúrque diuinitus, a. 688. n. 6.
Ruſticus fit Abb. Iurenſis, a. 698. n. 1. obit, a. 733. n. 9.
Ruſticus Luxouienſis Abb. quando, a. 699. n. 25.
Ruthardus condit Mon. Swarzachium, a. 724. n. 32.
Ruthenæ, an redierint ad Wiſigothos, a. 682. n. 26.

S

SACERDOS puer eruditur à Capuano Ep. Cadurcenſi, a. 682. nn. 59. *& ſeqq.* a. 693. n. 51. fit Diaconus, deinde Monachus, a. 695. n. 25. Preſbyter & Abbas, a. 702. n. 49. Ep. Lemouicenſis, a. 715. n. 59. *& ſeqq.* miraculis claret, à. 702. n. 50. a. 715. nn. 59. *& ſeqq.* obit, a. 720. n. 26. vbi ſepultus, a. 725. nn. 12. *& ſeqq.*
Sairebertus munificus erga Eccleſiam Remenſem, a. 713. n. 36.
Salmon Abb. Solemniacenſis, quando, a. 678. n. 10.
Salomon Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Saluius II. Ep. Valentinus quando ſedit, a. 732. n. 28.
Saluius Monaſterium erigit in honorem B. Virginis & Principis Apoſtolorum, ibi fit Monachus, tum Abbas, poſteà Ep. Ambianenſis, a. 686. nn. 2. *& ſeqq.* diſtinguitur ab aliis Epiſcopis eiuſdem nominis, *ibid.* transfert S. Firminum Martyrem, a. 687. nn. 16. *& ſeqq.* S. Firminum Confeſſorem, a. 689. n. 13. ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. nn. 8. 22. claret miraculis, a. 689. n. 14. obit, *ibid.* n. 15.
Salutaris Ep. Lemouicenſis quando ſedit, a. 703. n. 3.
Samuel Abb. Reomaenſis, a. 711. nn. 21. *& ſeqq.*
Sanctenſe Mon. puellare in E. Attebatenſi, a. 691. n. 41.
Sandradus Abb. S. Emmerammi, a. 710. n. 8. a. 730. n. 36. obit, a. 735. n. 5.
Saraceni, vnde ſic dicti, a. 721. n. 9. varia ſortiuntur nomina, *ibid.* cur dicti Vandali, a. 725. nn. 10. 11. cur Iſmaelitæ, a. 737. n. 32. fiunt potentiſſimi, a. 732. n. 66. Toloſam obſidentes vincuntur à Francis, a. 721. nn. 6. *& ſeqq.* in Franciam irrumpunt, vincuntúrque ab Eudone Aquitaniæ Præfecto, a. 725. nn. 8. *& ſeqq.* obſident Arelatem, a. 731. n. 1. ſolutâ obſidione vlteriùs in Franciam penetrant Senonas vſque ac Pictauium, vincuntúrque prope Senonas & prope Pictauium, a. 732. nn. 21. *& ſeqq.* capiunt Auenionem, a. 736. n. 22. vincuntur, a. 737. nn. 9. *& ſeqq.*
Saturnina Martyr, a. 691. n. 41.

Sauaricus fit Ep. Autiſſiodorenſis, a. 710. n. 5. multa prauè gerit, diuinitúſque punitur, a. 715. nn. 44. *& ſeqq.* quando ſedit, a. 721. n. 52.

Sauericus fit Abb. Haſnonienſis, a. 727. n. 2.

Sauinianus Abb. Menatenſis, a. *696.* nn. 28. 29.

Saxiacum, Mon. in E. Conſtantienſi, a. 711 n. 17.

Saxones, a. *695.* n. 3. a. 718. n. 4. a. 720. n. 1. a. 722. n. 1.

Sayfarius Abb. Luxouienſis, a. *699.* n. 25.

Scaricus Ep. Catalaunenſis quando ſedit, a. *694.* n. 4.

Schwarzachium Mon. conditur, a. 724. n. 33.

Scopilio Ep. Autiſſiodorenſis, a. *686.* n. 1. a. *694.* n. 27.

Sebaſtianus Abb. Corbeienſis, a. 7*16.* n. 4.

Senonenſium Epiſcoporum Catalogi examinantur, a. *682.* nn. 33. *& ſeqq.*

Septimania Aquitaniæ attributa, a. 737. n. 32.

Sequana & Sigona promiſcuè cùm pro Sequana tum pro Arari, a. 719. n. 31.

Serannus ciuis Carnotenſis conſtruit Eccleſiam ſuper tumulum S. Cerauni, a. *685.* n. 26.

SS. Sergij & Bacchi Monaſterium variè nominatur, a. 705. n. 17.

Serulphus Ep. Laudunenſis, a. *687.* n. 23.

Seuerinus fit Abb. Cellæ S. Sigiſmundi, a. 702. n. 33.

Sicbaldus munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 705. n. 14.

Siccidis prima Abbatiſſa Alciacenſis, a. 700. nn. 23. 24.

Sidonius Abb. Leufredum erudit, a. *686.* n. 12. an ſuperſtes Anſberto, a. *695.* n. 13.

Sigebertus Ep. Moguntinus, a. *693.* n. 14. a. 706. n. 4. a. 712. n. 1.

Sigenoldus Epiſc. Meldenſis, a. 720. n. 43. a. 7*26.* n. 32.

Sigibaldus fit Ep. Metenſis, a. 7*16.* n. 17. erigit Nouam Cellam, & poſſeſſiones permutat cum Wolfando Comite, a. 734. nn. 8. 9.

Sigibertus III. R. Francorum, vindicatur à calumnia, a. *692.* nn. 16. 17.

Sigifridus maritus S. Berthæ, a. *685.* nn. 41. 42.

Siginus fit Ep. Bituricenſis, a. 737. n. 2.

Sigirannus Abb. Aniſolenſis, a. *681.* n. 77.

Sigoaldus Ep. Carnotenſis, a. 719. n. 32. obit, a. 731. n. 17.

Sigoaldus Ep. Laudunenſis quando ſedit, a. 701. n. 2.

Sigofridus Abb. S. Germani prope Pariſios, a. *684.* nn. 24. 30.

S. Silæ Reliquiæ Taruannam Româ deferuntur, a. *691.* n. *64.*

Siluinus Ep. a. 720. nn. 3. *& ſeqq.*

Simon Abb. S. Carauni conſtituitur, a. *687.* n. 24. ſepelit Agathium Ep. Carnotenſem, a. *696.* n. 10. obit, a. 701. n. 12.

Simon II. fit Abb. S. Carauni, a. 717. n. 20. obit, a. 730. n. 24.

Singulfus Abb. Ferrarienſis, quando, a. 713. n. 44.

Sintlaz Alamannus, a. 721. nn. 84. *& ſeqq.*

Siuiardus Abb. Aniſolenſis obit, a. *681.* n. 77.

Slaui Venedi in Boioariam irruunt, a. *697.* n. 4.

Spinnulus diſcipulus S. Hildulphi, a. *685.* n. 1. præficitur Cellæ Beggonis, a. 700. n. 57. obit, a. 708. n. 54. an Abbas aut Eremita, *ibid.*

Splinterus aquis ſuffocatus reuocatur ad vitam, fitque Chriſtianus, a. *696.* n. 1.

S. Stephani Mon. puellare Argentorati, a. 712. n. 2. a. 715. n. 42.

Stephanus Abb. Bellilocenſis conſtituitur, a. *686.* n. 25.

Stephanus Ep. Aruernenſis quando ſedit, a. 732. n. 7*6.*

Sturmius naſcitur, a. 704. n. 42. traditur in diſciplinam Winfridi, a. 719. n. 24. comes eſt itineris, a. 722. n. 52.

Suauaricus Epiſc. Aurelianenſis, patruus S. Eucherij, a. 7*16.* n. 16. obit, a. 721. n. 97.

Suebhardus R. Cantiæ ducit Emmam Theodorici R. Francorum conſanguineam, a. *691.* nn. 52. *& ſeqq.*

Suffredus Preſbyter, a. 717. n. 25.

Swibertus ex Hibernia venit in Friſiam, a. *690.* n. 4. erudit Friſios citeriores, *ibid.* n. *6.* a. *691.* nn. 49. *& ſeqq.* a. *692.* nn. 39. 40. it in Angliam & ordinatur Epiſcopus, a. *694.* n. 9. dicat Eccleſiam in Malſen, & Splinterum aquis ſuffocatum reſuſcitat inuocato Chriſti nomine, a. *696.* n. 1. intereſt dedicationi Cathedralis Eccleſiæ Vltraiectinæ, a. *697.* n. 1. prædicat Euangelium in Hollandia, in Friſia, in Dania, a. *698.* n. 8. in Foſtilandia, a. 702. nn. 1. *& ſeqq.* celebrat Synodum Vltraiectinam, *ibid.* nn. 10. *& ſeqq.* venit Coloniam, a. 707. nn. 1. *& ſeqq.* condit Mon. Werdenſe, *ibid.* nn. 4. 5. ibi Monachos inſtituit, a. 713. n. 9. mortuum ad vitam reuocat, a. 711. n. 1. obit, a. 713. nn. 2. *& ſeqq.* claret miraculis, *ibid.* n. 7. an Epiſcopus Werdenſis, *ibid.* n. 8. eius vita interpolationibus ac mendis deprauata, a. *689.* n. 1. a. *690.* nn. 4. 5. a. *691.* nn. 50. 51. a. *692.* nn. 39. 40. a. *693.* nn. 3. *& ſeqq.* a. *695.* n. 1. a. *696.* n. 1. a. 702. nn. 13. *& ſeqq.* a. 713. nn. 4. *& ſeqq.*

Syluanus Abb. Lerinenſis, a. 701. n. 14.

Syluiacum, Mon. in E. Taruannenſi, quando conditum, a. *688.* nn. 43. 44.

Digitized by Google

Symmione, Mon. in E. Aruernenſi, a. 699. n. 9.

S. Symphoriani Mon. in ſuburbio Senonenſi, à quo conditum, a. 682. n. 4.

Synaulius fit Abb. Deruenſis, a. 685. nn. 18. 21. Priuilegium obtinet à Bertoendo Ep. Catalaunenſi, a. 694. nn. 1. *& ſeqq.*

T

TAVRINVS Ep. ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, a. 688. n. 29.

Taxandri ad fidem conuertuntur, a. 685. nn. 49. 50. a. 711. n. 44.

Tetradius Ep. Veſontionenſis, a. 690. n. 47. a. 699. n. 23.

Tetricus Abb. S. Germani Autiſſiodorenſis, a. 686. n. 1. fit Ep. Autiſſiodorenſis, a. 694. n. 27. celebrat Synodum, a. 695. n. 4. Martyrio coronatur, a. 710. n. 2.

Teutſinda filia Ratbodi R. Friſiorum nubit Grimoaldo, a. 711. n. 7. maritum amittit, a. 714. n. 2.

Teutſindus Abbas S. Martini, a. 732. n. 20. fit etiam Abb. Fontanellenſis, a. 734. n. 27. res Monaſterij dilapidat, *ibid.*

Textriciana pugna, a. 687. nn. 11. *& ſeqq.*

Thaido Ep. Aruernenſis, a. 732. n. 76.

Thedelmarus Abb. S. Germani prope Pariſios, a. 708. n. 53. a. 726. n. 37.

Theida faſcinatrix, a. 691. n. 60.

Theobaldus Ep. Carnotenſis obit, a. 685. n. 29.

Theobaldus Sueuiæ Dux Augiâ Abbatem expellit Pyrminium, a. 730. nn. 1. *& ſeqq.* Heddonem, a. 732. n. 78. hunc reuocat, *ibid.*

Theobaudus Abb. Maioris Monaſterij, quando, a. 686. n. 69.

S. Theodardi Ep. Traiectenſis eleuatio, a. 721. n. 43.

Theodebaldus Dux Bojoariæ obit, a. 723. n. 7.

Theodebertus Abb. SS. Sergij & Bacchi, a. 705. nn. 16. 19.

Theodinus Abb. Leuconaenſis, quando, a. 724. n. 37.

Theodo IV. Dux Bojoariæ condit Mon. S. Emmerammi, a. 697. n. 14.

Theodo V. Dux Bojoariæ, a. 713. n. 16. it Romam, a. 716. n. 14. obit, a. 722. n. 2.

Theodobertus Dux Bojoariæ, a. 702. n. 41. a. 712. n. 6. a. 713. n. 16.

Theodofridus Primus Abb. Corbeienſis fit Ep. Ambianenſis, a. 689. n. 15. ſuperſtes, a. 691. n. 24.

Theodoricus Abb. S. Maximini Treuirenſis, quando, a. 698. n. 4.

Theodoricus III. R. Francorum, Præceptum emittit pro Mon. Corbeienſi, a. 691. n. 23. pro Malmundarienſi & Stabulenſi, a. 681. n. 66. pro Vedaſtino, a. 685. n. 8. condit Mon. S. Ioannis Baptiſtæ prope Taruannam, a. 686. n. 66. inſigne Priuilegium concedit Audoeno Ep. Rotomagenſi, a. 681. n. 67. Aigliberto Ep. Cenomanenſi, a. 685. n. 10. Priuilegium Monialibus ab eodem Aigliberto conceſſum confirmat, a. 686. n. 13. confirmat Teſtamentum Amalfridi & infeliciter pugnat apud Textricium, a. 687. nn. 1. *& ſeqq.* pius erga Bertham Abbatiſſam Blangiacenſem, a. 688. n. 6. ſubigit Friſiam citeriorem, a. 689. n. 1. munificus erga Monaſt. Broilenſe, a. 690. n. 20. erga Epiſc. Atrebatenſem, a. 687. n. 22. erga Baſilicam S. Martini Turonis, a. 686. n. 67. obit, a. 692. n. 5. vindicatur à calumnia, *ibid.* nn. 29. *& ſeqq.* eius ætas, vxores, liberi, *ibid.* n. 5. epitaphium, *ibid.* n. 32.

Theodoricus Dagoberti III. filius, a. 715. n. 40. ſuccedit Chilperico III. a. 721. nn. 3. *& ſeqq.* confirmat Donationes Monaſt. Sitiuenſi factas, *ibid.* nn. 45. *& ſeqq.* item Cellæ Leobardinæ, a. 725. n. 26 dat Præceptum pro Mon. Murbachienſi, a. 731. n. 21. obit, a. 737. n. 34. vindicatur à calumnia, *ibid.* n. 37. filium relinquit puerulum, *ibid.*

Theodorus Ep. Laureacenſis & Patauienſis, M. Bojoariæ, a. 699. n. 26. a. 712. nn. 59. *& ſeqq.* obit, a. 737. n. 1.

Theoduinus fit Abb. Lobienſis, a. 737. n. 8.

Theofredus Abb. Calmeliacenſis, a. 696. nn. 28. 29. Martyr, a. 732. n. 77.

Theudoaldus Maior-domûs, a. 714. nn. 2. 5. vincitur à Neuſtraſiis obitque, a. 715. n. 1.

Thurianus, a. 717. n. 22. fit Ep. Dolenſis, a. 733. n. 8.

Tiarmailus fit Ep. Dolenſis, a. 717. n. 22. obit, a. 733. n. 8.

Tillidus, Mon. in Ep. Cenomanenſi reparatur, a. 717. n. 25.

Tillo, a. 689. n. 8. redit ad Mon. Solemniacenſe, a. 695. n. 22. degit in Cella prope Mon. Solemniacenſe, a. 698. n. 10. conſulitur à Bonito Ep. Aruernenſi, a. 699. nn. 9. 10. obit, a. 703. n. 2.

Toloſa obſidetur à Saracenis, a. 721. n. 6.

Tonſura Clericalis, a. 721. nn. 7. *& ſeqq.*

Tontonius fit Epiſc. Auſcienſis, a. 736. n. 28.

Torpio Ep. Anicienſis quando ſedit, a. 705. n. 21.

Digitized by Google

Tormannus Leuita, a. 687. n. 9. Martyr, a. 689. n. 4.
Traditionis varia ſymbola, a. 684. n. 19.
Tranſlatio SS. Acei & Aceoli MM. a. 689. n. 13. S. Aldegundis, a. 690. nn. 7. *& ſeqq.* S. Amandi, a. 694. nn. 29. 30. S. Amati, a. 693. n. 15. S. Andreæ, a. 694. n. 31. S. Audoeni, a. 683. n. 8. a. 687. nn. 11. *& ſeqq.* S. Berlendis, a. 730. nn. 27. *& ſeqq.* S. Boniti, a. 723. nn. 41. *& ſeqq.* S. Euſebiæ, a. 686. nn. 53. *& ſeqq.* S. Firmini Confeſſoris, a. 689. n. 13. S. Firmini M. a. 687. nn. 16. *& ſeqq.* S. Hadelini, a. 690. n. 44. S. Hermelandi, a. 716. n. 13. S. Lamberti, a. 721. nn. 33. *& ſeqq.* S. Leodegarij, a. 681. nn. 2. *& ſeqq.* S. Madelbertæ, a. 721. n. 43. S. Maxellendis, a. 694. n. 32. S. Silæ, a. 691. n. 64.
Trauuardus Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 728. n. 5. a. 729. n. 2. intereſt Tranſlationi S. Berlendis, a. 730. n. 28.
Treuirenſium Epiſcoporum varij Catalogi examinantur, a. 713. nn. 21. *& ſeqq.*
Triclinus munificus erga Mon. Cellenſe, a. 684. n. 18.
Troanus Gozberti Ducis frater condit Mon. a. 688. n. 4.
Trudo conditor Monaſteriorum Sarchinienſis & Brugenſis obit, clarétque miraculis, a. 689. nn. 9. 10.
Tuſſiacum, Mon. in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 78.
Tumbanus Ep. a. 721. n. 78.
Turinus Friſius liberatur à patibulo & baptizatur, a. 684. n. 9. adducitur Fontanellam, a. 689. n. 2.
Turnoaldus abdicato Epiſcopatu Pariſienſi fit Monachus San-Dionyſianus, a. 709. nn. 5. *& ſeqq.* Abbas, a. 716. n. 3. a. 717. n. 2.
Turonenſium Epiſcoporum Chronologia, a. 681. nn. 10. *& ſeqq.*
Tuto Abb. weltenburgienſis, quando, a. 693. n. 30.

V

VALDERANNVS Abb. Foſſatenſis, quando, a. 684. n. 31.
Valterius Ep. Aletenſis, a. 683. n. 52. a. 695. n. 18.
Vandrarius Ep. Lingonenſis, a. 732. n. 36.
Varenna, Mon. puellare in E. Ebroicenſi, a. 686. n. 12.
Vaſconia diſtinguitur ab Aquitania, a. 719. nn. 4. 5.
Vaſconus Epiſc. Auguſtodunenſis, quando ſedit, a. 692. n. 42.
Vcetia redit ad wiſigothos, a. 682. n. 23.
Veredemus Anachoreta, alius à Veredemio Anachoreta Vcecienſi, fit Ep. Auenionenſis, a. 700. n. 17. obit, a. 720. n. 29.
Verſimannus ſeu Bertinannus Ep. Ambianenſis, a. 691. n. 24.
Vicedominus, an differat ab Oeconomo Eccleſiæ, a. 721. nn. 74. *& ſeqq.*
Vigilius Ep. Autiſſiodorenſis Martyr, a. 686. n. 1.
Villare, Mon. Virginum in E. Rotomagenſi, a. 683. n. 3.
Villincrannus Abb. Luxouienſis, quando, a. 732. n. 34.
Vindicianus Epiſcopus Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 681. nn. 2. 5. a. 687. nn. 19. 24. a. 690. n. 37. Hattam conſtituit primum Abbatem Vedaſtinum, a. 685. n. 5. Hadulfum, a. 699. n. 22. eidem Mon. Priuilegium concedit, a. 685. n. 9. dicat Mon. Haſnonienſe, a. 691. nn. 42. *& ſeqq.* Honocurtenſe, a. 685. n. 47. transfert S. Euſebiam, a. 686. nn. 60. *& ſeqq.* Sanctam Maxellendem, a. 694. n. 32. in Oratorio S. Martini conuerſatur in villa Squauia, a. 684. n. 15. obit, a. 705. nn. 1. *& ſeqq.* an interfuit Translationi Sancti Lamberti, a. 621. n. 40.
Vitalis fit Monachus Herenſis, deinde Eremita, a. 725. n. 50.
Viuarienſis Eccleſiæ dotatio, a. 727. nn. 3. *& ſeqq.*
Viuilo, a. 722. nn. 59. *& ſeqq.* fit Epiſc. Laureacenſis & Patauenſis, a. 737. n. 1.
Vlphia, a. 721. nn. 55. *& ſeqq.*
Vltanus Abb. Foſſenſis, Peronenſis & San-Quintinenſis obit, a. 686. n. 40.
Vltraiectinum Concilium, a. 702. nn. 10. *& ſeqq.*
Vltraiectum, an in citeriore Friſia & in ditione Francorum, a. 690. n. 5.
Vmbertus, *vide*, Aubertus.
Vodoalus Preſbyter, a. 718. nn. 11. 12.
Volchiſus Ep. Virodunenſis, a. 722. n. 1. a. 733. n. 5.
Voluſianus Abbas Maioris Monaſterij, quando, a 686. n. 69.
Votum virginitatis odioſum hæreticis, a. 691. n. 40.
Vrſana mater S. Berthæ Abbatiſſæ Blangiacenſis, a. 685. n. 40.
Vrſmarus fit Abb. Lobienſis, a. 691. n. 12. an conditor Monaſteriorum Alnenſis & waſlerenſis, *ibid.* n. 11. cur dictus Epiſcopus, *ibid.* n. 17. a. 697. n. 1. clarus virtutibus ac miraculis, a. 691. nn. 21. 22. abſtinentiâ, a. 704. n. 1. dicat Eccleſiam Lobienſem, a. 697. n. 2. obit, a. 713. n. 12.
waddo munificus erga Mon. Fontanellenſe, a. 715. n. 16.

Digitized by Google

Walaricus Sueuos rebelles profligat, a. 711. n. 2.
Walbertus Ep. Arelatenſis quando ſedit, a. 684. n. 17.
Waldebertus Abb. Ferrarienſis, quando, a. 713. n. 44.
Waldetrudis Abbatiſſa Caſtrilocenſis condit Oratorium S. Quintini prope Cellam, a. 685. n. 31. obit, a. 688. n. 33.
Waldo Ep. Niuernenſis, a. 726. n. 33.
Waldrada Abbatiſſa S. Petri Metis, quando, a. 696. n. 4.
Wambertus Renticæ Dominus Romà reuerſus Bertulphum famulum miraculis clarum miratur, multíſque donis cumulat, a. 685. nn. 32. *& ſeqq.* it iterum Romam obítque, a. 695. n. 19.
Wandebertus Ep. Veſontionenſis, a. 708. n. 52. a. 711. n. 14.
Wandelfridus Ep. Argentoratenſis quando ſedit, a. 684. n. 17. a. 721. n. 79.
Wando Monachus Fontanellenſis, a. 684. n. 9. fit Abbas, a. 716. n. 8. exulat, a. 719. n. 8.
Wandregiſilus Abb. quondam Fontanellenſis transfertur, a. 704. nn. 2. *& ſeqq.*
Waningus Monaſterij Fiſcanenſis aliorúmque conditor obit, a. 681. n. 69.
Wantus ſymbolum traditionis, a. 684. n. 19.
Waracho interficit Vigilium Ep. Autiſſiodorenſem, a. 686. n. 1.
Warado Maior-domûs in Neuſtria, a. 681. n. 64. pacem componit cum Pippino Maiore-domûs in Auſtria, *ibid.* ſupplantatur à filio Giſlemaro, a. 682. n. 3. eodem Giſlemaro mortuo recuperat Maioratum, a. 683. n. 2. tradit Philiberto Abbati Villare ad conſtruendum Mon. Virginum, *ibid.* n. 3. obit, a. 684. n. 5.
Warinbertus Epiſc. Sueſſionenſis, a. 700. n. 27.
Wdelandus Abb. S. Martini Turonis, a. 686. n. 67.
Weingartenſe Mon. in E. Colonienſi, a. 718. n. 18
Weiſſenburgenſium Abbatum Catalogus, a. 72 2. nn. 30. *& ſeqq.*
Werda Mon. in Ep. Colonienſi, a. 707. nn. 4. 5.
Werenfridus an profectus in Friſiam cum Willebrordo, a. 690. n. 4. egregius diuini verbi concionator, a. 702. n. 22. obit, a. 705. n. 30.
Weſtergoa, 3Weſtrachia, Wiſtragou, pars Friſiæ, a. 733. n. 3.
Wicgernus conſtruit Mon. fitque Ep. Argentoratenſis, a. 687. n. 10.
Wideradus Mon. Flauiniacenſis conditor, a. 622. nn. 55. *& ſeqq.*
Wido Abb. Ferrarienſis, quando, a. 713. n. 42.
Wifridus Ep. Conſtantienſis quando ſedit, a. 688. n. 26.
Wigbertus è Friſia pellitur à Radbodo R. a. 689. n. 2. an. rediit in eandem prouinciam, a. 690. n. 4. an Martyr in Foſtilandia, a. 702. nn. 8. 17. plures diſtinguuntur Wigberti, a. 733. nn. 17. *& ſeqq.*
Wigbertus Monachus Gleſtingaburgenſis relictâ Angliâ proficiſcitur in Germaniam ad Bonifacium Archiepiſcopum, a. 733. nn. 10. *& ſeqq.*
Wilarius Dux Sueuorum profligatur, a. 709. n. 1. a. 710. n. 1. a. 712. n. 1.
Wilfridus Abb. Gandenſis, a. 693. n. 33. a. 709. n. 9.
Wilicarius Ep. Viennenſis transfert oſſa B. Ferreoli cum capite S. Iuliani ob metum Saracenorum, a. 732. n. 29.
Willebrordus adit, erudítque Friſios, a. 690. nn. 1. *& ſeqq.* it Romam, a. 692. n. 38. redit, a. 693. nn. 10. 11. adit Pippinum, a. 695. n. 4. Romæ ordinatur Epiſcopus Friſonum, a. 696. n. 2. rediens in Friſiam defert Reliquias S. Sebaſtiani, fitque primus Ep. Vltraiectinus, a. 697. n. 1. fit etiam primus Abb. Epternacenſis, a. 698. nn. 3. 6. prædicat Euangelium in Hollandia, in Friſia, in Dania, *ibid.* n. 8. in Foſtilandia, a. 702. nn. 1. *& ſeqq.* an moratus in Friſia cum Wlfranno, a. 704. n. 29. baptizat Pippinum, & multa de illo prædicit, a. 714. n. 5. intereſt Tranſlationi S. Lamberti, a. 721. n. 40. moratur in Friſia cum Winfrido, a. 719. n. 24. Epiſcopatum vult abdicare, a. 722. nn. 45. *& ſeqq.* Winfridum dimittit, *ibid.* munificos experitur Rohingum & eius vxorem Bebelinam, a. 726. nn. 2. 3. condit Teſtamentum, *ibid.* nn. 4. 5. miraculis claret, *ibid.* n. 6. permutat quædam mancipia cum Ranginfredo Ep. Colonienſi, a. 735. n. 3.
Willeicus Preſbyter, a. 711. n. 1. fit Abb. Werdenſis, a. 713. nn. 9. 10. obit, a. 723. n. 38.
Willelmus Ep. Redonenſis obit, a. 684. n. 13.
Willibaldus an profectus in Friſiam cum Willebrordo, a. 690. n. 4. an interfuit Synodo Vltraiectinæ, a. 702. n. 18. ſcripſit vitam S. Bonifacij, a. 716. n. 7.
Wilradus Abb. Gandenſis, a. 730. n. 23.
Winfridus Preſbyter venit in Franciam, a. 715. nn. 64. *& ſeqq.* an Scotus, *ibid.* n. 94. redit in Angliam, a. 716. n. 7. iterum venit in Franciam, ítque Romam, a. 718. nn. 14. *& ſeqq.* acce-

ptâ licentiâ prædicandi Euangelium Româ proficiſcitur in Thuringiam, deinde in Friſiam, a. 719. nn. 15. *& ſeqq.* relictâ Friſiâ recuſatóque Epiſcopatu Vltraiectino adit Palatiolum Mon. Gregorium puerum in diſciplinam ſuſcipit, deinde it in Haſſiam ac Thuringiam, a. 722. nn. 49. *& ſeqq.* Romam proficiſcitur, ordinatur Epiſcopus, & mutato nomine vocatur Bonifacius, a. 723. nn. 11. *& ſeqq.* Vide reliqua ſub nomine Bonifacij ſuprà.

Winibaldus an profectus in Friſiam cum willebrordo, a. 690. n. 4. an interfuit Synodo Vltraiectinæ, a. 702. n. 18.

Winnocus Cellam condit in Monte Viridi, a. 690. nn. 23. *& ſeqq.* Mon. Woromholtanum, a. 695. n. 20. fit Abb. a. 696. n. 12. ditatur prædiis, a. 703. n. 8. a. 706. n. 9. obit, a. 717. n. 19.

Wiſa, munificus erga Mon. Cellenſe, a. 684. n. 18.

Wiſla condit Mon. Logenſe, ſitque Abbatiſſa, a. 713. n. 14.

Wlfechrannus II. Abb. San-Benignianus, a. 686. n. 39. a. 697. n. 3.

Wlferus munificus erga Mon. Woromholtanum, a. 703. n. 8.

Wlfolendus Ep. Bituricenſis quando mortuus, a. 697. n. 32.

Wlfrannus abdicato Epiſcopatu Senonenſi fit Monachus Fontanellenſis, a. 682. nn. 27. *& ſeqq.* conſulto priùs Anſberto Ep. Rotomagenſi proficiſcitur in Friſiam, ibique prædicat Euangelium, a. 684. nn. 6. *& ſeqq.* pulſus à Radbodo R. redit Fontanellam, a. 689. n. 2. claret miraculis, *ibid.* n. 3. obit, a. 693. n. 1. transfertur, a. 704. nn. 2. *& ſeqq.* eius vita purgata mendis & interpolationibus, *ibid.* n. 34.

Wlmarus, Monachus, Eremita, Abbas, varia condit Monaſteria, eruditque Ceaduallam R. Occidentalium Saxonum, a. 688. nn. 36. *& ſeqq.* obit, a. 697. n. 6.

Wolfandus condit ac dotat Mon. S. Michaelis ad Moſam, a. 709. n. 4. a. 722. n. 63. a. 734. n. 9.

Woromholtanum Mon. in Ep. Taruannenſi conditum, a. 695. n. 20.

X

XENODOCHIVM Brittonum Romam pergentium, a. 694. n. 27.

Z

ZACHATVS diſcipulus S. Condedi, a. 683. n. 4.

Zayſo fit Epiſc. Auguſtanus, a. 713. n. 2. obit, a. 733. n. 24.

Digitized by Google

INDEX
EPISCOPATVVM ET MONASTERIORVM,
IN QVO
E. Epiſcopatum; M. Metropolitanum; Mon. Monaſterium denotat.

EPISCOPATVS.

A

Abrincensis E. *d'Auranches.*

NEPVS Ep. Abrincenſis in prouincia Lugdunenſi II. ſub Metropolitano Rotomagenſi, a. 502. cùm Abrincæ veniunt in poteſtatem Francorum, & a. 511. cùm celebratur Concilium Aurelianenſe I.

Seuerus, a. 523.

Perpetuus, a. 533. a. 538. a. 541.

Ægidius, a. 549. obit, a. 550.

Paternus fit Ep. a. 550. obit, a. 563.

Sinerius ſeu Senator fit Ep. a. 563.

Leodoualdus.

Childoaldus, a. 625.

Ragentrannus, a. 674.

Ioannes, a. 688.

Autbertus, a. 706.

Aginnensis E. *d'Agen.*

Aginnenſium Epiſcoporum catalogus mutilus eſt circa ætatem Clodouei Magni, qui tres Aquitanias in ſuam poteſtatem redegit.

Bebianus Ep. Aginnenſis in Aquitania II. ſub M. Burdigalenſi, ſubſcribit Concilio Aurelianenſi V. a. 549.

Polemius, a. 573.

Sugillarius, a. 580.

Antidius, a. 585.

Saluſtius fit Ep. ante a. 629.

Albigensis E. *d'Alby.*

Sabinus Ep. Albigenſis in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi, cùm Clodoueus tres Aquitanias ſubigit.

Ambroſius, a. 549.

Saluius, a. 580. obit, a. 585.

Deſideratus fit Ep. a. 585.

Conſtantius, a. 625. a. 647.

Ricardus, a. 673. Eo ſedente Albiga capta fuit à Wiſigothis, a. 682.

[Citruinus, a. 692. Albigâ Wiſigothis adhuc parente.

Hugo, a. 722. Albigâ ſub Saracenis, qui Wiſigothos expulerant, tunc gemente; ſuperſtes ad a. 725. quo Franci poſt debellatos Saracenos Albigam recuperarunt.

Ioannes, a. 734.

Aletensis E. *d'Alet.*

Machutes ſeu Maclouius fit a. 541. primus Ep. Aletenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, obit, a. 565.

Guaruallus fit Ep. a. 565. abdicat Epiſcopatum, a. 567.

Colaphinus fit Ep. a. 567.

Armagillus ſiue Armatus.

Egnogatus ſiue Enogatus vel Euogatus.

Melmo.

Gofridus.

Oedumalus obit, a. 644.

Hamon ſiue Chomanus fit Ep. a. 644. obit, a. 651.

Noedlus fit Ep. a. 652. obit, a. 653.

Riatwalus fit Ep. a. 653. obit, a. 659.

Tutamenus fit Ep. a. 659. obit, a. 663.

Rauilius fit Ep. a. 663. obit, a. 670.

Bilius fit Ep. a. 670. obit, a. 672.

Moenus fit Ep. a. 672. obit, a. 675.

Edbodus ſiue Ebondus fit Ep. a. 675. obit, a. 679.

Guibertus fit Ep. a. 679. obit, a. 681.

Hamon fit Ep. a. 681. obit, a. 683.

Valterius ſeu Galterius fit Ep. a. 683. obit, a. 695.

Cadocanamus ſeu Cadocananus fit Ep. a. 696. obit, a. 709.

Riuallonus fit Ep. a. 711. obit, a. 734.

Iudicael fit Ep. a. 734. ſedet annos 6.

Ambianensis E. *d'Amiens.*

Leonardus Ep. Ambianenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, cùm Clodio Francorum Rex Ambianum capit.

Andouenus, a. 481.

Edibius, a. 511.

Digitized by Google

Beatus, a. 549. obit, a. circiter 554.
Honoratus fit Ep. a. circiter 554. obit, a. 580.
Deodatus fit Ep. a. 580.
Berhardus ſeu Berhandus vel Bercundus aut Bernardus, a. 614. a. 623. a. 627.
Bertefredus, a. 644. ſuperſtes, a. 668.
Dado obit, a. 686.
Saluius fit Ep. a. 686. obit, a. 689.
Theodofridus fit Ep. a. 689. ſuperſtes, a. 691.
Verſimannus ſeu Bertmannus.
Dominicus obit, a. 721.
Chriſtianus fit Ep. a. 721. ſedet a. 729. De ſucceſſore agemus Tomo ſequenti.

ANDEGAVENSIS E. *d'Angers.*

Talaſius Ep. Andegauenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, cùm Childericus Rex Andegauum ſuis ditionibus adiungit.
Euſtochius, a 511.
Adulphus obit, a. 529.
Albinus fit Ep. a. 529. obit, a. 550.
Eutropius fit Ep. a. 550. obit, a. 556.
Domitianus fit Ep. a. 556. Concilio Pariſienſi III ſubſcribit, a. 557. intereſt dedicationi Eccleſiæ Namnetenſis, a. 568.
Baudigiſius.
Audoueus, a. 572. obit, a. 592.
Licinius fit Ep. a. 592. obit, a. 605.
Cardulphus fit Ep. a. 605.
Magnobodus fit Ep. a. 606. diutiſſimè ſedet.
Gobertus ſeu Godobertus.
Agilbertus ſiue Aglibertus.
Gariacus ſeu Gariarius.
Boſo ſeu Bozo.
Benignus.
Botus ſeu Betus aut Beatus.

ANICIENSIS E. *du Mont-Anis.*

Euodius Ep. Vellauenſis ex vrbe Vellaua Sedem Epiſcopalem tranſtulit ad montem Anicium, priuſquàm hic locus Francis pareret. Succeſſores dicti ſunt Anicienſes in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi. Deſiderantur autem acta nomináque eorum, qui floruerunt ſub Clodoueo Magno eiúſque poſteris vſque ad finem ſexti ſeculi.
Aurelius, a. 591.
Benignus, a. 649.
Agrippanus.
Dulcidius.
Higelricus.
Torpio.

ANTIPOLITANVS E. *d'Antibe.*

Euterius Ep. Antipolitanus in prouincia Narbonenſi II. ſub M. Aquenſi, a. 536. cùm Antipolis ceditur Francis; & a. 541. cùm cogitur Concilium Aurelianenſe IV.
Euſebius, a. 549. a. 554.
Optatus, a. 573. a. 585.
Deocarius, a. 644.

APTENSIS E. *d'Apt.*

Prætextatus Epiſc. Aptenſis ſub Regibus Burgundionum, Oſtrogothorum & Francorum, in prouincia Narbonenſi II. cui M. Aquenſis præeſt, viuebat adhuc, a. 541.
Euſebius, a. 546.
Clementinus, a. 549. a. 573.
Pappus, a. 583. a. 585.

AQVENSIS E. M. *d'Aix.*

Maximus Epiſc. Aquenſis M. prouinciæ Narbonenſis II. a. 536. cùm prouincia illa ceditur Francis; & a. 541. cùm celebratur Concilium Aurelianenſe IV.
Auolus, a. 549. a. 551. a. 554.
Franco, a. 566.
Piencus, a. 581. a. 585.
Protaſius, a. 596.

AQVENSIS E. *d'Acqs.*

Gratianus Ep. Aquenſis in Nouempopulania ſub M Eluſano, cùm Clodoueus Rex Nouempopulaniam ſubigit.
Carterius, a. 541.
Liberius, a. 549.
Fauſtianus ordinatur Ep. a. 585. deponitur eodem anno.
Nicetius fit Ep. a. 585.

ARAVSICANVS E. *d'Orange.*

Vindemialis Ep. Arauſicanus ſub Regibus Oſtrogothorum & Francorum, in prouincia Viennenſi II. cui M. Arelatenſis præeſt, viuebat adhuc, a. 549.
Matthæus, a. 551. a. 554.
Trapidius, a. 585.

ARELATENSIS E. M. *d'Arles.*

Cæſarius Epiſc. Arelatenſis M. prouinciæ Viennenſis II. a. 536. cùm prouincia illa Francis ceditur, obit, a. 542.
Auxanius fit Ep. a. 542. viuebat adhuc, a. 545.
Aurelianus, a. 546. obit, a. 550.
Sapaudus fit Ep. a. 550. obit, a. 586.
Licerius fit Ep. a. 586. obit, a. 588.
Virgilius fit Epiſc. a. 588. viuebat adhuc, a. 601.
Florianus.
Theodoſius, a. 632. a. 644.
Ioannes, a. 652. a. 668.
Ioannes II. obit, a. circiter 675.
Felix fit Epiſcopus a. circiter 675. obit, a. 684.
Anaſtaſius fit Ep. a. 684.
Auſtrebertus.
Walbertus.
Aurelius.
Polycarpus.
Martinus.
Protaſius, a. 732.
Innodius, a. 737.

Digitized by Google

Argentoratenſis E. *de Strasbourg*.

Biulfus ſiue Giulfus Ep. Argentoratenſis in Germania I. regnante Merouęo, qui Germaniam I. Francicis ditionibus adiecit, quo tempore Treuirenſis M. Belgicæ I. ius etiam Metropoliticum per vtramque Germaniam exercuit.

Magnus.

Gaorinus ſeu Garoinus, Garinus & Baroinus ætate Clodouei, quo regnante Vormacienſis Ep. fit M. vtriuſque Germaniæ.

Landebertus.

Rodobaldus ſeu Rathoboldus.

Magnebertus ſeu Magnobertus.

Labyolus ſeu Laybolus vel Laiblinus aut Vbiolus ſiue Vbelinus.

Gundoaldus ſeu Gundoldus aut Sunderſholdus.

Aldus tempore Clotarij II. R.

Gando.

Vtho ſiue Otho.

Anſoaldus.

Rotharius ſeu Rodtharius, a. *667*. a. *673*.

Arbogaſtus obit, a. *679*.

Florentius fit Ep. a. *679*. obit, a. *687*.

Wicgernus fit Ep. a. *687*.

Wandelfridus.

Aulidulfus, a. 721. obit, a. 734.

Heddo ſiue Heddus fit Ep. a 734.

Ariſidienſis E. *d'Arſat*.

Deotarius fit primus Ep. Ariſidienſis in Aquitania I. ſub Bituricenſi M. regnante Theodorico I. ſupereſt in viuis, a. *569*.

Mondericus.

Emmo Remenſi Concilio intereſt, a *625*.

Arvernvs E. *d'Auuergne*.

Eufraſius Ep. Aruernus in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi, cùm Clodoueus tres Aquitanias in ſuam poteſtatem redigit, obit, a. 515.

Apollinaris fit Ep. a. 515. obit eodem anno.

Quintianus anteà Rutenenſis Ep. fit Ep. Aruernus, a. 515. obit, a. 527.

Gallus eligitur Ep. a 527. obit, a. 554.

Cautinus fit Ep. a. 554. obit, a. 571.

Auitus fit Ep. a. 571. obit, a. 594.

Deſideratus fit Ep. a. 594.

Auolus.

Iuſtus.

Cæſarius, a. *625*.

Gallus II. a. *643*.

Progolus, a. *649*.

Geneſius, a. *656*.

Felix, a. *662*. obit, a. circiter *665*.

Gairoaldus, a. circiter *665*.

Prætectus fit Ep. a. circiter *665*. obit, a. *674*.

Auitus fit Ep. a. *674*. obit, a. *689*.

Bonitus fit Ep. a. *689*. abdicat Epiſcopatum, a. *699*.

Nordobertus fit Ep. a. *699*. ſedet a. 713.

Bubus.

Proculus, a. 723.

Thaido, a. 732.

Daibenus ſeu Daylenus aut Darbenus.

Atrebatenſis E. *d'Arras*.

Vedaſtus fit Ep. Atrebatenſis, a. 498. & Cameracenſis, a. 510. in Belgica II. ſub M. Remenſi, obit, a. 538.

Dominicus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 538. obit, a. 551.

Diogenes fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 551. obit, a. 569.

Vedulfus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 569. Sedem transfert Atrebato Cameracum. Obit, a. circiter 580.

Gaugericus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. circiter 580. obit, a. circiter *619*.

Bertoaldus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. circiter *619*. obit, a. *627*.

Ablebertus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. *627*. obit, a. *633*.

Autbertus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. *633*. obit, a. *668*.

Vindicianus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. *669*. obit, a. 705.

Emebertus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 705. obit, a. 713.

Hunoldus ſiue Hunaldus, vel Humoldus aut Humaldus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 713. obit, a. 717.

Hadulphus ſiue Adulphus fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 717. obit, a. 728.

Tremuardus, Trauuardus, Tragnardus, Tragardus, Tranardus, fit Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, a. 728. obit regnante iam Pippino.

Avenionenſis E. *d'Auignon*.

Salutaris Ep. Auenionenſis in Prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, a. 517. ſtante Burgundionum Regno, perueniře potuit ad a. 536. quo Francis Auenionem ceſſerunt Oſtrogothi.

Antoninus, a. 549. a. 554.

Ioannes, a. 585.

Valens, a. *586*.

Maximus, a. *618*. a. *626*.

Emundus.

Magnus, a. *644*. obit, a. *660*.

Agricolus fit Ep. a. *660*. obit, a. 700.

Veredemus fit Ep. a. 700. obit, a. 720.

Ioannes fit Ep. a. 720. ſedet annos circiter triginta.

Aventicenſis E. *d'Auanches*.

Chilmegiſilus Ep. Auenticenſis in Prouincia Lugdunenſi V. ſub M. Veſontionenſi, obit, a. 534. quo Burgundia ſubiugatur à Francis.

Superius fit Ep. a. 534. obit, a. circiter 548.

Ætherius fit Ep. a. circiter 548. obit, a. circiter 562.
* Hic Epiſcopus, cuius nomen ignoratur, Epiſcopatum iniit, a. circiter 562. obiítque, a. circiter 576.
Marius fit Ep. a. circiter 576. Sedem Auentico Lauſannam transfert regnante in Burgundia Childeberto. *Vide* Epiſcopos Lauſannenſes, de quibus infrà.

AVGVSTANVS E. *d'Ausbourg*.

Wichterpus, Dagoberto ſolius Auſtraſiæ Rege, poſt longum interpontificium fit Ep. Auguſtanus in Vindelicia ſub Wormacienſi M. obit, a. 654.
Tozzo fit Ep. a. 654. obit, a. 661.
Tagenbertus fit Ep. a. 661. obit, a. 676.
Manno fit Ep. a. 676. obit, a. 694.
Brico ſeu Perichus fit Ep. a. 694. obit, a. 713.
Zayſo fit Ep. a. 713. obit, a. 733.
Wicho ſeu Wizo fit Ep. a. 733. de illo iterum Tomo ſequenti.

AVGVSTENSIS E. *d'Aouſte*.

Auguſta Salaſſiorum, quæ parebat Longobardis & Mediolanenſi Metropolitæ ſubiacebat, in Francorum poteſtatem deuenit, a. 574. Tunc auulſa fuit è Prouincia Mediolanenſi Darantaſienſíque cœpit accenſeri Guntchramno Rege. Per annos autem ducentos circiter ac quinquaginta mancus eſt Auguſtenſium Epiſcoporum Catalogus poſt Iocundum, qui ſedebat ineunte ſexto ſeculo.

AVGVSTODVNENSIS E. *d'Autun*.

Agrippinus Ep. Auguſtodunenſis in Prouincia Lugdunenſi I. ſub M. Lugdunenſi, a. 525. cùm Auguſtodunum venit in poteſtatem Francorum, & a. 538. cùm celebratur Concilium Aurelianenſe III.
Nectarius, a. 542. a. 549.
Eupardus.
Remigius obit, a. circiter 560.
Siagrius fit Ep. a. circiter 560. obit, a. 600.
Leſaſtus fit Ep. a. 600.
Flauianus, a. 610. a. 614.
Rachnacarius.
Auſpicius, a. 625.
Ferreolus fit Ep. ante a. 635. obit, a. 657.
Leodegarius poſt interpontificium biennale fit Ep. a. 659. Martyr, a. 678.
Ermenarius pulſo in exilium Leodegario fit Ep. a. 674. ſedet, a. 681.
Aubertus, Anſbertus, Amalbertus, a. 692.
Vaſconus.
Amator.

AVRELIANENSIS E. *d'Orleans*.

Dago Epiſc. Aurelianenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, a. 494. cùm Clodoueus Aureliam ſuis ditionibus adiungit; obit, a. 498.
Euſebius fit Ep. a. 498. eſt adhuc in viuis, a. 520.
Leontius, a. 533.
Antoninus, a. 538.
Marcus, a. 541. a. 549.
Treclatus ſeu Tranclatus.
Baudatus.
Ricomerus, a. 573.
Namatius, a. 585. obit, a. 587.
Auſtrenus fit Ep. a. 587. ſedet, a. 610.
Leodegiſillus.
Argundus, a. 640.
Audo, a. 644. a. 662.
Leodegarius, a. 667.
Gaudo.
Sigobertus.
Seuericus.
Baldacus ſiue Baldagus.
Adamarius ſiue Audemarus.
Leodegarius II.
Leodebertus.
Sauaricus fit Ep. a. 716. obit, a. 721.
Eucherius fit Ep. a. 721. ſedet annos 22.

AVSCIENSIS E. *d'Aux*.

Nicetius Ep. Auſcienſis, huius nominis ſecundus, in Nouempopulania ſub Eluſano M. cùm Clodoueus prouinciam illam ſubigit; & a. 511. cùm celebratur Concilium Aurelianenſe I.
Priſcus.
Marcellus.
Proculeianus II. a. 533. a. 541. a. 549.
Vigilius.
Polemius.
Alecius.
Comus ſeu Conius.
Paulinus.
Fauſtus obit, a. 585.
Fabius fit Ep. a. 585.
Citharius obit, a. 596.
Tithonius fit Ep. a. 596. obit, a. 603
Drocoaldus fit Ep. a. 603. obit, a. 621.
Audericus fit Ep. a. 621. obit, a. 650.
Erchoaldus fit Ep. a. 650. obit, a. 674.
Perpetuus fit Ep. a. 674. obit, a. 691.
Leothadius fit Ep. a. 691. obit, a. 718.
Patricius fit Ep. a. 718. obit, a. 736.
Tontonius fit Ep. a. 736. ſedet annos 16.

AVTISSIODORENSIS E. *d'Auxerre*.

Cenſurius Ep. Autiſſiodorenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, a. 494. cùm Clodoueus Autiſſiodorum capit; obit, a. 500.
Vrſus fit Ep. a. 501. obit, a. 507.
Theodoſius fit Ep. a. 507. obit, a. 516.
Gregorius fit Ep. a. 517. obit, a. 529.
Optatus fit Ep. a. 529. obit, a. 531.
Droctoaldus ſeu Proctoaldus fit Epiſc. a. 531. obit, a. 532.
Eleutherius fit Ep. a. 532. obit, a. 561.
Romanus fit Ep. a. 561. obit, a. 564.
Ætherius fit Ep. a. 565. obit, a. 571.

Digitized by Google

Anacharius fit Epiſc. a. 571. obit, a. 605.
Deſiderius fit Ep. a. 605. obit, a. 623.
Palladius fit Ep. a. 624. obit, a. 660.
Vigilius fit Ep. a. 660. obit, a. 686.
Scopilio fit Ep. a. 686. obit, a. 694.
Tetricus fit Ep. a. 694. obit, a. 710.
Sauaricus ſeu Sabaricus fit Ep. a. 710. obit, a. 715.
Flocoaldus ſeu Focoaldus aut Socoaldus fit Ep. a. 715. obit, a. 721.
Quintilianus fit Ep. a. 721. obit, a. 722.
Cillianus fit Ep. a. 722. obit, a. 728.
Clemens fit Ep. a. 728. abdicat Epiſcopatum, a. 733.
Aidulfus fit Ep. a. 733. ſedet annos 15.

B

BAIOCENSIS E. *de Bayeux*.

Patricius Epiſc. Baiocenſis in prouincia Lugdunenſi II. ſub. M. Rotomagenſi, a. 502. cùm Baiocæ veniunt in poteſtatem Clodouei.
Vigor regnante Childeberto.
Leucadius, a. 538. a. 541. a. 549.
Lauſcius ſeu Laſciuus, a. 557. a. 563.
Leudoualdus, a. 581. a. 586.
Ragnebertus, a. 625. a. 662.
Geretrannus.
Gerebaldus, a. 688. obit, a. circiter 691.
Framboldus fit Ep. a. circiter 691. obit, a. circiter 726.
Hugo fit Ep. a. circiter 726. obit, a. 730.

BELLICENSIS E. *de Bellay*.

Vincentius Ep. Bellicenſis in prouincia Lugdunenſi V. ſub M. Veſontionenſi, a. 534. cùm Franci Burgundiam ſub iugum mittunt, & a. 567. cùm celebratur II. Concilium Lugdunenſe.
Euroldus.
Claudius.
Felix, a. 585. a. 589.
Aquilinus.
Florentius, a. 644.
Ypodimius.
Pracmatius.
Berterius.
Anſemundus, a. 722.
Gundoaldus.

BELLOVACENSIS E. *de Beauuais*.

Numitius Epiſc. Bellouacenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, cùm Childericus Bellouacum capit.
Licerius.
Liercius.
Themerus.
Bergiſilus.
Rodomarus.
Anſoldus.
Ribertus.
Gogerinus.
Anſelmus.

Maurinus, Marinus, Mauricius, a. 631. a. 640.
Himbertus.
Clemens, RR. Clotario III. Childerico II. & Theodorico III.
Conſtantinus, R R. Theodorico III. Clodoueo III. & Childeberto III.
Rauigus, regnante Dagoberto III.
Dodo, regnante Chilperico III.
Ercambertus.
Recoaldus.
Miroldus.
Auſtringus.

BENARNENSIS E. *de Bearn*.

Galactorius Ep. de Benarno in Nouempopulania ſub M. Eluſano cæſus eſt cùm Clodoueus bellum contra Wiſigothos in Aquitania gerebat. Succeſſorum nomina ignorantur vſque ad Sauinum.
Sauinus, cuius quoque ſucceſſores ignorantur, ſubſcribit Concilio Matiſconenſi II. a. 585.
Iulianus, a. 732.

BIGORRITANVS E. *de Bigorre*.

Aper Ep. Bigorritanus in Nouempopulania ſub M. Eluſano cùm Clodoueus pulſis wiſigothis tres Aquitanias occupat.
Iulianus, a. 541.
Amelius, a. 580. a. 585.

BITVRICENSIS E. M. *de Bourges*.

Tetradius Ep. Bituricenſis M. Aquitaniæ I. cùm Clodoueus Franciam tribus auget Aquitaniis, eſt adhuc in viuis, a. 512.
Roricius obit, a. circiter 518.
Siagrius fit Epiſcopus a. circiter 518. obit, a. 523.
Humatus fit Ep. a. 523. obit, a. 527.
Honoratus fit Ep. a. 527. obit, a. 536.
Arcadius fit Ep. a. 536. obit, a. 541.
Deſideratus fit Ep. a. 541. obit, a. 550.
Probianus fit Ep. a. 550. obit, a. 568.
Felix fit Ep. a. 568. intereſt Concilio Pariſienſi IV. a. 573.
Remedius ſeu Remigius, a. 583. obit, a. 584.
Sulpitius fit Ep. a. 584. obit, a. 591.
Euſtaſius fit Ep. a. 591. obit, a. 602.
Apollinaris fit Ep. a. 603. obit, a. 611.
Auſtregiſilus fit Ep. a. 612. obit, a. 624.
Sulpitius II. fit Ep. a. 624. abdicat Epiſcopatum, a. 641.
Wlfolendus fit Ep. a. 641. obit, a. 661.
Aldus fit Ep. a. 662. obit, a. 683.
Agoſenus fit Ep. a. 683. obit, a. 697.
Rochus fit Ep. a. 697. obit, a. 737.
Siginus fit Ep. a. 737.

BLANDINIENSIS E. *de Blandin*.

Theodorus fit primus Ep. Blandinienſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, a. 487.

Digitized by Google

regnante Clodoueo. Sedet paucis diebus.
Eleutherius fit Ep. a. 487. ſedem Epiſcopalem Blandinio transfert Tornacum. *Vide* Epiſcopos Torniacenſes, de quibus infrà.

Briocensis E. *de Saint Brieu.*

Vt Briocum oppidum, ita Brioceniſ Epiſcopatus in provincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, nomen ſortitur à ſancto Brioco, primo illius loci Epiſcopo. Hic è Britannia venit in Armoricam regnante Childeberto Clodouei Magni filio. Vixit annos nonaginta. Incertus eſt annus quo Pontificatum ſuſcepit, incertus & annus quo vitam clauſit. Antiſtitum, qui proximè ſucceſſerunt in Epiſcopatum, nomina perierunt.

Burdigalensis E. M. *de Bordeaux.*

Cyprianus Ep. Burdigalenſis M. Aquitaniæ II. cùm Wiſigothi à Francis pelluntur ex Aquitania, intereſt Concilio Aurelianenſi I. a. 511.
Leontius Senior, a. 541.
Leontius Iunior, a. 549. obit, a. circiter 567.
Bertchramnus fit Ep. a. circiter 567. obit, a. 585.
Gundegiſilus fit Ep. a. 585. viuit, a. 589. a. 590.

C

Cabellionensis E. *de Cauaillon.*

Philagrius Ep. Cabellionenſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, cùm Cabellio penes Burgundiones & Oſtrogothos erat, peruenire potuit ad a. 536. quo Francis eadem ciuitas ceſſit.
Prætextatus, a. 545. a. 549. a. 551. a. 554.
Veranus, a. 562. ſuperſtes, a. 589.

Cabilonensis E. *De Chalon ſur Saone.*

Agricola ſiue Agræcula Ep. Cabilonenſis in provincia Lugdunenſi I. ſub M. Lugdunenſi, cùm Franci Burgundiam ſubigunt, obit, a. 580.
Flauius fit Ep. a. 580. ſubſcribit Concilio Matiſconenſi II. a. 585.
Wadelinus, a. 601. a. 610.
Gelionius.
Gratus, a. 644. obit, a. 652.
Lupus fit Ep. a. 652. obit, a. circiter 668.
Deſideratus, cognomento Dido, fit Ep. a. circiter 668. obit, a. 678.
Anteſtius.
Amblacus.

Cadurcensis E. *de Cahors.*

Boetius Ep. Cadurcenſis in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi, cùm Clodoueus Wiſigothos ex Aquitania pellit, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianenſe.
Suſtraſius, a. 533. a. 538. a. 541.
Maximus, a. 549.
Maurilio obit, a. 580.
Vrſicinus fit Ep. a. 580. cum Innocentio Ep. Rutenenſi altercatur, a. 588.
Euſebius obit, a. 621.
Ruſticus fit Ep. a. 621. obit, a. 628.
Deſiderius fit Ep. a. 619. obit, a. 649.
Capuanus fit Ep. a. 649. obit, a. circiter 699.

Calagurritanus E. *De Calahorra.*

Vaſconia Meridionalis, cuius vrbs primaria Calagurris Epiſcopatu nobilis ſub M. Tarraconenſi, venit in poteſtatem Francorum, a. 542. nec rediit ad Wiſigothos ante mortem Clotarij I. Exciderunt autem nomina Calagurritanorum Pontificum, qui per illa tempora floruerunt ſubiacuerúntque vicino M. Nouempopulaniæ.

Cameracensis E. *de Cambray.*

Vedaſtus Ep. Atrebatenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, fit etiam Ep. Cameracenſis in eadem Belgica ſub eodem M. Remenſi, a. 510. obit, a. 538. Succeſſores iidem, qui Atrebatenſes Epiſcopi, de quibus ſuprà.

Carnotensis E. *de Chartres.*

Arboaſtus ſiue Argobaſtus aut Ardoaſtus Ep. Carnotenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, cùm Childericus Rex Carnotum occupat; obit, a. 483.
Flauius fit Ep. a. 483. obit, a. 497.
Solennis ſeu Solennius fit Ep. a. 497. obit, a. 509.
Auentinus anteà Ep. Dunenſis, fit Ep. Carnotenſis, a. 509. obit, a. 528.
Ætherius fit Ep. a. 528. obit, a. 544.
Leobinus fit Ep. a. 544. obit, a. 556.
Caletricus fit Ep. a. 556. obit, a. 568.
Pappolus fit Ep. a. 568. obit, a. 594.
Betharius fit Ep. a. 594. obit, a. 623.
Bertegiſilus fit Ep. a. 623. intereſt Concilio Remenſi, a. 625. obit, a. 637.
Malardus fit Ep. a. 637. intereſt Concilio Cabilonenſi, a. 644. obit, a. 655.
Lancegiſilus fit Epiſc. a. 655. obit, a. 664.
Mainulfus fit Ep. a. 664. obit, a. 675.
Theobaldus fit Ep. a. 675. obit a. 685.
Aitardus fit Ep. a. 685. intereſt Concilio Rotomagenſi, a. 688. obit, a. 689.
Agathius fit Ep. a. 689. obit, a. 696.
Leobertus fit Ep. a. 696. obit, a. 706.
Magobertus fit Ep. a. 706. obit, a. 719.
Sigoaldus fit Ep. a. 719. obit, a. 731.
Gaubertus ſeu Godebertus fit Ep. a. 731. ſuperſtes, a. 737.

Digitized by Google

CARPENTORACTENSIS E.
De Carpentras.

Siffredus Ep. Carpentoractenſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, a. 536. cùm Carpentoracte ceditur Francis.
Clematius, a. 541. a. 549. a. 551.
Tetradius, a. 573.
Boetius, a. 585.
Odofredus, a. 590.
Georgius, a. 604.
Petrus, a. 630.
Dominicus, a. 640.
Licerius, a. 644. a. 654.
Paulus, a. 664.
Anaſtaſius, a. 686.
Innocentius, a. 711.
Oldradus ſiue Odoardus, a. 730.

CATALAVNENSIS E.
De Chaalons ſur Marne.

Florendus ſeu Florendinus Ep. Catalaunenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, a. 486. cùm Catalaunum deditionem Clodoueo facit.
Prouiderius.
Proditor.
Lupus, a. 535.
Papio.
Eucharius.
Tatrinodus.
Elaſius fit Ep. Sigiberto regnante, obit, a. 580.
Ludomerus fit Ep. a. 580.
Felix, a. 585. a. 625.
Regnabaudus.
Landebertus, a. 675.
Arnolfus, a. 688.
Bertoendus, a. 694.
Chamigus ſeu Chanigus ſiue Camingus vel Comingus aut Gamingus.
Felix II.
Scaricus.

CENOMANENSIS E. *du Mans.*

Principius Ep. Cenomanenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 510. cùm Cenomanum Clodoueo deditur, obit, a. 513.
Victor fit Epiſc. a. 513. eſt adhuc in viuis, a. 530.
Innocentius, a. 533. obit, a. 543.
Scienfredus pſeudo-Epiſcopus, a. 543.
Domnolus fit Ep. a. 545. obit, a. 581.
Badegiſilus fit Ep. a. 581. obit, a. 586.
Bertchramnus fit Epiſcopus, a. 586. obit, a. 623.
Hardoindus fit Ep. a. 624. obit, a. 655.
Berarius fit Ep. a. 655. obit, a. 681.
Aiglibertus fit Ep. a. 681. obit, a. 716.
Herlemundus fit Ep. a. 716. De illo iterum Tomo ſequenti.

COLONIENSIS E. *de Cologne.*

Euergiſlus Epiſc. Colonienſis in Germania II. M. vtriuſque Germaniæ, ætate Faramundi & Clodionis.
Aquilinus ſeu Solinus poſt interpontificium multorum annorum fit Ep. Colonienſis, a. 509. ſub M. Vormacienſi, cui nuperrimè attributum fuerat ius Metropoliticum per vtramque Germaniam.
Somoenus ſeu Simoenus.
Charentinus, a. 562.
Ebregiſilus, a. 590.
Remedius, a. 612. obit regnante iam in Auſtraſia Dagoberto.
Cunibertus fit Ep. regnante in Auſtraſia Dagoberto, obit, a. 663.
Bocaldus fit Ep. a. 663.
Stephanus obit, a. 680.
Aldewinus fit Ep. a. 680. viuit, a. 690.
Giſo, ſub Regibus Clodoueo III. & Childeberto III.
Anno, a. 707. a. 721.
Faramundus.
Raginfredus, Ranginfredus, Reginfridus, a. 735.

CONSORANENSIS E. *de Coſerans.*

Glycerius ſeu Licerius Ep. Conſoranenſis in Nouempopulania ſub M. Eluſano, cùm tres Aquitaniæ Clodoueo ſubiiciuntur, Pontificatum gerit per annos 44.
Theodorus, a. 549.

CONSTANTIENSIS E. *de Coutance.*

Leontianus Ep. Conſtantienſis in prouincia Lugdunenſi II. ſub M. Rotomagenſi, a. 502. cùm Conſtantia venit in poteſtatem Clodouei Regis, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianenſe.
Poſſeſſor, a. 510.
Lauto ſeu Launus, a. 529. a. 530. ſepelit S. Scubilionem, a. 563.
Romacharius, a. 568. a. 586.
Vlphobertus.
Lupicius.
Huldericus.
Waldomarus ſeu Baldomerus.
Chairibonus, a. 644.
Rotmundus.
Salomon.
Agathius.
Liuinus.
Wifridus.
Aldebertus ſeu Willebertus, a. 688.
Ioſue.
Leo.

CONSTANTIENSIS E. *de Conſtance.*

Maximus ſeu Maximinus Ep. Vindoniſſenſis in prouincia Lugdunenſi V. ſub M. Veſontionenſi, Sedem Epiſcopalem Vindoniſsâ Conſtantiam ad Rhenum transfert regnante Clotario I. cui ſuperſtes viuit.
Rudelo ſeu Rudolphus.

Digitized by Google

Vrſinus ſiue Vrſicinus.
Gaudentius, a. 611. obit, 614.
Ioannes fit Ep. a. 614. viuit, a. 625.
Boſo, a. 628.
Martianus, Marianus, Martinus, a. 633.
Pictauius.
Seuerus ſeu Seuerinus, a. 668.
Aſtropius.
Ioannes II. ſiue Hanno.
Buſo ſeu Buffo.
Audoinus ſiue Audonius, a. 730. obit, a. 736.
Rudoltus fit Ep. a. 736.

CONVENENSIS E. *de Cominge.*

Suauis Ep. Conuenarum in Nouempopulania ſub M. Eluſano, cùm Clodoueus Prouinciam illam Gothis eripit.
Præſidius, a. 533.
Amelius, a. 549.
Rufinus, a. 585.

CORENTINOPOLITANVS E. *De Kempercorentin.*

Morguetenus Ep. Corentinopolitanus in Prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 502. quo Corentinopolis Francicæ dominationi ſubditur, obit, a. 515.
Tremerinus fit Ep. a. 515. obit, a. 537.
Fraganus ſeu Ragianus fit Ep. a. 537. obit, a. 559.
Salomon fit Ep. a. 559. obit, a. 582.
Aluretus fit Ep. a. 582. obit, a. 619.
Gulhoctus ſeu Golhoetus, vel Golotethus fit Ep. a. 620. obit, a. 667.
Hugo fit Ep. a. 667. obit, a. 701.

D.

DARANTASIENSIS E. M. *de Tarantaiſe.*

Sanctus Epiſc. Darantaſienſis M. Alpium Graiarum & Penninarum, a. 517. ſub Burgundionibus, an peruenerit ad a. 536. quo prædictæ Alpes Francis ceſſerunt, haud ſcitur.
Magnus.
Martianus, a. 583. a. 585.
Heraclius.
Sena tus.
Turrieus.
Probinus.
Baudomeris, a. 644. a. 652.
Emiterius.
Widenardus.
Ioannes.
Leodrandus.
Aubertus ſiue Vmbertus.
Bonimundus ſiue Roſimundus.

DEENSIS E. *de Die.*

Sæculatius Epiſc. Deenſis in Prouincia Viennenſi II ſub M. Arelatenſi, a. 534. cùm Franci Burgundiam ſuis ditionibus adiungunt.
Lucretius, a. 541. viuit adhuc, a. 573.
Paulus, a. 585.

DINIENSIS E. *de Digne.*

Hilarius Ep. Dinienſis in Alpibus Maritimis ſub M. Ebredunenſi, a. 549. a. 554.
Heraclius, a. 573. a. 583. a. 585.
Agapius, Bobo { depoſiti, a. 644.

DOLENSIS E. *de Dol.*

Samſon fit primus Ep. Dolenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, regnante Childeberto Clodouei Magni filio, obit, a. 564.
Maglorius fit Ep. a. 564. abdicat Epiſcopatum, a. 567.
Budocus fit Ep. a. 567.
Geneuæus.
Roſtoaldus ſeu Roſtaldus.
Beſtualdus ſeu Beſtoaldus.
Armahelus.
Iumahelus.
Iunemenus obit, a. 678.
Geneuæus II. fit Ep. a. 679. obit, a. 717.
Tiarmailus fit Ep. a. 717. obit, a. 733.
Thurianus fit Ep. a. 733.

DVNENSIS E. *de Chaſteaudun.*

Auentinus fit primus Epiſc. Dunenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, a. 497. deinde, a. 509. fit Ep. Carnotenſis extincto Epiſcopatu Dunenſi.
Promotus fit Ep. Dunenſis regnante Sigiberto, ſed damnatur in Concilio Pariſienſi IV. a. 573.

E

EBREDVNENSIS E. M. *d'Ambrun.*

Gallicanus Ep. Ebredunenſis M. Alpium Maritimarum ſub Oſtrogothis, a. 524. a. 527. a. 529. ſub Francis, a. 536. a. 541. a. 549.
Peladius ſeu Palladius, a. 556.
Salonius, a. 573. deponitur, a. 579.
Emeritus fit Ep. a. 579. viuit adhuc, a. 585.
Alfonſus, a. 600.
Albinus, a. 630.
Ætherius, a. 644. a. 652.

EBROICENSIS E. *d'Eureux.*

Mauruſio Ep. Ebroicenſis in prouincia Lugdunenſi II. ſub M. Rotomagenſi, a. 502. cùm Ebroicæ Francis incipiunt parere, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianenſe.
Licinius, a. 538. a. 549.
Ferrocinctus, a. 557.
Viator.
Landulfus.
Ragnericus, a. 644.
Æternus, a. 652. obit, a. 653.
Aquilinus fit Epiſcopus, a. 653. obit, a. 695.
Deſiderius fit Ep. a. 695.

ECOLISMENSIS. E. *d'Angouleſme.*
Lupicinus Ep. Ecoliſmenſis in Aquitania II. ſub M. Burdigalenſi, cùm Clodoueus victis wiſigothis tres Aquitanias occupat, in viuis eſt adhuc ſuperſtes, a. 541.
Aptonius, a. 542. a. 549. obit, a. 569.
Mererius ſeu Maracharius fit Ep. a. 569. obit a. 576.
Frontonius fit Ep. a. 576. obit, a. 577.
Heraclius fit Ep. a. 577. obit, a. 580.
Nicaſius fit Ep. a. 580. ſedet, a. 585. a. 589. a. 590.
Mathæus.
Sigiſmundus.
Namatius, a. 625.
Gotiſmundus.
Anſelmundus.
Berthoalis.
Ardoinus.
Gerbardus.
Theomundus.
Erogius.
Gibaldus.
Adebalardus.
(De illis Epiſcopis actum Tomo III. ad a. 649. n. 37.)
Madabertus, a. 732.
Guillermus.

ELVSANVS E. M. *d'Eauſe.*
Clarus Ep. Eluſanus M. Nouempopulaniæ, cùm Clodoueus wiſigothos pellit ex Aquitania.
Leontius, a. 511.
Aſpaſius, a. 533. a. 541. a. 549.
Laban, a. 573 obit, a. 585.
Deſiderius fit Ep. a. 585.
Senocus, a. 625. a. 626.

F

FOROIVLIENSIS E. *de Freius.*
Deſiderius Ep. Foroiulienſis in prouincia Narbonenſi II. ſub M. Aquenſi, a. 536. cùm Oſtrogothi prouinciam illam cedunt Francis, & a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianenſe.
Expectatus, a. 549. a. 551. a. 554.
Epiphanius, a. 582.
Auſterius.
Ruſticus.
Augerius.

FRISINGENSIS E. *de Friſingen.*
Corbinianus Romam profectus a. 615. ordinatur Ep. regionarius à Gregorio II. PP. poſt varias peregrinationes Sedem ponit Friſingæ in Boioaria, a. 723. obit, a 730.
* Interpontificium, de quo iterum Tomo ſequenti.

G

GABALITANVS E. *de Iauouls.*
LEONICVS Ep. Gabalitanus in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi, cùm Clodoueus tres Aquitanias in ſuam poteſtatem redigit.
Hilarius, a. 535.
Euanthius, a. 540. a. 541.
Parthenius, a. 567.
Agricola, a, 625.
Iſerus regnante Dagoberto. De ſucceſſoribus non leuis eſt difficultas, quia cum Genauenſibus Epiſcopis confuſi creduntur.

GENAVENSIS E. *de Geneue.*
MAXIMVS Ep. Genauenſis in prouincia Viennenſi I. ſub M. Viennenſi, a. 517. in ditione Burgundionum; a. 529. in ditione Oſtrogothorum; an etiam a. 536. in ditione Francorum, incertum.
Pappulus, a. 549.
Salonius, a. 567. a. 573.
Cariatto, a. 585.
* a. 602. Hic Ruſticus fuit aut Patricius.
Appelinus, a. 623.
Pappolus, a. 644.
Robertus.
Aridanus.
Epoaldus.
Abbo.
Hyportunus.

GLANNATENSIS E. *de Glandeues.*
CLAVDIVS Ep. Glannatenſis in Alpibus Maritimis ſub M. Ebredunenſi, a. 536. cùm Oſtrogothi Francis Alpes Maritimas cedunt, & a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianenſe.
Baſilius, a. 549. a. 554.
Promotus, a. 573.
Agrœcius, a. 585.

GRATIANOPOLITANVS E. *de Grenoble.*
VRSVLVS Ep. Gratianopolitanus in prouincia Viennenſi I. ſub M. Viennenſi, a. 536. cùm Oſtrogothi Francis ditiones Ciſalpinas cedunt, & a. 538. cùm celebratur III. Concilium Aurelianenſe.
Syagrius, a. 551. a. 567.
Eſychius ſiue Iſitius, a. 573. a. 589. a. 604.
Clarus, a. 604. a. 652.
Boſo, a. 662.
Fergeolus obit ſuperſtite Ebroino.
Sitius II. De hujus proximis ſucceſſoribus, quoniam illorum ſola nomina ſuperſunt, agemus conglobatim Tomo ſequenti.

I

IVLIOBONENSIS E. *de Lillebonne.*
BETTO Ep. de Iuliobona in prouincia Lugdunenſi II. ſub M. Rotomagenſi, a. 644.

L

LACTORENSIS E. *de Lectoure.*
VIGILIVS Ep. Lactorenſis in Nouem-

Digitized by Google

populania ſub M. Eluſano, cùm Clodoueus Wiſigothos pellit ex eadem Nouempopulania.
Aletius, a. 549.

Lavdvnensis E. *de Laon.*

Genebaldus, a. 497. primus Ep. Laudunenſis conſtituitur in Belgica II. ſub M. Remenſi, ſupereſt in viuis, a. 549.
Latro.
Gondulfus.
Elinandus.
Robertus.
Chainoaldus, a. 625. obit, a. 632.
Attila ſiue Attola fit Ep. a. 632. ſuperſtes, a. 671.
Vinfridus, Vmrifrindus, Vnifrindus, Wlfridus, Wlfandus, Wlfadus.
Peregrinus.
Gerardus.
Serulfus, a. 687.
Maldagarius, a. 701.
Omotarius fit Ep. ante annum 707.
Sigoaldus.
Bertifridus.
Madelanus ſeu Magdelamnus.

Lavreacensis E. *de Laurich* ſeu *Lorich*, hodie *Lorch.*

Gerardus ſocius S. Ruperti, fit E. Laureacenſis in Boioaria ſub eodem Ruperto M. Saliſburgienſi, obit, a. 615.
Philo fit Ep. a. 615. obit, a. 660.
Bruno, anteà Ep. Patauienſis, fit etiam Ep. Laureacenſis, a. 660. Abhinc vniti ſunt Epiſcopatus Laureacenſis ac Patauienſis. *Vide* Epiſcopos Patauienſes, de quibus infrà.

Lavsannensis E. *de Lauſanne.*

Marius Epiſc. Auenticenſis in prouincia Lugdunenſi V. ſub M. Veſontionenſi, Sedem Epiſcopalem Auenticeo Lauſannam transfert, regnante in Burgundia Childeberto II. obit, a. circiter 596.
Macmerius ſeu Manerius fit Ep. a. circiter 596.
Egilolphus.
Arricus, a. 644.

Lemovicensis E. *de Limoges.*

Ruricius Senior Epiſc. Lemouicenſis in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi, cùm Clodoueus Aquitaniam ſubigit.
Ruricius Iunior, a. 535. a. 541. a. 549.
Exochius ſiue Exotius ſedet annos 15.
Ferreolus, a. 579. ſuperſtes, a. 591.
Aſelepeus ſiue Aſclepiodorus obit, a. 613.
Lupus fit Ep. a. 614. ſuperſtes, a. 632.
Simplicius obit, a. circiter 637.
Felix fit Ep. a. circiter 637. ſuperſtes, a. 644.
Adelphius.
Ruſticus, a. 667.
Hertenobertus.
Cæſarius.
Ermenus, a. 703.
Salutaris.
Aggericus.
Sacerdos, a. 715. obit, a. circiter 720.
Auſuidus, Auſindus, Auſnidus, Auſundus, Aucſindus fit Ep. a. circiter 720.
Ceſſator, a. 732.
Ebulus ſiue Ebulo.

Leodiensis E. *de Liège.*

Hubertus Epiſc. Sedem Epiſcopalem Traiecto transfert Leodium, a. 721. obit, a. 727.
Florebertus fit Ep. a. 727. ſuperſtes, a. 737.

Leonensis E. *de Leon.*

Paulus fit primus Ep. Leonenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 529. regnante Childeberto; abdicat Epiſcopatum, a. 553.
Iaouas ſeu Iehonius fit Ep. a. 553. obit, a. 554.
Tiernomagilus fit Ep. a. 554. obit, a. 555.
Paulus iterum Ep. a. 555. abdicat iterum Epiſcopatum, a. 566.
Cetomerinus fit Ep. a. 566. obit, a. 601.
Goluenus fit Ep. a. 601. obit, a. 616.
Tenenanus fit Ep. a. 616. obit, a. 635.
Houardonus fit Ep. a. 635. obit, a. 650.
Goeznoueus fit Ep. a. 650. obit, a. 675.
Gilbertus fit Ep. a. 675. obit, a. 701.
Omeneſius fit Ep. a. 701. obit, a. 735.
Guyomarkus fit Ep. a. 735. ſedet annos 48.

Lexobiensis E. *de Lexobie.*

Riocus fit Ep. Lexobienſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 502. cùm Lexobia venit in poteſtatem Clodouei Regis, obit, a. 515.
Riuallonus fit Ep. a. 515. obit, a. 518.
Ioannes fit Ep. a. 518. obit, a. 527.
Guennaelus fit Ep. a. 527. obit, a. 531.
Tirizianus fit Ep. a. 531. obit, a. 532.
Tugdwalus ſeu Tugalus fit Ep. a. 532. obit, a. 553.
Rwelinus fit Ep. a. 553. obit, a. 574.
Pebeconrus fit Ep. a. 574. obit, a. 594.
Robertus fit Ep. a. 594. obit, a. 625.
Stelereus fit Ep. a. 625. obit, a. 641.
Martinus fit Ep. a. 641. obit, a. 653.
Dionyſius fit Ep. a. 653. obit, a. 696.
Gouarranus fit Ep. a. 697.

Lexoviensis E. *de Liſieux.*

Theodebaudus ſeu Theodebaudis Epiſc. Lexouienſis in prouincia Lugdunenſi II. ſub M. Rotomagenſi, a. 538. a. 541. a. 549.
Ætherius, a. 584.
Launobaudus, a. 644. a. 662.
Fulcrannus, a. 688.

Lingonensis E. *de Langres.*

Gregorius Ep. Lingonenſis in prouincia Lugdunenſi I. ſub M. Lugdunenſi, in ditione Burgundionum, deinde Francorum, obit, a. 539.
Tetricus fit Ep. a. 539. obit, a. 572.

Digitized by Google

Pappolus fit Ep. a. 572. obit, a. 580.
Mummolus fit Ep. a. 580. viuit, a. 585.
Mietius, a. 609. obit, a. circiter 617.
Modoaldus fit Ep. a. circiter 617. obit regnante Clotario II.
Bertoaldus fit Epiſcopus ſuperſtite in viuis Clotario II. ſubſcribit Concilio Cabilonenſi III. a. 644.
Sigoaldus.
Wlfrannus.
Godinus.
Adoinus ſiue Adonius.
Garobaldus, Gairbaldus, Gaarbaldus.
Eronus, a. 686. a. 697. obit, a. circiter 615.
Aſtoricus fit Epiſcopus a. circiter 713. ſedet a. 715.
Vandrarius, Vanderius aut Vandreſius, a. 732.
Herulphus.

LVCENSIS E. *de Lugo.*

Cantabria in Epiſcopatu Lucenſi ſub M. Bracarenſi venit in poteſtatem Francorum, a. 542. nec rediit ad Sueuos ante mortem Clotarij I. Exciderunt autem nomina Lucenſium Epiſcoporum, qui per illa tempora floruerunt ſubjacuerúntque vicino M. Nouempopulaniæ.

LVGDVNENSIS E. M. *de Lyon.*

Lupus Epiſc. Lugdunenſis M. prouinciæ Lugdunenſis I. a. 534. cùm Burgundiæ Regnum à Francis deletur, & a. 538. cùm celebratur Concilium Aurelianenſe III.
Leontius, a. 542.
Sacerdos, a. 549. obit, a. 551.
Nicetius fit Ep. a. 551. obit, a. 573.
Priſcus fit Ep. a. 573. viuit, a. 585.
Ætherius, a. 589. obit, a. 602.
Secundinus fit Ep. a. 602. obit, a 603.
Aridius fit Ep. a. 603. obit, a. 611.
Theodoricus fit Epiſc. a. 611. viuit, a. 625.
Gaudericus, a. 644.
Viuentius.
Annemundus, a. 652. obit, a. 654.
Geneſius fit Ep. a. 654. obit, a. 677.
Lantbertus fit Ep. a. 678.
Iſaac, a. 687.
Lebuinus, Leboynus, Loboinus, a. 690.
Godwinus ſeu Godinus, a. 693. a. 713.
Fulcoaldus, a. 723. ſuperſtes, a. 731.

LVTEVENSIS E. *de Lodéue.*

Deuterius Ep. Luteuenſis in prouincia Narbonenſi I. ſubeſt M. Narbonenſi quandiu Luteua wiſigothis paret; poſt annum verò 533. quo Luteua capitur à Francis, ſubeſt M. Bituricenſi. Intereſt Concilio I. Aruernenſi, a. 535.
Edibius intereſt Concilio III. Pariſienſi, a. 557. Poſt mortem Clotarij I. Luteua redit ad wiſigothos.

M

MASSILIENSIS E. *de Marſeille.*

Dalmatius Ep. Maſſilienſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, in ditione Oſtrogothorum vſque ad a. 536. poſteà in ditione Francorum.
Antoninus, a. 544.
Emeterius, a. 554.
Theodorus, a. 581. obit, a. circiter 594.
Serenus fit Ep. a. 594. viuit, a. 600.

MATISCONENSIS E. *de Maſcon.*

Placidus fit primus Ep. Matiſconenſis in prouincia Lugdunenſi I. ſub M. Lugdunenſi, ſupereſt in viuis, a. 551. cùm celebratur Concilium II. Pariſienſe.
Saluinus, a. 560.
Chelidonius, a. 567.
Iuſtus, a. 574.
Euſebius, a. 583. a. 585.
Florentinus.
Decius.
Momulus, a. 623.
Deodatus, a. 631. a. 644.
Decius II.
Domnolus, a. 732. De illo iterum Tom. V.

MAVRIENNENSIS E. *de Maurienne.*

Hiconius fit primus Ep. Mauriennenſis in prouincia Alpium Graiarum & Penninarum ſub M. Darantaſienſi, regnante Guntchramno. Intereſt Concilio I. Matiſconenſi, a. 583. Supereſt in viuis, a. 602.
Leborius, a. 644.

MELDENSIS E. *de Meaux.*

Præſidius Ep. Meldenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, a. 486. cùm Meldæ Francicis ditionibus accedunt.
Promiſſius.
Medoueus ſeu Medouechus, a. 547. a. 549. a. 551.
Edenus.
Bandoaldus ſeu Baudowaldus.
Gondoaldus ſeu Gundoldus aut Gundobaldus, a. 614. a. 625. obit, a. 627.
Pharo ſeu Faro fit Ep. a. 627. obit, a. 672.
Walbertus ſeu Waldebertus fit Ep. a. 672. obit, a. 680.
Ildeuertus fit Epiſc. a. 680. obit a. circiter 690.
Hellingus fit Epiſc. a. circiter 690. obit, a. 697.
Pathaſius fit Ep. a. 697. obit eodem anno.
Ebregeſillus fit Ep. a. 697. obit, a. circiter 700.
Landricus, Lendricus, Lendicus, Lendoinus, fit Ep. a. circiter 700. obit, a. 705.
Edoldus, Heldodus, Eldodus, fit Ep. a. 705. obit, a. circiter 710.
Adulphus, Adelphus, fit Epiſc. a. circiter 710. obit, a. 715.

Digitized by Google

Ragaminatus, Ragamiratus, Ragunarius, Ragamiuatus, Ragamarius, Ragamirius, Ragemarius, fit Ep. a. 715. obit, a. 720.

Sigenoldus fit Ep. a. 720. obit, a 726.

Erlanceus ſiue Erlanteus fit Epiſc. a. 726. obit, a. 730.

Aydenetus ſiue Aydenitus fit Ep. a. 730. ſedet annos 8.

Metenſis E. *de Mets.*

Romanus Ep. Metenſis in Belgica prima ſub M. Treuirenſi, a. 486. cùm Metæ Clodoueo ſe dedunt, obit, a. 489.

Fronimius fit Ep. a. 489. obit, a. 497.

Grammatius fit Ep. a. 497. obit, a. 512.

Agatimber fit Ep. a. 512. obit, a. 525.

Heſperius ſeu Spetius fit Ep. a. 525. obit, a. 542.

Villicus fit Ep. a. 543. obit, a. 568.

Petrus fit Ep. a. 568. obit, a. 578.

Aigulfus fit Ep. a. 578. obit, a. 598.

Arnoaldus fit Ep. a. 599. obit, a. 607.

Pappolus fit Ep. a. 607. obit, a. 610.

Arnulfus fit Epiſc. a. 611. abdicat Epiſcopatum, a. 626.

Goericus fit Ep. a. 626. obit, a 644.

Godo fit Ep. a. 645. obit, a. 655.

Clodulphus fit Ep. a. 656. obit, a. 696.

Abbo fit Ep. a. 697. obit, a. 707.

Aptatus fit Ep. a. 707. obit, a. 715.

Felix fit Ep. a. 715. obit, a. 715.

Sigibaldus fit Ep. a. 716. ſuperſtes, a. 737.

Moguntiacenſis E. *de Mayence.*

Eutropius Ep. Moguntiacenſis in Germania I. ſub Treuirenſi M. Belgicæ I. & vtriuſque Germaniæ, cùm Meroueus Germaniam I. ſubigit. Sedet annos 23. obit, a. 474. Eius anteceſſores olim M. Germaniæ I. amiſſo poſteà iure Metropolitico ſubditi Colonienſi M. vtriuſque Germaniæ; nouiſſimè propter interpontificium Colonienſe cum vtraque Germania attributi Treuirenſi M. Belgicæ I. Succeſſores Treuirenſem M. agnouerunt, donec Ep. Vormacienſis factus eſt M. vtriuſque Germaniæ regnante Clodoueo. Denique ius Metropoliticum octauo ſeculo recuperarunt.

Adelbertus fit Ep. a. 474.

Radherius ætate Clodouei. Tunc Ep. Vormacienſis fit M. vtriuſque Germaniæ.

Adelbaldus.

Laudfridus.

Ruthardus.

Sidonius, a. 562.

Wilebertus.

Leoniſius ſeu Ludegaſtus, a. 612.

Rudhelmus ſeu Rudelinus.

Luthwaldus ſeu Landowaldus.

Leowaldus ſeu Lupoaldus, a. 625.

Richbertus, a. 667.

Sigebertus, a. 706. a. 712.

Geroldus, a. 724. a. 734. ſuperſtes, a. 737.

N

Namnetenſis E. *de Nantes.*

Epiphanivs Epiſc. Namnetenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 502. cùm Namnetæ Clodoueo deditionem faciunt, & a. 511. cùm celebratur Concilium I. Aurelianenſe.

Marſus, a. 530. obit, a. 531.

Eumerius ſiue Euemerus fit Ep. a. 531. obit, a. 550.

Felix fit Ep. a. 550. obit, a. 583.

Nonnichius fit Ep. a. 583. viuit, a. 591.

Sofronius, a. 610.

Leobardus, a. 625.

Salapius, a. 631. a. 644.

Taurinus, a. 652.

Harco.

Paſcharius, a. 676. obit regnante Childeberto III.

Agatheus Ep. Redonenſis occupat Eccleſiam Namnetenſem regnante Childeberto III.

Amitho fit Ep. a. circiter 703. viuit, a. 716.

Deomatus. De illo iterum Tomo ſequenti.

Nemetenſis E. *de Spire.*

Interciderunt nomina Præſulum, qui poſt Synodum Agrippinenſem, cui Ieſſes anno circiter 352. interfuit, Eccleſiam Nemetum ſeu Spirenſium in Germania I. per multa ſecula rexerunt vſque ad Athanaſium *qui ſequitur.*

Athanaſius Ep. annis 40. ſub M. Vormacienſi, obit, a 642.

Principius fit Epiſcopus a. 642. obit, a. 667.

Tragebodus fit Ep. a. 667. obit, a. 675.

* Sequitur interpontificium.

Baſinus fit Ep. a. circiter 722. obit, a. circiter 730.

Lato, Latto, Iatto, Hatto, fit Ep. a. circiter 730. ſuperſtes a. 737.

Nicaenſis E. *de Nice.*

Magnus Ep Nicaenſis in Alpibus Maritimis ſub M. Ebredunenſi, a. 549. a. 554. prouinciam illam Oſtrogothi Francis ceſſerunt a. 536.

Auſtadius, a. 581.

Catulinus, a. 585.

Niuernenſis E. *de Nevers.*

Ruſticus Epiſc. Niuernenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, a. 534. cùm Franci Burgundiam ſubigunt, in viuis ſupereſt, a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianenſe.

Aregius, a. 549. a. 551.

Æoladius, a. 567. obit, a. circiter 580.

Digitized by Google

Agricola fit Ep. a. circiter 580. viuit, a. 589. obit, a. circiter 594.
Fulcilius fit Ep. a. circiter 594. viuit, a. 610.
Rauracus, a. 624. a. 652.
Deodatus, a. 657. abdicat Epiſcopatum, a. circiter 664.
Gilbertus, a. 665.
Rogus, a. 672.
Iterius, a. 691.
Opportnnus, a. 702.
Nectarius, a. 726.
Waldo, de quo iterum Tomo V.

NOVIOMENSIS E. *de Noyon.*

Medardus Ep. Viromandenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, ſedem Epiſcopalem transfert Nouiomum, a. 531. fit etiam Ep. Tornacenſis, a. 532. obit, a. 545.
Fauſtinus fit Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis, a. 545.
Gundulfus Ep. Nouiomenſis, & Tornacenſis.
Chraſmarus Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis.
Ebrulfus Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis obit, a. circiter 621.
Acharius fit Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis, a. circiter 621. obit, a. 639.
Eligius ordinatur Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis, a. 640. obit, a. 659.
Mummolinus fit Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis, a. 659. obit, a. 685.
Hautcarius fit Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis, a. 685.
Gunduinus Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis.
Guarulfus Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis obit, a. 721.
Framengerus fit Ep. Nouiomenſis & Tornacenſis, a. 721. obit, a. 723.
Hunuanus fit Epiſcopus Nouiomenſis & Tornacenſis, a. 723. ſuperſtes a. 737.

O

OCTODORENSIS E. *de Martinach.*

Conſtantius Ep. Octodorenſis in prouincia Alpium Graiarum & Penninarum ſub M. Darantaſienſi, a 517. in ditione Burgundionum. An peruenerit ad a. 536. quo Alpes prænominatæ Francicis ditionibus acceſſerunt, haud liquet.
Rufus, a. 541. a. 549.
Agricola, a. 565.
Heliodorus Epiſcopalem Sedem Octodoro Sedunum transfert. *Vide* Epiſcopos Sedunenſes, de quibus infrà.

OLORONENSIS E. *d'Oloron.*

Gratus Ep. Oloronenſis in Nouempopulania ſub M. Elusano, cùm Clodoueus Wiſigothos è tribus Aquitaniis expellit.
Agreſtius, a. 549. a. 551.
Lucerius, a. 573. a. 585.

P

PAMPILONENSIS E. *de Pampelonne.*

Vaſconia Septemtrionalis, cuius vrbs primaria Pampilona, Epiſcopatu nobilis ſub M. Tarraconenſi, venit in poteſtatem Francorum, a. 542. nec rediit ad Wiſigothos ante mortem Clotarij I. Deſiderantur autem nomina Pampilonenſium Antiſtitum, qui per illa tempora ſederunt, ſubiacuerúntque vicino M. Nouempopulaniæ.

PARISIENSIS E. *de Paris.*

Apedinius Ep. Pariſienſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, cùm Childericus Rex Pariſios ſuæ ditioni ſubiicit.
Heraclius, a. 511. a. 512.
Probatius.
Amelius, a. 533. a. 538. a. 541.
Saffaracus, a. 547. a. 549. deponitur, a. 551.
Euſebius fit Ep. a. 551. obit, a. 555.
Germ nus fit Ep. a. 555. obit, a. 576.
Ragnemodus fit Ep. a. 576. obit, a. 591.
Euſebius II. fit Ep. a. 591.
Faramodus.
Simplicius, a. 601.
Ceraunus, a. 614.
Leudebertus, a. 625.
Audobertus, a. 640. a. 644.
Landericus, a. 652. ſuperſtes, a. 654.
Importunus, a. 657.
Chrodobertus, a. 661. a. 662.
Sigrobandus obit, a. 664.
Agilbertus fit Ep. a. 664. viuit, a. 669.
Sigofridus, a. 690.
Turnoaldus abdicat Epiſcopatum, a. 709.
Adulphus fit Ep. a. 709. obit, a 715.
Bernecharius fit Ep. a. 715. obit, a. 724.
Hugo fit Ep. a. 724. obit, a. 730.
Merſeidus fit Ep. a. 730.

PATAVIENSIS E. *de Paſſau.*

Erchenfridus, ſocius S. Ruperti, fit Ep. Patauienſis in Boioaria ſub eodem Ruperto M. Saliſburgienſi, obit, a. 624.
Othocarus fit Ep. a. 624. obit, a. 638. Honorio Papa in viuis adhuc ſuperſtite.
Bruno fit Epiſc. Patauienſis, a. 638. ſub Pontificatu Honorij Papæ, fit etiam Ep. Laureacenſis, a. 660. nec non Metropolita Boioariæ, a. 666. obit, a. 698.
Theodorus fit Ep. Patauienſis ac Laureacenſis & Metropolita Boioriæ, a. 699. obit, a. 737.
Viuilo fit Ep. Patauienſis ac Laureacenſis & Metropolita Boioariæ, a. 737.

PETROCORICENSIS E. *de Perigueux.*

Chronopius Ep. Petrocoricenſis in Aquitania II. ſub M. Burdigalenſi, cùm Wiſigothi pelluntur à Francis ex Aquitania, ſupereſt in viuis, a. 533. cùm celebratur II. Concilium Aurelianenſe.

Sabaudes, a. 542.

Charterius, a. 582. a. 585.

Saffarius, a. 589. a. 590.

PICTAVIENSIS E. *de Poitiers.*

Adelphius Ep. Pictauienſis in Aquitania II. ſub M. Burdigalenſi, cùm wiſigothi pelluntur à Francis ex Aquitania, ſupereſt in viuis, a. 533. cùm celebratur II. Concilium Aurelianenſe.

Elaphius.

Danihel, a. 541.

Pientius, a. 549. obit, a. circiter 564.

Paſcentius fit Ep. a. circiter 564.

Maroueus, a. 568. a. 582. obit, a. 599.

Fortunatus fit Ep. a. 599.

Caregiſilus.

Ennoaldus, a. 615.

Ioannes, a. 625. obit, a. 626.

Dido fit Ep. a. 626. obit Childerico II. Monarchiam Francorum obtinente.

Anſoaldus fit Ep. Childerico II. Monarchiam Francorum obtinente, ſuperſtes eſt, a. 688.

Eparchius.

Maximinus.

Gaubertus.

Godo.

R

REDONENSIS E. *de Rennes.*

MELANIVS Ep. Redonenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, cùm Redones Clodoueo Regi ſubiiciuntur, obit, a. 530.

Febediolus fit Ep. a. 530.

Victurius, a. 566. a. 568. obit, a. 602.

Durioterus fit Ep. a. 603. obit, a. 655.

Willelmus fit Ep. a. 655. obit, a. 684.

Deſiderius fit Ep. a. 684. viuit, a. 688.

Agatheus Ep. Redonenſis occupat etiam Eccleſiam Namnetenſem regnante Childeberto III.

Moderandus ſedet annos 13. dimittit Epiſcopatum regnante Chilperico III.

Auriſcandus fit Ep. regnante Chilperico III. obit, a. 725.

Rothandus fit Ep. a. 725. ſedet annos 22.

REIENSIS E. *de Riez.*

Contumelioſus Ep. Reienſis in prouincia Narbonenſi II. ſub M. Aquenſi, retruditur in Monaſterium ob capitale crimen, antequam Oſtrogothi prouinciam illam Francis cedant; a. 536. quo fit hæc ceſſio, Reienſis Eccleſia per Viſitatorem regitur ſuperſtite in viuis Contumelioſo.

Fauſtus, a. 549.

Emeterius, a. 554.

Claudianus, a. 573.

Vrbicus, a. 585. a. 589.

Claudius, a. 625. a. 644.

Archirincus.

Abſalon.

REMENSIS E. M. *de Reims.*

Remigius Ep. Remenſis M. Belgicæ II. cùm Remi Clodoueo ſe ſubdunt, obit, a. 533.

Romanus fit Ep. a. 533. obit, a. 535.

Flauius fit Ep. a. 535.

Mappinius, a. 549. obit, a. 569.

Ægidius fit Ep. a. 569. deponitur, a 590.

Romulfus fit Ep. a. 590. obit, a. 593.

Sonnarius fit Ep. a. 594. obit, a. 631.

Leudegiſelus fit Ep. a. 631. obit, a. 641.

Anglebertus fit Ep. a. 642. obit, a. 645.

Lando fit Ep. a. 645. obit, a. 649.

Niuardus fit Ep. a. 649. obit, a. 673.

Reolus fit Ep. a. 673. obit, a. 699.

Rigobertus fit Epiſcopus a. 699. pellitur, a. 717.

Milo Treuerenſis iam Epiſcopus Sedem Remenſem occupat expulſo Rigoberto, a. 717. ſuperſtes, a. 737.

ROTOMAGENSIS E. *de Rouën.*

Creſcentius Ep. Rotomagenſis M. prouinciæ Lugdunenſis II. cùm Clodoueus Rotomagum capit, obit, a. 494.

Gildardus fit Ep. a. 494. obit, a. 529.

Flauius fit Ep. a. 529. obit, a. 544.

Prætextatus fit Ep. a. 544. obit, a. 586.

Melantius ſeu Melanius fit Ep. a. 586. obit, a. 598.

Hidulphus fit Ep. a. 598. obit, a. 626.

Romanus fit Ep. a. 626. obit, a. 639.

Audoenus fit Ep. a. 640. obit, a. 683.

Anſbertus fit Ep. a. 683. obit, a. 695.

Reginaldus fit Ep. a. 695. obit, a. 698.

Grippo fit Ep. a. 698. obit, a. 722.

Hugo fit Ep. a 722. obit, a. 730.

Ratbertus fit Ep. a. 730. obit, a. 734.

Grimo fit Ep. a. 734. viuit, a. 737.

RVTENENSIS E. *de Rodez.*

Quintianus Ep. Rutenenſis in Aquitania I. ſub M. Bituricenſi, cùm Clodoueus tres Aquitanias ſubigit, pellitur in exilium à Wiſigothis, qui Rutenos poſt Clodouei mortem recuperant.

Dalmatius fit Epiſc. a. 524. ſubeſtque M. Narbonenſi quandiu Ruteni Wiſigothis parent, ſubiicitur autem M. Bituricenſi cùm Ruteni redeunt in poteſtatem Francorum, obitque a. 580.

Theodoſius fit Ep. a. 580. obit, a. 584.

Innocentius fit Ep. a. 584. viuit, a. 588.

Verus, a. 625.

Aredius memoratur in Miraculis vitæ Sancti Deſiderij Cadurcenſis Ep. ſubiectis, incertum quâ ætate vixit.

Digitized by Google

S.

SAGIENSIS E. *de Seez.*

Litharedus Epiſc. Sagienſis in prouincia Lugdunenſi II. ſub M. Rotómagenſi, a. 502. cùm Sagium in poteſtatem Clodouei venit, & a. 711. cùm celebratur I. Concilium Aurelianenſe.
Paſſiuus, a. 533. a. 549.
Milehardus, a. 557.
Leudebaudis, a. 566. a. 573.
Hildebrandus, a. 575.
Rodobertus, a. 596.
Rauerennus.
Amlacarius, a. 644.
Gaufridus.
Robertus.
Aunobertus, a. 688.
Radulfus.
Hugo.
Benedictus.
Lotharius Euremundum Abbatem Fontanetenſem ſepelit regnante Chilperico III. De illo iterum Tomo V.

SALISBVRGIENSIS E. M. *de Saltzbourg.*

Rupertus ſeu Rutbertus Ep. Vormacienſis, M. vtriuſque Germaniæ, pellitur, a. 577. it in Boioariam, a. 579. Boioarios ad fidem conuertit, fit primus Ep. Saliſburgienſis M. Boioariæ, duos è ſuis ſociis Epiſcopos conſtituit, Gerardum Laureaci, Erchenfridum Patauiæ, obit, a. 623.
Vitalis fit Ep. a. 623. obit, a. 646.
Anſologus fit Ep. a. 646. obit, a. 666.
Sauolus fit Ep. a. 666. obit, a. 680.
Ezius fit Ep. a. 680. obit, a. 703.
Flobargiſus fit Ep. a. 703. obit, a....
* Sequitur interpontificium aliquot annorum.

SANICIENSIS E. *de Senez.*

Simplicius Ep. Sanicienſis in Alpibus Maritimis ſub. M. Ebredunenſi, a. 541. & a. 554. Verùm autem hic an deceſſor Marcellus a. 536. cùm prædictæ Alpes ad Franciam accedunt, haud liquet.
Vigilius, a. 585.

SANTONENSIS E. *de Saintes.*

Gregorius Epiſc. Santonenſis in Aquitania II. ſub M. Burdegalenſi, cùm Wiſigothi à Clodoueo pelluntur ex Aquitania.
Petrus, a. 511.
Troianus obit, a. 532.
Euſebius fit Ep. a. 532. obit paulò ante Clotarium I.
Emerius, a. 562.
Concordius.
Didymus.
Palladius, a. 573. a. 589. a. 596.
Leontius, a. 625.
Adelbertus
Anianus.
Mancus eſt Index Epiſcoporum Santonenſium, nec probè ſcitur quibus temporibus hi duo ſederint Epiſcopi, à Leontio enim, qui Concilium Remenſe cum aliis Epiſcopis a. 625. celebrauit, ad Iſlonem vſque qui a. 1012. florebat, occurrunt in Catalogis Epiſcopi duntaxat decem, vt dictum Tomo III. ad a. 649. n. 37.

SEDVNENSIS E. *de Sion.*

Heliodorus Ep. Octodorenſis in prouincia Alpium Graiarum & Penninarum ſub M. Darantaſienſi, Sedem Epiſcopalem Octodoro Sedunum transfert, Concilio Matiſconenſi II. ſubſcribit, a. 585.
* a. 601. Ruſticus vel Patricius.
Leutmundus, a. 611. a. 616.
Protaſius, a. 644.
Amatus fit Ep. regnante Theodorico III.
Gratus, a. 690.

SEGESTERICENSIS. E. *de Siſteron.*

Auolus Epiſc. Segeſterienſis in prouincia Narbonenſi II. ſub M. Aquenſi, a. 536. cùm prouinciam illam Francis cedunt Oſtrogothi, ſupereſt in viuis, a. 554.
Geneſius, a. 573.
Pologronius, a. 585. obit, a. 609.
Secundinus fit Ep. a. 609. obit, a. 657.
Magnibertus fit Ep. a. 657. obit, a. 718.
Amantius fit Ep. a. 718. obit, a. 729.
* Huius Epiſcopi nomen ignoratur.

SELLENSIS E. *de Selles en Poitou.*

Auſtrapius fit Ep. Sellenſis ſeu Caſtri Celſi in Aquitania II. ſub M. Burdigalenſi, Clotario I. totius Franciæ Monarchiam obtinente, obit, a. circiter 564. eóque mortuo Sellenſis Epiſcopatus redit ad Pictauienſem à quo nuper auulſus fuerat.

SENONENSIS E. M. *de Sens.*

Eraclius Ep. Senonenſis M. prouinciæ Lugdunenſis IV. cùm Senones parere Francis incipiunt, obit, a. 507.
Leo, a. 512. a. 533. a. 538.
Conſtitutus, a. 549. obit, a. 579.
Arthemius fit Ep. a. 579. obit, a. 609.
Lupus fit Ep. a. 609. viuit, a. 614.
Richerius, a. 625.
Hildegarius, a. 631.
Aunobertus, a. 640. a. 642.
Honulfus.
Armentarius, a. 644. a. 652.
Gundelbertus abdicato Epiſcopatu ſecedit in eremum.
Emmo, a. 657. obit, a. 669.
Amatus fit Ep. a. 669. pellitur, a. 674.

Digitized by Google

Medetius fit Ep. a. 674.
Landebertus, a. 677. obit, a. circiter 679.
Wlfrannus fit Ep. a. circiter 679. abdicat Epiſcopatum, a. 682.
Gericus fit Ep. a. 682.
Ebbo Ep. ſub Regg. Dagoberto III. Chilperico III. & Theodorico IV. De illo iterum agemus Tomo V.

SILVANECTENSIS E. *de Senlis.*

Modeſtus Ep. Siluanectenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, cùm Siluanectum in poteſtatem Childerici Regis deuenit.
Liuanius ſeu Leuangius, obit, a. 513.
Paſius fit Ep. a. 513. obit, a. 519.
Nonnulus fit Ep. a. 519. obit, a. 547.
Gonotigernus fit Epiſcopus. a. 547. obit, a. 560.
Lethardus fit Ep. a. 560. proficiſcitur in Angliam, a. 566.
Sanctinus fit Ep. a. 566. obit, a. 581.
Malulfus fit Ep a. 581. obit, a. 584.
Candidus fit Ep a. 584. obit, a. 598.
Agomarus fit Ep. a. 598. obit, a. 644.
Autbertus fit Ep. a. 644. obit, a. 695.
Amandus fit Ep. a. 695. obit a. 719.
Erembertus fit Ep. a. 719. ſuperſtes, a. 737.

SVESSIONENSIS E. *de Soiſſons.*

Principius Epiſc. Sueſſionenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, cùm Clodoueus Sueſſionem capit.
Lupus, a. 511. ſuperſtes, a. 533.
Bandaricus exulat, a. 538. obit, a. 545.
Anectarius fit Ep. a. 545.
Theobaldus ſeu Thenebaldus.
Tondulfus ſeu Taudulfus.
Landulphus.
Anſericus, a. 625. obit, a. 652.
Bettolenus fit Ep. a. 652. abdicat Epiſcopatum, a. 654.
Drauſius fit Ep. a. 654. viuit, a. 668.
Warinbertus, a. 674.
Adalbertus.
Gaudinus Martyr, a. circiter 700.
Macharius.
Galconus.
Gobaldus.

T

TARUANNENSIS E. *de Terouenne.*

Antimundus fit primus Ep. Taruannenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, a. 501. obit, a. 520.
Athalbertus fit Ep. a. 520. obit, a. 552.
* Interpontificium.
Audomarus fit Ep. a. 637. obit, a. 668.
Dranſius fit Ep. a. 668. obit, a. 681.
Bainus fit Ep. a. 681. dimittit Epiſcopatum, a. 697.
Rauengarius fit Ep. a. 697. obit, a. 723.
Erkenbodo ſiue Erkenbodus fit Ep. a. 723. ſuperſtes, a. 737.

TOLONENSIS E. *de Toulon.*

Cyprianus Ep. Tolonenſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, cùm Oſtrogothi ditiones, quas cis Alpes poſſident, Francis tradunt, ſupereſt in viuis, a. 542.
Palladius, a. 549 a. 554.
Deſiderius, a. 573. a. 585.

TOLOSANVS E. *de Tholoſe.*

Heraclius Ep. Toloſanus in prouincia Narbonenſi I. ſub M. Narbonenſi, cùm Clodoueus Toloſam Franciciſ ditionibus adiungit, abhinc ſubiicitur M. Bituricenſi, obitque, a. 509.
Germerius fit Ep a. 509. obit, a. 545.
Magnulfus, a. 585.
Mennas, a. 601. a. 602.
Willegiſelus, a. 625.
* Huius nomen deſideratur.
Erembertus fit Ep. a. 655. abdicato Epiſcopatu obit, a. 671.

TORNACENSIS E. *de Tournay.*

Eleutherius anteà Epiſc Blandinienſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, Sedem Epiſcopalem Blandinio transfert Tornacum, a. 496. obit, a. 532.
Medardus Ep. Nouiomenſis fit etiam Ep. Tornacenſis, a. 532. Abhinc Tornacenſes Epiſcopi fuerunt iidem qui Nouiomenſes, vt obſeruatum eſt ſuprà.

TRAIECTENSIS. E. *de Maſtrich.*

Arauatius Ep. Tungrenſis in Germania II. Sedem Epiſcopalem Tungris transfert Traiectum ad Moſam, ac paulò pòſt obit, a. 450. regnante Meroueo. Circa illa tempora Ep. Treuirenſis M. Belgicæ I. fit etiam M. vtriuſque Germaniæ.
Supplicius fit Ep. a. 450.
Quirillus.
Eucherius.
Falco peruenit ad tempora Theodorici I. Illo ſedente, Ep. Vormacienſis fit M. vtriuſque Germaniæ.
Eucherius fit Ep. regnante Theodorico I.
Domitianus, a. 535. obit, a. 550.
Monulfus fit Ep. a. 550. obit, a. 589.
Gondulfus fit Ep. a. 589. obit, a. 596.
Perpetuus fit Ep. a. 596. obit, a. 609.
Ebregiſus ſiue Euergiſus fit Ep. a. 609. obit, a. 623.
Ioannes cognomento Agnus fit Ep. a. 623. obit, a. 649.
Amandus fit Ep. a. 649. abdicat Epiſcopatum, a. 652.
Remaclus eligitur Ep. a. 652. ordinatur, a. 653. abdicat Epiſcopatum, a. 662.
Theodardus fit Ep. a. 662. obit, a. 668.
Lambertus fit Ep. a. 668. obit, a. 708.
Hubertus fit Ep. a. 708 Sedem Epiſcopalem Traiecto transfert Leodium, a. 721.
Vide Epiſcopos Leodienſes ſuprà.

Digitized by Google

TRECENSIS E. *de Troyes.*

Camelianus Ep. Trecenſis in prouincia Lugdunenſi IV. ſub M. Senonenſi, cùm Trecæ veniunt in Clodouei poteſtatem, obit, a. 536.
Vincentius fit Ep. a. 536. obit, a. 546.
Ambroſius fit Ep. a. 546. ſuperſtes eſt in viuis, a. 549.
Chardaricus ſiue Ardaricus, a. 551. a. 557.
Gallomagnus fit Epiſc. regnante Guntchramno, obit a. 584.
Agrœcius fit Ep. a. 584. viuit, a. 586.
Euodius obit ante a. 623.
Modegiſilus
Ragnegiſilus, a. 631.
Lupus, a. 644.
Leuconius, a. 657.
Bertoaldus.
Abbo-Felix, a. 668. obit, a. 677.
Waymerus ſeu Wammirus aut Wandelmarus fit Ep. a. 677. obit, a. 678.
Wlfredus ſeu Vulfeudus fit Ep. a. 678.
Raganbertus ſeu Ragembertus.
Aldebertus ſiue Aldobertus, a. 700.
Gautcerius ſeu Gautſerius.
Arduinus, a. 722.
Cenſardus.

TREVIRENSIS E. M. *de Trêues.*

Modeſtus Ep. Treuirenſis M. Belgicæ I. & vtriuſque Germaniæ, obit, a. 486. quo Clodoueus Treuirim capit.
Maximianus fit Ep. a. 486. obit, a. 498.
Fibicius fit Ep. a. 498. Vltimus recenſetur è Preſulibus Treuirenſibus, qui Metropolitico jure gaudent per vtramque Germaniam, jus enim illud regnante Clodoueo attribuitur Sedi Vormacienſi.
Aprunculus obit, a. 527.
Nicetius fit Ep. a. 527. obit, a. circiter 566.
Magnericus fit Ep. a. circiter 566. obit, a. 597.
Seuerinus fit Ep. a. 597.
Felicius, a. 618.
Sebaudus.
Modoaldus fit Ep. regnante in Auſtraſia Dagoberto I. obit, a. circiter 639.
Ruſticus fit Ep. a. circiter 639. obit ſuperſtite Sigiberto III.
Numerianus fit E. ſuperſtite Sigiberto III. obit, a. circiter 666.
Hildulphus fit Ep. a. circiter 666. abdicat Epiſcopatum, a. 676.
Baſinus fit Ep. a. 676.
Leodowinus, a. 698. obit, a. circiter 713.
Milo fit Ep. a. circiter 713. De illo iterum Tomo ſequenti.

TRICASTINENSIS E. *de Trois-Chaſteaux.*

Heraclius Ep. Tricaſtinenſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, a. 536. cùm Oſtrogothi Francis ditiones ſuas cis Alpes cedunt, & a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianenſe.
Victor, a. 567. a. 573. a. 583. obit, a. 584.
Euſebius fit Ep. a. 584. intereſt Conciliis Valentino & Matiſconenſi II. a. 585.
Betto, a. 644.
Bonaricus.
Salitonius.

TVLLENSIS E. *de Toul.*

Auſpicius Ep. Tullenſis in Belgica I. ſub M. Treuirenſi, cùm Tullum in ditionem Clodouei Regis deuenit.
Vrſus.
Alodius, a. 549.
Triſoricus.
Dulcitius.
Premon.
Antimundus.
Eculanus.
Theodefridus, a. 642. a. 648.
Leudinus-Bodo, a. 653. a. 665.
Eborinus.
Adeodatus, a. 680.
Ermentheus ſiue Ermethus.
Magnaldus ſiue Magoldus.
Dodo.

TVNGRENSIS E. *de Tongren.*

Renatus ſeu Reſignatus Ep. Tungrenſis in Germania II. ſub Colonienſi M. vtriuſque Germaniæ, ætate Faramundi.
Arauatius Sedem Epiſcopalem Tungris transfert Trajectum ad Moſam, obitque, a. 650. *Vide* Epiſcopos Trajectenſes, de quibus ſuprà.

TVRONENSIS E. M. *de Tours.*

Licinius fit Ep. Turonenſis M. prouinciæ Lugdunenſis III. a. 507. quo Clodoueus fugatis Wiſigothis Turonos ingreditur, obit, a. 520.
Theodorus & Proculus, a. 520. moriuntur, a. 522.
Arnulphus fit Ep. a. 522. & paulò pòſt obit.
Diniſius fit Ep. a. 522. obit, a. 523.
Ommatius fit Ep. a. 523. obit, a. 526.
Leo fit Ep. a. 526. obit, a. 527.
Francilio fit Ep. a. 527. obit, a. 529.
Injurioſus fit Ep. a. 529. obit, a. 546.
Baudinus fit Ep. a. 546. obit, a. 552.
Guntharius fit Ep. a. 552. obit, a. 555.
Eufronius fit Ep. a. 556. obit, a. 573.
Gregorius fit Ep. a. 573. obit, a. 595.
Pelagius fit Ep. a. 595. obit, a. 602.
Leuparius fit Ep. a. 602. obit, a. 614.
Agericus fit Ep. a. 614. obit, a. 617.
Ginaldus fit Ep. a. 617. obit, a. 618.
Valarius fit Ep. a. 618. obit, a. 619.
Sigelaicus fit Ep. a. 619. obit, a. 622.
Leobaldus ſeu Lethbaldus aut Lebardus fit Ep. a. 622. obit, a. 624.
Modegiſilus ſeu Medegiſelus aut Medeſilus fit Ep. a. 624. obit, a. 639.
Latinus fit Ep. a. 639. obit, a. 652.

Digitized by Google

Carigiſilus fit Ep. a. 652. obit, a. 654.
Rigobertus ſeu Ragobertus fit Ep. a. 654. obit, a. 660.
Papolenus fit Ep. a. 660. obit, a. 665.
Chrotbertus fit Ep. a. 665. obit, a. 695.
Pelagius II. fit Ep. a. 695. obit, a. 700.
Euaricus ſiue Euartius fit Ep. a. 700. obit, a. 709.
Ibbo fit Ep. a. 709. obit, a. 717.
Guntrannus fit Ep. a. 717. obit, a. 732.
Dido fit Ep. a. 732. obit, a. 733.
Rigambertus fit Ep. a. 733. ſedet annos 19.

V

VALENTINVS E. *de Valence.*

Apollinaris Ep. Valentinus in prouincia Viennenſi I. ſub M. Viennenſi, cùm Franci Burgundiam ſuis ditionibus adiiciunt.
Gallus, a. 549.
Maximus, a. 567.
Ragnoaldus, a. 583. a. 585.
Elephas.
Saluius.
Aigulfus, a. 640.
Ingildus, a. 644. a. 651.
Æmilianus.
Antonius.
Bobo, a. 674.
Saluius II.
Lambertus.

VAPPINCENSIS E. *de Gap.*

Tigrides Ep. Vappincenſis in prouincia Narbonenſi II. ſub M. Aquenſi, cùm Oſtrogothi Francis prouinciam illam ſponte tradunt.
Remedius.
Valleſius, a. 549. a. 551. a. 554.
Sagittarius, a. 573. deponitur a. 579.
Aridius ſiue Aregius fit Ep. a. 579. obit, a. 604.
Valatonius fit Ep. a. 604.
Potentiſſimus, a. 644.

VASATENSIS E. *de Baſas.*

Sextilius Ep. Vaſatenſis in Nouempopulania ſub M. Eluſano, cùm Clodoueus wiſigothos pellit ex tribus Aquitaniis, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianenſe.
Oreſtes, a. 585.

VASIONENSIS E. *de Vaiſon.*

Alethius Ep. Vaſionenſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, a. 529. in ditione Oſtrogothorum, deinde in ditione Francorum, a. 536. & a. 541.
Theodoſius, a. 554.
Quinidius fit Ep. regnante Childeberto, a. circiter 556. ſupereſt in viuis, a. 573.
Barthus ſeu Barſius.
Artemius, a. 583. a. 585.
Petronius, a. 644.

VCECIENSIS E. *d'Vſez.*

Probatius Epiſc. Vcecienſis in prouincia Narbonenſi I. ſub M. Narbonenſi, cùm Clodoueus Vceciam & Toloſam ciuitates prouinciæ Narbonenſis I. wiſigothis eripit, ſubiicitur poſteà M. Bituricenſi cum Toloſa.
Roricius ſub M. Bituricenſi, obit, a. 537.
Firminus fit Ep. a. 537. ſubditur M. Arelatenſi, obit, a. 553.
Ferreolus fit Ep. a. 553. obit, a. 581.
Albinus fit Ep. a. 581. obit eodem anno.
Marcellus fit Ep. a. 581.
Aurelianus, a. 644.
Audoenus, a. 660.
Potentinus. Eo ſedente, Vcecia redit in poteſtatem wiſigothorum, vt patet ex ſubſcriptionibus Concilij Toletani XIII. cui Leopardus Abbas ipſius Potentini nomine ſubſcribit, a. 683.

VENETENSIS E. *de Vannes.*

Modeſtus Ep. Venetenſis in prouincia Lugdunenſi III. ſub M. Turonenſi, a. 502. cùm Clodoueus vrbem Veneticam occupat, & a. 511. cùm celebratur I. Concilium Aurelianenſe.
Macliauus fit Ep. a. 553. obit, a. 577.
Eunius fit Ep. a. 577. viuit, a. 580.
Regalis, a. 590.
Dominius fit Ep. a. 591. obit, a. 602.
Clemens fit Ep. a. 602. obit, a. 609.
Amans ſiue Amantius fit Ep. a. 609. obit, a. 615.
Saturninus fit Ep. a. 615. obit, a. 618.
Guenninus fit Ep. a. 618. obit, a. 622.
Ignorocus fit Ep. a. 622. obit, a. 627.
Bamaldus fit Ep. a. 627. obit, a. 631.
Suſannus fit Ep. a. 631. obit, a. 640.
Iunkehelus fit Ep. a. 641. obit, a. 648.
Vacat E. annos 4.
Budocus fit Ep. a. 652. obit, a. 657.
Hinguethenus fit Ep. a. 657. obit, a. 659.
Meriadecus fit Ep. a. 659. obit, a. 666.
Meldeocus fit Ep. a. 666. obit, a. 672.
Hamon fit Ep. a. 672. obit, a. 678.
Mabbo fit Ep. a. 678. obit, a. 680.
Mauritius fit Ep. a. 680. obit, a. 700.
Gobrianus ſeu Chomeanus fit Ep. a. 701. abdicat Epiſcopatum, a. 717.
Diles fit Ep. a. 717. obit, a. 729.
Kenomonokus fit Ep. a. 731. ſedet a. 737.

VESONTIONENSIS E. *de Beſançon.*

Vrbicus Ep. Veſontionenſis M. prouinciæ Lugdunenſis V. a. 541. An autem a. 534. cùm Franci Burgundiam ſuæ ditioni ſubiiciunt, haud conſtat.
Tetradius, a. 551. a. 567.
Silueſter, a. 573. a. 583. a. 585.
Nicetius, a. 609. a. 610.
Protadius, a. 620.
Donatus, a. 625. obit, a. 652.
Migetius fit Ep. a. 652.

Digitized by Google

Ternarius.
Geruaſius obit, a. 674.
Claudius fit Ep. a. 674. abdicat Epiſcopatum, a 681.
Felix fit Ep. a. 681. obit, a. circiter 690.
Tetradius fit Ep. a. circiter 690. obit, a. circiter 699.
Albo fit Ep. a. circiter 699. abdicat Epiſcopatum a. circiter 708.
Wandelbertus fit Ep. a. circiter 708. obit, a. circiter 711.
Euroldus fit Ep. a. circiter 711. obit, a. circiter 723.
Aurulcus fit Ep. a. circ. 723. viuit, a. 732.
Herueus.

VICOIVLIENSIS E. *d'Ayre.*

Marcellus Ep. Vicoiulienſis in Nouempopulania ſub M. Eluſano, cùm Clodoueus Franciæ tres Aquitanias adiungit, & a. 533. cùm celebratur II. Concilium Aurelianenſe.
Ruſticus, a. 685.
Filibaudes regnante Dagoberto.

VIENNENSIS E. *de Vienne.*

Iulianus Ep. Viennenſis M. prouinciæ Viennenſis I. a. 533. cùm celebratur Concilium Aurelianenſe II. obit, a. 534. quo Franci Burgundiam ſubiugant.
Domnus fit Ep. a. 534. obit, a. 536.
Pantagathus fit Ep. a. 536. viuit, a. 538.
Eſychius, a. 549. a. 551.
Namatius obit, a. 558.
Philippus fit Ep. a. 558. ſuperſtes eſt, a. 573.
Euantius, a. 583. a. 585. obit, a. 586.
Verus fit Ep. a. 586.
Deſiderius, a. 596. obit, a. 607.
Domnolus fit Ep. a. 607. ſuperſtes, a. 618.
Ætherius.
Charentius.
Syndulphus, a. 625.
Hecdicus regnante Dagoberto.
Caldeoldus fit Ep. vltimis Dagoberti R. temporibus.
Landalenus, a. 644.
Bobolinus.
Georgius obit, a. circiter 660.
Edaldus, Edoaldus, Ethoaldus, Eoaldus, Edoldus, fit Ep. a. circiter 660. viuit, a. 662.
Deodatus regnante Theodorico III.
Blidramnus ſub Regibus Clodoueo II & Childeberto III.
Agratus ſub Regibus Childeberto III. & Dagoberto III.
Eoldus, a. 715. obit, a. 719.
Bobolinus II. fit Ep. a. 719.
Auſtrebertus.
Wilicarius ſedet a. 732. De illo rurſum Tomo ſequenti.

VINCIENSIS E. *de Vance.*

Deuterius Ep. Vincienſis in Alpibus Maritimis ſub M. Ebredunenſi, a. 541. cùm celebratur IV. Concilium Aurelianenſe, obit, a. 588.
Frominius ex Epiſcopo Agathenſi fit Ep. Vincienſis, a. 588.
Aurelianus, a. 644.

VINDONISSENSIS E. *de Vindiſch.*

Gramatius Ep. Vindoniſſenſis in prouinuincia Lugdunenſi V. ſub M. Veſontionenſi, a. 534. cùm Burgundiæ Regnum à Francis deletur, ſupereſt in viuis, a. 549. cùm celebratur V. Concilium Aurelianenſe.
Maximus ſeu Maximinus Sedem Epiſcopalem Vindoniſsâ Conſtantiam ad Rhenum transfert regnante Clotario I. *Vide* Epiſcopos Conſtantienſes ad Rhenum, de quibus ſuprà.

VIRODVNENSIS E. *de Verdun.*

Poſſeſſor Ep. Virodunenſis in Belgica I. ſub M. Treuirenſi, obit, a. 486. quo Virodunum in poteſtatem Clodouei R. deuenit.
Firminus fit Ep. a. 486. obit, a. 498.
Videnus ſeu Vitonus fit Ep. a. 498. obit, a. 525.
Deſideratus fit Ep. a. 525. obit, a. 550.
Agericus fit Ep. a. 550. obit, a. 588.
Charimeres fit Ep. a. 588. obit, a. 602.
Hermenfridus fit Ep. a. 602. obit, a. 614.
Godo fit Ep. a. 614. obit, a. 631.
Paulus fit Ep. a. 631. obit, a. 647.
Giſloaldus fit Ep. a. 647. obit, a. 665.
Gerebertus fit Ep. a. 665. obit, a. 689.
Armonius fit Ep. a. 689. obit, a. 701.
Aggrebardus ſiue Agrebertus, fit Ep. a. 701. obit, a. 709.
Bertalamius, Bartalamius, Bertolamius fit Ep. a. 709. obit, a. 715.
Abbo fit Ep. a. 715 obit, a. 716.
Pepo fit Ep. a 716 obit, a. 722.
Volchiſus ſeu Melchiſus fit Ep. a. 722. ſuperſtes, a. 733.
Agronius Ep. ſedet annos 3.
* Sequitur interpontificium ad Pippini vſque Regis tempora.

VIROMANDENSIS E.
D'Augufte en Vermandois.

Promotus Epiſc. Viromandenſis in Belgica II. ſub M. Remenſi, cùm Childericus Regnum ſuum per illam prouinciam dilatat, Auguſtâ Viromanduorum aliiſque vrbibus captis.
Sophronius, a. 511.
Alomerus obit, a. 530.
Medardus fit Ep a. 530. Sedem Epiſcopalem Auguſtâ Viromanduorum transfert Nouiomum, a. 531. *Vide* Epiſcopos Nouiomenſes, de quibus ſuprà.

VIVARIENSIS E. *de Viuiers.*

Venantius Ep. Viuarienſis in prouincia Viennenſi II. ſub M. Arelatenſi, a 517. in ditione Burgundionum, cùm cele-

Digitized by Google

bratur Concilium Epaonenſe, deinde in ditione Francorum, a. 535. cùm celebratur Concilium I. Aruernenſe.
Firminus.
Eumachius.
Agripius.
Melanius II. a. 549.
Ardulfus.
Venantius II.
Longinus II.
Lucianus.
Venantius III.
Ruſticus.
Melanius III.
Firminus II.
Eucherius.
Aulus II. attigit octauum ſeculum.
Eumachius II.
Longinus III. a. 727.

VLTRAIECTINVS E. *d'Vtrech.*

Willebrordus Friſiorum Epiſcopus Sedem ſtatuit Vltraiecti ſeu Traiecti ad Rhenum in Germania II. a. 697. regnante Childeberto III. R. Francorum; ſuperſtes, a. 737.

VORMACIENSIS E. *de Vvorms.*

Amandus Ep. Vormacienſis in Germania I. ætate Merouei & Childerici RR. ſub Treuirenſi M. Belgicæ I. & vtriuſque Germaniæ.
Carolus.
Crotoldus, a. 503. fit M. vtriuſque Germaniæ, eâque dignitate gaudent ſucceſſores vſque ad interpontificium, quod poſt Amandi mortem notatur.
** Deſiderantur nomina quorumdam Epiſcoporum.
Rupertus pulſus in exilium, a. 577. obit, a. 623.
* Deſideratur nomen Epiſcopi, qui ſedit Ruperto adhuc ſuperſtite, & Saliſburgienſem Epiſcopatum apud Boioarios adminiſtrante.
Amandus Epiſcopatum init regnante iam apud Auſtraſios Dagoberto I.
* Interpontificium.

MONASTERIA.

A

AGAVNVM, Mon.

AGAVNVM Mon. in E. Octodorenſi, a. 536. nn. 197. *& ſeqq.* conditur, a. 515. ſtante adhuc Burgundionum Regno. Hodie nomen gerit Sancti Mauricij, *Saint Maurice*, in E. Sedunenſi.
Hinmemodus fit primus Abbas, a. 515.
Ambroſius obit ante a. 523.
Achiuus fit Abb. ante a. 523. eius ætate Agaunum tranſit à Burgundionibus ad Oſtrogothos.
Tranquillus, cuius ætate Agaunum, Octodorum, aliâque cis Alpes loca Francis Oſtrogothi ſponte tradunt, a. 536.
Venerandus.
Paulus.
Placidus.
Eutropius.
Paulus II.
Martinus.
Ambroſius II.
Leontius.
Iucundinus.
Florentius.
Stagirus, a. 655.
Amatus, pòſt Ep. Sedunenſis regnante Theodorico III.
Rocolenus regnante Theodorico III. De ſucceſſoribus agemus Tomo V.

S. ALBINI Mon. *S. Aubin d'Angers.*

S. Albini Mon. in E. Andegauenſi, a. 654. n. 32.
Niulfus Abb. coætaneus S. Magnobodo Ep. Andegauenſi.

S. ALBINI Mon. *S. Aubin du Mans.*

S. Albini Mon. puellare Cenomani, a. 685. n. 13. conditum ab Aigliberto Ep. Cenomanenſi.

ALCIACVM, Mon. *Auchy.*

Alciacum Mon. puellare in E. Taruannenſi, a. 700. nn. 23. 24. conditum ab Adalſquaro & Aneglia eius vxore.
Siccidis Adalſquari & Aneglia filia, prima Abbatiſſa, viuebat, a. 700.

ALNA, Mon. *Aulne.*

Alna, Mon. in E. Traiectenſi, a. 657. n. 11. conditum à S. Landelino Preſbytero Cameracenſi.

ALTVM-VILLARE, Mon. *Haut-Villiers.*

Altum-Villlare, Mon. in E. Remenſi, a. 662. n. 5. conſtructum à S. Niuardo Ep. Remenſi.
Bercharius primus Abbas, a. 662. *Vide* Deruum Mon. infrà.

ALTVS-MONS, Mon. *Haumont.*

Altus-Mons, Mon. in E. Cameracenſi, a. 649. nn. 16. 17. conditum à S. Vincentio S. Waldetrudis marito.
*
Halidulphus, a. 692. a. 695.

AMANABVRGVM, Mon. *Omenburg.*

Amanaburgum, Mon. a. 732. n. 18. conditur à S. Bonifacio Archiepiſcopo, fixam Sedem nondum obtinente.

Digitized by Google

S. Amantii Mon. S. *Amant.*

S. Amantij Mon. in E. Cadurcino, a. *606*. n. *6*. a. *623*. n. 12. a. *632*. n. 5.

Vrſicinus Abb. obiit, cùm Deſiderius Ep. erat Cadureenſis.

Daddiuus Abbas conſtitutus eſt ab eodem Deſiderio, qui Cadurcenſem Eccleſiam ab a. *629*. ad a. *649*. rexit.

Ambiliacvm, Mon.

Ambiliacum, Mon. in E. Bituricenſi, a. *631*. n. *26*.

Andainvm, Mon.

Andainum, Mon. in E. Traiectenſi, a. *704*. n. 41. conditur à S. Beregiſo ex munificentia Pippini Herſtallij & Plectrudis vxoris.

Beregiſus primus Abb. ſuperſtes, a. *725*.

Andana, Mon. *Andene.*

Andana Mon. puellare in E. Traiectenſi, a. *674*. n. 10. a. *686*. n. 16. conditum à S. Beggi avidua.

Andegavense Mon.

In Andegauenſi Diœceſi Mon. erigitur à S. Meuennio. *Vide* a. *565*. n. *9*.

S. Andochii Monaſteriolum.

S. Andochij Monaſteriolum in E. Auguſtodunenſi, a. *722*. n. *57*. vnitur poſteà Flauiniacenſi.

Wideradus Abb. deinde conditor & Abb. Flauiniacenſis. *Vide* Abbates Flauiniacenſes.

S. Andreæ Mon. inferius. *S. André le bas.*

S. Andreæ Mon. inferius puellare Viennæ, a. *558*. n. 4. à Remilia Eugenia, Anſemundi Ducis filia, in ſuperiore Monaſt. S. Andreæ nutrita conditur, Diœceſim Viennenſem adminiſtrante Philippo Ep. cuius Pontificatus initium habet, a. *558*.

S. Andreæ Mon. ſuperius. *S. André le haut.*

S. Andreæ Mon. ſuperius puellare Viennæ, a. *534*. n. *25*. conſtruitur à Leoniano ſeu Leuniano S. Petri Abb. ſub Regibus Burgundionum.

S. Aniani Mon. *S. Agnan.*

S. Aniani Mon. Aureliæ, a. *654*. nn. 22. 24. dictum anteà Mon. S. Petri, conditum à Dietpeto Ep. Aurelianenſi, medio quarto ſeculo.

Leodebodus Abb. ſub RR. Clotario II. Dagoberto I. Clodouco II. Clotario III.

Anisola, Mon. *Anille.*

Aniſola, Mon. a. *532*. n. 11. ad Aniſolam fluuium conditur à S. Carilepho ex munificentia Childeberti R. in E. Cenomanenſi, temporibus Innocentij Ep. Hodie vocatur Mon. S. Carilephi, *Saint Calais.*

Carilephus primus Abbas regnante Childeberto I.

Sigiramnus.

Siuiardus ſuperioris filius obit, a. *681*.

Antrvm, Mon. *Aindre.*

Antrum, Mon. in E. Namnetenſi, a. *676*. n. 11. fundatum à Paſquario Ep. Namnetenſi.

Ærmenlandus primus Abb. a. *676*. abdicat regimen, a. *699*.

Adalfredus fit Abb. a. *699*. obit, a. *700*.

Donatus fit Abb. a. *700*.

Dauid Abb. a. *716*.

SS. Apostolorvm Mon.

SS. Apoſtolorum Mon. prope Metas, a. *692*. nn. 2. 3. nomen accepit S. Arnulphi, *Saint Arnoul.*

Romulus Abb. a. *692*.

Leutbertus Abbas, a. *716*.

S. Apri Mon. *S. Evre.*

S. Apri Mon. in E. Tullenſi, a. *584*. n. 14.

Arelatense Mon.

Arelatenſe Mon. a. *543*. nn. 10. *& ſeqq.* Hoc Mon. intra ciuitatem Arelatenſem condit R. Childebertus, & Aurelianus Ep. Regulam Monachis illius loci præſcribit.

Florentinus fit primus Abb. a. *548*. obit, a. *553*.

Redemptus fit Abb. a. *553*.

Arlvcvs, Mon. *Arluc.*

Arlucus, Mon. puellare in E. Antipolitano, a. *676*. n. 15. conditum à Nazario Abb. Lerinenſi, regnante Clotario II.

Angariſma Abbatiſſa, a. *676*.

Arvernense Mon.

Mon apud Aruernos conditur & regitur à S. Brachione, a. *536*. n. *261*.

Athanacvm, Mon. *Aiſnay.*

Athanacum, Mon. Lugduni ad confluentes Araris & Rhodani conſtruitur florente Romanorum Imperio, reparatúrque à Brunichilde Francorum Regina. *Vide* a. *534*. n. 23. & a. *612*. n. 19.

Athanvm, Mon.

Athanum, Mon. in E. Lemouicenſi, a. *564*. n. 44. Hodie nomen gerit S. Aredij, *Saint Trier.*

Avenionense Mon.

Auenionenſe Mon. a. *690*. n. 10. conditum à S. Agricolo tunc illius vrbis Epiſcopo.

Avennacvm, Mon. *Auenay.*

Auennacum, Mon. puellare in E. Remenſi, a. *662*. n. 19. conditum à S. Gundeberto S. Niuardi Remenſis Epiſcopi fratre.

Berta S. Gundeberti quondam vxor.

Digitized by Google

AVGIA, Mon.
Augia, Mon. puellare in E. Conſtantienſi ad Rhenum, a. 622. n. 9.
Haberilla prima Abbatiſſa conſtituitur à S. Gallo, qui deceſſit è viuis, a. 625.
AVGIA, Mon. *Oye*.
Augia, Mon. in E. Trecenſi, a. 661. n. 14. conditum à S. Godone.
Godo, S. wandregiſili nepos, conditor ac primus Abbas.
AVGIA DIVES, Mon. *Reichenow*.
Augia, cognomento Diues, Mon. in E. Conſtantienſi ad Rhenum, a. 724. nn. 33. 34. conditur à S. Pyrminio ex liberalitate Sintlacis illius Inſulæ Domini.
Pyrminius primus Abb. a. 724. pellitur, a. 730.
Heddo fit Abb. a. 730. Ep. Argentoratenſis, a. 734.
Kebas fit Abb. a. 734. obit, a. 736.
Ernfridus fit Abb. a. 736. De illo iterum Tomo ſequenti.
S. AVGVSTINI Mon.
S. Auguſtini Mon. extra muros Lemouicenſes prope Vigennam fluuium, a. 667. n. 49. conditum à Ruricio Ep. Lemouicenſi, qui florebat cùm Clodoueus Magnus Aquitaniam ſubegit.
S. AVITI Mon. *S. Avy*.
S. Auiti Mon. in E. Carnotenſi, a. 525. n. 20.
Auitus conditor ac primus Abb. obit, a. 530.
AVRELIANENSE Mon.
Mon. puellare prope Aureliam, a. 692. n. 42.
AVRIONENSE Mon. *Evron*.
Aurionenſe Mon. in E. Cenomanenſi, a. 642. n. 2. conditum ab Hadoindo Ep. Cenomanenſi, qui ſedit ab a. 624. ad a. 655.
S. AVSTREGISILI Mon. *S. Outrille*.
S. Auſtregiſili Mon. in E. Bituricenſi, a. 731. n. 8.
Bertoradus ſeu Bertrandus Abb. a. 731.
AVTISSIODORENSE Mon.
Germanus Epiſc. Autiſſiodorenſis erexit Mon. Autiſſiodori, priuſquàm illa ciuitas Francis dederetur, a. 494. n. 3. *Vide* infrà Mon. Autiſſiodorenſe S. Germani, *S. Germain d'Auxerre*.
AVTISSIODORENSE Mon.
Mon. in ſuburbio ciuitatis Autiſſiodorenſis, a. 660. n. 4. conditum à S. Vigilio Ep. Autiſſiodorenſi, qui ſedit ab a. 660. ad a. 686.

B

BALMA, Mon. *la Baulme les Nonnains*.
Balma, a. 534. n. 28. Puellare hoc Mon. ad Dubim fluuium in E. Veſontionenſi conditur florente Romanorum Imperio, proximiſque ſeculis varias vices experitur.
BALMA, Mon. *la Baulme*.
Balma, a. 534. n. 24. Puellare hoc Mon. Diœceſeos Lugdunenſis in ſylua Iurenſi conditur ſtante Burgundionum Regno. Hodie vocatur Mon. S. Romani de rupe, *Saint Romain*.
BARBARENSE Mon. *l'Iſle Barbe*.
Barbarenſe ſiue Inſulæ Barbaræ Monaſt. a. 534. n. 25. conditur in Arari fluuio prope Lugdunum quarto ſeculo, pace tunc à Chriſtianis Impp. Eccleſiæ reſtitutâ.
Ambroſius Abb. a. 534. cùm Regnum Burgundiæ deletur à Francis, quo tempore ſedet Ep. Lugdunenſis Lupus anteà eiuſdem Mon. Abb.
Bligigarius ſub Epiſcopis Lugdunenſibus, Leontio, Sacerdote & Nicetio.
Vnfredus ſeu Vinfredus ſub Epp. Lugdunenſibus, Nicetio & Priſco.
Rotfredus ſub Epp. Lugdunenſibus, Priſco, Ætherio, Secundino & Aridio.
Garlandus ſub Epp. Lugdunenſibus, Aridio, Theodorico & Gauderico.
Licinius ſub Epp. Lugdunenſibus, Gauderico, Viuentio, Annemundo & Geneſio.
BARALA, Mon. *Barale*.
Baralenſe Mon. in E. Atrebatenſi, a. 691. n. 41. conditum à Clodoueo Magno & conſecratum à S. Vedaſto.
BARISIACVS, Mon. *Baryſy*.
Bariſiacus, Mon. in Ep. Laudunenſi, a. 661. n. 4. conditum à S. Amando ex munificentia Childerici II R.
Andreas primus Abb. a. 661. fit Abb. Elnonenſis, a. 678.
S. BASOLI Mon. *S. Baſle*.
S. Baſoli Mon. anteà Viriziacum à loco dictum in E. Remenſi, a. 625. n. 129. a. 662. n. 9.
Perro Abb. coætaneus Niuardo Ep. Remenſi.
BATHENSE Mon. *Baaz*.
Mon. in Batha Inſula Diœceſeos Leonenſis, a. 554. n. 2.
Paulus Abb. anteà Ep. Leonenſis ſub Childeberto I. R.
BELLVS-LOCVS, Mon. *Beaulieu en Argonne*.
Bellus-Locus, Mon. in E. Virodunenſi, a. 642. n. 65. conditur à S. Rodingo.
Rodingus conditor ac primus Abb. abdicat regimen, a. 686.
Stephanus fit Abb. a. 686.
BELYSIA, Mon.
Belyſia, Mon. puellare in E. Traiectenſi, a. 669. n. 6. conditur à S. Landrada.
Landrada fundatrix ac prima Abbatiſſa obit, a. circiter 690.

Digitized by Google

S. Benigni Mon. *S. Benigne.*

S. Benigni Mon. a. 534. n. 29. Conditur Diuione in E. Lingonenſi, regnante apud Burgundiones Gundobado.

Euſtadius primus Abb. obit, a. circiter 534. quo Burgundia venit in poteſtatem Francorum.

Tranquillus.

Apollinaris regnante Guntchramno.

Gudinus coætaneus Mietio Ep. Lingonenſi.

Bobolenus coætaneus Modoaldo Epiſc. Lingonenſi.

Richimarus coætaneus Bertoaldo Epiſc. Lingonenſi.

Etherius.

Vidradus.

Hugo.

Odeleus.

Mauricius.

Wlfechrannus, a. 663.

Agilbertus, a. 671.

Wlfechrannus II. a. 686. a. 697.

Bobolenus, a. 714.

Goinus, a. 731. a. 734. De illo iterum Tomo ſequenti.

Besvense Mon. *Béſe.*

Beſuenſe Mon. in E. Lingonenſi, a. 616. nn. 5. 6.

Waldalenus primus Abb. adhuc ſuperſtes, a. 677.

Bercangus.

Ferreolus.

Syrannus.

Bitvricense Mon.

Mon. puellarum in ciuitate Bituricenſi, a. 641. n. 5. conditum à S. Sulpitio Pio Ep. Bituricenſi.

Blandinivm, Mon. *Blandinberch.*

Blandinium, vnum è Monaſteriis Gandenſibus, in E. Tornacenſi, a. 631. nn. 3. 4. conditur à S. Amando, habet à prima inſtitutione Clericos, quos idem Amandus erudit, deinde Monachos.

Florbertus fit primus Abb. a. 636. obit, a. 657.

Ioannes fit Abb. a. 657. obit, a. 677.

Baudemundus fit Abb. a. 677. obit, a. circiter 692.

Ferrecus fit Abb. a. circiter 692. obit, a. circiter 707.

Cæleſtinus fit Abb. a. circiter 707. exauctoratur, a. 719.

Blangiacvm Mon. *Blangy.*

Blangiacum Mon in E. Taruannenſi, a. 685. n. 38. conditum à S. Bertha.

Bertha fundatrix & prima Abbatiſſa, a. 685. abdicat curam Monaſterij, a. 695.

Deotila, ſuperioris filia, fit Abbatiſſa, a. 695. obit, a. 714.

Bodonis-Monasterivm, *Bodon-Monſtier.*

Bodonis-Monaſterium puellare in Epiſc. Tullenſi, a. 665. n. 17. conditum à S. Bodone Ep. Tullenſi.

Thetberga, Bodonis ante ſacerdotium vxorati filia, fit prima Abbatiſſa, a. 665.

Braggecte, Mon.

Braggecte, Mon. in E. Aruernenſi, a. 660. n. 10. a. 689. n. 8. conditum à S. Tillone.

Brige, Mon.

Brige, Mon. puellare in E. Meldenſi, a. 614. n. 4. Vide *Eboriacus* & *Fara-Monaſterium.*

Broilvs, Mon. *Bruel.*

Broilus, Mon. in E. Taruannenſi, a. 686. n. 51. conditum à S. Mauronto.

Maurontus conditor ac primus Abb. curam Mon. dimittit, a. 686.

Amatus, anteà Ep. Senonenſis, fit Abb. a. 686. obit, a. 690.

Maurontus iterum Abb. a. 690. obit, a. 702.

Hubertus fit Abb. a. 702.

Brvgense Mon.

Brugenſe Mon. in E. Tornacenſi, a. 689. n. 10. conditum à S. Trudone prope Brugas.

Bvsogilvm, Mon.

Buſogilum, Mon. puellare in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 73. Caladunenſi ſubiicitur à S. Berario Ep. Cenomanenſi, qui ſedet ab a. 655. ad a. 681.

Bvxidvm, Mon. *la Boiſſeliére.*

Buxidum, Mon. in E. Cenomanenſi, a. 625. n. 131. conditum à S. Lenogeſilo.

Lenogeſilus conditor ac primus Abb. obit, a. 653.

C

Cadvrcense Mon.

In E. Cadurcenſi Monaſt. puellarum, a. 681. n. 2.

Ermenana Abbatiſſa, a. 681.

S. Cæsarii Mon. *S. Ceſaire.*

S. Cæſarij Mon. puellare Arelatenſe, a. 536. n. 45. conditum à S. Cæſario Ep. Arelatenſi.

Cæſaria ſoror S. Cæſarij, prima conſtituitur Abbatiſſa à fratre, a. 512. obit ante fratrem.

Cæſaria II. cui vita S. Cæſarij dicatur poſt a. 542. ſuperſtite in viuis Childeberto R.

Liliola obit, a. 574.

Ruſticula fit Abbatiſſa, a. 574. obit, a. 632.

Celſa fit Abbatiſſa, a. 632.

Calabrvm, Mon.

Calabrum, Mon. in E. Cadurcenſi, a. 695. n. 25. a. 715. n. 45.

Digitized by Google

* Abbas ſub cuius regimine Sacerdos Deo militauit annos 7.
Sacerdos Abb. regnante Childeberto III. deinde Ep. Lemouicenſis.

CALADVNVM, Mon. *Caledon.*

Càladunum, Mon. puellare in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 73. ope Grodegarij Ducis conditum à S. Berario Ep. Cenomanenſi, qui obiit a. 681.
Caligberta prima Abbatiſſa.
Chrodieldis, Grodegarij Ducis filia, ſucceſſit Caligbertæ.

CALMINIVM ſeu CALMELIACVM, Monaſt.

Calminium ſeu Calmeliacum, Mon. in E. Anicienſi, a. 681. n. 67. conditum à S. Calminio ſeu Calmelio, *S. Carmery*. Hodie nomen gerit S. Theofredi, *S. Chaffre*.
Eudo primus Abb. a. 681.
Theofredus à quo nomen hodie Monaſterio, *S. Chaffre*, Martyr, a. 732.

CAMELARIA, Mon. *Chameliére.*

Camelaria, Mon. puellare in E. Aruernenſi, a. 665. n. 7. conditum à S. Præiecto Ep. Aruernenſi, qui obiit a. 674.
Gundilana prima Abbatiſſa.

CAMPIDONA, Mon. *Kempten.*

Campidona, Mon. in E. Auguſtano Vindelicorum, a. 628. n. 24.
Theodorus conditor ac primus Abb. rediit ad Mon. S. Galli, a. 661. ibique obiit.
Berthgozus fit Abb. a. 661.

CANTOENNVM, Mon. *Chantoin.*

Cantoennum, Mon. puellare in E. Aruernenſi, a. 656. n. 36. conditum à S. Geneſio Ep. Aruernenſi.

CARANTONIVM, Mon. *Charenton.*

Carantonium, Mon. in E. Bituricenſi, a. 631. n. 24.

S. CARAVNI Mon. *S. Cheron.*

S. Carauni Mon. in E. Carnotenſi, a. 685. n. 26. conditum regnante Clotario III.
Aper primus Abb. obit, a 668.
Dionyſius fit Abbas a. 668. obit, a. 676.
Balduinus fit Abb. a. 676. obit, a. 687.
Simon fit Abb. a. 687. obit, a. 701.
Dionyſius fit Abb. a. 701. obit, a. 717.
Simon II. fit Abb. a. 717. obit, a. 730.
Herueus fit Abb. a. 730. ſuperſtes, a. 737.

CASÆCONGVDVNVM, Mon. *Cougnon.*

Caſæcongudunum, Mon. in E. Traiectenſi, a. 645. n. 9. conſtructum à S. Sigiberto III. R.
Remaclus ex Abbate Solemniacenſi fit primus Abbas Caſæcongudunenſis, a. 645.

S. CASSIANI Mon. *S. Caſſien.*

S. Caſſiani Mon. puellare in E. Maſſilienſi, a. 536. n. 43.
Reſpecta Abbatiſſa. Lege Gregorium Magnum, lib 7. ep. 12.

CASTRA, Mon. *Caſtres.*

Caſtra, Mon. in E. Albigenſi, a. 647. n. 14.
Robertus primus Abb. a. 647.
Fauſtinus, a. 673. a. 674. obit ſub poteſtate Wiſigothorum.
Bertrandus Abb. ſub wiſigothis, deinde ſub Saracenis, poſtremò ſub Francis, ſuperſtes, a. 725.
Alfonſus, a. 734. ſuperſtes, a. 737.

CASTRILOCVS, Mon. *Chaſteau-lieu.*

Caſtrilocus, Mon. puellare in E. Cameracenſi, a. 656. n. 3. conditur à S. Waldetrude. Locus ille lapſu temporis excreuit in vrbem ampliſſimam, à ſitu nomen Montium ſortitam, *Mons.*
Waldetrudis fundatrix & prima Abbatiſſa, a. 656. obit, a. 688.

CAVSIACVM, Mon. *Choiſy.*

Cauſiacum, Mon. in E. Sueſſionenſi, a. 652. n. 56.
Bettolenus Abb. poſt annum 654.

CELLA, Mon.

Cella, Mon. in E. Cameracenſi, a. 651. n. 1. conditur à S. Giſleno, cuius nomen hodie gerit, *S. Guilhain.*
Giſlenus conditor ac primus Abb. a. 651. obit, a. 687.

CELLA MONACHORVM, Mon.

Cella Monachorum, Mon. in E. Argentoratenſi, a. 687. n. 10. conditum à Viegerno Ep. Argentoratenſi, hodie ab oppido *Ettenheim* vocatur *Ettenheim-Munſter.*

CELLA, Mon. *Lewartzell.*

Cella ſeu Cella Leobardina vel Cella Leobardi, Mon. in E. Argentoratenſi, a. 586. n 41. conditur à S. Leobardo, vnde illi nomen *Lewartzell.*
Leobardus conditor ac primus Abb. a. 586. obit, a. 618.
Anaſtaſius fit Abb. a. 618. obit, a. 658.
Godefridus fit Abb. a. 658.
Leobardus II.
Maurus, a. 725.

CELLA, Mon. *Monſtier la Celle.*

Cella, Mon. in E. Trecenſi, a. 650. n. 14. conditur à S. Frodoberto.
Frodobertus conditor ac primus Abb. obit, a. 669.
waldinus fit Abb. a. 669.

CELLVLA S. EVSITII, Mon. *Selles.*

Cellula S. Euſitij, Mon. ad Carum fluuium in E. Bituricenſi, a. 531. n. 5.
Euſitius primus Abb.
Leonardus.

CINO-

Digitized by Google

CENOMANENSE Mon.

Cenomanenſe Mon. Virginum, a. 541. n. *66*. Hoc Mon. inter Sartham & ciuitatem Cenomanicam erexit Treneſtina, cùm Cenomania Childeberto I. R. parebat, & Diœceſim Cenomanenſem adminiſtrabat Innocentius Ep. qui migrauit ad Deum, a. 543.

Adrechildis Abbatiſſa, a. *686*.

CENTVLA, Mon.

Centula, Mon. in E. Ambianenſi, a. *650*. n. *6*. conditur à S. Richario, cuius nomen hodie gerit. *Saint Riquier.*

Richarius primus Abbas ſecedit in eremum, a. *660*.

Ocioaldus, a. *660*. a. *674*.

Clotinus, a. *684*.

Ildeuertus.

Guitmarus, a. 720.

Aldricus, de quo iterum Tomo ſequenti.

CERASIVM, Mon. *Ceriſy.*

Ceraſium, Monaſt. in Epiſc. Baiocenſi, a. 530. n. 19. conditum à Sancto Vigore.

Vigor conditor ac primus Abb. poſteà fit Ep. Baiocenſis regnante Childeberto. I.

S. CERENICI Mon. *S. Cerenic.*

S. Cerenici Mon. in E. Sagienſi, a. 557. n. 39.

Cerenicus, annuente Milehardo Ep. Sagienſi, Cœnobium conſtruit poſt a. 549. ibique primus Abbas obit poſt a. 565.

CHRISMATVM, Mon.

Chriſmatum, Mon. in E. Baiocenſi, a. 530. n 15. Hoc Mon. conſtructum eſt à S. Vigore Ep. Baiocenſi, hodie Prioratus eſt, & in memoriam ſui conditoris appellatur Prioratus S. Vigoris. *Saint Vigor.*

CINCILLACENSE Mon. *Tintillant.*

Cincillacenſe Mon. in E. Venetenſi, a. 504. n. 2.

Albinus fit Abb. Cincillacenſis, a. 504. deinde Ep. Andegauenſis, a. 529.

CLINGENSE Mon. *Clingen-Munſter.*

ClingenſeMon. in E. Nemetenſi, a. 642. n. 82. conditum à Dagoberto I. R.

COACENSE Mon.

Coacenſe Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 582. n 19.

COLOBERONENSE Mon.

Coloberonenſe Mon. in E. Bituricenſi, a. 525. n. 18.

S. COLVMBÆ Mon. *Sainte Colombe.*

S. Columbæ Mon. prope Viennam, a. 534. n. *26*.

COLVMBARIENSE Mon.

Columbarienſe Mon. in E. Bituricenſi, a. 576. n. 12. Hoc Mon. erectum fuit à S. Patroclo Preſbytero, qui migrauit ad Deum a. *576*.

CONDATESCENSE Mon.

Condateſcenſe Mon. in E. Lugdunenſi, a. 534. n. 24.

Romanus erigit hoc Mon. eiúſque primus eſt Abb. ante a. 444.

Lupicinus.

Eugendus, de cuius nomine idem Mon. diu dictum eſt Mon. Sancti Eugendi, *Saint Oyan*, vt poſteà de S. Claudij nomine vocatum eſt ad hodiernam vſque diem. Monaſt. Sancti Claudij, *Saint Claude*.

Minauſius.

Antidiolus, a. 534. cùm Burgundiæ Regnum à Francis extinguitur, obit, a. 542.

Olympius fit Abb. a. 542. obit, a. 575.

Sapientius fit Abb. a. 575. obit, a. 592.

Talaſius fit Abb. a. 592. obit, a. 593.

Dagomodus fit Abb. a. 593. obit, a. *628*.

Audericus fit Abb. a. *628*. obit, a. *631*.

Iniurioſus fit Abb. a. *631*. obit, a. *686*.

Claudius, anteà Ep. Biſontinus, fit Abb. a. *686*. obit, a. *698*.

Ruſticus fit Abb a. *698*. obit, a. 733.

Autfredus fit Abb. a. 733. ſuperſtes, a. 737.

CORBEIA, Mon. *Corbie.*

Corbeia, Mon. in E. Ambianenſi, a. *657*. n. 13. conditur à S. Bathilde Regina.

Theodofredus ex Monacho Luxouienſi primus Abbas Corbeienſis, a. circiter *657*. fit Ep. Ambianenſis, a. *689*.

Chrodegarius fit Abb. a. *689*. obit, a. *691*.

Erembertus fit Abb. *691*.

Sebaſtianus Abb. a. *716*.

Grimo, de quo rurſum Tomo ſequenti.

CRISPINIVM, Mon. *Creſpin.*

Criſpinium, Mon. in E. Cameracenſi, a. *691*. n. *9*. conditum à S. Landelino.

Landelinus conditor ac primus Abb. a. *691*.

CRONOMENSE Mon. *Cournon.*

Cronomenſe Mon. in E. Aruernenſi, a. 508. n. *26*. a. 509. n. 11. Hoc Mon. florebat in Aruernia, cùm Clodoueus ex Aquitania Wiſigothos expulit.

S. CRVCIS Mon.

S. Crucis Mon. in E. Burdigalenſi, a. *654*. n. 30. conditum à Clodoueo II. R. dirutum à Saracenis, a. 732.

S. CRVCIS Mon.

S. Crucis Mon. in E. Meldenſi, a. *642*. n. *63*. conditum à S. Farone Ep. Meldenſi, cuius nomen hodie gerit. *Saint Faron.*

Helias fit primus Abb. a. *642*. obit, a. *660*.

Fredegeſilus fit Abb. a. *660*. obit, a. *682*.

Odo fit Abb. a. *682*. obit, a. 720.

Ingelmundus fit Abb. a. 720. ſuperſtes, a. 737.

CRVX S. AVDOENI, Mon.

Crux S. Audoeni, Mon. in Ebroicenſi Diœceſi, a. *690*. n. 12. conditum à S.

Digitized by Google

Leufredo, cuius nomen hodie gerit. *La Croix S. Leufroy.*
Leufredus conditor ac primus Abb. a. 690. ſuperſtes, a. 737.

CVLTVRA DEI, Mon. *La Coûture.*
Cultura Dei, Mon. in E. Cenomanenſi, a. 589. n. 16. Hoc Mon. erectum eſt à S. Bertchramno Ep. Cenomanenſi, qui ſedit ab a. 586. ad a. 623.

CVRBIO, Mon. *Corbion.*
Curbionenſe Mon. in E. Carnotenſi, in pago Drocenſi, a. 563. n. 6. a. 593. n. 3. conditum à S. Launomaro.
Launomarus condit hoc Mon. a. 563. fit primus Abb. obit, a. 593.
Ragnobertus fit Abb. a. 593.
Laygobertus ſeu Legebertus Abb. regnante Clotario III.

S. CYRICI Mon. *Saint Cirgues.*
S. Cyrici Mon. in E. Aruernenſi, a. 615. n. 30. Hoc Mon. conditum eſt priuſquàm Aruerni Francis parerent.
Abraham conditor ac primus Abb. tempore S. Sidonij Apollinaris.

D

DAOVGALENSE Mon. *Daoulas.*
Daougalenſe Mon. in E. Corentinopolitano, a. 538. n. 74.
Iehonius, ſeu Iaouas, primus Abb. conſtituitur ex Monacho Teuenecenſi, abdicat ſe regimine Monaſterij, a. 550.
Tuſucanus fit Abb. a. 550.

DECIMIACENSE Mon.
Decimiacenſe Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 582. nn. 19. 21.

DERVVM, Mon. *Monſtier-en Der.*
Deruenſe Mon. in E. Catalaunenſi, a. 671. n. 10. conditum à S Berchario ex munificentia Childerici II. R.
Bercharius, relicto Alto-Villari, primus Abb. a. 671. obit, a. 685.
Synaulius fit Abb. a. 685. viuit, a. 694. De ſucceſſoribus, quorum Index à Ioanne *Mabillon* nuperrimè publicatus eſt, agemus Tomo ſequenti.

S. DIONYSII Mon. in Francia
S. Denis en France.
S. Dionyſij Mon. in E. Pariſienſi, in vico Catholacenſi, a. 627. n. 20. nouum conditur à Dagoberto I. R. a. 630. nn. 8. *& ſeqq.*
Dodo Abb. a. 627. a. 630. ſuperſtes, a. 635.
Chunaldus obit regnante Clodoueo II.
Aygulfus, a. 651.
Leobaſarius, a. 669.
Godobaldus, a. 679.
Cayno ſub Theodorico III. & Clodoueo III. RR.
Cardericus ſub Childeberto III. R.
Cailedulphus ſeu Chagledulphus ſub Dagoberto III. R.
Chilardus ſeu Chillerdus obit, a. 716.
Turnoaldus ſeu Turnaldus fit Ab. a. 716. obit Theodorico IV. R.
Delphinus fit Abb. regnante Theodorico IV.

S. DIONYSII Mon. Renticenſe.
S. Denys de Ranty.
S. Dionyſij Mon. apud Renticam. in E. Taruannenſi, a. 685. n. 37. conditum à wamberto Renticæ Domino.
Bertulphus primus Abb. a. 685. obit, a. circiter 708.

S. DISIBODI Mon. *Diſenberg.*
S. Diſibodi Mon. in E. Moguntino, a. 674. n. 28. conditum à S. Diſibodo, qui florebat a. 674.

DOLENSE Mon. *Dol.*
Dolenſe Mon. a. 529. n. 8. conditum à S. Samſone.
Samſon fit primus Abbas Dolenſis regnante Childeberto I. deinde ante a. 541. fit Ep. eiuſdem loci, Monachis Kerſeunteum ablegatis.

DONVM PETRI, Mon.
Donum Petri, Mon. in E. Cameracenſi, a. 674. n. 13. conditum à S. Ettone.
Etto conditor ac primus Abb. fuit è diſcipulis S. Furſei.

DORNATIACVM Mon.
Dornatiacum Mon. puellare in E. Veſontionenſi, a. 616. n. 6. Hoc Mon. Dornatiacum à loco dictum eſt. Vocatur etiam Mon. S. Mariæ *de Battant.*
Adalſinda, filia Amalgarij Ducis, qui Monaſterium condidit, prima fit Abbatiſſa Clotario II. Monarchiam totius Franciæ iam adepto, deinde idem Monaſterium Abbati Beſuenſi tradit, a. 656.

DVRINENSIA Monaſteria,
de Durin.
Durinenſia Monaſteria, vnum virorum, alterum puellarum in E. Namnetenſi, a. 565. n. 12. conduntur à S. Martino Abbate Vertanenſi.

E

EBERSHEIMENSE Mon.
Ebersheimb-Munſter.
Ebersheimenſe Mon. in E. Argentoratenſi, a. 690. n. 63. conditum ab Athico Duce Alemanniæ, patre S. Odiliæ.

EBORIACVS, Mon.
Eboriacus, corruptè *Euoriacas*, aliis Brige, Mon. puellarum in E. Meldenſi, a. 614. n. 4. Hodie nomen gerit beatæ Faræ primæ Abbatiſſæ, vocatúrque *Faremouſtier.*
Fara prima Abbatiſſa.
Sedrido.
Edelburga.

Digitized by Google

EBREDVNENSE Mon. *d'Ambrun.*

Ebredunenſe Mon. a. 548. n. 96.

Beroaldus Abb. Mon. muris Ebredunenſibus adiacentis, cùm Ætherius Ep. erat Auenticenſis, hic autem Auentici ſedere cœpit, a. circiter 548.

EEKA, Mon. *Eeke.*

Eeka, Mon. in E. Taruannenſi, a. 688. n. 41. conditum à S. Wlmaro.

wlmarus conditor ac primus Abb. a. circiter 665. obit, a. 697.

ELNONENSE Mon.

Elnonenſe Mon. a. 639. nn. 8. 9. in E. Tornacenſi ad confluentes Elnonis in Scarpum, ab Elnone nomen accepit, conſtructum eſt à S. Amando, cuius nomen hodie gerit, *S. Amand.*

Amandus conditor ac primus Abb. a. 639. fit Ep. Traiectenſis, a. 649.

Vrſus fit Abb. a. 649. obit, a. 652.

Ionatus fit Abb. a. 652. curam dimittit, a. 653.

Amandus iterum Abb. a. 653. regimen abdicat, a. 678.

Andreas fit Abb. a. 678. obit, a. 688.

S. EMMERAMMI Mon.

S. Emmerammi Mon. Ratiſbonæ ad Danubium, a. 697. n. 14. conditum à Theodone IV. Duce Boioariæ.

Apollonius fit primus Abb. a. 697. obit, a. 710.

Sandradus fit Abb. a. 710. obit, a. 735.

Alaboldus fit Abb. a. 735. De illo iterum Tomo ſequenti.

ENIXIONENSE Mon. *Anſion.*

Enixionenſe ſiue Henſionenſe Mon. in E. Pictauienſi, a. 508. n. 21. Hodie vocatur Mon. S. Iouini de Marnis. *S. Iouin de Marne.*

Lemiegiſilus ſeu Lunegiſilus Abb. ſub Wiſigothis.

Generoſus Abb. ſub wiſigothis, deinde ſub Francis.

EPTERNACVM, Mon. *Eternac.*

Epternacum, Mon. in E. Treuirenſi, a. 698. nn. 3. 6. conditum à S. Irmina Abbatiſſa Horreenſi, Dagoberti II R. filia.

willebrordus primus Abb. ſuperſtes, a. 737.

S. EVSEBII Mon. *Saint Euſebe.*

S. Euſebij Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 625. n. 62. conditum à S. Palladio, qui Pontificatum Autiſſiodorenſem ſuſcepit, a. 624.

F.

FARÆ Mon. *Faremouſtier.*

Faræ Mon. in E. Meldenſi, a. 614. n. 4. *Vide* Eboriacus.

FAVCENSE Mon. *Fuſſen.*

Faucenſe Mon. in E. Auguſtano Vindelicorum, a. 629. n. 10.

Magnoaldus ſeu Magnus primus Abb. inchoauit hoc Mon. a. 629. ſuperſtes vixit ad a. vſque 655.

FERRARIÆ, Mon. *Ferriéres.*

Ferrariæ Mon. in E. Senonenſi, a. 713. n. 40. conditum regnante Dagoberto I.

Maurilius ſeu Morilicus primus Abb. ſub RR. Dagoberto I. & Clodoueo II.

Buchinus Abb. ſub Clotario III. R.

wido.

Gerontius ſeu Geronicus peruenit ad tempora Dagoberti III. R.

Waldebertus Abb. viuebat, a. 720.

Singulfus.

Adalbertus.

S. FERREOLI Monaſteriolum.

S. Ferreoli Monaſteriolum in E. Auguſtodunenſi, a. 722. n. 57. vnitur Monaſterio Flauiniacenſi.

Wideradus Abb. illius loci, poſteà conditor & Abb. Flauiniacenſis. *Vide* Abbates Flauiniacenſes.

FERRIOLACENSE Mon.

Ferriolacenſe Mon. in E. Vcetienſi, a. 558. n. 7. Hoc Mon. ita dictum à S. Ferreolo ſeu Ferriolo conditore, Ep. Vcecienſi, qui Regulam Monachis ibi degentibus præſcripſit, geſſitque Pontificatum ab a. 553. vſque ad a. 581.

FISCANNVM, Mon. *Feſcan.*

Fiſcannum, Mon. puellare in E. Rotomagenſi, a. 661. n. 13. conditum à Sancto Waningo.

Childemarcha prima Abbatiſſa, a. 661. ſuperſtes S. Leodegario, qui Martyrium paſſus eſt a. 678.

FISCIACVM, Mon. *Feſcau.*

Fiſciacum, Mon. in E. Cameracenſi, a. 674. n. 13. conditum poſt mortem S. Ettonis qui fuit è diſcipulis S. Furſei.

FLAVIACVM, Mon. *Flaix.*

Flauiacum, Mon. in E. Bellouacenſi, a. 655. n. 2. conditum à S. Geremaro, vnde illi hodie nomen. *S. Germer de Flaix.*

Geremarus conditor ac primus Abb. a. 655. obit, a. 658.

*

Gennardus obit, a. circiter 720.

Benignus Abb. Fontanellenſis, fit etiam Abb. Flauiacenſis, a. circiter 720. obit, a. 725.

FLAVINIACVM, Mon. *Flauigny.*

Flauiniacum, Mon. in E. Auguſtodunenſi, a. 622. n. 55. conditum à widerado.

Magnoaldus fit primus Abb.

Wideradus conditor, de quo iterum Tomo V.

FLORIACVM, Mon. *Fleury.*

Floriacum, Mon. in E. Aurelianenſi, a. 656. n. 32. conditum à Leodebodo Abbate S. Aniani ad muros Aurelianenſes.

Digitized by Google

Rigomarus fit primus Abb. a. *656.* obit, a. *661.*
Mummolus fit Abb. a. *661.* obit, a. 702.
FLORIACVM, Mon.
Floriacum, Mon. in pago Veliocaſſino Diœceſeos Rotomagenſis, a. *706.* n. 2. conditum à Pippino Maiore-domûs, & vnitum Fontanellenſi.
Bainus, Abb. iam Fontanellenſis, fit primus Abb. Floriacenſis, a. *706.* Succeſſores iidem qui Fontanellenſes.
FONS ROGI, Mon. *Font-Rouge.*
Fons Rogi, Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 543. n. 2.
Romanus Abb. a. 543.
FONTANELLA, Mon. *Fontenelle.*
Fontanella, Mon. in E. Rotomagenſi, a. *648.* n. 28. conditum à S. Wandregiſilo ex munificentia Erchinoaldi Maioris-domûs ſub Clodoueo II. R. Vocatur hodie *Saint Vandrille.*
Wandregiſilus conditor ac primus Abb. a. *648.* obit, a. *667.*
Lantbertus fit Abb. a. *667.* Ep. Lugdunenſis, a. *678.*
Anſbertus fit Abb. a. *678.* Ep. Rotomagenſis, a. *683.*
Hilbertus fit Abb. a. *683.* obit, a. 700.
Bainus fit Abb. a. 700. obit, a. 708.
Benignus fit Abb. a. 708. pellitur, a. *716.*
Wando fit Abb. pulſo Benigno, a. *716.* pellitur, a. 719.
Benignus iterum Abb. pulſo Wandone, a. 719. obit, a. 723.
Hugo fit Abb. a. 723. obit, a. 730.
Lando fit Abb. a. 731. obit, a. 734.
Teutſindus fit Abb. a. 734. ſuperſtes, a. 737.
FONTANETENSE Mon. *Fontenay.*
Fontanetenſe Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 582. nn. 19. 21.
FONTANETVM, Mon. *Fontenay.*
Fontanetum, Mon in E. Sagienſi, a. *688.* n. 28. conditum à Sancto Euremundo.
Euremundus conditor ac primus Abb. ſedente apud Saium Aunoberto Epiſcopo, obit, a. circiter 720.
Cedulphus fit Abb. a. circiter 720.
FOSSÆ, Mon. *Foſſe.*
Foſſæ, Mon. in E. Traiectenſi, a. 650. n. *6.* a. *656.* n. 1. a. *659.* n 5. conditum à S. Vltano ex munificentia S. Gertrudis Abbatiſſæ Niuigellenſis.
Vltanus conditor ac primus Abb. frater S. Furſei, obit, a. *686.*
FOSSATVM, Mon. *Foſſez.*
Foſſatenſe Mon. in E. Pariſienſi, a. *638.* n. 100. conditum à Blidegiſilo Archidiacono Pariſienſi
Babolenus fit primus Abb. a. *640.* obit, a. *660.*
Ambroſius fit Abb. a. *660.*
Auſtroaldus.
Valderannus.
Madobodus.
Odo.
Gunterannus.
Gogo.
Arueranus.
FRITESLARIA, Mon. *Fridſlar.*
Friteſlaria, Mon. a. 732. n. 18. in Haſſia conditum à S. Bonifacio Archiepiſcopo, fixam Sedem nondum obtinente.

G

GABALITANVM, Mon.
Gabalitanum, Mon. puellarum in E. Gabalitano, a. *628.* n. 11. Enymia ſoror Dagoberti I. R. prima fit Abbatiſſa.
S. GALLI Mon. *Saint Gal.*
S. Galli Mon. in E. Conſtantienſi ad Rhenum, a. *615.* n. 1.
Gallus conditor ac primus Abb. obit, a. *625.*
Othmarus fit Abb. a. *628.* obit, a. *668.*
GANDA, Mon. *Gand.*
Ganda, ſeu Gandenſe Mon. in E. Tornacenſi, a. *631.* nn. 3. 4. conditur à S. Amando, habet à prima inſtitutione Clericos quos idem erudit Amandus, deinde Monachos.
Florbertus fit primus Abb. a. *636.* obit, a. *657.*
Aldebertus fit Abb. a. *657.* obit, a. *679.*
Fulco fit Abb. a. *679.* obit, a. *693.*
Wilfridus fit Abb. a. *693.* obit, a. 709.
Reynerus fit Abb. a. 709. obit, a. 723.
Albericus fit Abb. a. 723. obit, a. 730.
Wilradus fit Abb. a. 730. ſuperſtes, a. 737.
GAVDIACVM, Mon.
Gaudiacum, Mon. in E. Bituricenſi, a. *631.* n. 24.
GEMMETICVM, Mon. *Iumiége.*
Gemmeticum, Mon. in E. Rotomagenſi, a. *662.* nn. 16. 17. conditum à S. Philiberto ex munificentia Clotarij III. R.
Philibertus primus Abb. a. *662.* exulat, a. *674.*
Chrodobertus fit Abb. a. *674.*
Ragertrannus.
Philibertus redit Gemmeticum, a. *682.* inde diſcedit, a. *684.*
Aichardus fit Abb. a. *685.* obit, a. circiter 720.
Coſchinus fit Abb. a. circiter 720. obit, a. circiter 723.
Dructegandus ſeu Ductegangus vel Druciegangus fit Abb. a. circiter *623.* obit, a. circiter *726.*
Hildegarius fit Abb. a. circiter *726.* obit, a. circiter 728.
Hugofit Abb. a. circiter 728. obit, a. 730.

Digitized by Google

GENOLIACVM, Mon.
Genoliacum, Mon. in E. Petrocoricenſi, a. 542. n. 2.
Sauolus Abb. regnante Clotario I.
GERBERENSE Mon. *Gerber.*
Gerberenſe Mon. in E. Leonenſi, a. 545. n. 8.
Tanguidus ſeu Gurguidus, regnante Childeberto I. primus Abb. conſtituitur à S. Paulo Ep. Leonenſi, ipſius Mon. conditore, obit, a. 590.
S. GERMANI Mon. Autiſſiodorenſe. *S. Germain d'Auxerre.*
S. Germani Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 586. n. 38.
Allodius Abbas ſuperſtite adhuc in viuis S. Germano.
Winebaudus, a. 586.
Palladius, qui factus eſt Ep. Autiſſiodorenſis, a. 624.
Tetricus Abb. a. 686. fit Ep. Autiſſiodorenſis, a. 694.
Quintilianus Abb. a. 694. Ep. Autiſſiodorenſis, a. 721.
S. GERMANI Mon. Cenomanenſe. *S. Germain du Mans.*
S. Germani Mon. Cenomanenſe, a. 589. n. 16.
S. GERMANI Mon. Pratenſe. *S. Germain des Prez.*
S. Germani Mon. in ſuburbio Pariſienſi, a. 542. n. 32. conditum eſt à Childeberto I. R. poſt a. 542. dictum primò Mon. S. Vincentij, deinde S. Germani. *Vide* infrà Mon. S. Vincentij.
Gauſcio, cuius anteceſſores dicti ſunt Abbates S. Vincentij, vocatur Abbas S. Germani, fit Abb. a. 622. obit, a. 636.
Germanus fit Abb. a. 636. obit vltimis temporibus Clodouei II.
Sigo ſeu Sigofridus fit Abb. regnante Clodoueo II. obit, a. 684.
Babo fit Abb. a. 684. obit, a. 687.
Childerannus fit Abb. a. 687. obit, a. 691.
Hunfridus fit Abb. a. 691. obit, a. 694.
Gundremarus ſeu Gaudremarus fit Abb. a. 694. obit, a. 708.
Thedelmatus fit Abb. a. 708. obit, a. 726.
Lanfredus fit Abb. a. 726. ſuperſtes, a. 737.
SS. GERVASII & PROTASII Monaſt.
SS. Geruaſij & Protaſij Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.
GLANDERIA, Mon.
Glanderia, Mon. in E. Metenſi, a. 587. n. 22. conditorem agnoſcit S. Arnoaldum circa a. 587. Nomen hodie gerit S. Martini cui dicatum eſt, *S. Martin aux Cheſnes.*
GLANNA, Mon.
Glanna, Mon. in E. Andegauenſi, a. 694. n. 12.
Mauroncius Abb. coætaneus Ærmenlando Abbati Antrenſi.
GLANNAFOLIVM, Mon. *Glanfueil.*
Glannafolium, Mon. in E. Andegauenſi, a. 543. n. 13. conditum à S. Mauro ex munificentia Flori Optimatis.
Maurus fit primus Abb. a. 543. abdicat ſe regimine Monaſterij, a. 601.
Bertulfus fit Abb. a. 601. obit, a. 606.
Florianus fit Abb. a. 606.
GRANDIS VALLIS, Mon. *Granfel.*
Grandis Vallis, Mon. in E. Veſontionenſi, a. 647. n. 8. conditum à Gundonio viro illuſtri.
Germanus primus Abb. obit, a. circiter 662.
S. GREGORII Mon. *Munſter in S. Gregorienthal.*
S. Gregorij Mon. in E. Argentoratenſi, a. 667. n. 35. conditum à Childerico II. R.
GRESSVS, Mon. *Grées.*
Greſſus, Mon. ad Brigiam riuum in E. Cenomanenſi, a. 532. n. 13.
Almirus conditor ac primus Abb. regnante Childeberto I. & Diœceſim Cenomanenſem adminiſtrante S. Innocentio Ep. ſupereſt in viuis, a. 559.
GRININCENSIA Monaſteria
Grinincenſia Monaſteria in E. Viennenſi, a. 534. n. 26. comburuntur à Saracenis, a. 732.
GVERNIENSE Mon. *Guern.*
Guernienſe Mon. in E. Aletenſi, a. 565. n. 8. conditum eſt à S. Machute ſeu Maclouio, qui primus fuit Ep. Aletenſis, tenuítque Pontificatum ab a. 541. vſque ad a. 565.
GVRTHONENSE Mon. *Gourdon.*
Gurthonenſe Mon. in E. Cabilonenſi, a. 534. n. 51.

H

HAMATICVM, Mon. *Hamaige.*
Hamaticum, Mon. puellare in E. Atrebatenſi, a. 649. n. 4.
Gertrudis poſt Rigomari coniugis mortem hoc Mon. conſtruit, prima illius loci fit Abbatiſſa, obítque, a. 649.
Euſebia ſuperioris proneptis fit Abbatiſſa, a. 649. obit, a. 660.
Gertrudis Abbatiſſa, a. 686.
HASELACENSE Mon.
Haſelacenſe Mon. in E. Argentoratenſi, a. 676. n. 16. conditur à Dagoberto II. R.
HASNONIVM, Mon. *Haſnon.*
Haſnonium, Mon. in E. Atrebatenſi, a. 691. n. 42. *& ſeqq.* conditum à Ioanne illius loci Domino.

Digitized by Google

Ioannes conditor fit primus Abb. a. *691.* obit, a. 708.

Aldo Ioannis frater fit Abb. a. 708. obit, a. 727.

Sauericus fit Abb. a. 727. ſuperſtes, a. 737.

HASNONIVM, Mon. *Haſnon.*

Haſnonium, Mon. puellarum in E. Atrebatenſi, a. *691.* nn. 42. *& ſeqq.* conditum ab Eulalia Ioannis Abbatis Haſnonienſis ſorore.

Eulalia fundatrix fit prima Abbatiſſa, a. *691.* obit, a. 708.

Bertrudis Eulaliæ ſoror fit Abbatiſſa, a. 708.

HERVS, Mon. *Noirmouſtier.*

Herus, Mon. in E. Pictauienſi, a. *674.* n. *6.* a. *685.* n. 3. conditur ab Anſoaldo Ep. Pictauienſi.

Philibertus primus Abb. expulſus Gemmetico, a. *674.* obit, a. *690.*

S. HILARII Mon. *Saint Hilaire.*

S. Hilarij Mon. in ſuburbio Pictauienſi, a. 508. n. 19. conditum florente in Galliis Romanorum Imperio.

Fridolinus Abb. cùm Pictauium in poteſtatem Clodouei R. venit.

Paſcentius Abb. ante a. 564. quo factus eſt Ep. Pictauienſis.

S. HILARII Mon.

S. Hilarij Mon. ſiue Hilariacum ad Moſellam in E. Metenſi, a. 509. n. 7.

Fridolinus primus Abb. anteà Abbas S. Hilarij in ſuburbio Pictauienſi, hoc Mon. conſtruit regnante Clodoueo Magno, amplificat Sigibaldus Ep. Metenſis, vocátque Nouam Cellam, a. 734. regnante Theodorico IV.

HOHENBVRGVM, Mon. *Houmburch.*

Hohenburgum, Mon. puellarum in E. Argentoratenſi, a. *690.* n. 48. conditum ab Athico Alemanniæ Duce, patre S. Odiliæ.

Odilia prima Abbatiſſa, a. *690.* ſuperſtes, a. 737.

HORREVM, Mon. *Oeren.*

Horreum, Mon. puellare Treuiris, a. *678.* n. 20. conditum à Sancta Irmina Dagoberti II. R. filia.

Irmina prima Abbatiſſa, ſuperſtes, a. *726.*

Anaſtaſia fit Abbatiſſa poſt a. *726.* ſuperſtes, a. 737.

HVMOLARIÆ, Mon. *Homblières.*

Humolariæ, Mon. puellare in E. Nouiomenſi, a. *671.* n. 3.

Hunnegundis Abbatiſſa, a. *671.*

HVNOCVRTVM, Mon. *Huncourt.*

Hunocurtum, Mon. puellare in E. Cameracenſi, a. *685.* n. 47. conditum ab Amalfrido.

Auriana filia Amalfridi, prima Abbatiſſa, viuebat, a. *685.*

I

INFERIVS MONASTERIVM. *Nider-Munſter.*

Inferius Monaſterium in E. Argentoratenſi, a. 700. n. 33. conditum à Sancta Odilia.

Odilia prima Abbatiſſa, ſuperſtes, a. 737.

INSVLA, Mon.

Inſula, Mon. in E. Bellouacenſi, a. *642.* n. *56.* conditum à S. Geremaro.

Archarius primus Abb. a. *642.* viuit, a. *654.*

INSVLA, Mon. *Iſle.*

Inſula, Mon. in E. Trecenſi, a. *486.* n. 19.

Auentinus Abb. abdicat regimen, a. circiter 534.

Fidolus fit Abb. a. circiter 534.

S. IOANNIS BAPTISTÆ IN GAELO Mon. *S. Iean Baptiſte de Gael.*

S. Ioannis Baptiſtæ in Gaelo Mon in E. Aletenſi, a. *565.* n. 8.

Meuennius conditor ac primus Abb. coætaneus SS. Samſoni, Maglorio, & Machuti. Hodie nomen facit Monaſterio. *Saint Méen de Gael.*

S. IOANNIS BAPTISTÆ Mon. Andegaui.

S. Ioannis Baptiſtæ Mon. prope muros Andegauenſes, a. *605.* n. 2. conditum à S. Licinio Ep. qui factus eſt Ep. Andegauenſis, a. 592. obiítque, a. *605.*

S. IOANNIS BAPTISTÆ Mon. prope Taruannam.

S. Ioannis Baptiſtæ Mon prope Taruannam, a. *686.* n. *66.* conditum à Theodorico III. R.

S. IOANNIS BAPTISTÆ Mon. Valentianis.

S. Ioannis Baptiſtæ Monaſt. puellare in Caſtro Valentianenſi Diœceſeos Cameracenſis, a. *690.* n. 21. conditum à Pippino Herſtallio Maiore-domûs.

S. IOANNIS BAPTISTÆ Mon. Viennæ.

S. Ioannis Baptiſtæ Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

IOTRVM, Mon. *Ioüarre.*

Iotrum, Mon. primò virorum, poſteà puellarum, in E. Meldenſi, a. *634.* nn. 11. 12. conditum à S. Adone.

Teutechildis prima Abbatiſſa Monaſterium regebat, cùm Bathildis Regina Kalam ædificiis auxit.

Aguilberta.

S. IVDOCI Mon. *S. Ioſſe.*

S. Iudoci Mon. in E. Ambianenſi, a. 652. n. 4. conditum à S. Iudoco.

Iudocus primus Abb. obit, a. *665.*

S. IVLIANI Mon. *Saint Iulien.*

S. Iuliani Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a.

Digitized by Google

586. n. 38. a. 625. n. 62.

Niginaldus Abb. ætate S. Deſiderij Ep. qui Pontificatum Autiſſiodorenſem geſſit ab a. 605. vſque ad a. 623.

Hoc Mon. quod virorum erat, auxit, & virginum deinceps eſſe voluit S. Palladius Ep. qui prædicto S. Deſiderio in Epiſcopatum immediatè ſucceſſit. Poſteri Rantelmum vocarunt, vulgò *Ranteaume*

S. IVLIANI Mon. *S. Iulien.*

S. Iuliani Mon Turonis, a. 686. n. 70. olim dictum Mon. S. Mauricij.

IVNCTVRÆ, Mon. *les Iointures.*

Iuncturæ, Mon. in E. Tullenſi, a. 673. n. 14. conditum à S. Deodato Niuernenſi quondam Ep. tunc Eremita.

Deodatus primus Abb. obit, a. 684.

Præpoſiti directi à S. Hildulfo Mon. rexerunt annis 28.

Marcinannus fit Abb. a. 712.

IVRENSE Mon.

Mon. in ſaltu Iurenſi, ſuper Nouiſonam fluuiolum in E. Veſontionenſi, a. 625. n. 65. conditum à Rameleno fratre S. Donati Ep Veſontionenſis, qui Concilio Remenſi ſubſcripſit, a. 625.

Siagrius primus Abb.

S. IVSTI Mon. *Saint Iuſt.*

S. Iuſti Mon Lugduni, a. 641. n. 55. conditum à S. Arigio, qui Lugdunenſem Pontificatum geſſit ab a. 603. ad a. 611.

Viuentius ex Abbate S. Iuſti fit Ep. Lugdunenſis regnante Clodoueo II.

IXIVM, Mon.

Ixium, Mon. in E. Bituricenſi, a. 531. n. 3.

Faretrus Abb. ſub cuius diſciplina vixit Sanctus Deodatus coætaneus Clodoueo I. R.

K

KALA, Mon. *Chelles.*

Kala, Mon. puellare in E. Pariſienſi, a. 537. n. 2. a. 656. n. 5. conditum à Clotilde Regina, Clodouei Magni vxore, amplificatum à Bathilde vxore Clodouei II.

Bertila fit Abbatiſſa, a. 658. Bathilde poſt Clodouei II. mortem Regnum tunc adminiſtrante, obit, a. 704.

Ermengardis fit Abbatiſſa, a. 704.

Clementia.

KEMPERLEGIVM, Mon. *Kemperlé.*

Kemperlegium, Mon. in E. Corentinopolitano, a. 574. n. 24. conditum, a. circiter 550. à Guereko Comite Venetenſi.

Gurthiernus primus Abbas.

Corbaſius Abb. a. 675.

KERFEVNTEVM, Mon.

Kerfeunteum, Mon. in E. Dolenſi, a. 529. n. 8. conditum à S. Samſone.

Maglorius regnante Childeberto I. primus Abb. conſtituitur à Samſone tunc facto Ep. Dolenſi, fit & ipſe Ep. Dolenſis, a. 564.

L

LANDT-GOEZNOV, Mon.

Lantd-Goeznou, Mon. in E. Leonenſi, a. 641. n. 62. conſtructum à S. Goeznoueo ex munificentia Comorri Comitis.

Goeznoueus primus Abbas, fit Ep. Leonenſis, a. 650.

LATINIACVM, Mon. *Lagny.*

Latiniacum, Mon. in E. Pariſienſi, a. 648. n. 4. conditum à S. Furſeo ex munificentia Erchinoaldi Maioris-domûs.

Furſeus conditor ac primus Abb. a. 648.

Erminianus fit Abb. a. 649. Furſeo aliò commigrante. Monaſterium regit adhuc, a. 654. paulò pòſt abdicat ſe regimine.

Eloquius Abb. curam Monaſterij dimittit.

Mombolus curam quoque Monaſterij dimittit ſuperſtite S. Eligio, qui obiit a. 659.

LAVBACVM, Mon. *Lobbes.*

Laubacum, Mon. in E. Cameracenſi, a. 654. n. 29. conditum à S. Landelino.

Landelinus primus Abb. ſecedit Criſpinium, a. 691.

Vrſmarus fit Abb. a. 691. obit, a. 713.

Erminus fit Abb. a. 713. obit, a. 737.

Theoduinus fit Abb. a. 737.

LAVCONNENSE Mon.

Lauconnenſe Mon. in E. Lugdunenſi, a. 534. n. 14.

Lupicinus primus Abb. poſteà Condateſcenſis. *Vide* Mon. Condateſcenſe, de quo ſuprà.

S. LAVRENTII Mon.

S. Laurentij Mon. in ſuburbio Pariſienſi, a. 547. n. 7. Illius loci Abbas falsò creditur Domnolus, qui factus eſt Epiſc. Cenomanenſis, a. 545.

S. LAVTHENI Monaſteria.

S. Lautheni Monaſteria in E. Veſontionenſi, a. 534. n. 28.

Lauthenus Abbas illorum Monaſteriorum regnante apud Burgundiones Gundobaldo.

LERINVS, Mon. *Lerins.*

Lerinenſe Mon. in E. Antipolitano, a. 536. n. 169. conditum à S. Honorato.

Honoratus conditor ac primus Abb. vertente quarto ſeculo, poſteà fit Ep. Arelatenſis.

Maximus, poſteà Ep. Reienſis.

Fauſtus, poſteà Ep. Reienſis.

Porcarius S. Cæſarium in ſodalitium Monachorum admittit.

Honoratus II. a. 507.

Marinus, a. 536. cùm Oſtrogothi Francis ditiones ſuas cis Alpes ſponte cedunt.

Digitized by Google

Florianus, a. 550.
Stephanus, a. 596.
Cono, a. 600.
Maximus.
Nazarius.
Eucherius.
Vincentius.
Aygulphus fit Abb. a. 675. Martyr, a. 677.
Rigomirus fit Abb. a. 677. viuit, a. 681.
Amandus, a. 690. obit ineunte octauo ſeculo.
Syluanus.
Porcarius, de cuius Martyrio agemus ad a. 739. Tomo ſequenti.

LEVCONAVS, Mon.

Leuconaus, Mon. à loco ſic dictum, hodie dicitur Mon. S. Walerici in E. Ambianenſi. *Vide* infrà Mon. S. Walerici.

LIBERIACVM, Mon. *Liuray* ſeu *Liouray*.

Liberiacum Mon. in E. Baiocenſi, a. 688. n. 27. conditum à Gerebaldo, qui poſteà fuit Ep. Baiocenſis, & Concilio Rotomagenſi ſubſcripſit, a. 688.

LIMONICVM Mon.

Limonicum Mon. in E. Viennenſi, a. 614. n. 41.
Samſon Abb. a. 614. obit, a. 624.
Maximus fit Abb. a. 624. obit, a. 625.
Magnentius fit Abb. a. 625.

LOCCENSE Mon. *Loches*.

Loccenſe Mon. in E. Turonenſi, a. 508. n. 31.
Vrſus Abb. regnante Alarico R. Wiſigothorum, dubium an vixerit etiam ſub Clodoueo Francorum R.

LOC-RENAN-AR-FANG, Mon.

Loc-Renan-ar-fang, Mon. puellare in E. Leonenſi, a. 642. n. 62. conditum à S. Paulo primo Ep. Leonenſi.

LOCVS KIRECI, Mon. *Loc-Kirecq*.

Locus Kireci, Mon. propè Kerſeunteum in E. Leonenſi in loco, cui nomen *Land-meur*, a. 520. n. 11.
S. Kirecus ſeu werocus condit Mon. a. 522. éſtque illius loci primus Abb. donec a. 528. abit ad Parœciam Danielis, alio Abbate ſubrogato.

LOGENSE Mon..

Logenſe Mon. puellare in E. Rotomagenſi, a. 713. n. 14.
Wiſla Abbatiſſa regnante Dagoberto III.

LONGORETVM Mon. *Lonrey*.

Longoretum Mon. in E. Bituricenſi, a. 640. n. 32. conditum à S. Sigiranno, cuius nomen hodie gerit, *Saint Siran*.
Sigirannus conditor ac primus Abb. obit regnante Clotario III.

S. LVCIANI Mon. *S. Lucien*.

S. Luciani Mon. in E. Bellouacenſi, a. 696. nn. 22. *& ſeqq*.
Ebrulphus Abbas regnante Chilperico III.

LVCIONENSE Mon. *Luçon*.

Lucionenſe Mon. in E. Pictauienſi, a. 508. n. 22. nomen à Lucio conditore dicitur accepiſſe, cùm Romani Galliâ potiebantur.

S. LVPI Mon. *Saint Loup*.

S. Lupi Mon. propè muros Trecarum, a. 583. n. 44. a. 623. n. 14.
Audericus Abb. peruenit ad vltima tempora Gallomagni Ep.
Winebaudus Abb. conſtituitur ab eodem Gallomagno Ep. cuius obitus in a. 584. cadit, vixit autem Winebaudus poſt a. 614.
Theudecarius ſucceſſit Winebaudo.

LVTRA, Mon. *Lure*.

Lutra, Mon. in E. Veſontionenſi, a. 611. n. 11. conditum à S. Deicolo S. Columbani diſcipulo.
Deicolus condit Mon. Lutrenſe, fitque primus Abb. a. 611. abdicat ſe regimine Monaſterij, a. circiter 615.
Columbinus fit Abb. a. circiter 615. obit poſt a. 625.

LVXOVIVM, Mon. *Luxeüil*.

Luxouium, Mon. in E. Veſontionenſi, a. 590. n. 36. conditum à S. Columbano.
Columbinus conditor ac primus Abb. pellitur, a. 610. Walericus per eius abſentiam gerit curam Monaſterij.
Euſtaſius fit Abb. a. 613. obit, a. 625.
Waldebertus fit Abb. a. 625. Ep. Meldenſis, a. 672.
Wandalogus ſeu Windologus aut Vandologus fit Abb. a. 672.
Berthoardus ſeu *Bertoaldus aut Dectohaldus*.
Ingofridus ſiue Ingofredus, a. 680.
Cunctonus ſeu Cunctanus.
Ruſticus ſeu Reſticus.
Sayfarius ſeu Seifarius.
Adonus ſiue Addonus, a. 699.
Arulfus.
Rendinus ſeu Lendinus.
Regnebertus ſeu Ragnebertus.
Gerardus.
Ratto.
Villicranus ſeu wikeranus.
Mellinus ſeu Miletus cum pleriſque Monachis necatur à Saracenis, a. 732.
* Monaſterium poſt cladem à Saracenis illatam manet ſine Abbate annis 15.

M

MAGDVNVM, Mon. *Meun*.

Magdunum, Mon. in E. Aurelianenſi, a. 549. n. 18. conditum à S. Liphardo.
Liphardus conditor ac primus Abb. obit, Diœceſim Aurelianenſem adminiſtrante Marco Ep.
Vrbitius.

Digitized by Google

Magnvs locvs, Mon. *Manlieu.*

Magnus locus, Mon. in E. Aruernenſi, a. *656*. n. 35. conditum à S. Geneſio Epiſc. Aruernenſi.

Euodius fit primus Abb. a. *656*.

Bobo Abb. a. *689*.

Adelphius, a. 723.

* Maivs Monasterivm. *Mairmoutier.*

Maius Mon. in E. Turonenſi, a. 508. n. 4. conditum à Sancto Martino Epiſc. Turonenſi.

Martinus conditor ac primus Abb. obit, a. 397. Arcadio & Honorio Augg.

Galbertus.

Aychardus.

Guilermandus.

Peregrinus.

Andemundus.

Dominicus.

Ildemarus.

Manſfredus.

Deodatus.

Vulginus.

Benedictus.

Hildricus.

Martinus II.

Godo.

Latinus.

Gimo.

Fundilius.

Bonifacius.

Euſtochius temporibus Gregorij Turonenſis Ep.

Froterius.

Guichardus.

Geneſius.

Voluſianus.

Antimus.

Rigionarius.

Deſiderius.

Principius.

Petrucio.

Felix.

Baudelus.

Berno.

Clemens.

Theobaudus.

Hato.

Petrus.

Aigulfus.

Francilio.

Anianus.

Ioannes.

Daniel.

Iſſembertus.

Hamricus, de cuius ſucceſſoribus agemus Tomo ſequenti ſub Pippino poſteriſque RR.

Malmvndarivm, Mon. *Malmedy.*

Malmundarium, Mon. in E. Colonienſi, a. *648*. n. 23. conditum à S. Sigiberto III. R.

Remaclus fit primus Abb. a. *648*. deinde Ep. Traiectenſis, a. *653*.

Theodardus fit Abb. a. *653*. deinde Epiſc. Traiectenſis, a. *662*.

Remaclus iterum Abb. a. *662*. abdicat ſe in gratiam Papoleni.

Papolenus fit Abb. viuente Remaclo, fit etiam Abb. Stabulenſis, a. *668*. obit, a. *670*. deinceps iidem fuerunt Malmundarienſes qui Stabulenſes. *Vide* Stabulenſes infrà.

Malonia, Mon. *Maloigne.*

Malonia, Mon. in E. Traiectenſi, a. *685*. n. 2. conditum à S. Bertuino.

Mannacense Mon.

Mannacenſe Mon. in E. Auiſſiodorenſi, a. 582. nn. 19. 21.

S. Marcelli Mon. Cabilone.

S. Marcelli Mon. Cabilone, a. 584. n. 22. conditum à S. Guntchramno R.

S. Marcelli Mon. Viennæ.

S. Marcelli Mon. Viennæ, a. *634*. n. 27.

Clarus Abb. a. *637*. obit, a. *660*.

Marcianæ, Mon. *Marchiennes.*

Marcianæ, Mon. in E. Atrebatenſi, a. *643*. nn. 1. 2. conditum à S. Amando in alôdio Ducis Adalbaldi.

Ionatus fit primus Abb. a. *643*. deinde etiam Elnonenſis, a. *652*. curam Elnonenſis Monaſterij dimittit, a. *653*. obit, a. *691*. Abhinc totum Cœnobium ſolis Monialibus cedit.

Marcianæ, Mon. *Marihiennes.*

Marcianæ, Mon. puellarum in E. Atrebatenſi, a. *646*. nn. 1. 2. conditum à S. Rictrude S. Adalbaldi quondam vxore.

Rictrudis fit **prima Abbatiſſa, a. *646*. obit,** a. *688*.

Cloteſendis fit Abbatiſſa, a. *688*. obit, a. 714.

Mariacvm, Mon. *Mairé.*

Mariacum, Mon. in E. Pictauienſi, a. 559. n. 12. conditum à S. Iuniano.

Iunianus conditor ac primus Abb. obit, a. 587.

Auremundus fit Abb. a. 587.

B. Mariæ V. et S. Petri Mon.

B. Mariæ V. & S. Petri Mon. in E. Ambianenſi, a. *686*. n. 5. conditum à S. Saluio.

* Primi Abbatis nomen ignoratur.

Saluius conditor & Abb. fit Ep. Ambianenſis, a. *686*.

B. Mariæ V. Mon. Auguſtoduni.

B. Mariæ V. Mon. puellare Auguſtoduni, a. *600*. n. *6*. hodie vocatur Mon. S. Andochij.

Theſſalia prima Abbatiſſa tempore Gregorij Magni.

B. Mariæ V. Mon. Cadurci.

B. Mariæ V. Mon. Cadurci, a. *632*. n. 4. erectum à S. Deſiderio, qui Cadurcenſem Epiſcopatum ſuſcepit, a. *629*.

Digitized by Google

Claudius primus Abb.

B. MARIÆ V. Mon. Cenomani.

B. Mariæ V. Mon. in E. Cenomanenſi, a. 572. n. 7. conditum à S. Domnolo Ep. Cenomanenſi, qui ſedit ab a. 545. vſque ad a. 581.

Paduinus primus Abb.

B. MARIÆ V. Mon. Coloniæ.

B. Mariæ V. Mon. puellare Coloniæ, a. 689. n. 18. conditum à Plectrude tunc repudiata.

B. MARIÆ V. Mon. Condati.

B. Mariæ V. Mon. puellare Condati, in E. Cameracenſi, a. 677. n. 14.

B. MARIÆ V. Mon. Lauduni.

B. Mariæ V. Mon. puellare Lauduni, a. 640. nn. 43. 44. conditum à S. Salaberga.

Salaberga prima Abbatiſſa obit, a. 654.

Auſtrudis fit Abbatiſſa, a. 654. obit, a. circiter 707.

Adalſinda fit Abbatiſſa, a. circiter 707.

B. MARIÆ V. Mon. Moguntiæ.

B. Mariæ V. Mon. puellare Moguntiæ, a. 712. n. 2. conditum à S. Bilhilde vidua.

B. MARIÆ V. Mon. Sueſſione.

B. Mariæ V. Mon. Sueſſione, a. 661. n. 15. a. 674. n. 9. conditum ab Ebroino Maiore-domûs, eiúſque vxore Leutrude ac filio Bauone.

Etheria prima Abbatiſſa.

Cunegundis ſeu Cunegaudia, a. 700.

Adalyardis ſiue Aldegardis.

Eremburga.

Armentrudis, de qua iterum Tomo V.

B. MARIÆ V. ET SS. APOSTOLORVM Mon. Sueſſione.

B. Mariæ V. & SS. Apoſtolorum Mon. Sueſſione conditur à Clotario I. R. poſt obitum S. Medardi, cuius nomen hodie gerit. *Saint Medard de Soiſſons.*

Autbertus Abb. a. 661.

Warimbertus fit Abb. ſub Drauſione Ep. fit etiam Ep. Sueſſionenſis, a. 674.

Hugobertus Abb. a. 718.

B. MARIÆ V. Mon. Trecis.

B. Mariæ V. Mon. puellare Trecis, a. 657. n. 16. conditum à S. Leuconio Ep. Trecenſi.

B. MARIÆ AD MARTYRES Mon. Treuiris.

B. Mariæ ad Martyres Mon. Treuiris, a. 698. n. 7. conditum à S. Willebrordo Ep. Vltraiectino, auxiliante Pippino Maiore-domûs.

B. MARIÆ Mon. Veſontione.

B. Mariæ V. Mon. puellare Veſontione, a. 625. n. 65. conditum à Flauia matre S. Donati.

Sirudis prima Abbatiſſa, ſoror S. Donati Ep. Veſontionenſis.

Gauthſtrudis, cui S. Donatus Regulam Monialium dicauit.

MARICOLÆ, Mon. *Maroilles.*

Maricolæ, Mon. in E. Cameracenſi, a. 653. n. 23. a. 671. n. 2. conditum à Chonoberto viro Illuſtri.

Humbertus primus Abb. obit, a. 682.

S. MARTIALIS Mon. *Saint Martial.*

S. Martialis Mon. puellare Pariſiis, a. 632. n. 11. conditum à S. Eligio nondum Ep.

Aurea prima Abbatiſſa obit, a. 666.

S. MARTINI Mon. Auguſtodunenſe.

S. Martini Mon. in ſuburbio Auguſtodunenſi, a. 600. n. 6. conditum à S. Siagrio Ep. Auguſtodunenſi, qui finem viuendi fecit, a. 600.

Luppo primus Abb.

S. MARTINI Mon. Autiſſiodorenſe.

S. Martini Mon. Autiſſiodori, a. 623. n. 12.

S. MARTINI Mon. Carnotenſe.

S. Martini Mon. in Valle, in ſuburbio Carnotenſi, a. 685. n. 30.

S. MARTINI Mon. Metenſe.

Mon. S. Martini in Campis prope Metas, a. 654. n. 4. conditum à S. Sigiberto III. R. qui obiit a. 654.

S. MARTINI Mon. Tornacenſe.

S. Martini Mon in colle prope Tornacum, a. 650. n. 8. inchoatum, a. 650. à S. Eligio Ep. Tornacenſi.

S. MARTINI Mon. Treuirenſe.

S. Martini Mon. Treuiris, a. 597. n. 8. conditorem agnoſcit S. Magnericum, qui factus eſt Ep. Treuirenſis, a. circiter 566. obiitque, a. 597.

S. MARTINI Mon. Turonenſe.

S. Martini Mon. Turonis, a. 508. n. 4. inchoatum à *S. Perpetuo Ep. Turonenſi*, a. 461. abſolutum, a. 471.

Leo Abb. fit Ep. Turonenſis, a. 526.

Aigiricus ſiue Agericus Abb. a. 668. a. 674.

Vudelandus Abb. a. 686.

Guntrannus ex Abbate fit Ep. Turonenſis, a. 717.

Teutſindus, a. 732. fit etiam Abb. Fontanellenſis, a. 734. De illo iterum Tomo ſequenti.

S. MARTINI Mon. Viennenſe.

S. Martini Mon. Viennæ, a. 534. n. 27.

IN MARTINIS Mon.

Mon. in Martinis Taruannæ, a. 652. n. 3. conditorem habuit Athalbertum Ep. qui Morinorum Eccleſiam rexit ab a. 520. ad a. 552.

MASONIS Mon. *Maſmunſter.*

Maſonis-Monaſterium puellare in E. Argentoratenſi conditur à Maſone Comite, a. 731. n. 16.

S. MATHIÆ Mon.

S. Mathiæ Mon. in E. Treuirenſi, a. 713. n. 20.

Digitized by Google

S. Matthæi finis terræ Mon. *S. Mahé.*

S. Matthæi Mon. in E. Leonenſi, a. 555. n. 21. conditum à S. Tanguido.

Gurguidus ſeu Tanguidus, anteà Gerberenſis Abb. condit hoc Mon. & primus fit Abbas, Paulo Leonenſem Epiſcopatum poſt Tiernomagilum iterum adminiſtrante, obit, a. 590.

Mauziacum, Mon. *Mauzac.*

Mauziacum, Mon. in E. Aruernenſi, a. 681. n. 15. conditum à Calmelio & Namadia eius vxore.

Euterius primus Abb. a. 681.

S. Maxentii Mon. *S. Maixent.*

S. Maxentij Mon. in E. Pictauienſi, a. 507. n. 9.

Agapitus Abb. ſub cuius diſciplina vixit Maxentius.

Maxentius, cuius nomen loco inditum ad hodiernam vſque diem perſeuerat, Abbas ætate Clodouei Magni.

Leodegarius fit Abb. a. 651. Ep. Auguſtodunenſis, a. 659.

Audulfus, a. 681.

S. Maximini Mon. *S. Maximin au Dioceſe d'Aix.*

S. Maximini Mon. in E. Aquenſi, a. 536. n. 167. paulò recentius Cœnobio Maſſilienſi S. Victoris, de quo infrà.

S. Maximini Mon. *S. Maximin au Dioceſe de Treues.*

S. Maximini Mon. in E. Treuirenſi, conditum florente in Galliis Romanorum Imperio.

Fibicius ex Abbate S. Maximini fit Ep. Treuirenſis, a. 498.

Volmarus Abb.

Rodingus.

Hundilandus.

Theodoricus Abb. a. 600.

Memilianus Abb. a. 633.

Bernhardus.

Herinnus.

Baſinus fit Ep. Treuirenſis, a. 676.

S. Medardi Mon. *S. Medard.*

S. Medardi Mon. prope muros Cameracenſes, a. 619. n. 21. conditum à S. Gaugerico Ep. Atrebatenſi & Cameracenſi, qui ſedere cœpit a. circiter 580. obiitque a. circiter 619.

Medianvm Mon. *Moyen-Mouſtier.*

Medianum Mon. in E. Tullenſi, a. 676. n. 24. a. 679. n. 4. conditum à S. Hildulpho Treuirenſi quondam Ep.

Hildulfus conditor ac primus Abb. abdicat regimen, a. circiter 700.

Leutebaldus fit Abb a. circ. 700. obit, a. 709.

Hildulfus iterum Abbas, a 709. obit, a. 712.

Raimbertus fit Abb. a. 712.

Mediolacvs, Mon. *Mithlach.*

Mediolacus, Mon. in E. Treuirenſi, a. 698. n. 5. conditum à S. Leodowino, qui ex illius loci Monacho factus eſt poſteà Ep. Treuirenſis.

Medivm Monasterivm. *Monſtier-Moyen.*

Medium Monaſterium in ciuitate Bituricenſi, a. 631. n. 25. conditum à S. Euſtadiola.

Euſtadiola fundatrix ac prima Abbatiſſa obit maior nonagenariâ, ſepultáque eſt à Roccone Ep. Bituricenſi, cuius deceſſor mortuus eſt, a. 697.

S. Melanii Mon. *Saint Melaine.*

S. Melanij Mon. prope muros Redonenſes, a. 635. n. 6.

Bertulfus primus Abb. intereſt Concilio Cabilonenſi, a. 644.

Melbodivm, Mon. *Maubeuge.*

Melbodium, Mon. puellarum in E. Cameracenſi, a. 661. n. 9. conditum à S. Aldegunde.

Aldegundis prima Abbatiſſa obit, a. 684.

Aldetrudis fit Abbatiſſa, a. 684. obit, a. 696.

Madelberta fit Abbatiſſa, a. 696. obit, a. 705.

Menatvm, Mon. *Menat.*

Menatenſe Mon. in E. Aruernenſi, a. 508. n. 26. celebre, priuſquàm Clodoueus ex Aquitania wiſigothos expelleret.

Brachio fit Abb. regnante Theodoberto, Clodouei nepote, obit, a. 576.

Meneleus ſynchronus Bonito Ep. Aruernenſi, a. 696.

Sauinianus Menelei ſucceſſor.

Mentvniacvm, Mon. *Mantenay.*

Mentuniacenſe Mon. in E. Trecenſi, a. 505. n. 2. conditum à S. Romano.

Romanus conditor ac primus Abb. regnante Clodoueo, fit Epiſc. Remenſis, a. 533.

Leo fit Abb. a. 533.

S. Michaelis Mon.

S. Michaelis Mon. in E. Argentoratenſi, a. 721. n. 78. conditum ab Adalberto Duce Alamanniæ, fratre S. Odiliæ.

Benedictus primus Abb.

S. Michaelis Mon.

S. Michaelis Mon. Lemouicis, a. 667. n. 53.

Aſtidius Abb. nepos Aredij Athanenſis Abbatis mortui a. 591.

S. Michaelis Mon. *Saint Michel.*

S. Michaelis Mon. ad Moſam in E. Virodunenſi, a. 709. n. 4. conditum à wolfando Comite ſub Childeberto III. R.

S. Michaelis in Eremo Mon. *Saint Michel en l'Erm.*

S. Michaelis in Eremo Mon. in E. Pictauienſi ad mare, a. 684. n. 16. conditum ab Anſoaldo Ep. Pictauienſi, qui ſedere

Digitized by Google

cœpit Childerico II. Francorum Monarchiam obtinente, ſuperſtéſque in viuis erat a. 688.

MICIACVM, Mon. *Mici.*

Miciacenſe Mon. in Epiſc. Aurelianenſi, a. 498. n. 1. conditum ex munificentia Clodouei I. R.

Euſpicius primus Abb. a. 498. obit, a. 501.

Maximinus, cuius nomen hodie gerit hoc Mon. *Saint Meſmin*, fit Abb. a. 501. obit, a. 520.

Auitus fit Abb. a. 521. Miciaco diſcedit, a. 525.

Theodemirus Auito ſubrogatur.

Maximinus II. ſeu Iunior.

MILLEPECVS, Mon. *Meobec.*

Millepecus, Mon. in E. Bituricenſi, a. 635. n. 12. conditur à S. Sigiranno ex munificentia Flaucadi ſeu Flaocati.

Sigirannus Abbas obit regnante Clotario III.

MITERETENSE Mon.

Miteretenſe Mon. in Ep. Autiſſiodorenſi, a. 694. n. 27. conditum à Quintiliano patre Quintiliani Autiſſiodorenſis Epiſcopi.

MOGOERA, Mon. *Moguer.*

Mogoera, Mon. in E. Lexobienſi, a. 520. n. 9. conditur à S. Tugdwalo, regnante Childeberto I.

MOLOMIENSE Mon. *Molome.*

Melundenſe ſeu Molundenſe aut Molomienſe Mon. in E. Lingonenſi, a. 496. n. 154. conditur à Clodoueo Magno.

MONS FALCONIS, Mon. *Mont-Falcon.*

Mons Falconis, Mon. in Epiſc. Remenſi, a. 627. nn. 4. 6. conditur à S. Balderico Preſbytero.

Baldericus ſeu Baltfridus conditor ac primus Abb. regnante in Auſtraſia Dagoberto I.

MONS NONNARVM, Mon. *Nunberg.*

Mons Nonnarum, Mon. in E. Saliſburgienſi, a. 583. n. 54. conditur à S. Ruperto primo Epiſc. Saliſburgienſi, qui migrauit ad Deum, a. 623.

Erndrudis ſiue Erendrudis prima Abbatiſſa, neptis S. Ruperti.

MONS SANCTVS, Mon.

Mons Sanctus, Mon. puellarum in E. Tullenſi, a. 620. n. 2. conditur à S. Romarico, vnde & hodie Mons Romarici vocatur, *Remiremont.*

Magdefledis ſeu Mectefledis prima Abbatiſſa obit, a. 622.

Gegoberga fit Abbatiſſa, a. 622. obit, a. 652.

Gebertrudis fit Abbatiſſa, a. 659.

Modeſta Abbatiſſa, a. 659.

Tetta, a. 680.

MONS SANCTVS, Mon.

In Monte Sancto præter Mon. puellarum erectum eſt à S. Romarico Mon. virorum.

Amatus primus Abb. obit, a. 625.

Romaricus fit Abb. a. 625. obit, a. 653.

Adelphus fit Abb. a. 653. dimittit munus Abbatiale vt pœnitentiæ liberiùs vacet.

Garichrannus Abb. a. 680.

MONS VERDVNVS, Mon. *Mont-Verdun.*

Mons Verdunus, Mon. in E. Lugdunenſi, a. 732. n. 30.

Porcarius Abb. necatur à Saracenis, fitque Martyr, a. 732.

MORNAVALLIS, Mon. *Morguiennal.*

Mornauallis, Mon. puellare in E. Sueſſionenſi, a. 718. n. 13.

MORSELLA, Mon. *Morſelle.*

Morſella, Mon. puellare in E. Cameracenſi, a. 680. n. 18.

MOSSIACVM, Mon. *Moiſſac.*

Moſſiacum, Mon. in E. Cadurcenſi, a. 632. n. 6. inchoatum regnante Clotario II. perfectúmque ſedente iam Cadurci S. Deſiderio, qui factus eſt Ep. a. 629.

Leochadius munificentiſſimus erga Mon. Moſſiacenſe ſub S. Deſiderio Ep. Cadurcenſi, poſteà factus Abb.

Paternus.

MVRBACHIVM, Mon. *Mourbach.*

Murbachium, Mon. in E. Argentoratenſi conditum à S. Pyrminio in alodio Eberhardi Comitis, a. 731. nn. 18. & *ſeqq.*

Pyrminius conditor ac primus Abb. a. 731.

N

NANTVS, Mon. *Nanteuil.*

Nantus, Mon. in E. Conſtantienſi, a. 558. n. 75. conditur à S. Marculfo ex munificentia Childeberti I. R. poſteà eiuſdem S. Marculfi nomen accipit.

Marculfus primus Abb. obit, a. 556.

Bernoinus ſeu Vernuinus Abb. a. 679.

NAVENSE, Mon. *Noſtre-Dame de la Nef.*

Nauenſe Mon. a. 641. n. 5. conditum à S. Sulpitio, cognomento Pio, Ep. Bituricenſi, cuius nomen in ſuburbio Bituricenſi hodie gerit, *Saint Sulpice.*

Domnio Abbas.

NEREENSE, Mon.

Nereenſe Mon. puellare in E. Bituricenſi, a. 558 n. 5. conditum à S. Patroclo, qui tranſiit ad Deum, a. 576.

SANCTI NICETII Mon. *Saint Nizier.*

Sancti Nicetij Mon. Lugduni, a. 584. n. 14.

Auſtregeſilus Abb. ſub Ætherio Ep. Lugdunenſi, factus eſt Ep. Bituricenſis, a. 612.

SANCTI NICETII Mon. *Saint Nizier.*

Sancti Nicetij Mon. in E. Viennenſi, a. 534. n. 27.

Digitized by Google

NIGELLA ABSCONDITA, Mon. *Nelle la Repoſte.*

Nigella Abſcondita, Mon. in E. Trecenſi, a. 505. n. 3. conditur pro viris ac fœminis ex liberalitate Clodouei R. & Clotildis Reginæ.

NIVELLA, Mon. *Niuelle.*

Niuella, Mon. puellare in E. Traiectenſi, conditur à S. Iduberga ſiue Itta Pippini Landenſis relicta.

Gertrudis prima Abbatiſſa, a. 647. adminiſtrationem Monaſterij dimittit, a. 656.

Wilfetrudis fit Abbatiſſa, a. 656. obit, a. 666.

Agnes fit Abbatiſſa, a. 666. viuit, a. 674.

NIVERNENSE Mon.

Mon. iuxta Niuernum, a. 631. n. 24.

NOBILIACVM, Mon. *Noaillé.*

Nobiliacum, Mon. in E. Lemouicenſi, a. 549. n. 20.

Leonardus, à quo nomen hodie loco eſt, *Saint Leonard*, hoc Mon. conſtruxit ex munificentia Theodoberti I. R. fuitque primus Abb.

NOVA CELLA, Mon.

Noua Cella, Mon. in E. Metenſi, a 734. n. 8. *Vide* S. Hilarij Mon. ſiue Hilariacum, ſuprà.

NOVIACVS, Mon.

Nouiacus, Mon. in E. Auenticenſi, a. 548. n. 96. a. 562. n. 32.

O

OGIA, Mon. *Oye.*

Ogia, Mon. in E. Santonenſi, a. 609. n. 13.

ONIA, Mon.

Onia, Mon. in E. Bituricenſi, a. 508. n. 31.

ORATORIVM, Mon. *Orver.*

Oratorium, Mon. puellarum in E. Bellouacenſi, a. 678. n. 11.

Angadriſina Abbatiſſa eodem tempore quo Anſbertus erat Abbas Fontanellenſis.

ORBACVM, Mon. *Orbez.*

Orbacum, Mon. in E. Sueſſionenſi, a. 677. n. 8. erectum à S. Reolo Epiſc. Remenſi.

Leudemarus primus Abb.

ORDORFFENSE Mon. *Ordorf.*

Ordorffenſe Mon. a. 724. n. 7. conditur à S. Bonifacio Ep. certam Sedem nondum obtinente.

ORPIVM, Mon. *Orp.*

Orpium, Mon. puellare in E. Traiectenſi, a. 692. n. 4. conditum à Sancta Adilia.

P

PALATIOLVM, Mon.

Palatiolum, Mon. puellare prope Treuirim, a. 700. nn. 44. *& ſeqq.* conditum à S. Adela Dagoberti II. R. filia.

Adela fundatrix ac prima Abbatiſſa circa a. 700. ſuperſtes, a. 732.

PALATIVM, Mon.

Palatium ſeu S. Pauli Mon. prope Veſontionem, a. 625. n. 65. conditum à S. Donato Veſontionenſi Ep. qui Concilio Remenſi ſubſcripſit, a. 625.

PALMA, Mon.

Palma, Mon. puellare in E. Argentoratenſi, a. 690. nn. 53. 57. 60.

PAVLIACVS, Mon. *Pauilli.*

Pauliacus, Mon. puellarum in E. Rotomagenſi, a. 662. n. 19. conditum ab Amelberto.

Auſtrebertha fit prima Abbatiſſa, a. 662. obit, a. 704.

PENETALE, Mon. *Peneti.*

Penetale Mon. in E. Dolenſi, a. 529. n. 8. conditum à S. Samſone, qui primus Dolenſis Ep. fuit regnante Childeberto I. vitámque clauſit, a. 564.

PENTALLIVM, Mon. *Pentallion.*

Pentallium, Mon. in E. Rotomagenſi, a. 648. n. 37.

Geremarus fit Abb. a. 648. munus Abbatiale dimittit, a. 649.

PERONENSE Mon. *de Peronne.*

Peronenſe Mon. in E. Nouiomenſi, a. 659. n. 5. conditum ab Erchinoaldo Maiore-domûs.

Vltanus primus Abb. frater S. Furſei obit, a. 686.

S. PETRI Mon. prope Arelatem. *S. Pierre lez Arles.*

S. Petri Mon. apud Montem Maiorem prope Arelatem, vnde illi nomen *Mont-Maiour*, a. 641. n. 6.

Paulus Abb. a. 599.

*

*

Emundus, qui poſteà factus eſt Ep. Auenionenſis, & in Epiſcopatu anteceſſit Magnum, cuius mors incidit in a. 660.

Riculfus Abb. a. 672.

S. PETRI Mon. Autiſſiodori. *Saint Pere d'Auxerre.*

S. Petri Monaſt. Autiſſiodori, a. 586. n. 38.

S. PETRI Mon. ad Brigiam. *S. Pierre ſur Braye.*

S. Petri Mon. ad fontes Brigiæ in E. Cenomanenſi, a. 532. n. 14. inchoatur à S. Boamiro ſub Childeberto I. Rege & Innocentio Ep. Cenomanenſi.

S. PETRI Monaſt. Cabilone. *S. Pierre de Chalon,*

S. Petri Mon. Cabilone, a. 601. n. 38. conditum aut reſtauratum à S. Flauio qui Cabilonenſem Epiſcopatum ſuſcepit, a. 580.

S. PETRI Mon. Cenomanenſe.

S. Petri Mon. in E. Cenomanenſi, a.

Digitized by Google

685. n. 13. conditum ab Aigliberto Ep. Cenomanenſi, qui ſedit ab a. 681. ad a. 716.

Ricmirus primus Abb. obit ſuperſtite in viuis Aigliberto Ep.

Arrius Abbas inſtituitur ab Aigliberto Epiſc.

S. PETRI Mon. Ionnenſe.

S. Petri Mon. Ionnenſe in E. Senonenſi, a. 711. n. 17.

S. PETRI Monaſt. Lugduni.
S. Pierre de Lyon.

S. Petri Mon. puellare Lugduni, conditum à S. Annemundo Ep. Lugdunenſi, qui migrauit in cælum, a. 654.

Dida Abbatiſſa, a. 713.

S. PETRI Monaſt. Metis.
S. Pierre de Mets.

S. Petri Mon. puellare Metis, a. 614. n. 12. conditum ab Eleutherio Optimate.

Waldrada prima Abbatiſſa ſuperſtes, a. 675.

S. PETRI Monaſt. Remis.
S. Pierre de Reims.

S. Petri Mon. puellare Remis, a. 593. n. 14.

S. PETRI Monaſt. Remis.
S. Pierre de Reims.

S. Petri Mon. Remis puellare ſuperius, a. 627. n. 6. conditum à S. Balderico Preſbytero, inchoatum regnante in Auſtraſia Dagoberto I. perfectúmque regnante Sigiberto III.

Bona ſoror S. Balderici prima Abbatiſſa, obit ſedente Remis S. Reolo Ep. qui Pontificatum ſuſcepit, a. 673.

Doda ſuperſtes, a. 687.

S. PETRI Mon. Remis.
S. Pierre de Reims.

S. Petri Mon. puellare Remis, a. 662. n. 19. conditum à S. Guntberto, ſub Pontificatu S. Niuardi, qui ſedere cœpit a. 649. peruenítque ad a. 673.

S. PETRI Mon. Saliſburgij.
Saint Pierre de Saltzbourg.

S. Petri Mon. Saliſburgij, a. 580. n. 26. conditum à S. Ruperto primo Ep. Saliſburgienſi, qui migrauit ad Deum a. 623.

Vitalis primus Abbas in Epiſc. Saliſburgienſem Sancto Ruperto ſucceſſit, a. 623.

Anſologus fit Abb. a. 623. deinde Ep. Saliſburgienſis, a. 646.

Sauolus fit Abb. a. 646. deinde Ep. Saliſburgienſis, a. 666.

Ezius fit Abb. a. 666. deinde Ep. Saliſburgienſis, a. 680.

Flobargiſus fit Abb. a. 680. deinde Ep. Saliſburgienſis, a. 703.

Ioannes fit Abb. a. 703. ſuperſtes, a. 737.

S. PETRI Mon. Senonenſe.
Saint Pierre le Vif lez Sens.

S. Petri Mon. in conſpectu ciuitatis Senonenſis, a. 564. n. 36. erectum à Theodechilde filia Theodorici I. R.

Amalbertus Abb.

Aigilenus coætaneus Emmoni Ep. Senonenſi, qui viuere deſiit, a. 669.

Ebbo coætaneus Gerico Ep. Senonenſi cui ſucceſſit in Epiſcopatum.

S. PETRI Mon. Viennæ.
Saint Pierre de Vienne.

S. Petri Mon. Viennæ, a. 534. n. 25.

Leonianus ſeu Leunianus conditor ac primus Abbas, antequàm Burgundia Francicis ditionibus adiungeretur.

SS. PETRI & PAVLI Mon. Pariſiis.

SS. Petri & Pauli, aut SS. Apoſtolorum, vel S. Petri Mon. Pariſiis prope Regium Palatium conditur à Clodoueo R. & Clotilde Regina, a. 508. n. 38. a. 537. n. 2. ibi quieſcit S. Genoueſa, quæ nomen hodie Cœnobio tribuit. *Sainte Geneuiéue.*

SS. PETRI & PAVLI Mon. Rotomagi.

SS. Petri & Pauli, aut SS. Apoſtolorum, vel S. Petri Mon. Rotomagi, a. 533. n. 45. conditum à Clotario I. R. ibi ſepultus S. Audoenus Ep. Rotomagenſis, à quo nomen hodie Cœnobio, *Saint Oüen de Roüen.*

PICTAVIENSE Mon.

Pictauienſe Mon. a. 544. n. 99. constructum à Radegunde Regina in ciuitate Pictauienſi.

Agnes prima Abbatiſſa, benedicitur, a. 559.

Leubouera, a. 589.

PONTINIACVS, Mon.

Pontiniacus, Mon. in E. Bituricenſi, a. 508. n. 31.

PRINCIACVS, Mon.

Princiacus, Mon. in E. Bituricenſi, a. 508. n. 34.

Faterius Abb. eo circiter tempore, quo Clodoueus Aquitaniam in ſuam poteſtatem redegit.

PRISCOSICCIMVM, Mon.

Priſcoſiccimum, Mon. puellare in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 73.

S. PRIVATI Mon. *S. Priuas.*

S. Priuati Mon. in E. Gabalitano, a. 584. n. 5.

Lupentius Abb. obit ſedente tunc Catalauni Leudomiro Ep. qui Pontificatum iniit, a. 580.

PVELLARE Mon. *Pellemonſtier.*

Puellare Mon. in E. Trecenſi, a. 668. n. 19. conditum à S. Berchario Abb. Altiuillarenſi.

Digitized by Google

Q

QVERCOLODORA, Mon.
Quercolodora, Mon. prope Antuerpiam in E. Tornacenſi.
Firminus Abb. a. 716.

QVINCIACVM, Mon. *Quinçay.*
Quinciacum, Mon. in E. Pictauienſi, a. 676. n. 3. conditum à S. Philiberto Abb. Gemmeticenſi tunc exulante.
Philibertus primus Abb. abdicat regimen, a. 685.
Probus fit Abb. a. 685.

S. QVINTINI IN MONTE Mon.
le Mont S. Quentin.
S. Quintini in Monte Mon. in E. Nouiomenſi, a. 659. n. 5. conditum ab Erchinoaldo Maiore domûs Regiæ.
Vltanus primus Abb. frater S. Furſei, obit, a. 686.

S. QVINTINI Mon. Trecis.
Saint Quentin de Troyes.
S. Quintini Mon. puellare Trecis, a. 650. n. 15.
Rocula Abbatiſſa ætate S. Frodoberti.
Gibitrudis ſuperſtes S. Frodoberto, qui obiit, a. 669.

S. QVINTINI Mon. Viromandenſe.
Saint Quentin.
S. Quintini Mon. Viromandenſe in E. Nouiomenſi, a. 652. n. 6.
Eberramnus Monachus primùm Luxouienſis, deinde Sitiuenſis, fit Abb. S. Quintini apud Auguſtam Viromanduorum, florétque, a. 659. a. 661.

R

RAVZOLIVM, Mon.
Rauzolium, Mon. in E. Lemouicenſi, a. 674. n. 44.
Ebroinus Abb. circa tempora Adeodati Papæ, qui ſedere cœpit a. 673.

REDEVERVS, Mon. *Remiers.*
Redeueriacum Mon. in E. Baiocenſi, a. 530. n. 15.
Vigor conditor ac primus Abb. deinde Ep. Baiocenſis regnante Childeberto I.

S. REGINÆ Monaſteriolum.
Sainte Reyne.
S. Reginæ Monaſteriolum in E. Auguſtodunenſi, a. 722. n. 57. vnitur Monaſterio Flauiniacenſi.
Wideradus Abbas illius loci, poſteà conditor & Abbas Flauiniacenſis. *Vide* Abbates Flauiniacenſes ſuprà.

REGIOPONTANVM Mon.
Konigſbruck.
Regiopontanum, Mon. in E. Argentoratenſi, a. 675. n. 27. conditum à Dagoberto II. R.

SANCTI REMIGII Mon. Remis.
Sain Remy de Reims.
S. Remigij Mon. Remis, a. 590. n. 24.
Epiphanius Abb. a. 590.

S. REMIGII Mon. Senonis.
Saint Remy de Sens.
S. Remigij Mon. in E. Senonenſi, a. 614. n. 18.
Medegiſilus Abb. coætaneus Lupo Ep. Senonenſi, qui Pontificatum iniit, a. 609.

REOMAVS, Mon.
Reomaus, Mon. in E. Lingonenſi, a. 486. n. 23.
Ioannes, à quo nomen hodie loco eſt Monaſterium S. Ioannis, *Monſtier Saint Iean*, Cœnobij conditor ac primus Abb. obit, a. 539.
Silueſter fit Abb. a. 539. peruenit ad tempora Pappoli Lingonenſis Ep. qui ſedere cœpit, a. 572.
Mummolus fit Abb. Pappolo Lingonenſem Epiſcopatum obtinente, eidémque Pappolo in Epiſcopatum ſuccedit, a. 580.
Leopardinus fit Abb. a. 580.
Sicharius.
Bobo.
Hunna, a. 658.
Celſus.
Maſchara.
Deodatus.
Samuel obit regnante Dagoberto III.
Aſtoricus ſiue Euſtorgius ex Abbate fit Ep. Lingonenſis, a. circiter 713.
Chriſtianus fit Abb. a. circiter. 713. Ep. Ambianenſis, a. 721.
Maurellus fit Abb. a. 721. ſuperſtes, a. 737.

RESBACVM, Mon. *Rebez.*
Reſbacum, Mon. in E. Meldenſi, a. 634. nn. 11. 14. conditum à S. Audoeno.
Agilus fit primus Abb. a. 636. obit, a. 660.
Philibertus fit Abb. a. 660.

ROTVNDÆ, Mon. *Rotonde.*
Rotundæ, Mon. in E. Sueſſionenſi, a. 657. n. 14. conditum à S. Drauſio Ep. Sueſſionenſi.

RVBIACENSE Mon. *Royac.*
Rubiacum, Mon. puellarum in E. Aruernenſi, a. 699. n. 12.

RVIENSE Mon. *Ruys.*
Ruienſe Mon. in E. Venetenſi, a. 520. n. 6.
Gildas regnante Childeberto I. conſtruit hoc Mon. fitque primus Abb. illius loci, cui nomen hodie, *Saint Gildas de Ruys*, obit, a. 565.

RVIRIACVS, Mon.
Ruiriacus, Mon. in E. Bituricenſi, a. 657. n. 6. conditum à S. Sigiranno, qui obiit, a. 657.

Digitized by Google

Deſiderius primus Abb. à S. Sigiranno conſtitutus, ſuperſtes, a. *689*.

S

SAFFIACENSE Mon.

Saffiacenſe Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. *582*. n. 19.

SALICIS Mon.

Salicis Mon. in E. Veſontionenſi, a. *568*. n. 20. haud procul à loco, cui nomen Anagrates, vbi S. Columbanus primùm conſedit annuente S. Guntchramno R.

Carantocus Abb. neceſſaria vitæ miſit ad S. Columbanum, qui nuperrimè venerat in Gallias.

SALVATORIS Mon.
Saint Sauueur.

S. Saluatoris Mon. puellare Maſſiliæ, a. *536*. n. 43. conditum priuſquàm in ea regione dominarentur Franci.

SANCTI, Mon. *Sains.*

Sanctenſe Mon. puellare in E. Atrebatenſi, a. *691*. n. 41.

SARCHINIVM, Mon. *Sercin.*

Sarchinium, Mon. in E. Traiectenſi, a. *664*. n. 1. conſtructum à S. Trudone Preſbytero, qui rexit illud abſque Abbatis titulo ad annum vſque *689*. eidémque loco nomen fecit, *Saint Tron.*

Lotharius fit Præpoſitus Sarchinienſis, a. *689*. obit, a. *727*.

Grimo fit Præpoſitus, a. *727*. neglecto pòſt Præpoſiti Titulo ſe dicit Abbatem, ſuperſtes, a. *737*.

SAXIACVM Mon.

Saxiacum Mon. in E. Conſtantienſi, a. *711*. n. 17.

SCHVTTERA, Mon. *Schutter.*

Schuttera, Mon. in E. Argentoratenſi, a. *675*. n. 28. conditum ab Offone Anglo, & ditatum à Dagoberto II. R.

SCHWARZACHIVM, Mon.
Schwarzach.

Schwarzachium, Mon. in E. Argentoratenſi, a. *724*. n. 32. conditum à Ruthardo viro Illuſtri.

SCISCIACVM, Mon. *Cheſay.*

Sciſciacum Mon. in E. Abrincenſi, a. *502*. n. *6*.

Paternus ex primo illius loci Abbate factus eſt Ep. Abrincenſis, a. *550*.

SECKINGENSE Mon. *Seckingen.*

Seckingenſe Mon. in E. Vindoniſſenſi, a. *509*. n. 7.

S. Fridolinus antè Abbas S. Hilarij conſtruxit hoc Mon. rexítque cum Abbatis Titulo, regnante in Burgundia Sigiſmundo.

SEDACIANVM Mon.

Sedacianum Mon. in Ep. Petracoricenſi, a. *542*. n. 1.

Martinus Abb. cùm Eparchius ibi Monachum induit.

SEGESTRENSE Mon.

Segeſtrenſe Mon. in E. Lingonenſi, a. *534*. n. 30.

Sequanus, à quo nomen hodie Cœnobio eſt, *Saint Seine*, conditor ac primus Abb. floruit ſub Burgundis & Francis, ſuperſtes erat in viuis, a. *539*.

Teudolenus Abb. a. *631*.

SENAPARIA, Mon.

Senaparia, Mon. in E. Turonenſi, a. *508*. n. 31.

Leobatius primus Abb.

SENONIENSE Mon. *Senone.*

Senonienſe Mon. in E. Tullenſi, a. *661*. n. 5. conditum à S. Gundelberto, qui Senonenſem Epiſcopatum priùs geſſerat.

Gundelbertus conditor ac primus Abb. a. *661*. obit, a. circiter *673*.

Magneramnus fit Abb. a. circiter *673*.

Agericus.
Magemramnus.
Bonnolus.
Stephanus.
De his actum Tomo III. ad a. *673*.

S. SERGII Mon. *Saint Serge.*

S. Sergij Mon. prope muros Andegauenſes, a. *654*. n. 32. conditum à Clodoueo II. R. ſedente tunc Andegaui Magnobodo Ep.

Theodebertus Abb. regnante Childeberto III.

S. SEVERI Mon.

S. Seueri Mon in E. Conſtantienſi, a. *523*. n. 17.

Seuerus hoc Mon. conſtruxit rexítque temporibus *Childeberti* I. R. donec in Epiſcopum Abrincenſem aſſumptus eſt.

S. SIDONII Mon. *Saint Saens.*

S. Sidonij Mon. in Epiſc. Roromagenſi, a. *674*. n. 8. conditum à Theodorico III. R.

Sidonius Abb. a. *674*. a. *677*. a. *686*.

S. SIGISMVNDI CELLA, Mon.

S. Sigiſmundi Cella, Mon. in E. Argentoratenſi, a. *675*. n. 29. conditum à Dagoberto II. R.

Immerius primus Abb. obit, a. *702*.

Seuerinus fit Abb. a. *702*.

SITIVENSE Mon. *Sitiu.*

Sitiuenſe Mon. in E. Taruannenſi, a. *648*. nn. 30. *& ſeqq.* conditum ab Adroaldo Neophyto.

Mummolinus primus Abb. a. *648*. fit Ep. Nouiomenſis, a. *659*.

Bertinus fit Abb. a. *659*. abdicat regimen, a. *696*.

Rigobertus fit Abb. a. *696*. abdicat regimen, a *702*.

Erlefridus fit Abb. a. *702*. obit, a. *710*.

Erkenbodo fit Abb. a. *710*. necnon Ep. Taruannenſis, a. *723*. ſuperſtes, a. *737*.

SOLEM-

Digitized by Google

SOLEMNIACVM, Mon. *Solognac.*

Solemniacum, Mon. in E. Lemouicenſi, a. 631. nn. 19. *& ſeqq.* erectum à S. Eligio nondum Ep.

Remaclus fit primus Abb. a. 631. deinde Abb. Caſæconguduneñſis, a. 645.

Tillo fit Abb. a. 645. deinde Eremita a. 660.

Dagobertus fit Abb. a. 660.

Childemnus.

Papolenus.

Childomarus, a. 695.

Gundebertus, a. 698.

Salmon.

Frotarius.

Agiulfus.

Ebulo. Hic factus eſt Abb. cùm in Epiſcopatum Lemouicenſem iam ſucceſſiſſet S. Ceſſatori, qui ſedebat a. 732.

SONEGIÆ, Mon. *Soigny.*

Sonegiæ, Mon. in E. Cameracenſi, a. 653. n. 26. conditum à S. Vincentio, S. Waldetrudis marito.

Vincentius primus Abb. obit, a. 677.

Landricus, ſuperioris filius ex legitimo toro, fit Abb. a. 677.

SPINALIVM, Mon. *Eſpinal.*

Spinalium, Mon. puellarum in E. Tullenſi, a. 626. n. 9. conditum ad Moſellam à S. Goerico Abbone Ep. Metenſi, qui S. Arnulpho in Eremum profecto ſucceſſerat.

STABVLETVM, Mon. *Stanelo.*

Stabuletum, Mon. in E. Traiectenſi, a. 648. n. 23. conditum à S. Sigiberto III. R.

Remaclus fit primus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 648. deinde Ep. Traiectenſis, a. 653.

Theodardus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 653. deinde Ep. Traiectenſis, a. 662.

Remaclus abdicato Epiſcopatu Traiectenſi iterum Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 662. abdicat regimen Monaſterij Malmundarienſis in gratiam Papoleni; denique obit, a. 668.

Papolenus Abb. primùm Malmundarienſis ſuperſtite Remaclo, fit etiam Abb. Stabulenſis poſt S. Remaclum, a. 668. obit, a. 670.

Sigolinus fit Abbas Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 670.

Goduinus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 677. obit, a. circiter 685.

Bobolenus ſiue Abolenus vel Papolenus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 693.

Crodmarus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis.

Amolgerus ſiue Amingerus Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis.

Florbertus, Floribertus, Florebertus, Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, fit Ep. Leodienſis, a 727.

Anglinus fit Abb. Stabulenſis & Malmundarienſis, a. 727. ſuperſtes, a. 737.

SANCTI STEPHANI Mon.

S. Stephani Mon. puellare Argentorati, a. 712. n. 2. conditum ab Adalberto Alamanniæ Duce, fratre S. Odiliæ.

Atalia prima Abbatiſſa, filia eiuſdem Adalberti Ducis Alamanniæ.

STIVAGIVM, Mon. *Eſtiual.*

Stiuagium, Mon. in E. Tullenſi, a. 661. n. 5.

SVRABVRGVM, Mon. *Surburch.*

Suraburgum, Mon in E. Argentoratenſi, a. 675. n. 26. conditum à Dagoberto II. R.

SYLVIACVM, Mon.

Syluiacum, Mon. in E. Taruannenſi, a. 688. nn. 42. 43. conditum à S. Wlmaro, ante annum 688.

Wlmarus conditor ac primus Abb. obit, a. 697.

SYMMIONE, Mon. *Sommon.*

Symmione, Mon. in E. Aruernenſi, a. 699. n. 9.

Eutherius Abb. a. 713.

S. SYMPHORIANI Mon. Auguſtodunenſe. *S. Symphorien d'Autun.*

S. Symphoriani Mon. apud Auguſtodunum, a. 548. n. 3.

Germanus Abb. conſtituitur à Nectario Auguſtodunenſi Ep. ante a. 548. fit Ep. Pariſienſis, a. 555.

Deodatus Abb. a. 635. a. 638.

Ermenarius ex Abbate fit Ep. Auguſtodunenſis, a. 674.

S. SYMPHORIANI Mon. Bituricenſe. *Saint Symphorien de Bourges.*

S. Symphoriani Mon. prope muros Bituricenſes, a. 557. n. 23.

Auguſtus primus Abb. conſtituitur à. S. Probiano Bituricenſi Epiſc. qui ſedere cœpit a. 550. ipſúmque Mon. erexit.

SANCTI SYMPHORIANI Mon. Metenſe. *Saint Symphorien de Mets.*

S. Symphoriani Mon. Metis, a. 610. n. 15. erectum à S. Pappolo Ep. Metenſi, cuius obitus incidit in annum 610.

S. SYMPHORIANI Mon. Senonenſe. *Saint Symphorien de Sens.*

S. Symphoriani Mon. in ſuburbio Senonenſi, a. 682. n. 41. erectum à Mederico ſeu Mederio Ep. Senonenſi, qui ſedere cœpit a. 674.

T

TAVRIACVS, Mon.

Tauriacus, Mon. in E. Bituricenſi, a. 508. n. 31.

TERRASSONENSE Mon. *Terraſſon.*

Terraſſonenſe Mon. in E. Petracoricenſi, a. 667. n. 53.

Aſtidius Abbas, nepos S. Aredij Athanenſis Abbatis mortui, a. 591.

Digitized by Google

S. Theodorici Mon. *S. Thierry.*
S. Theodorici Mon. in E. Remenſi, a. 533. n. 56.
Theodoricus conditor ac primus Abb. coætaneus S. Remigio.
*
Theodulphus.
Theologienſe ſeu Tabvleienſe vel Dologienſe Mon. *Tholey.*
Tabuleium, ſeu Doleia, vel Theologium, Mon. in E. Treuirenſi, a. 623. n. 9. conditum ſub initium Dagobertini Principatûs in Auſtraſia.
Wandelinus primus Abb. ſuperſtes, a. 631.
Grimo Abb. a. 647.
Getebertus Abb. fit Epiſc. Virodunenſis, a. 665.
Armonius Abb. fit Epiſc. Virodunenſis, a. 689.
Tillidvs, Mon.
Tillidus, Mon. in Ep. Cenomanenſi, a. 717. n. 25. reſtauratur ab Herlemundo Ep. Cenomanenſi.
Quirinus Abb. conſtituitur ab Herlemundo Ep. qui ſedit ab a. 717. ad a. 743.
Trecorenſe Mon. *Treguer.*
Trecorenſe Mon.. in E. Lexobienſi, a. 520. n. 9. fauente Derocho viro prædiuite conſtructum à S. Tugdwalo, qui poſteà factus eſt Ep. Lexobienſis, a. 532.
Tvffiacvm, Mon. *Tuffé.*
Tuffiacum, Mon. puellarum in E. Cenomanenſi, a. 681. n. 73. conditum à S. Berario Ep. Cenomanenſi.
Loppa prima Abbatiſſa conſtituitur à Berario Ep. Cenomanenſi, qui obiit a. 681.
Abidelgama Abbatiſſa conſtituitur ab Agliberto Ep. Berarij ſucceſſore.
Tvronenſia Monaſteria.
Duo Monaſteria in Ep. Turonenſi, a. 556. n. 261. erecta à S. Brachione, qui Abbates illis præpoſuit, antequàm ipſe Abbas Menatenſis fieret.
Tertium Mon. Turonenſe, illúdque puellare, a. 580. n. 24. erectum *infra atrium S. Martini* ab Ingeltrude, quæ vitam clauſit, a. 590.

V

Vandopera, Mon. *Vandœvre.*
Vandopera, Mon. in Ep. Cenomanenſi, a. 565. n. 14 conditum à S. Leonardo.
Leonardus conditor ac primus Abb. obiit ſedente Cenomani S. Domnolo, qui factus eſt Ep. a. 545. & ad Deum migrauit, a. 581.
Varenna, Mon.
Varenna, Mon. puellare in E. Ebroicenſi, a. 686. n. 12.
Varrenas, Mon.
Varrenas, Mon. in Ep. Autiſſiodorenſi, a. 582. n. 21.
S. Vedaſti Mon. *S. Vvaſt.*
S. Vedaſti Mon. in E. Atrebatenſi, a. 666. n. 2. conditum à S. Autberto Ep. Atrebatenſi, initio paucos habet Monachos ſub Prioris regimine.
Hatta fit primus Abb. a. 685. obit, a. 699.
Hadulphus fit Abb. a. 699. deinde Ep. Atrebatenſis & Cameracenſis, nec dimittit munus Abbatiale, a. 717. obit, a. 728.
Madelbertus fit Abb. a. 728. obit, a. 729.
Ragenfridus fit Abb. a. 729. obit, a. 731.
Goſſilenus ſeu Gogiſlenus fit Abb. a. 731. ſuperſtes, a. 737.
S. Venantii Mon. *Saint Venant.*
S. Venantij Mon. in E. Turonenſi, a. 508. n. 4.
Syluanus Abb.
Venantius Syluani diſcipulus, cuius nomen inditum poſteà Monaſterio.
Licinius, qui factus eſt Turonenſis Ep. eodem anno quo Clodoueus Turonos cepit.
Guntharius, qui factus eſt Ep. Turonenſis a. 552.
Venetenſe Mon. *de Vannes.*
Venetenſe Mon. puellare, a. 553. n. 11. conditum in ſuburbio Venetenſi à S. Trifina, S. Gildæ coætanea, quæ vitam inter Moniales diu duxit.
Vertanvm, Mon. *Verton.*
Vertanum, Mon. in E. Namnetenſi, a. 565. n. 12. conditum à S. Martino.
Martinus conditor ac primus Abb. ordinatus eſt Preſbyter à S. Felice Namnetenſi Ep. qui diſceſſit è viuis, a. 583.
Victorii Mon.
Victorij Mon. ad flumen Sartam in E. Cenomanenſi, a. 572. n. 7.
S. Victoris Mon. *Saint Victor.*
S. Victoris Mon. Maſſiliæ, a. 534. n. 43.
Caſſianus conditor ac primus Abb. obiit, cùm Maſſilia Valentiniano III. Rom. Imp. parebat.
Anaſtaſius, a. 581.
Villare Mon. *Montiuilliers.*
Villare Mon. puellare in E. Rotomagenſi, a. 683. n. 3. conditum à Warattone Maiore-domus.
S. Vincentii Mon. prope Cenomanum.
S. Vincentij Mon. in Suburbio Cenomanenſi, a. 572. n. 7. conſtructum, dicatum, ac dotatum à S. Domnolo Ep. qui Cenomanenſem Diœceſim rexit ab a. 545. ad a. 581.
Leuſius primus Abbas a. 572. obit, a. 602.
Tirmius fit Abb. a. 602. obit, a. 632.
Richardus fit Abb. a. 632. obit, a. 658.
Goſcelinus fit Abb. a. 658. obit, a. 689.
Rolandus fit Abb. a. 689. obit, a. 711.
Reginaldus fit Abb. a. 711. obit, a. 715.
Chirmirus fit Abb. a. 715. obit, a. 736.

Digitized by Google

S. VINCENTII Mon. prope Laudunum.

S. Vincentij Mon. prope Laudunum, a. 613. n. 16. conditum à Brunichilde Regina.

S. VINCENTII Mon. prope Pariſios.

S. Vincentij Mon. in Suburbio Pariſienſi, a. 542. n. 32. conditum à Childeberto I. R. poſt a. 542.

Autharius primus Abb. obit, a. 561.

Droctoueus fit Abb. a. 561. obit, a. 581.

Scubilio fit Abb. a. 581. obit, a. 606.

Deſiderius fit Abb. a. 606. obit, a. 622.

Gauſcio fit Abb. a. 622. obit, a. 636. primus omnium dictus reperitur Abb. S. Germani. *Vide* Abbates S. Germani ſuprà.

S. VINCENTII Mon. Viennæ.

S. Vincentij Mon. Viennæ, a 534. n. 27.

VIRIZIACVM Mon. *Verzy*.

Viriziacum Mon. in E. Remenſi, a. 625. n. 129. *Vide* Mon. S. Baſoli. *Saint Baſle*.

VIVARIS, Mon.

Viuaris, Mon. in E. Bituricenſi, a. 525. n. 18.

VLTERENSE Mon.

Vlterenſe Mon. in E. Tatuannenſi, a. 519. n. 2. conditum ab Antimundo primo Ep. Tatuannenſi, qui ſedit ab a. 501. ad a. 520.

VOLOVICVS, Monaſt. *Voluic*.

Volouicus, Mon. in E. Aruernenſi, a. 674. n. 19. conditum à S. Auito Ep. Aruernenſi.

Godo primus Abb. a. 674.

Eoaldus, a. 723.

VORMACIENSE Monaſt. *de Vvorms*.

Vormacienſe Mon. a. 503. n. 3. regnante Clodoueo I. conditum à Crotoaldo Ep. Vormacienſi.

VOSIVM, Mon. *Vigeois*.

Voſium, Mon. in E. Lemouicenſi, a. 667. n. 53.

Aſtidius Abbas, nepos S. Aredij Athanenſis Abbatis mortui, a. 591.

S. VRSICINI Mon. *Saint Vrſitz*.

S. Vrſicini Mon. circa Dubim fluuium in E. Veſontionenſi, a. 615. n. 2. erectum à S. Vrſicino, Monacho quondam Luxouienſi & S. Columbani diſcipulo.

Germanus Abb. obit, a. circiter 662.

VTICVM Mon. *Ouche*.

Vticum Mon. in E. Lexouienſi, a. 572. n. 9. conditum à S. Ebrulfo, cuius nomen hodie gerit, *Saint Euroul*.

Ebrulfus conditor ac primus Abb. a. 572. obit, a. 596.

S. WALERICI Mon. *Saint Valery*.

S. Walerici Mon. in E. Ambianenſi, a. 614. n. 3. conſtructum à S. Walerico, cuius nomen gerit, *Saint Valery*.

Walericus hoc Mon. conſtruit, a. 614. regitque ad a. vſque 623.

Blitmundus fit Abb. a. 627. obit regnante Clodoueo II.

Ragimbertus fit Abb. regnante Clodoueo II.

Theodinus coætaneus Hugoni Ep. Rotomagenſi, qui obiit, a. 730.

WARACTVS, Mon.

Waractus, Mon. in E. Lemouienſi, a. 732. n. 74. conditum à Lantario Comite Lemouicenſi.

Pardulphus primus Abb. florebat, a. 732. De illo iterum Tomo ſequenti.

WASLERA, Mon. *Vvalers*.

Waſlerenſe Mon. in E. Cameracenſi, a. 657. n. 12. conditum à S. Landelino.

Dodo primus Abb.

WEINGARTENSE Mon. *Vveingartten*.

Weingartenſe Mon. in E. Auguſtano Vindelicorum, a. 718. n. 18. conditum à S. Altone.

Alto conditor ac primus Abb. a. circiter 718. ſuperſtes, a. 737.

WEISSENBVRGVM, Mon. *Vveiſſembourg*.

Weiſſenburgum, Mon. in E. Nemetenſi, a. 642. n. 67. conditum à Dagoberto I. R.

Principius primus Abb. ſub Dagoberto I. deinde ſub Sigiberto III. fit Ep. Nemetenſis, a. 642.

Cheodonius fit Abb. a. 642.

Tragebodus fit Ep. Nemetenſis, a. 667.

Ratfridus ſeu Radefridus fit Abb. a. 667. ſuperſtes, a. 675.

Erhwaldus.

Aſtramnus.

Gerbertus.

Dauid, de quo iterum Tomo ſequenti.

WELTEMBVRGIENSE Mon.

Weltemburgienſe Mon. in E. Saliſburgienſi, a. 590. n. 8. erectum à Thaſſilone Duce Boioariæ, regnante Childeberto II.

Wiſundus primus Abb. obit, a. 595.

Iſingrinus fit Abb. a. 595. obit, a. 607.

Arnolphus fit Abb. a. 607. obit, a. 626.

Berchtoldus fit Abb. a. 626. obit, a. 634.

Iuola fit Abb. a. 634. obit, a. 648.

Mathildus fit Abb. a. 648. obit, a. 666.

Poppo fit Abb. a. 666. obit, a. 672.

Rudhardus fit Abb. a. 672. obit, a. 679.

Tuto fit Abb. a. 679. obit, a. 693.

Hagano fit Abb. a. 693. obit, a. 699.

Gebertus fit Abb. a. 699. obit, a. 709.

Hugo fit Abb. a. 709. obit, a. 712.

Rempertus fit Abbas a. 712. obit, a. 720.

Heribato fit Abb. a. 720. obit, a. 729.

Gotſcalcus fit Abb. a. 729. ſuperſtes, a. 737.

WERDA Mon. *Vvert*, hodie *Keyſerswert*.

Werda, Mon in E. Colonienſi, a. 707.

nn. 4. 5. conſtructum à S. Suiberto Ep.
Suibertus conditor ac primus Abb. obit, a. 713.
willeicus fit Abb. a. 713. obit, a. 723.

WERDA, Mon.
S. Paul zu Vverd.

Werdunenſe ſiue Inſulare Mon. in E. Veſontionenſi, a. 647. n. 8.
Germanus Abb. obit, a. circiter 662.

WILERIA, Monaſt.
Vviere.

Wileria, Mon. puellare in E. Taruannenſi, a. 688. nn. 42. 43. conditum à S. Wlmaro ante a. 688.
Berttanna ſiue Hetembertha neptis S. Wlmari prima Abbatiſſa.

WLFINI Mon.

Wlfini Mon. in E. Autiſſiodorenſi, a. 582. nn. 19. 21.

WOROMHOLTVM, Mon. *Vvormbout.*

woromholtum, Mon. in E. Taruannenſi, a. 695. n. 20. conditur ex munificentia Heremari prædiuitis, ſubêſtque aliquandiu Sitiuenſi.
Winnocus fit primus Abb. a. 696. obit, a. 717.

Y

YVELINVM, Mon. *Veaune.*

Mon. puellare de Yuelino, *Noſtre Dame de Veaune*, Maſſiliæ, a. 536. n. 43. conditum à Caſſiano, cùm Maſſilia Imperatori Rom. ſubiacebat.

FINIS.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

PAGINA 214. *lin.* 1. numer ſunto, *lege,* numero ſunt. *p.* 310. *lin.* 39. Wicho, *leg.* Brico. *lin.* 40. nouemdecim, *leg.* viginti. *p.* 344. *lin.* 51. *multa, lege, nulla.* *p.* 365. *lin.* 25. obſœnos, *leg.* obſcœnos. *p.* 499. *lin.* 38. vrgente, *leg.* vergente. *p.* 526. plura Buchino, *leg.* plura de Buchino. *p.* 708. *lin.* 3. conſtant ex eius vita, *leg.* leguntur in eius vita. *lin.* 6. Atque inde colligimus Burchardum, *leg.* Quæ ſi vera ſunt, conſtat Burchardum. *lin.* 8. Gregorio Secundo Papâ, *adde*. De Egilwaldi ſcriptis & auctoritate ſtudioſiùs agemus Tomo ſequenti, cùm de Wirceburgenſis Epiſcopatûs erectione ſermonem faciemus. Ex literis enim Zachariæ Papæ liquet Burchardum à Bonifacio Wirceburgenſem Epiſcopum inſtitutum fuiſſe Childerico Tertio nondum regnante. *p.* 787. *lin.* 5. decimæ-quintæ, *leg.* decimæ-quartæ. *p.* 821. *lin.* 42. quintum, *leg.* ſextum. *lin.* 43. ſex, *leg.* ſeptem.

SVPERIORVM TOMORVM
recognitio.

TOMO I. *pag.* 36. *lin.* 25. Iulio, *leg.* Iuliano. *p.* 46. *in marg.* dictiones, *leg.* ditiones. *p.* 50. *lin.* 25. ſex, *leg* ſeptem. *lin.* 35. Caput triceſimum-ſextum non eſt in iiſdem Codicibus, item caput triceſimum-octauum, necnon caput quadrageſimum-tertium, *leg.* Caput triceſimum-octauum non eſt in iiſdem Codicibus, item caput quadrageſimum-tertium. *p.* 52. *lin.* 10. decem, *leg.* nouem. *lin.* 13. *dele* triceſimum-ſeptimum. *lin.* 43. duo poſtrema deſunt, *leg.* poſtremum deeſt. *p.* 53. *lin.* 3. quarti, *leg.* quinti. *lin.* 19. tria poſtrema non extant, *leg.* tria poſtrema cum viceſimo-primo non extant. *p.* 78. *lin.* 42. Victorinus, *leg.* Victorius. *p.* 79. *lin.* 32. Victore, *leg.* Victorio. *p.* 101. *lin.* 16. Ricinus, *leg.* Ricimer. *p.* 200. *lin.* 51. Agero, *leg.* Agerico. *p.* 213. *lin.* 20. *Corpus ſepultum eſt in Eccleſia Sancti Laurentij extra ciuitatem Aurelianenſem ad latus corporis Sancti Aniani, deinde cum corpore Sancti Aniani illatum eſt in Eccleſiam Sancti Petri ad Orientalem plagam, quæ nunc Sancti Aniani vocatur, in cuius honorem in vtraque Eccleſia Sacella extructa manent.* Nullibi, *&c. leg.* Corpus ſepultum eſt extra ciuitatem Aurelianenſem ad latus corporis S. Aniani in Eccleſia S. Petri ad Orientalem plagam, quæ nunc S. Aniani vocatur. Nullibi, *&c.* *p.* 218. *lin.* 34. Epiſcopus, *leg.* Epiſcopo. *p.* 230. *lin.* 42. *quos, leg. quas.* *p.* 236. *lin.* 45. Turoni, *leg.* Turonis. *p.* 281. *lin.* 26. *recte, leg. certe.* *lin.* 53. *vt in cuius, leg. vt in eius Epiſcopi, in cuius.* *p.* 305. *lin.* 40. *poſſit. leg. poſcit.* *p.* 316. *lin* 9. Medardinóve, *leg.* Menardinóve. *p.* 333. *dele in marg.* Monachi Vlterenſes. *p.* 343. *in marg. Montenay, leg. Mantenay.* *p.* 346. *in marg.* Miciano, *leg.* Miciaco. *p.* 359. *lin.* 13. *Aruernaus, leg. Aruernam.* *p.* 417. *lin.* 15. quadringenteſimo, *leg.* quingenteſimo. *p.* 452. *lin.* 40. à Longobardis, *leg.* ab Oſtrogothis. *p.* 475. *lin.* 51. *falcultatu-*

Digitized by Google

lis, leg. facultatulis. p. 599. lin. 47. Clementius, leg. Clemarius. p. 600. lin. 44. Qui cuius, leg. Qui cupis. p. 626. lin. 35. celebratum, leg. celebratam. p. 712. lin. 12. Vigilium, leg. Virgilium. p. 721. lin. 45. virgines, leg. vigilent. p. 749. paulè, leg. paulò. p. 752. lin. 21. ait Sirmundus, leg. aiunt Sammarthani, ibid. in marg. Tomo 1. Conc. Gall. leg. Tom. 2. Gall. Chriſt. p. 772. lin. 41. Daougloaſenſis, leg. Daougalenſis. p. 790. lin. 19. ſeptingeſimo, leg. ſeptingenteſimo. p. 792. lin. 37. Cæſarij Procopienſis, leg. Procopij Cæſarienſis.

TOMO II. pag. 3. lin. 37. ſex, leg. ſeptem. lin. 38. decem, leg. nouem. lin. 41. dele triceſimum-ſeptimum. p. 80. lin. 26. obiit decimo quinto Kalendas Maiás, leg. in viuis ſuperſtes adhuc erat. lin. 34. poſt decennium, leg. poſt annos duodecim. in marg. dele, obit. p. 102. lin. 46. quamuis, leg. quòd. lin. 47. procul abeſſet à finibus, leg. eſſet intra fines. p. 104. lin. vlt. Monaſteriis, leg. Monaſterij. p. 129. lin. 27. mirificè augmentauit, leg. Monaſticum inſtitutum, quod illic florere cœperat, mirificè augmentauit. p. 154. lin. 18. Iunahelo, leg. Iumahelo. p. 168. lin. 22. Inſulis, leg. Infulis. p. 182. lin. vlt. ὑπατείας, leg. ὑπατεύοντι. pag. 192. lin. 22. quatuor, leg. vnius. p. 214. lin. 23. καὶ τοῖς, leg. καὶ Νεαρὸν, καὶ τοῖς. p. 264. lin. 20. vbi. leg. vſi. p. 298. lin. 6. quod ad Saluium Albigenſem non pertineat, leg. quod ad Saluium Albigenſem in eorumdem Auctorum opinione non pertineat. p. 308. lin. 6. ſeptingenteſimo, leg. quingenteſimo. p. 316. lin. 6. primo, leg. ſeptimo. lin. 33. octo, leg. octodecim. p. 321. lin. 35. ert, leg. erat. p. 333. lin. 26. Decembres, leg. Nouembres. p. 338. lin. 52. Lucianus, Ruſticus, leg. Lucianus, Venantius Tertius, Ruſticus. lin. 53. quatuor, leg. quinque. p. 339. Luciano, Ruſtico, leg. Luciano, Venantio Tertio, Ruſtico. p. 432. lin. 22. duodecimum, leg. vndecimum. p. 545. lin. 5. confirmant Theophanes, Cedrenus, Nicephorus & alij, qui, leg. confirmant plerique, qui. p. 586. lin. 2. duodeſeptingenteſimum, leg. ſeptingenteſimum ſecundum. lin. 7. ſextum, leg. ſeptimum. p. 599. lin 6. pipigiſſe, leg. pepigiſſe. p. 605. lin. 16. Pariſienſem, leg. Turonenſem. p. 631. lin. 10. Azo Deruenſis Abbas, leg. Auctor à Camuzato publicatus. lin. 31. Azo ſiue Aſſo Deruenſis Abbas, leg. Anonymus. lin. 34. dele Deruenſe Monaſterium &c. vſque ad nonageſimo ſecundo. lin. 41. Azone, leg. Anonymo. lin. 51. Azone, leg. Anonymo. p. 633. lin. 20. Azo, leg. Anonymus. lin. 32. Azone, leg. Anonymo. lin. 48. ex hoc Azonis loco, leg. ex hoc loco. p. 634. lin. 23. Azoni, leg. Anonymo. p. 635. lin. 5. Azo, leg. Anonymus. lin. 43. Azonis, leg. Anonymi. p. 652. in marg. Euſebius, leg. Euſtaſius. p. 715. lin. 43. Alaretus, leg. Aluretus: p. 734. lin. 49. fratribus, leg. patribus. p. 740. lin. 25. ab Azone Monaſterij Deruenſis Abbate, leg. ab Anonymo. p. 742. qui, leg. quæ. p. 746. lin. 15. Vicho, Brico ſeu Periehus, Zayſo, Marcomannus, leg. Brico ſeu Periehus, Zaiſo, wicho, Marcomannus. p. 770. lin. 7. Lonegoſilus, leg. Lonogeſilus. p. 813. lin. 19. Fricharius, leg. Frichorius. p. 831. lin. 45. nihil occurrit, adde præter ſubſcriptionem, quâ Concilium Cabilonenſe communiuit Ætherius anno Chriſti ſexcenteſimo quadrageſimo-quarto.

TOMO III. pag. 32. lin. 5. inſtituerant, leg. inſtituerat. p. 34. lin. 16. Pippini Herſtalli, leg. Pippini Regis. p. 72. lin. 30. euocauit, leg. ſuſcepit. lin. 31. & ſeqq. dele & Marcellinus Preſbyter &c. vſque Dauentriam rego. p. 92. lin. 17. ineunte duodecimo. leg. exeunte vndecimo. p. 103. lin. 8. Authorem, leg. Authorum. p. 106. lin. 22. die Dominico, leg. die Dominico ante Litanias. p. 117. lin. 3. dele Sancto Columbano, qui Cœnobium Bobienſe conſtruxit, ſuperſtes extitit annis plùs minùs ſexaginta, viuere enim deſiit regnante apud Francos Theodorico, ideóque vix exiſtimari poteſt edoctus ab ipſomet Columbano. p. 150. lin. vlt. quinti, leg. quarti. p. 167. lin. 43. Inſulas, leg. Infulas. lin. 44. Cherdonius, cuius Acta perierunt, tum Radefridus, leg. Cheodonius, cuius acta perierunt, tum Tragebodus, deinde Radefridus. p. 180. lin. 40. regebat Perpetuus Epiſcopus, cuius mentio fit apud Robertum in Gallia Chriſtiana poſt Audicium ſiue Audericum, quem, leg. regebat Audericus Epiſcopus, quem. p. 181. lin. 49. triginta, leg. quadraginta. p. 191. lin. 24. vndeſeptuageſimum, leg. duodeſeptuageſimum. p. 253. lin. 51. regere potuit Perpetuus, cuius mentionem ante quinquennium fecimus, leg. regebat Audericus, vt poſt Erchoaldi ſucceſſoris obitum probabimus. p. 323. lin. 20. octo, leg. octauo. p. 350. lin. 9. Landericus, leg. Landricus. p. 387. lin. 12. & ſeqq. In catalogo Democharis, dele totam hanc ſectionem cum ſequenti. p. 402. lin. 8. ſeptimum, leg. ſextum. p. 406. exorſus, leg. exortus. p. 414. lin. 4. Regnum adminiſtraſſe, leg. Regnum optimè adminiſtraſſe p. 448. lin. 21. his, leg. hic. p. 461. lin. 19. viceſimo-primo, leg. vndecimo. p. 508. lin. 32. Catulenſibus, leg. Centulenſibus. eâdem lin. videri, leg. videre. p. 543. lin. 45. Baſilica, leg. Baſi-

Digitized by Google

lea. *p.* 557. *lin.* 38. Anno ſequenti, *leg.* Eodem anno. *p.* 561. *lin.* 4. viceſimum-primum, *leg.* vndecimum. *p.* 580. *lin.* 37. Obierunt etiam hoc anno Magobertus & Meriadecus inſignes Antiſtites. Magobertus Carnotenſis Epiſcopus ſedit annos tredecim, vt Demochares aliíque affirmant. Ei ſucceſſorem omnes conſtituunt Sigoaldum, qui Pontificatum geſſit annis duodecim. Meriadecus, *leg.* Obiit etiam hoc anno Meriadecus. *in marg.* Epiſcopi Carnotenſes & Venetenſes, *leg.* Epiſcopi Venetenſes. *p.* 588. *lin.* 3. *dele*, Obiit quoque &c. *vſque* appellatur. *p.* 604. *lin.* 8. *& ſeqq.* Ado, *dele totam hanc ſectionem.* *p.* 621. *lin.* 43. aſſignat Coluenerius in notis ad Chronicon Balderici, *leg.* aſſignat Baldericus. *lin.* 45. *dele*, idque ex antiquis Tabulis à Claudio *Deſprets* ſibi communicatis probat. *p.* 652. *lin.* 23. *eminus*, *leg.* *enixiùs.* *p.* 656. *lin.* 38. ſexaginta, *leg.* ſeptuaginta. *p.* 688. *lin.* 50. Bercharij, *leg.* Berarij. *p.* 722. *lin.* 50. Antiſtes, *leg.* Antiſtites. *p.* 735. *lin.* 41. *& ſeqq. dele*, Nonnullorum &c. vſque *fore creduntur.* *p.* 738. *lin.* 34. *Arculus*, *leg.* *Arlucus.* *p.* 773. *lin.* 19. Wichonem, Perichum, Zayſonem, *leg.* Perichum, Zayſonem, wichonem. *lin.* 43. Vicho anno Chriſti ſeptingenteſimo duodecimo, Perichus anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-primo, Zayſo, *leg.* Bricho ſeu Perichus anno Chriſti ſeptingenteſimo decimo-tertio, Zayſo anno Chriſti ſeptingenteſimo triceſimo-tertio, Vicho. *lin.* 46. ſeptuageſimo-nono, *adde.* Cur autem è loco, quem ei Bruſchius & Bucelinus tribuunt, Vichonem moueamus, exponemus ad annum Chriſti ſeptingenteſimum triceſimum-tertium. *p.* 791. *lin.* 35. *& ſeqq.* Sigoaldus &c. *dele totam hanc ſectionem.* *p.* 792. *lin.* 18. *dele* etiam. *p.* 801. *lin.* 42. *Ex increſcentibus*, *leg.* *Exin creſcentibus.*

PARISIIS,

IN TYPOGRAPHIA REGIA,

CVRANTE

SEBASTIANO MABRE-CRAMOISY,

ejuſdem Typographiæ Directore.

M. DC. LXX

Digitized by Google

Digiti[redacted]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google